COMMENTARIA

IN

SCRIPTURAM SACRAM

R. P. CORNELII A LAPIDE

E SOCIETATE JESU,

SANCTÆ SCRIPTURÆ OLIM LOVANII, POSTEA ROMÆ PROFESSORIS,

ACCURATE RECOGNOVIT AC NOTIS ILLUSTRAVIT

AUGUSTINUS CRAMPON,

DIŒCESIS AMBIAN. PRESBYTER.

EDITIO NOVA.

ACCURATE EXPURGATA MENDIS QUÆ IN PRIOREM IRREPSERANT.

TOMUS VIGESIMUS

EPISTOLARUM CANONICARUM



PARISIIS

APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM EDITOREM

13, VIA VULGO DICTA DELAMBRE, 13

M DCCC LXXVI

COMMENTARIUS

IN

EPISTOLAS CATHOLICAS.

ARGUMENTUM.

Septem sequentes Epistolæ, nimirum una S. Jacobi, duæ S. Petri, tres S. Joannis, una S. Judæ, vocantur Catholicæ. Cujus epitheti varii varias dant causas. Vera et genuina est nimirum catholicas hic non opponi hæreticis, *q. d.* Epistolæ hæ Christianæ sunt et orthodoxæ, non hæreticæ. Quis enim hoc negat aut nescit? Simili enim ratione Epistolæ S. Augustini, Basilii, Hieronymi, Nazianzeni, Cypriani, Bernardi, etc., vocandæ essent Catholicæ. Catholicum ergo hic non opponitur erroneo, sed privato et particulari, idemque est quod universale et commune, *q. d.* Epistolæ hæ non sunt particulares et privatæ, v. g. ad amicum; nec tractant particularia negotia, uti faciunt Epistolæ Ciceronis et aliorum quæ inde *Familiares* vocantur; sed sunt universales et œcumenicæ, tractantque res omnibus Catholicis et fidelibus communes: unde per eos ubique terrarum spargendæ, recitandæ, crebroque legendæ et relegendæ sunt (1).

Catholicæ, id est universales.

Encyclicæ eædem.

Similes, imo eædem fuere Epistolæ encyclicæ, sive circulares, quas Episcopi de rebus gravibus et publicis, v. g. de persecutione et martyriis, scribebant et mittebant ad omnes Ecclesias totius orbis, communis fidei et ædificationis causa, ut talibus exemplis et monitis fideles ubique ad constantiam animarent: unde et publice in Ecclesiis legebantur. Tales sunt encyclicæ S. Clementis, Theophili Alexandrini, S. Ignatii, S. Polycarpi, etc. Sicuti enim Judæi et hostes Ecclesiæ mittebant litteras contra Christianos et Christianam fidem per totum orbem, ut eam cunctis exosam redderent, teste S. Hieronymo præfat. *in Epist. S. Pauli*: sic ex adverso Apostoli et Episcopi mittebant encyclicas, id est orbiculares, ad fideles totius mundi, ut eos in fide et virtute confirmarent. Hinc Apollonius apud Eusebium, lib. V, cap. XVII, de Themisonte ait: « Audebat, Apostolum imitando, Catholicam ad omnes Ecclesias Epistolam contexere. » Idem Eusebius ait Dionysium, Corinthiorum Episcopum, Catholicas ad Ecclesias scripsisse Epistolas Catholicas, id est, universales et encyclicas, sive circulares. *Catholicum* enim vox Græca est (composita ex κατά, id est *juxta, secundum, per, propter, circa*, et ὅλον, id est *totum, commune, universum*) significans commune, generale et universale. Sic οἱ κοινοὶ καὶ καθολικοὶ λόγοι vocantur ab Hermogene. Catholicum ergo est, quod circa omnia versatur. Inde Medici vocant *Catholicum* pharmacum, quod omnibus simul humoribus vacuandis utile est. Inde præcepta universalia, vel perpetualia vocant *Catholica*, ait Quintilianus, lib II, cap. XIII.

Catholicum est nota Ecclesiæ.

Inde fides et Ecclesia vocatur Catholica, estque hæc ejus nota et indicium præcipuum, quod scilicet ipsa sit universalis, omnium nimirum gentium, locorum et temporum; cum hæreses particularium sint personarum, regionum et ætatum, suis limitibus et angulis circumscriptæ. Audi S. Augustinum, epist. 170 *ad Severinum*: « Ipsa est Ecclesia Catholica; unde καθολική græce appellatur, quod per totum orbem terrarum diffunditur. Hanc ignorare nulli licet; ideo secundum verbum Domini nostri Jesu Christi abscondi non potest. » Idem Augustinus *Contra Epistolam fundamenti*, cap. IV: « In Ecclesiæ Catholicæ gremio me justissime tenet consensio populorum atque gentium; tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata. Tenet ab ipsa Sede Petri apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum successio sacerdotum. Tenet postremo ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses, sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut cum omnes hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus hæreticorum vel Basilicam suam, vel domum audeat ostendere. » Venerabilis Beda in *Cantic.* cap. VI: « Sicut, ait, unus Dominus, una fides, unus baptismus, unus Deus et Pater omnium: ita est una Catholica omnium electorum multitudo per omnia et mundi loca, et tempora sæculi, eidem uni Deo et Patri

(1) Ad objectionem, quod secunda et tertia Joannis Epistola singulis personis inscriptæ sint, respondent, eos, qui epistolis illis Apostolicis nomen *Catholicarum* primi imposuerunt, secundam et tertiam Joannis non recepisse.

subjecta.» S. Pacianus, Barcinonensis Episcopus, epist. 1 *ad Sympronium* Novatianum de Catholico nomine : « Christianus, inquit, mihi nomen est, Catholicus vero cognomen; illud me nuncupat, istud ostendit. Hoc probor, inde significor, etc. Catholicus, ubique unum, vel, ut doctiores putant, obedientia omnium nuncupatur, mandatorum scilicet Dei; atque ita Catholicus Christianus est. » S. Hilarius ad Constantium Imperatorem : «Certe, ait, voces exclamantium a tua mansuetudine exaudiri decet : Catholicus sum, nolo esse hæreticus; Christianus sum, non Arianus; et melius est mihi in hoc sæculo mori, quam alicujus privati potentia dominante castam veritatis virginitatem corrumpere. » Rursum S. Augustinus in *Psal.* LXV, ad illud, *Jubilate Deo, omnis terra* : « Nemo, ait, jubilet in parte, omnis terra jubilet, Catholica jubilet, Catholica totum tenet. Quicumque partem tenet, et a toto præcisus est, ululare vult, non jubilare. » Præclare vero Vincentius Lirinensis in aureo libello contra profanas hæresum novitates : « In ipsa, ait, Catholica Ecclesia magnopere curandum est ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum. Hoc est enim vere proprieque Catholicum, quod ipsa vis nominis ratioque declarat, quæ omnia vere universaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fit, si sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem. Sequimur autem universitatem hoc modo, si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem confitetur Ecclesia. Antiquitatem vero ita, si ab his nullatenus sensibus recedamus, quos sanctos majores ac patres nostros celebrasse manifestum est. Consensionem quoque itidem, si in ipsa vetustate omnium, vel certe pene omnium sacerdotum pariter et magistrorum definitiones sententiasque sectemur (1). »

Hanc Catholicam fidem, legem, Ecclesiam describunt, et Catholicis ubivis locorum et temporum demonstrant et commendant hæ epistolæ; idcirco Catholicæ nuncupantur. Unde eædem quoque Canonicæ cognominantur, quia scilicet fidelibus Apostolicum Canonem, regulam, normam et formam recte credendi, et Christiane vivendi præscribunt; et quia Canonicam S. Scripturæ veritatisque a Deo revelatæ auctoritatem dignitatemque obtinent, uti contra nonnullos olim hac de re, teste Eusebio, lib. III *Histor.*, cap. XXV, dubitantes, definiunt Concilia Laodicense, Carthaginense III, cap. XLVII, Florentinum et Tridentinum, *sess.* IV. Hinc et a Patribus Catalogum Librorum Canonicorum S. Scripturæ recensentibus eidem inscribuntur, ut ab Innocentio I, Gelasio, Origene, Epiphanio, Athanasio, Hieronymo, Augustino, Damasceno, et aliis quos citat Bellarminus, lib. I *De Verbo Dei*, cap. XVIII. Præclare S. Hieronymus, epist. 103 *ad Paulinum* : «Jacobus, inquit, Petrus, Joannes, Judas septem Epistolas ediderunt, tam mysticas, quam succinctas, et breves pariter ac longas : breves in verbis, longas in sententiis; ut rarus sit, qui non in earum lectione cæcutiat. »

Canonicæ quæ?

Concentus Epistolarum Canonicarum.

Nota : Similes, imo eædem sæpe sententiæ reperiuntur in Epistolis Canonicis, quæ in Paulinis. Ratio est, quia idem Spiritus per omnes Apostolos loquebatur, et quia omnes eodem ævo iisdem populis, eadem de re, fide et virtutibus scripserunt : eadem de causa, quod unus Propheta dicit, dicunt et cæteri, uti in Proœmio eorum ostendi. Quare Paulinæ Epistolæ magnam lucem Canonicis afferunt : Paulus enim uberior est, et uberius mores fidelium sui ævi expressit et correxit. Igitur dogmata et sententiæ Pauli antistrophæ sunt sententiis S. Petri, Jacobi, Joannis et Judæ, uti suis locis ostendam. Voluit enim Deus hanc consensus harmoniam, et quasi concentum in Epistolis æque ac in Evangeliis existere ad indubitatum veritatis Evangelicæ testimonium, ut nemo de ea dubitare possit, dum omnes Apostolos et Evangelistas, locis licet et temporibus disjunctos, idem tamen de ea scribere et constanter asseverare legit, imo conspicit. Epistolæ ergo hæ continent medullam Evangelii : earum enim scriptores Apostoli fuerunt præcones Christi; unde passim ad verba et dogmata Christi in Evangeliis descripta alludunt, imo eadem citant, ac fidelibus in memoriam revocant et inculcant.

Porro S. Judas totus est in fide orthodoxa, S. Joannes in charitate, S. Jacobus in oratione et patientia, S. Petrus in sanctitate Christiana fidelibus commendanda (2). Extant inter opera S. Thomæ

(1) Censet Hug, *Einleitung in d. Neu Testam.*, part. II, pag. 454 seq., *Catholicas* appellari hac epistolas, quia eæ, secundum Evangelia, Apostolorum Actus Paulinasque Epistolas, reliquam novi Testamenti partem *universe* complectuntur. Novum enim Testamentum, ait, in tres partes primitus distribuebatur, quarum prima Evangeliis et Actibus, secunda D. Pauli Epistolis, tertia cæterorum Apostolorum scriptis constabat. Istam opinionem minime probat D. Glaire, *Introduction aux livres de l'Anc. et du Nouv. Testament*, tom. VI, pag. 233. Haud ita improbabilis est Noesselti sententia, principio hoc nomen proprium fuisse primæ Petri et Joannis Epistolæ, quo distinguerentur a cæteris eorumdem scriptorum epistolis, quæ incertæ fidei essent; post vero, quum Jacobi etiam et Judæ Epistolæ in plurimis Ecclesiis publica lectione probatæ fuissent, translatum esse nomen ad universas, quas discernere a Pauli Epistolis vellent Scriptores veteres. Ita epistola *Catholica* esset *legitima*, omniumque consensu probata.

(2) Suspicatus est Storrius, *De Catholicarum Epistolarum occasione et consilio*, Petrum et Jacobum scripsisse ad Christianos *exjudæos* minoris Asiæ, eo consilio, ut obviam irent abusui doctrinæ Paulinæ de fide et legis Mosaicæ abrogatione, declararentque suum cum Paulo consensum, necnon ut animos firmarent Christianorum Asiæ minoris adversus falsos doctores in iis regionibus grassantes. Judam arbitratur, commotum pravorum sollicitationibus, aliquanto post editionem alterius epistolæ Petri, sive post mortem Apostoli etiamnum durantibus, Christianos minoris Asiæ ad constantiam in vera doctrina tuenda denuo

Aquinatis *Comment. in Epistolas Canonicas*; sed hæc per errorem ascribi S. Thomæ Doctori Angelico, cum sint Thomæ Anglici, uti et Comment. in Genesim, Isaiam, Jeremiam et Apocalypsin, docent Sixtus Senensis et Possevinus in *Biblioth.*, noster Lorinus et alii : licet Bellarminus et nonnulli alii opinentur ea esse genuina S. Thomæ Aquinatis.

exc tandos putasse; Joannem denique occurrere voluisse Cerinthi errori, per quem vetus pugna contra pietatis studium inter Asiæ minoris Christianos recruduerit.

IN EPISTOLAM

SANCTI JACOBI

PROŒMIUM.

Epistola Jacobi est Canonica.

Tria hic præmittenda sunt : *primum,* de auctoritate hujus Epistolæ; *secundum,* de argumento; *tertium*, de auctore.

Quoad *primum,* Lutherus hoc loco, hanc Jacobi Epistolam a Canone sanctæ Scripturæ resecat, eamque vocat stramineam, aridam et Apostolo indignam. Ratio ejus est, quod ipsa commendans opera bona, adversetur doctrinæ Lutheri docentis, nos sola fide justificari, imo S. Pauli, qui idem docet *Roman.* III, 28, inquit Lutherus. Lutherum sequuntur Brentius, Kemnitius et Centuriatores Magdeburgenses, quin et Erasmus hoc loco asserit, eam non redolere gravitatem Apostolicam.

Verum de fide est, hanc Epistolam esse Canonicam, partemque genuinam S. Scripturarum. Id enim definiunt Concilia paulo ante citata; idem docent Patres citati, adeoque hic est sensus et consensus totius Ecclesiæ, uti multis veterum et recentiorum testimoniis ostendit Judocus Coccius in *Thesauro Catholico*, tom. I, lib. VI, pag. 713. Ad argumentum Lutheri respondet S. Augustinus, lib. *De Fide et operibus*, cap. XIV, ideo S. Jacobum, Petrum et Joannem suas scripsisse Epistolas, ne quis legens Epistolas S. Pauli, præsertim ad Romanos, putaret cum Luthero solam fidem sufficere ad salutem. Explicant ergo Paulum, docentque eum per fidem non excludere, sed includere opera ex fide manantia, sicut arbor non excludit, sed includit fructus, quos progignit et portat. Quocirca Calvinus, lib. III *Instit.*, cap. XVII, § 11 et 12, et Calvinistæ Epistolam S. Jacobi admittunt ut Canonicam. Soli ergo Luthero cum suis videtur straminea, vereque talis est, tum quia ut stramen accensum urit et evertit stramineam ejus fidem, tum quia ut stramen ignitum comburit, et in æternum comburet blasphemam ejus linguam, qua hanc Epistolam Spiritui Sancto adimit, et diabolo errorum auctori ascribit. Vide Bellarminum, lib. I *De Verbo Dei,* cap. XVIII, ubi octo argumenta, quæ Lutherani huic Epistolæ objiciunt, dissolvit et confutat.

Porro, in collocandis Epistolis Canonicis in Bibliis, non est servatus ordo dignitatis : sic enim præponi debuissent Epistolæ S. Petri, utpote Principis Apostolorum; sed temporis. Præponitur ergo cæteris Epistola S. Jacobi, sive quod prius sit scripta, sive quod prius inter Canonicas Scripturas post mortem ejus sit relata. Mortuus est enim Jacobus sex annis ante S. Petrum, et 38 annis ante S. Joannem; S. Jacobus enim obiit anno Christi 63, S. Petrus 69, S. Joannes 101. Vide Chronotaxim. Denique si earum veritatem et auctoritatem spectes, auctoremque primarium, nullus inter eas est ordo; sed omnes sunt pares et æquales. Omnes enim habent veritatem et auctoritatem canonicam, quia omnes dictatæ sunt a Spiritu Sancto.

Argumentum Epistolæ Primo.

Quoad *secundum.* Quæritur quodnam sit argumentum hujus Epistolæ? Respondeo : Scopus et argumentum ejus est, *primo*, animare fideles ad constantiam in persecutione, quam patiebantur a Judæis et Gentibus. Hoc enim est ejus exordium : « Omne gaudium existimate, fratres, cum in varias tentationes incideritis; » ac deinceps graphice invictæ patientiæ decus et majestatem depingit. *Secundo,* commendare opera bona et exercitium virtutum, præsertim pietatis et charitatis. Quia enim S. Paulus in epist. *ad Roman.* et *ad Galat.*, adeo extulerat fidem Christi et depresserat opera legis, ne quis id acciperet et extenderet ad opera fidei et charitatis, ideoque otiose in fide et gratia Christi conquiesceret, explicat, docetque opera fidei requiri ad meritum et ad salutem; præsertim quia Simon Magus (quem hoc ævo secutus est Lutherus, Calvinus eorumque asseclæ) occasionem ex Paulo nactus palam docuit non requiri opera ad salutem, solamque fidem sufficere. Audi de eo Irenæum, lib. I, cap. XX : « Docebat, inquit, eos qui in eum et Selenem (uxorem vel meretricem) ejus spem habebant, ut liberos agere quæ velint : secundum enim ipsius gratiam salvari homines, sed non secundum operas justas. » Hanc primam primi hæresiarchæ (quem mox secutus est Menander, Carpocras, Valentinus, Eunomius, Gnostici aliique plurimi) hæresim statim in ejus exordio convellere et confutare aggressi sunt Apostoli, puta SS. Petrus, Jacobus et Joannes, tam verbo quam scriptis Epistolis. *Tertio,* quia idem Simon docebat libertatem carnis, æque ac Lutherus, ac

Secundo.

Tertio

proinde Christianos a lege liberos, libere posse vacare ventri et veneri; solam enim fidem sufficere ad salutem : Jacobus eidem fortiter resistit, docetque contrarium, nimirum concupiscentiæ mortificationem, continentiam, abstinentiam, modestiam; multis enim laboribus, ærumnis, persecutionibus, et sæpe morte ac martyrio comparandum esse regnum cœlorum. Itaque verbis, scriptis et factis, adversus fluvium carnis libertate late fluentem et exundantem, validissimum opponit aggerem. Simon enim Magus erat Samarita, suosque errores spargebat in Samaria, quæ vicina est Hierosolymæ, eoque eosdem derivabat. Debuit itaque ex officio pastorali S. Jacobus, quasi Hierosolymæ et Judææ Episcopus, ei, quasi gregis sui lupo, palam omni conatu sese opponere. Fuit ergo ipse vere Jacob, id est, pastor fidelium, supplantator infidelium. Hinc ejus Epistola est Catholicæ fidei vitæque canon et regula. Inter alia enim docet : *primo*, omne malum a nobis oriri, omne bonum a Deo Patre luminum, ideoque illud ab eo postulandum; *secundo*, sapientiam Christianam distinguit a mundana; *tertio*, mundum adversari Christo, et Christum mundo; *quarto*, mortificandas esse animi cupiditates; *quinto*, vanam et inanem esse ambitionem et prosperitatem hujus vitæ; *sexto*, Deum fore scelerum et scelerato rum judicem et vindicem, ideoque cavendam personarum acceptionem et contemptum pauperum; *septimo*, ambiendam esse amicitiam Dei, sæculi vero fugiendam; *octavo*, vitandam esse anxiam sollicitudinem de rebus futuris, et quiescendum in paterna Dei cura et providentia. *Quarto*, illustria omnium virtutum dat documenta, præsertim fidei, spei, religionis, mansuetudinis, simplicitatis et candoris, beneficentiæ et curæ pauperum, silentii et frenandæ iræ ac linguæ, mutuæ charitatis et benevolentiæ; fugiendam esse avaritiam et juramentum, in tribulatione patienter expectandum esse Dei adventum. *Quinto*, sancit sacram unctionem infirmorum, item precandi et psallendi studium, insuper sacram exomologesin. Denique : « Qui converti, inquit, fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum. » Ex dictis liquet, hanc Epistolam scriptam esse post Epistolam S. Pauli ad Romanos; quam cum ille scripserit anno Christi 58, sequitur post illum annum hanc scriptam esse a Jacobo, ac consequenter non diu ante mortem et martyrium quod obiit ipse anno Christi 63. Nam, ut ait S. Irenæus, lib. III, cap. I, Apostoli toti intenti erant prædicationi, ideoque sero cœperunt sua dogmata scriptis mandare (1).

Est Canon fidei et vitæ Christianæ.

Quarto.

Quinto.

Porro videri posset hæc Epistola scripta Hebraice, utpote ab Hebræo Jacobo ad Hebræos per orbem dispersos. Verum communior sententia est, scriptam esse græce, tum quia lingua Græca eo tempore erat communis, etiam Judæis, præsertim dispersis. Unde utebantur ipsi promiscue Græca versione Septuaginta æque ac Hebræo Bibliorum textu; ideoque Christus et Apostoli, quin et Josephus ac Philo citant Mosen et Prophetas juxta versionem Septuaginta, non juxta Hebræum textum. Tum quia Jacobus hanc Epistolam, etsi primario scripserit Judæis, secundario tamen scripsit Gentibus, adeoque sæculis omnibus : Gentium autem lingua tum latissime patens, erat Græca; tum denique quia S. Athanasius in *Synopsi* scribit Evangelium S. Matthæi a S. Jacobo translatum esse, utique ex Hebræo in Græcum, quasi universalius idioma. Ergo eodem videtur S. Jacobus scripsisse suam Epistolam, ut plures eam legere et intelligere possent. Sic S. Petrus, S. Joannes, S. Judas, S. Paulus omnes suas epistolas, excepta ad Hebræos et ad Romanos, scripserunt græce.

Scripta est græce

Commentati sunt veteres plures in hanc Epistolam. *Primo*, S. Augustinus, sed intercidit hic ejus Commentarius. Audi eum, lib. II *Retract.* cap. XXXII : « Inter opuscula mea reperi expositionem epistolæ Jacobi Apostoli, quam retractans adverti annotationes potius expositorum quorumdam ejus locorum, in librum redactas fratrum diligentia, qui eas in frontibus codicis esse noluerunt. Adjuvant ergo aliquid, nisi quod ipsam epistolam, quam legebamus quando ista dictavi, non diligenter ex Græco habebamus interpretatam. » *Secundo*, Didymus Alexandrinus, præceptor S. Hieronymi, brevem et eruditum scripsit Commentarium in hanc Epistolam et in cæteras Canonicas. Extat is tom. VIII *Biblioth. SS. Patrum*. *Tertio*, extat in hanc Epistolam Catena Græcorum Patrum, scilicet S. Dionysii, Athanasii, Irenæi, Chrysostomi, Nazianzeni, Basilii, Nysseni, Epiphanii, Cyrilli, Theodoreti et aliorum, quam Joannes Felicianus in Latinum convertit. *Quarto*, Ven. Beda. *Quinto*, Œcumenius. *Sexto*, Thomas, non Aquinas, nec Angelicus (ille enim Lyrano fuit anterior : mortuus est enim anno Domini 1274, Lyranus autem floruit anno 1320. Hic autem Auctor citat Lyranum commentans in *epist.* I S. Petri, cap. II, vers. 19), sed Angelicus Doctor Anglico non absimilis, sive acumen, sive doctrinam, sive stylum, sive professionem (fuit enim Ordinis S. Dominici) spectes, sed eo posterior : floruit enim anno Domini 1400, teste Sixto Senensi in *Biblioth.* Ex recentioribus scripserunt perplures passim noti, recentissime et exactissime Balthasar Paes Lusitanus, Franciscus Fevardentius, Petrus Stevartius, Gregorius Primaticcius, qui breviter, sed nervose S. Jacobi sententias per syllogismos stringit et connectit. E Societate nostra P. Alfonsus Salmeron, Benedictus Justinianus, et Joannes Lorinus. Hos omnes sequar.

Commentatores.

(1) Sepp, opere cui titulus in Gallica versione, *La Vie de N. S. J.-C.*, tom. II, pag. 369, ait S. Jacobi epistolam anno Christi 59 scriptam fuisse.

sed more meo per compendium et mellilegium.

Auctor Jacobus Alphæi.

Quoad *tertium*. Quæritur quis sit hujus Epistolæ auctor? Negat Lutherus et Erasmus esse S. Jacobi; dubitat Cajetanus. Verum Concilia jam citata, æque ac Patres, totaque Ecclesia ascribit eam S. Jacobo. Quare de fide est eam esse S. Jacobi. Sed dubium est utrius sit. Duo enim inter Apostolos fuerunt Jacobi, unus filius Zebedæi, frater S. Joannis, occisus ab Herode, *Actor.* cap. XII, 2, patronus Hispaniæ, qui cognominatur Major. Alter Alphæi, qui frater Domini, *Galat.* I, 19, et a S. Marco, cap. XV, vers. 40, « Minor » (sive ætate, sive vocatione, ut vult noster Lorinus; sive statura, ut vult Fevardentius; sive quo alio respectu) cognominatur, fuitque primus Episcopus Hierosolymæ. Jacobo Zebedæi hanc Epistolam tribuunt Hispani nonnulli, ut Lucius Dexter in *Chronico*, ubi asserit S. Jacobum prædicasse Judæis per Hispaniam dispersis, iisque hanc scripsisse Epistolam. Additque « quæ fuit prima Scriptura novi Testamenti, tanto Apostolo digna. » Idem habet versio Arabica et Mozarabes in Liturgia, ac eorum patriarcha S. Isidorus, lib. *De vita et morte Sanctor.*, cap. LXXIII, quos citat, quorumque sententiam probabilem esse censet noster Gaspar Sanchez, tract. 3 *De Profectione S. Jacobi in Hispaniam*, cap. XII. Idem habet Syriaca versio Widmanstadii, quæ hanc Epistolam tribuit S. Jacobo, qui cum S. Petro et S. Joanne interfuit transfigurationi Christi : ille autem fuit Zebedæi, non Alphæi. Idem censet Sixtus III Pontifex, epist. *De Malis Doctoribus*, quæ extat tom. V *Biblioth. SS. Patrum*. Sed, ut bene notant ibidem Doctores Parisienses in ultima editione, Bellarminus, *De Scriptor. Eccles.*, Baronius et alii, Epistola hæc falso ascribitur Sixto III Pontifici (quod nomen multos viros doctos decepit), cum sit Pelagiani cujuspiam. Omnia enim tribuit libero arbitrio, et gratiæ nihil; asserit hominem posse vivere sine omni peccato, etiam levissimo. Denique totus scatet erroribus Pelagianorum.

Verum alii passim, et veteres et recentiores, hanc Epistolam tribuunt S. Jacobo Alphæi, primo Hierosolymorum Episcopo. Ita S. Hieronymus in *Catalogo Script. Eccles.*, in *Jacobo*; Eusebius, lib. II *Hist.*, cap. XXII vel XXIII; S. Augustinus in cap. II Epist. *ad Galat.*; S. Ambrosius, lib. VII *in Luc.*, cap. IX.

Hic Jacobus fuit frater Judæ et Simonis Apostolorum, ut patet ex epistola Judæ, vers. 1, ac Joseph Justi, qui oppositus fuit S. Matthiæ in sorte Apostolatus, *Actor.* I, 23; *Matth.* XIII, 55. Filius fuit Alphæi, qui alio nomine dictus est Cleophas, et Mariæ, quæ a filio cognominata est Jacobi; a marito, Cleophæ : licet nonnulli velint Cleopham fuisse patrem Mariæ, et consequenter avum Jacobi. Quod enim nonnulli distinguunt Jacobum Apostolum ab Episcopo Hierosolymæ, tresque faciunt Jacobos, primum Zebedæi, secundum Alphæi, tertium Episcopum Hierosolymæ, qui fuerit auctor hujus Epistolæ, uti faciunt Epiphanius, *hæresi* 76, Dorothæus in *Synopsi*, et insinuant S. Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, et clarius Clemens, lib. II *Constit. Apost.*, cap. LIX, refellunt S. Hieronymus, Eusebius, Clemens Alexandrinus, Baronius et alii, et ex iis Franciscus Suarez, III *part.*, tom. II, disp. V, sect. 4. Imo Concilium Tridentinum, *sess.* IV, ubi auctorem hujus Epistolæ asserit esse Jacobum Apostolum, de quo plura cap. I, vers. 1.

Jacobus frater Domini, cur?

Porro quia, ut ait S. Ambrosius, lib. II *De Virginitate*, « primus discendi ardor est nobilitas magistri, » Jacobus hic fuit miræ sanctitatis et sapientiæ. Id patet *primo*, ex eo quod vocatus sit frater Domini, tum quia cognatus erat Christi, tum quia Christo simillimus moribus, forma et vultu, teste S. Ignatio, epist. 2 *ad Joan.*, et Origene, lib. I *Contra Celsum*, ac si Christi frater et gemellus fuisset. Quare necesse est Jacobum eximia fuisse forma et pulchritudine. Talis enim fuit forma Christi, teste Psalte : « Speciosus forma præ filiis hominum, » *Psalm.* XLIV, 3. Rursum hinc sequitur, Jacobum Christo, Apostolis et Christianis fuisse percharum. Similitudo enim, æque ac virtus est conciliatrix amoris et amicitiæ. Addit Epiphanius, *hæresi* 70, Jacobum a puero simul cum Christo fuisse educatum. Hinc cognominatus est *Justus*, ab eximia justitia et sanctimonia, teste S. Hieronymo *in Galat.* I; Eusebio, lib. II *Histor.*, cap. I; Chrysostomo, hom. 5 *in Matth.*; et Antiocho monacho, *hom.* 72, qui addit, hoc *Justi* cognomen a singulari justitia illi esse inditum communibus omnium suffragiis. Unde cognominatus est a Græcis Patribus ἀδελφόθεος, id est *frater Dei*. Hinc et nonnulli dicunt Jacobum instar Joannis Baptistæ et Jeremiæ, sanctificatum fuisse in utero matris. Ita S. Epiphanius, *hæres.* 29, Hegesippus apud S. Hieronymum in *Jacobo*, et S. Antoninus, III p., tom. XXXI, cap. VIII, penes quos sit hujus rei fides. Certe mater ejus Maria Jacobi sanctissima, e Jerusalem Verulas in Italiam translata, multis magnisque claret miraculis, ut habet Martyrologium Romanum, die 25 maii, et Chronica Verulensium.

Episcopus Jerusalem

Secundo, sicut Christus fuit minister circumcisionis, ut ait Apostolus *Rom.* XV, 8, hoc est, solis prædicavit Judæis, tanquam genti fideli, sanctæ et a Deo electæ, cui per Prophetas eumdem, tanquam Messiam et Salvatorem promiserat : ita et Jacobus quasi Christi frater, successor et hæres, ex omnibus Apostolis, ab iisdem jussu Christi, teste Eusebio, lib. VII *Histor.*, cap. XIV, in fine, electus et constitutus est sanctæ civitatis, puta Hierosolymæ, Episcopus ac Judæorum Pastor. Unde Hesychius in oratione quæ exstat apud Photium in *Biblioth.*, num. 833, Jacobum vocat novæ Jerusalem summum ducem, sacerdotum principem, Apostolorum verticem, in lampadibus resplendentem, et inter astra maxime illustrem. Porro institutus est Jacobus Episcopus Hieroso-

lymæ a S. Petro, Joanne et Jacobo fratribus : ita Anacletus Pontifex, epist. *ad Episcopos Italiæ;* idque postridie necis S. Stephani, ait Beda in *Chron.*, puta die 27 decembris, anno Christi 34, ut scilicet libertate et increpatione S. Stephani exacerbatos Judæorum animos sua benignitate, modestia et mansuetudine leniret; idque ita præstitit, ut pacifice in ea quasi Episcopus resederit, Ecclesiamque rexerit per 29 annos. Successit ergo Jacobus Christo, quasi frater fratri, ut illi semen suscitaret, quod proinde Christianorum, non Jacobitarum nomen sortiretur. Unde et eidem Christus ad Patrem vadens, filios matris Ecclesiæ commendavit, ait S. Hieronymus in cap. I epist. *ad Galat.*

Oblias, cur? *Tertio,* S. Epiphanius, *hæresi* 78, asserit ejus cognomen vulgo fuisse *Oblias,* id est *mutus* (perperam aliqui legunt *munus*) et *præsidium;* pro quo alii legunt *Ophilas,* ab עפל *ophel,* id est arx, turris celsissima et munitissima : qualis erat illa templi, caput nubibus pene inserens, cujus proinde verticem intuentes caligabant oculis. Unde hebraice dicta est *Ophel,* id est caligo, de qua Josephus, lib. II *Belli,* cap. XVIII, et lib. VI, cap. VI, et lib. VII, cap. XIII. Et Poeta :

> Aspice surgentes obscura in nubila moles,
> Templaque sidereis invidiosa globis.

Primo Secundo. Idque *primo,* quia S. Jacobus orationi addictissimus, in ea quasi in cœlum rapiebatur ad Deum pleno mentis ascensu. *Secundo,* quia sua oratione et sanctitate erat quasi arx et præsidium, tutans et propugnans totam Ecclesiam totumque Judæorum populum. Hinc ex frequenti et continua oratione non tantum genua habebat callosa, sed et frontem, utpote quam ex profunda humilitate et reverentia terræ affigebat, teste S. Chrysostomo, hom. 5 *in Matth.* Testatur S. Epiphanius, *hæresi* 78, S. Jacobum urgente magna siccitate elevantem ad cœlum manus, quasi alterum Mosen Deum precatum esse, ac mox pluviam impetrasse.

Nazaræus. *Quarto,* S. Jacobus erat Nazaræus : unde vino, carne, animatis omnibus, oleo, balneis, vestibus laneis cæterisque deliciis abstinebat. Ita Eusebius, Epiphanius et alii citati. Addit Epiphanius, *hæresi* 78, eum semper virginem permansisse, putatque hunc illum fuisse, qui, relicta sindone, nudus tempore passionis Christi aufugit : idcirco id opinatus, quod S. Jacobum lineam sindonem semper induere solitum constet. Tradit insuper eum nudis pedibus incedere consuevisse.

Columna fidei. *Quinto,* S. Jacobus fuit post S. Petrum Ecclesiæ et fidei columna, uti eum nuncupat S. Paulus, *Galat.* cap. II, 9, ubi quoque asserit se cum eodem contulisse suum Evangelium, « ne in vacuum currerem, inquit, aut cucurrissem. » Unde Petrus e carcere per Angelum liberatus, illico hujus rei nuntium misit ad Jacobum, *Act.* XII, 17. Hinc et Judas scribit et gloriatur se fratrem Jacobi; et mater ejus, etiamsi plures habuerit filios, eosque Apostolos, a digniori tamen vocatur mater Jacobi, *Marc.* XVI, 1.

Judæorum Pastor. *Sexto,* S. Jacobus fuit proprius Judæorum pastor et patronus. Unde ut eos sibi conciliaret, et ad Christum traduceret, servavit legem Mosis, licet jam mortuam, sed necdum mortiferam; quin et S. Paulo eamdem servandi auctor fuit, ut eum suis Judæis acceptum faceret et conciliaret, itaque saluti Pauli, communique paci et concordiæ consuleret, *Act.* XXI, 18.

Illuminatur a Christo. *Septimo,* Clemens Alexandrinus, lib. VII *Hypotypos.,* et ex eo Eusebius, lib. II *Histor.,* cap. I, tradunt Christum post Ascensionem suam, singularem quamdam cognitionem impertiisse Jacobo Justo, Joanni et Petro, quam deinde illi cæteris Apostolis communicarint, hi 70 discipulis. Unde Rabanus, lib. *De Universo,* cap. V, ait Jacobum hac Epistola legentibus immensam scientiæ claritatem infundere : ea enim complectitur omnem Christianæ doctrinæ et vitæ perfectionem.

Vita sublimis. *Octavo,* S. Jacobus erat vitæ adeo sublimis et exemplaris, ut videretur esse speculum et imago cœli vitæque cœlestis, quam agunt Angeli et Sancti in Paradiso. Hinc perdius et pernox in oratione cum Deo et Angelis versabatur. Hinc et Christi vultus moresque in eo quasi in vivo antitypo resplendebant. Quocirca fideles post Christi in cœlum ascensum, e variis provinciis certatim Hierosolymam pergebant S. Jacobi videndi causa, ut in eo viderent et intuerentur Christum, ob miram quam cum eo habebat per omnia similitudinem. Ita S. Ignatius, epist. *ad S. Joan. Evangelist.* (vel quisquis est auctor : nam multi docti censent non esse S. Ignatii), scribit se cogitare pergere Hierosolymam, ut videat S. Jacobum quasi vivam Christi effigiem. Hinc etiam Judas Christum proditurus Judæis, eis osculi signum dedit, ut eo Christum agnoscerent, ne pro eo Jacobum Christi simillimum comprehenderent. Vere Plato in *Theæteto :* « Deo, ait, nihil est similius, quam cum ex hominibus aliquis justissimus est. In hoc enim vera hominis præstantia versatur. »

Ingressus in Sancta sanctorum. *Nono,* tradunt multi veterum S. Jacobo concessum fuisse ingredi in Sancta sanctorum, quod ex lege Dei, *Levit.* XVI, 2, *Hebr.* IX, 7, soli Pontifici licebat, idque semel tantum in anno, nimirum in festo Expiationis. Id S. Jacobo concessum tradunt S. Hieronymus in *Catalog. Script. Eccles.,* in *Jacobo;* S. Epiphanius, *hæres.* 29; Eusebius, lib. II *Histor.,* cap. XXII vel XXIII; Hegesippus, lib. V, et ex iis Nicephorus, Abdias et alii. Hoc multis viris doctis videtur incredibile, tum quia Judæi erant suæ legis et rituum observantissimi, tum quia iidem summi erant Christi et Christianorum hostes. Sed tanta est Patrum quos jam citavi, fides et auctoritas, ut ei refragari non liceat. Quid ergo? Temperamento res eget, suaderique potest, si dicamus, non passim et communiter id S. Jacobo fuisse permissum, sed raris duntaxat casibus, ut si v. g. fulmen incidisset in Sancta sanctorum;

si casu Cherubim, propitiatorium vel arca corruisset; si quis locum sanctum violasset: sicuti enim Pilatus statuam Cæsaris in urbe, et forte in templo collocavit, teste Josepho, lib. II *De Bello*, cap. VIII, sic forte et præses vel miles aliquis Romanus, ut gratificaretur Caio Caligulæ Imperatori (qui Judæis infensus erat, ab eisque, æque ac a cæteris gentibus, volebat adorari ut Deus, ideoque sui imaginem collocari jusserat in templo Hierosolymitano, ut patet ex Philone legato ad Caium), statuam ejus collocavit in Sancto sanctorum, etc. Tunc enim ut illud violatum vel mutilatum purgarent et instaurarent, aut incendii et ruinæ periculo eriperent, necesse erat eo immitti virum eminentis dignitatis, sanctitatis et sapientiæ, qui id præstaret, aut quid facto opus renuntiaret. Jacobo autem nemo erat dignior, nemo sapientior, nemo sanctior. Adde quod ipse proprius erat Episcopus et Pontifex Hierosolymæ, et ut talis colebatur non solum a Christianis, sed etiam a Judæis, qui eum ob lenitatem, sanctitatem, charitatem, etc., amabant et reverebantur ut parentem; præsertim quia ipse Judæorum et Judaismi erat observans et tutor, uti paulo ante dixi. Imo longe præferebant eum suo Pontifici Anano et similibus, qui vel intrusi erant a Romanis, vel simoniaci pecunia emerant pontificatum, vel illum avare, impure et indigne administrabant. Denique S. Jacobus, ob abstinentiam, orationem et zelum, non tam videbatur esse homo quam angelus, cui soli jure deberi aditum in Sancta sanctorum censebant Judæi. Atque hinc nonnulli, ut Salmeron hic, opinantur hanc fuisse causam martyrii S. Jacobi, nimirum quod Ananus Pontifex non ferens pontificatus socium et æmulum S. Jacobum, dolensque eum sibi a populo anteferri, eum quasi Judaismi eversorem et Christi ac Christianismi præconem citarit, et apud suos legis Mosaicæ zelotas reum capitis egerit. Confirmat hæc omnia testimonium Josephi, qui eversionem Hierosolymæ factam a Tito adscribit cædi S. Jacobi, lib. XX *Antiquit.*, cap. XVI, uti eidem eamdem adscribunt S. Hieronymus in *Jacobo*, Eusebius, lib. II *Histor.*, cap. XXII; Origenes, lib. I *Contra Celsum*; Isidorus, lib. *De vita et morte Sanctorum*, cap. LXXIX. Ex quibus facile colligas, quanta S. Jacobi fuerit sanctitas, æque ac sanctitatis et dignitatis opinio apud Judæos. Tanta est virtus, tanta vis sanctitatis, quæ amicat amicos pariter, et inimicos.

Sic S. Franciscus Xaverius sua sanctitate admirationi fuit Bonziis, licet Christi hostibus, ac etiamnum est infidelibus in India, qui eum Patrem sanctum vocant et invocant, ac sæpe ejus intercessione sanitatem, vitam aliasque gratias per miraculum a Deo nanciscuntur. Audi Turselinum in ejus Vita, lib. II, cap. XI: « Vulgo, inquit, Magnus Pater vocabatur. Rex Travancoridis toto regno suo edixit, ut Magno Patri omnes obtemperarent, æque ac sibi. » Idem, cap. IX, narrat Brachmanas, licet infideles, audita Francisci doctrina, eam amplexatos esse, illamque miris extulisse laudibus.

Sic et ejus discipulus Gaspar Barzæus, ob sanctitatem quasi propheta vel angelus cœlo lapsus cultus fuit a Saracenis juratis Christi inimicis. Nam et flexis in terram usque poplitibus illum salutabant, et manum ejus, quin et vestem ac pedum vestigia osculabantur. « Vocabant eum Zachariæ filium, quasi alterum S. Joannem Baptistam, magnumque Christianorum Caciz: quin et nocte intempesta, cum multis facibus in templum suum (Coranum vocant) magno comitatu induxerunt, et ad summum usque deduxerunt, idque spectante et admirante tota civitate Armusiensi. Et tamen etiam proposita morte, ne ex aliena secta quisquam ingrediatur, Mahometanis legibus est interdictum. Verum illi sic Mahometem explicabant, noluisse illum tam insignem virtute virum excludere, » ait Noster Trigautius in ejus Vita, lib. II, cap. XIV. Simili modo legem explicabant Judæi; noluisse illam S. Jacobum, tam eximiæ dignitatis et sanctitatis virum, ea comprehendi. « Nam propter summum sapientiæ et pietatis studium, quod in vita assidue excoluerat, ab omnibus justissimus putabatur, » ait Eusebius, lib. II *Histor.*, cap. XXII. Unde et populus fimbriam vestimenti ejus certatim cupiebat attingere, ait S. Hieronymus. Quare quod S. Epiphanius, loco jam citato asserit, S. Jacobum fuisse sacerdotem legis veteris, ideoque admissum ad Sancta sanctorum, merito ab aliis omnibus rejicitur quasi falsum et quasi insufficiens. Soli enim Pontifici licebat ingredi in Sanctum sanctorum. Constat autem S. Jacobum non fuisse Pontificem Aaronicum. Denique opinantur nonnulli legem illam, *Levit.* XVI, 2, ut nemo ingrediatur Sanctum sanctorum nisi Pontifex semel in anno, limitandam esse ad ingressum solemnem, quo scilicet res divina solemniter facienda erat in Sancto sanctorum: nam transacto illo tempore licuisse iis qui in sanctitate erant insignes, qualis erat S. Jacobus, ingredi Sanctum sanctorum. Probant ex eo quod S. Evodius, successor S. Petri in cathedra Antiochena, apud Nicephorum, lib. II, cap. XXIII; Germanius Constantinopolitanus Patriarcha, et Georgius Nicomediæ, orat. *De oblat. Mariæ*, ac Andreas Cretensis, *De dormitione Deiparæ*, asserant B. Virginem præsentatam in templo, habitasse in adytis et in Sancto sanctorum. Ita censet noster Christophorus a Castro in *Hist. Deiparæ*, cap. III. Verum lex illa, *Levit.* XVI, 2, non videtur hanc limitationem pati, uti graviter docet ibidem Abulensis; nec cæteræ virgines, inter quas degebat B. Virgo, habitarunt in Sancto sanctorum, sed in atrio ad ostium tabernaculi, ut dicitur *Exod.* XXXVIII, 8, et I *Reg.* II, 22.

Liturgia S. Jacobi.

Decimo, S. Jacobus primus Missæ sacrificium solemniter celebravit, ut indicat sexta Synodus *De consecr.*, dist. I, cap. *Jacobus*, ejusque celebrandi formam et ritum præscripsit. Extat etiamnum

Missa S. Jacobi, quam non apocryphi cujuspiam, sed ipsius S. Jacobi esse, patet tum ex sensu et consensu Doctorum et fidelium in Concilio Trullensi, tum ex Proclo, Archiepiscopo Constantinopolitano in Concilio Ephesino, tum ex Cyrillo, Hierosolymæ pariter Episcopo, qui *catechesi* 5 orationes mystagogicas habet acceptas ex Missa S. Jacobi : ut illud, quod sacerdos alta voce diceret, *Sursum corda;* et quæ de immensa gloria Dei præfari soleat ante sacra mysteria; quod idem diceret: *Orate pro vivis et defunctis;* quod Diaconus ante sumptionem divinorum mysteriorum inclamaret : *Osculamini invicem in osculo sancto,* atque ea accepturis intonaret : *Sancta sanctis,* populus vero responderet : *Unus est sanctus;* quod cantores inter sumptionem S. Eucharistiæ illud *Ps.* XXXIII concinerent : *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus;* et plura hujusmodi. Vide Sixtum Senensem, lib. I *Bibl.*, in *Jacobo,* et Claudium Sainctes, præsat. in *Liturgias,* cap. VIII. Hinc et S. Ignatius, epist. *ad Heronem,* ait S. Stephanum fuisse Diaconum S. Jacobi, eique ministrasse. Idem Ignatius, epist. 5 *ad Trallianos :* « Quid vero, inquit, Diaconi, nisi imitatores angelicarum virtutum? qui purum et inculpatum ministerium illis (sacerdotibus) exhibent, ut S. Stephanus B. Jacobo, Timotheus et Linus Paulo, Anacletus et Clemens Petro. Qui igitur his non obedit, atheus prorsus et impius est. » Porro S. Stephanus servivit S. Jacobo, antequam ipse crearetur Episcopus Hierosolymæ. Nam creatus est postridie necis S. Stephani, puta die 27 decemb., ut superius dixi ex Beda. Olim extabat, et etiamnum extat Evangelium titulo S. Jacobi, sed suppositilium : fuit enim pseudoevangelium. Ita Baronius.

Undecimo, S. Jacobus interfuit primo Concilio Hierosolymitano, primusque post S. Petrum, utpote Hierosolymæ Episcopus, sententiam dixit, nimirum Christianos non obligari lege et legalibus Mosis, *Actor.* XV, 13. Unde ad Episcopalis dignitatis ornamentum, S. Jacobus in capite gestavit laminam auream, quasi insigne tam Pontificatus, quam regni Christi, instar Melchisedech, « ita ut regnum David una cum Pontificatu transtulerit, ac largitus sit servis suis, id est, Pontificibus Catholicæ Ecclesiæ, » inquit S. Epiphanius, *hæresi* 29 et 78, ac Hieronymus in *Jacobo,* et *ad Galat.* II. Pontifex enim Aaronicus cum cidari, sive tiara quam portabat in capite, ei alligatam laminam auream gestabat in fronte, cui inscriptum erat *Sanctum Domino,* ut significaretur eum esse Pontificem Dei summi et sanctissimi. Sic et S. Joannem Apostolum gestasse laminam auream instar coronæ, tradit Polycrates apud Eusebium, lib. V *Histor.,* cap. XXIII. Eamdem gestasse cæteros Apostolos, indeque nunc Episcopos gestare mitram pretiosam, eo quod regali fungantur sacerdotio, tanquam Christi reges et sacerdotes, censet Cardinalis Baronius, anno Christi 34, p. 263. Unde Eusebius, lib. X *Histor.,* cap. IV, ita Episcopos compellat : « Amici Dei et sacerdotes, qui sacro podere cœlestisque gloriæ corona, et divino chrismate, denique sacerdotali Sancti Spiritus stola decorati estis. » Tradit Eusebius, lib. VII *Histor.,* cap. XIV, cathedram S. Jacobi ad sua usque tempora religiose asservatam. « Quam, inquit, Episcopi, qui illic ordine successerunt, permagni æstimant. » Unde liquet, Christianos eam extulisse Hierosolyma ante obsidionem Titi : alioqui enim cum cæteris in ea conflagrasset, inquit Baronius, anno Christi 68, cap. LI.

Gestavit laminam auream.

Mitræ origo.

Duodecimo, S. Jacobus pro Christo gloriosum obivit martyrium. Epiphanius, *hæresi* 78, tradit S. Jacobum ad decrepitam vixisse ætatem, et occubuisse anno ætatis 96, post Ascensionem Christi 24. Sed alii passim tradunt eum occisum anno Neronis 7, qui fuit a Nativitate Christi 63, a Passione et Ascensione 29, ac consequenter totidem, puta 29 annis, eum præfuisse Ecclesiæ Hierosolymitanæ. Vix etiam credibile videtur, eum occisum anno ætatis 96. Sic enim cum a Christo vocatus est ad apostolatum, fuisset pene septuagenarius. Quis credat tam senem electum ad labores Apostolicos, præsertim cum cæteri Apostoli a Christo electi fuerint juvenes? Martyrium.

Porro vitam, mortem et martyrium ejus graviter et graphice ita describit et enarrat ex Clemente Alexandrino et Hegesippo Eusebius, lib. II *Histor.,* cap. XXII : « Jacobus, inquit, ab utero matris suæ sanctus fuit, vinum et siceram non bibit, animalium carnibus se abstinuit, novacula caput ejus nunquam rasum fuit, neque corpus oleo perunctum aut balneis lotum. Huic uni licebat in Sancta sanctorum ingredi; vestibus enim utebatur non laneis, sed linteis duntaxat. In templum solus intrare solitus est, atque ibi, genibus humi positis, pro populi peccatis veniam postulare : cujus genua, quod tam assidue tum ad Deum auguste sancteque adorandum, tum ad veniam precibus populo exposcendam procumbebat, cameli instar tuberculis contractis obduruerunt. Qui propter singularem justitiæ præstantiam, Justi et Obliæ (quod Latine *populi præsidium* dici potest, et *justitia*) nomen, sicut Prophetæ de eo memorant, invenit. Quibusdam igitur ex septem sectarum fautoribus in populo sparsarum, et a me in Historia ante declaratarum, ab eo sciscitantibus, quodnam esset ostium Jesu? Respondit, Jesum esse Salvatorem. Ex quorum numero nonnulli crediderunt quod Jesus esset Christus. Sectæ autem supradictæ neque carnis resurrectionem fore, neque ullum venturum, qui cuique sit pro his, quæ recte aut secus gesserit in vita, mercedem redditurus, omnino crediderunt. Verum quotquot crediderunt, Jacobi prædicatione et hortatu crediderunt. Ergo cum plerique etiam ex principibus viris fidem essent amplexati, nonnulli ex Scribis, Pharisæis et reliquis Judæis tumultuari atque adeo vociferari cœperunt, quod universus fere populus Jesum existimabat verum esse Christum. Qui etiam ad Historia martyrii.

Jacobum profecti, sic eum compellarunt : Te obnixe oramus, ut quoniam populus fide in Jesum, perinde ac si vere esset Christus, collata, in gravem errorem delapsus est, eum ab hac opinione avoces; atque ut omnes etiam, qui hodie ad festum diem Paschatis celebrandum convenerunt, de Jesu recte vereque erudias, te etiam atque etiam obtestamur : tibi enim omnes fidem adhibemus, nec nos solum, sed tota etiam multitudo perhibet testimonium, quod justus sis, quodque personam non respicias. Persuadeas igitur populo de Jesu, ne erret : etenim et universus populus, et nos omnes tibi credimus. Idcirco statue te ipsum super pinnam templi, ut de superiori loco cunctis perspicuus sis, atque adeo tua verba a tota multitudine facile et sine impedimento audiantur. Propter festum namque Paschatis non solum omnes Judæorum tribus, sed multi etiam ex Gentibus convenerant. Proinde Scribæ et Pharisæi, quos supra posuimus, Jacobo supra pinnam templi collocato, cœperunt exclamare et dicere : O Juste, cui merito omnes debemus fidem adjungere, quoniam populus Jesum crucifixum imitando aberravit, tu idcirco nobis commonstra, quod sit ostium Jesu crucifixi. Qui clara voce sic respondit : Quid me interrogatis de Jesu filio hominis? Ipse sedet in cœlo a dextris magnæ virtutis et potentiæ Dei, et in nubibus cœli venturus est. » Hæc expressa et publica Christi professio causa fuit ejus martyrii, quod proinde evidens fuit et illustre. Subdit enim Eusebius : « Atque cum multi plane essent persuasi, et ob Jacobi testimonium Deum laudibus in cœlum ferrent, dicerentque Hosanna filio David : Scribæ et Pharisæi de integro cœperunt primum ita inter se colloqui : Male certe et infeliciter cecidit, ut istud testimonium nostra opera Jesu tribueretur. At conscensis gradibus illum dejiciamus præcipitem, ut homines inde perterrefacti, nullam fidem ejus doctrinæ adhibeant. Deinde clamare ac dicere : O justus etiam erravit. In quo eloquia sacra apud Sapientiam scripta plane expleta fuere : Tollamus e medio justum, quoniam nobis molestiæ est et incommodo. Quocirca fructus operum suorum comedent. Tandem ergo adolescentes Justum præcipitem dederunt, dixeruntque ipsi inter se, Jacobum Justum obruere oportere lapidibus. Et quoniam dejectus in præceps non statim mortem obiit, sed vultu sursum sublato genibusque flexis dixit : Obsecro, Domine Pater, da illis veniam, nesciunt enim quid faciant; cœperunt saxa in eum conjicere, cumque lapidibus illum obruere pergerent, unus ex sacerdotibus, ex filiis Rechab, filii Rechabim, qui sunt Jeremiæ testimonio commendati, voce emissa contentius dixit : Quid agitis? Justus pro vobis Deum deprecatur. » Hominem vero qui hæc dixit, fuisse Simeonem ejus nepotem ex sorore, filium Cleophæ, tradit Epiphanius.

Prosequitur Eusebius : « Attamen unus ex illis, qui fullo erat, arrepto vecte, quo vestes solebat premere, in caput Justi impegit; ita vitam beato et felici martyrii cruciatu affectus afflictusque amisit. In quo loco prope templum, ubi columella ejus nomine inscripta adhuc manet, corpus tumulo mandatum est. Iste Jacobus tum Judæis, tum Græcis charus et incorruptus fuit testis, Jesum vere fuisse Christum. Non multo post Vespasianus Judæam obsedit, Judæosque redegit in servitutem. Hæc Clementis Historiæ mire consentientia Hegesippus uberius pleniusque explicavit. » Hucusque Eusebius de nece Jacobi ex dictis auctoribus.

Quod vero ad sepulcrum ejus spectat, hæc addit Hieronymus : « Ejus sepultura titulum usque ad obsidionem Titi, et ultimam Hadriani, notissimum habuit. Quidam e nostris in monte Oliveti eum putarunt conditum; sed falsa eorum opinio est. » Addit S. Hieronymus in *Jacobo,* ex Evangelio secundum Hebræos : « Dominus, inquit, cum dedisset sindonem servo sacerdotis, ivit ad Jacobum et apparuit ei. Juraverat enim Jacobus, se non comesturum panem ab illa hora, qua biberat calicem Domini, donec videret eum resurgentem a mortuis. Rursusque post paululum : Afferte, ait Dominus, mensam et panem; statimque additur : Tulit panem, et benedixit, et fregit, et dedit Jacobo Justo, et dixit ei : Frater mi, comede panem tuum, quia resurrexit Filius hominis a dormientibus. » Quin et Adrichomius ex Bredembachio, Saligniaco, et aliis in *Descriptione Hierosolymæ,* numer. 210, describit antrum, in quo jejunus triduo Dominicæ passionis delituit Jacobus, additque : « Ideoque Dominus etiam ei post resurrectionem suam seorsim hic apparuit. In cujus honorem Christiani isto loco postmodum ecclesiam erexerunt. » Sed hoc juramentum et jejunium Jacobi respuit S. Augustinus, lib. III *de Consensu Evangel.,* cap. XXV, et alii, hac ratione, quod apparitio Christi facta Jacobo, de qua Apostolus I *Corinth.* XV, 7, contigerit post apparitionem factam quingentis fratribus. Post illam enim subdit Paulus : « Deinde visus est Jacobo. » Illa autem apparitio Christi facta quingentis fratribus, contigit diu post resurrectionem, quousque Jacobi jejunium naturaliter extendi non potuit : nisi dicas τὸ *deinde* numerum significare, non ordinem apparitionum; sic ut idem sit quod *insuper, præterea, q. d.* Christus apparuit quingentis fratribus, insuper et soli Jacobo.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Veteri epistolarum more, varia et disparata de variis virtutibus dat partim monita, partim præcepta. Primo, vers. 1 usque ad vers. 12, docet gaudendum esse in tentatione, eo quod illius patientia opus perfectum habeat, postulandam esse a Deo sapientiam certa spe et fide : humiles et pauperes gloriari debere in sui exaltatione futura, divites vero et superbos confundi in humiliatione, quæ eos mox excipiet. Secundo, vers. 12 usque ad 19, docet, beatum esse qui suffert tentationem ; tentationem vero non esse a Deo : sed omne donum et bonum ab eo, quasi a Patre luminum descendere. Tertio, vers. 19 usque ad 22, docet frenandam esse linguam, iram et immunditiam. Quarto, vers. 22 usque ad finem, docet justificari factores verbi, non auditores tantum. Religionem enim veram esse, visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc sæculo.

1. Jacobus Dei et Domini nostri Jesu Christi servus, duodecim tribubus, quæ sunt in dispersione, salutem. 2. Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis : 3. scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur. 4. Patientia autem opus perfectum habet ; ut sitis perfecti et integri, in nullo deficientes. 5. Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat : et dabitur ei. 6. Postulet autem in fide nihil hæsitans : qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur. 7. Non ergo æstimet homo ille quod accipiat aliquid a Domino. 8. Vir duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis. 9. Glorietur autem frater humilis in exaltatione sua ; 10. dives autem in humilitate sua, quoniam sicut flos fœni transibit. 11. Exortus est enim sol cum ardore, et arefecit fœnum, et flos ejus decidit, et decor vultus ejus deperiit : ita et dives in itineribus suis marcescet. 12. Beatus vir, qui suffert tentationem : quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. 13. Nemo cum tentatur, dicat, quoniam a Deo tentatur : Deus enim intentator malorum est : ipse autem neminem tentat. 14. Unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua abstractus, et illectus. 15. Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum ; peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem. 16. Nolite itaque errare, fratres mei dilectissimi. 17. Omne datum optimum, et omne donum perfectum, desursum est, descendens a Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. 18. Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus. 19. Scitis, fratres mei dilectissimi. Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram. 20. Ira enim viri, justitiam Dei non operatur. 21. Propter quod abjicientes omnem immunditiam et abundantiam malitiæ, in mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras. 22. Estote autem factores verbi, et non auditores tantum, fallentes vosmetipsos. 23. Quia si quis auditor est verbi, et non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo. 24. Consideravit enim se, et abiit, et statim oblitus est qualis fuerit. 25. Qui autem perspexerit in legem perfectam libertatis, et permanserit in ea, non auditor obliviosus factus, sed factor operis : hic beatus in facto suo erit. 26. Si quis autem putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio. 27. Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem

hæc est : Visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc sæculo.

Vers. 1. 1. JACOBUS. — Nomen hoc accepit a primo duodecim tribuum parente et Patriarcha, qui dictus est Jacob, id est supplantator, a Rebecca matre, eo quod in utero, dum nasceretur, tenuerit plantam fratris sui Esau; quo portento significabatur, quod eum esset supplantaturus, eique jus primogenituræ callide prærepturus, uti dixi *Gen.* cap. XXV, 25. Simili modo S. Jacobus diabolum, ejusque filium Simonem Magum cum suis supplantavit. Sic Saulus nomen accepit a Saule primo rege suæ tribus Benjamin. Et sicut Saul Davidem, ita Saulus persecutus est Christum et Christianos.

Jacob, id est supplantator.

Est quivis fidelis.

Mystice, *Jacob,* id est luctator, est quivis Christianus : hic enim ad duellum et singulare certamen provocat dæmonem, carnem et mundum, totumque infernum. Unde est pugil et athleta Christi, ait S. Dionysius, cap. II *Eccl. Hier.*, et a Christo dicitur Christianus, quasi ab unguente unctus ad spiritualem luctam, qua tota vita cum hostibus confligere debet. Ita S. Augustinus tract. 33 *in Joan.* Idipsum repræsentavit Jacob luctans cum Angelo, *Genes.* XXXII, 24, ut docet Theodoretus ibid. *Quæst.* XCI.

DEI ET DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI. — *Primo*, Græci apud Œcumenium per *Deum* intelligunt Deum Patrem; per *Dominum,* Deum Filium, quasi utriusque personæ divinæ servum se profiteatur Jacobus; utpote quarum una eademque sit, uti essentia et operatio, ita et auctoritas ac dignitas. *Secundo,* alii per *Deum* accipiunt Sanctam Trinitatem; per *Dominum,* Christum qua homo est. *Tertio,* et genuine S. Cyrillus, lib. XII *Thesaur.*, cap. XIII, Thomas Angelicus, Dionysius et alii censent eamdem personam, scilicet Filium, puta Jesum Christum, vocari hic *Deum et Dominum,* ut duæ Christi naturæ significentur : in Deo divina, in Domino humana. Aut certe, quia epithetum Deo proprium est *Dominus* : Deo enim proprie competit plenum, transcendens et universale dominium in res omnes, juxta illud Virgilii, *Æneid.* I :

O qui res hominumque Deumque
Æternis regis imperiis, et fulmine terres.

Unde et illud Martialis irridentis Domitianum Imperatorem, qui Deus haberi et coli volebat :

Edictum Domini Deique nostri.

Teste enim Suetonio in *Domitian.*, cap. XIII, tanta arrogantia dictabat Domitianus epistolam, ut sic inciperet : « Dominus et Deus noster sic fieri jubet. »

Notat S. Chrysostomus, hom. 9 *in Epist. ad Coloss.*, nomen Domini, Trinitatis, aut Christi epistolis rebusque omnibus a fidelibus præfigi solitum : « Quia, inquit, ubicumque fuerit nomen Domini, ibi prospera erunt omnia : multoque magis nomen Christi, quam Consulum; securitatem litteris addit. » Ita Christianos solere quibuslibet litteris et monumentis præfigere nomen Christi aut signum crucis docet noster Gretserus, lib. III *De Cruce*, cap. IX et seq.

Moraliter et nervose Primaticcius notat, per τὸ *Dei* significari et commendari nobis excellentiam Majestatis divinæ; per τὸ *Domini,* immensam ejusdem potestatem; per τὸ *nostri,* infinitam ejus charitatem; per τὸ *Jesu Christi,* regalem et sacerdotalem ejus dignitatem.

JESU CHRISTI SERVUS. — Non se vocat Apostolum, sed *servum Christi.* Hinc aliqui opinati sunt, Jacobum, qui fuit auctor hujus epistolæ, non fuisse Apostolum. Distinguunt enim ponuntque tres Jacobos, primum Zebedæi, secundum Alphæi, utrumque Apostolum, tertium fratrem Domini, qui fuerit Episcopus duntaxat (non Apostolus) Hierosolymæ, scripseritque hanc epistolam. Ita Clemens, lib. II *Constit.*, cap. LIX, et lib. VI, cap. XII, et Turrianus ibidem, S. Hieronymus in *Isaiæ* cap. XVII, Cyrillus Hierosolymitanus, *catechesi* 14. Favet S. Anacletus, quartus a S. Petro, *epist.* II, ubi docet, Jacobum fratrem Domini ordinatum esse Episcopum Hierosolymæ a S. Petro, Jacobo et Joanne fratribus; cum tamen communis sententia Anacleti ibidem, Cyrilli *catechesi* 17, Ammonii et aliorum, quos citavi *Act.* II, 4, sit, omnes Apostolos ab ipso Christo immediate ordinatos esse Episcopos; nisi quis dicat Jacobum hunc a Christo quoque ordinatum Episcopum, sed in genere totius orbis, uti et cæteros Apostolos : a Petro vero ordinatum, id est, deputatum et institutum esse Episcopum proprium primæ Ecclesiæ, puta Hierosolymitanæ, non vero primitus ab iis consecratum, uti recte observavit S. Chrysostomus, hom. 87 *in Joannem.*

An tres Jacobi?

Verum communis sententia est, duos tantum fuisse Jacobos, eosque Apostolos, Zebedæi scilicet et Alphæi, qui fuit Episcopus Hierosolymæ et auctor hujus epistolæ. Id patet ex Paulo, qui *Galat.* I, 19, dicit se alium Apostolorum non vidisse, nisi Jacobum fratrem Domini; et cap. II, 9, Jacobum hunc cum Cepha et Joanne vocat columnam Ecclesiæ. Ita sentit et docet Concilium Tridentinum, *sess.* IV; Eusebius, lib. II *Histor.*, cap. I et XXII; Clemens Alexandrinus, lib. VI *Strom.*; Chrysostomus, hom. 33 et 44 *in Matth.*; S. Epiphanius, *hæresi* 29, et alii passim, imo tota Ecclesia, quæ Jacobi Minoris festum celebrat 1 maii, asserens illum Apostolum, fratrem Domini, Alphæi filium, fullonis vecte a Judæis occisum. Quare S. Hieronymus sententiam mutavit; nam *epist.* 103, et lib. II *Contra Pelag.*, Jacobum auctorem epistolæ vocat Apostolum. Clementis libri *Recognitionum* dubiæ sunt auctoritatis. Unde idem Clemens, epist. I *ad*

Jacobum hunc, asserit eum a Christo immediate ordinatum. Idem asserit Eusebius, Dorotheus in *Synopsi*, et alii. Hinc a S. Jacobo Ecclesia Hierosolymitana dignitatem Patriarchalis Ecclesiæ obtinuit, æque ac Antiochena et Romana, utpote in quibus per se sedit S. Petrus; atque Alexandrina, in qua sedit S. Petrus per S. Marcum suum discipulum. Patriarchales enim Ecclesiæ sunt Apostolicæ, et ab ipsis Apostolis fundatæ et institutæ. Porro Hierosolyma non tempore S. Jacobi, utpote mox evertenda a Tito, sed diu postea a Vigilio Papa hanc dignitatem obtinuit, uti dixi *Actor.*, cap. XI, XXV et XXVI.

Vocat se servum Christi, cur? Causæ ergo cur S. Jacobus scribat se servum Christi, non Apostolum, sunt variæ. *Prima* est studium humilitatis et modestiæ, uti ex eodem B. Virgo vocavit se ancillam Dei, *Lucæ* I, 38. *Secunda*, quod Apostolus proprie vocetur is, qui missus a Christo, per orbem evangelizatum discurrit. Jacobus autem non discurrit per orbem, uti cæteri undecim Apostoli, sed affixus fuit Judææ et Hierosolymæ, ejusque proprius a Christo et Apostolis creatus fuit Episcopus et Pastor. *Tertia*, quia ingens dignitas est, et summi honoris titulus esse servum Christi. Nam, ut ait S. Ambrosius, « Magna dignitas est servum esse potentis: » ergo summa dignitas est servum esse summe potentis, puta Christi, servire enim Deo regnare est. Quocirca Apostoli omnibus mundi regnis præferebant servitutem Christi, magisque gloriabantur quod essent servi Christi, quam si fuissent reges totius orbis, inquit Didymus et Œcumenius. Unde et S. Agatha Quintiano præsidi dixit: « Multo præstantior est Christiana humilitas et servitus regum opibus ac superbia. » Esse enim servum Christi, est esse servum æternæ sapientiæ, justitiæ, veritatis, bonitatis et omnium omnino virtutum, quæ Christus est, uti recte dixit Origenes. *Quarta*, quia ex Apostolis soli S. Petrus quasi primas, et S. Paulus quasi apostolus doctorque omnium gentium, antonomastice Apostoli titulum occuparunt. Unde nec S. Joannes, nec S. Judas in suis epistolis se vocant Apostolos. *Quinta*, quia servus Christi idem est quod Apostolus. Servus enim hic non qualem qualem significat, sed hero, puta Christo, fidelissimum, dilectissimum, proximum et intimum, qui ejus res omnes curat, ab eoque quovis gentium ad eas convertendas mittitur, qui sane non alius est quam Apostolus. Hinc Judas exemplo fratris sui Jacobi, pariter initio epistolæ se vocat servum Christi. Denique Sixtus Senensis, lib. VII *Biblioth.*, et Fevardentius hic opinantur nomen Apostoli hic erasum esse ab aliquo falsario, ut, sublato auctore, tolleret auctoritatem epistolæ. Nam multi codices Latini, Græci, Syri et Arabici habent hic nomen *Apostolus*.

Resp. Primo. Secundo. Tertio. Quarto. Quinto.

DUODECIM TRIBUBUS QUÆ SUNT IN DISPERSIONE, — quæ sunt dispersæ inter Gentes. Ita Syrus; jam *tribubus*, id est Judæis quibuslibet qui prognati sunt ex duodecim tribubus. Nec enim tribus totæ dispersæ fuerunt, sed multi ex singulis tribubus.

Nota: Jacob patriarcha duodecim habuit filios, pariter patriarchas. Quisque enim unam familiam et tribum filiorum et nepotum ex se prognatorum constituit, eique suum nomen attribuit, ut tribus Juda, Levi, Ruben, dicitur familia prognata ex Juda, Levi, Ruben, etc. Inter has duodecim tribus divisa fuit terra sancta sive Judæa a Josue, cap. XV. Ex ea sæpius illæ in captivitatem abductæ, et inter Gentes dispersæ fuerunt, præsertim per reges Assyriorum, Babyloniorum, Syrorum, Ægyptiorum et Græcorum. Multi etiam sponte sua e Judæa in exteras regiones vel lucri, vel quietis, vel parentum, etc., causa abierunt, ibique sedes fixerunt. Insuper Judæi fideles pene omnes, exceptis Apostolis, in persecutione ob S. Stephanum excitata, e Jerusalem ad alias civitates et regiones profugerunt et dispersæ fuerunt, ut patet *Act.* VIII, 2. Hisce omnibus, ac præsertim dispersis ob necem Stephani, ut censet Beda, Gagneius et Ribera in *Osee*, cap. I, hanc epistolam scribit S. Jacobus (æque ac suam S. Petrus), ut sicut præsentes verbo, ita absentes scripto doceret, corroboraret et exhortaretur ad vitam Christiano dignam. Erat enim ipse proprius Judæorum Episcopus: unde proprie eorum curam pastoralem egit. Hinc patet *primo*, S. Jacobum hanc epistolam directe scripsisse Judæis fidelibus, indirecte tamen etiam infidelibus, ut vult Beda, consequenter tamen eamdem scripsit et fidelibus e gentilitate conversis. Hi enim omnes eamdem Christi fidem et vitam, quam hic inculcat S. Jacobus, profitebantur. Addit Lucius Dexter in *Chronico*, plurimos Judæos dispersos fuisse per Hispaniam, iisque maxime hanc epistolam scriptam esse a Jacobo, utpote quem ipse censet fuisse, non Alphæi, sed Zebedæi, Hispanorum Apostolum et magistrum, de quo dixi in Prœmio.

Patet *secundo*, S. Jacobum non scripsisse hanc epistolam ad decem tribus, quæ post schisma factum per Jeroboam a duabus, puta Juda et Benjamin, tandem a Salmanasar adductæ sunt in Assyriam, quas Judæi fabulantur Caspiis montibus imperviis concludi et abscondi. Nam S. Jacobus ait se scribere duodecim tribubus: ergo tam duabus quam decem jam dictis scribit.

SALUTEM. — Subaudi optat et precatur; græce est χαίρειν, quod tria significat, scilicet *gaudere*, *salvere* et *valere*. Salutantis est vox: unde ea Græci utuntur initio epistolarum, quod imitatus Horatius initio lib. I *Epistol.*

> Celso, *inquit*, gaudere, et bene rem gerere, Albinovano Musa rogata refer.

Sic et hic χαίρειν alludit ad χαράν, quæ sequitur, *q. d.* Opto vos gaudere, ut tribulationem quæ vos occupat, æstimetis non dolorem, sed gaudium.

Porro salutatio Apostolorum et Sanctorum non est aulica et verbalis, sed efficax et realis, sufficitque salute implere eum qui salutatur, uti ex

S. Chrysostomo dixi *Rom.* I, sub initium. *Salus* autem pacem, gratiam omneque bonum quod ad salutem præsentem et æternam ducit, complectitur; ac consequenter ipsum Jesum, qui est salus et Salvator mundi. Hoc responsum sit Cajetano, qui hanc salutem (ac consequenter epistolam) profanam, non apostolicam censuit et parvipendit. Nam eadem usus est S. Jacobus et Apostoli in Concilio Hierosolymitano, *Act.* XV, 23. Unde eadem utuntur Pontifices Romani in suis Jubileis et epistolis œcumenicis; precantur enim et impertiunt omnibus fidelibus salutem et apostolicam benedictionem.

Symbolice notat S. Augustinus in *Expos. Epist. ad Rom.*, ante medium, vocem *salus* lingua Punica (quæ affinis et filia est Hebrææ, in qua שלוש *salos* pariter denotat tria) significare tria, ideoque tacite indicare S. Trinitatem, a qua omnis salus dimanat. « In quorumdam, inquit, rusticanorum collocutione, cum alter alteri dixisset, *Salus*, quæsivit (Valerius Episcopus Hipponensis) ab eo qui et latine nosset et punice, quid esset *salus?* Responsum est *tria*. Tum ille agnoscens cum gaudio salutem nostram esse Trinitatem, convenientiam linguarum non fortuito sic sonuisse arbitratus est, sed occultissima dispensatione divinæ providentiæ, ut, cum latine nominatur Salus, a Punicis intelligantur tria; et cum Punici lingua sua tria nominant, latine intelligatur Salus. » Subdit S. Augustinus Chananæam, *Matth.* XV, cum a Christo postulavit filiæ salutem, implicite postulasse S. Trinitatem, ejusque fidem et opem, qua filia non tantum in corpore, sed et in anima salvanda erat.

Salus punice est trinitas.

Vers. 2. Omne pro toto.

2. OMNE GAUDIUM. — « Omne, » id est totum, perfectum, plenum, summum. Est enallage quantitatis : ponitur enim totum universale pro toto integro, quod suis partibus completur et integratur, *q. d.* In tentatione et tribulatione nolite tristari, o Christiani, sed gaudere, non quali quali, sed pleno summoque gaudio. Aliqui imperfecti in tribulatione partim dolent, partim gaudent. Hi unum pedem figunt in patientia, alterum in impatientia; S. Jacobus ergo vult utrumque animi pedem figi in patientia, ejusque summo gradu. Tres enim sunt patientiæ gradus : *primus*, sustinere patienter; *secundus*, sustinere libenter; *tertius*, sustinere gaudenter. Sic *omne* sumitur pro *toto, Eccles.* XII, 13 : « Deum time, et mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo, » id est totus homo, *q. d.* Totum hominis bonum consistit in Dei timore ejusque mandatorum observatione; ac proinde totus ipse totisque animi viribus Dei timori et mandatis intendere, seque impendere debet, ut ea impleat, juxta illud Dei mandatum : « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, » *Deuter.* VI, 5.

Secundo, τὸ *omne* proprie capi potest, tuncque erit sensus nervosior, *q. d.* Tentatio et tribulatio adeo non est mala, nec fugienda, ut in ea situm sit omne bonum, ac consequenter omne objectum omnisque materia gaudii, adeo ut omnis illa quam natura vel Deus per alia bona sparsit, in uno hoc universali et summo tribulationis bono collecta et adunata videatur; ita ut in sola tribulatione magis gaudendum sit, quam si solus omnes mundi opes, honores et voluptates possideres. Unde sequitur tribulationem esse summum bonum hujus vitæ : summum enim gaudium nequit esse nisi de summo bono. Tres enim passiones sive affectus sunt, quæ pro objecto habent bonum, nimirum amor, desiderium, gaudium. Amor spectat bonum in genere; desiderium est cupido boni absentis; gaudium est fruitio boni præsentis : et quanto majus est bonum, tanto majores sunt hi affectus. Ex adverso affectus his oppositi, qui pro objecto habent malum, sunt odium, metus, tristitia. Odium est mali absolute; metus est fuga mali absentis; tristitia est dolor ex tristitia mali præsentis.

Tribulatio est summum bonum.

Est hoc primum S. Jacobi paradoxum a quo incipit, ut attentionem lectorum conciliet et excitet, utque fideles suo ævo a Judæis aliisque afflictos, et secuturis sæculis affligendos plene consoletur, doceatque quomodo afflictionem capessere, in eaque se gerere debeant, nimirum animum non dejiciendo, sed erigendo, non dolendo, sed gaudendo, non conquerendo, sed gratias agendo. Alta est hæc sapientia et philosophis incognita, quam S. Jacobus didicit a Christo, qui illam velut arcanam et cœlestem e sinu Patris in mundum detulit, dicens : « Beati qui persecutionem patiuntur, » etc., *Matth.* V, 10; idcoque e cœlo in carnem descendit, ut eam homines doceret, idque magis exemplo quam verbo. Tota enim vita Christi fuit continua afflictio, crux et martyrium. Paradoxum ergo Christi et Christianismi, a S. Jacobo cæterisque Apostolis prædicatum et practicatum, est : « Tribulatio est summum bonum, ideoque in ea summe gaudendum. » Ignorarunt hoc prisci sapientes, nescivit hoc Aristoteles, non intellexit Plato, falsum censuit Anaxagoras, stultum Epicurus. Natura enim et naturalis ratio horret tribulationem, quasi naturæ et naturali statui, commoditati ac felicitati inimicam, et e diametro contrariam. Quocirca homo, etiamsi totis naturæ viribus connitatur, non potest eo assurgere, ut in tribulatione gaudeat, et summe gaudeat; esto nonnulli philosophi in ea se gaudere simularint et finxerint, ut virtutis patientiæ et constantiæ nomen, famam et fumum inanem apud homines aucuparentur. Hinc illud Catonis ad milites suos in Africa cum arenis et serpentibus luctantes, apud Lucanum :

Paradoxum S. Jacobi.

——— Serpens, sitis, ardor, arenæ,
Dulcia virtuti : gaudet patientia duris.

Vere Tertullianus, lib. *De Patientia*, cap. XVI : « Christiana, inquit, patientia cœlestis et vera, Gentium falsa et probrosa, quæ tanti boni nomen

fœdis operationibus occupant: patientes rivalium, et divitum, et invitatorum, impatientes solius Dei vivunt. » Et S. Cyprianus, lib. *De Patientia* : « Apud Gentiles, ait, tam falsa est patientia quam sapientia. »

Christus ergo sua doctrina et gratia supernaturali naturam adeo alte evehit, ut contra naturam de malo naturæ, puta de tribulatione, gaudeat; ideoque permisit lapsum Adæ in peccatum, et per illud in mortem, omnemque tribulationem, ut in ea ostenderet, quasi peritissimus et potentissimus medicus, vim gratiæ suæ, quantumque pharmacum sit patientia christiana. Hæc enim in statu innocentiæ, utpote immuni ab omni tribulatione, locum habere, cerni et demonstrari non potuisset. Plus ergo virtutis a Christo accepimus, quam in Adamo perdidimus, uti ostendi ex Apostolo, *Rom.* v. Quocirca S. Hieronymus in illud, *Ephes.* v, 20, *Gratias agentes semper pro omnibus*, sic ait : « Christianorum propria virtus est, etiam in his quæ adversa putantur, gratias agere creatori. Juxta Apostolum hæc virtus est maxima, ut in ipsis periculis atque miseriis gratiæ Deo referantur, et semper dicamus : Benedictus Deus, minora me scio sustinere quam mereor; hæc ad mea peccata parva sunt : nihil mihi dignum redditur. Hic animus Christiani est, hic crucem suam tollens sequitur Salvatorem, quem nec orbitas, nec damna debilitant : quem, ut ait Flaccus, si fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinæ.»

Antesignanus hujus in tribulationis prælio gaudii, fuit Christus, qui anhelans ad crucem dicebat : « Baptismo habeo baptizari; et quomodo coarctor usque dum perficiatur? » *Luc.* XII, 50.

Primipilus fuit S. Petrus, qui *epist.* I, cap. IV, vers. 13 : « Communicantes, ait, Christi passionibus gaudete, ut et in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis : quoniam quod est honoris, gloriæ et virtutis Dei, et qui est ejus Spiritus, super vos requiescit. »

Signifer est S. Paulus : « Gloriamur, inquit, in tribulationibus, » *Rom.* v, 3. Et : « Placeo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo, » II *Cor.* XII, 10. Et : « Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo, » *Galat.* VI, 14. Paulus ergo hoc amore et gaudio crucis, in Christum crucifixum transformatus videbatur. Sic et S. Franciscus; unde et ab eo stigmata quinque vulnerum eidem impressa sunt. Paulus, inquit Chrysostomus, hom. 1 in II *ad Cor.* : « Cum videret quasi nivis cumulos, tentationes quotidie ingruentes, non aliter quam si in medio paradiso vixisset, ita gaudebat gestiebatque; ac proinde ut qui hoc tenetur gaudio gaudet, non potest ab animi perturbatione vinci, ita qui hoc non tenetur gaudio, a quibuslibet facile capi vincique potest; ac prorsus huic idem evenit, quasi si quis arma gestans imbecillia, qualibet levi plaga vulneraretur : nullum armaturæ genus validius, quam gaudere secundum Deum. »

Centurio est S. Jacobus hic, cæterique Apostoli, qui, ut ait Lucas, *Act.* v, 41, « ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. » Vide ibi dicta. Unde S. Bernardus, serm. *De Triplici genere boni* : « Non modo patienter, inquit, sed et libenter, verum et ardenter ad tormenta, sicut ad ornamenta, ad pœnas, sicut ad delicias B. Andreas properabat. »

EXISTIMATE, — ἡγήσασθε, id est *arbitramini, ducite, putate;* Syrus, ܚܫܒܘ *teheve*, id est, *habeatis, q. d.* Hoc gaudium situm est non in sensu naturæ : hæc enim in tribulatione sentit dolorem, sed in rationis per fidem et gratiam illuminatæ et roboratæ existimatione, dictamine et judicio, quod varias naturæ tentatæ et afflictæ graves considerationes et causas, quas mox recensebo, suggerit, ob quas in tentatione ad gaudium sese excitare debeat. Vere Seneca, *epist.* 78 : « Levis est dolor, si nihil illi opinio adjecerit. Omnia ex opinione suspensa sunt (1). »

CUM IN VARIAS TENTATIONES. — Uni enim tentationi succedit alia et alia, alterius sæpe generis et materiæ, sicut fluctus succedit fluctui, ventus vento, annulus annulo in catena, adeoque plures sæpe simul hominem invadunt. « Tentatio enim est vita hominis super terram, » ut ait *Job*, cap. VII, vers. 1, juxta Septuaginta. Quocirca Joannes Picus Mirandula spirituali pugnæ dans arma duodecim, inter ea *sextum* assignat : « Una tentatione superata aliam exspectet, cum dæmon semper circumeat. *Septimum* : Non tantum diabolus vincendus est, sed faciendus cum tentatione proventus, ac tentatio, v. g. superbiæ, accipienda ut ad humilitatem adhortatio et invitatio. *Octavum* : Dum pugnas, pugna quasi perpetuam deinde pacem habiturus, quia sæpe hoc generosis animis Deus largitur; sed cum vicisti, geras te quasi mox pugnaturus. *Undecimum* : Cogita dulcius esse vincere tentationem, quam ire ad peccata; atque ita compara dulcedinem victoriæ cum dulcedine peccati, non pugnam cum voluptate. » Praxis vincendi tentationes.

TENTATIONES INCIDERITIS. — Quæres, quidnam hic proprie *tentatio* significet? Respondeo *primo*, tentatio idem est quod afflictio et tribulatio, puta paupertas qua premebantur primi fideles, fames, morbus, infamiæ, æstus, frigus, cæteræque adversitates et ærumnæ, sive a Deo, sive a dæmone, sive ab hostibus, sive ab amicis, sive a natura, sive aliunde immissæ. Hæc vocantur tentatio, quia tentant et explorant hominis virtutem, patientiam et robur. Tentatio primo est tribulatio.

Secundo, magis proprie et directe, S. Jacobus Secundo,

(1) « Omne gaudium, » id est rem vel materiam summi gaudii; est metonymia. Ita Cicero, XII, 13 *ad Atticum*, de Bruti litteris quibusdam : « Multas mihi lacrymas attulerunt. »

persecutio. *tentationem* vocat hic persecutionem, quam suo ævo fideles patiebantur a Judæis aliisque infidelibus. Ut enim illos in ea corroboraret, scripsit hanc epistolam, ideoque statim a tentatione hac orditur. Huc refer labores, fatigationes, pericula, innumerasque molestias et difficultates, in quas incidebant, imo sponte se conjiciebant Apostoli primique fideles causa Evangelii, ut scilicet illud toto orbe prædicarent et propagarent.

Tertio, incitatio ad peccatum. *Tertio, tentatio* hæc extendi potest ad veram tentationem dæmonis externam, et internam carnis sive concupiscentiæ. Hæc enim proprie vocatur *tentatio,* quæ hominem ad peccatum tentat et sollicitat, et de hac subdit Jacobus, vers. 13: «Nemo cum tentatur, dicat, quoniam a Deo tentatur.» Adde tribulationem quamvis pari modo esse tentationem proprie dictam, quia hominem ad pusillanimitatem, impatientiam, iram aliaque peccata sollicitat. Unde de hac concludit, vers. 12, dicens: « Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. »

Tribulatio summum bonum hujus vitæ. Cur? Resp. Primo. Quæres *secundo,* cur in tribulatione et persecutione Christiano sit gaudendum, non taliter qualiter, sed omni summoque gaudio? adeoque cur tribulatio sit summum bonum, in quo felicitas Christiani in hac vita sit? Respondeo *primo,* quia tribulatio avellit nos ab hoc sæculo, ejusque amore, illecebris et blandimentis, « ne viam pro patria diligamus, » ut ait S. Gregorius, lib. XXIII *Moral.* XXIII; « et ne viator tendens ad patriam, stabulum pro domo diligat, » ait S. Augustinus, in *Sent.,* sent. 186. Vere Seneca ad Lucilium: « Quantum possumus a lubrico recedamus: in sicco parum firmiter stamus. » Et *epist.* 95, in fine: « Quasi inter se contraria sunt, bona fortuna et mens bona: ita melius in malis sapimus, secunda rectum auferunt. » S. Chrysostomus, hom. 14 *ad Populum*: « Dormitantes nos, inquit, expergefacere solet, et religiosiores facere tentationum natura. »

Secundo. *Secundo,* quia tribulatio signum est filiationis, electionis et prædestinationis Dei: « Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium quem recipit, » *Hebr.* XII, 6. Unde S. Augustinus, lib. *De Pastor.* « Si, inquit, exceptus es a passione flagellorum, exceptus es a numero fidelium. » Et S. Ambrosius, lib. I, *epist.* 4, patientiam tribulationum vocat *matrem fidelium.* Unde angelus ad Tobiam, cap. XII, vers. 13: « Ego obtuli, inquit, orationem tuam Domino: et quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te. » S. Chrysostomus, hom. 32 *in Gen.,* « Ne existimemus, inquit, esse signum quod nos dereliquerit, et despiciat Dominus, si tentationes nobis inferantur; sed hoc maximum sit in nobis indicium quod Deus nostri curam gerit, quia peccata expurgat, et luctam ac exercendi materiam nobis proponit, ut si quod nostrum est declaremus, largiori dignetur nos cura. Quod cum scimus, ne tristemur in tentationibus, sed gaudeamus cum B. Paulo dicente: Nunc enim gaudeo in afflictionibus, » *Coloss.* I, 24. Idem S. Chrysostomus in dictum Apostoli, *Habentes autem eumdem spiritum:* « Hoc generosæ, inquit, ac amantis animæ officium est, afflictiones et adversitates ferre generose, tolerare tentationem; atque insuper gratias agere ei, qui se tentari permittit, demum summæ fortitudinis est animæque vigilantis, et quæ omnibus humanis affectibus superior sit. » Unde S. Ephrem, lib. *De Fide,* tom. I: « Christianus, inquit, inter diversas tribulationes et tentationes stet, sicut incus, quæ licet semper verberetur, non tamen dat tergum, neque concavitatis formam in se recipit, sed eadem semper manet. Pro munitione ac castro semper Christum Dominum habeat, ad eumque belli tempore confugiat, dicatque: Esto mihi in Deum protectorem, et in locum refugii, ut salvum me facias. »

Fidelis stat quasi incus.

Tertio. *Tertio,* quia tribulatio Christo crucifixo, Dei unigenito nos assimilat, ejusque opem accersit. Nam « non habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato, » ait Paulus, *Hebr.* IV, 15. Christianum ergo nullibi nisi in cruce Christi gaudere et gloriari cum S. Paulo decet. Tot enim bona Deus abscondit et concludit in cruce Christi et Christianorum, ut ea scrutans Paulus passim in epistolis obstupescat. Rursum Christus sua cruce dulcorat nostras cruces, adeoque non tam nos, quam ipse in nobis patitur. Quocirca S. Ephrem crucem gestabat in fronte, et serm. *De Cruce* magnifica ei dat elogia, quæ recitavi *Ezechiel.* IX, inter quæ præcipua et huic loco apposita sunt hæc: « Crux spes Christianorum, crux resurrectio mortuorum, crux afflictorum consolatio, crux triumphus adversus dæmones, crux desperatorum spes, crux oppugnatorum murus; crux infantium custos, virorum caput, senum corona, regum magnificentia. Crux Prophetarum prædicatio, Apostolorum comes, Martyrum gloriatio. Crux virginum pudicitia, sacerdotum gaudium. Crux Ecclesiarum firmamentum et orbis terrarum securitas. Crux imbecillorum fortitudo, ægrorum medicina, monachorum fiducia. »

Quarto, quia tribulatio tollit duo summa hominis mala, scilicet peccatum et concupiscentiam. Est ergo summum hominis bonum: est enim ipsa pœnitentia pro peccatis commissis, est et antidotum contra futura, quia directe adversatur concupiscientiæ. Sicut ergo sal conservat carnes a putredine, ita tribulatio conservat corpus et animam a concupiscentia et peccato. Ideoque Deus tot tribulationibus vitam nostram opplevit, quia illæ in statu hoc naturæ lapsæ et corruptæ, ad eam erigendam et sanandam sunt utiles, imo plane necessariæ; ideoque unicum ejus sunt remedium summumque bonum. Nonne gauderet

lapis, si sensum haberet, quod scalpello poliatur, fiatque statua elegans regis? lignum, quod runcina lævigetur, fiatque thronus principis? pannus, quod lixivio perfricetur et emundetur? etc. utique gauderet : ita prorsus justo gaudendum est in tribulatione. « Quod enim est ignis auro, lima ferro, scalprum lapidi, cauterium cancro, runcina ligno, lixivium panno, ventilabrum tritico, sal carni, fornax pani, malleus contignationi, hoc justo est tribulatio. » Hinc tribulatio est tritura Dei, itaque dicta est a tribula, qua segetes tribulantur et triturantur, *Isai.* cap. XXI, vers. 20. Audi S. Augustinum, *De Tempore barbar.*, III : « Si aurum es, quid times paleam, quid times ignem? Simul quidem eritis in fornace, sed ignis paleas in cineres vertet, tibi sordes tollet. Si frumentum es, quid times tribulam? Non apparebis qualis antea eras in spica, nisi tribula conterendo a te separaverit paleas. Si oleum es, quid times pressuram præli? Non declarabitur species tua, nisi etiam pondus lapidis a te separaverit amurcam. » Unde B. Antiochus, *hom.* 79 : « Sicut cera, ait, nisi recalescat, aut permolliatur, non facile in se recipit sigilli impressionem : ita et homo, nisi laborum et multivariæ infirmitatis probetur exercitio. » Hoc est quod ait Dominus, *Isai.* XLVIII, 9 : « Laude mea infrenabo te, ne intereas : » laude, id est tribulatione; hæc enim est frenum concupiscentiæ, ideoque laus Dei. Et *Thren.* I, 13 : « De excelso misit ignem in ossibus meis, et erudivit me : expandit rete pedibus meis. » Tribulatio enim est rete Dei, quo homines piscatur, et invitos ad se trahit. Tribulatio est disciplina generis humani, uti fuse ostendit noster Gretserus, lib. V *De Cruce*, cap. XXII et sequent. Quocirca nullam gratiam dat Deus hominibus, nisi prævia tribulatione, ut ait S. Marcus anachoreta.

Tribulatio est via ad gratiam.

Quinto. *Quinto*, quia si in tribulatione tristeris et doleas, auges tribulationem et dolorem, ac minuis meritum per mixtionem minoris patientiæ, vel impatientiæ. Sin autem in ea gaudeas et exultes, minuis tribulationis sensum, et auges meritum per incrementum patientiæ. Summus enim actus gradusque patientiæ est, pati exultanter. Si ergo sapis, tribulationem animose excipe cum gaudio, non torpide et invite cum tristitia : sic enim minuet tibi pœnam, et augebit coronam.

Sexto. *Sexto*, quia tribulationes omnibus virtutibus, quæ in arduo sitæ sunt, uberem materiam et exercitium suggerunt : virtutes autem gaudent, cum occasionem et objectum habent, in quod suum vigorem exerant sutumque decus ostendant. Unde Philo, lib. *De Quærenda cognit. erud. gram.*, asserit animam festum agere, quando æmulando res optimas capessit laborem, quo ad perfectionem contendat : quare virtutem amanti dulcescere laborem, tribulationes esse gaudio et voluptati.

Septimo. *Septimo*, tribulatio facit hominem excelsum et sæculo majorem, ut in cœlo res et spes suas ponat, quasi aquila despiciat hoc terræ punctum, omnesque in eo fortunæ flatus, fluctus et ludibria videat et rideat, juxta illud *Isai.* L, 14 : « Tunc delectaberis super Domino, et sustollam te super altitudines terræ, et cibabo te hæreditate Jacob patris tui. » Vide ibi dicta. Vidit hoc per umbram Seneca, lib. *De Provid.*, cap. IV : « Prospera, ait, in plebem et vilia ingenia deveniunt, at calamitates terroresque mortalium sub jugum mittere, proprium magni viri est. » Et cap. V : « Militares viri gloriantur vulneribus, calamitas virtutis occasio est : dux lectissimos mittit, qui nocturnis hostes aggrediantur insidiis. Præceptores plus laboris ab his exigunt, in quibus certior spes est. Nunquam virtutis molle documentum est. Verberat nos et lacerat fortuna : patiamur, non est sævitia, certamen est. » Et cap. VI : « Labor optimos citat. Ignis aurum probat, miseria viros fortes. Vide quam alte ascendere debeat virtus. » Nazianzenus, epist. 64 *ad Philagrium*, laudat illud Stoicorum : « Vir bonus beatus est, etiamsi in Phalaridis tauro concremetur. » Præclare Gerson, parte 2, serm. *De Omnibus Sanctis* : « Ut, inquit, arca Noe, quo magis abundarunt aquæ diluvii, tanto altius ferebatur : sic mansuetus animus, quo majores erunt tribulationis aquæ, tanto erit excelsior. »

Amanti Deum nil dulcius quam pati, ob tres causas. Prima.

Quocirca animæ generosæ Deumque fervide amanti nil optabilius est, nil jucundius, nil dulcius quam multa pro eo pati. Cujus rei causa est multiplex, sed maxime triplex. *Prima*, quod animæ sanctæ intente amant Deum : amorem autem in eum nulla in re magis ostendere possunt, quam si pro eo dura patiantur vel agant. Rursum vident Christum pro se tanta passum : ut ergo eum imitentur, utque ei vicem quam possunt reddant, et amorem amori rependant, desiderant pati cum eo et pro eo, sitiunt cruces et dolores, dicuntque cum S. Ignatio : « Amor meus crucifixus est. » Ita S. Laurentius ad tyrannum : « Para, ait, equuleos, bestias, ignes, craticulas, et quidquid tormentorum excogitare potes : hæc omnia aveo et ambio. Non est famelicus qui ita desideret cibum, sicut ego tormenta tua. Illa ergo expedi, et famem meam exsatia. » S. Xaverius cum Gentiles eum persequerentur ad necem, ideoque subinde in arboribus pernoctaret, item in naufragiis, cum in medio mari natans fluctibus jactaretur, orabat : « Domine, ne hanc crucem mihi auferas, nisi majorem immittas. » Quocirca ita cœlestibus consolationibus affluebat, ut eas non capiens exclamaret : « Satis est, Domine, satis est; » in tribulationibus vero : « Non satis est, Domine, non satis : da plus pati. » Ita P. Lucena in ejus Vita, lib. I, cap. VII. Edmundus Campianus, primus in Anglia e Societate martyr, vere Campianus, id est pugil Christi, audita sententia mortis, Deo sibique gratulando cecinit : » Te Deum laudamus; » ac protractus ad supplicium in theatro consistens : « Spectaculum, inquit,

facti sumus mundo, angelis et hominibus. Gaudeo et gratulor mihi de hac felici sorte, quod martyr moriar: nunc vivo, nunc triumpho. » Quare instar Samsonis, qui plures moriens quam vivens occidit, plures in morte quam in vita, suo zelo et martyrii exemplo ad fidem orthodoxam convertit, uti habet ejus Vita. Eximius et choragus in hac re fuit S. Andreas, qui, visa cruce sibi parata, jubilans exclamavit : « O bona crux, quæ decorem ex membris Domini suscepisti, diu desiderata, sollicite amata, sine intermissione quæsita et aliquando cupienti animo præparata : accipe me ab hominibus, et redde me magistro meo, ut per te me recipiat, qui per te me redemit. »

Secunda. *Secunda,* quod Deus eos qui amore sui patiuntur vicissim amplectatur, soletur, et fel passionis melle consolationis divinæ dulcoret. Id experti sunt Martyres, qui in equuleis et tormentis lætitia gestiebant, hymnos et laudes Christo canebant. Id experiuntur omnes, qui libenter adversa pro Deo sustinent. Ita Psaltes : « Secundum multitudinem, inquit, dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificaverunt animam meam, » *Psalm.* XCIII, 19; et Paulus : « Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra, » II *Cor.* I, 5. Mensura ergo passionis, mensura est consolationis, et quo major passio, eo major accedit consolatio. Hujus rei typo Deus Mosi in Mara dedit lignum, quod dulcorat aquas amaras, *Exodi* XV, 25. Lignum hoc figura fuit crucis Christi, quæ omnes adversitatum amaritudines dulcorat, ut ibidem dixi. Qua de causa Sancti cruces non tolli, nec mitigari, sed augeri postulabant, dicentes illud Pii V Pontificis, acribus calculi doloribus afflicti : « Domine, auge dolorem, auge et patientiam. » Ita S. Teresia orabat : « Da aut pati aut mori. Vitam enim meam aliud esse nolo, quam te amare, pro te laborare, pro te pati. » Alia Sancta dicebat se non desiderare brevem vitam et celerem mortem, quia in cœlo nulla est passio : desidero ergo vivere diu, quia desidero diu pati pro amore Dei, non tantum martyria, sed et morbos, calumnias, infortunia et quævis adversa. Amanti ergo dulcis est virtus, dulcis patientia, dulcis fortitudo, aiebat Cato. Divinius S. Marcus et Marcellianus : « Nunquam tam jucunde epulati sumus, quam hæc libenter Christi causa perferimus. »

Tertia. *Tertia,* quod cogitent passionem esse modicam et brevem, ac mox pro ea se recepturos immensam et æternam gloriam. Habent enim illud præmeditatum : « Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Id enim quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, » II *Cor.* IV, 17. Ita S. Stephano videnti cœlos apertos, Christumque coronam cœlestem ostentantem, lapides torrentis dulces fuerunt. Ita S. Franciscus : « Tanta, ait, est gloria quam exspecto, ut me omnis morbus, omnis mortificatio, omnis humiliatio, omnis pœna delectet. » Nimirum sentiebat quam dulcis sit crux Christi; ac proinde crux non erat ei crux, sed vitæ et gaudii dux. Felix, cui tribulatio dulcescit, qui cum B. Catharina Senensi dulcia hujus vitæ pro amaris, amara pro dulcibus accipit. Sane qui tot tantaque bona, quæ in cruce et tribulatione Deus recondidit, pervidet et gustat, eam dulcissimam judicat, experitur et sentit, crucique concinit : « Dulce lignum, dulces clavos, dulcia ferens pondera. » In cruce ergo est vera dulcedo, vera consolatio, verum gaudium. Amplectere eam libens, et ita esse experieris.

Id expertus est S. Augustinus. Unde in *Medit.,* cap. VII : « Nihil, ait, quæso sine te, Domine, mihi dulcescat, nihil complaceat, nil pretiosum, nil præter te mihi arrideat speciosum. Vilescant, obsecro, absque te mihi omnia, sordeant universa : quod tibi adversum est, sit mihi molestum; et tuum beneplacitum sit mihi indeficiens desiderium. Tædeat me gaudere sine te, et delectet contristari pro te. » Quocirca S. Chrysostomus, hom. 4 *De Pœnit.,* docet, tribulationem esse spiritualem mercaturam, in qua anima patientis ingens sibi parat lucrum. Ita in morbis, mortalitate et morte fortiter standum et gaudendum esse Christiano docet S. Cyprianus, lib. *De Mortalitate* : « Nisi præcesserit, ait, pugna, non potest esse victoria : cum fuerit in pugnæ congressione victoria, tunc dantur vincentibus et coronæ. Nam gubernator in tempestate dignoscitur, in acie miles probatur. Delicata jactatio est, cum periculum non est : conflictatio in adversis, probatio est veritatis. Arbor quæ alta radice fundata est, ventis incumbentibus non movetur; et navis quæ forti compage solidata est, pulsatur ictibus nec foratur; et quando area fruges terit, ventos grana fortia et robusta contemnunt, inanes paleæ flatu portante rapiuntur. Sic et Apostolus Paulus post naufragia, post flagella, post carnis et corporis multa et gravia tormenta, non vexari, sed emendari se dicit in adversis, ut dum gravius affligitur, verius comprobetur. » Vide nostrum Gretzerum, toto lib. V *De Cruce,* qui est de cruce spirituali sive tribulatione. Quin et Seneca, epist. 78 *Contra Dolores,* hoc dat remedium : « Vir magnus et prudens, inquit, animam deducit a corpore, et multum cum meliore et divina parte versatur. Hoc solatium vasti doloris est, quod necesse est desinas illum sentire, si nimis senseris. » Et mox : « Toto contra illum pugnet animo : vincetur, si cesserit : vincet, si se contra dolorem suum intenderit. Si longus est, habet intercapedinem, dat refectioni locum. Brevis morbus ac præceps alterutrum faciet, aut extinguetur, aut extinguet. » Ita Agesilaus, rex Spartæ, teste Plutarcho in *Lacon.,* cum arderet podagræ doloribus, eumque invisisset Carneades, atque exiret tristis : « Mane, inquit, Carneades :

Fin de l'aperçu

La suite du livre est en qualité visuelle diminuée. Le livre est toutefois complet.

Il est possible de se procurer à prix abordable une édition papier du livre en visitant le site suivant :

canadienfrancais.org

Ce PDF peut être distribué librement. Plus de détails à la dernière page.

nihil enim illinc huc pervenit, » ostensis pedibus et pectore. Sentiens pedes quidem dolere, sed pectus animumque dolore vacuum esse.

Persecutione gaudendum. Cur?

Hæc omnia veriora et majora sunt in ea tentatione, quæ oritur ex persecutione, de qua proprie loquitur S. Jacobus. Huic enim propria materia gaudiorum est multiplex.

Resp. Primo.

Prima, quod talis patiatur ob fidem, ejusque sit pugil et defensor, aut ob justitiam : qualibus Christus dicit : « Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, » *Matth.* v. Talis ergo est hyperaspis, athleta et propugnator primæ et divinæ veritatis, veræ religionis, ac sanctæ Ecclesiæ, pro iisque opes, vires et vitam dat prædæ, totis viribus dimicat, et sæpe occumbit; quod longe dignius et divinius est quam pro rege, patria et republica dimicare et occumbere. Unde S. Augustinus in *Psalm.* LXVII : « Martyres, ait, in Ecclesiis summum locum tenent, atque apice sanctæ dignitatis excellunt. » Et S. Basilius, hom. *in 40 Martyres* : « O sanctum, inquit, chorum! o sacrum ordinem! o cuneum inexpugnabilem! o communes generis humani custodes, legati apud Deum potentissimi, astra mundi, flores Ecclesiarum! »

Secundo.

Secunda, quod patiatur pro Deo ejusque lege, honore et amore. Unde facit se victimam nobilissimam et holocaustum Deo, immolans ei corpus, sanguinem, vitam et mortem, juxta illud *Sap.* III, 6 : « Tanquam aurum in fornace probavit eos, et quasi holocausti hostiam accepit eos. » Deum ergo mire honorat, æque ac delectat patiens; ac vicissim Deus ejus quasi hostiæ sibi devotæ et consecratæ, possessionem capit, imo cum ipso et in ipso patitur, vincit et triumphat. Unde S. Hieronymus *ad Hedibiam,* Quæst. XII : « Triumphus Dei, inquit, est passio Martyrum et pro Christi nomine cruoris effusio, et inter tormenta lætitia, etc. Hic triumphus est Dei Apostolorumque victoria. » Quocirca martyrium ex singulari Dei privilegio omnia peccata, quantumvis multa et enormia expiat, omnesque pœnas ei debitas abolet, martyremque illico in cœlum transmittit. « Hoc est baptisma in gratia majus, in potestate sublimius, in honore pretiosius. Baptisma, in quo angeli baptizant. Baptisma, in quo Deus et Christus ejus exultant : quod fidei nostræ incrementa consummat, quod nos de mundo recedentes statim Deo copulat, » ait S. Cyprianus ad Fortunatum, præfat. *De Exhort. Martyr.*

Tertio.

Tertia, quod Christo amoris vicem reddat, reponendo illi corpus pro corpore, sanguinem pro sanguine, vitam pro vita. Unde S. Chrysostomus, hom. 4 in epist. *ad Phil.* : « Pro Christo pati, inquit, munus est majoris administrationis, quam sit revera mortuos suscitare, et signa miranda patrare. Nam illic quidem debitor sum, hic vero debitorem habeo Christum. » Basilius, Seleuciæ Episcopus, in Vita S. Theclæ scribit eam post superatas pro Christo bestias, ignes, carceres, etc., Deum orasse pro perseverantia, « etiamsi, inquit, in singulos dies mihi cum igne, belluis, vinculis, carceribus rem esse contingat : adeo mihi omne etiam mortis et discriminis genus pro pietate subeundum, ipsismet paradisi deliciis epulisque instructissimis potius ducitur : tantummodo digna quæ pro te et nomine tuo cruciatus tolerare semper possim, habear. »

Quarto.

Quarta, quod subeat martyrium, qui est nobilissimus actus fidei, charitatis, religionis, fortitudinis, ac proinde nobilissimam in cœlo et terra dat palmam et coronam. Vide dicta *Osee* XI, 12, et Tertullianum in *Scorpiaco*, Cyprianum, *De Exhortatione Martyrii*, et epist. *ad Martyres.* Quocirca Martyres in tormentis non tantum exultabant, sed etiam quo magis illa crescebant, eo magis pariter crescebat exultatio, ut viderentur sibi esse in atriis et ingressu cœli. Unde videntes eos, etiam carnifices et præsides, stupebant, multique ad Christum convertebantur, alii indignabantur et frendebant, magisque torquebantur eorum gaudio, quam eos ipsi suis suppliciis torquebant. « Insultabant, inquit S. Ephrem in *Encomio Martyrum*, judicibus, quasi sensus doloris expertes, et quasi in alienis corporibus paterentur, dicentes : Si graviora habetis tormenta, admovete nobis. Hæc enim nullius momenti sunt. Ignis vester frigidus apparet, tormenta inefficacia, percussores imbecilles, gladii vestri sunt ligna marcida : nihil quod nostræ respondeat et promptitudini et alacritati habetis, ad plura et majora toleranda consistimus. » Et inferius : « Non rogus ardens, non stridens flamma, non ignitæ sartagines, non ollæ ebullientes, non candentes laminæ, non ferratarum ungularum dentes, etc., deterruerunt animosissimos ac fortissimos Christi milites, etc. Cæsi quippe magno cum gaudio verberum ictus, tanquam summas delicias excipiebant. Nam cum lictorum manus eorum membra torquerent, visceraque nudarent, non tristi eos facie aspexerunt, neque inter tormenta gemitum ediderunt; verum hilariore ac lætiore vultu gaudia interna testati sunt : quippe quibus illi cruciatus pro consolatione erant ac requie; afflicti, tentati, verberati, exquisitisque tormentis cruciati Deum toto corde ac tota mente semper dilexerunt. » Et paulo post : « Læta quippe ac jucunda vobis fuit futurorum exspectatio, quæ vos ita animavit et corroboravit, ut singulis horis nova vobis et acriora adhiberi cuperetis supplicia, neque ullis satiari potueritis. »

Quinto

Denique passio et patientia non est in cœlo nec paradiso, sed est in terra et statu lapso. Per patientiam ergo homo superat non tantum Adamum, sed et angelos : angeli enim status felicior, sed patientis est fortior. Quare S. Laurentius, v. g., fortior fuit angelis, qui pati nequeunt; fortior inquam, per patientiam, non unam et simplicem, sed variam et multiplicem. Hæc eximia sunt tribulationum et persecutionum bona et gau-

dia, atque ideo ambienda et invidenda; adeoque si in angelos cadere posset invidia, utique inviderent nobis tanta passionis et patientiæ dona; quin et homines beati, si tristari possent, de hoc uno tristarentur, scilicet quod non plura pro Deo passi sint, nec amplius pro eo pati possint. Cum ergo mane evigilamus, gaudeamus et jubilemus Deo, quod diem illum nobis fecerit illucescere, quo multa ejus amore pati, multosque ei patientiæ, meritorum et virtutum cumulos offerre possumus; uti S. Mechtildem a Beatis sibi apparentibus edoctam et monitam fuisse, in gestis ejus legimus, idemque de ea refert L. Blosius, lib. IV *Spirit. grat.*, cap. IV. « Omne ergo gaudium existimate, fratres, cum in varias tentationes incideritis. »

Quomodo gaudere liceat in tentatione?

Quæres *tertio*, quomodo licite possit gaudere Christianus in proprie dicta tentatione concupiscentiæ, v. g. fornicationis, gulæ, superbiæ, cum eam fugere et deprecari nos jubeat Christus, ut oremus scilicet : « Et ne nos inducas in tentationem? » Respondeo : Jubet Christus id nos orare *primo*, ut non consentiamus tentationi, ait S. Augustinus, *epist.* 121, cap. XI, qui enim consentit, non qui sentit, inducitur in tentationem. Unde S. Bernardus, *De Inter. domo*, ait : « Molesta est lucta, sed fructuosa, quia si habet pœnam, habebit et coronam : non nocet sensus, ubi non est consensus; imo quod resistentem fatigat, vincentem coronat. » *Secundo*, jubet simul orare, ut Deus amoveat a nobis tentationes, præsertim graviores et periculosiores. Homo enim memor et conscius suæ imbecillitatis, ac periculi consensus quod ingerit tentatio, communiter eam vitare et deprecari debet, non optare, vel accersere, uti exponunt et docent Tertullianus, Cyprianus, Nyssenus et Chrysostomus in *Orat. Domin.* Nunc

Resp. Primo.

Dico *primo* : Licet communiter oporteat fugere et deprecari tentationem ob periculum lapsus, ex humili agnitione fragilitatis nostræ, tamen posito quod Deus velit nos eam subire et pati, subeunda est cum gaudio, tum ut voluntati divinæ nos magis conformemus, tum ut eam facilius sustineamus et vincamus, tum ut dæmonem, qui eam suscitat, fortius profligemus. Nulla enim re ita vincitur dæmon, ac lætitia spirituali et gaudio, uti aiebat S. Antonius. Hujus rei symbolo de Machabæis invictis, imo hostium numerosissimorum victoribus, dicitur I *Machab.* III, 2 : « Et præliabantur prælium Israel cum lætitia. » Hæc enim lætitia dæmonem intimidat et dejicit, spemque vincendi et nocendi ei adimit. Nam, ut ait S. Augustinus, lib. XX *De Civit.*, VIII : « Dæmon est quasi canis a Christo ligatus, qui latrare potest, sollicitare potest; mordere omnino non potest, nisi volentem : persuadere enim potest, præcipitare non potest : spem autem persuadendi amittit, cum videt hominem in tentatione constantem, generosum, lætum et hilarem. » Audi S. Antonium in hoc genere exercitatissimum : « Si quod, inquit, in pectoribus nostris malæ mentis et pavoris semen invenerint dæmones, mox quasi latrones qui deserta obtinent loca, cœptos cumulant timores, et crudeliter imminentes infelicem vexant animam : sin autem alacres fuerimus in Domino, et futurorum nos bonorum cupido succenderit, si semper omnia manibus Dei committimus, nullus dæmonum ad expugnandum valebit accedere. » Ita S. Athanasius in ejus Vita. Quocirca S. Jacobus non ait : Optate tentationes, uti notat Abulensis in *S. Matth.* cap. IV, Quæst. LXX, sed caute dicit : « Cum in varias tentationes incideritis, gaudium existimate, » *q. d.* Nolite vos ultro injicere in tentationes, sed ubi incideritis, sustinete eas cum gaudio. Ita Salmeron.

Secundo

Dico *secundo* : Tentatio, quatenus sollicitat ad peccatum, appetibilis non est : sic enim proxima est causa peccati, quod summe est odibile; quatenus vero eadem est materia luctæ et victoriæ, augendæque virtutis et meritorum, appetibilis est, præsertim a viris generosis in Dei spe et amore defixis. Ita Dionysius Carthusianus, lib. *De Remed. tentat.*, art. 7. Hinc David *Psalm.* XXV : « Proba me, Domine, inquit, et tenta me; ure renes meos et cor meum : » multa enim, eaque grandia bona confert tentatio. Præter enim generalia illa quæ de tribulatione jam recensui, particularia tentationum commoda sunt hæc. *Primum*, quod virtutem explorat et corroborat. « Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis, » ait *Ecclis.* cap. XXVII, 6. Sicut ergo vasa figuli, si haberent rationem et sensum, appeterent igne excoqui, ut eo perficerentur et solidarentur : ita justi, Dei gratia et virtute suffulti, possunt flammam tentationis cupere, quæ in eis quidquid impurum est excoquat et in virtute corroboret. Sicut enim in hieme et frigore calor per antiperistasim sese intendit, ita pariter virtus cum tentatione colluctans sese intendit : perinde ut pugil omnes vires exerit, quando cum acri antagonista ei congrediendum est. Unde Julius Cæsar optabat fortissimos hostes, ut in eos virtutem suam exerere et ostendere posset, utque eos debellans gloriosiorem nancisceretur victoriam; et Cato censuit Carthaginem non esse delendam, ut ipsa Romanis daret juge armorum exercitium, ne otio effeminarentur, eisque jugis esset cos virtutis. « Marcet enim sine adversario virtus. » Hinc tentatio libidinis, gulæ, superbiæ, etc., in Sanctis qui ei resistunt, magis auget firmatque castitatem, sobrietatem, humilitatem, etc. Eleganter et vere S. Cyprianus, lib. *De Bono pudicitiæ* : « Nihil, ait, animum fidelem sic delectat, quam integra immaculati pudoris conscientia. Voluptatem vicisse, voluptas est maxima : nec ulla major est victoria quam quæ de cupiditatibus refertur. »

Commoda tentationum. Primum.

Secundum.

Secundum, quod tentatio sit cos virtutis, mentis industriam Deique amorem exacuens, perinde ac cos acuit aciem gladii, et aqua modica injecta in ignem, eum magis accendit. Hinc Apostolus ait :

« In his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro, » *Rom.* VIII, 38. Sanctus ergo optans tentationem, optat bellum, in quo gratia Dei vincat: quærit pugnam, in qua a Domino adjutus, hostem prosternat; desiderat occasionem, qua se fidelem Domino ostendat; ambit tentationem, in qua suam in Dei obsequio et amore constantiam toti mundo, angelis et hominibus manifestet. Ita miles optat prælium, ut suam fortitudinem et fidelitatem suo duci commendet, ut gloriosam victoriam, nomen, spolia et opes sibi paret: sic et Sanctus, Dei amore fervens, optat tentationem, ut cum ea duellans, ostendat quam Dei sit amans, et in ejus amore fidelis et constans, ut luctando vires exerat, virtutes augeat, et meritorum acervos accumulet. Nam, ut ait S. Leo, serm. 1 *De Quadrag.* : « Nulla sunt sine tentationum experimentis opera virtutis, nulla sine perturbationibus fides, nullum sine hoste certamen, nulla sine congressione victoria. Si volumus superare, pugnandum est. »

Tertium. *Tertium*, quod tentatio hominem virtutibus illustrem deprimat, et in humilitate Deique timore contineat, ne in superbiam erectus, omnia secum perdat. Ita Paulus : « Ne magnitudo, inquit, revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus Satanæ, qui me colaphizet, » II *Cor.* XII, 7. Et *Ecclis.* II, 4 : « Omne quod tibi applicitum fuerit accipe, et in dolore sustine, et in humilitate tua patientiam habe; quoniam in igne probatur aurum et argentum, homines vero receptibiles in camino tribulationis. » Et *Sapient.* III, 5 : « Deus tentavit eos, et invenit illos dignos se. » Præclare S. Gregorius, lib. II *Moral.*, XXXVII : « Mira, ait, hoc nobiscum dispensatione agitur, ut mens nostra culpæ nonnunquam pulsatione feriatur. Nam esse se magnarum virium homo crederet, si nullum unquam earumdem virium defectum intra mentis arcana sentiret; sed cum tentatione irruente quatitur, et quasi ultra quam sufficit fatigatur, ei contra hostis sui insidias munimen humilitatis ostenditur, et unde se pertimescit enerviter cadere, inde accipit fortiter stare. » Ita videmus subinde viros doctos et virtute eminentes pulsari tentatione pusillanimitatis, utique provido Dei consilio, ne scientia more suo eos inflet, ne virtus extollat. Sic sæpe una tentatio est cuneus ad vincendam aliam graviorem et periculosiorem. Ita legimus in *Vitis Patrum*, adolescentem stimulo carnis valde exagitatum, cum frustra remedia cætera tentasset, falsis criminationibus a sociis jussu Abbatis assidue appetitum cum excussisse. Post aliquod enim tempus, rogatus ab Abbate an adhuc ea pulsaretur? respondit : « Vivere non licet, fornicari libeat? »

Quartum. *Quartum*, tentatio est stimulus spei et orationis : cogit enim hominem afflictum et periclitantem, ad Dei opem et gratiam implorandam confugere, utpote sine qua videt se tentationem non posse superare, sed certo vincendum. Unde *Eccli.* II, 2, tentatis remedium et confugium assignans : « Deprime, inquit, cor tuum, et sustine, etc. Sustine sustentationes Dei : conjungere Deo et sustine, ut crescat in novissimo vita tua; » et mox : « Crede Deo, et recuperabit te; et dirige viam tuam, et spera in illum, etc. Respicite, filii, nationes hominum, et scitote quia nullus speravit in Domino, et confusus est. » Unde *Isaiæ* cap. XII : « Fortitudo mea, inquit, et laus mea Dominus, » etc. Cap. XXXVIII : « Domine, vim patior, responde pro me. » Et Psaltes, *Psal.* LXIX : « Deus, in adjutorium meum intende; Domine, ad adjuvandum me festina; » et *Psal.* CXVII, 7 : « Dominus mihi adjutor, et ego despiciam inimicos meos; » et *Psalm.* CXX, 1 : « Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi; » et *Psal.* XXII, 1 : « Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo? Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. Si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo; » et Christus : « Confidite, ego vici mundum, » *Joan.* XVI, 33.

Quintum. *Quintum*, Deus suis in tentatione præsentissimus est, adest et astat, ut protegat, juvet et confirmet. Unde *Psal.* CX, dicit : « Cum ipso sum in tribulatione; » locus ergo Dei est tribulatio. Quæris Deum? in tribulatione et tentatione invenies. Unde Jeremias, cap. X, vers. 11 : « Dominus, ait, mecum est quasi bellator fortis : idcirco qui persequuntur me, cadent, et infirmi erunt : confundentur vehementer. » Hæc enim ingens est et magnifica gloria Domini, quod sua gratia ita roboret homines debiles et fragiles, ut omnia diaboli et carnis potentissima arma superent : qua de causa ipse eligit infirma mundi, ut confundat fortia. « Ego ero ei murus in circuitu, » ait Dominus, *Zach.* II, 5; » uti Eliseo misit currus igneos angelicorum exercituum, qui eum contra Syros defenderent, IV *Reg.* cap. VI, vers. 17. Vide Dionysium Carthusianum, lib. *De Remed. tentat.*, art. 25. Quare Chrysostomus, tract. *De Pœnit.* : « Fortiores, ait, nos tentamenta faciunt, persuadentque familiarissimos Deo fieri : torporem enim excutiunt et sanctum fervorem immittunt. »

Locus Dei est tribulatio.

Sextum. *Sextum*, Deus amplissima præmia tentationem vincentibus promittit. « Qui vicerit, inquit, faciam illum columnam in templo Dei mei, » *Apoc.* III, 12. Ita S. Antonio Christus apparuit, dixitque, se cum gaudio ejus pugnas spectasse, eumque adjuvisse : « Quia, inquit, dimicando viriliter non cessisti, semper auxiliabor tibi, et faciam te in toto orbe nominari. » Ita S. Athanasius in ejus Vita. Hinc tentationem vincens, aliis eamdem vincendi illustre dat speculum et exemplum, discitque tentatis compati, consulere et opportuna remedia adhibere. Quocirca Conon abbas cum a

suo monasterio recessisset, ne baptizaret puellam speciosam, cujus specie sentiret stimulum carnis, obvium habuit S. Joannem Baptistam, qui illum cruce signans dixit : « Crede mihi, presbyter Conon, volebam te pro hac pugna mercede donari; sed quia non vis, ecce abstuli a te hoc bellum : mercede autem hujus operis carebis. » Ita Joannes Moscus in *Prato spirit.*, cap. III. Hinc Sancti in cœlis canunt cum jubilo : « Transivimus per ignem (concupiscentiæ) et aquam (desolationis et despectus), et eduxisti nos in refrigerium, » *Psal.* LXV, 12.

Septimum. *Septimum,* tentatio mire mentem illuminat in via virtutis. « Nam qui non est tentatus, quid scit? » *Eccli.* XXXIV, 9. Rursum eum cautum facit, circumspectum, vigilem, ut undique carni et peccato resistat. Unde S. Laurentius Justinianus, in *Ligno vitæ,* tract. *De Patientia,* cap. IV : « Sicut, ait, caro si sale non aspergitur, quamvis sit magna et præcipua, corrumpitur : ita et anima nisi tentationibus assidue saliatur, continuo resolvitur et relaxatur. Per ipsa namque tentamenta anima negligentiæ putredinem excutit, et in spiritus vivacitate conservatur. O quantos vidimus modicis tentationibus a magnis periculis protegi, et tentatione quadam timoris et corporali quadam ineptitudine a peste superbiæ liberari, qui alias quasi equi effrenes suis talentis superbirent. » Denique tentatio animam consolatur et tranquillat, quia post nubila Phœbus, post desolationem consolatio, post tentationem serenitas et exultatio, Deo ita juste ordinante, succedit, ut ait Sara *Tobiæ* III, 22. Quocirca, ut recte notat noster Jacobus Alvarez, tract. *De Victoria tentationis,* cap. II, mentium fortissimarum indicium est, hostium incursus non timere, nec tentationum molestia tristari, sed gaudere. Quarum robur Dominus apud Job, cap. XXXIX, vers. 21 et seq., sub figura illius equi generosi mystice eleganter describit, dicens : « Terram ungula fodit, exultat audacter, in occursum pergit armatis, contemnit pavorem, nec cedit gladio. » Ubi vide S. Gregorium, qui inter alia ait : « Cum certamen passionis sibi appropinquare considerat, de exercitio virtutis exultat; nec terretur pugnæ periculo, qui victoriæ lætatur triumpho. » Rursus Climacus, *gradu.* 27 : « Nullum, ait, certius argumentum est, quod dæmones a nobis victi sunt, quam si nos acerrime oppugnent. Si enim illis omnino resistas fortissime, oppugnabunt te omnino acriter, ut quasi nihil proficientem a certaminibus revocent; » et inferius : « S. Arsilaites dixit : Notavi mane ut plurimum inanis gloriæ et concupiscentiæ spiritus solere advenire; meridie vero acediæ, iracundiæ et tristitiæ; vespere autem infelices ventris stercorum tyrannos. »

Exempla pugilum Christi. Vis talium pugilum et heroum exempla? Accipe : S. Antonius a dæmonibus laniatus et semimortuus relictus, provocabat eos, dicens : « Ecce ego hic sum Antonius, non fugio vestra certamina, etiamsi majora faciatis : nullus me separabit a charitate Christi, » psallebatque, dicens : « Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. » Ita S. Athanasius in ejus Vita.

S. Hilarion, S. Antonii discipulus : « In tantum exeso corpore, ut vix ossibus hæreret, ait S. Hieronymus in ejus Vita, quadam nocte cœpit infantum audire vagitus, balatus pecorum, mugitus boum, planctum quasi mulierum, leonum rugitus, murmur exercitus, et rursus variarum portenta vocum, ut ante sonitu, quam aspectu territus cederet. Intellexit dæmonum ludibria, et provolutus genibus Christi crucem signavit in fronte : talique armatus casside, et lorica fidei circumdatus, jacens fortius præliabatur, amodo videre desiderans quos horrebat audire, et sollicitis oculis huc illucque circumspiciens, cum interim ex improviso splendente luna cernit rhedam ferventibus equis super se irruere : cumque inclamasset Jesum, ante oculos ejus repentino terræ hiatu pompa omnis absorpta est. Tunc ille ait : Equum et ascensorem projecit in mare; » et : « Hi in curribus et hi in equis, nos autem in nomine Dei nostri magnificabimur. »

S. Joannes Climacus narrat S. Ephrem, cum sentiret se in altissima pace et tranquillitate mentis, quasi in cœlo terrestri impassibilitatis constitutum, rogasse Deum, ut pristina tentationum certamina et prælia sibi restitueret, ut non perderet materiam merendi et pertexendi suam coronam.

Joannes Moscus in *Prato spir.*, cap. CLXIV, narrat abbatem Victorem dixisse cuidam a pusillanimitate tentato : « Pusillanimes ex modica tentatione perturbantur, et magnam illam esse existimant : qui vero anima sani sunt, magis in tentationibus gaudent. »

In *Vitis Patrum,* lib. V, libello V (sequor editionem nostri P. Heriberti), num. 19, quidam discipulus tentatus a spiritu fornicationis, adiit senem suum, a quo rogatus : « Vis rogo Dominum, ut sublevet a te molestiam istam? » respondit : « Video, Abba, quia si laboro, tamen ex pondere laboris hujus considero fructificare me : sed hoc roga Deum, ut det mihi tolerantiam, per quam sustineam. » Cui Abbas : « Nunc agnovi, quia in magno profectu es, fili, et supergrederis me. » Ibid. num. 10 narratur, quod Sara tredecim annis a spiritu fornicationis impugnata, nunquam oraverit ut recederet a se hujusmodi pugna, sed solum dixerit : « Domine, da mihi fortitudinem. » Per tentationem enim sensim purgatur et purificatur anima, ut perveniat ad puritatem, et perfectionem pene angelicam.

S. Dorotheus, doctrina 13, narrat monachum quemdam indoluisse, quod Deus ei ademisset tentationem qua pulsabatur, ac lacrymando amice dixisse : « Ergone, Domine, indignus sum qui patiar, affligar et tribuler pro nomine tuo? »

Palladius in *Lausiaca* refert monachum similem suo Pastori dixisse : « Dominus liberavit me tentationum pugna, mihique pacem restituit. » Cui

Pastor : « Revertere, oraque Deum, ut pugnam tibi restituat, ne incidas in teporem et negligentiam. » Reversus retulit ad Deum verba Pastoris. Cui Deus : « Recte dixit Pastor, » simulque ei tentationem restituit. Nam, ut ait S. Basilius, orat. *de Patientia* : « Ut gubernatorem navis tempestas, athletam studium, militem acies, magnanimum calamitas : sic Christianum hominem tentatio probat. Et sicut athletas certaminum labores coronis ad se alliciunt, ita etiam homines Christianos probatio, quæ ex tentationibus descendit, ad perfectionem ducit, si modo cum decenti tolerantia, ac omni gratiarum actione, quæ a Domino ordinantur, susceperimus. » Et S. Augustinus in *Psalm.* LX : « Vita nostra, inquit, in hac peregrinatione non potest esse sine tentatione, quia profectus noster per tentationem nostram fit ; nec sibi quisque innotescit, nisi tentatus ; nec potest coronari, nisi vicerit ; nec potest vincere, nisi certaverit ; nec potest certare, nisi inimicum et tentationes habuerit. » Et S. Ambrosius, lib. IV *in Lucam*, cap. IV : « Non timeamus tentationes, sed magis gloriemur tentationibus, dicentes : Quando infirmamur, tunc potentes sumus. Tunc enim nectitur corona justitiæ, etc. Ergo qui vult coronare, tentationes suggerit. Et si quando tentaris, cognosce quia paratur corona. Nonne tentatio Joseph, virtutis est consecratio ? nonne injuria carceris, corona est castitatis ? » Cassianus, *Coll.* XXIV, cap. XXV : « Majora, ait, nobis per colluctationem tentationum laudis contulit præmia benigna erga nos gratia Salvatoris, quam si omnem a nobis necessitatem certaminis abstulisset. Etenim sublimioris præstantiorisque virtutis est, passionibus ærumnisque vallatum manere semper immobilem, et acquirere quodammodo de infirmitate virtutem, quia virtus de infirmitate perficitur. » Idem, *Collat.* XVIII, cap. XIV, celebrat, Religiosam quamdam petiisse a S. Athanasio feminam pauperem et infirmam, sed molestam, ingratam et rixosam, cui serviret, ut in ea haberet exercitium patientiæ. Cumque ei diu magna et charitate et patientia servivisset, rediit « gratias relatura, eo quod ei secundum desiderium suum magistram patientiæ dignissimam providisset, cujus injuriis jugibus, ut quodam palæstræ oleo, quotidie roborata, ad summam animi patientiam perveniret. »

Vers. 3. 3. SCIENTES QUOD PROBATIO FIDEI VESTRÆ PATIENTIAM OPERATUR. — « Probatio fidei » idem est quod tentatio quæ præcessit : tentatio enim probat ejus qui tentatur fidem, virtutem, Dei amorem et constantiam ; dat enim causam, cur dixerit in ea esse gaudendum. Hæc ergo est Jacobi argumentatio : In tentatione et tribulatione nolite tristari, sed potius gaudete, quia tribulatio, quæ non est aliud quam fidei vestræ probatio, operatur patientiam, quæ præstans est virtus ac hujus vitæ quasi beatitudo. Ita Beda : « Cujus patientia, ait, vinci non potest, ille perfectus esse probatur : et illa ratio facit per patientiam exerceri, ut per hanc fides quam sit perfecta probetur. » Porro tribulatio operatur patientiam, non effective, sed materialiter et objective ; perinde ac ligna operantur ignem, quia ei fomitem et pabulum suggerunt. Quare eam tantum operatur in viro fideli, patiente et constante. Nam in instabili, impatiente et inconstante operatur contrarium, scilicet impatientiam et indignationem. Audi S. Bernardum, epist. 32 *ad Abbatem S. Nicasii* : « Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio. Nec idcirco tamen immerito his quos in anxietate positos videmus, amicis nostris compatimur, quibus utique dum exitum ignoramus, defectum metuimus. Quoniam quidem sicut Sanctis et electis tribulatio operatur patientiam, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit : sic damnandis et reprobis tribulatio parit e contrario pusillanimitatem, pusillanimitas perturbationem, perturbatio desperationem ; et illa interimit, etc. Quocirca studeat humilis prudentia tua non vinci a malo, sed vincere in bono malum : vinces autem, spem tuam fortiter in Deo figendo et rei finem longanimiter exspectando. »

Nota : Jacobus ad gaudium in tribulatione excitat, vocando eam probationem fidei, *q. d.* Tentatio non tam est tribulatio et afflictio, quam probatio et exploratio fidei vestræ. Gaudete ergo, quod per eam Deus fidem vestram probet et exploret ; ac vos vicissim eam fortiter et exultanter sustinendo, probate et ostendite vos illi esse fideles, ac paratos pro ejus fide et amore longe plura et majora tolerare. Gaudium enim in tribulatione, signum est perfectæ fidei et virtutis. Nam, ut ait Aristoteles, signum habituatæ et radicatæ virtutis est, si quis eam operetur et exerceat, non cum tristitia, sed cum delectatione et gaudio. Sapienter Seneca, lib. I *De Providentia* : « Deus, ait, bonos, ut severi patres, durius educat, aitque : Operibus, doloribus ac damnis colligant robur, etc. Ecce par Deo dignum, vir fortis cum mala fortuna compositus, spectaculum Deo dignum. Fortuna, ut gladiator, fortissimos sibi pares quærit, alios fastidio transit. Ignem experitur in Mutio, paupertatem in Fabricio, exilium in Rutilio, tormentum in Regulo, venenum in Socrate, mortem in Catone. Gaudent magni viri aliquando rebus adversis, non aliter quam milites fortes belli triumpho. Dicant ergo : Digni visi sumus Deo, in quibus experiretur quantum humana natura possit pati. » Et superius : « Sapiens manet in statu, et quidquid evenit in suum colorem trahit, ut mare flumina. » Idem, lib. *De Ira*, sub initium : « Invalidum omne, inquit, natura querulum est ; nec quidquam magnum, nisi quod simul et placidum. » Et inferius : « Naufragio nuntiato Zeno, cum omnia sua audiret submersa : Jubet, ait, me fortuna expeditius philosophari. » Idem, lib. *De Tranquillitate* : « Minabatur, inquit, Theodoro philosopho Tyrannus mortem, et quidem insepultam. Tum ille : Habes, ait, unde tibi placeas. Hemina sanguinis

Signum habituatæ virtutis est lætitia.

in tua potestate est. Nam quod ad sepulturam attinet, o te ineptum, si putas interesse, intra terram, an supra putrescam. Canius Julius a Caio Cæsare duci jussus : Gratias, ait, ago tibi, optime princeps ; lamentantibus amicis : Vos, inquit, quæritis an animæ immortales sint, ego jam sciam. Et alteri : Observare, ait, proposui, an sensurus sit animus exire se, etc. Fortunæ ergo dic : cum viro tibi negotium est, quære quem vincas. » Hæc locis citatis Seneca, sed sparsim, non junctim : selegi enim ex eo acutiora et meliora.

PROBATIO FIDEI VESTRÆ PATIENTIAM OPERATUR. — Dices : Contrarium dicit Paulus *Rom.* v, 3, nimirum : « Gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem. » Ergo probatio non causat patientiam, ut ait Jacobus ; sed potius ab ea causatur, ut ait Paulus, ejusque est effectus. Respondeo *primo*, sæpe duæ res sibi invicem sunt causæ, ut una alteram quasi causa producat, et vicissim ab ea producatur quasi effectus. Sic calor producit ignem, et ignis vicissim calorem. Sic vapor causat pluviam, et pluvia vicissim vaporem. Sic ex aere humido fit aqua, et ex aqua vicissim fit aer.

Secundo probatio causat patientiam materialiter et objective, uti jam dixi ; patientia vero causat probationem effective, quia facit hominem probatum, ut nimirum ejus fides et virtus omnibus sit probata et explorata.

Tertio et genuine, pro *probatio* hic græce est δοκίμιον, apud Paulum vero est δοκιμή : δοκίμιον autem est ipsa res, puta tribulatio, quæ perscrutatur, examinat, probat, tentat et explorat hominis animum, fidem et virtutem, sicut δοκιμασία est ipsa rei examinatio, perscrutatio, probatio, inquisitio et exploratio : δοκιμὴ vero est terminus probationis et examinationis, puta ipsum experimentum, documentum, specimen. Recte ergo Jacobus dicit, quod ipsa tribulatio quasi δοκίμιον, id est *probatio*, hoc est proba, qua probatur et exploratur hominis fides, operetur patientiam, id est, suggerat materiam exercendæ, confirmandæ et augendæ patientiæ. Recte quoque dicit S. Paulus quod patientia operetur δοκιμήν, id est *probationem*, hoc est effectum et terminum probationis, quia facit ut probatus et exploratus sit animus patientis, nimirum quod Deum, fidem et zelum rebus omnibus lætis et tristibus anteponat, utpote pro quo tanta sit passus, et plura pati paratus. Quocirca hæc probatio operatur, excitat, acuitque spem, quia facit ut patiens, qui suam virtutem in tot adversis Deo probavit, certo ab eo speret coronam et bravium gloriæ cœlestis, quod in agone patientiæ legitime certantibus promisit.

Nota : Pro *patientiam* græce est ὑπομονήν, id est, *sustinentiam* et *perseverantiam*, ut scilicet constanter et perseveranter toleremus longas durasque persecutiones et tribulationes, longanimiter exspectantes Dei opem, consolationem et liberationem, *q. d.* Esto, o Christiani, diutina et continua sit hæc vestri persecutio, esto graviter vos affligat, perseverate tamen in fide et patientia, ut eam perficiatis et protrahatis usque ad ultimum vitæ spiritum, si opus sit, exspectantes refrigerium non in hac vita, sed in futura, eaque æterna. Et hoc significat Græcum verbum compositum κατεργάζεται, id est *peroperatur*, hoc est, plene et perfecte operatur, quia plenam, continuam et perfectam patientiam, in eaque perseverantiam usque ad mortem operatur (1). Præclare Isidorus Pelusiota, lib. III, epist. 26 *ad Cassium* : « Præcedit, ait, coronam probatio, probationem victoria, patientia victoriam, afflictio atque tentatio, seu exploratio patientiam. » Et Laurentinus Justinianus, *De Patientia*, cap. III : « Quemadmodum, ait, in corporibus reparat sanitatem medicina, sic in animabus patientiam tribulatio generat. »

Hujus probationis causa Superiores, præsertim Religiosorum, eis subinde ardua et naturæ repugnantia præcipiunt, vel offerunt, ut eorum virtutem probent, excitent et acuant ; adeoque in *Vitis Patrum* legimus, illud apud eos vulgare fuisse. Censuisse enim eos, Superiorem qui subditum non exercet, eique mortificationis, patientiæ, obedientiæ, aliarumque virtutum occasionem et exercitium non suggerit, inhumanum esse ; perinde ac inhumanus est pater, qui filio famelico cibum poscenti negat : pari enim modo hæc probatio cibus et pabulum est animæ, eam instar panis roborans et confortans. Quocirca in nonnullis Religionibus regula et praxis est, ut Superior quotannis subditis singulis hanc probationis materiam ingerat, eosque tentet, negando nonnulla alias dari solita, vel subtrahendo concessa, vel jubendo insueta. Subditus ergo, cum quid tale ingruit, non cadat animo ; sed cogitet, hanc esse solitam Superiorum legem et praxim, illudque accipiat quasi probationem, quæ patientiam operatur, ne illa carens exercitio, desuetudine rubiginem obducat. Sane non tantum novitiatus, sed et religio ipsa, non aliud est, quam continua probatio. Lege Dorotheum et Climacum, gradu *de Obedientia* ; Cassianum, lib. IV *de Instit.*, cap. XXIII, et seq.

4. PATIENTIA AUTEM OPUS PERFECTUM HABET. — Vers. Est hic duplex lectio et intellectio. Aliqui enim codices legunt *habet* in indicativo, alii *habeat* in optativo, vel imperativo : Græca enim habent ἐχέτω, id est, *habeat* vel *habeto*, et ita legunt Didymus, Œcumenius, Beda, Pagninus, Tigurina, Vatablus et multa Biblia Latina ; Syrus vertit, *habebit*, id est, *habeat*, vel *habet*, phrasi Hebræa et Syra : Hebræi enim futuro utuntur tam pro imperativo et optativo, quam pro indicativo, quo carent. Hinc aliqui utramque lectionem ita conciliant : *habet*, inquiunt, id est, habere debet, oportet ut habeat. Idque valde congruit cum eo quod

(1) Hunc versum Rosenmullerus vertit : Memores fidem vestram calamitatibus exploratam effici constantiorem.

sequitur : « Ut sitis perfecti et integri, in nullo deficientes,» *q. d.* Patientia vestra habeat opus perfectum, id est, sit constans, continua et plena, nullis ærumnis, vel doloribus cedens, nulla duratione fatiscens, sed fortis, sui semper similis, crescens et invicta, « ut sitis perfecti et integri. » Multi enim Christiani illo ævo initio ferventes, stabant fortes in primis persecutionis insultibus, sed illis quasi arietibus continuo iteratis pulsati, fatigabantur animoque cadebant. Hos ergo animat et roborat Jacobus, ut quod bene cœperunt, constanter perficiant usque ad mortem et martyrium, juxta illud Tertulliani, *De Patientia*, cap. VIII : «Fatigetur aliena improbitas patientia tua. » Et : «In omnibus patiens ero, alioqui cruciabor impatientia mea. » Sic hodie multos videmus patientes, sed imperfectos, ideoque ex parte impatientes, qui dicunt : Vellem pati istam persecutionem, istam tribulationem, istam injuriam, istum morbum, istud malum ; at pati nequeo illam et illam : vellem pati ab hoc, vel isto, v. g. extero et hoste meo; at ab amico, filio, discipulo, in quem tot beneficia contuli, quem promovi et evexi, tanta pati non possum : vellem pati ad unum alterumve diem, mensem, vel annum; at tot annos sine spe exitus et finis pati, intolerabile est : vellem pati hoc istove modo; at ille modus qui mihi offertur, novus est, inauditus et vires meas superans. Hæc est patiens impatientia, et impatiens patientia, nec piscis, nec caro, sed mixtum ex utroque, quæ onus sibi adauget, dolorem et cruciatum duplicat. Patiens vero et perfecta patientia cupit pati quidquid mali a quocumque, quantumcumque, quomodocumque irrogatum fuerit. Tales fuerunt Martyres, de quibus canit Ecclesia :

Patiens impatientia quæ?

> Hi pro te furias, atque ferocia
> Calcarunt hominum sævaque verbera;
> Cessit his lacerans fortiter ungula,
> Hæc carpsit penetralia.
> Cæduntur gladiis more bidentium,
> Non murmur resonat, non querimonia;
> Sed corde tacito mens bene conscia
> Conservat patientiam.

Porro patientia habere debet opus perfectum tripliciter. *Primo*, perfectum in se, puta in fortitudine et continuatione tolerantiæ usque ad finem crucis et vitæ, ut non deficiamus in tribulationibus, sed audiamus a Christo : « Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis; et ideo ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, » *Lucæ* XXII, 28. *Secundo*, perfectum in fine, ut scilicet patiatur pro Christi fide, justitia, aut virtute. *Tertio*, perfectum in comitatu innocentiæ cæterarumque virtutum, ut scilicet patiens sit innocens, et purus ab omni peccato et vitio. Quid enim prodest tibi pati injuriam, si avaritiæ, gulæ, luxuriæ indulgeas ? Ita Salmeron.

Patientia perfecta tripliciter.

Ita S. Liduina cum vigesimum octavum in sua infirmitate annum ageret (passa est autem annis 38), ardens desiderio martyrii, in exstasi vidit coronam pretiosissimam, gemmis diversorum colorum egregie variegatam, necdum tamen in orbem penitus absolutam : petiit ergo multa pati pro Christo, ut hunc orbem absolveret. Exaudivit eam Deus, misitque milites, qui eam conviciis et verberibus male mulctarunt. Angelus deinde ad eam venit instar solis splendidus, aitque ad eam : «Salve, charissima soror. Ecce nunc absoluta est corona, quam nuper imperfectam vidisti ; propter inverecundos contactus virorum illorum, noveris te repositam fuisse in vestigiis Salvatoris. Ludibria et vulnera corpori tuo imposita fuere gemmæ, quas in illa corona et adesse vidisti, et deesse. » Ita habet ejus vita tom II Surii.

Secunda lectio est, « patientia opus perfectum habet. » Ita legunt codices Romani, Lyranus, Thomas Anglicus, Hugo, Dionysius et alii multi. Sensus est, *q. d.* Gaudete in tribulationibus, quia illæ patientiam operantur : patientiam autem est res eximia et perfecta : illa enim facit, « ut sitis integri et perfecti » quaquaversum.

Opus ejus perfectum.

Quæres : Quomodo patientia sola præ temperantia, fide, spe, charitate, cæterisque virtutibus dicatur perfecta, et habere opus perfectum? Respondeo : Certum est charitatem et religionem, utpote quæ proxime Deum respiciunt, ex objecto esse nobiliores et perfectiores patientia : aliunde tamen patientia habet opus perfectum, idque multipliciter. *Primo*, quia patientia omnia sustinens et in finem usque perseverans (hanc enim significat Græcum ὑπομονή) virtutum consummationem efficit et conservat : crux enim continua est velut instrumentum, v. g. runcina, scalpellum, penicillus, quo nos expolit perficitque Deus. Sic enim « Christus per passionem consummatus est,» *Hebr.* cap. II, vers. 10. Patientia ergo est in choro cœtuque virtutum id, quod in domo est tectum. Sicut enim tectum incolas domus ab æstu, frigore, procellis, imbribus, ventis, etc., tutatur, eaque propulsat : ita patientia hominem a procellis quarumlibet tentationum et adversitatum defendit, eaque in se excipit et elidit : perinde ac lana mollis excipit et elidit impetum tormenti et globi ferrei. Quocirca nulla virtus potest esse, vel consistere sine patientia. Vera enim humilitas esse nequit, nisi per patientiam toleret contemptus et probra. Vera paupertas esse nequit, nisi per patientiam toleret inopiam, famem, sitim, nuditatem. Vera charitas esse nequit, quæ per patientiam non toleret infirmitates proximorum, quin et hostium. Unde Tertullianus, lib. *De Patientia*, cap. XI et XII, docet nullam esse virtutem, quæ non comitem, imo ducem habeat patientiam; adeoque complexionem virtutum quam Apostolus I *Cor.* XIII, assignavit charitati, ipse assignat patientiæ : « Dilectio, inquit, summum fidei Sacramentum, Christiani nominis thesaurus, quam Apostolus totis viribus Spiritus Sancti commendat, cujus, nisi patientiæ disciplinis eruditur? Dilectio, inquit, magnanimis (Noster

Primo.

Nulla virtus sine patientia.

vertit *patiens*) est : ita patientiam exercet. Benefica est : malum patientia non facit. Non æmulatur : id quidem patientiæ proprium est. Nec protervum sapit : modestiam de patientia traxit. Non inflatur, non protervit : non enim ad patientiam pertinet. Nec sua requirit, suffert (alii legunt *si offert*) sua, dum alteri prosit : nec mutatur. Cæterum quid impatientiæ reliquisset? Ideo, inquit, dilectio omnia sustinet, omnia tolerat : utique quia patiens. Merito ergo nunquam excidet; nam cætera evacuabuntur. Exhauriuntur scientiæ, linguæ, prophetiæ : permanet fides, spes, dilectio. Fides, quam Christi patientia induxit : spes, quam hominis patientia exspectat : dilectio, quam Deo magistro patientia comitatur. » Nullus enim, nisi vehementer amans Deum, fidem et virtutem, potest perfectam patientiam obtinere. Unde S. Ignatius, Laurentius, Vincentius, etc., qui fuerunt specula patientiæ, fuerunt pariter specula charitatis, ut merito Trajanus Imperator videns S. Ignatii ardores ad martyrium, dixerit : « Nulla gens pro Deo suo tanta toleravit, atque Christiani pro suo Christo. » Aurum ergo patientiæ Christianæ, non nisi in fornace charitatis coquitur et formatur.

Secundo. *Secundo,* quia ὑπομονή, id est, perseverans patientia, et patiens perseverantia, coronat et perficit stadium agonis et vitæ humanæ : durat enim usque ad finem vitæ, ideoque quasi omnium victrix patientem deducit usque ad mortem, et sæpe ad martyrium, ac per illud ad meritum in cœlis patientiæ et victoriæ bravium. Hoc est quod aliis verbis explicans ait Jacobus vers. 12 : « Beatus vir qui suffert tentationem : quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. » Tritum est illud : « Omnes virtutes certant, sola perseverantia vincit et coronatur. » Vere S. Augustinus : Nemo potest custodire spem futuræ vitæ, nisi qui patientiam habuerit in laboribus præsentis vitæ. In hoc stadio patientiæ nobis quasi dux præivit Christus. Causam dat Apostolus *Hebr.* II, 10 : « Decebat enim eum propter quem omnia, et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare; » Syrus, *perfectum facere*; græce, τελειῶσαι, id est, perficere, immolare, consecrare, coronare, glorificare. Ecce hæc omnia præstitit Christo, nobisque præstat passio et patientia : vide ibi dicta. Itaque patientia hic significat perseverantiam in patiendo : hanc enim significat ὑπομονή, et hæc habet opus perfectum, quia totam vitam complectitur, et durat in finem usque ad mortem. Unde ipsa sola coronam gloriæ plene meretur, meritamque illico accipit, de qua præclare S. Bernardus, *epist.* 129 : « Perseverantia, inquit, est vigor virium, virtutum consummatio, nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium. Soror est patientiæ, constantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, unanimitatis vinculum, propugnaculum sanctitatis. Tolle perseverantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Denique non qui cœperit, sed qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. » Idem, lib. V *De Consider*, cap. ult. : « Quis sustinet, inquit, et perseverat in amore, nisi qui æmulatur æternitatem charitatis? nempe æternitatis quamdam imaginem perseverantia præ se fert. Denique sola est, cui æternitas redditur, vel potius quæ æternitati hominem reddit. » Idem (vel quisquis est auctor), serm. *De Obedientia ejusque gradibus* : « Incipere, ait, multorum est, perseverare paucorum. Perseverantia singularis est filia summi regis, virtutum fructus, earumque consummatio, totius boni repositorium, virtus sine qua nemo videbit Deum, neque a Deo videbitur : finis est ad justitiam omni credenti, in qua virtutum conventus reverendum sibi thalamum consecravit. Quid enim currere prodest, et ante metam cursus deficere? Sic currite ut comprehendatis, dicit Apostolus. O quam perseveranti pede cursum perfecerat, qui dicebat : Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi : in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, » II *Timoth.* IV. Plura de perseverantia dixi *Actor.* XI, 23.

Tertia. *Tertio*, quia patientia est quasi lorica et clypeus, qui omnia mala, quasi tela, ab homine avertit et repellit, ac contraria bona conciliat. Ipsa enim omnes animi motus, æstus, concupiscentias, passiones regit, mitigat, sedat, componit, omnesque animæ affectus ad æquitatem redigit et quasi complanat. Unde sequitur mira animæ pax, plenumque sui dominium. Patiens enim est sui suorumque affectuum dominus, iisque quasi rex imperat. An non ergo perfectus est? Hoc est quod ait Christus : « In patientia vestra possidebitis animas vestras. » Causam dat S. Thomas, II II, *Quæst.* CXXXVI, art. 2, ad 2 : « Per patientiam, inquit, dicitur homo animam suam possidere, in quantum radicitus evellit passiones adversitatum (puta tristitiam, iram, invidiam, vindictam, etc., quæ suscitantur per adversa), quibus anima inquietatur. » Ex adverso impatiens non possidet suam animam, sed cum ipsa possidetur ab ira et impatientia, ac consequenter a Satana. Duro ergo tyranno dure servit instar mancipii. « Patientia, ait S. Gregorius, est aliena mala æquanimiter perpeti, et contra eum qui irrogat nullo dolore moveri. » Audi Tertullianum, lib. *De Patientia,* XV : « Patientia fidem munit, pacem gubernat, dilectionem adjuvat, humilitatem instruit, pœnitentiam exspectat, exomologesin assignat : carnem regit, spiritum servat : linguam frenat, manum continet : tentationes inculcat, scandala pellit, martyria consummat : pauperem consolatur, divitem temperat : infirmum non extendit, valentem non consumit : fidelem delectat, Gentilem invitat : servum domino, dominum Deo commendat : feminam exornat, virum approbat : amatur in puero, laudatur in juvene, suspicitur in sene : in omni sexu, in omni ætate formosa est. »

Patientiæ effectus.

Magistrum Tertullianum imitatur discipulus

S. Cyprianus, lib. *De Bono patientiæ* : « Patientia, ait, est, quæ nos Deo, et commendat et servat. Ipsa est quæ iram temperat, quæ linguam frenat, quæ mentem gubernat, pacem custodit, disciplinam regit, libidinis impetum frangit, tumoris violentiam comprimit, incendium simultatis extinguit, coercet potentiam divitum, inopiam pauperum refovet, tuetur in virginibus beatam integritatem, in viduis laboriosam castitatem, in conjunctis et maritatis individuam charitatem : facit humiles in prosperis, in adversis fortes, contra injurias et contumelias mites, docet delinquentibus cito ignoscere ; si ipse delinquas, diu et multum rogare : tentationes expugnat, persecutiones tolerat, passiones et martyria consummat. »

Quocirca S. Basilius in *Admonitione ad filium spiritualem* docet, patientiam esse singulare medium ad acquirendam perfectionem. « Fili, ait, patientiam arripe, quia maxima est virtus animæ, ut velociter ad sublimitatem perfectionis possis ascendere. Patientia grandis est medela animæ ; impatientia autem est pernicies cordis. » Et S. Thomas Aquinas rogatus, « quis esset perfectus ? » respondit : « qui vana non loquitur, et facile patitur se contemni. Quem enim videris in sui contemptu indignari, vel contristari, hunc tu ne dixeris perfectum, etiamsi videris eum miracula patrantem. » Virtutes enim sine patientia sunt id, quod murus sine calce et cæmento, qui proinde illico ruet. Virtutum ergo calx, vinculum et statumen est patientia. Unde Beda hic : « Cujus, inquit, patientia vinci non potest, ille perfectus esse probatur. »

Patientia virtutum calx.

Quarto. *Quarto*, « Perfectum et totum est, ait Aristoteles, lib. IV *Phys.*, id cui nihil deest. » Patientiæ autem nihil deest, imo ipsa omnes virtutum rerumque aliarum defectus supplet : ergo non tantum est perfecta, sed et virtutes resque alias perficiens et consummans ; ipsa ergo opera imperfecta aliarum virtutum complet et perficit. Unde S. Cyprianus, tract. *De Patientia* : « Tolle, ait, charitati patientiam, et desolata non durat. » Et S. Gregorius, hom. 35 *in Evang.* : « Patientia, ait, est radix et custos omnium virtutum. » Rationem duplicem dat Dionysius Carthusianus : Primam, quia adversa quæ tolerat patientia, extinguunt amorem proprium, qui est causa omnis imperfectionis et mali ; secundam, quia patientia sex opera perfecta producit : *primum*, iræ, invidiæ aliarumque passionum subjugationem ; *secundum*, probationem hominis et virtutum ejus ; *tertium*, sui ipsius possessionem ; *quartum* gaudium spiritus ; *quintum*, gubernationem omnium actionum, ut in iis homo sit moderatus et circumspectus ; *sextum*, consecutionem vitæ æternæ. Accedit S. Thomas, I II, *Quæst.* LXVI, art. 4, ad 2, ubi docet patientiam habere opus perfectum, quia ipsa extirpat inordinatam tristitiam, quæ est causa et radix iræ, odii, vindictæ omnisque mali.

Vere Boetius lib. IV *De Consol.* prosa 6 : « Quidam, inquit, suppliciis inexpugnabiles exemplum cæteris prætulerunt, invictam malis esse virtutem. » Et Lactantius, lib. III *Instit.* : « Beatus est igitur sapiens in tormentis : sed cum torquetur, pro fide, pro justitia, pro Deo, illa patientia doloris beatissimum faciet. »

Alludit S. Jacobus ad priscos athletas in Olympico agone. Perfectus enim athleta nominabatur, qui perfecte omnes exercitationes sui certaminis, adhibita laborum perpessione, continentia, et legitima victus ratione obiverat ; ac proinde ad omnia compositus, ad omnem partem qua traduxisset adversarius, ipsi præsto erat, eo manus operamque transferre longo usu didicerat : tales enim athletæ sunt patientes. Unde S. Ephrem, orat. *De Laud. SS. Martyr.*, eos vocat perfectissimos athletas. « Hæc sunt, ait, o formosi milites Christi, insignia vestræ victoriæ : ista, o athletæ probatissimi, perfectique divini bellatores, vestræ fidei ac fortitudinis præmia. » Quocirca Gentiles videntes et admirantes tantam patientiam Christianorum, præsertim Martyrum, per eam ad fidem Christi convertebantur. Dictitabant enim, virtutem tam heroicam et perfectam non posse manare a natura, sed a Deo solo ejusque fide et gratia.

Quinto, sicut truncus porta traborem cum omnibus suis ramis et fructibus : ita patientia portat totum hominis et virtutum omnium onus et pondus, puta omnia difficilia, omnia ardua, omnia adversa, etc., idque sereno animo, ore et vultu. Unde patientiæ effigiem ita pingit Tertullianus, loco jam citato : « Vultus illi tranquillus et placidus, frons pura nulla mœroris aut iræ rugositate contracta, remissa æque in lætum modum supercilia, oculis humilitate, non infelicitate, dejectis ; os taciturnitatis honore signatum. Color, qualis securis et innoxiis. Motus frequens capitis in diabolum, et minax risus. Cæterum amictus circa pectora candidus, et corpori impressus, ut qui nec inflatur, nec inquietatur ; sedet enim in throno spiritus ejus mitissimi et mansuetissimi, qui non turbine glomeratur, non nubilo lunæ ; sed est teneræ serenitatis, apertus et simplex, quem tertio vidit Elias, » III *Reg.* XIX, 12. « Nam ubi Deus, ibidem et alumna ejus, patientia scilicet. Cum ergo spiritus Dei descendit, individua patientia comitatur eum. » Et Prudentius in *Psychom.*, duellum iræ et patientiæ describens, ita eum effigiat : Quinto.

> Ecce modesta gravi stabat patientia vultu,
> Per medias immota acies, variosque tumultus,
> Vulneraque et rigidis vitalia pervia pilis
> Spectabat defixa oculos, et lenta manebat.

Clemens Alexandrinus in homilia quæ refertur tomo I *Conciliorum*, pag. 1205, miris laudibus effert patientiam, ac tandem concludens ait : « Omne itaque bonum patientia nobis suppeditat. » Et Climacus, *gradu* 27 : « Patientia, ait, est infractus animi labor, nullis vel proximis fragó-

ribus agitatur. Patientia est vexationis quotidie exspectata definitio, etc.; patiens ante momentum mortuus est: sepulcrum enim cellam suam fecit.»

Sexto. *Sexto*, patientia Deum habet agonothetam et debitorem. «Adeo (inquit Tertullianus loco citato) satis idoneus patientiæ sequester Deus: si injuriam deposueris penes eum, ultor est; si damnum, restitutor est; si dolorem, medicus est; si mortem, resuscitator est. Quantum patientiæ licet, ut Deum habeat debitorem?» Causam subdit: «Omnia enim placita ejus tuetur: omnibus mandatis ejus intervenit.» Et paulo ante cap. XIV, laudans patientiam S. Job: «O felicissimum, inquit, illum qui omnem patientiæ speciem adversus omnem diaboli vim expunxit. Quem non abacti greges, non filii uno ruinæ impetu adempti, non ipsius denique corporis in ulcere cruciatus, a patientia et fide Domino debita exclusit, quem diabolus totis viribus frustra cecidit, etc. Quale in illo viro feretrum Deus de diabolo extruxit? quale vexillum de inimico gloriæ suæ extulit, cum ille homo ad omnem acerbum nuntium nihil ex ore promeret, nisi Deo gratias? Quid? ridebat Deus. Quid? dissecabatur malus (diabolus).» Annon ergo perfectum opus habet patientia, quæ S. Job et Sanctis perfectum de diabolo, carne, mundo, vitiisque omnibus dat victoriam, cœlitemque triumphum? S. Augustinus, in *Psalm.* XLII, ait patientiam esse citharam, tribulationes esse chordas, quæ dum pulsantur, melodiam edunt: pari enim modo melodiam suavem in auribus Dei edit patientia, dum in tribulationibus laudat Deum, eique gratias agit. «Omnis enim patientia, inquit, dulcis est Deo: si autem in ipsis tribulationibus defeceris, citharam fregisti.»

Septimo. *Septimo*, patientia opus perfectum habet: quia ejus opus et actus primarius est martyrium, inquit Thomas Anglicus, quod est opus nobilissimum et perfectissimum. Martyr enim est pugil Dei, athleta Christi, victor mundi, triumphator mortis, ideoque et præsentem et æternam martyrii lauream meretur, illicoque eam accipit. Patientia ergo martyres creat et coronat.

Pari modo patientia vincit et superat quidquid in mundo est terribile et formidabile, ideoque vitam hominis facit serenam, placidam, compositam et perfectam. Tota enim vita nostra, adeoque actiones singulæ, et momenta singula plena sunt ærumnis, doloribus et crucibus: has omnes sustinet et superat patientia continua usque ad finem vitæ. Ipsa ergo est unicum asylum, columen et coronis uti vitæ, ita et passionum omnium, hominemque transcribit vitæ impassibili et immortali, itaque eum perficit et beat. Cæteræ ergo virtutes sæpe tantum sunt utiles homini: patientia vero semper et ubique est necessaria. Quocirca Bion, teste Laertio, lib. IV, cap. VII, dicebat magnum malum esse non posse ferre malum: absque hoc enim nulli potest esse vita suavis. Antisthenes vero apud eumdem, lib. VI, cap. II, dicebat, virtutem sibi sufficere ad felicitatem, nec ulla re opus habere, nisi robore Socratico: Socrates autem ad omnium rerum patientiam obduraverat.

Octavo, quia Christo patientissimo nos facit simillimos, juxta illud: «Quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus, etc., illos et glorificavit,» *Rom.* VIII, 28, *q. d.* Deus prædestinavit nos ut similes simus Christo in Ecclesia, tam militante, quam triumphante: ibi in gratia, hic in gloria: ibi in patientia, hic in corona; ac consequenter ut simus perfecti, quia patientia angelis et Deo nos assimilat. «Deus, ait Seneca in *Sapiente*, extra patientiam, sapiens supra patientiam est.» Tertullianus, lib. *De Patient.*, cap. XVI: «Amemus, ait, patientiam Dei, patientiam Christi. Dependamus illi quam pro nobis ipse dependit. Offeramus patientiam carnis, patientiam spiritus, qui in resurrectionem carnis et spiritus credimus.» Hac de re egregie philosophatur Marsilius Ficinus, lib. V *ad Bastianum Salvinum*: «O miram, ait, patientiæ potestatem! Virtutes quidem aliæ contra fatum quodammodo pugnant; patientia vero vel sola, vel maxime omnium expugnat fatum: quæ enim fatum immutabilia necessariaque fore decrevit, patientia cum divinæ providentiæ voluntate consentiens ita quodammodo mutat, ut ex necessariis faciat voluntaria: sicut qui male agit, bona sibi convertit in malum, ita qui bene patitur mala, ea sibi vertit in bonum, nempe in perferendis malis ipse bonus evadit.» Unde concludit, patientiam bonum usque adeo perfectum esse, ut absque ipsa cætera hominum perfici nequeant. Quæ enim ab aliis virtutibus inchoantur, ab ipsa perficiuntur. Et post multa, epist. *ad Antonium Cocchium*: «Tria, inquit, præcipue patientia præcipit: *primum*, ut mala libenter pati velis, quæ ipsa natura jubet ut pati nolis; *secundum*, ut ipse tibi voluntaria facias, quæ fatum (Dei providentia et decretum) necessaria fore decrevit; *tertium*, ut mala quælibet vertas in bona; quod Dei solius est officium. In primo quidem repugnare naturæ, in secundo vero expugnare fatum, in tertio denique jubet (ut ita dicam) æquare se Deo.» Et paulo post: «Tota hominum vita in hac mundi regione maligna, cœlestibusque contraria mentibus, nihil aliud esse videtur, quam morbus quidam, dolorque perpetuus. Accedit impatientia summa malorum, quæ adeo mala est, ut nihil nobis absque illa sit malum, nihil cum illa sit bonum; patientia vero mala bene ferendo, transfert in bonum; et bonis utendo bene, felicissime fruitur.» Ipsa ergo est omnium medicina malorum: quia per illam conjungimur et consentimus Deo, qui est omne bonum, etc. «In hoc uno patientiæ vis tota consistit, ut bene patiamur tanquam bonum, quidquid sub infinitæ bonitatis gubernatione contingit.»

Octavo.

Exempla ut gnomæ patientiæ.

Viderunt id per umbram Gentiles quoque. Burrhus princeps cum inviseretur a Nerone, a quo ferebatur veneno faucibus illito, quasi remedium adhiberetur, in morbum et mortem adactus, aversatus est illum Burrhus, qui jam scelus intellexerat, multaque percontanti nihil aliud respondit, quam : « Ego bene me habeo, quia sequor fatum Deique providentiam, quæ hanc mortem, licet per tuum scelus adornatam, mihi destinavit : tibi ergo erubescendum, mihi conquiescendum in numinis de mea morte decreto. »

Alexander post interfectum Antoninum Romanum Imperatorem, cum audisset Barbaros magnis copiis se et Romanum Imperium invadere : « Decet, inquit, viros fortes et moderatos optima quidem optare, sed ferre quæcumque incidant (quasi a numine venientia) : ut enim is qui prior lacessit, ipse sibi injurius videtur, ita qui propulsat injuriam, confidentior ex conscientia fit, atque ex justitia spem bonam mutuatur. » Ita Herodianus, lib. VI.

Zeno roganti, quo pacto ferret convicia ? « Perinde, inquit, atque si legatus absque responso dimittatur. » Indicans eos, qui non habent quod respondeant, ad convicia solere confugere, eaque proinde non pluris oportere fieri, quam si nihil esset responsum : ita Laertius, lib. VII, cap. I.

Unde Philippus, rex Macedonum, gratias agebat conviciatoribus : Quia, inquit, dum conor illos mendacii factis meis convincere, evado melior : ita Plutarchus in *Apopth. Regum.*

Alfonsus, Aragonum rex, missa ad eum historia Titi Livii, monitus ne acciperet et legeret, quod veneno infectus esset codex, accepit et legit, dicens : « An nescitis regum animas non privatorum libidini subjectas esse, sed sub cura Dei securas et lætas agere? » Est enim rex Dei in terra vicarius, imo imago et speculum : ita Panormitanus et Æneas Sylvius in gestis et dictis Alfonsi.

S. Basilius, tract. *De Utilitate capienda ex libris Gentilium*, celebrat patientiam Periclis et Euclidis. « Quidam, ait, in foro Periclem probris omnibus incessebat. Is autem minime curare visus, toto fere die sustinuit : deinde vespere jam discedente cum lumine comitatus est, ne quid in philosophiæ studio admitteret. Rursus quidam Euclidi Megarensi animo concitatus juravit, se mortem illaturum. Ille vero contra se patienter laturum juravit, placatumque et ei quamvis infesto se conciliatum iri. Quare valde ad nos excitandos refert, ut talia virorum cohibentium iram exempla nostram memoriam subeant. » Et paulo post : « Quidam vehementi impetu Socratis faciem cecidit : hic autem minime commotus, furentem debacchari et iram satiari permisit : ex quo eum totum ex plagis tumidum atque contusum reddidit. Ubi vero ille cedendo destitit, nihil aliud Socrates fecisse dicitur, quam fronti propriæ inscripsisse : Talis fecit; veluti statuæ cuidam auctoris nomen; et eo modo vindicasse. » Sicut ergo Apelles suis picturis perfectis et eximiis inscribebat, *Apelles fecit* : ita patiens suis tolerantiæ facinoribus perfectis et heroicis, quibus eam quasi heroinam in anima sua depingit et ornat, inscribat : « Patientia fecit. »

Denique Epictetus in *Ariano*, cap. VI : « Quidnam quæso, ait, esset Hercules, nisi taurus leoque extitisset, et hydra, et cervus, et ursus? »

UT SITIS PERFECTI ET INTEGRI, ET IN NULLO DEFICIENTES. — *q. d.* Si sitis patientes, et in patientia usque ad finem vitæ perseverantes, uti dixi, eritis perfecti et integri : patientiæ enim perseverantia habet opus perfectum, facitque perfectos et integros.

Jam *primo*, Thomas Anglicus hæc tria ita distinguit : « Perfecti, » inquit, sunt, qui sufferunt longam durationem tentationum; « integri, » qui earumdem acerbitatem et pondus; « in nullo deficientes, » qui earumdem varietatem et multiplicitatem. *Secundo*, idem : Perfectio, ait, consistit in agendo, integritas in patiendo, absentia defectus in perseverando. *Tertio* et genuine, hæc tria idem, vel pene idem significant. Est enim unius ejusdemque rei per alia et alia verba exaggeratio, *q. d.* Patientiæ perseverantia faciet undequaque perfectos, integros et in nullo deficientes, ut scilicet in fide et virtute Christiana constanter usque ad mortem profitenda, prosequenda et propugnanda sitis integri, omnibusque officii Christiani partibus et numeris absoluti, quantum fragilitas naturæ lapsæ et corruptæ patitur, ut ab ea nullo metu et terrore, nullis pœnis, nullis promissis vel illecebris illecti deficiatis, atque nullum in ea tædii vel pusillanimitatis, nullum impatientiæ, tristitiæ, similisve perturbationis vitiique motum vel in mente, vel in phantasia, vel in appetitu, vel in voluntate sentiatis, quem non illico superetis et comprimatis : spiritus enim per patientiam subditus Deo Deique voluntati, per eamdem subdet sibi animam, anima subiget sibi sensus, corpus et membra. Deus enim per patientiam sanctificabit, sibique subiget et perficiet vestrum spiritum, et per spiritum animam, et per animam sensus et membra, facietque ut omnia sancta, integra et perfecta illi, quasi integram patientiæ victimam offeratis. Hoc est quod ait Paulus, II *Thessal.* v, 23 : « Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia, ut integer vester spiritus, et anima et corpus, sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur. » Vide ibi dicta.

Nota : Pro *perfecti* græce est τέλειοι, quod *secundo*, verti potest *selecti, eximii, summi.* Sic enim apud Lucianum τέλειοι θεοὶ vocantur dei perfecti, id est, præcipui et summi : heroes enim habebantur a Gentilibus dii, sed minores. *Tertio*, « adulti : » nam τέλειος ἀνὴρ vocatur vir adultus, integræ ætatis et magnitudinis, ut sensus sit : ut sitis in patientia et virtute Christiana, non pueri, sed viri et adulti, ut virtus vestra non sit tenera et puerilis, sed constans et virilis, juxta

Τέλειοι, quid tripliciter.

illud Apostoli, *Ephes.* IV, 12 : « Ad consummationem Sanctorum, etc., donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, ut jam non simus parvuli, » etc. *Quarto,* « solidi. » *Quinto,* « sancti et sacri, » quasi hostiæ patientes et pacificæ consecratæ Deo : τέλεια enim ἱερά vocabant hostias eximias, luculentas, largiores et sanctiores; et τελείωσις, id est, perfectio et consummatio, vocatur ipsa purificatio, consecratio et sanctificatio, ipsumque martyrium, quo patientes et martyres Deo consecrantur et immolantur. Unde S. Gregorius Nazianzenus martyres vocat τελειωθέντας δι' αἵματος, id est, *Deo consecratos suo sanguine.* Hinc et τελειωτὴς vocatur initiatus sacris, sacerdos.

Nota *secundo* : Pro *deficientes* græce est λειπόμενοι, id est cedentes, cadentes, victi, fracti, diminuti : λείπομαι enim idem est quod deficio, cado, defatigor, succumbo, vincor, impar et inferior sum, linquor animo. Vult ergo Jacobus, ut Christiani nulla persecutione, nulla adversitate, nullo onere, nulla diuturnitate, nullo tædio defatigentur animisque cadant, ut vel tantillum a fide aut officio Christiano recedant, vel recedere destinent; sed corde forti, æneo et marmoreo in eo persistant, omniaque adversa constanter evincant et superent; itaque integritatem fidei, patientiæ et virtutis omni ex parte intactam et illibatam conservent, ne quid in ea sit mancum, mutilum, languidum, enerve, fatiscens, vel quoquo modo imminutum et deficiens. Patientiæ enim pes frangitur per impatientiam, cum injuriis succumbit : manus frangitur, cum in aliis opitulando defatigatur : lumbi luxantur, cum tarda fit et pigra, etc. Idem est de corpore et membris, integritate et mutilatione cæterarum virtutum, quæ sæpe defectum, mutilationem et quasi deliquium quoddam patiuntur instar lunæ. Talis est illa, de qua Bernardus, serm. *De obedientia, patientia et sapientia* : « Cæterum, ait, nec leprosa obedientia, nec canina patientia commendatur; » illa nimirum cutem exulcerat, hæc jecur rodit et fel effundit.

Patientia perfrangitur, quando?

Vers. 5. 5. SI QUIS AUTEM VESTRUM INDIGET (λείπεται, id est destituitur, deficit, fatiscit, uti paulo ante dixi) SAPIENTIA, — ut cognoscat quanta sit utilitas tribulationis, quam alta et profunda mysteria in tentatione et cruce a Deo sint abscondita, quæ jam deprædicavi, nimirum tribulationem esse summum bonum, ideoque de eo summe gaudendum : tribulationem enim parere patientiam, quæ opus habet perfectum, ut sitis perfecti, integri et in nullo deficientes : ut cognoscat, inquam, hæc non tantum speculative, sed et practice, nimirum reipsa constanter omnes tribulationes patiendo, in iisque gaudendo, ac nullis molestiis, vel doloribus cedendo, vel animo cadendo; sed integra et perfecta fortitudine in fide et virtute persistendo. Hæc est enim vera sapientia, non philosophica et humana, sed Christiana et divina, quam proinde multi, etiam Christiani, ignorabant, et etiamnum ignorant, saltem practice, nonnulli etiam speculative : ignorantia enim practica sensim parit speculativam. Dum enim quis in patientia fatiscit, sensimque fit impatiens, fit ut hæc impatientia mentem excæcet, ut non videat, nec cognoscat quantum bonum sit patientia. Quocirca sapientia dicta est a sapore et gustu, quasi sapida scientia, affectuosa scilicet, amans et ardens rem quam cognoscit et sapit. Porro τὸ *si* non tam conditionem significat dubitantis, quam causam supponentis, ut et *Malach.* I, 6 : « Si (id est *quia, cum*) Pater ego sum, ubi est honor meus? et si (*cum*) Dominus ego sum, ubi est timor meus? » Omnes enim homines, quantumvis sapientes, indigent sapientia, vel quoad inchoationem, vel quoad incrementum et perfectionem. Hinc Plato in *Hippia* laudat Heracliti dictum, « hominem sapientissimum si cum Deo conferatur, simiam apparere : simiam autem pulcherrimam esse deformem, si cum alio quopiam animantium genere comparetur; perinde ac olla pulcherrima turpis est, si cum virginum genere conferatur. »

Sapientia quid?

Nota *primo* : « Sapientia » jam dicta non est aliud, quam cognitio Dei et ultimi finis, ac mediorum ad eum assequendum, eorumque desiderium, amor et pius affectus, indeque usus et praxis. Unde *Prov.* I, 7, dicitur : « Initium sapientiæ timor Domini, » et *Ecclis.* I, 20 : « Plenitudo sapientiæ est timere Deum, » et cap. XIX, vers. 18 : « Omnis sapientia timor Dei, et in illa timere Deum, et in omni sapientia dispositio legis. » Hæc est sapientia, quam Sapiens in libris, qui, ab ea, vulgo Sapientiales vocantur, puta in Proverbiis, Sapientia, Ecclesiaste et Ecclesiastico tradit; quamque nunc vocat sapientiam, nunc scientiam, nunc intellectum, nunc disciplinam, nunc eruditionem, nunc doctrinam, nunc prudentiam, nunc legem. Hinc *Sapient.* X, 10, vocatur « scientia Sanctorum; » et *Luc.* I, 17, « prudentia justorum, » quæ est timere, colere et amare Deum, bonaque cœlestia æterna, non terrena et caduca.

De hac scripsit Lactantius libros quatuor *De vera et falsa sapientia,* ubi lib. III, cap. IX : « Venio, ait, nunc ad veræ sapientiæ summum bonum, cujus natura hoc modo determinanda est. Primum, ut solius hominis sit, nec cadat in ullum aliud animal. Deinde ut solius sit animi, nec communicari possit cum corpore. Postremo, ut non possit cuipiam sine scientia et virtute contingere. » Unde reprehendit Anaxagoram, qui « cum ab eo quæreretur, cujus rei causa natus esset? respondit : Cœli ac solis videndi. » « Quis, ait Lactantius, te in hoc spectaculum induxit? aut quid cœlo, rerumque naturæ visio tua confert? nimirum ut hoc immensum et admirabile opus laudes. Confitere ergo rerum omnium

esse constitutorem Deum, qui te in hunc mundum quasi testem laudatoremque sui operis induxit. Magnum esse credis videre cœlum ac solem, cur ergo gratias non agis ei, qui hujus beneficii auctor est? Cur non ipsius virtutem, providentiam, potestatem metiris animo, cujus opera miraris.» Et inferius : « Quare si quis hominum qui vere sapit, interroget cujus rei gratia natus sit? respondebit intrepidus ac paratus, colendi se Dei gratia natum, qui nos ideo generavit, ut ei serviamus. Servire autem Deo nihil aliud est, quam bonis operibus tueri et conservare justitiam.» Et mox : « Quia quanto pluris est anima quam corpus, tanto pluris est Deus quam mundus : quia mundum Deus fecit et regit; » et rursum : « Expedita est igitur hominis ratio, si sapiat cujus propria est humanitas. Nam ipsa humanitas quid est, nisi justitia? Quid est justitia, nisi pietas? pietas autem nihil aliud est, quam Dei parentis agnitio.»

Quocirca, cap. XVI, ridet philosophos, qui suam philosophiam tarde commenti sunt, ut sapientiam invenirent, sed falsam, non veram; ait ergo : « Dixit Seneca : Nondum sunt mille anni, ex quo initia sapientiæ nata sunt. Multis ergo sæculis humanum genus sine ratione vixit. Quod irridens Persius : Postquam, inquit, sapere urbi cum pipere et palmis venit : tanquam sapientia cum saporis mercibus fuerit invecta : quæ si secundum hominis naturam est, cum homine ipso cœperit necesse est.» Idem, lib. III, cap. XXVIII : « Omnis sapientia hominis, ait, in hoc uno est, ut Deum cognoscat et colat. Hoc nostrum dogma, hæc sententia est. Hoc est illud, quod philosophi omnes in tota vita sua quæsierunt, nec unquam investigare, comprehendere, tenere voluerunt : quia religionem aut pravam tenuerunt, aut totam penitus sustulerunt, etc. Huc ergo nos omnes, quibus est cura sapientiæ, conferamus. An exspectabimus donec Socrates aliquid sciat? aut Anaxagoras in tenebris lumen inveniat? aut Democritus veritatem de puteo extrahat? aut Empedocles dilatet animi sui semitas? aut Arcesilas et Carneades videant, sentiant, percipiant. Ecce vox de cœlo veritatem docens, et nobis sole ipso arius lumen ostendens, etc. Qui vult sapiens ac beatus esse, audiat Dei vocem, discat justitiam, sacramentum nativitatis suæ norit, humana contemnat, divina suscipiat, ut summum illud bonum ad quod natus est, possit adipisci.» Idem, lib. IV, cap. IV : « Quibus rebus apparet, quam inter se conjuncta sint sapientia et religio. Sapientia spectat ad filios, quæ exigit amorem; religio ad servos, quæ exigit timorem. Nam sicut illi patrem diligere debent et honorare, sic hi dominum colere et vereri. Deus autem qui unus est, quoniam utramque personam sustinet, et patris et domini, et amare eum debemus, quia filii sumus; et timere, quia servi. Non potest igitur religio a sapientia secerni : quia idem Deus est, qui et intelligi debet, quod est sapientiæ; et honorari, quod est religionis. Sapientia præcedit, religio sequitur, quia prius est Deum scire, consequens colere.» Hinc sapientiæ hieroglyphicum fuere Cherubini, positi juxta arcam et propitiatorium, uti dixi *Exod.* cap. XXV, vers. 20, in fine, ubi sapientiæ apophthegmata, exempla et documenta recensui.

Porro modum et media acquirendi sapientiam, egregie ex sua praxi describit S. Thomas Aquinas, epist. *ad Amicum,* quæ sic habet : « Quia quæsisti a me, in Christo mihi charissime, qualiter te studere oporteat in thesauro scientiæ acquirendæ, tale a me tibi super hoc traditur consilium, ut per rivulos non statim in mare eligas introire, quia per faciliora ad difficiliora oportet devenire. Hæc est ergo monitio mea, et instructio tua : Tardiloquum te esse jubeo, et tarde ad locutorium ascendentem conscientiæ puritatem amplectere, orationi vacare non desinas, cellam frequenter diligas, si vis in cellam vinariam introduci. Omnibus te amabilem exhibe, nihil quære penitus de factis aliorum, nemini te multum familiarem ostendas : quia nimia familiaritas parit contemptum, et subtractionis a studio materiam subministrat. De verbis et factis sæcularium nullatenus te intromittas. Discursus super omnia fugias. Sanctorum et bonorum imitari vestigia non omittas : non respicias a quo audias, sed quidquid boni dicatur, memoriæ recommenda. Ea quæ agis et audis, fac ut intelligas : de dubiis te certifices; et quidquid poteris in armariolo mentis reponere satage, sicut cupiens vas implere. Altiora te ne quæsieris. Illa sequens vestigia, frondes et fructus in vineam Domini sabaoth utiles, quamdiu vitam vixeris, proferes ac produces. Hæc si sectatus fueris, ad id contingere poteris quod affectas.» Breviter vero Hugo de S. Victore, lib. *Didascal.,* cap. XIII, sex media adipiscendæ sapientiæ præscribit hisce versibus :

Praxis acquirendi sapientiam.

> Mens humilis, studium quærendi, vita quieta,
> Scrutinium tacitum, paupertas, terra remota :
> Hæc reserare solent multis obscura legendo.

Nota *secundo* : Licet hæc sapientia exigat et complectatur omnem virtutem, tamen præ cæteris sita est in patientia ob causas, nimirum bona patientiæ, quas attuli vers. 1. Verus ergo patiens verus est sapiens, et summe patiens summe est sapiens, juxta illud *Prov.* XIX, 11 : « Doctrina viri per patientiam noscitur.» Hinc et παθήματα sunt μαθήματα, id est passiones et tribulationes sunt doctrinæ et disciplinæ. Quocirca merito Lactantius, lib. VI *De Vero cultu,* cap. XVIII, reprehendit Ciceronem, qui in *Officiis* definit virum bonum esse qui prosit quibus possit, noceat nemini, nisi lacessitus injuria. « O quam simplicem, inquiens, veramque sententiam, duorum verborum adjectione corrupit! Quid enim opus fuerat addere : Nisi lacessitus injuria, ut vitium bono viro, quasi

Patientia est sapientia.

Vir bonus se non ulciscitur.

caudam turpissimam apponeret, patientiæque quæ omnium virtutum maxima est, faceret expertem? Nociturum esse dixit bonum virum, si fuerit lacessitus : jam hoc ipso boni viri nomen amittat necesse est, si nocebit. » Probat id *primo*, « non minus enim mali est referre injuriam, quam inferre. *Secundo*, quia improbitati opposita impatientia, magnas sæpe concitat tempestates. Quod si patientiam qua virtute nihil verius, nihil homine dignius inveniri potest, improbitati opposueris, extinguitur protinus, tanquam si igni aquam superfuderis. » *Tertio*, quod se vindicare non sit hominum, sed pecudum. « Nam et pecudes si lacessas, calce aut cornu repugnant, et serpentes ac feræ, nisi persequaris ut occidas, negotium nobis exhibent, et imperiti quoque et insipientes, si quando accipiunt injuriam, cæco et irrationabili furore ducuntur, et iis qui sibi nocent, vicem retribuere conantur. In quo igitur sapiens ac bonus vir a malis et insipientibus differt, nisi quia habet invictam patientiam, qua stulti carent; nisi quod regere se ac mitigare iram suam novit, quam illi, quia virtute indigent, refrenare non possunt? *Quarto*, quia qui referre injuriam nititur, eum ipsum a quo læsus est, gestit imitari : ita qui malum imitatur, bonus esse nullo pacto potest. Duobus igitur verbis duas virtutes maximas bono et sapienti viro, innocentiam patientiamque detraxit. *Quinto*, quia ipse (Cicero) caninam illam facundiam (sicut Sallustius ab Appio dictum refert) exercuit, voluit quoque hominem canino modo vivere, ut remordeat lacessitus. *Sexto*, quæ retributio contumeliæ, quam perniciosa sit, et quas edere soleat strages, unde opportunius petetur exemplum, quam ex ipsius doctoris tristissimo casu, qui dum his philosophorum præceptis obtemperare gestit, ipse se perdidit. Quod si lacessitus injuria (ab Antonio) patientiam tenuisset, si dissimulare, si ferre contumeliam boni viri esse didicisset, nec illas nobiles orationes alieno titulo inscriptas, impatientia, levitate et insania profudisset, nunquam capite suo rostra, in quibus ante floruerat, cruentasset, nec rempublicam funditus proscriptio illa delesset. » Unde concludit : « Sapientis ac boni viri non est velle certare, ac se periculo committere. Summa igitur virtus habenda patientia est, qua ut non careret homo justus, voluit illum Deus pro inerte contemni. Nisi enim contumeliis fuerit affectus, quantum habet fortitudinis in seipso cohibendo ignorabitur. Si autem lacessitus injuria lædentem persequi cœperit, victus est. Si vero motum illum ratione compresserit, hic plane imperat sibi, et hic regere se potest. Quæ sustentatio sui recte patientia nominatur : quia una virtus omnibus est opposita vitiis et affectibus. Hæc perturbantem ac fluctuantem animum ad tranquillitatem suam revocat, hæc mitigat, hæc hominem sibi reddit, etc. Denique Marcus Tullius contra suum præceptum oblivionem injuriarum in magnis laudibus posuit. Spero, ait, Cæsar, qui oblivisci nihil soles, nisi injurias. » Idem cap. XIX, refellit eos, qui dicunt iram esse comitem virtutis, quia ignorant causam, cur homini iram tribuerit Deus : alioquin enim « quid immanius erit homine? quid similius feris, quam id animal, quod ad communionem et innocentiam Deus fecit? Tres sunt igitur affectus, qui homines in omnia facinora præcipites agunt, ira, cupiditas, libido. Propterea Poetæ tres furias esse dixerunt, quæ mentes hominum exagitant. Ira ultionem desiderat, Cupiditas opes, Libido voluptates, etc. Quicumque igitur affectus illos intra fines suos redegerit, quod ignorantes Deum facere non possunt, hic patiens, hic fortis, hic justus est : » hæc Lactantius.

Probat. Primo. Secundo. Tertio. Quarto. Quinto. Sexto.

Patientiæ ergo sapientia præcepta, et prudentia dictamina inter alia sunt hæc. *Primum* : « Pax præstat quibusvis opibus et bonis : illorum ergo jactura est emenda. » *Secundum* : « Nullus pejor animæ hostis, quam tumultus æstusque cogitationum, iræ et impatientiæ. » Nam, ut ait Cassianus, *Col.* XVIII, cap. XVI : « Lædi ab homine quamvis malignante non potero, si ipse in pacifico adversum me corde non dimicem. Si autem lædor, non est vitium impugnationis alienæ, sed impatientiæ meæ. » *Tertium* : Optimum vindictæ genus est, lædenti benefacere, ut aiebat S. Joannes Eleemosynarius. *Quartum* est sublime abbatis Stephani apud S. Gregorium, hom. 35 *in Evang.* : « Virtus, ait, patientiæ vehementer in eo excreverat, ita ut eum sibi amicum crederet, qui sibi molestiæ aliquid irrogasset. Reddebat contumeliis gratias. Si quod in ipsa sua inopia damnum fuisset illatum, hoc maximum lucrum putabat. Omnes suos adversarios nihil aliud, quam adjutores æstimabat. » *Quintum* : « Mansuetudine subditi vincitur asperitas Prælati, » uti eam vicisse Libertinum, scribit S. Gregorius, lib. I *Dial.*, cap. II. *Sextum* : « Injuria nobis illata animarum nostrarum est medicina. » Ita S. Monica, cum ab ancilla per convicium vocaretur meribibula, quasi stimulo percussa, sibi indignans solitam vini cupidinem prorsus a se abdicavit, et bibacitatem extinxit, teste S. Augustino, lib. IX *Conf.*, cap. VIII. *Septimum* : « Maleficium compensandum est beneficio. » Ita fecit S. Liduina, dicens : « Illis ergo debere me fateor, qui viam mandatorum Dei, quorum plenitudo est dilectio, me currere compellunt : » ita habet ejus Vita apud Surium. *Octavum* : « Prudentis est modica ac brevi pœna præsentis vitæ, per patientiam redimere longas et graves Purgatorii, vel inferni, » uti in morbo dicebat Stephanus monachus circa Mareotem in *Hist. Trip.*, lib. VIII, cap. I. *Nonum* : « Crucem hanc si merui, feram, ut pro peccatis satisfaciam : si non merui, feram eamdem, ut coronam augeam : ut ut erit, laudem habebo decusque vel pœnitentiæ, vel patientiæ. » *Decimum* : « Præstat pati injuriam, quam facere : qui enim nocet

Patientiæ dictamina. Primum. Secundum. Tertium. Quartum. Quintum. Sextum. Septimum. Octavum. Nonum. Decimum.

alteri plus nocet sibi, » uti B. Stephanum dixisse narrat S. Gregorius, lib. IV *Dial.*, cap. XIX. *Undecimum* : « Deus suscipit patrocinium patientis calumniam et injuriam; » ita Senior ille in *Prato spir.*, cap. CCXIX. *Duodecimum* : Seneca, lib. II *De Ira* : « Magni, ait, animi est injurias despicere. Pusilli hominis et miseri est repetere mordentem, ut mures et formicæ, ad quas si manum admoveris, ora convertunt. Imbecilla se lædi putant, si tanguntur. » *Decimum tertium* : S. Ambrosius, epist. 82 *ad Eccles. Vercell.* : « Non hæc sola est forma justitiæ, ait, ut non lædas eum, qui te non læserit; sed etiam illa, ut etiam remittas ei qui læserit. Nihil interest cui male facias, utrum justo an injusto, cum te male facere non oporteat. Nihil distat, quomodo malignus sis utrum justo vindicandi studio, an voto nocendi, cum malignitas in utroque genere non careat reprehensione. » Plura affert Plutarchus, lib. *De Utilitate capienda ab inimicis*. *Decimum quartum* : « Patientia prudens in quavis difficultate suggerit consilium. » Docet hoc S. Ambrosius, lib. II *De Jacob et vita beata*, cap. IV, exemplo Rebeccæ, quæ Jacob filio suasit fugam, dum Esau eum vellet occidere. « Veniat, ait Rebecca, hoc est, inducatur patientia, bona custos innocentiæ; suadeat ut iræ locum demus, offensioni subrepat oblivio : mater pia abesse sibi dilectissimum filium tolerat, plus ei collatura, quam læsit : utrique tamen consulens, ut alterum immunem a periculo, alterum integrum præstaret a crimine. Quis sic potuit consulere, nisi prudens tolerantia? Quis utrique utile consilium apponere, nisi sapiens patientia? » *Decimum quintum* : Seneca, *epist.* 60 : « Vir sapiens (utique patiens) ad omnem incursum invictus : non si paupertas, non si luctus, non si ignominia, non si dolor impetum faciat, pedem refert. Usque adeo patiens est vir sapiens, et perfecta patientia cum sapientia reperitur. » Hoc est quod ait Sapiens, *Prov.* cap. XIV, 29 : « Qui patiens est, multa gubernatur prudentia : qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam. » Ex quo S. Chrysostomus, hom. 33 *in* I *ad Corinth.* : « Patientia, ait, universæ philosophiæ est radix, etc.; charitas omnia suffert, duce utique patientia. »

Undecimum. Duodecimum. Decimum tertium. Decimum quartum. Decimum quintum.

Allegoriam hujus rei elegantem ex *Genes.* cap. XX, affert Philo, lib. *De Plantatione Noe*, scilicet quod Abimelech rex viderit Isaac jocantem cum Rebecca : Isaac enim, id est risus, repræsentat gaudium; Rebecca, id est saginata, patientiam; Abimelech, id est pater regis, supramundanam sapientiam, *q. d.* Gaudium in brachiis sapientiæ reperitur, invicem se amplectuntur, ut dixit S. Jacobus, vers. 1. « O prudentem ludum ac disciplinam! visus a tolerantia adjuvatur, » ait Clemens, lib. I *Pædagog.*, cap. V. Hunc autem utriusque, lætitiæ scilicet et patientiæ, complexum nemo considerare potest, nisi Abimelech, id est sapientia. Quod enim aliud negotium sapientem decet, quam ludere, gaudere, hilarescere cum honesta tolerantia? Et hæc est ratio, cur in solis sapientibus sit tolerantia : quia et illi soli hunc ludum spectant. Denique invicti patientis emblema est adamas, quem decussatim stringit gladius et flamma, cum hoc lemmate : *Nec ferro cedit, nec igni.*

POSTULET A DEO. — Deus enim est ipsa æterna, increata, immensa, essentialis sapientia, qui quasi fons eam communicat angelis, hominibus omnibusque creaturis, cuique pro sua conditione et capacitate. Unde Lactantius, lib. IV *De Vera Sapientia*, cap. IV : « Fons, ait, sapientiæ et religionis Deus est, a quo hi duo rivi si aberraverint, arescant necesse est : quem qui nesciunt, nec sapientes esse possunt, nec religiosi. » Idem et fuse eleganter docet *Baruch* cap. III, vers. 12 et seq., ubi causam omnis mali Israelis assignat, quod ignorarit Deum fontem sapientiæ : frustra enim illum a Philosophis et mundi sapientibus requiri; et tandem concludens vers. 36 : « Hic, ait, est Deus noster, et non æstimabitur alius adversus eum. Hic adinvenit omnem viam disciplinæ, et tradidit illam Jacob puero suo, et Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est, » per incarnationem, ut sapientiam e cœlis in terram (quod Prometheum fecisse fingunt Poetæ) deferret, eamque hominibus communicaret. Id fecit Christus, qui est sapientia Patris æterna et incarnata.

Docet hic *primo* S. Jacobus, præ reliquis donis postulandam esse a Deo sapientiam, quia hæc est origo et matrix omnis scientiæ, omnis virtutis, omnis boni. Unde eamdem solam petiit a Deo Salomon, cum data esset ei optio petendi quidquid vellet, ac cum ea cætera omnia impetravit. « Quia postulasti, ait, verbum hoc, et non petisti tibi dies multos, nec divitias aut animas inimicorum tuorum, sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum judicium, ecce feci tibi secundum sermones tuos, et dedi tibi cor sapiens et intelligens, in tantum ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit; sed et hæc quæ non postulasti, dedi tibi, divitias scilicet, et gloriam, ut nemo fuerit similis tui in regibus cunctis retro diebus, » III *Reg.* III, 11. Porro in sapientia comprehendit patientiam; hanc enim docet cuique postulandam esse a Deo. Præclare enim Origenes in *Psalm.* XXXVI, *hom.* 3 : « Exspectamus, ait, Dominum, quia ipse est exspectatio nostra et patientia, sicut scriptum est *Psalm.* III, 38 : Et nunc quæ est exspectatio mea? nonne Dominus? Sicut ergo Salvator sapientia est, et pax, et justitia, ita est et exspectatio, vel patientia. Et sicut participatione justitiæ ejus justi efficimur, et participatione sapientiæ ejus sapientes, ita et participatione patientiæ ejus patientes efficimur. Est ergo velut fons quidam perennis, de quo haurire possumus et patientiam, et justitiam, et sapientiam, et omnia quæcumque sunt virtutum bona, si tamen bene digna et pura vascula nostra deferamus ad fontem. »

Secundo, docet eam petendam non ab alio, quum a Deo, sive immediate, sive mediante invocatione et patrocinio Sanctorum. Ita Salomon, licet jam promissa et data esset ei sapientia a Deo, eam tamen, id est ejus conservationem et augmentum petiit a Deo, dicens, et nobis omnibus dicendum proponens : « Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, et noli me reprobare a pueris tuis : quoniam servus tuus sum ego, et filius ancillæ tuæ, homo infirmus et exigui temporis, et minor ad intellectum judicii et legum, etc. Mitte illam de cœlis sanctis tuis, et a sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit, et mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te, etc. Cogitationes enim mortalium timidæ et incertæ providentiæ nostræ. Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Et difficile æstimamus quæ in terra sunt, et quæ in prospectu sunt invenimus cum labore. Quæ autem in cœlis sunt quis investigabit? Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, et miseris Spiritum Sanctum tuum de altissimis, et sic correctæ sint semitæ eorum qui sunt in terris, et quæ placent didicerint homines; nam per sapientiam sanati sunt quicumque placuerunt tibi, Domine, a principio. » *Sap.* IX, 4 et seq. Unde VI, 10, mira sapientiæ facinora per Adamum, Loth, Joseph, Mosen et Hebræos edita deprædicat. « Hæc (sapientia), ait, illum qui primus formatus est a Deo pater orbis terrarum (Adamum) cum solus creatus esset, custodivit, et eduxit illum a delicto suo, et dedit illi virtutem continendi omnia; » et vers. 6 : « Hæc justum (Loth) a pereuntibus impiis liberavit fugientem, descendente igne in Pentapolim; » et vers. 10 : « Hæc profugum iræ fratris (Jacob fugientem Esau) justum deduxit per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei, et dedit illi scientiam Sanctorum : honestavit illum in laboribus, et complevit labores illius, etc., ut vinceret, et sciret quoniam omnium potentior est sapientia; » et vers. 13 : « Hæc venditum justum (Joseph) non dereliquit, sed a peccatoribus liberavit eum, descenditque cum illo in foveam, et in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi sceptrum regni et potentiam adversus eos, qui eum deprimebant, et mendaces ostendit qui maculaverunt illum, et dedit illi claritatem æternam. Hæc populum justum (Israelitas) et semen sine querela, liberavit a nationibus (Ægyptiis) qui illum deprimebant. Intravit in animam servi Dei (Moysis), et stetit contra reges horrendos in portentis et signis, » etc.

Sapientiam a Deo obtinuit Salomon.

Et S. Antonius.

Ita hanc sapientiam a Deo petiit et impetravit S. Antonius, de quo S. Athanasius in ejus Vita : « Erat, ait, valde sapiens, et hoc in se mirabile habebat, quia cum litteras non didicisset, ingeniosissimus et prudentissimus, immobilis et mansuetus erat. Venerunt ad eum Gentiles Philosophi, putantes se eum posse decipere, quibus ille : Si ad stultum venistis, superfluus est labor vester; si autem putatis me esse sapientem, imitamini quod probatis. Si ego ad vos venissem, vos imitarer : sed quia vos ad me quasi ad sapientem venistis, estote sicut ego sum, Christiani. Philosophi mirati sunt acumen ingenii. » Rursum Antonius interrogavit eos : « Quid prius sensus, an litteræ? et quid cujus exordium? sensusne ex litteris, an litteræ oriuntur ex sensu? Illis asserentibus quod sensus esset auctor et inventor litterarum, inquit : Igitur cui sensus incolumis est, hic litteras non requirit, » *q. d.* Talis ego sum litterarum expers, sed theodidactos.

S. Ambrosius.

Sic S. Ambrosius, ait Paulinus in ejus Vita, « cum XLIII Psalmum dictaret, me excipiente et vidente, subito in modum scuti brevis ignis (index Spiritus Sancti) caput ejus cooperuit, atque paulatim per os ejus tanquam in domum habitator ingressus est : post quæ facta est facies ejus quasi nix. »

Rupertus.

Rupertus Tuitiensis Abbas, lib. XII *Matth.*, objicientibus sibi : Qui sunt patres et magistri tui? respondet : « Hoc profiteor, quia visitatio ab Altissimo melior mihi est, quam decem patres et magistri; loquor ad scribendum, quidquid ille monitor suggerit. »

S. Thomas.

S. Thomas Aquinas palam professus est, se suam sapientiam magis oratione infusam, quam studio acquisitam cœlitus accepisse.

S. Ephrem.

S. Ephrem orans dicensque : « Largire, Domine, flumina gratiæ tuæ, » ab angelis in visu accepit librum, cum eoque cœlestem sapientiam et facundiam, adeo ut, quantumvis ei perpetui quasi verborum fontes suppeterent, rebus tamen quas mente conceperat explicandis, pares nequaquam essent. Siquidem doctrinæ profunditas et cogitationum celeritas linguam ipsius absorbebat, ut sensa animi efferre nequiret, ait Nyssenus in ejus Vita.

S. Equitius.

S. Equitius sapienter et ardenter prædicans, rogatus unde hoc haberet? respondit : « Quadam nocte speciosus mihi per visionem juvenis astitit, atque in lingua mea medicinale ferramentum, id est phlebotomum, posuit, dicens : Ecce posui verba mea in ore tuo, egredere ad prædicandum. Atque ex illo die etiam cum voluero, de Deo tacere non possum, » ut refert S. Gregorius, lib. II *Dialog.*, cap. IV.

S. Ignatius.

S. Ignatius, fundator Societatis nostræ, Minoressæ orans, ita in Deum abruptus est, ut Trinitatis ipsius numen augustissimum cerneret distinctum personis, unum essentia, adeo ut, licet litterarum ignarus, non dubitaret librum *De Trinitate* conscribere, indeque miro rerum cœlestium sensu afficiebatur, quoties S. Trinitati sacra perageret. Oblatus quoque est ejus menti modus ipse, quem in hujus universitatis molitione summus ille rerum opifex tenuit. Præterea sacrificium Missæ audiens, dum a sacerdote de more hostia salutaris attollitur, apertissime vidit illa specie Christum

Deum et hominem verissime contineri, ait Maffeius in ejus Vita, lib. I, cap. VII.

S. Trudo. S. Trudo illustri prosapia in Belgis ortus, vovit Deo, si, Christo opitulante, sacras didicisset litteras, se in fundo suo ecclesiam ædificaturum, illicque Domino perpetuo serviturum. Missus ergo a Deo ad eum angelus : « Noveris, inquit, frater, ea vota quæ Christo nuncupasti, ei esse grata, nec dubites quin quod præveniens tibi aspiravit, etiam sit prosecuturus, et affectum perducturus in effectum. Ille, inquam, sapientia sua imbuet cor tuum, et erudiet te præceptis suis, et legem suam inscribet pectori tuo. » Ita Notgerus, Episcopus Leodinensis, anno Christi 850, in Vita S. Remacli, cap. VI.

S. Justinus. Illustre est quod de se scribit S. Justinus philosophus et martyr, *Dial. contra Tryphonem*, nimirum cum sapientiæ studiosus pervagatus esset omnes Philosophorum scholas et sectas, frustraque eam apud Pythagoricos, Platonicos, Peripateticos requisisset, a sene quodam ignoto audisse, illam non nisi in schola Christi reperiri. « Tu ergo, ait, votis et precibus tibi ante omnia lucis portas aperiri opta : neque enim ab aliquibus perspiciuntur aut intelliguntur, præterquam si Deus et Christus eis concesserint intelligentiam. » Quare conversus ad Christum, eumque invocans, tantam sapientiam quantam in libris suis ostendit, consecutus est.

Præclare Philo, lib. *De Præmiis et pœnis* : « Solem, inquit, hunc visibilem, num alia re quam sole ipso adjuti cernimus? Lucis aspectum nonne luci debemus? Ad eumdem sane modum Deus per seipsum illustrat sui notitiam, cooperante nemine, quod ea res excedat vires omnium. » Et S. Augustinus, lib. IV *Confess.*, cap. XVI : « Scis tu, Domine, quia et celeritas intelligendi et discernendi acumen donum tuum est. » Idem *Soliloq.*, cap. V : « Semper cæcus fuissem nisi tu me illuminasses. »

QUI DAT OMNIBUS. — Hæc dos propria est Deo, ut det omnibus omnia, et a nemine quidquam recipiat, ideoque hebraice vocatur *Saddai*, id est *mammeus, cornucopiæ*, uti fusius dixi *Genes.* XVII, 2. Unde Deus nonnullis a dando dicitur, aut potius agnoscitur. Hoc est quod ait Psaltes, *Psal.* XV, vers. 1 : « Dixi Domino : Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. » Deus enim est quasi pelagus bonorum omnium redundans et exæstuans, quod in omnia vicina sese largissime effundit. Vere Thomas Anglicus : « Deus, ait, dat *primo* liberaliter, non vendit, sicut multi. » *Secundo*, « dat generaliter, non uni, sed omnibus. » *Tertio*, « dat abundanter, non parce. » *Quarto*, « dat curialiter, vulgo *cortesemente*, » quia non improperat. « Erubescat ergo humana pigritia : plus paratus est Deus dare, quam nos accipere, » ait idem ex S. Augustino. Erubescat ergo humana ingratitudo et avaritia, quæ Deo tam in se liberali, tam parco et avare ejus obsequio se suaque impendit. Propria ergo natura et indoles Dei est; dare, ut docet S. Thomas, lib. I *Contra Gentes*, cap. XXXIX, ubi asserit liberalitatem esse virtutem maxime propriam Dei, quia solus se largiter communicat, quasi fons bonitatis. Et S. Augustinus, tract. 13 *in Joan.* : « Deus, inquit, tibi totum est. Si esuris, panis tuus est; si sitis, aqua tibi est; si in tenebris, lumen; si nudus, immortalitatis tibi vestis est. » Et S. Bernardus, serm. 3 *De Circumcis.* : « Totus, ait, mihi datus, et totus in usus meos expensus. »

Deus a dando.

Simili, sed longe exiliori de causa, nimirum ob reddita sibi prædia prius erepta, Virgilius Augustum Cæsarem adulando vocat facitque deum, *Ecloga* I :

> O Melibœe, Deus nobis hæc otia fecit,
> Namque erit ille mihi semper Deus; illius aram
> Sæpe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.

Et Cicero P. Lentulum vocat deum, id est, servatorem suæ vitæ : sic enim ait, post reditum ad Quirites : « P. Lentulus consul, parens, deus, salus nostræ vitæ, fortunæ, memoriæ, nominis. » Præclare Boetius, lib. III :

> Unus enim rerum pater est,
> Unus cuncta ministrat
> Ille dedit Phœbo radios,
> Dedit et cornua lunæ.
> Ille homines etiam terris
> Dedit, et sidera cœlo.
> Quem, quia respicit omnia solus,
> Verum possis dicere solem.

Et S. Bernardus, serm. 16 *in Cant.* « Verus, ait, beneficus est, dans affluenter et non improperans : non improperat dona, quia dona sunt; et beneficia sua mihi dedit, non vendidit. »

AFFLUENTER. — Græce ἁπλῶς, id est, *simpliciter*. Suspicantur aliqui Interpretem Nostrum legisse ἀθρόως, vel πλουσίως, id est diviter, copiose, largiter, affluenter, quia simpliciter in Scriptura cum de dando agitur, significat dandi liberalitatem, affluentiam, magnificentiam, ut patet II *Corinth.* VIII, 2 : « Altissima paupertas eorum abundavit in divitias simplicitatis eorum; » et cap. IX, vers. 11 : « Ut in omnibus locupletati, abundetis in omnem simplicitatem; » *Rom.* XII, 8 : « Qui tribuit, tribuat in simplicitate, » id est, simpliciter, sine restrictione, copiose, largiter : vide ibi dicta. Alludit S. Jacobus ad illud invitamentum et promissum Christi : « Si quis sitit, veniat ad me, et bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum, » *Joan.* VII, 38.

Deus infinite propendet ad se communicandum.

Nota *primo* : In Deo est infinita propensio et amor se communicandi, quæ provenit ex infinita perfectione et plenitudine essentiæ suæ, quæ tanta est, ut in alios se effundere gestiat; et quantumcumque aliis impertiat, nihil ipse sua de plenitudine amittat. Hinc primo, ad intra propendet

naturaliter et intime ad communionem sui infinitam; sicut res creatæ et corporeæ propendent ut se communicent, generando sibi simile. Verum quia id quod infinitum est, multiplicari nequit, idcirco divina essentia non se communicat generando aliam sibi similem numero distinctam, uti facit homo et animalia; sed largiendo seipsam, et velut replicando, ita ut eadem numero simplicissima essentia divina sit in tribus distinctis numero personis, Patre, Filio et Spiritu Sancto.

Tum angelis et hominibus.

Secundo, ad extra propendet ut infinite se suaque bona communicet creaturis, præsertim rationalibus, puta angelis et hominibus. Nam, ut ait Nazianzenus : « Sicut in rebus sensibilibus est sol, ita in intelligibilibus est Deus. » Sicut ergo sol ubique radios suos spargit, ut omnia illuminet, calefaciat, vivificet, fœcundet : ita Deus radios beneficentiæ suæ in omnes et omnia, præsertim angelos et homines spargit, ut eos luce sapientiæ suæ illuminet, indeque sui amore inflammet, vitaque gratiæ et gloriæ vivificet, ut et ipsi aliis eamdem impertiant. Quocirca S. Dionysius *De Divin. Nomin.*, cap. IV, *part.* I, ait amorem divinum esse vim motricem et sursum trahentem in Deum, qui solus est ipsum per se pulchrum et bonum. Hujus amoris, beneficentiæ et communicationis evidentia indicia et effectus sunt, Verbi æterni ad homines docendos et salvandos incarnatio, prædicatio, miracula, passio, mors, Sacramenta, missio Spiritus Sancti, cura singularis totius Ecclesiæ et singulorum fidelium. In incarnatione enim seipsum totum et omnia viscera sua effudit in nos, juxta illud Zachariæ : « Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto, » *Lucæ* I, 78.

Rursum in justificatione et sanctificatione cujusque, Deus non tantum se animæ communicat per gratiam, charitatem et virtutes ; sed etiam per seipsum : reipsa enim dat Spiritum Sanctum, et cum eo cæteras personas divinas, juxta illud : « Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, » *Rom.* V, 5; et : « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum : et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus, » *Joan.* cap. XII, vers. 23. Quocirca hac sui communicatione justum ad se elevat, in se transformat facitque divinum; præsertim eos qui se totos dedunt Deo, illique vacant. Amor enim divinus facit extasin et excessum amantis a seipso, ut illum in amatum transferat, et illi arctissime uniat, unumque cum illo efficiat, ut in eo vivat, sentiat, gaudeat, quasi illi incorporatus. Amans enim Deum prorsus a seipso deficiens in Deum transit, et velut colliquescit, nihil aliud cogitans, intelligens aut sentiens præter Deum, nihil aliud appetens aut desiderans, nulla alia re gaudens quam bonis Dei. Qui sic adhæret Deo, unus efficitur spiritus : quia seipsum exuit, et Deum induit, perinde ac si in divinam naturam transformatus esset. Quocirca totus cogitatione et affectu est in Deo, uti ei precatur Christus, *Joan.* XVII, 11 : « Pater sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos. » Et vers. 21 : « Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint. » Ratio est, quia bonum est sui communicativum et diffusivum. Si ergo sit summum bonum, uti est Deus, summe se communicabit et diffundet : hæc enim boni et summi boni est natura et indoles. « Deus, inquit S. Leo, serm. 2 *De Nativit.*, cujus natura bonitas, cujus voluntas potentia, cujus opus misericordia est. »

Nota *secundo* : Hæc beneficentiæ Dei largitas et affluentia ingens est, et admiranda ex quinque capitibus, ut recte notat noster Lessius, lib. IX *De Attributis divinis*, cap. IV. *Primum* est, majestas amantis et largientis. Quid enim majus et magnificentius Deo, qui tantum (imo infinities amplius) transcendit omnes angelos et homines, quantum cœlum transcendit terram, quæ respectu vastitatis cœli se habet ut centrum et punctum. *Secundum* est, conditio eorum in quo se suaque effundit; qui si naturam spectes, sunt homines, infimi inter creaturas rationales (sicut enim materia prima est infima inter res corporeas, ita anima est infima inter res spirituales). Si qualitatem animæ consideres, sunt peccatores, inimici, superbi, ingrati, carnales, inepti ad omne bonum, proni ad omne malum; si corporis, sunt mortales, morbidi, viles, sordidi, putidi, mox futuri esca vermium, ut merito exclamet Psaltes, *Psal.* VIII : « Quid est homo, quod memor es ejus? aut filius hominis, quoniam visitas eum? » *Tertium* est, bonum ingens et multiplex quod illis partim confert, partim offert. Homini enim dedit animam rationalem creatam ad sui imaginem, gratiam, promissionem gloriæ, angelicam custodiam, totam mundi machinam, denique Unigenitum suum. « Nam sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam, » *Joan.* cap. III, vers. 16. Quæ verba si expendantur, singula magnam habent emphasim, novamque Dei beneficentiam significant. Quocirca Psaltes, *Psal.* XXXIII, 6 : « Accedite, ait, ad eum, et illuminamini, et facies vestræ non confundentur. » *Quartum* est, finis ob quem confert, qui est, ut homini bene sit, non Deo : Deus enim de homine nullum lucrum, nullum commodum exspectat vel accipit.

Dei manificentia quintuplex.

Prima.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Quintum est, modus quo se communicat et effundit, qui est multiplex. *Primus*, quod se communicet nobis, non tanquam servis, sed quasi filiis, quos instituit suos hæredes et cohæredes Christi. *Secundus*, quod benignitatis divinæ ingenium sit demittere se ad infima, curare infirma, colligere abjecta, attollere humilia, et ubi major est inopia, ibi magis opes suas erogare et opem ferre. Quocirca S. Bernardus, lib. V *De Consider.*, cap. XI, ita Deum definit, aut potius Dei affluentiam circumscribit : « Quid est Deus? voluntas

Quinta.

Dei definitio.

omnipotens, benevolentissima virtus, lumen æternum, incommutabilis ratio, summa beatitudo, creans mentes ad se participandum, vivificans ad sentiendum, alliciens ad appetendum, dilatans ad capiendum, justificans ad promerendum, accendens ad zelum, fœcundans ad fructum, dirigens ad æquitatem, formans ad benevolentiam, moderans ad sapientiam, roborans ad virtutem, visitans ad consolationem, illuminans ad cognitionem, perpetuans ad immortalitatem, implens ad felicitatem, circumdans ad securitatem.» *Tertius,* quod sese communicet sæpe antequam rogetur, uti patet in omnibus gratiis prævenientibus, quodque iis moveat nos ad postulandum subsequentes. Nemo enim potest orare Deum eo modo quo oportet, nisi ad id moveatur a gratia Spiritus Sancti, uti passim docet S. Augustinus et Concilium Arausicanum, imo S. Paulus, *Rom.* VIII, 26. Rursum quod rogatus, plus det quam rogetur, juxta id quod orans profitetur Ecclesia : «Deus qui abundantia pietatis tuæ merita supplicum excedis et vota.» Et S. Ambrosius in *Luc.* XXIII, 42, recte advertit latronem in cruce tantum petiisse, ac dixisse : « Domine, memento mei cum veneris in regnum tuum; » Christum vero longe plus ei præstitisse, dicendo : «Hodie mecum eris in paradiso. Nam uberior, inquit, est gratia quam precatio; semper enim Dominus plus tribuit quam rogatur.» Ita Ezechias petiit a Deo sanitatem, sed Deus cum illa adjecit ei quindecim annos vitæ, et victoriam miraculosam cæsis 185 millibus Assyriorum, *Isaiæ* XXXVIII. Salomon petiit sapientiam, sed Deus cum ea dedit illi ingentes opes et gloriam, III *Reg.* III. Daniel petiit liberationem populi e captivitate Babylonica; sed Deus dedit illi oraculum et promissum de adventu Messiæ ad redimendum totum mundum e captivitate diaboli, *Daniel.* IX, 24. David petiit filium; sed Deus præstitit ei Messiam : illum enim ei promisit, fecitque ex eo nasci, II *Reg.* VII, 12, et *Psalm.* LXXXVIII, 4. *Quartus,* quod sua dona conferat sæpe in eos, quos præscit fore ingratos, imo in impios, infideles, hæreticos, atheos, blasphemos et reprobos, juxta illud Christi : « Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, etc., ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos, » *Matth.* V, 44.

Moral. de imitanda Dei liberalitate. Primus.

Moraliter discamus hic *primo,* liberales esse in Deum liberaliter ei serviendo, cum ipse tam liberalis sit in nos, quia eo vicissim liberaliorem in nos jugiter experiemur. Certat enim ipse nobiscum, et cum sit liberalissimus, non patitur se liberalitate nostra vinci. Hoc est quod promisit per Isaiam, cap. LXVI, vers. 11 : « Ut sugatis et repleamini ab ubere consolationis ejus : ut mulgeatis et deliciis affluatis ab omnimoda gloria ejus. Quia hæc dicit Dominus : Ecce ego declinabo super eam quasi fluvium, et quasi torrentem inundantem gloriam gentium, quam sugetis; ad ubera portabimini, et super genua blandientur vobis. Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos.» Præclare Nazianzenus, orat. *de Amore pauperum* : «Nihil, ait, tam divinum homo habet, quam de aliis bene mereri. Fac calamitoso sis Deus, Dei misericordiam imitando.» Et Nyssenus *de Pauper. amandis* : «Beneficentia, inquit, est omnium laudatarum virtutum præstantissima. Hæc est felicitatis comes. Hæc assidet Deo, et magna est cum ipso necessitudine conjuncta,» uti ipsamet per visum apparens S. Joanni Eleemosynario, incitans eum ad eleemosynam, affirmavit. Quin et Seneca, lib. III *De Beneficiis,* cap. XXV : «Qui dat, ait, beneficia, deos imitatur; qui repetit, fœneratores.»

Secun-dus.

Hinc *secundo,* cum Deo in se nihil reddere possimus, reddamus ei idipsum in sua imagine, puta in proximis nostris, ut in eos liberaliter sapientiam, gratiam cæteraque bona quæ a Deo accepimus, effundamus : ideo enim ea ille nobis dedit, tanto plura daturus, quo plus in alios effundemus. Sicut enim fontes quo plus effluunt, eo plus affluunt : si enim non efflueret aqua, nova non afflueret; prior enim canalem occuparet, et affluentem excluderet : ita prorsus se res habet in doctore, prædicatore, eleemosynario, etc., ut quo plus dat proximo, eo plus recipiat a Deo, uti ex S. Paulo et Basilio docui II *Corinth.* IX, 6 et seq.

Tertius.

Tertio, imitemur Deum, ut petenti simplum demus duplum. Sic Christus petentibus sanitatem corporis, addidit et animæ; de quo proinde S. Petrus *Actor.* X, 38 : «Qui pertransiit, inquit, benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo.» Unde Christi et Pauli axioma fuit : «Beatius est magis dare quam accipere,» *Actor.* XX, 35. Vide ibi dicta.

Exempla gentilium.

Hujus rei illustria exempla dederunt Gentiles : pudeat Christianos, si eos non superent, sed ab eis liberalitate se superari patiantur. Ita Plato Diogeni paululum vini et caricarum petenti integram lagenam vino plenam misit. Sed Diogenes more suo cynicas, id est caninas, ei egit gratias dicens : «Cum interrogaris, quot sint duo et duo? respondes viginti : ita non secundum ea quæ rogaris das, nec ad ea quæ interrogaris respondes;» uti refert Laertius, lib. VI, cap. I, qui et addit Diogenem dicere solitum, manus non esse porrigendas amicis complicatis digitis, sed explicatis et liberalibus. Demosthenes rogatus, quid Deo simile haberent homines? respondit : «benigne facere;» ita Maximus, *serm.* 8. Cicero, orat. *pro Ligario* : «Homines, inquit, ad deos nulla re propius accedunt, quam dando. Nihil habet fortuna tua majus, quam ut possis, nec natura melius, quam ut velis servare quamplurimos.» Anaxilaus rogatus, quid in tyrannide esset felicissimum? respondit : «In conferendis beneficiis nunquam vinci;» ita Stobæus, *serm.* 46. Cyrus, Persarum rex, ornamenta ad se missa distribuit in amicos, nihil sibi reser-

vans. Rogatus cur? « Ornatus, inquit, amicorum, ornatus meus est; » ita Maximus, *serm.* 6. Dionysius ad filium ingressus, videns copiam vasorum aureorum : « Non est, inquit, in te regius animus, qui his poculis quæ a me tam multa accepisti, neminem tibi amicum feceris; » ita Plutarchus in *Regum Apophtheg.* Alexander Magnus rogatus, ubinam suos thesauros haberet? amicos ostendens, ait : « In his scriniis; » ita Maximus, *serm.* 6. Idem omnia in amicos distribuens, rogatus a Perillo, quid regi superesset? respondit : « Spes acquirendi majora. » Idem cuidam donans urbem, cum ille diceret, id non convenire fortunæ suæ, respondit Alexander : « Non quæro quid te accipere, sed quid me, qui rex sum, dare deceat. » Idem Perillo pro dote filiarum postulanti decem talenta, jussit dari quinquaginta, dicens : « Tibi quidem satis est tantum accipere, mihi vero non satis est tantum dare; » ita Plutarchus in *Regum Apophth.*, qui et addit Alexandrum Xenocrati quinquaginta talenta misisse, ut ea suis amicis elargiretur. « Nam mihi, inquit, vix Darii opes in amicos suffecerunt. » Idem rogatus : « Quis esset rex optimus? Qui amicos, inquit, muneribus retinet, et inimicos beneficiis reconciliat; » ita Maximus, serm. 9 *De Magistratu.* Hinc liberalitatem ab Alexandro didicit ejus dux Ptolemæus Lagi, primus post eum Ægypti rex, qui amicos suos locupletabat, dicens : « Melius est ditare, quam ditescere, » teste Æliano, lib. XIII *Variæ Hist.* Antonius triumvir cum Lepido et Augusto, adeo in donis erat profusus, ut dictitaret amplitudinem imperii Romani non per ea quæ acciperet, sed per ea quæ daret illustrari, ait Plutarchus in ejus Vita.

Exempla Christianorum.

Verum Christiani heroes hac in re longe superarunt Gentiles. Nota est omnibus profusa munificentia S. Joannis Patriarchæ Alexandrini, qui inde cognomen tulit Eleemosynarii. Experientia enim continua didicerat, se cum duplum daret, quadruplum recipere.

Et S. Paulini Nolani Episcopi, qui viduæ petenti stipem, partemque lytri ad redimendum filium, semetipsum, quantus quantus erat, pro filio in servitutem Wandalis tradidit, ideoque meruit omnes Nolanos, cives suos, secum a servitute liberare.

Memorabilis quoque fuit liberalitas Adriani II Pontificis, qui ingenti turba peregrinorum confluente, cum œconomus diceret se non habere tantum, ut vel denarium singulis erogaret, quadraginta enim denarios duntaxat habebat : « Virtute, inquit, Christi, qui de quinque panibus et duobus piscibus quinque millia hominum satiavit, non singulis singulos, sed ternos singulis denarios erogabo. » Dixit et fecit, ac superfuerunt sex denarii. Tum ad œconomum conversus : « Vides, inquit, quam largus et suavis sit omnipotentissimus Dominus, qui quadragenariam quantitatem nummorum et fratribus nostris per ternos distribuit, et mihi ternos, et tibi ternos æqua sorte servavit; » ita ex Anastasio Bibliothecario Baronius tom. X, anno Christi 867.

Et non improperat, — non exprobrat, dicens : Tu in meo es ære, tu mihi debes animam, hoc ego beneficium in te immerentem contuli, plura dedi quam merebaris, etc.; exprobratio enim beneficii est tinea et ærugo liberalitatis, quæ omnem ejus gratiam exsugit, omnem ejus colorem et speciem deformat et decolorat. Unde monet Sapiens *Eccli.* XLI, vers. 28, ut caveas « ab amicis de sermonibus improperii, et cum dederis, ne improperes. » Et cap. XVIII, vers. 18 : « Stultus acriter improperabit, et datus (δόσις, id est datio, donatio) indisciplinatus tabescere facit oculos; » quia eum cui dedit, contristat et pudefacit suis improperiis, impudentia et duritie; et cap. XX, vers. 14 : « Datus insipientis non erit utilis tibi : oculi enim illius septemplices sunt, » id est, multiplices, *q. d.* Multiplici oculorum in te jactu et nictu significat, se plus a te exspectare quam dederit. « Exigua dabit, et multa improperabit : et apertio oris illius inflammatio est, » id est cholera, *q. d.* Tibi dure, aspere, cholerice loquetur, græce ἀνοίξει τὸ στόμα αὐτῷ ὡς κήρυξ, id est, *aperiet os suum ut præco,* vociferabitur ut præco, ubique præconizabit suum beneficium, et tuam indigentiam, vel ingratitudinem. In qualem intorqueret Democritus suum illud spiculum : « Male pereas, quia gratias virgines, meretrices effecisti : » de quo Maximus *serm.* 8.

Exprobratio est tinea beneficii

Quocirca sapienter Chilon Lacedæmonius dicebat : « Dati beneficii decere oblivisci, accepti autem meminisse, » teste Laertio, lib. I, cap. IV.

Alexander Magnus vero regium esse dicebat, a quibus male audias, in eos sæpe et multum conferre, teste Pontano, cap. XXX *De liberalitate.*

Ex adverso Aristoteles Cyrenensis asserebat, « non oportere beneficium oblatum a quoquam recipere. Aut enim, ut rependere possit, molestias habiturum : aut si non referat, ingratum auditurum; » ita Ælianus, lib. X.

Huc spectat cavillus Antigoni, quem refert Seneca, lib. II *De Beneficiis,* cap. XVII : « Ab Antigono, inquit, Cynicus petiit talentum; respondit, plus esse quam quod Cynicus petere deberet. Repulsus, petit denarium; respondit, minus esse quam quod regem deceret dare. Turpissima est ejusmodi cavillatio. Invenit quomodo neutrum daret : in denario regem, in talento Cynicum respexit, cum posset et denarium tanquam Cynico dare, et talentum tanquam rex. » Idem Seneca ibidem cap. X : « Hæc, ait, beneficii inter duos lex est : alter statim olivisci debet dati, alter accepti nunquam. Lacerat animum et premit frequens meritorum commemoratio; » et cap. XI : « Quousque dices : Ego te servavi, ego te eripui morti? etc. Admonitio tædium facit, exprobratio odium; » et cap. XIV : « O superbia magnæ fortunæ! o stultissimum malum! ut a te nihil juvat accipere, ut omne beneficium in injuriam convertis, quidquid

das corrumpis.» Deus ergo cum sit liberalissimus, nemini exprobrat donum, quod scilicet nimis, vel plus dederit quam homo mereatur, si dono suo uti, pœnitere et sancte vivere velit, uti videmus in Saulo, Magdalena, Petro, etc. Exprobrat tamen impio ingratitudinem, quod tot beneficiis affectus, maleficia Deo rependat, iisque cum Dei beneficentia certet, ac in improbitate sua durus et obstinatus persistat. Talis exprobratio Dei est, *Michææ* IV, 3 : «Populo meus, quid feci tibi?» etc. *Jeremiæ* II, 4; *Isaiæ* I, 2, et seq. Sic in die judicii Deus exprobrabit reprobis, quod gratia sua abusi sint ad suam perniciem et damnationem, ut patet ex parabola debentis decem millia talentorum, et exigentis a conservo centum denarios, *Matth.* XVIII, 24.

ET DABITUR EI. — Si videlicet petet pro se, necessaria ad salutem, pie et perseveranter. Has enim quatuor conditiones si habeat oratio, certo impetrabit id quod petit, ait D. Thomas, I II, *Quæst.* LXXXIII, art. 15, ad 2, qui et addit ex S. Augustino in *Sentent.*, Sent. 212 : «Fideliter supplicans Deo, ait, pro necessitatibus hujus vitæ, et misericorditer auditur, et misericorditer non auditur. Quid enim infirmo sit utile, magis novit medicus quam ægrotus. Et propter hoc etiam Paulus non fuit exauditus, petens amoveri stimulum carnis, quia non expediebat.» Et S. Basilius, serm. *De orando Deum* : «Ideo, ait, quandoque petis, et non accipis, quia perperam postulasti, vel leniter, vel infideliter, vel non conferentia tibi, vel destitisti.» Quocirca Plato in *Secundo Alcibiade* hunc orandi modum assignat : «Deus opt. max. optima quidem nobis voventibus, et non voventibus, tribue, mala autem poscentibus quoque abesse jube.» Nam, ut ait S. Bernardus, serm. *Contra vitium ingratitudinis* : «Sæpe misericordiæ est, subtrahere misericordiam; quemadmodum iræ et indignationis, misericordiam exhibere.» Et S. Gregorius, lib. XV *Moral.*, cap. XII : «Majoris, ait, iracundiæ est cum hoc tribuitur, quod male desideratur, atque inde repentina ultio sequitur, quia hoc quoque obtinuit quod Deo irascente concupivit.» Beneficium ergo tunc negare, non maleficium, sed beneficium est : sicut parentes benigne negant cultros pueris poscentibus, ne iis se lædant : iis enim dare beneficium quod postulant, esset eis ingens facere maleficium.

6. POSTULET AUTEM IN FIDE NIHIL HÆSITANS. — «Fides» hic tripliciter sumitur, vel potius tria complectitur, quæ in oratione poscit S. Jacobus : *Primo,* fidem proprie dictam; *secundo,* fiduciam, sive spem certam; *tertio,* credulitatem et firmam persuasionem obtinendi quod petimus. Huic triplici fidei opponitur hæsitatio pariter triplex : *prima,* est hæsitatio in fide, quæ est incredulitas et infidelitas : dubitans enim in fide; si in dubitatione sit pertinax, est infidelis et hæreticus. *Secunda,* est hæsitatio in fiducia, quæ est diffidentia vel desperatio. *Tertia,* est hæsitatio in credulitate, quæ est dubitatio, aut opinio et persuasio non obtinendi id quod petimus.

Primo ergo S. Jacobus ad orationem requirit fidem proprie dictam, non tantum generalem de Dei omnipotentia, providentia, munificentia, veritate, paterna cura et amore erga nos, quod scilicet ut Deus possit, et ut pater velit, nobis quasi filiis suis benefacere; sed et particularem, quod scilicet id quod petimus, dabit nobis, si id expediat. Idipsum enim ipse promisit, qui mentiri, falli, aut fallere nequit, dicens : «Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, et evenient vobis, *Marci* XI, 32; *Matthæi* XXI, 21, et alibi sæpe. Credimus enim fide divina Deum in promissis esse fidelem, ac proinde eum nobis id quod in oratione petimus, daturum, utpote cum idipsum promiserit, qui, uti seipsum negare nequit, ita nec promissa sua violare. Hanc fidem passim exegit Christus ab iis qui poscebant sanitatem, ut a cæcis, *Matth.* IX, 28 : «Creditis, inquit, quia hoc possum facere vobis?» cumque respondent : «Utique Domine,» audierunt : «Secundum fidem vestram fiat vobis. Et aperti sunt oculi eorum.» Dices : Ergo vera est fides specialis hæreticorum, qua se credunt justos, prædestinatos et infallibiliter salvandos. Cum enim petant a Deo justitiam, salutem et gloriam, utique hæc a Deo assequentur : Deus enim promisit se præstiturum quidquid ab eo petimus. Respondeo : Promissio hæc Dei non est absoluta, sed conditionata, si videlicet oremus et petamus eo modo quo oporteret, puta cum debita fide, humilitate, puritate, reverentia, devotione, perseverantia, etc. Ignoramus autem et incerti sumus, an has in oratione conditiones præstemus; ac proinde pariter incerti sumus an justitiam et salutem quam petimus, simus obtenturi.

Prima. Fides propria dicta.

Secundo, fides hæc, ut docet S. Cyrillus, *catech.* 5, poscit paritque fiduciam : unde Apostolus fidem definiens, *Hebr.* XI, 1, ait, quod ipsa sit «substantia rerum sperandarum,» fides enim omnipotentiæ et fidelitatis Dei in præstandis promissis, est substantia, id est, basis et fulcrum spei et rerum sperandarum. Hoc est quod ait S. Augustinus, serm. 36 *De Verbis Domini* : «Si fides deficit, oratio perit. Unde et Apostolus, cum ad orandum exhortaretur, ait : Omnis quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit; ut ostenderet fidem esse fontem orationis (ac consequenter et spei, quæ est mater orationis : nemo enim orat, nisi qui sperat se accepturum), nec posse ire rivum, ubi caput aquæ siccaretur, adjunxit : Quomodo invocabunt in quem non crediderunt?» Hanc fiduciam pariter poposcit Christus, ut a paralytico, *Matth.* IX, 2 : «Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua;» et ab hæmorrhoissa, vers. 22 : «Confide, filia, fides tua te salvam fecit.» Vides hic, ut Christus cum fide poscat confidentiam, quam parit fides quasi mater filiam. Unde S. Thomas, II II, *Quæst.* LXXXIII, art. 15,

Secunda. Fides est fiducia.

ad 3 : « Oratio, inquit, efficaciam merendi habet a charitate, at vero efficaciam impetrandi a fide et fiducia, » ut ait hic S. Jacobus. Porro certitudo spei nequit esse tanta, quanta est fidei : « Quod enim videt quis, » per fidem divinam, « quid sperat ? » ait Paulus, *Rom.* VIII, 24. Unde S. Chrysostomus, imo Apostolus *ad Hebr.* VI, 18 et 19, fidem assimilat columnæ domum sustentanti : hæc enim sustentatio est firmissima ; spem vero anchoræ, quæ navim in fluctibus sustentat, sed ita, ut iis jactetur et fluctuet : sic enim et spes nostra inter fluctus timoris et confidentiæ jactatur et fluctuat. Verum quo major est fides, eo majorem gignit spem ; et quo major est spes, eo validior est oratio, certiusque impetrat rem postulatam, uti fuit in S. Dominico, qui dictitabat se nihil unquam postulasse a Deo, quod non impetrasset, et in S. Thoma Aquinate, qui asserebat se assecutum omne id, quod per intercessionem B. Virginis efflagitasset. Quocirca S. Catharina Senensis in orando hanc spem acuebat, dicens : « Domine, non dimittam te, nisi id quod postulo, v. g. conversionem hujus vel illius peccatoris, a te obtinuero ; » itaque omnia obtinebat. Porro hæc fiducia oritur partim ex puritate et sanctitate vitæ, puta ex libertate sanctæ et familiaris Deo conscientiæ, juxta illud I *Joan.* III, 21 : « Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum ; et quidquid petierimus, accipiemus ab eo : quoniam mandata ejus custodimus, et ea, quæ sunt placita coram eo, facimus ; » partim et potius ex instinctu Dei, qui orantes animat, et quasi promittit se daturum id, ad quod petendum eos impellit et instigat. Quocirca hic fides magis fiduciam, quam fidem significat. Spei enim et fiduciæ proprius actus est oratio : quare quo major et efficacior est fiducia, eo major et efficacior erit oratio. Unde et in oratione maxime excitanda est fiducia, idque docet hic S. Jacobus, *q. d.* Postulate sapientiam magna certaque fiducia, ita eam certo impetrabitis.

Cur Deus in orante poscat fiduciam? Resp. Primo.

Petes : Cur Deus adeo exigit in oratione spem ? Respondeo *primo*, quia congruus ordo et dispositio eam poscit : decet enim orantem sperare id quod orat, imo sine spe rite orari nequit ; nemo enim orat id, de quo desperat. Sicut ergo in vase, ut capiat ingentem vini copiam, requiritur ingens capacitas, ita in orante, ut recipiat ingens donum a Deo, requiritur ingens fiducia. Hæc enim in anima idem est, quod capacitas in vase, uti docet S. Bernardus verbis mox citandis.

Secundo.

Secundo, quia spes est quasi fistula et canalis, qui ab homine e terra in cœlum ad Deum erigitur, ut per eum defluant et depluant aquæ cœlestium gratiarum in ipsum. Sicut ergo aquæ cœlestis pluviæ nisi in canali recipiantur, in eumque confluant, diffluunt et dispereunt : ita et imber gratiarum Dei nisi canali fiduciæ hauriatur et acervetur, in alia quælibet se diffundit et dispergit.

Tertio.

Tertio, quia spes et oratio sperans est quasi pecunia, qua gratiam a Deo emimus : nihil enim aliud ipsi pro ea offerre et dare possumus. Hanc vero spem magni ipse æstimat : quia ea ipse summe honoratur. Ea enim profitemur, nos nobis diffidere, eo indigere, ipsumque esse omnipotentem, fidelem, liberalem, imo Deum, patrem, gubernatorem, provisorem nostrum omniumque creaturarum. Sicut ergo mendicus sperans, et laudans opes et liberalitatem divitis, ab eo emendicat ; emit et impetrat eleemosynam, sic et nos a Deo. Itaque spe, quasi honore Dei, emimus amorem opesque Dei.

Tertia fides est persuasio obtinendi quod petitur.

Tertio, sicut fides poscit paritque spem et fiduciam, ita spes parit fidem, id est, credulitatem et persuasionem obtinendi id quod petimus. Sic fides subinde sumitur pro credulitate, non divina et certa, sed humana et probabili, ut *Rom.* cap. XIV, vers. 23 : « Omne quod non est ex fide (id est, ex credulitate, puta ex conscientia, quæ dictat et credit hoc illudve sibi licere, v. g. manducare idolothyta), peccatum est, » *q. d.* Quidquid facis contra dictamen et persuasionem conscientiæ, in eo peccas. Quo ergo major est spes in affectu, eo majorem gignit fidem et credulitatem obtinendi in intellectu. Ratio est, quam dat S. Bernardus, serm. 3 *De Annunc. Dom.* : « Sola, ait, spes apud te (Domine) miserationis obtinet locum, nec oleum misericordiæ, nisi in vase fiduciæ ponis. » Qui ergo hoc Dei decretum novit, et hanc spei vim, utique ex ea concipit fidem, id est persuasionem obtinendi id quod sperat et postulat.

Præsagium impetrandi est certa fiducia.

Fides hæc triplex ad orationem efficacem requiritur. Unde solet eam Deus prius quam donet rem postulatam, postulanti aspirare, ac proinde illa ingens est donum Dei, et quasi certum præsagium rei consequendæ, etiam per miraculum, si opus sit. Hæc est enim fides miraculorum, nimirum fides conjuncta cum certa fiducia divinæ opis ad patrandum miraculum, quam fiduciam parit instinctus Dei thaumaturgum animantis, eique quasi promittentis suam opem ad miraculum, quod patrare tentat, de qua Christus *Matth.* cap. XXI, vers. 22 : « Si habueritis, inquit, fidem, et non hæsitaveritis, non solum de ficulnea facietis, sed et si monti huic dixeritis : Tolle, et jacta te in mare ; fiet, et omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis. »

Vult enim Deus nos sibi plane fidere, ut fiducia nostra honoremus ejus de nobis paternam curam et providentiam. Quare gaudet se ea vinci, eaque sibi piam quasi vim inferri. Orans enim colluctatur cum Deo, sicut Jacob cum angelo, qui eum vincens, ab eo benedictionem obtinuit, et vocatus est Israel, id est, dominans Deo, *Gen.* XXXII, 28. Ex adverso Deus diffidentiam odit, quasi minus digne de se suaque benignitate sentientem. Quocirca Sapiens, cap. I : « Sentite, inquit, de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quærite illum, quoniam invenitur ab his qui non tentant illum ; apparet autem eis qui fidem habent

In illum,» græce τοῖς μὴ ἀπιστοῦσιν αὐτῷ, id est, *qui non diffidunt ipsi*. Unde Cassianus, *Collat.* IX, cap. XXXI, hoc dat signum certum exauditæ orationis, « si obtinuisse nos in ipsa orationis effusione quod poscimus, senserimus. Tantum enim quis exaudiri atque obtinere merebitur, quantum vel inspici se a Deo, vel Deum crediderit posse præstare. Irretractabilis namque est illa Salvatoris sententia : Quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, et evenient vobis. » Ex adverso, cap. XXXIII : « Pro certo, inquit, non exaudiendum se supplicans quisque non dubitet, cum se dubitaverit exaudiri. » Addit deinde varias causas, ob quas exauditur oratio.

Moraliter disce hic mensuram orationis et impetrationis esse fidem et spem : quod certo speras, hoc certo impetrabis : magna spera et postula, magna impetrabis. Quo enim magis dilatas animam per spem, eo illam donorum Dei capaciorem efficis, eo magis Deus eam illis implebit, juxta illud oraculum : « Dilata os tuum, et implebo illud, » *Psalm.* LXXX, 11.

Quocirca sapienter S. Bernardus, serm. 15 *in Psalm.* XC : « Sperate in eo, inquit, omnis congregatio populi. Quemcumque enim locum occupaverit pes vester, vester erit : pes vester, utique spes vestra est, et quantumcumque illa processerit, obtinebit : si tamen in Deum tota figatur, ut firma sit, et non titubet. Quid timeat aspidem, aut basiliscum? quid leonis rugitus, aut draconis sibilos expavescat? Quoniam in me speravit, liberabo eum. » Idem clarius, serm. 32 *in Cant.*, loquens de Sanctis magnis et magnanimis : « Magna, inquit, audent, quoniam magni sunt, et quæ audent, obtinent. Magna si quidem fides magna meretur : et quatenus in bonis Domini fiduciæ pedem porrexeris, eatenus possidebis. Istiusmodi magnis spiritibus magnus occurrit sponsus, et magnificabit facere cum eis. »

Ita Judas Machabæus cum paucis illustres de Antiocho, ejusque maximis copiis habuit victorias; sed in ultimo prælio videns suos dilabi, confractus spe et animo, dicensque hæsitanter : « Eamus contra adversarios nostros, si pugnare poterimus contra eos, » succubuit et occubuit, I *Machab.* IX, 8.

Hac fiducia pollens Sisois abbas, orans pro Abraham discipulo suo tentato et lapso, fidenter dixit : « Deus, vis non vis, non dimitto te, nisi curaverimus eum. » Et curatus est discipulus, ut habetur in *Vitis Patrum*, lib. VI, cap. IV, num. 14.

Eadem armatus Theodoretus dicebat : « Si cœlum terræ adhæreat, Theodorus non formidat; » poposcerat enim a Deo, ut auferretur ab eo formido : ibidem lib. V, cap. VII, num. 6. Plura illustris hujus spei et rei exempla recensui *Jerem.* cap. VII, vers. 8.

Porro hæc non solis justis dicuntur, sed et peccatoribus. His enim, si pœnitere velint, certa a Deo venia, gratia et salus (in quibus vera consistit sapientia) promissa est; ac proinde illi eamdem certa fide et spe postulare debent, uti postulavit S. Magdalena, ideoque impetravit dum a Christo audivit : « Fides tua te salvam fecit, vade in pace, » *Luc.* cap. VII, vers. 50. Et paralyticus, dum audivit a Christo : « Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua, » *Matth.* IX. Hoc est enim quod passim per Prophetas clamat et promittit : « Convertimini ad me, et ego convertar ad vos. Si impius egerit pœnitentiam, etc., vita vivet, et non morietur : omnium iniquitatum ejus quas operatus est, non recordabor, » *Ezech.* cap. XVIII, vers. 12.

NIHIL HÆSITANS, — μηδὲν διακρινόμενος, id est nihil dijudicans, nihil disceptans, nihil disquirens (secum disceptat ac dijudicat, qui non plane confidit), nihil ambigens, nihil addubitans, nihil disputans, nihil hæsitans : qui enim dubitant, secum ipsi disputant alternantibus sententiis, ut patet in iis qui perplexi sunt, scrupulosi, anxii, meticulosi, pusillanimes, melancholici.

Hæsitatio ergo hæc, vel fidei opponitur, et est incredulitas; vel potius fiduciæ obtinendi rem petitam, et est diffidentia. Si sit incredulitas, revocat in dubium Dei potentiam, bonitatem, veritatem, et quod non exaudiet, etiamsi adsint requisita ad orationem. Si sit diffidentia, hæsitat et diffidit non potentiæ et promissioni Dei, sed suis meritis, quod scilicet ob suam indignitatem rem tantam quam petit a Deo, non obtinebit. Diffidentia hæc oritur ex acedia et pusillanimitate. Sic hæsitavit Moses ob populi rebellis indignitatem, dicens : « Num de petra hac poterimus vobis aquam ejicere? » *Num.* XX, 10; ideoque mulctatus est morte in deserto, nec permissus ingredi terram promissam. Sic hæsitavit Petrus videns ventum in mari, ideoque mergi cœpit, *Matth.* cap. XIV, vers. 31; unde audivit a Christo : « Modicæ fidei, quare dubitasti? » Quocirca hæsitatio hæc non comprehendit timorem, qui spei conjunctus, moderatus et sanctus est, donumque Dei. Sicut enim Sancti in cæteris actionibus, sic et in oratione habent fiduciam, sed junctam cum timore. Nam ut vulgare habet proverbium : *Spes in nobis est, in Deo exitus.* Jam varii Sanctorum fuerunt, et sunt Spiritus, et virtutes. Alii enim exercuerunt se et excelluerunt in spiritu timoris, uti S. Ephrem, S. Arsenius et Anachoretæ, de quibus Climacus, gradu *de pœnitentia.* Alii vero magis exercuerunt se in spiritu fiduciæ et amoris, uti S. Antonius, cujus hæc erat vox : « Ego Deum meum amo, non timeo. » Hinc factum est, et fit, ut aliqui Sancti in oratione ostendant timorem et metum non obtinendi quod petunt, præsertim si sint res temporales, quæ animæ salutem non tangunt. In his enim sæpe Deus fideles non exaudit ad eorum voluntatem, ut exaudiat ad salutem. Sic David cum metu oravit pro vita pueri a se geniti ex Barsabee, dicens :

« Si forte donet eum mihi Dominus, » II *Reg.* XII, 22; et Ninivitæ orarunt pro venia, non culpæ (hanc enim sciebant a Deo promissam pœnitentiæ), sed pœnæ et excidii, dicentes : « Quis scit, si convertatur et ignoscat Deus, et revertatur a furore iræ suæ, et non peribimus? » *Jonæ* III, 9. Vide ibi dicta.

Præstat spiritus spei spiritui timoris.

Verum præstat spiritus spei et amoris spiritui timoris et formidinis : unde quo magis crescit spes et amor, eo magis minuitur metus et timor. Denique « timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem : quoniam timor pœnam habet, qui autem timet, non est perfectus in charitate, » I *Joan.* IV, 18. Significat ergo hic S. Jacobus, orantem potius sperare debere, quam timere, se rem quam petit obtenturum. Unde ait : « Postulet in fide nihil hæsitans. » Quare si vis fructuose orare, ante eam et in ea excita ingentem fidem et fiduciam, pro eaque Deum invoca dicens cum Apostolis : « Adauge nobis fidem, » *Luc.* cap. XVII, 5. Et cum patre lunatici : « Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam, » *Marci* IX, 24. Hinc S. Bernardus, serm. 4 *De Quadrag.*, tria vitia et impedimenta orationis consignans, docet *primo*, eam non debere esse timidam; *secundo*, nec ex adverso temerariam; *tertio*, nec tepidam. « Timida enim oratio, ait, cœlum non penetrat : quia restringit animum timor immoderatus, ut orans non dicam non ascendere, sed nec procedere queat. Tepida vero in ascensu languescit et deficit, eo quod non habeat vigorem. Jam temeraria ascendit, sed resilit : resistitur enim ei; nec tantum non obtinet gratiam, sed et meretur offensam. Quæ vero fidelis, et humilis, et fervens oratio fuerit, cœlum sine dubio penetrabit. Unde certum est, quod vacua redire non poterit. » Porro timida « ex eo oritur, cum sic cogitat homo propriam indignitatem, ut non convertat oculos ad divinam benignitatem : abyssus enim abyssum invocat : abyssus luminosa abyssum tenebrosam, abyssus misericordiæ abyssum miseriæ. Profundum namque est cor hominis et inscrutabile; sed si magna est iniquitas mea, multo major est, Domine, pietas tua. Ideoque cum ad meipsum turbata fuerit anima mea, memor sum multitudinis misericordiæ tuæ, et respiro in ea : et cum introiero in potentias meas, nolo memorari justitiæ tuæ solius. »

QUI ENIM HÆSITAT, SIMILIS EST FLUCTUI MARIS, QUI A VENTO MOVETUR ET CIRCUMFERTUR. — Græcum κλύδων significat fluctuationem, tempestatem, turbationem, impetum, æstum undarum, præsertim cum a valido vento ἀνεμίζεται, id est ventilatur, agitatur, jactatur. Tunc enim fluctus fluctum continuo propellit, adeo ut reciprocantibus undis aquarum montes glomerentur, et navigantes videantur nunc in cœlum attolli, nunc in infernum descendere, juxta illud *Psalmi* CVI, vers. 25 : « Exaltati sunt fluctus ejus : ascendunt usque ad cœlos et descendunt usque ad abyssos. » Et illud Ovidii, lib. I *Tristium* :

Me miserum quanti montes volvuntur aquarum?
Jam jam tacturos sidera summa putes.
Quantæ diducto subsidunt æquore valles?
Jam jam tacturas tartara nigra putes.
Nec levius laterum tabulæ feriuntur ab undis,
Quam grave balistæ mœnia pulsat onus.

Simili enim modo in oratione hæsitans, et diffidens variis cogitationum, affectionum et passionum fluctibus, quos hæsitatio quasi ventus excitat, impellitur et jactatur; ut nunc speret se obtenturum, nunc desperet, ibique dicat alternante animi æstu : Obtinebo quod peto, non obtinebo; dabit Deus quod postulo, non dabit; sero dabit; modice dabit : mereor obtinere, non mereor : dignus sum, imo indignus : misericors et liberalis est Deus, sed est et justus rigidusque : misericordia Dei magna est, sed peccata mea nimia sunt, quam ut exaudiri merear. Unde fit, ut nunc patiens Deum invocet, nunc impatiens queratur et murmuret; nunc exspectet; nunc abjiciat animum, et irascatur, quod non statim exaudiatur : hisque turbationum æstibus cedit, rapique se sinit, nec contra eos velis remisque connititur, uti in tali re facto opus est. Hoc verius est cum quid adversi aut tribulationis insurgit, quod spem videtur elidere aut minuere. Tunc enim pusillanimes cadunt animo, cum potius tunc animos ad Deum, qui in arctis invocatus adesse solet, per fiduciam et orationem magis attollere, planeque in eo defigere deberent. Sic ab oratoribus proverbialiter vocatur εὐρίπιφος, vel Euripus, homo varius, mutabilis, dubiæ fidei et inconstans, qui instar Euripi agitatur et fluctuat; nunc ait, nunc negat; nunc vult, nunc non vult; nunc amat, nunc odit; nunc fidit, nunc diffidit. Euripus enim maris pars est inter Aulidem et Eubœam, septies die ac nocte reciprocans; de quo Cicero *pro Murena* : « Quod enim fretum, inquit, quem Euripum tot motus, tantas, tam varias habere putatis agitationes fluctuum, quantas perturbationes, et quantos æstus habet ratio comitiorum? » Ferunt Aristotelem in indaganda causa tantæ reciprocationis Euripi, ab eo esse absorptum. Hinc illud vulgo tritum : « Euripus habet Aristotelem, non Aristoteles Euripum. » T. Livius, lib. VIII *Belli Punici*, Euripum a ventis quibusdam illic flantibus, ita rapi credit. Objicit Æschines Demostheni, quod subinde commutata factione Euripum ipsum inconstantia sua vicisset.

Euripus est inconstans.

Tales hodie sunt multi, qui constanter sunt inconstantes. Talis quoque est Euripus humanæ felicitatis, vel infelicitatis, quem graphice depingit Nazianzenus, epist. *ad Sophronium* : « Vides, inquit, quæ sit conditio rerum nostrarum, utque rota quædam negotiorum humanorum cursu circumagatur, nunc his, nunc illis florentibus ac marcentibus : dum neque prosperitas, neque adversitas, nobis constat, sed quam ocissime in diversum mutatur ac transilit, ut auris aut litteris

aquæ inscriptis fidere liceat citius, quam humanæ felicitati. » Tales denique sunt impii et mundani, qui æstibus cupiditatum continuo agitantur ac jactantur, qui proinde similes fluctus et æstus in oratione subeunt, de quibus Isaias, cap. LVII, vers. 20 : « Impii, ait, quasi mare fervens quod quiescere non potest, et redundat fluctus ejus in conculcationem et lutum. Non est pax impiis, dicit Dominus. » Exemplum illustre est in Cain fratricida, *Gen.* IV, 13. Piis vero est pax, indeque pacifica, constans et felix mens, fiducia, oratio, operatio ac vita. Talis fuit Anna, mater Samuelis, quæ pro eo orans eum impetravit, « Vultusque illius non sunt amplius in diversa mutati, I *Reg.* cap. I, vers. 18.

Vers. 7. 7. NON ERGO ÆSTIMET HOMO ILLE QUOD ACCIPIAT. — Pro *ergo* Græca habent γάρ, id est *enim*, sed docte Intepres non verbum verbo, sed sensum reddidit, *q. d.* Ne quis hæsitet postulans, similisque sit fluctui maris; si enim talis sit, edico illi quod nihil accipiet. Hoc autem est id, quod clare et cum emphasi dicit Interpres : « Non ergo æstimet homo ille quod accipiet : » Adde Græcum γάρ, et Latinum *enim*, multa significare, nimirum *utique, profecto, enimvero, certe, nimirum, quidem, igitur* : et omnibus his modis hic verti potest, quæ omnia Noster complexus est, vertendo *ergo*. Sic *enim* latine, subinde inchoat sententiam, idemque videtur esse quod *ergo*, ut apud Plautum in *Trinummo* : « Enim me nominat; » et in *Persa* : « Enim non ibis; » et in *Mil.* : « Enim cognovi nunc. » Denique hebraizat S. Jacobus. Hebraice enim ו *ve* (ut vertit Syrus), id est *et*, significat *enim, quia, certe, utique, igitur*, etc. Est argumentum a contrario, *q. d.* Postulet in fide; sic enim impetrabit : quia qui postulat hæsitans et diffidens, nil impetrabit. Nam sola oratio fidens et constans meretur impetrare quod petit.

Nota : Loquitur S. Jacobus de acceptione et impetratione quantum est ex vi, et quasi merito orationis. Nam alioqui Deus subinde ex sua liberalitate supplet fidei et fiduciæ defectum, ac hæsitantibus postulata largitur, uti largitus est regulo dubitanti an Christus absens filium absentem curare posset, multo magis an mortuum posset resuscitare, *Joan.* cap. IV, vers. 49. Absens enim eum curavit, ut hanc illi de se fidem et spem insereret, se nimirum esse Filium Dei omnipotentem, Messiam, Salvatorem mundi. Hæc enim fides tum in mundo erat nova, recens et inaudita : unde a Christo miraculis probanda et confirmanda erat, uti notat S. Gregorius, hom. 28 *in Evang.* Eadem de causa curavit lunaticum post increpationem incredulitatis : « O generatio, ait, incredula et perversa, quousque ero vobiscum? usquequo vos patiar? » *Matth.* XVII, 17.

Vers. 8. 8. VIR DUPLEX ANIMO. — Spectat hoc ad præcedentia (1) : unde S. Petrus apud S. Clementem, lib. VII *Constit.*, cap. XII, huc alludens ait : « Ne sis in precatione tua duplici animo, ambigenti utrum sit futurum, an non. Mihi enim Petro dixit Dominus in mari : Modicæ fidei, quare dubitasti? » Et S. Ignatius, epist. 13 *ad Hieronem* : « Ne, ait, sis duplici animo in precatione tua : beatus enim qui non ambigit. » Unde Syrus vertit, *vir divisus animo*, id est dubius, græce δίψυχος, id est *bianimis*, duas quasi habens animas. Qui enim dubitat et hæsitat, videtur habere duas animas : unam, qua sperat futurum id quod petit, alteram qua diffidit et desperat; unam, qua credit Deum potentem et misericordem, alteram qua credit eum severum, nec facturum id quod petitur. Opponitur hæc duplicitas simplicitati, qua fidelis in uno Deo fidem suam et spem firmiter locare et figere debet. Rursum duplex animo, est timidus et irresolutus, qui ex timore animum habet divisum, ut in ærumnis spem nunc ponat in Deo, nunc in homine, dum nunc Dei, nunc, quasi a Deo desertus, hominum opem implorat. Δίψυχος quatuor notat.

Secundo, δίψυχος, id est, *bianimis* et *bicors*, dicitur, qui animum et cor partim Deo et cœlo, partim mammonæ et terræ, partim virtuti, partim vitio et cupiditati affigit. Hujus enim animus in duo distantissima dividitur, et quasi discerpitur in duos. Ita Œcumenius. Tangit ergo S. Jacobus hic radicem mali, puta hæsitationis in oratione. Ideo enim hæsitantes fluctuant fide et spe in orando, quia fluctuant mente, dum simul volunt placere Deo et mundo, simul amare cœlestia et terrena, simul gaudere bonis præsentibus et futuris; hos redarguit Christus, *Matth.* VI, 24, dicens : « Nemo potest duobus dominis servire, etc. Non potestis Deo servire et mammonæ. » Non potestis uno oculo cœlum, altero terram spectare. Opponitur hæc duplicitas simplicitati affectus et amoris, quæ totum cor et amorem in uno Deo et virtute collocat. Porro radix hujus duplicitatis est varietas, imo contrarietas affectuum, quæ oritur ex eo, quod anima hominis partim sit rationalis, partim sensitiva : quatenus enim rationalis est, amat bonum honestum; quatenus sensitiva, bonum delectabile, quod sæpe honesto repugnat. Unde nonnulli Philosophi videntes in homine tantam contrarietatem affectuum et amorum, ex ea collegerunt in homine esse duas animas sibi invicem contrarias, unam rationalem, qua communicat cum angelis; alteram animalem, qua communicat cum bestiis. Verum hic est error. Secundo.

Tertio, δίψυχος, id est *bianimis*, vel *duplex animo*, est levis et mutabilis instar polypi, vel chamæleontis, qui omnium rerum quibus se applicat, colores in se suscipit. Hæc enim levitas est mater inconstantiæ, de qua subdit S. Jacobus dicens : « Inconstans est in omnibus viis suis. » Hæc Tertio.

(1) Imo versus 7 et 8 uno spiritu legendos sublato puncto post *Domino*, et substituto commate, aliqui volunt, ut sensus sit : Talis homo, animo duplex, fluctuans in omnibus actionibus suis, non existimet se aliquid acceptum esse a Domino.

levitas quoque parit hæsitationem in oratione, de qua præcessit sermo. Unde Cassianus, lib. VII *Instit.*, cap. XV, et S. Bernandus, *epist.* 99, hanc Jacobi sententiam applicant apostatis, qui habitum Religionis quem susceperunt, ex levitate excutiunt et ad sæculum redeunt. Opponitur hæc duplicitas constantiæ, qua quis simpliciter, absolute et constanter rectæ rationi et bono honesto sanctoque adhæret (1).

Quarto. *Quarto*, δίψυχος, id est *bianimis*, est hypocrita, parasitus, omnisque vafer et versipellis. Hic enim duplex habet cor, unum verum, alterum fictum. Nam, v. g. fingit se Deum amare, cum amet scelera; fingit se fidelem et pium, cum sit impius et infidelis. Tales sunt Hæretici, item Politici, qui cum Catholicis sunt Catholici, cum hæreticis hæretici, cum atheis athei. Item qui cum castis sunt casti, cum incestis incesti, cum sobriis sobrii, cum ebriis ebrii : suum enim pallium ad omnem ventum obvertunt. Hi sane exosi sunt Deo, ac proinde eorum orationes, ob hypocrisim et impietatem, Deo sunt execrabiles. Opponitur hæc duplicitas simplicitati, id est sinceritati : huic enim adversatur hypocrisis.

Hypocrita habet duo corda. Tales quoque sunt bilingues et adulatores, de quibus *Psalm.* XI, 2 : « Labia dolosa in corde et corde, » id est, duplici corde, « locuti sunt. » Unum enim cor habent in ore, melleum et adulatorium, alterum in mente felleum et hostile. Unde horum symbolum est perdix, avis dolosa, uti ostendi *Jerem.* XVII, 19 et 20, quam in Paphlagonia vere habere duplex, vel bifidum cor, tradit Plinius, lib. XI, cap. III, et Gellius, lib. XVI, cap. XV.

Bilingues ergo sunt bicordes, ideoque bicorpores, imo bicornes; sinceri vero et simplices sunt unanimes, unicordes, unicorpores, unilingues, ideoque fortissimi et invicti quasi unicornes, Hoc optabat Psaltes, dicens *Psal.* LXXXV, 11 : « Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum; » pro *lætetur*, hebraice est יחד *iached*, id est, *unicum*, aut *unitum fac cor meum*, ut vertunt Symmachus et S. Hieronymus, ut scilicet tibi uni adhæreat, itaque tibi uniatur tecumque fiat unum. Nam, ut ait S. Gregorius, part. III *Past.*, cap. XII : « Deus cum simplicibus sermocinari dicitur, quia de supernis mysteriis illorum mentes radio suæ visitationis illuminat, quos nulla umbra duplicitatis obscurat. » Quocirca recte S. Athanasius, epist. *De Nicæna Syn.*, hanc S. Jacobi sententiam præ cæteris ascribit Arianis hæreticis, « qui nunquam, ait, unam eamdemque sententiam, sed alias aliam fovent, dictaque sua nunc laude, nunc vituperio prosequuntur; ut quod jam probarint, e vestigio damnent. » Nimirum hæresis, quia falsa, inconstans est semperque variat, sicut ex adverso fides, quia vera, constans est semperque sui similis, imo eadem ubique. Ergo :

Ut quid tot fidibus luditur una fides?

Moraliter hanc animi duplicitatem, duplicumque leges, mores et actus graphice depingit S. Gregorius, lib. X *Moral.*, cap. XXVII : « Deridetur, ait, justi simplicitas : hujus mundi sapientia est, cor machinationibus tegere, sensum verbis velare, quæ falsa sunt vera ostendere, quæ vera sunt falsa demonstrare. Hæc nimirum prudentia usu a juvenibus scitur, hæc a pueris pretio discitur : hanc qui sciunt, cæteros despiciendo superbiunt : hanc qui nesciunt, subjecti et timidi in aliis mirantur : quia ab eis hæc eadem duplicitas iniquitatis munimine palliata diligitur, dum mentis perversitas, urbanitas vocatur; hæc sibi obsequentibus præcepit, honorum culmina quærere, adepta temporalis gloriæ vanitate gaudere, irrogata ab aliis mala multiplicius reddere; cum vires suppetunt, nullis resistentibus cedere; cum virtutis possibilitas deest, quidquid explere per malitiam non valent, hoc in pacificata bonitate simulare. »

INCONSTANS EST IN OMNIBUS VIIS SUIS, — puta in omnibus actionibus et sermonibus suis, *q. d.* Origo hæsitationis in oratione est duplicitas animi; qui enim hanc habet, in omnibus actionibus suis hæsitat, estque inconstans.

Pro *inconstans* græce est ἀκατάστατος, id est confusus, incompositus, inconstans, instabilis, turbatus, infirmus. Unde ἀκαταστασία est seditio, inconstantia, tumultus, confusio, turbatus rerum ordo. Huic opponitur ἀκατάσειστος, id est inconcussus, firmus, compositus, constans, stabilis.

9. GLORIETUR AUTEM FRATER HUMILIS. — Et si non sit necesse omnes Jacobi sententias inter se connectere, cum more epistolari variæ sint et disparatæ, tamen nonnulli hanc connectunt cum versu proxime præcedenti, quasi humilem opponat duplici, qui ad magna contendit, ideoque est superbus, *q. d.* Glorientur superbi et duplices in sua præsenti superbia, sed caduca et brevi duratura : at vero humilis et simplex glorietur in exaltatione sui futura, sed duratura in sempiternum. A duplicitate ergo gradum fecit, transitque ad ei connexam superbiam et opulentiam, eique opponit paupertatem et humilitatem : idque satis videtur appositum. Vers. 9.

Alii aptius et concinnius hoc remotius referunt ad vers. 1 : « Omne gaudium existimate, fratres, cum in varias tentationes incideritis, » quasi hic a thesi ad hypothesin, a genere ad speciem vel exemplum, puta a tribulatione ad paupertatem et abjectionem, qua premebantur primi Christiani, descendat et transeat S. Jacobus. Præcipua enim tribulatio primorum fidelium erat paupertas, tum quia sponte bonis se abdicarant, eaque posuerant ad pedes Apostolorum, *Act.* IV, 34, idque perfectionis studio; tum quia a Judæis Christianos per-

(1) Δίψυχος, « qui nec velle, neç nolle quidquam dici potest, quemque modo consilii pœnitet, modo pœnitentiæ ipsius, » ut Q. Curtius loquitur.

sequentibus, bonis suis erant spoliati. Hoc enim est quod ait Apostolus *Hebr.* X, 34 : « Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis. » Hos ergo hic consolatur, et ad constantiam animat. Unde sicut vers. 1 dixit : « Omne gaudium existimate : » ita hic simili modo, imo amplius dicit : « Glorietur, » *q. d.* Non tantum gaudeat, sed et glorietur fidelis in tribulatione, v. g. in abjectione et paupertate. Unde materiam hanc concludens subdit : « Beatus vir qui suffert tentationem. » Glorietur ergo humilis et pauper, quia conformis est Christo humili et pauperi : humilitas enim et paupertas honorata, et gloriosa effecta est per Christum, adeoque regum opibus et splendore illustrior. Christi enim vox est : « Discite a me, quia mitis sum et humilis corde, » *Matth.* XI. *Secundo,* « glorietur humilis, » quia humilitas scala est cœli, viaque certa ad exaltationem, de quo mox plura.

Frater pro Christiano.

FRATER, — id est Christianus. Omnes enim Christiani fratres sunt, quia eumdem habent patrem Christum, eamdem matrem Ecclesiam, eodem baptismo quasi utero renati sunt, eamdem hæreditatem cœlestem exspectant; quia, ut ait Tertullianus *Apol.* XXXIX : « Unum patrem Deum agnoverunt, qui unum spiritum biberunt sanctitatis, qui de uno utero ignorantiæ ejusdem, ad unam lucem expaverunt veritatis. »

HUMILIS, — ταπεινός, id est, *abjectus,* puta pauper : hebræum enim עני *ani* et *abjectum* sive humilem, et *pauperem* significat. Hæc enim duo ordinarie conjuncta sunt. Unde humili S. Jacobus opponit divitem, dicens : « Dives autem in humilitate sua, » *q. d.* Dives, ideoque superbus et gloriosus. « Vermis enim divitiarum est superbia, » ait S. Augustinus, serm. 5 *De Verbis Domin. secundum Matthæum.* » Et S. Bernardus *De Convers. ad Cleric.,* cap. XXX : « Quidni, ait, periclitetur castitas in deliciis, humilitas in divitiis, pietas in negotiis, veritas in multiloquio, charitas in hoc sæculo nequam? » Sic vicissim humiles per pauperes significat Christus dicens, *Matth.* cap. V, vers. 3 : « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. » Hoc Jacobus aliis verbis dicit : « Glorietur humilis in exaltatione sua. »

Porro ταπεινὸς significat tum vilem et abjectum, tum humilem sive humilitatis virtute præditum : hic utrum includit. Significat enim abjectum, qui suam abjectionem ex virtute tolerat, eamque humiliter suscipit et capessit. Tali enim gloriari licet in sui exaltatione : alioqui qui in ea indignatur, aut est animo tumido et superbo, exaltationem sperare nequit, sed potius confusionem et abjectionem majorem. Talis enim Deo et hominibus est odibilis, juxta illud *Ecclesiastici* XXV, 3 : « Tres species odivit anima mea, et aggravor valde animæ illorum : pauperem superbum, divitem mendacem, senem fatuum et insensatum. » Ita Œcumenius, Dionysius et alii.

Nota : Dicit hæc Jacobus, quia communis primorum Christianorum tentatio et tribulatio fuit quod ubique despicerentur, quasi viles et abjecti, idque *primo,* quia ipsi pauci erant, pauperes et paupertatis studiosi : spernebant enim opes terrenas, ut acquirerent cœlestes. *Secundo,* quia vestitu modesto et simplici utebantur. Unde Lucianus in *Philopatro* ita Christianum pingit et ridet : « Pallium putre, sine calceis et tegmine, capite nudo incedens, detonsa coma. » *Tertio,* quia in verbis, omnique motu et gestu præ se ferebant humilitatem et modestiam. *Quarto,* quia christianismus tunc habebatur secta nova, vilis, abjecta, ideoque exosa mundo, puta Gentilibus et Judæis : et talis etiamnum habetur apud multos Japones et Indos.

IN EXALTATIONE SUA. — Noster Serarius tripliciter hoc explicat. *Primo, q. d.* Humilis si contingat eum exaltari, humiliter se gerat, et in hac sua humilitate glorietur. *Secundo, q. d.* Humilis glorietur in sua humilitate, quia humilitas per Christum facta est sublimitas, summeque Christianum celebrat et exaltat. *Tertio, q. d.* Humilis glorietur in sua abjectione, quia hæc erit ei causa summæ exaltationis, ut metonymice ponatur effectus pro causa, sive merces pro merito, nimirum exaltatio pro humiliatione, quæ meretur et causat exaltationem. *Quarto,* simplicius et germanius, *q. d.* Humilis glorietur in sui exaltatione, quam certo exspectat, hanc enim Deus humilibus promisit, ideoque eam præstat sæpe in hoc sæculo, et semper in futuro. Æterna enim justaque Dei sanctio est : « Qui se exaltaverit, humiliabitur; et qui se humiliaverit, exaltabitur, *Matth.* XXIII, 12. Unde canit B. Virgo : « Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles, » *Lucæ* I, 52.

Deus humiles exaltat. Exempla.

Ita Saul humilis evectus est ad regnum, sed superbiens vita cum regno privatus est. Unde audivit a Samuele : « Numquid cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es? » I *Regum* XV, 17.

Sic David ex pastore ovium factus est rex.

Sic B. Virgo humilitate sua meruit fieri mater Dei : « Quia respexit, inquit, humilitatem ancillæ suæ, » *Luc.* I, 48. « Proprium enim opus Dei est alta sternere, humilia erigere, » ut ait Philosophus.

Ita S. Franciscus, quia infra omnes homines se dejecit, supra omnes evectus est. Narrat S. Bonaventura in ejus Vita, virum sanctum vidisse thronum in cœlis sublimem et gloriosum, cumque quæreret, cujusnam ille esset? audisse : « Sedes hæc unius de ruentibus fuit, et nunc humili servatur Francisco. »

Ita Deus exaltavit vilem et humilem S. Equitium, ut narrat S. Gregorius, lib. I *Dialog.,* cap. IV.

Ita sancta illa virgo in monasterio Tabennesiotarum stultam se simulans, ideoque vilis et despecta, ut totius domus videretur esse spongia, ab Abbate Piterio jussu angeli declarata et celebrata

est omnium sanctissima et sapientissima, idque ob humilitatem duntaxat. « Nunquam enim cum cæteris mensæ assedit, sed micas tantum ex ea detergens, et abluens ollas, his solis alimoniis contenta vivebat; nunquam calceamentis usa est, nulli unquam fecit injuriam; nulla ipsius murmur audivit, cum tamen ab omnibus cæderetur, et omnium irrisiones et maledicta tacens sustineret. » Ita Heraclides in *Paradiso*, cap. XXI, et Palladius in *Lausiaca*, cap. XLI.

Ita S. Antonio revelatum est coriarium quemdam eo esse sanctiorem, qui omnes se sanctiores cœloque dignos, se autem solum ob peccata inferno dignum, reumque æstimabat. Ita *Vitæ Patrum*, lib. VII, cap. XV.

Elogia humilitatis.

Ibidem cap. XIII, prisci illi patres hæc humilitati dant elogia : « Humilitas est arbor vitæ in altum excrescens. Perfectio hominis est humilitas. Humilitas nec ipsa irascitur, nec alios irasci permittit. Terra in qua Deus dixit sibi sacrificium offerri, humilitas est. Omnis labor sine humilitate vanus est. Humilitas enim præcursor est charitatis; sicut Joannes præcursor erat Jesu, omnes trahens ad eum : ita et humilitas attrahit ad charitatem, id est, ad ipsum Deum, quia Deus charitas est. Quantumcumque se deposuerit homo in humilitate, tantum quoque proficit in altum. Sicut enim superbia, si ascenderit in cœlum, usque ad infernum deducitur : ita et humilitas, si descenderit ad infernum, tunc exaltabitur ad cœlum. Ibidem Abbas Macarius audit a diabolo : « Magnam vim a te patior, Macari, qui cum te cupio nocere, non possum. Tu sæpe jejunas et vigilas, ego semper; sed una re me vincis. » Rogante Macario, « Qua? ait : Humilitas tua sola me vincit. »

S. Bernardus, tract. *De 12 gradibus humilitatis*, docet scalam Jacob a terra in cœlum porrectam, significare humilitatem, qua per duodecim ejus gradus ad Deum ascendimus. « Et Dominus desuper innixus apparuit, quia in culmine humilitatis constituitur cognitio veritatis. » Idem, serm. 27 *in Cantic.* : « Quid, inquit, voluntaria paupertas, quid humilitas? nonne altera regnum æternum, altera æque exaltationem promeretur æternam? » Idem in *Annuntiat. Domini*, serm. 3, docet Christum e cœlis in terram et uterum B. Virginis descendisse, « ut omnes ejus paupertate locupletemur, ejus humilitate sublevemur, ejus minoratione magnificemur, ejus incarnatione adhærentes Deo incipiamus esse unus spiritus cum eo. » Idem *De Modo bene vivendi*, cap. XXXIX : « Quanto humilior fueris, tanto te major sequetur gloriæ altitudo. Descende ut ascendas, humiliare ut exalteris, ne exaltata humilieris. Humilitas casum nescit, scit ascensum. » Quare idem alibi graviter arguit fatuitatem hominum qui per fastum ascendere volunt, cum ad ascensum non sit alia via, quam humilitas et descensus, eaque facillima.

Vers. 10. 10. DIVES AUTEM IN HUMILITATE SUA,—ταπεινώσει, id est, *humiliatione, abjectione* sui. Varii varie hoc exponunt. *Primo* aliqui censent esse ironiam. *q. d.* Dives, si lubeat, glorietur in suis divitiis, sed sciat certe se iis brevi privandum et humiliandum. Ita Beda, Thomas Anglicus, Hugo, Lyranus, Dionysius, Gagneius.

Secundo, alii, *q. d.* Dives, si bonis suis spolietur ab hoste, aut naufragio aliove casu privetur, hanc humiliationem et jacturam patienter ferat, eamque cum gaudio suscipiat, adeoque in ea glorietur.

Tertio, alii, quasi dicat : Dives, etiamsi opibus affluat, non tamen iis superbiat, nec insolescat, sed in humilitate se contineat, memor illas instar floris marcescere, et instar fœni statim exarescere, id est, diffluere et deperire. Ita Vatablus, Cajetanus, Salmeron et alii.

Quarto, OEcumenius subaudit verbum *humilietur*, vel *confundatur*, pudefiat, et demisse de se sentiat, ut sit antithesis, *q. d.* Humilis glorietur in spe suæ exaltationis, dives autem confundatur in humiliatione, quæ illi parata est, quamque certo exspectare debet. Tacuit autem Jacobus τὸ *confundatur* ex modestia. Hic sensus est nervosior, eumque poscere videtur antithesis humilis, sive pauperis et divitis in sorte, quæ contraria alterutri obveniet. Item id quod sequitur : « Quoniam sicut flos fœni transibit, etc. Dives in itineribus suis marcescet. » Ariditas ergo et marcor est humilitas, id est confusio divitis. Ita dives Epulo humiliatus est, cum sepultus est in inferno : Lazarus vero mendicus elevatus est ad sinum Abrahæ, *Luc.* cap. XVI, vers. 22. Vere Seneca in *Hercul. Furente* : « Sequitur superbos ultor a tergo Deus. »

Taxat S. Jacobus hac sententia maxime Gentiles et Judæos, qui opibus studebant et gloriabantur; ideoque Christianos pauperes et censu et spiritu aspernabantur, imo persequebantur, bonisque et vita spoliabant.

QUONIAM SICUT FLOS FOENI TRANSIBIT, — quasi dicat : Ideo humilietur dives in humiliatione sui futura, quia scilicet, sicut flos fœni transibit, nimirum ipse dives, uti legit S. Augustinus in *Speculo*, non humilitas ejus : hæc enim in inferno semper perdurabit. Notat OEcumenius divitis opes et gloriam hic comparari, non fœno, sed flori fœni, qui speciem habet et splendorem, sed citius quam ipsa viridis herba fœni a sole siccatur, arescit et decidit : pari enim modo divitum opes splendorem habent et gloriam, sed iis a Deo privantur illico, transeunt et evanescunt, uti graphice describit S. Ambrosius, lib. V *Hexam.*, VII, Sic Poeta juventutem brevemque hominis vitam comparat flori, dicens :

Opes et gloria sunt quasi flos fœni. Primo.

Collige virgo rosas, dum flos novus, et nova pubes,
Et memor esto ævum sic properare tuum.

et Virgilius in carm. *de Rosa* :

Quam longa una dies, ætas tam longa rosarum.

hinc *hemerocallis,* id est, uno die pulchra, dicitur; et Mantuanus :

Mirabar celerem fugitiva ætate juventam,
Et dum nascuntur consenuisse rosas.

Plinius, lib. XVI, cap. XXV : « Flos, ait, est pleni veris indicium et anni renascentis, flos gaudium arborum. Tunc se novas aliasque quam sunt, ostendunt : tunc variis colorum picturis in certamen usque luxuriant. Idem lib. XXI, cap. I, docet flores esse lusum lascivum et picturam naturæ, eosque sua fragilitate et modica duratione hominem admonere mortis. « Quippe reliqua, inquit, usus alimentique gratia genuit natura; ideoque sæcula annosque tribuit iis : flores vero odoresque in diem gignit : magna (ut palam est) admonitione hominum, quæ spectatissime floreant, celerrime marcescere. »

Secundo. *Secundo,* sicut herba viridis, alias dulcis, si exarescat, fiatque fœnum, amarescit : qua de causa eam secandam antequam arescat, jubet Cato, et ex eo Plinius, lib. XVIII, cap. XXVIII : ita ubi divitis gloria transierit, amara est ejus memoria et recordatio.

Tertio. *Tertio,* sicut sol suo æstu illico florem arefacit : ita incendium, rapina, naufragium, aliusve similis casus et infortunium subito aufert diviti opes et gloriam.

Quarto. *Quarto,* sicut flos et herba fœni resecta, renascitur quotannis in vere et autumno; unde Varro, lib. IV *de Lingua Latina,* et Festus censent fœnum dictum a fœnore, quod quotannis in pratis novum fœtum pariat : ita divitiæ et gloria ab uno divite sublatæ, transeunt ad alium, in eoque quasi renascuntur et repullulant, ab hoc iterum brevi transituræ ad alium et alium.

Quinto. *Quinto,* sicut flos oculos duntaxat suo colore pascit, nullum vero habet fructum, quo os et ventrem impleat : ita divitiæ oculos avari pascunt, mentem non satiant. Quocirca Sapiens cap. V, vers. 8, impiorum res et spes comparat umbræ, nuntio, navi, avi transvolanti, sagittæ emissæ, lanugini, spumæ et fumo. « Quid nobis, inquiunt, profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra, et tanquam nuntius percurrens, et tanquam navis quæ pertransit fluctuantem aquam, cujus cum præterierit, non est vestigium invenire, neque semitam carinæ illius in fluctibus : aut tanquam avis, quæ transvolat in aere, cujus nullum invenitur argumentum itineris, sed tantum sonitus alarum verberans levem ventum, et scindens per vim itineris aerem, commotis alis transvolavit, et post hoc nullum signum invenitur itineris illius : aut tanquam sagitta emissa in locum destinatum, divisus aer continuo in se reclusus est, ut ignoretur transitus illius : sic et nos nati continuo desivimus esse; et virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere, in malignitate autem nostra consumpti sumus. Talia dixerunt in inferno hi qui peccaverunt : quoniam spes impii tanquam lanugo est, quæ a vento tollitur; et tanquam spuma gracilis, quæ a procella dispergitur; et tanquam fumus, qui a vento diffusus est; et tanquam memoria hospitis unius diei prætereuntis. Justi autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum, et cogitatio illorum apud Altissimum. »

Sexto, idem flos colorem mutat, idque subinde per diem sæpius. « Sic polii folia mane candida, meridie purpurea, sole occidente cærulea, aspiciuntur, » ait Plinius, lib. XXI, cap. VII. Pari modo opes et deliciæ speciem saporemque mutant, ac pro gustu divitis aliter aliterque sapiunt : famenti melleæ, saturo felleæ videntur, suique fastidium ingerunt. Sexto.

Septimo, florum tres præcipui sunt colores : coccineus in rosa, ianthinus in viola, purpureus in iride. Hos tres colores ars imitatur in vestibus quas divites nunc tingunt gestantque coccineas, nunc ianthinas, nunc purpureas, ait Plinius, lib. XXI, cap. VIII. Hi tres colores repræsentant pariter tres opum interemptores, nimirum coccineus ignem et incendium, violaceus aquam et naufragium, purpureus cædes et rapinas. Opes enim vel pereunt incendio, vel naufragio, vel rapina. Septimo.

Octavo, arbores et herbæ in flore sibi invicem succedunt. « Primo enim floret amygdalus, deinde pyrus, cerasus, prunus. Sequitur laurus, illamque cupressus; deinde punica, fici. Floret autem solstitio vitis, et quæ paulo serius incipit olea. Deflorescunt omnia septem diebus, » ait Plinius, lib. XVI, cap. XXV. Sic merces divitum sibi invicem succedunt in flore, usu et pretio; sed omnes septenis, id est paucis, diebus deflorescunt, perduntque florem, usum et pretium. Octavo.

11. EXORTUS EST ENIM SOL CUM ARDORE, — tum mane, tum potius meridie : tunc enim ardet, præsertim cum est in cancro, vel leone. Vers. 11.

ET DECOR VULTUS EJUS DEPERIIT. — Vultum floris metaphorice vocat, ejus formam et speciem. Sic decor vultus divitis, ejusque opum, est splendor vestium, lautitia mensæ, fulgor domus et suppellectilis, pompa ministrorum, amicorum et asseclarum, et, ut ait Thomas Anglicus, humana gratia et favor. Omnes enim divitis gratiam ambiunt, eique applaudunt : sed hæc omnia instar floris cito decidunt.

ITA ET DIVES IN ITINERIBUS SUIS (recte : hoc enim significat Græcum πορείαις. Aliqui legunt πορίαις, id est, *divitiis* et *copiis* suis. Porro « itinera » divitis sunt, tum ejus actiones, occupationes, recreationes; tum modi et viæ quibus ad opes, honores et gloriam contendit, imo currit, atque in quibus gloriose incedit, vivit et triumphat, quasi dicat : Dives in sua opulentia, splendore et gloria) MARCESCIT. — Syrus ܚܘܡܐ *chuma,* id est, arescet instar floris. Marcor enim est languor, putredo, consumptio, tabes, quæ sæpe a febri et calore, humidum radicale depascente et arefaciente, pro-

venit, uti patet in phthisicis et hecticis. Similem ergo opum et gloriæ suæ tabem, phthisim et hecticam sive ab hoste, sive a morte, sive a fure, etc., exspectent divites. Unde S. Augustinus in *Psal.* LII, citans dictum impiorum *Sapient.* II, *Coronemus nos rosis antequam marcescant* : « Quid delicatius, inquit, quid lenius? Sperares de hac lenitate cruces, gladios? noli mirari, lenes sunt et radices spinarum. Si quis eas contrectet, non pungitur; sed quo pungeris, inde nascitur. »

Vers. 12. 12. BEATUS VIR QUI SUFFERT TENTATIONEM. — Est hæc conclusio dictorum de tentatione a vers. 1 hucusque. Quænam et quotuplex hic intelligatur *tentatio,* dixi vers. 1, nimirum tentatio est persecutio et quævis tribulatio, quin et tentatio proprie dicta, quam vel concupiscentia, vel dæmon suscitat. Quisquis enim hanc constanter suffert, ut ei non cedat, accipiet coronam vitæ : ita Theodoretus Studita, *epist.* LIX et CXVIII, et Hesychius, lib. II *in Levit.*, cap. VII. Porro hæc sententia Jacobi est antistropha sententiæ Christi, qua ait : « Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur, etc. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, » *Matth.* V, vers. 5 et 10. Patiens ergo sufferens tentationem, dolorem et persecutionem est beatus, tum in re, ob virtutem patientiæ, quæ est summum bonum et beatitudo hujus vitæ, ut dixi vers. 1; tum in spe, ob coronam vitæ ei repositam in cœlis. Hinc et vocatur « vir, » a virili animo, virtute et virore sustinendi omnia. Nam, ut ait Plinius, lib. XI, cap. XLIX : « Mares in omni genere fortiores sunt, præterquam in pantheris et ursis. » Sub voce *vir,* et feminæ quæ generose adversa sufferunt, intelliguntur : hæ enim sunt viragines, imo viri, quia viros virtute vicerunt et etiamnum vincunt. Tales fuere S. Agnes, S. Cæcilia, S. Agatha cæteræque omnes, quæ pro Christo et virginitate gloriosum obiere martyrium. Hos mundus vocat miseros, sed Christus et Jacobus beatos.

Τοῦ *viri* etymon.

Nota : *Suffert,* inquit Hugo, idem est quod *sub Deo fert,* vel *sursum fert.* Verum Græce est ὑπομένει, id est sustinet, suffert, perfert, durat, perstat, moram tolerat, perseverat, præstolatur, exspectat, persistit : inde enim ὑπομονὴ vocatur patientia, non quævis, sed quæ conjunctam habet perseverantiam cum spe, qua nimirum toleramus mala per patientem exspectationem, dum scilicet spe præmii duramus in malis, et nos rebus melioribus servamus, uti dixi vers. 3. Patiens ergo si perseveret, est velut incus, ut ait S. Nazianzenus, in *Distichis,* quæ omnes malleorum ictus constanter suffert, nec cedit; et velut rupes, quæ omnes maris fluctus excipit et repellit, et, ut ait Horatius, lib. IV, ode IV :

> Duris ut ilex icta bipennibus, etc.
> Per damnâ, per cædes, ab ipso
> Ducit opes animumque ferro.

Vere Cassianus, *Collat.* XVIII, cap. XIII : « A passionibus et sustentatione, ait, patientiam dici nullus ignorat, ideoque constat patientem pronuntiari neminem posse, nisi eum qui universa quæ sibi fuerint irrogata, absque indignatione toleraverit; » et inferius : « Neque enim esset alicujus laudabilis fortitudo, si vinceret intentatus; cum utique victoria locum habere non possit, absque adversitate certaminum. Beatus enim vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. »

Plutarchus in *Lacon.* mira scribit de sufferentia puerorum Laconum. « Pueri, ait, apud Lacedæmonios in ara Dianæ, cui ab indejicibili virtute cognomen Orthia, flagellis quotannis stato festo ex more totum diem cædebantur, itaque frequenter durabant ad mortem usque hilares ac læti, concertantes inter se de victoria, quis ipsorum diutissime fortissimeque toleraret verbera : unde nec gemitum, nec vocem dabant, nec scapulas aut corpus contrahebant, tantum ad hoc, ut victoriæ hujus nomen et decus obtinerent. » Quid jam faciat fidelis, cui non insanæ tolerantiæ ostentatio, et modica hominum laus, sed æterna in cœlis gloriæ corona, ac laus a Deo, Angelis et hominibus pro sufferentia promittitur?

Pro gloria æterna pati est facile. Exempla.

Quocirca S. Athanasius per 46 annos persecutiones Arianorum, ac totius pene orbis, invicto animo sustinuit. « Scio, ait ipse orat. 1 *Contra Arianos,* præmium his qui sustinent, retribuendum esse a Salvatore, et quod vos ubi sustinueritis, habebitis gloriam, qua dicere licebit : Fidem servavimus. Recipietis autem coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. »

Et S. Basilius præfecto Valentis imperatoris minanti mortem ni Arianis consentiret, intrepidus respondit : « Utinam mihi aliquid esset digni muneris, quod offerrem huic, qui Basilium citius de nodo follis hujus absolveret, ut ad Deum evolaret! » Ita *Histor. Tripart.,* lib. XI, cap. IX.

Constantius Imperator minabatur abscissionem dexteræ Eusebio Samosateno, ni traderet decretum Arianorum contra Meletium factum; mox Eusebius ambas manus porrexit, inquiens : Decretum non dabo. Ita eadem, lib. V, cap. XLIX.

S. Lucius ob fidem damnatus ab Urbicio, cum ad supplicium duceretur : « Gratias ago, ait, quod me nequissimis dominis absolutum ad summum cœli regem mittas. » Ita Eusebius, lib. IV, cap. XVII.

Simeon Stylites in columna stetit per multos annos, patiens frigus, æstum, ventos, pluviam, famem, etc., immoto corpore et animo : quia assidue cœlum spectabat. Ita Theodoretus in ejus Vita.

Valens Imperator per præfectum Edessæ orthodoxos octoginta cogere volebat ad fidem abnegandam. Cum ergo diceret Elogio : « Communica possidenti regnum; » respondit : « Et mihi regni quoque ac sacerdotii consortium est. » Ita *Tripart.* lib. VII, cap. XXXIII.

S. Dionysia, matrona nobilis, cum ab Hunerici ministris acriter cæderetur, et rivi sanguinis toto jam corpore fluitarent, libera voce dixit : « Ministri diaboli, quod ad opprobrium meum facitis, ipsa est laus mea. » Ita Victor Uticensis, lib. III *Wandal.*

Abbas Alexander cuidam sentienti acediam et tædium in solitudine, dixit : « Istud, fili, signum est, quia nec regnum cœlorum, nec æternum cruciatum in mente habes. Nam si ista sollicita intentione cogitares, nullam in cella tua acediam sentires. » Ita Joannes Moschus in *Prato spirituali*, cap. XCII.

Abbas Joannes in *Vitis Patrum*, lib. VII, cap. IV, n. 12, dicebat : « Porta cœli est injuriarum perpessio, et patres nostri per multas injurias in eam gratulantes, ingressi sunt. » Nam, ut ait S. Augustinus, lib. X *De Civit.*, cap. VI : « Ipse homo, inquit, Dei nomini consecratus et Deo devotus, in quantum mundo moritur, ut Deo vivat, sacrificium est. » Idem in *Psalm.* CXVIII, concione 23, loquens de martyribus ait : « Multi pati voluerunt, neque potuerunt : nulli tamen potuerunt, nisi qui voluerunt, etc., quia non est eis gloria temporalis hominum vana quærentium, sed æterna gloria est brevi tempore patientium et sine fine regnantium. Unde sequitur : Quoniam exultatio cordis mei sunt; et si afflictio corporis, exultatio tamen est cordis. »

Patientia ergo et patiens est quasi palma, quæ quantavis ei pondera imponas, « non deorsum cedit, ait Gellius, lib. III, cap. VI, nec intra flectitur, sed adversus pondus resurgit, et sursum nititur recurvaturque. » « Propterea, ait Plutarchus, in certaminibus palmam signum esse placuit victoriæ : quoniam ingenium ejusmodi ligni est, ut urgentibus opprimentibusque non cedat. » Id sapiebat Germanorum sapiens P. Petrus Canisius, qui in omnibus morbis et adversis benedicebat Deum, dicens : « Benedictus sit fons ille bonorum, per quem augetur senibus torpor, fastidium, oblivio, incuria, modestia, etc., quæ nos in fragili tabernaculo habitare, et ad meliorem vitam tendere hortantur. » Ita refert in ejus Vita P. Sacchinus, lib. III, pag. 375.

QUONIAM CUM PROBATUS FUERIT, — cum scilicet per multam patientiam fuerit exploratus, purgatus, expolitus et perfectus, ut dixi cap. III. Nam, ut ait *Eccli.* II, 3 : « In igne probatur aurum et argentum, homines vero receptibiles in camino humiliationis. » Et *Sapiens* III, 6 : « Tanquam in fornace probavit illos, et quasi holocausti hostiam accepit illos, etc., invenit illos dignos se. »

ACCIPIET CORONAM VITÆ. — Nam, ut ait S. Leo, serm. 9 *De Quadragesima* : « Certa atque secura est exspectatio promissæ beatitudinis, ubi est participatio Dominicæ passionis, etc. Sicut ergo totius est corporis pie vivere, ita totius est temporis crucem ferre. » Gloria cœlestis vocatur « corona vitæ, » quia datur vincenti tentationes; sicut olim olympionicæ, id est, qui in agone Olympico vincebant, coronabantur corona myrtea, laurea, hederacea. Vocatur « vitæ, » scilicet beatæ, gloriosæ et æternæ. Unde a S. Petro, *epistola* I, cap. V, vers. 4, corona hæc vocatur immarcibilis, ut opponatur coronæ divitum, hoc est opibus, deliciis et gloriæ, quibus divites quasi corona cinguntur et coronantur, nam hæc est fœnea, et velut flos fœni illico marcescit, uti dixit Jacobus, vers. 11; illa vero patientium est immarcescibilis, ideoque semper virens et florens. *Secundo*, vita hæc congrue quasi merces redditur tentationibus, plagis et morti pro Christo toleratæ, juxta illud, *Apoc.* II, 10 : « Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ. » *Tertio*, « vitæ, » quia corona hæc est viva et animata, vivitque in æternum. Hæc enim corona est visio et fruitio Dei, qua Beati pascuntur, deliciantur et beantur in æternum. Cur gloria cœlestis vocetur vita æterna, dixi *Rom.* VI, 23, quia scilicet vita hæc complectitur omne gaudium, omnes delicias, omnem sapientiam, omne bonum. Unde Didymus hanc coronam vocat spei, deliciarum et gratiarum. *Quarto*, addunt nonnulli vocari « vitæ, » quia est præmium vitæ laudabilis in patientia et sanctitate transactæ.

Christus coronat patientes.

Alludit S. Jacobus ad IV *Esdræ* II, 23, ubi Esdras vidit Christum, singulorum patientium et Sanctorum capitibus imponere coronam. « Hi sunt, ait, qui mortalem tunicam deposuerunt, et immortalem sumpserunt, et confessi sunt nomen Dei. Modo coronantur, et accipiunt palmas. » Et cap. VII, vers. 6, vidit Jerusalem cœlestem, ejusque iter strictum et angustum, puta per tentationes, tribulationes et martyria. « Civitas, ait, est ædificata et posita in loco campestri : est autem plena omnium bonorum : introitus ejus angustus, et in præcipiti positus, ut esset a dextris quidem ignis, a sinistris aqua alta (unde Psaltes : « Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium, » *Ps.* LXV, 12). Semita autem est una sola inter eos posita : hoc est, inter ignem et aquam, ut non capiat semita nisi solummodo vestigium hominis, » quod explicans vers. 18 : « Justi, ait, ferent angusta, sperantes spatiosa. »

Hæc est corona de qua Psaltes, *Psalm.* XX, 4 : « Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso; » et *Psalm.* CII, 4 : « Qui coronat te in misericordia et miserationibus, qui replet in bonis desiderium tuum, renovabitur ut aquilæ juventus tua. » Christus Dominus S. Catharinæ Senensi obtulit duas coronas, unam spineam, alteram auream et gemmeam, dicens : Elige utramvis, sed scito quamlibet elegeris, te alteram illi oppositam in futura vita habituram. Illico ipsa elegit spineam, eamque capiti suo ita infixit, ut per plures dies graves dolores senserit. Idcirco per spineam in terris meruit gemmeam in cœlis; nam, ut ait *Eccli.* I, 11 : « Timor Domini gloria, et gloriatio, et lætitia, et corona exultationis. » Timor

nimirum quo quis fidelis timens amansque Deum, pro eo quælibet adversa patitur; et cap. VI, vers. 32 : « Stolam gloriæ indues eam (sapientiam), et coronam gratulationis superpones illi; » et *Sap.* V, 17 : « Ideo accipient regnum decoris, et diadema speciei de manu Domini; » et *Isai.* LXII, 3 : « Eris corona gloriæ in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui; » et cap. XXVIII, vers. 5 : « In die illa erit Dominus exercituum corona gloriæ et sertum exultationis residuo populi sui. » Vide dicta *Apoc.* II, 20, et cap. III, in fine.

Præclare S. Augustinus, *homil.* 14 inter 50 : « Cum Deus, ait, coronat merita tua, nihil coronat nisi dona sua. Quid enim habes quod non accepisti? » unde infert idem, serm. 50 *De Temp.* « Studeamus ut in membrorum (Christianorum) vita capitis (Christi) sit corona. » Idem coronam hanc vitæ et gloriæ, ejusque decus et præstantiam pathetice describit lib. *De Diligendo Deo* (vel quisquis est auctor : stylus enim non redolet Augustinum), cap. XVIII, tom. IX : « Exultemus, ait, et cogitemus quale et quantum electorum sit unicum et singulare gaudium. Illud scilicet summum bonum, quod vita, lux, beatitudo, sapientia et æternitas, nec tamen non est nisi unicum et summum bonum, omnino sufficiens, nullo indigens, quo omnia indigent ut sint, et bene sint. Hoc bonum est Pater, Filius et Spiritus Sanctus. Hoc bonum continet jucunditatem omnium bonorum, sed tanto differentem, quanto differt creator a creatura. Si enim est bona vita creata, quam bona est vita creatrix? Si jucunda est salus facta, quam jucunda est salus quæ fecit salutem? Si amabilis est sapientia cum cognitione rerum conditarum, quam amabilis est sapientia quæ condidit omnia ex nihilo? Denique si multæ et magnæ sunt delectationes in rebus delectabilibus, qualis et quanta est delectatio in illo qui fecit omnia delectabilia? O qui hoc bono fovetur, quid illi erit, et quid illi non erit? Cur ergo per multa vagamur, quærendo bona corporis et animæ nostræ? Amemus unum bonum, in quo sunt omnia bona, et sufficit. » Et mox : « Regnum namque Dei omni fama majus est, omni laude melius, omni scientia innumerabilius, omni gloria quæ putatur excellentius. Regnum itaque Dei plenum est lucis ac pacis, charitatis et patientiæ, honestatis et gloriæ, dulcedinis et delectationis, lætitiæ et beatitudinis perennis, et omnis boni ineffabilis, quod nec dici, nec cogitari potest. » Et inferius : « Ergo futura vita creditur esse sempiterna, et sempiterne beata, ubi est certa securitas, secura tranquillitas, tranquilla jucunditas, felix æternitas, æterna felicitas, ubi amor est perfectus, timor nullus, dies æternus, alacer motus; et unus omnium spiritus de contemplatione Dei sui, ac de sua cum illo permansione securus : ubi ipsa civitas, quæ est angelorum omnium atque Sanctorum congregatione beata, meritis fulgentibus micans, ubi æterna salus exuberat, veritas regnat, ubi nec fallit quispiam nec fallitur : unde beatus nullus ejicitur, ubi nullus miser admittitur. » Et sub finem : « Intellectus erit sine errore, memoria sine oblivione, cogitatio sine pervagatione, charitas sine simulatione, sensus sine offensione, incolumitas sine debilitatione, salus sine dolore, vita sine morte, facilitas sine impedimento, saturitas sine fastidio, et tota sanitas sine morbo. »

Hypotyposis regni cœlestis.

PROMISIT DILIGENTIBUS SE. — Qui nimirum ita diligunt Deum, ut ejus amore omnia adversa fortiter et alacriter tolerent. Alludit ad illud *Isai.* cap. LXIV, vers. 4, quod citat Paulus I *Cor.* II, 9 : « Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum. » Vide ibi dicta.

Charitati ergo et amori velut merito et causæ merendi, quasi merces promissa est corona gloriæ vitæque æternæ. Hinc patet contra Calvinum, justos sua patientia et bonis operibus mereri cœlestem gloriam. Hoc enim meritum significat hic S. Jacobus tum nomine *coronæ* : hæc enim vincenti quasi præmium et merces certaminis debetur; unde a Paulo vocatur corona justitiæ : « Bonum, ait, certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex, » etc., II *Timoth.* IV, 7. Tum verbo *repromisit*; quod enim repromittitur sub conditone certaminis et operum, est merces eorumdem.

Moraliter, S. Augustinus, serm. 64 *in Evangel. S. Joannis* : « Regnum Dei, ait, venale est : eme si vis. Nec multum exæstues de re magna propter pretii magnitudinem. Tantum valet, quantum habes. Noli quærere quid habeas, sed qualis sis. Res ista tanti valet, quantum es tu. Te da, et habebis illum. Sed malus sum, inquies, et forte me non accipit : dando te illi, bonus eris. Cum autem bonus fueris, pretium ipsius rei eris. » Damus autem nos Deo per amorem. Amor ergo est pretium, quo emimus coronam gloriæ. Idem in *Ps.* CXVIII, conc. 23 : « Si, ait, diligendo operamur bona, æterna est ipsa dilectio, eique æterna est parata retributio. Propter quam retributionem dicit se inclinasse cor suum ad faciendas justificationes Dei, ut in æternum diligens, in æternum mereatur habere quod diligit. »

Age ergo, o pugil, o athleta Dei, qui cum Christo et pro Christo dura diuque pateris. Attolle animos, pectus obfirma.

Perfer et obdura, dolor hic tibi proderit olim.

« Exspecta Dominum, viriliter age, et confortetur cor tuum, et sustine Dominum; » stadium patientiæ ingressus es, in eo animose concerta, ut palmam referas. Spectaculum factus es Deo; mundo, angelis et hominibus. Spectat te Christus, spectant te angeli Sanctique omnes, spectat te sanctissima Trinitas : eadem pugnantem adju-

vat, ut vincentem coronet. Beatum te pronuntiat S. Jacobus, post probationem brevem et exilem, coronam vitæ tibi pollicetur, diligentibus Deum promissam. Patere ergo pro Deo, pro cœlo, pro amore Christi. Ille te dilexit usque ad mortem, et mortem crucis : dilectionem dilectioni repende. Dulce est Christum diligere, dulcius pro dilecto pati, dulcissimum erit post modicum patientiæ agonem eo frui, et felicissime frui in omnem æternitatem. « Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. »

Vers. 13. 13. NEMO CUM TENTATUR DICAT. — Egit S. Jacobus hactenus de patientibus et fortibus qui tentationem, puta persecutionem et spoliationem bonorum fidei causa constanter et generose sustinebant, ideoque merebantur coronam vitæ : nunc agit de imbecillis, qui tentationi cedebant aut succumbebant, ideoque merebantur mortem. Ut enim persecutionem evaderent, suaque bona retinerent, tentabantur ad fidem Christi vel negandam, vel dissimulandam, quales hodie multi nostro ævo fuerunt in Anglia. Docet ergo eos, tentationem hanc pusillanimitatis, timiditatis et avaritiæ non esse a Deo, sed a concupiscentia opum, honorum et voluptatum hujus vitæ, quam ex animo extirpare et eradicare debeant, si tentationem hanc superare velint.

DICAT, QUONIAM (quod) A DEO TENTATUR. — Græca habent, *Nemo dum tentatur dicat : Quoniam a Deo tentor*; et ita legit S. Hieronymus, lib. II *Contra Jovinian.* Eodem redit sensus. Transit hic S. Jacobus a genere ad speciem, puta a tentatione generica ad tentationem specificam et proprie dictam, qua quis tentatur tentatione quæ sui natura, aut tentantis malitia incitat ad peccatum, qualis est quæ interius a concupiscentia, exterius a dæmone suggeritur. Dixerat Jacobus, vers. 2, tentationem quamlibet esse materiam omnis gaudii, ac consequenter esse bonam ; et vers. 12, beatum esse eum, qui illam suffert : jam ne quis ex eo inferat : Si tentatio omnis est bona, facitque beatum; ergo omnis est a Deo : Deus enim est fons omnis boni, ac præsertim beatitudinis; respondet, id non sequi : tentatio enim proprie dicta per se et natura sua est mala, quia ad malum illicit et impellit, licet per accidens in justis et patientibus sit bona, quia illi per suam virtutem ex malo eliciunt bonum, ex veneno medicinam, ex vipera theriacam, dum contra tentationem luctando victoriam referunt, virtutem et meritum adaugent. Hac sententia damnat S. Jacobus hæresim Simonis Magi, dicentis Deum esse auctorem tentationis et peccati. Eamdem docuerunt mox post Simonem Florinus, Apelles, Hermogenes, Seleucius, Valentinus, Marcion, Manichæus : sed hi duos Deos finxerunt, unum bonum, auctorem omnis boni; alterum malum, auctorem omnis mali.

Quare his insipientior et impientior est Calvinus, Melanchthon, aliique nostri temporis hæretici, qui docent Deum unum et verum esse auctorem omnium operum, tam malorum, quam bonorum, non tamen peccati, esto illud operi malo indivulse conjunctum sit, eo quod peccatum oriatur ex voluntate libera hominis volentis peccare, opus autem sit entitas physica cujus auctor est Deus. Verum hinc sequitur Deum esse auctorem malitiæ. Nam si Deus est auctor operis mali, ergo quoque auctor est peccati, quia peccatum intime conjunctum est cum opere malo, et reipsa non est aliud quam opus malum. Nam, v. g. odium Dei est opus ita malum, ut a peccato nullo modo, cogitatione quidem separari possit. Si ergo Deus in voluntate causat hoc opus, puta odium Dei, ejusque est auctor, ergo quoque auctor est malitiæ et peccati, quod intrinsece et essentialiter in hoc opere includitur. Adde : Deus cum sit causa prima, secundum ipsos prævenit et præmovet voluntatem ad omnia opera, ita ut voluntas ei resistere nequeat : ergo operum omnium causa est Deus, non voluntas libera, utpote quæ ita movetur a Deo, ut motum hunc amoliri, aliove se flectere nequeat. Quocirca Deus concurrit quidem ad entitatem physicam, quæ est in peccato, v. g. odio Dei, sed concursu generali et indeterminato, quo tam amor Dei, quam odium Dei a voluntate produci potest, optatque ipse et intendit, ut eo amorem Dei producat, non odium ; sed voluntas hoc Dei concursu abutitur, eumque divertit, distorquet et determinat ad odium Dei : quare ipsa sola odii Dei est auctor, non Deus. Vide D. Thomam et Scholasticos ac Bellarminum, lib. II *De Amissione gratiæ*, cap. VIII, et S. Basilium, hom. *Quod Deus non sit auctor malorum.*

Peccati quis auctor?

DEUS ENIM INTENTATOR MALORUM EST. — Græce ἀπείραστος, quod *primo*, aliqui exponunt passive, ut sit idem quod « intentabilis, » *q. d.* Deus in se malo aliquo pulsari, aut tentari nequit : est enim impatibilis et optimus, qui nec pati, nec peccare, nec concupiscere potest, ac consequenter ipse neminem tentat; sed id facit dæmon, quia ipse ardet concupiscentia et malitia. Ita Œcumenius et Cajetanus. Unde quidam suspicantur pro *intentator* legendum *intentatus* in nostra Latina editione. Sed hoc est contra omnium Codicum fidem.

Deus intentator malorum quadrupliciter.

Secundo, alii accipiunt active, *q. d.* Deus nulli intentat mala, puta tentationes ad male agendum; Deus nullum excitat ad maleficia. Unde explicans subdit : « Ipse autem neminem tentat. » Ita Syrus vertit, *non est* מְנַסֵּי *menassai*, id est, *tentator malorum*, quia scilicet nulla mala tentat, ac consequenter nullis malis tentatur.

Tertio, alii, *q. d.* « Deus intentator malorum est, » id est Deus non tentat malos, sed bonos duntaxat, ut Abrahamum, Davidem, Jobum, Tobiam. Unde S. Clemens, lib. II *Constit.*, cap. VIII, legit : « Vir reprobus non tentatur a Deo. » Ita Salmeron.

Quarto, alii ἀπείραστος, id est *intentator*, inquiunt, idem est quod dissuasor, revocator. Unde ante

subdit : « Deus autem neminem tentat, *q. d.* Deus a malis revocat, non autem ad ea impellit. Nam, ut ait Innocentius I, epist. *ad Concil. Carthag.* : « Necesse est ut quo auxiliante vincimus, eo rursus non adjuvante vincamur. »

Secundus sensus est genuinus : ἀπείραστος enim sumitur active, æque ac ἀγέλαστος, uti vocatus est Cato, eo quod nunquam rideret, esto rideretur ab aliis. Denique plenior et nervosior erit sensus, si primum jungas secundo; ἀπείραστος enim tam passive, quam active sumitur : tam enim intentatum, quam intentatorem significat; ἀπείραστος enim, vel ἀπείρατος dicitur, tam qui tentari nequit, quam qui non tentat, puta inexpertum, intentatum, qui experientiam non habet. Deus ergo est ἀπείρατος κακῶν, quia nullum mali sensum vel experientiam in se habet, sed totus est bonus, ipsaque bonitas, ac proinde aliis mala ingerere, aut ad mala impellere nequit; perinde ac ignis nequit humectare, aut frigefacere; sol nequit obscurare, humilitas nequit superbire, bonitas, vel beneficentia nequit malefacere, sed tantum benefacere : hoc enim proprium est bonitati et Deo. Itaque Deus dicitur intentator malorum, quia nulla mala tentat, id est, experitur et sentit, vel in se, vel in aliis, quia nullam mali habet πεῖραν, id est tentationem, explorationem, experientiam, sed est ἀπειρόκακος, id est mali experientia carens, mali expers, malitiæ ignarus, simplex, rectus, bonus; ac proinde hanc mali experientiam in aliis non facit, nec eos tentat ad malum.

IPSE AUTEM NEMINEM TENTAT. — Pro *autem* Hugo, Dionysius et Cajetanus legunt *enim* : utrumque enim significat Græcum καί, ut tradunt Lexica Græca. Verum alii passim Græci et Latini legunt *autem* : quod est asseverantis et confirmantis priorem sententiam, *q. d.* Deus intentator malorum est; ipse, inquam, cum sit optimus, neminem tentat : vel « atque adeo (hoc enim quoque significat καί ut patet ex Lexicis) ipse neminem tentat, » juxta illud *Eccli.* XV, 12 : « Non dicas : Ille (Deus) me implanavit (id est, fecit errare : hoc enim est πλανᾷν) : non enim necessarii sunt ei homines impii : omne execramentum erroris odit Dominus. » *Habacuc* I : « Mundi sunt oculi tui ne videant malum. » *Psalm.* CXLIV, 13 : « Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis. » Causa est quod Deus per essentiam sit bonus, ipsaque bonitas, cui repugnat omne malum omnisque malitia. Bonum enim idem est quod perfectum; et bonitas rei, ejus est perfectio.

Bonitas Dei triplex.

Porro in Deo triplex est bonitas : *primo*, naturalis; *secundo*, moralis, puta virtus et sanctitas; *tertio*, bonitas beneficentiæ, ut suum bonum aliis communicet. Bonitas naturalis in Deo, ut recte docet noster Lessius, lib. VII *De Attributis Dei*, cap. I, est excellentia naturæ divinæ, per quam habet perfectionem omnem in toto genere entis, ideoque infinitam et immensam, cum creaturæ perfectionem accipiant a Deo limitatam ad certam speciem, v. g. angelus perfectus est in specie creaturarum spiritualium, leo in specie brutorum, homo in specie animalium rationalium : Deus vero omnium specierum et generum bonitatem et perfectionem continet perfectissime, vel formaliter, vel eminenter; unde hæc bonitas Dei complectitur sanctitatem et benignitatem, aliaque divina attributa, quatenus ad divinæ naturæ perfectionem spectant. Cogita infinitam lucem, infinitam sapientiam, infinitam pulchritudinem, infinitam dulcedinem, infinitum gaudium, infinitas opes, infinitam gloriam, infinitam majestatem, infinitam puritatem, infinitum amorem, infinitam sanctitatem : hæc omnia continet bonitas divina, tanquam infinitum bonorum omnium pelagus, a quo omnia bonum, quod habent, participant.

Deus per essentiam bonus, ipsumque bonum.

Ubi nota *primo*, Deum omnimodam hanc bonitatem habere modo eminentissimo, nimirum non accessoriam, per multas et diversas formas, vel qualitates; sed intimam et essentialem, per unam simplicissimam et eminentissimam formam, nempe per essentiam suam. Quocirca Deus sine quantitate magnus est, sine qualitate bonus, sine numero infinitus, sine figura formosus, sine tempore æternus, sine loco immensus, sine extensione diffusus, sine multiplicitate perfectus, sine situ altissimus, sine habitu sanctissimus. In ipso ergo est omnis amoris illicium, omnis desiderii consummatio, omnis sanctitatis apex, omnis motionis terminus, omnis appetitus satietas.

Exuberat Dei bonitas in res omnes.

Secundo, ab hac Dei bonitate omnes angeli, homines et creaturæ suam omnem bonitatem emendicant et hauriunt. Deus enim, inquit S. Dionysius, *De Divinis Nominibus*, cap. XIII, est ὑπερτελής, id est, *superperfectus*, quia scilicet ita plenus et superplenus est omnibus bonis, ut velut fons inexhaustus exuberet et redundet perpetua et incessabili largitione donorum in omnes res creatas. « Exuberans, ait S. Dionysius, una incessabili, et eadem, et superplena, et imminuibili largitione, per quam omnia perfecta perficit, et unumquodque congrua sibi perfectione adimplet. » Et paulo ante : « Pertingens ad omnia pariter, et super omnia indefectibilibus largitionibus, et nunquam finiendis operationibus. » Unde patet Deum dici bonum et perfectum, quia est auctor omnis perfectionis naturalis et supernaturalis in rebus omnibus, a summis et ipsi vicinissimis usque ad extremas, a prima substantia separata usque ad infimam materiam, et ipsius radium pertingere ad omnia, idque non semel tantum, sed assidue et indesinenter.

Tu ergo, o Domine, es ipsa boni plenitudo et universitas, ac consequenter omnis mali expers. Si enim vel minimum mali haberes aut faceres, a bono deficeres, imperfectus esses, imo malus, quod horrendum est cogitare. Tu enim es omnis et solius boni fontalis origo, cui omnia bonum

quod habent, acceptum ferre debent. A te omnia lucida suam trahunt lucem, omnia sapientia suam sapientiam, omnia sancta suam sanctitatem, omnia pulchra suam pulchritudinem, omnia perfecta suam perfectionem. Tu enim omnis perfectionis non tantum es causa efficiens, sed et exemplar ac mensura, ut tantum quilibet angelus vel homo perfectus sit, quantum suam mensuram, puta tuam perfectionem eminus refert et imitatur. Tua enim sanctitas, sanctaque voluntas est regula omnis rectitudinis, virtutis et sanctitatis. Tu omnis boni auctor, forma, finis et conservator, omnem terminans infinitatem, omnem transiliens finem, omnem definiens mensuram, omnem fingens speciem, omnem perficiens perfectionem, omnem sanctificans sanctitatem. Trahe nos post te, ut curramus in odorem unguentorum tuorum. Vilescant nobis omnes opes, omnes honores, omnes deliciæ, utpote vanæ et fallaces, quæ speciem habent boni, sed veritatem mali, ad quas nos allicit spurca caro, dæmon et mundus : quia tu es honor, opes, deliciæ, dulcedo, beatitudo nostra, bonum omne, mali omnis expers. Junge ergo nos tibi vinculo amoris insolubili, astringe nexu charitatis æterno. « Quid enim mihi in cœlo, et a te quid volui super terram, Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum? »

Viderunt idipsum lumine naturæ Gentiles, qui Deum Optimum Maximum cognominarunt, de quo Cicero, lib. II *De Natura Deorum* : « Jupiter, ait, id est, juvans pater, quem conversis casibus appellamus a juvando Jovem, a Poetis pater Deumque hominumque dicitur; a majoribus autem nostris, Optimus Maximus, et quidem ante optimus, id est beneficentissimus, quam maximus : quia majus est, certeque gratius prodesse omnibus, quam opes magnas habere. »

Pari modo Socrates dicebat Deum esse optimum et felicissimum : ad ejus similitudinem quo quisque propius accederet, hoc et meliorem esse et beatiorem. Socratem secutus est Plato discipulus, qui Deum bonorum duntaxat causam esse asseverat : malorum ergo causam alibi quærendam, nec permittendum esse in civitate bonis legibus instituta, ut quis doceat aut dicat Deum esse auctorem malorum. Ita ipse lib. II *De Republica*. Plutarchus, lib. *De Stoicis contrarietat.*, exagitat illud Chrysippi dictum : « Deus operatur bella et malitias, homines incitando et pervertendo. » Hinc illa impii apud inferos excruciati vox, *Æneid.* VI :

Discite justitiam moniti, et non temnere Divos.

Plura vide apud Theodoretum, lib. VI *De Græcan. affect.*, et Eusebium, lib. VI *Præparat. Evang.*, cap. VII, ubi inter cæteros adducit Homerum, apud quem Jupiter conqueritur, quod homines diis impingant causam malorum. Et juste, nam, ut recte ait S. Fulgentius, lib. I *ad Monimum* : « Deus non est auctor eorum quorum est ultor. » Est autem ultor malorum, ergo eorumdem nequit esse auctor. Quin et ipse Calvinus, lib. I *Instit.*, cap. XVII, § 5 : « Sicut, ait, fœtor cadaveris a sole putrefacti et reserati, radiis solis excitatur, tamen eos non coinquinat, nec ipsi fœtent : sic et mala hominum opera a Deo sunt, tamen ipse peccatorum sordibus non fœdatur. » Ubi expresse fatetur Deum non peccare, auctorem tamen esse operis peccati : quæ duo sunt ἀσύςατα. Alia enim est ratio solis, utpote agentis naturalis; alia auctoris peccati, qui est agens liber; ac proinde manifeste peccat, et peccato suo sordidatur sorde morali.

NEMINEM TENTAT — proprie, ut alliciat ad peccatum : sic enim tentat dæmon. Deus vero tentat justos, ut Abrahamum, Davidem, Jobum, etc., ut eorum virtutem orbi demonstret, perficiat ac coronet, uti dixi *Gen.* XXII, 1. Hoc est quod ait S. Augustinus, lib. II *De Consensu Evang.*, cap. XXX : « Alia significatione intelligitur tentatio, de qua dictum est : Deus neminem tentat; et alia, de qua dictum est : Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligitis eum, *Deuteron.* XIII; illa seductionis est, hæc probationis. » Sic pater tentat filium, herus servum, vir uxorem, magister discipulum, ut ejus ingenium, et studium, et affectum partim exploret, partim acuat et accendat.

14. UNUSQUISQUE VERO TENTATUR A CONCUPISCENTIA SUA ABSTRACTUS ET ILLECTUS. — Pro *illectus* græce est δελεαζόμενος, id est, inescatus, esca captus, illecebris delinitus et deceptus; sicut pisces et aves capiuntur esca, et sicut Esau illectus esca lentis vendidit primogenita sua, *Genes.* XXV, 30; atque sicut Eva et Adam illecti pulchritudine pomi, illud contra mandatum Dei comederunt, ideoque mortem incurrerunt. Porro una concupiscentia superata, succedit et tentat nos alia, ut semper contra eam vigilare et dimicare debeamus. Vere S. Cyprianus, serm. *De Opere et elecmos.* : « Obsessa mens hominis, ait, et undique Zabuli infestatione vallata, vix occurrit singulis, vix resistit. Si avaritia prostrata est, exurgit libido. » Præclare S. Gregorius Nazianzenus, in *Tetrastichis* : Vers. 14

Quid culpam in hostem semper ipsi vertimus,
Cum nostra præstent robur ipsi crimina?
Te criminare prorsus, aut certe magis.
Ignis tuus nam, flamma vero dæmonis.

Nota : Tentat nos concupiscentia, *primo*, sicut Eva tentavit Adamum, eumque a lege Dei abstraxit et illexit ad comedendum pomum vetitum. Concupiscentia enim est quasi Eva, quam internam, intimeque nobis cohærentem in carne et anima gerimus. Unde sicut diabolus per Evam decepit et ad peccatum illexit Adamum; ita idem per concupiscentiam decipit et illicit nos, uti ait S. Augustinus in *Psal.* XLVIII. Concupiscentia nos tentat, ut Eva.

Secundo, sicut febris tentat febri æstuantem, abs- Ut febris

trahitque et illicit ad bibendam aquam sibi noxiam, et subinde lethiferam. Concupiscentia enim est quasi febris, et calor innaturalis æstusque animæ. Nam, ut ait S. Ambrosius, lib. IV *in Lucam*, cap. IV : « Variis criminum febribus caro nostra languet, et diversarum cupiditatum immodicis æstuat ardoribus. Nec minorem febrem amoris esse dixerim, quam caloris. Itaque illa animum, hæc corpus inflammat. Febris enim nostra avaritia est, febris nostra libido est, eo quod ignitæ sint cupiditates. Febris nostra ambitio est, febris nostra iracundia est. Quæ licet corporis vitia sunt, ignem tamen ossibus implicant, mentem, animum sensumque pertentant. »

Ut vulpes. *Tertio*, sicut vulpes colligata cani, eum tentat, secumque abstrahit et illicit ad invadendam et devorandam gallinam occurrentem. Concupiscentia enim est quasi vulpes, quæ rationem et voluntatem hominis specie boni delectabilis illicit et decipit, ut a bono honesto eam abstrahat ad volendum et amandum bonum concupiscibile et illicitum.

Ut lena. *Quarto*, sicut lena virum tentat, abstrahitque ab uxore ad fornicandum secum : sic et concupiscentia animam a Deo sponso suo abstrahit, ut cum bonis creatis delicietur. Concupiscentia ergo est lena vitiorum, ait S. Ambrosius loco jam citato : similis enim est mulieri lenocinanti, quam graphice describit Sapiens *Proverb.* VII, 6, et IX, 13. Unde in Vitis Patrum, lib. V, cap. *De fornicatione*, num. 23, legimus carnalem concupiscentiam cuidam apparuisse in specie mulieris Æthiopissæ, adeo turpis et fœtidæ, ut ejus fœtorem ferre non posset.

Ut prurigo. *Quinto*, concupiscentia est ut scabies et prurigo, quam si scabas, titillationem, sed mox dolorem senties. Unde emblema :

> Fœdare strictis unguibus cutem cave :
> Pro melle mox reponet urens tibi piper ;
> Assiduus est pruriginis comes dolor.
> Cupido eamdem dulcamarus (γλυκυπικρὸς) vim tenet,
> Pro melle felleum propinans poculum.

v. g. indulsisti gulæ et te inebriasti, mox senties in corpore dolores capitis, stomachi, nervorum, etc. ; in anima vero vermem conscientiæ, Dei offensam, reatum gehennæ ipsamque gehennam.

Nota *primo* : Concupiscentia est causa intrinseca tentationis et peccati : extrinsecæ vero sunt dæmon et mundus, puta pravi socii, cognati, amici, etc. Sed hæ extrinsecæ tentant per intrinsecam, suscitando nimirum concupiscentiam propositione boni delectabilis, ut illa ad illud voluntatem secum abripiat. Unde a S. Ephrem, tom. II, *Parænesi* 50 : « Concupiscentia vocatur germen diaboli, vulnus animæ, percussio cordis, arbor malitiæ, vipera. » Eadem a Gersone, tractat. II *De cognit. peccati*, consid. 25, vocatur « nuntius diaboli » a nobis consensum requirentis. Nam sine concupiscentia nuntius hic imbecillis est et invalidus ; sicut frustra quis folle flatum in lignis suscitat, nisi subsit ignis, qui hoc flatu excitatus ligna accendat, ait Thomas Anglicus.

Septem peccati causæ. Porro peccatum varias habet causas nobis intrinsecas, nimirum voluntatem, intellectum, passionem, imaginationem, habitum pravum, ignorantiam et actum alterius peccati. *Primo* enim voluntas est causa immediate eliciens actum peccati, eumque in se suscipiens. *Secundo*, intellectus est causa peccati tanquam proponens, seu consulens voluntati, ut amplectatur bonum sensibile relicto honesto, atque tanquam non considerans regulam legis divinæ, quæ hoc bonum amari vetat. *Tertio*, imaginatio et passio est causa ejusdem tanquam repræsentans vivaciter voluntati pulchritudinem boni sensibilis. *Quarto*, habitus pravus est causa, tanquam immediate inclinans in actum peccati. *Quinto*, ignorantia est causa, ut occultans malitiam peccati. *Sexto*, actus alterius peccati quadrupliciter est causa peccati : *primo*, auferendo gratiam, per quam homo peccato resistebat ; *secundo*, inclinando ad similes actus ; *tertio*, præbendo materiam alteri peccato : sic gula est causa libidinis, superbia rixarum, avaritia furtorum ; *quarto*, tanquam finis, ut cum quis ex intentione unius peccati eligit aliud peccatum, tanquam medium : sic ambitio est causa simoniæ, et commessatio est causa furtorum. *Septimo*, propria et potentissima causa tentationis, et consequenter peccati, est concupiscentia. Hæc enim movet et sollicitat voluntatem, intellectum, imaginationem, ad secum consentiendum peccato ; eadem parit passionem, habitum pravum, inconsiderationem et ignorantiam, eaque malitiam peccati tegit et velat. Quocirca jure concupiscentia vocatur fomes, origo, seminarium peccati, et a Paulo *Rom.* VII, 23, lex membrorum repugnans legi mentis.

Nota *secundo*, concupiscentiam non esse pravam aliquam substantiam productam a diabolo, quæ pravos appetitus sensitivi motus suscitet et quasi exhalet, uti lacus exhalat putidos vapores ; sicuti opinatus est Illyricus, sed stolide. Nulla enim substantia potest esse per se mala, nec produci a diabolo, nec esse peccatum ; peccatum enim est accidens, puta actus liber voluntatis. Eadem fuit hæresis Manichæorum, qui teste, S. Augustino, lib. *De Hæresib.*, censebant in homine duas esse animas, unam bonam a bono Deo, alteram malam productam a diabolo, hancque esse concupiscentiam, fontem omnis mali in homine. Huc spectat vesanus error Paternianorum et Venustianorum hæreticorum, qui, ut ait S. Augustinus, lib. V *Contra Julian.*, cap. V : Dicunt a lumbis usque ad pedes diabolum fecisse corpus hominis, superiores vero partes Deum velut supra basin aliquam collocasse ; adduntque nihil ab hominis studio requiri, quam ut anima, quam in stomacho et capite habitare dicunt, munda servetur. Pubem vero, si omnium flagitiorum sordibus oblinatur, aiunt ad

suam non pertinere curam. Ita semper, ut ipsi libidini turpiter serviant, titulum ei propriæ potestatis affigunt.» Rursum concupiscentia non est ipsum peccatum originale : eo enim per baptismum condonato et abolito, ipsa tamen in homine justo remanet, uti patet quotidiana experientia. Denique concupiscentia non est prava qualitas progenita a peccato originali, quæ sit velut fornax perpetuo scintillas peccatorum exhalans, uti vult Calvinus, lib. II *Instit.* cap. I, § 8, 9, 10, 11 ; et favet Magister sententiarum in II, *dist.* XXXI, § 2 et 3, ubi ait peccatum originale esse morbidam quamdam qualitatem in anima existentem, quæ perpetuo prava desideria excitet. Addit Gregorius Ariminensis in II, *dist.* XXX, q. 1, qualitatem hanc in anima oriri ex alia quadam morbida qualitate, quæ sit in semine parentum. Semen enim per hanc qualitatem inficere corpus, et corpus inficere animam : porro semen infectum esse ex flatu serpentis. Verum hæc frivola sunt, ac veræ Philosophiæ et Theologiæ repugnantia. Unde

Concupiscentia quid?

Nota *tertio* : Concupiscentia in re non est aliud, quam ipse appetitus sensitivus, ejusque naturalis inclinatio ad bona sensibilia, quæ contraria sunt rationi et legi Dei, ideoque illicita et vetita, quatenus appetitus hic ob peccatum originale privatus est justitia originali. Nam si homo fuisset conditus in statu puræ naturæ, talis fuisset qualis modo est, similesque appetitus motus habuisset quales jam habet ; sed illi motus tunc non vocati fuissent concupiscentiæ, eo quod naturales ei fuissent, nec pœna peccati : jam autem vocantur concupiscentiæ, quia sunt pœna peccati originalis. Deus enim noluit hominem condere in statu puræ naturæ, ne imperfectus esset et miser ; sed condidit eum in statu naturæ integræ, nimirum addendo illi gratiam et justitiam originalem, quæ omnes motus appetitus compescebat et subdebat rectæ rationi, ita ut eam prævenire illique reluctari non possent. Verum, peccante Adamo, Deus hanc gratiam et justitiam originalem illi omnibusque posteris in pœnam peccati sustulit, ideoque eum quoad appetitus et potentias reliquit sibi in statu puræ naturæ : quo fit ut appetitus sensibilis feratur in bona sensibilia præter rationem, et rationis voluntatisque dictamen, ac utramque secum ad sua bona abripiat : itaque caro concupiscit adversus spiritum. Ergo nunc vocatur concupiscentia, quia orta est ex peccato originali. Quare concupiscentia non est aliud, quam ipsa naturalis inclinatio appetitus, quatenus per absentiam justitiæ originalis proxime disposita est, ut feratur præter, vel contra ordinem rationis in sua objecta delectabilia : unde dicit habitudinem ad peccatum, quasi ad causam suam.

Qua de causa S. Augustinus concupiscentiam vocat morbidum affectum et affectionalem qualitatem, quia ipsa inclinatio appetitus est qualitas quædam carens debito ordine, ex privatione justitiæ originalis, non tamen quasi semini permixta transfundatur, uti dicebat Ariminius. Unde lib. VI *Contra Julian.*, cap. VII, dicit concupiscentiam esse sicut malam valetudinem : atqui mala valetudo humoribus nihil addit, nisi privationem debitæ commensurationis. Quod autem S. Augustinus non voluerit concupiscentiam esse aliquam qualitatem positivam superadditam potentiis animæ, videlicet appetitui inferiori et voluntati, sed ipsam inclinationem naturalem carentem ordine rationis, quem velut in habitu efficiebat justitia originalis, patet ex variis ejus locis, quibus non aliam reddit causam concupiscentiæ, quam absentiam justitiæ originalis, ut lib. I. *De Peccato mort.*, cap. XVI ; lib. IV *Contra Julian.*, cap. ult. ; lib. XIII *De Civit.*, cap. XIII. Idem patet ex eo, quod S. Augustinus, lib. IV *Contra Julian.*, cap. V, et lib. II *De Peccato orig.*, cap. XL, et alibi doceat id quod in homine est vitium, in belluis esse naturam, et loquitur de concupiscentia. Atqui concupiscentia in belluis non est aliquid distinctum superadditum appetitui naturali : ergo nec in homine. Ratio est, quia appetitus sensitivus natura sua pronus est ad ea quæ sunt delectabilia carni : movetur enim ex apprehensione rei delectabilis. Unde non requiritur aliqua qualitas superaddita quæ eum ad hoc inclinet, sed solum requiritur absentia justitiæ originalis, quæ eum retinebat, rectum faciebat, et rationi velut in actu primo conformem. Ergo ipsa inclinatio appetitus privata ordine illo, et conformitate ad rationem rectam, quam conformitatem in ipsa efficiebat justitia originalis, dicitur qualitas morbida, tabes, languor, etc. Ita Medina, I II, *Quæst.* LXXXII, art. 1 et 3, et fuse Bellarminus, lib. V *De amissione gratiæ*, cap. XV. Hinc

Concupiscentia non est a Deo.

Quarto, sequitur concupiscentiam non esse a Deo, utpote qui naturam integram et perfectam condidit ; sed a peccato et diabolo, qui peccati fuit auctor. Hoc est quod docet hic S. Jacobus, nimirum tentationem peccati non esse a Deo, sed a concupiscentia. Et hoc est quod ait Christus parabola hominis incidentis in latrones, quod ab iis vulneratus sit et spoliatus, *Luc.* X, 38 ; nam, ut ait ibidem Glossa : «Adam peccans spoliatus est donis gratuitis, et vulneratus in naturalibus.» Dum enim privatus est justitia originali, necessario vulnus accepit in natura, utpote quam integrabat justitia originalis. Deus enim primitus potentias hominis condidit inclinatas ad suum objectum, ac consequenter appetitum sensitivum ad appetendum objecta sensibilia, quasi objecta sibi proportionata et commoda : atque insuper addidit gratiam, quæ subordinaret illum cæterasque potentias rectæ rationi : qua per peccatum spoliatus homo relapsus est in suam ataxiam et concupiscentiam.

Concupiscentia ubi?

Quinto, concupiscentia non tantum est in appetitu sensitivo, licet in eo magis appareat, sed et in intellectu ac voluntate, quatenus in bona sen-

sibilia et naturæ commoda feruntur et propendent, quæ bono honesto et rectæ rationi repugnant. Itaque intellectus et voluntas in homine virtualiter est quasi duplex. Est enim in ea pars superior, quæ honestum, Deum et cœlum intuetur; et pars inferior, quæ bona terrena et caduca spectat. Concupiscentia ergo intellectus est curiositas, vanitas, inflans superbia. Concupiscentia voluntatis est cupiditas honoris, gloriæ, opum, deliciarum. Quocirca voluntas hic secum luctatur et pugnat, dum, ut ait Apostolus, caro concupiscit adversus spiritum et spiritus adversus carnem. Hanc duplicem voluntatem in se sensit et expressit Christus orans in horto : « Pater, si vis, transfer calicem istum a me : verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat. » *Lucæ* XXII, 42. Pars enim inferior voluntatis Christi appetebat vitam, horrebat mortem a Patre decretam : pars vero superior ejusdem plane erat conformis voluntati et decreto Patris, appetens et ambiens mortem ; unde secundum eam Christus est exauditus, eademque noluit exaudiri desiderium et appetitum partis inferioris mortem deprecantis, ut docte annotavit S. Athanasius, tract. *De Cruce et passione.*

Ex dicis patet, concupiscentiam esse vim appetendi immoderatam tum in voluntate, tum magis in appetitu sensitivo. Homo enim est, quasi compositum conflatum ex angelo et bestia, et quasi utriusque participium, imo nexus et unio. Anima enim rationalis est infima in genere creaturarum spiritualium, ideoque animæ sensitivæ animalium vicinissima, in eamque quasi degenerat : jungit enim in se rationem, quam habent angeli, et sensum, quem habent bestiæ; sed ita ut magis propendeat in sensum, quam in rationem : unde plus habet bestiæ, quam angeli. Quocirca prudenter monet S. Bernardus serm. 5 *de Ascens.* : « Ordinemus, ait, et custodiamus in nobis statum utriusque substantiæ, ne animam, nobiliorem utique hominis portionem, Tartaro pars devolvat inferior, sed secum potius cœlo sanctificatum corpus acquirat. » Nam, ut ait Clemens Alexandrinus, lib. IV *Strom.*, « homo videtur compositus ex Centauro (adeoque esse Centaurus), scilicet ex rationis participe et rationis experte, anima scilicet et corpore : corpus tendit ad terram, anima ad Deum extollitur. » Poetæ enim finxerunt Centauros esse conflatos ex homine et equo, vel tauro, ut eques cum equo esset Centaurus, uti dixi *Isaiæ* 34, 14.

Homo quasi conflatur ex angelo et bestia.

Vers. 15. 15. DEINDE CONCUPISCENTIA CUM CONCEPERIT, PARIT PECCATUM.— Cassianus, *Collat.* V, cap. IV, legit : « Concupiscentia cum fuerit concepta (scilicet in voluntate) parit peccatum. » Beda et Theologi passim ex hoc loco distinguunt tres gradus tentationis, nimirum suggestionem, delectationem et consensum; suggestio enim est, cum concupiscentia in se et quasi in utero suo concipit et excitat hosce pravos concupiscentiæ motus. Talis est titillatio gulæ, libidinis, iræ, superbiæ etc., antequam eos ratio advertat : unde hi motus vocantur primo primi et indeliberati, in quibus proinde nullum est peccatum, sed conceptus tantum peccati materialis, qui parit peccatum formale, puta delectationem, qua ratio et voluntas illecebris concupiscentiæ et peccati incipit delectari; in quo si hæreat et plene advertens consentiat, erit consensus et consummatio peccati.

Dicit ergo S. Jacobus : Concupiscentia cum bona delectabilia, quasi malum semen per oculos, aures aut phantasiam, sive a dæmone, sive aliunde suggestum haurit, ex eo concipit peccatum, dum scilicet ex libera voluntate, ceu patre, consensum aliquem, v. g. semiplenum, ceu prolem, ipsa quasi mater elicuerit et efformarit. Unde S. Augustinus, *hom.* 42 inter 50, cap. VIII : « Noli, ait, consentire concupiscentiæ tuæ. Non est unde concipiat, nisi de te? Consensisti? quasi concubuisti in corde tuo. Surrexit concupiscentia? nega te illi : noli eam sequi : concupiscentia cum conceperit, parit peccatum, etc. Ergo ne abstraharis a concupiscentia tua, nega te illi, noli eam sequi : illicita est, lasciva est, turpis est, alienat te a Deo. Noli dare consensionis amplexum, ne plangas partum : quia si consenseris, si amplexatus fueris, concipis. »

Concep. tio concupi centiæ.

Nota : Conceptio peccati fit per fortem rei concupitæ imaginationem, quam excitat appetitus sensitivus, sive concupiscentia. Hæc enim imaginatio rem concupitam ejusque pulchritudinem ad vivum rationi et voluntati repræsentat, eique ostendit quam sit suavis et delectabilis, ac facit eamdem iterum iterumque cogitari, inspici, animo volvi et revolvi : quæ cogitationum iteratio et revolutio parit rei delectationem, non tantum in ipso appetitu sensitivo, sed et in rationali, puta in voluntate, eo quod uterque in eadem sit anima; unde ratio et voluntas incipit iis affici, sed imperfecte, quia necdum plene advertit hoc esse grave malum, quod Deum graviter offendat. Peccat ergo venialiter ex indeliberatione; deinde pergens in hac rei concupitæ cogitatione et delectatione, plene advertens ejus malitiam, victa delectatione ei dat manus eique consentit, tuncque est peccatum consummatum et mortale. Conceptio autem hæc peccati, materialis tantum est, quamdiu hæret in sola imaginatione et appetitu sensitivo : mox vero ut ad se allicit rationem et voluntatem, est conceptio peccati formalis, saltem venialis.

Quocirca Joannes Alba Electorum, cap. XCV : Concupiscentia, inquit, peccatum concipit, cum illud cogitat : conceptus enim phantasiæ et mentis, est ipsa ejus cogitatio. Nam concupiscentia primo tentat suggerendo homini illecebras. Deinde homo sic tentatus concipit, id est, cogitat et versat animo id ad quod invitatur a concupiscentia, nunc cogitans illud amplecti, nunc cogitans illud refutare, itaque secum luctatur et animo fluctuat, peccatque semipleno consensu, ac tandem victus

illecebrarum appetitu deliberate eis consentit, et pleno voluntatis consensu peccatum consummat.

Qui ergo vult tentationes concupiscentiæ vincere et evadere, imaginationem cohibeat, et a bonis concupiscibilibus violenter avertat, eamque rebus bonis sanctisque occupet, ac in primis lectioni et studio S. Scripturæ, Patrum, vitarum Sanctorum, historiarum, Theologiæ, Philosophiæ, etc., addicat. « Ama scientiam Scripturarum, et vitia carnis non amabis, » ait S. Hieronymus. Quin et Seneca senior, qui fuit pater Senecæ philosophi, præceptoris Neronis : patris enim esse hoc opus, patet ex titulo, et docet Lipsius in *Controv.* : « Sapiens (Mela filius meus) hoc unum, inquit, concupiscit, nihil concupiscere. »

Concupiscentia non est peccatum. Primo.

Hinc patet *primo*, motus concupiscentiæ qui rationem præveniunt, ideoque omnino sunt involuntarii, nulla esse peccata. *Primo*, quia S. Jacobus ponit progressum quo a tentatione venitur ad peccatum, nimirum *primo*, ponit ipsam illecebram concupiscentiæ ante omne peccatum, quæ est ipsa tentatio, dum dicit : « Unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua; » quam patet non esse peccatum, quia paulo ante dixit, eum qui suffert tentationem esse beatum, id est, qui eam patitur invitus, quia talis tentatio non est fomes peccati, sed materia meriti. Deinde ponit partum, videlicet peccatum aliquod, verbi gratia, veniale; qualis est delectatio præveniens plenam deliberationem. *Tertio*, ponit mortem, seu peccatum mortale, cum videlicet accedit plenus consensus.

Præclare S. Augustinus, lib. V *Contra Julianum* : « Profecto, ait, in his verbis (Jacobi) partus a pariente discernitur. Pariens enim est concupiscentia, partus peccatum : sed concupiscentia non parit, nisi conceperit : non concipit, nisi illexerit, id est ad malum perpetrandum obtinuerit voluntatis assensum. » Idem, libro I *Contra duas epist. Pelag.*, cap. X : « Nulla ergo damnatio est iis qui sunt in Christo Jesu : non enim damnatur, nisi qui concupiscentiæ carnis consentit. »

Secundo.

Secundo, quia isti motus non sunt in nostra potestate, ut eos avertere aut evitare possimus : non enim in nostra potestate est, quibus visis tangamur. Peccatum autem est in nostra potestate, puta voluntarium, adeo ut, si non sit voluntarium, non sit peccatum, uti docet S. Augustinus, lib. I *Retract.* cap. XIII, et lib. XXII *Contra Faustum*, cap. XXVII. Unde hi motus inveniuntur etiam in justificatis et sanctis, uti docet Apostolus *Rom.* 7, in quibus nihil est damnationis, ut idem ait cap. VIII, 1.

Tertio.

Tertio, quia Philosophi et Theologi, ipsaque experientia docet tales actus non esse humanos, id est liberos, qui a ratione advertente et voluntate consentiente procedant; sed esse actus imaginationis et appetitus sensitivi. Unde S. Paulus, licet sanctus, sentiens tamen in se hosce motus, aiebat *Rom.* VII, 20 : « Si quod nolo illud facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum, » *q. d.* Si concupisco repugnante voluntate, non ego censeor hoc facere : nam consentio legi Dei : sed concupiscentia, quæ meam rationem et libertatem antevertit. Cum ergo hi actus non sint humani, homini ad culpam et pœnam imputari nequeunt.

Quarto.

Quarto, id docet Concilium Tridentinum, *sess.* V : « Manere, ait, in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, hæc S. Synodus fatetur et sentit; quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus, non valet; quinimo qui legitime certaverit, coronabitur. Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, S. Synodus declarat Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod vere et proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit. » Hinc S. Basilius, *De Constitutione monast.* cap. II, asserit omnes affectiones carnis esse naturales, neque in iis esse peccatum, nisi ex negligentia animæ procedant. Sicut si equus petulans, ait, dejiciat sessorem, culpa non est equi, utpote qui ratione non utitur, sed imperiti et incauti sessoris : ita si homo per concupiscentiam trahatur in peccatum, culpa non est carnis, sed spiritus. Et S. Chrysostomus, homil. 19 *Ad populum* : « Concupiscere, inquit, naturale est, at male concupiscere jam voluntatis est. » Et S. Prosper, lib. II *De Vita contemplativa*, capite III, agens de stimulis carnis : « Non has, ait, affectiones habendo, sed eis male utendo delinquimus. » Et lib. III, cap. IV : « Peccatum perpetrare non possum, nisi malæ delectationi consentiam. » S. Gregorius, lib. XXI *Mor.*, cap. III : « Mentem, ait, nequaquam cogitatio immunda inquinat, cum pulsat, sed cum hanc sibi per delectationem subjugat. » S. Cyrillus, lib. IV *in Joan.*, capite LI : « Si voluptas quædam ante omne peccatum præcurrit, et fervens cupiditas ad delicta solet illicere, quæ ante peccati actum insidet, et mentis consensum arripit, persuadens facile hac via veniendum nobis esse quo gliscimus. Quod discipulus Christi verum ostendit, dicens : Unusquisque a sua cupiditate distractus atque seductus tentatur. »

Ex dictis patet errare Cajetanum, *Commentariis in D. Thomam*, loco mox citando, qui sensit motus concupiscentiæ in appetitu sensitivo per se, et sine omni voluntatis consensu esse peccata venialia. Ratio ejus est, quod appetitus inferior habeat aliquam per se libertatem, uti indicat D. Thomas, I II, *Quæst.* LXXIV, art. 2, ad 3, et art. 3, ad 1. Unde vulgo dicitur, « appetitum moveri politice a ratione, membra vero despotice. » Verum et hic est error. Omnis enim libertas est in voluntate, et a voluntate, uti docet Schola Philosophorum et Theologorum; nec dissentit D. Thomas, uti patet ibidem art. 1 et 2, ad 1, ubi expresse ex S. Augustino docet non nisi voluntate peccari. Quod ergo

tribuit peccatum veniale appetitui, mortale voluntati, id facit per quamdam attributionem, seu appropriationem : quia enim peccatum veniale est imperfecte humanum et voluntarium, ac sensualitas est prima ejus origo, idcirco illi tribuitur; mortale vero, qui perfectam libertatem requirit, tribuitur voluntati.

Porro dicitur appetitus inferior moveri politice, non quod in se liber sit, sed quia potest aliquo modo resistere voluntati, ut civis magistratui, saltem motu inefficaci : repugnante enim voluntate et invita, non cessat appetere et concupiscere bona sensibilia et illicita.

Moraliter de resistendo concupiscentiæ

Moraliter, S. Jacobus tacite hic docet *primo*, resistendum esse concupiscentiæ, ait S. Augustinus, lib. I *de Civit.* XXI, nimirum concupiscentiam esse malam et peccati illicem, ideoque non amandam et sequendam, sed summe odiendam et assidua contra eam lucta mortificandam esse. Inde enim passim homines velut cæci et insani ruunt in peccata, quod velut bruta sequantur concupiscentias, sicut Adam secutus est suam Evam, juxta illud *Ps.* XLVIII, 21 : « Homo cum in honore esset, non intellexit : comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis. » Concupiscentia enim in homine similis, imo eadem est, quæ in bestiis, v. g. in sue est concupiscentia gulæ, in leone superbiæ, in lupo rapinæ, in asino acediæ. In homine enim appetitus inferior est sensibilis et vehemens; rationalis vero est spiritualis, insensibilis et debilis : unde facile sinit se trahi ab appetitu inferiori, quasi a pondere graviori. Qui ergo sapit, suæque animæ et salutis curam gerit, sciat concupiscentiam, licet intime animæ infixam, licet blandientem, licet suavem, esse sirenem exitialem, esse hostem capitalem, ac proinde eam ut hostem insectetur, cum eaque gerat ἄσπονδον πόλεμον, *irreconciliabile bellum*. Ipsa enim est vipera, suo conceptu et partu matrem, id est rationem et voluntatem, enecans. Hinc « quocumque pergimus, nobiscum portamus inimicum, » ait S. Hieronymus *ad Eustochium*. Unde semper et ubique per omnem vitam, nobis cum eo colluctandum et acriter dimicandum est : quare semper in eum oculos defigere debemus, ne clanculum in animum se insinuet, nimirum ut quasi hostem observemus, repellamus et mortificemus.

Secundo, innuit primis concupiscentiæ motibus statim obsistendum esse, idque statim, ut ab illis illico fidelis mentem avertat ad Deum, ejusque opem ad illos superandum imploret : concupiscentia enim blande irrepit, et instar serpentis quo caput infert, eodem totum reliquum inducit corpus, eoque totus illabitur. Quare hic verissimum est illud :

> Principiis obsta : sero medicina paratur,
> Cum mala per longas invaluere moras.

Et istud Senecæ, *epist.* 117 : « Non obtinebis ut desinant, si incipere permiseris : imbecillis est primo omnis affectus, deinde ipse se concitat, et vires dum procedit parat; excluditur facilius, quam expellitur. » Et Plutarchus, lib. *De Profectu virtutum*, hoc profectus signum evidens assignat : « Si proficiens nullum jam peccatum exiguum putat, sed omnia studiose vitat et observat. » Et S. Chrysostomus, hom. 22 *Ad populum* : « Cani, inquit, similis est voluptas : si pellas, fugit; si nutrias, permanet. » Idem, serm. 3 in verba Isaiæ, *Vidi Dominum* : Sicut, inquit, cervus jaculo confixus in vitali corporis parte, etiamsi venatorum manus effugiat, nihil inde fert lucri : sic et anima accepto concupiscentiæ jaculo, si cum eo permittatur abire, ipsa per se corrumpitur, ac perit.

Præclare S. Hieronymus, epist. *ad Eustochium de custodia virg.* post initium : « Statim, ait, ut libido titillaverit sensum, aut blandum voluptatis incendium dulci nos calore perfuderit, erumpamus in vocem : Dominus auxiliator meus, non timebo quid faciat mihi caro. Et cum paululum interior homo inter vitia atque virtutes cœperit fluctuare, dicito : Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deo, quia confitebor illi salutare vultus mei et Deus meus. Nolo sinas cogitationem crescere : nihil in te Babylonium, nihil confusionis adolescat. Dum parvus est hostis, interfice; nequitia, ne zizania crescant, elidatur in semine. Audi Psalmistam : Filia Babylonis misera, etc., beatus qui tenebit et allidet parvulos tuos ad petram; quia enim impossibile est in sensum hominis non irruere innatum medullarum calorem, ille laudatur, ille prædicatur beatus qui, ut cœperit cogitare sordida, statim interficit cogitatus, et allidit ad petram; petra autem Christus est. » Subdit de se exemplum : « O quoties ego ipse in eremo putabam me Romanis interesse deliciis, etc. Itaque omni auxilio destitutus ad Jesu jacebam pedes, rigabam lacrymis, crine tergebam, et repugnantem carnem hebdomadarum inedia subigebam. Memini me clamantem diem crebro junxisse cum nocte, nec prius a pectoris cessasse verberibus, quam rediret Domino increpante tranquillitas. Post multas lacrymas, post cœlo inhærentes oculos, nonnunquam videbar mihi agminibus interesse angelorum, et lætus gaudensque cantabam : Post te in odorem unguentorum tuorum curremus. »

Sane contra omnes concupiscentiæ motus et tentationes, nullum est præsentius et efficacius remedium, quam oratio, qua nostris diffisi viribus, Dei opem humiliter et ardenter imploramus, dicentes cum Psalte : « Deus, in adjutorium meum intende; Domine, ad adjuvandum me festina; » uti docet Cassianus, imo Christus ipse, dicens : « Vigilate, et orate, ut non intretis in tentationem, » *Matth.* XXVI, 41. Quocirca dæmon id sciens, ut hæc arma tentatis eripiat, solet eis injicere alias cogitationes, ut ad humana auxilia respectent, ac Dei et orationis obliviscantur. Qui sapit ergo, illico ut sentit concupiscentiæ stimulum, ad Deum

mentem attollat, ejusque opem per Beatam Virginem supplex imploret, et statim illam sibi adesse sentiet. Porro ordinem gradusque tentationis egregie describit noster Thomas Theodidactos, lib. I *De Imit. Christi*, cap. XIII : « Primo, ait, occurrit menti simplex cogitatio, deinde fortis imaginatio, postea delectatio et motus pravus, et assensio, sicque paulatim ingreditur hostis malignus ex toto, dum illi non resistitur in principio. Et quanto diutius quis ad resistendum torpuerit, tanto in se quotidie debilior fit, et hostis contra eum potentior. »

Quisque suum vitium norit et persequatur.

Tertio, quisque seipsum norit, nimirum qua maxime concupiscentia laboret et pulsetur : in his enim dominatur concupiscentia gulæ, in illis superbiæ, in aliis avaritiæ, in aliis acediæ. Dum ergo gulosus sentit cogitationem et concupiscentiam deliciarum, superbus honorum, avarus opum, acedus timoris et torporis, sciat hanc suam esse concupiscentiam, suam tentationem, suum vitium cui illico totis viribus resistere debeat. Magna pars victoriæ est, nosse id quod suggeritur, esse tentationem : si enim scrupulosi, acedi, timidi, melancholici scirent cogitationes, et motus timoris, angoris, tristitiæ, pusillanimitatis, qui eis crebro suggeruntur, esse a scrupulo, acedia, timore, melancholia, illico eos aversarentur et repellerent ; at dum metus et anxietas mentem percellunt et obnubilant, id non vident timentque ne quid veri dubii, timoris et peccati subsit aut lateat : ideo anguntur et cruciantur. Credant ergo suis confessariis, virisque prudentibus, credant suæ experientiæ, sibique dicant : Ego laboro nimio metu, angore, scrupulo, hic meus est morbus, hoc meum malum, hoc meum vitium : crebro ejus motibus exagitor : hactenus re discussa expertus sum et didici, metus qui mihi suggeruntur inanes esse et vanos : in re nihil esse metuendum; hunc ergo pariter ut inanem et vanum contemnam. Sicut enim hydrophobi, qui metu et melancholia laborant, omnia tuta timent, ne v. g. domus in eos cadat, ne pavimentum eis dehiscat, ne tegula decidens eos feriat, ideoque eis dicunt medici : Erras, ista tibi suggerit humor melancholicus; domus non gyrat, firma consistit, non cadet, sed tuum cerebrum gyrat, laboras capitis vertigine et mania; ne ergo credas illis suggestionibus, quos tibi tuus timor et mania parit : vides enim cæteros illis non credere, imo ridere ut vanos et futiles. Ita prorsus accidit scrupulosis, meticulosis et tristibus, qui proinde suis apprehensionibus et angoribus totis viribus resistere debent, ac imitari Christum, qui orans in horto adeo valide timori et horrori mortis restitit, ut ex lucta et contentione sudarit sanguinem, *Lucæ* XXII, 44; ideoque plane horrorem hunc vicit et prostravit. Si simili conatu timoribus nostris resisteremus, utique eos debellaremus.

Idem est in aliis concupiscentiis et tentationibus ; nam, ut ait S. Ambrosius, lib. IV *in Luc.*, cap. IV : « Honorum gratia, sublimitas potestatum, epularum suavitas, forma meretricis laqueus est diaboli, et quasi quidam nequitiæ spiritualis illecebrosus effectus, qui per carnis illecebram, quæ cito feminea quadam lenitate mollitur, animum quoque de gradu dejicit : neque enim formam mulieris animus prius quam corporis oculus concupiscit. Denique quod non videris, non amabis : sed ubi caro concupierit, compatientis quoque animi constantia defatiscit, et mens consortio amoris inflectitur. Duo enim in carne una sunt; atque ita mors irrepit sceleris effectu, tentante diabolo, carne suadente. Vehementior tamen est animi, quam corporis febris. » Dat exemplum : « Theotimus cum gravi oculorum incommodo laboraret, et amaret uxorem; interdicta sibi a medico facultate coeundi, cupiditatis impatiens, atque impetu libidinis raptus : Vale, ait, amicum lumen; sic febre libido flagrantior est, graviusque præcipitat et inflammat. Sed ubi quis resipuerit a furore, tunc conscientiæ interioris aperitur visus factique pœnitentia succedit, et pudenda sui quisque facinoris erubescit. » Quocirca sapienter S. Methodius apud S. Epiphanium, *hæresi* 64 : « Vides, ait, quod cogitationes, propter inhabitans in nobis peccatum forinsecus nobis instant velut canes rabiosi, aut feri, vel audentes latrones contra nos semper instigati a tyranno, ac principe iniquitatis, probantes nos an resistere ipsis possimus, et aciem contra instruere. Age igitur, o anima, fortiter resiste, ne forte remittens capiaris. » Sic concupiscentia iræ agit homines, cogitque insilire et rabie affici ut canes, pungere ut scorpiones, mordere ut serpentes. Porro concupiscentia nascitur nobiscum, uti docet S. Augustinus, lib. I *Confess.*, cap. VII, nec deserit ante mortem. Relicta est ergo nobis a Deo in pœnam peccati ad agonem, ut cum ea assidue colluctantes inertiam depellamus, vigilesque simus in Dei obsequio, ac crescamus in virtute, victoria et meritis, atque a terrenis mentem avocantes suspiremus ad cœlum, ingemiscentes cum Apostolo : « Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? » *Rom.* VII.

Concupiscentiæ feritas.

Porro quam concupiscentia valida sit, effera et indomita, liquet *primo*, in adolescentibus, qui immenso libidinum incendio flagrant, ut pene ad insaniam redigantur. *Secundo*, in inventione novarum illecebrarum gulæ et obscœnitatis, quibus concupiscentia hominum longe superat concupiscentiam bestiarum, uti ostendit Plutarchus, lib. *Quod bruta ratione utantur*. *Tertio*, quia Anachoretæ Sanctique omnes ut concupiscentiam domarent, miris modis seipsos continuo afflixerunt jejuniis, vigiliis, ciliciis, humi cubationibus, spinarum aculeis, flagellis, etc. Lege Vitas Patrum, et miraberis eorum austeritates et mortificationes. *Quarto*, idem liquet ex lapsibus virorum sanctorum, sapientum et fortium, quavis ætate et quavis plaga. Quis fortior Samsone? quis sapientior

Salomone? quis sanctior Davide? et tamen hos prostravit concupiscentia feminarum. Quin et Plato, lib. III *De Repub.*, quem citat Clemens Alexandrinus, lib. III *Strom.*, asserit corporis voluptatem sapientiæ repugnare et esse dominam sævissimam, a qua felicissimum sit posse liberari. Et Sophocles, teste Cicerone, lib. *De Senectute*, ait nullam capitaliorem pestem, quam voluptatem corporis hominibus a natura datam.

Cupidinis effigies. Hinc Poetæ ex concupiscentia formarunt Cupidinem quasi deum, Veneris filium : cuique etenim Deus est sua dira Cupido. Pinxerunt eum quasi puerum, velatis oculis, alatum, armatum arcu et sagittis, gestantem facem, et nudum.

Mores. Primo. Ex hisce disce concupiscentiæ conditiones, et mores. Concupiscentia enim *primo*, amabilis videtur instar elegantis pueri, atque instar pueri mutabilis est, nunc hoc volens, nunc aliud, eaque de causa puer hic a nonnullis pingitur multiceps : multa enim capita multitudinem et varietatem alternantium cupiditatum repræsentant.

Secundo. *Secundo*, eadem cæca est, quia imprudens nascitura ex se damna non prospicit, nec cavet, ait Socrates in *Symposio* Xenophontis. Et Plato : « Amor, ait, est cæcus, quia amantes in re amata cæcutiunt. » Et Theocriti interpres in decimo Idyllio ad aliud Theocriti, *Cæcus non modo Plutus, verum etiam delirus Amor* : « Nota, ait, quod antiqui duos cæcos dicebant, Cupidinem et Plutum : nam qui amat, cæcus est : quid faciat non videt ullus amans; nam deformem amat mulierem, quæ illi videtur esse pulcherrima; » amor enim facit turpe videri pulchrum.

Tertio. *Tertio*, eadem alata est, quia celerrime ad objecta concupita avolat, imo involat instar accipitris aut vulturis.

Quarto. *Quarto*, eadem pharetrata est, quia suarum illecebrarum cupiditate sauciat cor hominis, quod ferit et occupat.

Quinto. *Quinto*, eadem πυροφόρος est, et facem accensam gestat, quia rerum cupitarum in animo æstus et incendia suscitat.

Sexto. *Sexto*, eadem nuda est, quia seipsam manifestat et celare nequit :

> — Quis enim celaverit ignem,
> Lumine qui semper proditur ipse suo?

ita Alexander Aphrod. in *Problem.*

Septimo. *Septimo*, fuit et in curia Octaviæ (uti scribit Plinius) Cupido fulmen tenens, idque fractum : quia fulmine potentior est amor et cupiditas. Unde Poeta :

> Aligerum fulmen fregit Deus aliger (*Cupido*) igne,
> Dum demonstrat uti est, fortior ignis Amor.

Hinc et Themistocles in scuto gestabat Cupidinem tenentem fulmen, teste Athenagora, lib. XII, quia magis benevolentia quam ferro omnes sibi subjugare satagebat.

Octavo. *Octavo*, Cupido cognominatus est ὀμμάτιος, id est, *oculeus*, vel *oculatus*, quod oculis feriat : adspectus enim rei pulchræ intuenti sui injicit amorem quasi sagittam. Unde Plotinus : ἔρως, inquit, id est *amor*, dicitur quasi ὅρασις, id est *aspectus* et *visio*. Nam, ut ait Propertius :

> Si nescis, oculi sunt in amore duces.

Nono. *Nono*, Cupido a Platone vocatur tyrannus, quod in nobiles cœlestesque animos bacchetur, et tyrannidem exerceat, deprimens eas ad terrena et sordida; unde Euripides :

> Tuque, o Deum tyranne et hominum, Cupido.

Quin et Proclus in Platonis Sophista, Cupidinem vocat magum, quia incantat animos, ut magi, et non raro magicis artibus sui amorem excitat.

Decimo. *Decimo*, Harpys deus, a rapacitate, vocatus est Amor. Tradunt et fabulæ Erinnyn furiam ab Amore amatam fuisse, ut impotentiam et impetum significarent insane ac perdite amantium.

Undecimo. *Undecimo*, Cupido appellatus est πανδαμάτωρ, id est, *omnium domitor*, unde hæc ejus est vox :

> Perfringunt, penetrant, urunt mea spicula fulmen;
> Scilicet hinc nomen est mihi πανδαμάτωρ :

nam omnia vincit amor.

Duodecimo. *Duodecimo*, Cupido hic et amor terrestris cœlesti superandus et enecandus est : nimirum ἔρως per Anterota, de quo Alciati in *Emblem.* :

> Aligerum, aligeroque inimicum pinxit Amori,
> Arcu arcum, atque ignes igne domans Nemesis,
> Utque aliis fecit, patiatur et hic puer olim.
> Intrepidus gestans tela, miser lacrymat.
> Ter spuit, inque sinus imos (res mira) crematur
> Igne Ignis, furias odit Amoris Amor.

Hæc Giraldus *De Diis Gentium* syntagmate 13. Hinc S. Basilius in *Constit. monast.*, cap. III : « Affectiones, ait, corporis tunc violentæ sunt, cum ratio cessat : easdem illa moderante et imperium suum exercente, facillime obtemperant. » Ratio ergo pervigil eas domat regitque, perinde ut auriga vigilans equos : si enim dormiat, equi ibunt in avia. Idem ad Chilonem : Unam, ait, voluptatem expugnato, ne, si omnes simul, omnes agminatim in te irritatæ cooriantur, turbulentamque accersant menti tuæ tentationum intemperiem. Corpus substerne laborum exercitio, animam tentationibus æquanimiter tolerandis assuefacito.

Denique ut Cupidinis et Amoris efficaciam, ictumque fulmineum significarent, pinxerunt emblema, in quo pro Jove tonante Cupido ornatus fulmen ejaculatur in mare, Neptuno interim posito tridente, et genibus nixo Amoris numen reverente; sic enim canit :

> Sol calet igne meo, Neptunus flagrat in undis :
> Quamvis liber erat, feci servire Tonantem.
> Quamvis liber erat, Martem sine Marte subegi.

Et alius :

Amor Deum gubernat,
Amoris omne regnum est,
Amor de Deo triumphat,

ait S. Bernardus. Nimirum amor et φιλανθρωπία vicit vinxitque Deum, ut in carnem, mortem et crucem pro hominibus adeo amatis descenderet. Hic est noster sanctus Cupido, ex cujus passionis fonte si hauriamus aquam, imo sanguinem, restinguet ille omnes impuri Cupidinis faces, perinde ac Mutianus apud Plinium, lib. XXXI, cap. II, scribit Cyzici fontem Cupidinis esse et vocari, eo quod ex eo potantes amorem et cupidinem deponant. Vide S. Augustinum, lib. *De Continent.*, et serm. 45 *De Temp.*, ubi inter alia docet concupiscentiam cedendo augeri, resistendo minui. « Pugnat, inquit, repugna : noli eam cedendo satiare, sed resistendo necare; si ei non consentias, minor et minor erit quotidie, nam sunt vires illius subjectio tua : si enim cesseris, das ei vires. » Et inferius : « Consuetudini ergo semper repugnandum est, quia ipsa concupiscentia cum qua nati sumus, finiri non potest quamdiu vivimus. Quotidie minui potest, finiri non potest, etc. Et in isto bello est tota vita Sanctorum. » Quocirca sapienter S. Bernardus, serm. 56 *in Cant.* : « Cura, ait, concupiscentiæ totis resistere viribus, ut non pertrahat in consensum, et omnis deinceps malignitatis machina evanescit; nec est omnino quod sponsum prohibeat appropinquare tibi, præter solum parietem corporis; » id fit per circumcisionem non carnis, sed cordis, de qua Jeremias, cap. IV, vers. 4 : « Circumcidimini Domino, et auferte præputia cordium vestrorum, viri Juda, et habitatores Jerusalem, » id est visionis pacis, quam parit hæc circumcisio et mortificatio.

Porro vehementes concupiscentiæ et dæmonis insultus, cum phantasias illecebrosas ex visu, auditu, vel memoria rerum præteritarum, ad extricandum difficiles imaginationi, et per eam menti ingerit quasi jacula quædam ignita, vehementiori agilique imaginationis mentisque resultu, majore, inquam, contentione, et ad alia objecta animi applicatione elidere et eludere oportet, atque, ut ait S. Basilius in *Constit. monast.*, cap. XVIII : « Peritorum athletarum imitanda est consuetudo, qui summa tum animi attentione, tum corporis agilitate celeritateque adversariorum suorum apprehensiones eludunt, et belli omnis evasio, et telorum declinatio orationi, ac divinæ opis implorationi committenda. Hoc enim Paulus nobis præcepit, dum dixit : In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. » Et mox : « Si vero per adversarii impudentiam, flagitiosarum istiusmodi cogitationum vis vehementior etiam insurgat, ne sic quidem est succumbendum, aut dejiciendus animus, neque suscepta certamina ex dimidia parte confecta relinquenda : sed eo usque obfirmate perdurandum, quoad Deus perspecta nostra constantia, gratia Spiritus Sancti nobis affulgeat, nosque illustret, quæ et insidiatorem in fugam propellat, et mentem nobis puram efficiat, et divino lumine compleat, et rationi nostræ in pacatissima tranquillitate constitutæ otium ad Deum colendum suppeditet. » Id experti sunt S. Job, S. Antonius, S. Athanasius, S. Hilarion cæterique Sancti, qui tentationibus cunctis constanter restiterunt, usque ad ultimum vitæ spiritum; ac proinde cum Habacuc, cap. III, vers. 18, victores cecinerunt : « Ego autem in Domino gaudebo, et exultabo in Deo Jesu meo. Deus Dominus fortitudo mea, et ponet pedes meos quasi cervorum, et super excelsa mea deducet me victor in psalmis canentem. » Cervi enim quantavis retia et laqueos ingentibus saltibus continenter transiliunt, donec in tutum evadant : ita et nobis in tentatione omni est faciendum.

Idem S. Basilius, lib. *De S. Virgni.*, sapienter monet virginem ut caveat a consortio virorum, etiam spiritualium; quia horum aspectu excitatur concupiscentia, ut tandem amor spiritalis degeneret in terrenum, et charitas fiat carnalitas. « Proxima enim, ait, et velut contiguis januis Gentiles quoque aiunt vitia esse virtutibus. Quælibet denique virtutis janua simillimam in vitia ferentem utrimque speciem aperit, ut qui ad virtutem ingredi nititur, ejus primum januæ assistens, dum hanc se pulsare arbitratur, aperta sibi hinc aut inde altera ex vitiorum januis, deceptus maxima similitudine, ingrediatur veluti virtutis domum, cunctis ejus errorem irridentibus. » Sic sæpe amoris divini januam pulsantibus, vicinum ei ostium aperit amor mundi; ut ad amorem mundi divertat pulsans, putans se divertere ad amorem Dei. « Hoc modo eos qui audentes ad virtutem esse cuperent fallens, temerarios arguit; qui vero temeritatis probra metuerent, eos timidos ac pusillanimes prodidit. Et qui misericordes esse studerent, ad vitia male mollivit; qui vero misericordes esse renuerent, immites immanesque declaravit : ita et qui charitatis pulchritudinem sequuntur, eos falso dilectionis nomine, vel ad voluptates corporis vitamque cunctis execrabilem dejicit, vel ejusce probra et opprobria pertimescentes, odisse fratres, et absque ullo boni sensu persistere facit. Itaque ne declines ad dexteram, seu ad sinistram, ne forte errore seductus in aliquam ex vitiorum portis devolvaris, sed mediam et regiam incedas virtutis viam. » Hæc S. Basilius.

PECCATUM VERO CUM CONSUMMATUM FUERIT, GENERAT MORTEM. — Hic enim, ut superius dixi, tentationis et peccati triplex est gradus et ordo. *Primus* est suggestio, seu cogitatio rei malæ, in qua nullum plerumque est peccatum, quia sæpe a dæmone immittitur et suscitatur sine nostra culpa.

Secundus est, delectatio, videlicet cum voluntas negligit illam reprimere, vel imperfecte consentit: et in hoc est peccatum veniale. *Tertius* est consensus deliberatus in quo est peccatum mortale, si materia sit gravis, et sub gravi obligatione vetita. Unde S. Isidorus, lib. II *De Summo bono*, cap. XXIII : « Istis, ait, fomitibus quasi quibusdam gradibus convalescit omne peccatum: suggestio operatur delectationem, delectatio consensum, consensus operationem, operatio consuetudinem, hæc necessitatem. »

Ubi adverte, peccatum dupliciter consummari. *Primo*, cum voluntas interius deliberate et plene in illud consentit; hoc generat mortem animæ, quia per peccatum mortale anima privatur gratia, quasi vita sua, itaque spiritualiter moritur, fitque rea mortis æternæ. De hac morte hunc locum accepit S. Augustinus, *homil.* 42 inter 50, Bellarminus et alii multi. Unde Nazianzenus, *orat.* 19, ait unam duntaxat esse veram mortem, nimirum peccatum, quia ipsum est interitus animæ. Et S. Augustinus, lib. III *De Civit.*, cap. XI : « Mors, ait, animæ fit, cum eam deserit Deus; sicut corporis, cum id deserit anima. »

Secundo, cum in eo voluntas hæret et perdurat usque ad finem vitæ; tunc enim plene consummatur, generatque mortem æternam in gehenna, ad quam illico animam transmittit; licet enim ibi anima vivat, dicitur tamen mors, quia, ut ait S. Augustinus, lib. VI *De Civit.*, cap. ultim. : « Si anima in pœnis æternis vivit, mors potius illa dicenda est, quam vita : nulla quippe major et pejor est mors, quam ubi non moritur mors, » juxta illud Poetæ :

Immortale malum nulla delebile morte.

Huc quoque respexit S. Jacobus, quia mortem hanc peccantium, qui tentatione vincuntur, opponit coronæ vitæ quam patientes, qui tentationes vincunt, et in hac victoria constantes perdurant usque ad mortem, post eam illico adipiscuntur in cœlis, uti dixit vers. 12. Hæc est mors secunda et æterna, cujus illa prior est quasi conceptio et inchoatio. De hac accipit hunc locum Theodorus Studita, serm. 113; S. Fulgentius, lib. I *ad Monimum*, cap. V, Lorinus et alii.

Consummatur peccatum quadrupliciter.

Consummatur ergo peccatum, *primo*, per plenum et deliberatum in illud consensum internum. *Secundo*, et magis, dum consensum hunc opere externo consummat, v. g. dum homicidium mente designatum reipsa perpetrat. *Tertio*, cum in eo se obfirmat, vel iterat, ut consuetudinem sibi inducat, et de hac S. Jacobum hic loqui censet Thomas Anglicus. *Quarto*, dum in eo moritur transitque ad mortem æternam : mors enim est vitæ rerumque omnium consummatio et finis. Unde et Christus pro peccato moriens in cruce, dixit : « Consummatum est, » *q. d.* Hac mei holocausti, lytri, obedientiæ et patientiæ consummatione et morte satisfacio, et aboleo peccatum, ejusque consummationem quæ in morte consistit. Opponit S. Jacobus concupiscentiam patientiæ in eo quod, sicut patientia perfectum opus habet, sic et concupiscentiæ perfectio et consummatio sit ipsa mors.

Prosapia peccati.

GENERAT MORTEM. — Nota hic insignem metaphoram petitam a generatione humana, qua peccati generatio et prosapia describitur : nam mater peccati est concupiscentia, pater est libera voluntas; semen matris est suggestio et titillatio, vel voluptas quam ingerit excitatque concupiscentia; semen patris est ipse consensus voluntatis, prout est in fieri. Proles est ipse consensus, prout consideratur in facto esse, hic enim est ipsummet peccatum. Proles autem hæc *primo*, est imperfecta, velut embryo et fœtus incompletus: talis est consensus semiplenus, sive peccatum veniale ex indeliberatione. *Secundo*, est proles omnino formata et perfecta : talis est consensus plenus, sive peccatum mortale deliberatum. De peccatis enim quæ ex objecto et levitate materiæ tantum sunt venialia, hic directe non agit S. Jacobus. Nepos peccati est actus externus, v. g. ipsum homicidium. Pronepos est consuetudo peccandi. Abnepos est mors in peccato. Trinepos est mors æternæ gehennæ. Ecce quam mala et misera soboles a peccato, quasi a tritavo proseminata succrescit. Quocirca vere S. Augustinus, lib. V *Contra Julianum*, cap. III : « Concupiscentia carnis, ait, adversus quam bonus concupiscit spiritus, et peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis; et pœna peccati est, quia reddita est meritis inobedientis; et causa peccati est, defectione consentientis, vel contagione nascentis. »

Prosapia virtutis.

Contraria est generatio et prosapia boni operis et virtutis. Ejus enim mater est voluntas, pater gratia Dei, semen sanctæ cogitationes et inspirationes. Harum enim dulcedine allecta voluntas per gratiam Dei parit bonum opus, v. g. pœnitentiam et propositum efficax mutandæ vitæ, quasi prolem spiritualem, juxta illud *Isaiæ* cap. XXVI, vers. 18 : « A timore tuo concepimus et peperimus spiritum salutis, » uti ex Septuaginta legit S. Augustinus, serm. 20 *De Verbis Domini*. Nepos est ipsa propositi executio, vitæque mutatio. Pronepos est perseverantia et progressus in hoc bono proposito. Abnepos est mors in eo. Trinepos est corona vitæ et gloria æterna. Hæc ergo est generatio Dei et filiorum ejus, quam diabolus quasi simia mediante concupiscentia imitari, imo evertere et occidere satagit, sicut occidit Adamum per Evam.

Sapienter S. Augustinus, *hom.* 42, inter 50 : « Vel mortem, ait, time, si peccatum non times : peccatum enim cum consummatum fuerit, generat mortem. Nondum times peccatum : time quo perducit peccatum. Dulce est peccatum, sed amara est mors. Ipsa est infelicitas hominum; propter quod peccant morientes, hic dimittunt, et ipsum

peccatum secum portant. Peccas propter pecuniam, villam, mulierem? hic dimittenda sunt, quando oculos in morte clauseris, et ipsum peccatum quod committis, tecum portas, ut te comburat in omnem æternitatem. » Concupiscentiæ enim sunt folles et fomenta gehennæ, juxta illud *Isaiæ* L, 11 : «Ecce vos omnes accendentes ignem accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, et in flammis quas succendistis. De manu mea factum est hoc vobis, in doloribus dormietis. » Ita Israelitæ murmurantes et concupiscentes carnes, a Deo puniti sunt morte, et sepulti in sepulcris concupiscentiæ, *Num.* XI, 33. Plura et recentiora hujus rei exempla recenset B. Petrus Damianus, lib. VII, epist. 19 *ad Blancam Comitissam.* « Vectigal ergo cupiditatis est calamitas, » ipsaque mors, juxta illud *Isaiæ* XIV, 11 : «Subter te sternetur tinea, et operimentum tuum erunt vermes. » Dum ergo tentaris concupiscentia, cogita mortem, cogita tineas, cogita vermes et bufones, qui carnem tuam depascentur; in eaque tanto magis deliciabuntur, quanto delicatius eam nutriveris et impinguaveris. » Sed hæc exilia sunt, et præludia tantum mortis æternæ ignisque gehennæ, de quo Isaias, XXXIII, 14 : « Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? »

Vers. 16. 16. NOLITE ITAQUE ERRARE, FRATRES,—Μὴ πλανᾶσθε, id est, non sinatis vos deduci et in errorem abduci a Simone Mago, hæreticis aut philosophis, ut scilicet cum tentamini, dicatis cum Simone, vos a Deo tentari : Deum enim auctorem esse omnium tam malorum, quam bonorum; aut ut dicatis sapientiam et patientiam proprio ingenio et virtute comparandam esse, non autem postulandam a Deo, uti docui vers. 5 : tota enim disputatio Jacobi hucusque fuit de patientia et concupiscentia, nimirum docuit patientiam in qua sapientia Christiana consistit, flagitandam a Deo, ut concupiscentiam vincamus : Deum enim esse auctorem omnis boni et nullius mali, omnis virtutis et nullius concupiscentiæ. Unde errores hosce omnes una sententia et axiomate, quasi lethifero telo prosternens, subdit : « Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum. » Paris enim erroris et impietatis est, vel cum Simone aliquid mali Deo adscribere, vel cum Philosophis et Pelagianis aliquid boni adimere. Impia enim et athea est illa Philosophi vox de Jove, sive Deo :

Det vitam, det opes, animum æquum mihi ipse parabo.

Vera sapientia est Dei suique cognitio.

Ex adverso magna sapientia est sapere, et practice intelligere hanc veritatem, nos a nobis nil boni habere, nil sapientiæ, nil virtutis; sed totum id Deo donanti cum humili agnitione et gratiarum actione acceptum ferre. Sapuit hoc S. Franciscus, cujus per noctes integras hæc una erat meditatio et oratio : « Quis ego, Domine, quis tu? Ego abyssus nihili, ignorantiæ, miseriæ, malitiæ : tu abyssus omnis essentiæ, sapientiæ, felicitatis et bonitatis. Abyssus ergo meæ inopiæ tuam abyssum copiæ invocat. » Sic et Christus S. Catharinæ Senensi hæc duo documenta dedit : « Cogita quæ tu, quis ego. Cogita de me, et ego cogitabo de te. »

Idipsum cœlesti illustratione didicit noster Petrus Canisius, Germaniæ apostolus : nam, ut in ejus Vita, lib. I, pag. 257, scribit P. Sacchinus, cum Lauretum pergeret Deiparæ cellam veneraturus; « Anconæ in templo aperuit Deus oculos mentis, novumque de cœlo lumen infudit ingens, fidele, magnorum caput ac fontem laudum. Monstrabat id lumen interiori oculo verum firmumque fundamentum religiosæ vitæ; simulque docebat, quemadmodum consilia ei sua omnia imponere, et studia omnia ac facta deberet. Fundamentum autem erat suimet cognitio intima, per quam penitus comprehenderet vilitatem inanitatemque suam, quam foret ipse nihil, quam boni nihil neque nosset, neque vellet per se, neque posset, neque haberet; cum omnium bonorum initia, media, extrema in uno sita Deo, nec usquam alibi, præterquam in Deo ab ratione utentibus collocanda sint. » Hoc lumen novum et insolitum magna gratiarum actione celebravit Canisius, eique quasi fundamento omnes suas actiones superstruxit, soli Deo dans gloriam : sibi vero defectum, correctionem, miseriam. Inde tanta moles ædificii, tanta gratiarum et animarum messis succrevit.

Vers. 17. 17. OMNE DATUM OPTIMUM, — ἀγαθή, id est *bonum;* idque *primo*, simpliciter, *q. d.* Omne datum bonum est a Deo dante : omne vero datum malum non est a Deo; sed vel a dæmone, vel a concupiscentia.

Secundo, « bonum » hic κατ' ἐξοχήν insigne et præstans, optimumque intelligitur, nimirum « donum perfectum, » ut subdit, qualis est patientia, sapientia et victoria concupiscentiæ : de quibus hucusque egit S. Jacobus; ac generatio et filiatio divina, de qua mox explicans subdit : « Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis, ut simus initium, ἀπαρχαί, id est *primitiæ*, creaturæ ejus. » Hæc enim est donum perfectum et datum optimum, uti ad illam respiciens recte et solerter vertit noster Interpres : ita datum hoc et donum ad sapientiam refert S. Cyrillus, lib. IV *in Joannem*, cap. XXV, et alii.

Hoc donum « desursum est, » quia descendit a Deo patre luminum, qui gloriæ suæ thronum sursum posuit in cœlis, de quo ait Moses *Deuter.* LIII, 27 : « Ascensor cœli auxiliator tuus; habitaculum ejus sursum. » Vide ibi dicta.

Nota *primo* : Pro *datum* græce est δόσις, id est, *donatio;* « donum » vero græce vocatur δώρημα, *q. d.* Non donum omne est a Deo, sed et ipsa doni δόσις, sive donatio. Multi enim donant dona non sua, sed aliena, vel sua, sed aliunde accepta; aut sua non tam dant quam vendunt :

Deus autem doni omnis quod donat, et simul ipsius donationis gratuitæ et liberalis est auctor, imo creator. Verum Noster δόσις vertit *datum*, quia sæpe per metonymiam ipse actus significat objectum, puta datio significat datum, sive donum. Idem ergo est « datum optimum, » quod « donum perfectum ; » utitur enim exaggeratione S. Jacobus ut donum Dei amplificet. Sapienter Trismegistus in *Asclepio* : « Omnia Deus, ait, et ab eo omnia, et ejus voluntatis omnia : quod totum est bonum, decens, immutabile, prudens, ipsi soli sensibile et intelligibile : et sine hoc nec fuit aliquid, nec est, nec erit : omnia enim ab eo, et in ipso, et per ipsum. »

Nota *secundo*, per *datum* et *donum* posse cum Didymo quodlibet accipi, sive illud sit naturæ, sive gratiæ, sive gloriæ : omnia enim dona et opera Dei optima et perfecta sunt, *Genes.* I, 31; *Deuter.* XXXII, 4. Proprie tamen duo posteriora spectat S. Jacobus, alloquitur enim fideles qui donum fidei, gratiæ, sapientiæ et patientiæ a Deo acceperant, certaque spe exspectabant donum gloriæ : unde Thomas Anglicus *datum* accommodat donis, quæ dantur in via, *donum* iis quæ in patria. Quocirca recte *primo*, hunc locum contra Pelagianos, negantes gratiam ad bene vivendum a Deo postulandam esse, intorquet Concilium Arausicanum, *Can.* ult., et sæpe S. Augustinus, quin et Theophilus in Concilio Ephesino per *donum* accipit Spiritum Sanctum, ejusque dona, puta remissionem peccatorum, sanctitatem, sapientiam, etc., quæ Christus e cœlo in fideles suos demittit. Alii accipiunt ipsummet Christum, qui seipsum cum suis donis immenso amore nobis dedit, et indies dat. Hic enim est datum optimum et donum perfectum, idque multipliciter : nam, ut canit Ecclesia ex Thoma :

Donum perfectum.

Primo.

> Se nascens dedit socium,
> Convescens in edulium,
> Se moriens in pretium,
> Se regnans dat in præmium.

Secundo. *Secundo*, recte quoque Auctor Imperfecti, homil. 39 *in Matthæum*, donum perfectum adaptat ad potestatem regiam Principum et Prælatorum : hæc enim omnis a Deo descendit et datur, uti docet Apostolus *Roman.* XIII, 1; quin et Titus Imperator apud Suetonium non timebat insidiatores, dicens « principatum fato dari. » Melius Agatho Pontifex, epist. *ad Heraclium et Tiberium*, per donum optimum accipit sapientiam principum, qua cognoscant et confiteantur se potestatem a Deo accepisse, nec eam posse sua prudentia et viribus recte administrare, sed ad hoc egere directione Dei et sapientia ab eo infusa : hoc enim esse donum Dei optimum.

Tertio. *Tertio*, S. Jacobus vult fideles poscere a Deo non quale quale datum et donum, sed optimum et perfectum, tum quia Christianismus est status et professio vitæ optimæ et perfectæ; tum quia Christianos vult eniti ad omnem Christianismi perfectionem : uti revera enitebantur ejus ævo primi Christiani. Vult enim eos pollere eximia sapientia et patientia, ut summe gaudeant in tentationibus, persecutionibus et martyriis. Quocirca Cassianus, lib. II *Instit.*, cap. X, per « donum perfectum » accipit perfectionem virtutum; et S. Fulgentius, lib. I, *epist.* 4 : « A Deo, inquit, emanat totius bonæ voluntatis non tantum principium, sed et perfectio. » Id probat ex S. Jacobo dicente : « Omne datum optimum, etc. Deus enim est qui operatur in suis et velle et perficere. » Et S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovinianum*, ac S. Augustinus, lib. I *De Virgin.*, cap. IV, per « donum optimum et perfectum » accipiunt virginitatem, quam virgo non sibi, sed Deo humiliter ascribere debeat, uti docet Apostolus, I *Corinth.* VII, 7. Cyrillus vero, lib. IV *in Joannem*, cap. XXV, per « donum optimum et perfectum » accipit perfectam cognitionem Christi et veritatis; hanc enim esse summam gratiam, ideoque a solo Deo exspectandam : cognitionem (inquam) non nudam et aridam, sed Dei amore informatam et ardentem. Summum enim Dei donum est charitas, I *Corinth.* XIII, 1. Glossa vero accipit gratiam robustam et virtutem perfectam, qualis baptizatis datur in Sacramento Confirmationis. Alii idipsum adaptant vitæ religiosæ : hæc enim optima est et perfecta. Ita noster Alvarez, lib. V, *part.* I, cap. I. Alii per « donum optimum » accipiunt tribulationes et cruces : has enim vers. 2 vocavit omne gaudium. Alii accipiunt Eucharistiam. « Quid enim bonum ejus est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum et vinum germinans virgines? » *Zach.* IX, 17. Hæc partialia dona sunt, non « omne donum, » ut ait S. Jacobus.

Denique humilis et verax fidelis sapiat et confiteatur cum S. Augustino, *Soliloq.* cap. XV : « Si quid boni est, parvi vel magni, donum tuum est, Domine : et nostrum, non nisi malum est. Unde igitur gloriabitur omnis caro? Numquid de malo? Hæc non est gloria, sed miseria. Sed numquid gloriabitur de bono? Tuum, Domine, est bonum, tua est gloria : qui enim de bono tuo gloriam sibi quærit, et non tibi quærit, ille fur est et latro, et similis est diabolo, qui voluit furari gloriam tuam. »

Lumen quadruplex. Primum

DESCENDENS A PATRE LUMINUM. — « Patrem luminum » vocat Deum et SS. Trinitatem. *Primo*, quia respicit ad sapientiam, quam dixit postulandam a Deo : sapientia autem est lumen mentis, cujus pater, id est auctor, est Deus.

Secundum. *Secundo*, quia respicit ad solem; hic enim est pater omnis luminis in mundo. Nulla enim creatura corporea ita repræsentat Deum, sicut sol : Deus enim est sol quidam increatus, lucidissimus et beneficentissimus, qui omnia suæ beneficentiæ luce et radiis illuminat, vivificat et perficit. Unde S. Dionysius, cap. IV *De Divin. Nomin.* : « Clara (ait) expressaque divinitatis imago est

magnus hic sol, totus lucens, ac semper splendidus, omnibus etiam quæ ejus lucem capere possunt, collucet, habetque lumen per omnia diffusum, sursum et deorsum. Ac si quid est quod de eo non participet, id ejus luminis tenuitati aut parvitati non est tribuendum, sed iis, quæ quia apta non sunt ad capiendum lumen, ad id capiendum non explicantur. Itaque illius radius immensa splendoris magnitudine penetrat, ad vitam excitat, alit, auget, absolvit, purgat, renovat : ac lumen mensura est et numerus horarum, dierum totiusque nostri temporis; colligit convertitque ad se omnia quæ videntur, quæ moriuntur, quæ illustrantur, quæ calescunt, et uno nomine ea quæ ab ejus splendore continentur : itaque ἥλιος, id est sol, dicitur, quod omnia ἀολλιποιεῖ, id est, congreget colligatque dispersa : eaque omnia eum expetunt, quæ sensu percipiuntur, aut quod cernere cupiant, aut sentire, illustrari, calescere, omninoque contineri a lumine. » Ecce hic est pater luminum, hic est sol lucidissimæ divinitatis. Perperam ergo Anastasius Sinaita, lib. IV *Hexaem.*, censet ἥλιον esse nomen Hebræum, idemque quod *Eli*, id est, *Deus meus*, ideoque Christum in cruce sole obscurato exclamasse : « Eli, Eli, lamma sabacthani? » Vide octodecim analogias solis et regis, ac magis Dei, qui est Rex regum, quas recensui *Isaiæ* XLV, 1.

Tertium. *Tertio*, Deus est « Pater luminum, » id est bonorum : omnis enim boni causa et symbolum est lumen. « Ex ipso enim bono lumen est, et bonitatis imago. Itaque lucis nomine ipsum bonum celebratur, quasi in imagine exemplar expressum. Divinitatis enim bonitas omnia illustrat, efficit, vivificat, continet, perficit; estque eorum quæ sunt et mensura, et æternitas, et numerus, et ordo, et complexus, et causa, et finis, » ait S. Dionysius, *De Divin. Nomin.*, cap. IV. Hinc Ecclesia ad Primam, orans pro ope et directione Dei ad omne bonum toto die peragendum, ait : « Et sit splendor Domini Dei nostri super nos, et opera manuum nostrarum dirige super nos. » Splendor enim et serenitas faciei signum est favoris et opis, benevolentiæ et beneficentiæ. Unde identidem orat Psaltes : « Illumina faciem tuam super servum tuum; » et *Psalm.* LXXV, 4 : « Illuminans, ait, tu mirabiliter a montibus æternis, » scilicet ut nos a tenebris obsidionis liberes, cædendo castra Sennacherib ex montibus Sion et Moria, ait Theodoretus et Euthymius ibidem.

Hinc Joannes Alba Electorum, cap. XVI, « Patrem luminum » interpretatur « auctorem omnium bonorum. » Lumen enim est primum mundi bonum, per quod fruimur cæteris. Unde et primo creatum est a Deo, dicente : « Fiat lux. Et facta est lux; » illicoque additur : « Et vidit Deus lucem, quod esset bona, » *Genes.* I, 4. Hinc ex adverso Tobias Raphaeli apprecanti gaudium : « Quale, ait, gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo et lumen cœli non video? » *Tob.* V, 12; et cap. X, vers. 4, filium vocat « lumen oculorum » suorum, id est, omne suum bonum. Hinc sicut videre bona Hebræis significat potiri bonis : ita et videre lumen, idem denotat, ut *Psalm.* XXXV : « In lumine tuo videbimus lumen, » id est, in te summo bono fruemur omni bono. Sic ait Pacatus in *Panegyrico Theodosii* : « In ipsis statim Imperii auspiciis privatorum domos adibat, et urbis angulos, qui nunquam imperatorium solem vidissent, pio lumine complebat. » Hic sensus symbolicus magis est quam litteralis.

Quartum. *Quarto*, quia S. Jacobus opponit Deum concupiscentiæ, quasi lucem tenebris : concupiscentia enim cæca est, hominemque excæcat : unde Deus, inquit, quasi pater luminum invocandus est, ut sua luce omnes concupiscentiæ tenebras illuminet et dispellat.

Quæres : Quot modis et rationibus Deus, et S. Trinitas dicitur « Pater luminum? » Respondeo, sex : *Primo*, quia ad intra, sive in essentia sua Deus est lux increata, originalis et immensa. Vide S. Dionysium, cap. IV *De Divinis Nominibus.* Unde et S. Paulus ait Deum habitare lucem inaccessibilem, I *Tim.* VI, 16. Rursum singulæ personæ SS. Trinitatis sunt lux immensa; sicut enim a luce procedit lumen, ita a Patre procedit Filius, juxta illud Symboli Nicæni : « Lumen de lumine; » sic et Spiritus Sanctus a Patre et Filio procedit ut lumen. Unde Ecclesia in hymno Pentecostes eum invocans : Veni, inquit, lumen cordium. Quocirca S. Dionysius, cap. II *De Divin. nomin.*, Tertullianus, Justinus, Nazianzenus et alii mysterium Trinitatis per lumen explicant, utpote in quo sunt tria distincta et coæva; quæ tamen unum quid videntur, nimirum lumen, splendor et calor. Rursum sicut lumen sine ulla sui imminutione producit secundum et tertium, ita Pater sine ulla sui jactura generat Filium et spirat Spiritum Sanctum, eisque suam deitatem communicat. Audi Nazianzenum, *orat.* 40 : « Lumen, inquit, hoc in Patre et Filio et Spiritu Sancto consideratur, quorum opulentia naturæ identitas est, atque una eademque splendoris prosultatio. » Idem, *oratione* 43 : « Deus, ait, est lumen inaccessibile, ac successioni minime obnoxium, nec principium habens, nec finem habiturum, nec in dimensionem cadens, perpetuo fulgore rutilans, trino splendore micans, et tale, ut paucis, imo ne paucis quidem, perspicua sit ipsius magnitudo. » Unde rursum S. Dionysius ita orditur suam *Hierarchiam cœlestem* : « Omne datum optimum, ait, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, etc. Itaque appellato Jesu, qui lux est Patris, quæ est, quæ vera est, quæ omnem hominem in hunc mundum venientem illuminat, cujus benignitate nobis ad Patrem lucis auctorem aditus patuit, ad illustrationes sanctarum Scripturarum veniamus, cœlestiumque mentium atque naturarum hierarchias consideremus, lumenque illud primogenitum, etc.; ac rursus nos ex eo ad sim-

plicem ipsius radium splendoremque referamus.» Et S. Augustinus, serm. 122 *De Diversis*, cap. XV: «Ipsum Verbum, ait, Deus incommutabilis est, sicut Deus, apud quem est Deus. Nihil in illa persona cogites detrimenti, vel commutationis: Deus enim Pater luminum, apud quem non est commutatio, nec momenti obumbratio.» Denique ab Apostolo *Hebr.* I, 3, Filius Dei vocatur «splendor gloriæ, et figura substantiæ Patris.»

Secundo. *Secundo*, quia Deus ad extra producit angelos, qui toti sunt intelligentes et lucidi, de quibus proinde ait Nazianzenus, orat. 2 *De Pascha*: «Secundi splendores procreati sunt, primi splendoris comministri, primario Dei fulgore collucentes. Ille ob splendorem Lucifer,» etc.; item homines qui pariter natura sunt intelligentes: unde et homo a Græcis φώς, id est *lumen*, vocatur propter rationis usum, ait Nazianzenus, loco jam citato. Insuper Deus producit homines, aves, pisces et animalia quæ pollent lumine oculorum, æque ac imaginationis et phantasiæ.

Tertio. *Tertio*, quia Deus est Pater auctorque solis, lunæ, stellarum omniumque luminum, adeoque primo ominum lucem creavit, dicendo: «Fiat lux,» *Genes.* I, ait Nazianzenus, *oratione* 43. Hoc est quod canit Baruch, cap. III, 33: «Qui emittit lumen, et vadit: et vocavit illud, et obedit illi in tremore; stellæ autem dederunt lumen in custodiis suis, et lætatæ sunt. Vocatæ sunt et dixerunt: Adsumus. Et luxerunt ei cum jucunditate, qui fecit illas. Hic est Deus noster.» Rursum est auctor cujusvis lucis, id est, vitæ, puta angelicæ, humanæ, animalis et vegetativæ. Denique omnes creaturæ suo lumine, id est, sua pulchritudine, ostendunt suum Creatorem quasi Patrem luminum. Nam, ut ait Sapiens, cap. XIII, 5: «A magnitudine speciei et creaturæ cognoscibiliter poterit Creator horum videri.»

Quarto. *Quarto*, quia producit omnia lumina supernaturalia, puta fidem, sapientiam et patientiam, cæterasque virtutes, quæ non sunt aliud quam lumina mentis, a Patre luminum derivata, ut quidam Sanctorum dixit. Huc maxime respexit S. Jacobus: vult enim patientiam, sapientiam cæterasque virtutes non nobis, sed Deo ascribi, ab eoque postulari. Unde et baptismus a S. Dionysio aliisque Græcis vocatur φωτισμός (quin et a S. Paulo, *Hebr.* VI, 4), id est *illuminatio*, quod per eum Deus fidelibus infundat fidem, sapientiam, gratiam, charitatem omnesque virtutes Christianas, quæ sunt lumina quædam supernaturalia. Vult ergo S. Jacobus fideles a Patre luminum poscere lumen intelligentiæ, ut cognoscant et sapiant virtutes illas sublimes mundo paradoxas, quas paulo ante docuit, nimirum tribulationem esse gaudium et felicitatem; patientiam habere opus perfectum; humili gloriandum esse in sua exaltatione, diviti autem in sua humilitate erubescendum; beatum esse qui suffert tentationem, etc. Hæc enim sunt axiomata quæ omne rationis et philosophiæ lumen et dictamen transcendunt, nec nisi lumine divino a Patre luminum infuso capiuntur. Unde Nazianzenus, *orat.* 40, docet Deum esse lumen quoddam: «Quo princeps animi nostri pars illustratur, ac nostri secundum Deum gressus diriguntur;» imo Christus: «Ego, ait, sum lux mundi; qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ,» *Joan.* VIII, 12.

Quinto, quia omne lumen propheticum descendit a Deo, quasi Patre et auctore luminum; Deus enim omnibus Prophetis sua oracula inspiravit, et quasi lumina revelavit: de quo dixi initio Comment. in Prophetas. Unde S. Dionysius, cap. IV *De Divin. Nomin.*, ait bonum vocari lumen mentis, quod mentem spirituali luce impleat, eique sacrum lumen largiatur: «Lux ergo mentis, ait, dicitur bonum, quod lucem omnem superat, quod quasi radius fontis lucisque manans effusio mentem omnem ex sua plenitudine illustrat, omnesque mentis facultates renovat, omnes complexu suo continet, congregat et colligit.» Idem, cap. VII, docet modum intelligendi divina esse, «si nos toti extra nos simus, totique Dei fiamus: præstat enim nos Dei esse quam nostros. Ita enim demum nobis divina tradentur, si cum Deo simus.» Et inferius asserit, sapientiæ universæ mentisque omnis, ac rationis et sensus omnis divinam sapientiam principium, esse causam procreatricem, perfectionem, custodem et finem. Quinto

Sexto, quia lumen gloriæ, quo Angeli et Beati omnes vident Deum, eoque fruuntur et beantur, promanat a Deo quasi Patre luminum; de quo Psaltes, *Psalm.* XXXV, 10: «Quoniam, ait, apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen.» Horum omnium auctor est Deus: merito ergo «Pater luminum» indigitatur, nimirum, ut ait Poeta: Sexto.

Ipse est verus fons lucis dans lumen inocciduum.

Porro hoc lumen gloriæ in electis Deus ex anima derivabit in corpus, illudque faciet splendidum et gloriosum per dotem claritatis in illud transfusam. Unde Christi facies in transfiguratione resplenduit sicut sol, *Matth.* XVII. Et Angeli in corpore assumpto repræsentantes gloriam corporis Christi resurgentis, apparuerunt fulgidi, imo fulgurantes. «Erat, inquit S. Mattheus, cap. XXVII, vers. 3, aspectus ejus sicut fulgur.» Denique «justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum,» *Matth.* XIII. Quocirca Ecclesia invocans Christum quasi Patrem luminum, in festo Transfigurationis ad Laudes, ita jubilat:

Amor Jesu dulcissime,
Quando cor nostrum visitas,
Pellis mentis caliginem,
Et nos reples dulcedine.

Quam felix est quem satias,
Consors paternæ dexteræ!
Tu veræ lumen patriæ,
Quod omnem sensum superat.

Splendor paternæ gloriæ,
Incomprehensa bonitas,
Amoris tui coplam
Da nobis per præsentiam,

Vicissitudinis obumbratio quadruplex.

APUD QUEM (græce παρ' ᾧ, id est *in quo*, vel *a quo*; vel usitatius *apud quem*) NON EST TRANSMUTATIO (localis, qualis est solis dum mutat locum et ab Oriente movetur in Occidentem), NEC VICISSITUDINIS (græce τροπῆς, quod Œcumenius explicat, *conversionis*) OBUMBRATIO.

Dupliciter enim sol causat tenebras et umbram.

Primo.

Primo, motu diurno, dum eo finito abit et occidit in vespera; hæc est transmutatio localis.

Secundo.

Secundo, quadam vicissitudine et vicaria sui conversione a tropico Cancri in tropicum Capricorni: hac enim varias apud varios generat umbras: quo enim magis accedit, eo minores; quo magis recedit, eo majores parit umbras; Deus vero nec mutationem, nec conversionem ullam subit: unde plane tenebrarum est expers, nullasque secum vehit umbras.

Secundo.

Secundo, Thomas Anglicus: Apud Deum, ait, non est transmutatio in natura, quia omnino immortalis est; nec vicissitudinis obumbratio in effectu, quia ab ipso semper procedit lux, nunquam tenebræ.

Tertio.

Tertio, alii: Apud Deum, inquiunt, non est mutatio accidentalis, ut quod prius voluit, postea nolit; ut amet, quod prius oderat; ut ira, metu, aliave passione agatur. Nam, ut ait S. Augustinus, Deum alloquens lib. I *Confess.* IV: « Amas, nec æstuas; zelas, et securus es; pœnitet te, et non doles; irasceris, et tranquillus es; opera mutas, et non mutas consilium. »

Quarto.

Quarto, germanius alii, *q. d.* Apud Deum non est mutatio nec vicissitudo luminis gratiæ et umbræ peccati, ut scilicet nunc causet gratiam, nunc tentet ad peccatum: de eo enim egit S. Jacobus. Et Græcum παραλλαγή, sive παράλλαξις, idem est quod *alternatio*, id est, per vices commutatio, variatio, vicissitudo, differentia, diversitas, aberratio, præteritio, commutatio: uti serratores lignorum alternant mutantque vices, dum nunc serram elevant, nunc deprimunt. Unde S. Hilarius, lib. IV *De Trinit.*, vertit, *apud quem non est demutatio*; S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovinianum*, *Apud quem non est differentia*; Vatablus, *apud quem non est immutatio*. Alludit ad Astrologos qui observant stellarum, et præsertim cometarum parallaxin, id est, variationem in motu, situ, aspectu: sol enim ad quem quasi patrem luminum hic alludit S. Jacobus, suam habet parallaxin, non in essentia, nec in luce sibi intrinseca, sed in motu, situ et lumine quod diffundit.

Deus immutabilis quintupliciter.

Nota: Quintuplex est immutabilitas in Deo: *primo*, naturæ, quia immortalis est; *secundo*, qualitatis, quia inalterabilis est; *tertio*, loci, quia immensus est, ideoque immobilis; *quarto*, voluntatis, quia constans est; *quinto*, operationis et ostensionis sui, quia eodem tenore semper operatur, eumdemque se semper ostendit; quatuor ultimæ ex prima promanant: quia enim Dei natura plane est immutabilis in se, hinc et talis est quoad qualitates, loca et volitiones: « Omnis enim mutatio quædam mortis imitatio est, » ait S. Bernardus, serm. 81 *in Cant.*; et S. Gregorius, lib. XII *Moral.* XVII, hunc locum sic explicat: « Quid, ait, mutabilitas, nisi mors quædam est? quæ dum rem quamlibet in aliud immutat, quasi occidit quod fuerat, ut incipiat esse quod non erat. Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio: ipsa enim mutabilitas umbra est, quæ quasi obscuraret lucem, si hanc per aliquas vicissitudines permutaret. Sed quia in Deo mutabilitas non venit, nulla ejus lumen umbra vicissitudinis intercidit. » Unde in *Cant.* cap. IV, vers. 6, gemit sponsa « donec aspiret dies, » æternitatis; « et inclinentur umbræ, » mortalitatis et mutabilitatis. Itaque S. Jacobus non loquitur hic de quatuor primis Dei immutabilitatibus, sed de quinta quoad operationem, *q. d.* Deus in operando non mutat, nec variat vices, ut jam causet sapientiam et patientiam, jam concupiscentiam, impatientiam et peccatum; sed idem semper, sibique per omnia similis non nisi bona constanter producit, eaque omnia, mala vero nulla. Confert enim et præfert Deum soli, qui licet in essentia et qualitate sit immutabilis, mutatur tamen loco, aspectu et operatione, ut nunc diem, nunc noctem; nunc calorem, nunc frigus; nunc æstatem, nunc hiemem efficiat. Deus autem uti essentia et qualitate, ita et loco, aspectu et operatione immutabilis est, nimirum ut semper lucem, id est bonum producat, nunquam tenebras, id est malum. Unde Græcum παραλλαγὴ Proclus in *Sphæra*, pro solis conversione usurpat. Sensus ergo est, *q. d.* Deus est pater luminum et sol increatus, sed non patitur, ut sol noster, illam reciprocationem motus, illuminationis et operationis, ut nunc accedendo lucem gratiæ, nunc recedendo tenebras errorum et peccati inducat, sed perpetua est lux, constansque fons omnis luminis.

NEC VICISSITUDINIS OBUMBRATIO. — Græce τροπῆς ἀποσκίασμα. S. Augustinus pro τροπῆς videtur legisse ῥοπῆς; nam lib. *De S. Virgin.*, cap. VII, vertit, *nec momenti*, id est, momentanea obumbratio: ῥοπὴ enim significat *lancis in libra momentum*, hoc est inclinationem, librationem, impulsum. Unde Sapiens, cap. XI, vers. 23: « Tanquam ῥοπή, id est, momentum stateræ, sic est ante te orbis terrarum, et sicut gutta roris antelucani. » Verum alii passim legunt τροπή, id est conversio, vicissitudo, fuga, solstitium; explicat enim, quam vocarit mutationem, nimirum vicissitudinis obumbrationem, id est, vicissitudinem umbræ, hoc est, instar umbræ obumbrantem; aut vice versa obumbrationem vicissitudinis, id est, vicariam et per vices succedentem luci et illuminationi, uti obumbratio noctis suo tempore et vice succedit illuminationi diei. Est enim hypallage in utraque

voce. S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovinianum*, legit, *nec conversionis umbraculum*, et lib. II *Contra Pelagianos*, cap. III : « Deus, ait, lux appellatur, et tenebræ in eo non sunt ullæ, quia omnium aliorum lumina aliqua sorde maculantur. Apostoli lux sunt mundi, sed tenebræ in eis sunt aliquæ ; nam, ut ait Job, cap. XXV, vers. 5 : Luna non splendet, et stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus. »

Solis vicissitudo quintuplex.

Sensus ergo est, *q. d.* Noster sol, qui est pater luminum, patitur non in se, sed quoad nos, sæpe vicissitudinis obumbrationem : mutat enim vices, *primo*, diei et noctis : ut nunc hemisphærium nostrum, nunc oppositum illuminet; nunc in nostro, nunc in opposito, causet umbram et tenebras. *Secundo*, mutat vices, græce τροπήν, id est, *conversionem*, et a tropico Cancri in tropicum Capricorni reciprocationem : quare nunc habitantibus sub Cancro, nunc habitantibus sub Capricorno alternat, alternisque auget lucem et umbram, causatque hiemem et æstatem. *Tertio*, sol patitur eclipsin per interpositionem lunæ inter eum et terram ; idemque lunam eclipsat, si inter utrumque interjectus sit globus terræ. *Quarto*, sol sæpe nubibus, ventis et procellis obducitur, obumbratur et obscuratur. *Quinto*, sol dum est in solstitio hiberno, causat brevissimos dies, in æstivo longissimos, in æquinoctio æquales noctibus. Rursum causat et alternat quatuor anni tempora, scilicet ver, æstatem, autumnum et hiemem. Hisce suis motibus, accessibus et recessibus varias et multiplices efficit umbras, imo quotidie in singula momenta umbra corporum omnium in terra juxta motum solis mutatur : umbra enim sequitur suum corpus lucidum, puta solem, eique per omnia se accommodat; at Deus, qui est sol fixus, immotus et immensus, nullas in illuminatione et operatione causat umbras, nullas tenebrarum et lucis habet vicissitudines, ut nunc bonum operetur, nunc malum, sed quantum est ex se, illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, *Joan.* I, 9 ; nullam in operando, illuminando et benefaciendo patitur τροπήν, id est conversionem, variationem, fugam, solstitium, diminutionem, umbram, eclipsin ; sed semper et ubique in omnes et omnia beneficentiæ suæ radios explicat et expandit, nunquam tenebrosus vel umbrosus est, id est, nunquam maleficus aut minus beneficus, imo nunquam consistens quasi in solstitio, et a benefaciendo cessans, sed jugiter operans et benefaciens existit. Ita Beda. Vere S. Fulgentius, *epist.* 4, cap. V : « Ille, ait, nobis omnem boni sufficientiam subministrat, cujus non minuitur plenitudo cum donat. » Nam, ut ait Sapiens, cap. VII, 10 de Sapientia increata, quæ est Deus : « Inextinguibile est lumen illius. » Quantum ergo est ex parte luminis et solis hujus, ille per se omnibus præfulget, in omnes radios suos spargit ; si quis sua duritie claudat fenestram cordis sui, tenebras suas sibi, non soli huic ascribat, uti superius dixi ex S. Dionysio. Hæc dos soli Deo convenit, non angelis ; nam, ut ait Gregorius, lib. V *Moral.* cap. XXVII : « Natura angelica etsi contemplationi auctoris inhærendo, in statu suo immutabilis permanet, eo tamen ipso quo creatura est, in semetipsa vicissitudinem mutabilitatis habet. » Hinc Lucifer cum suis ex angelo factus est diabolus. Multo magis homo « fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet, » *Job* XIV, 2. Hinc Dei nomen est *Jehova*, sive « Ego sum qui sum, » *Exodi.* III, 14. Et : « Ego Deus, et non mutor, » *Malach.* III, 6. Vide ibi dicta. Quocirca recte Ecclesia Patrem luminum invocans orat feria 3, ad Matutinum :

Consors paterni luminis,
Lux ipse lucis et dies,
Aufer tenebras mentium, etc.

Et ad Laudes feriæ 2 :

Splendor paternæ gloriæ,
De luce lucem proferens,
Lux lucis et fons luminis,
Dies diem illuminans.

Verusque sol illabere,
Micans nitore perpeti,
Jubarque Sancti Spiritus
Infunde nostris sensibus.

Hac de causa Dei Filius suscepit humanitatem factus homo, ut in ea posset umbras passionum, laborum, crucis et mortis suscipere, quarum incapax erat deitas, uti docet Anastasius Sinaita in ὁδηγῷ, id est, *viæ duce*, cap. XIII. Unde S. Dionysius, visa eclipsi solis miraculosa in morte Christi, rogans Apollophanem quidnam hoc sibi vellet, ab eo audivit : « Hæ sunt, o bone Dionysi, divinarum vicissitudines rerum, » ut ipse refert epist. *Ad Apolloph.*

Hinc *secundo*, Gnosticos et Manichæos docentes animam humanam esse divinæ particulam auræ, et de ipsa Dei substantia decidi, confutat S. Augustinus, lib. *De hæres.* cap. VI et XLVI, sic enim deitas mutaretur et minueretur. Creat ergo animam Deus, et creando infundit unitque corpori humano debite organizato.

Tertio, Deus in Scriptura subinde dicitur obumbrare, non quod instar umbræ patiatur defectum, aut variationem luminis; sed quod instar umbræ suos ab æstu tentationum et tribulationum protegat, juxta illud *Psalm.* XC, 4 : « Scapulis suis obrumbabit tibi, et sub pennis ejus sperabis. » Aut quod in umbra, id est, arcane et obscure quoad homines hominumque intellectum sua mysteria operetur. Unde de Verbi incarnatione dixit Gabriel ad B. Virginem Deiparam : « Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, » *Lucæ* I, 35.

Quarto, hinc S. Augustinus in *Speculo*, cap. XXX; docet SS. Trinitatem esse verum lumen, et τὸ ὄν, id est, ipsum ens immobile, immensum, subsistens et constans. « Unus, ait, a se (Pater), unus

ab uno (Filius), unus ab ambobus (Spiritus Sanctus) : ab uno omnia, per unum omnia, in uno omnia; id est, a se Pater; ab altero, id est a Patre, Filius; ab utroque Spiritus Sanctus; ὅν a se, ὅν ab altero, ὅν ab utroque; omne autem ὅν semper in tribus, et omne ὅν æqualiter in singulis : verax genitor, veritas genitus, amor amborum Spiritus Sanctus : una virtus, æqualis majestas, par gloria. » Unde eam invocans subdit : « Deus trine et une, Deus omnipotens, apud quem non est transmutatio, et ideo apud te cursus temporis, diei noctisque alternatio nequaquam variatur. Deus lux vera, qua sine accessu ea quæ eligis, illustras; et sine recessu ea quæ respuis, deseris : et ideo in te nullus defectus, nulla mutabilitas venit. Deus, qui in temetipso manendo immutabilis es, sic in se transitoria condidisti, ut apud te transire nequaquam possint; et ideo in conspectu tuo tempus non defluit, quod apud nos fine decurrit. Deus, in cujus æternitate fixa manent ea, quæ non fixa exterius sæculorum volumina emanant; et ideo æternitas tua dies est una, quæ nec fine clauditur, nec initio aperitur. Deus, qui sine mutabilitate tui simul cuncta respicis, sine distensione comprehendis, et bona quæ juvas, et mala quæ judicas, et quæ juvans remuneras, et quæ judicans damnas, in his quæ diverso disponis ordine diversus non es. Deus, qui opera tua extra circumdas, et intra reples; supra regis, et infra fers : et licet sis superior per potentiam, inferior tamen per sustentationem; exterior per magnitudinem, interior per subtilitatem; causa superior et inferior es sine loco; amplus sine latitudine, subtilis sine extenuatione, et ideo per molem corporis nusquam es, sed per incircumscriptam substantiam et immensibilitatem incommutabilis naturæ nusquam dees. » Deinde cap. XXXIII, sic Deum alloquitur : « Deus supra quem nihil, extra quem nihil, sine quo nihil, ultra quem nihil, infra quem nihil. Deus sub quo totum, cum quo totum, in quo totum. Deus a quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Deus cujus nos fides excitat, spes erigit, charitas jungit. Deus qui petere jubes, et invenire facis, et pulsantibus aperis. Deus a quo averti, cadere est; in quem converti, resurgere; in quo manere, consistere. Deus quem nemo amittit nisi deceptus, nemo quærit nisi admonitus, nemo invenit nisi purus, aut purgatus. Deus quem nescire, mori est; quem nosse, vivere est; quem spernere, perire est; cui servire regnare est. Deus cujus pietatis ope et bene servit subjectus, et dominatur prælatus; et ideo sine te nemo eorum recto incedit tramite, vel ordine. Deus invisibilis et immense, ineffabilis et æterne, incomprehensibilis, et corpore immortalis et perpetue, incommutabilis et incircumscripte, mirabilis et benedicte, indicibilis, cui esse est vivere, sapere et intelligere, scire et posse pulchrescere et clarescere; unum et idem es, quia simplex es, et dividi non potes. Tu es ipse Deus meus vivus et verus, Deus pius, Rex nimis magnus. »

Mentis stabilitas quibus acquiratur?

Denique hinc S. Gregorius, lib. XII *Moral.*, cap. XVII, docet viam et rationem acquirendi mentis stabilitatem et constantiam esse, si eam in Deo stabili et immutabili defigamus : qui enim in creatura cor et spes suas ponit, cum labili fit labilis : qui vero in Deo, cum stabili fit stabilis, ut nulla rerum, temporum, personarum, occupationum, passionum vicissitudine agitetur; sed idem semper, suique similis sit, eodem vultu et animo consistens in adversis et prosperis. « De sanctis, inquit S. Gregorius, scriptum est : Cœli enarrant gloriam Dei; qui per naturam omnes in semetipsis propriam mutabilitatem habent; sed dum immutabili veritati studiose semper inhærere desiderant, inhærendo agunt ut immutabiles fiant. Cumque ad hanc toto affectu se tenent, quandoque accipiunt ut super semetipsos ducti vincant hoc, quod in semetipsis mutabiles extiterunt, etc. Ipse enim in semetipso solus immutabilis est, de quo per Jacobum dicitur : Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. » Sancti ergo de Deo dicunt cum Psalte, *Psalm.* IV, in quavis occupatione et perplexitate : « In pace in idipsum dormiam et requiescam, quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me. » Quæ fuerunt ultima vota et verba S. Gorgoniæ, sororis S. Gregorii Nazianzeni, iisque immortua est, teste Nazianzeno, *orat.* 11, quæ est funebris S. Gorgoniæ.

Vers 18.

18. VOLUNTARIE ENIM GENUIT NOS.— Probat Deum non esse auctorem tenebrarum, id est tentationis et peccati, sed lucis, id est sapientiæ, patientiæ, omnisque dati optimi et doni perfecti; quia genuit nos fecitque filios suos, lucis, inquam, sicut ipse est pater luminum. Hæc enim generatio est datum optimum, omneque donum perfectum ambit et amplectitur. Quid enim Deus neget filiis suis?

Nota : Τὸ *voluntarie* S. Bernardus, sermone 2 *ad Fratres*, super hoc, *Hæc est generatio quærentium Dominum*, refert ad voluntatem hominis, non Dei, *q. d.* Deus genuit nos reformando voluntatem nostram, ut illa ex impia fiat pia, ex carnali justa et sancta. In baptismo enim regeneramur involuntarie, utpote infantes; adulti vero per pœnitentiam sponte assumptam regeneramur voluntarie. « Nunc demum, ait, voluntaria generatio voluntarium exhibet sacrificium, juxta illud *Psalm.* LIII, 8 : Voluntarie sacrificabo tibi, et confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum est. Hæc est generatio quærentium Dominum. Quærentium, an habentium dicam? Habentium utique et quærentium; alioqui non possent quærere non habentes. Verbo geniti, Verbum habent. Nam Deus erat Verbum. » Verum græce est βουληθείς, id est *volens*, ut vertit S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovinianum*; Œcumenius, *destinata voluntate*; alii, *quia voluit*; alii, *gratuita benevolentia*. Vox ergo,

voluntarie, primo, secernit generationem nostram a generatione Filii Dei : Deus enim ab æterno genuit Filium, non voluntarie, sed naturaliter et necessario ; nos vero generat voluntarie et libere : ita S. Athanasius, serm. 4 *Contra Arian.*, et S. Fulgentius, lib. III *ad Monim.*, cap. VIII.

Secundo, τὸ *voluntarie* significat gratuitam Dei εὐδοκίαν, id est, *beneplacitum* et *benevolentiam,* qua sine meritis nostris, imo immerentes et indignos, clementer et liberaliter vocavit, elegit, justificavit, regeneravit, juxta illud *Oseæ* XIV, 5 : « Diligam eos spontanee. »

Tertio, « voluntarie » significat nos non casu, aut fortuita Dei voluntate, sed certo consilio, deliberatione, proposito et prædestinatione Dei ab eo esse genitos : hoc enim significat βουλή. Ita Œcumenius. Hoc est, quod ait Apostolus *Ephes.* I, 9 : « Ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ secundum beneplacitum ejus, quod proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, etc., in quo etiam et nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum ejus qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ, ut simus in laudem gloriæ ejus. »

GENUIT NOS. — Ter geniti sumus a Deo. *Primo*, naturaliter dum nati sumus : tunc enim genuit, id est creavit et formavit nos Deus. Ita Dionysius. *Secundo*, in baptismo, dum in eo renati sumus. *Tertio*, in pœnitentia, dum post baptismum in peccata relapsi per pœnitentiam renovati et regenerati sumus. Aliqui putant S. Jacobum ad tres hasce generationes respexisse. Verum verius est eum duas posteriores duntaxat spectasse ; has enim fecit Deus « verbo veritatis. » Hoc est quod ait S. Joannes, cap. I, vers. 12 : « Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. »

Verbum veritatis quintuplex. Primum.

VERBO VERITATIS. — *Primo*, *q. d.* Per verbum, id est per Filium suum incarnatum, eumque « veritatis, » id est verum et veracem. Ita S. Athanasius, serm. 4 *Contra Arianos* ; S. Bernardus, verbis jam citatis, et Œcumenius hic. Nam, ut ait S. Joannes, cap. I, vers. 17 : « Lex per Moysen data est ; gratia et veritas per Jesum Christum facta est. » E contrario generatio diaboli fit verbo falsitatis : promittit enim suis bona, sed falsa et fallacia.

Secundum.

Secundo, alii « verbo, » id est, jussu suo veraci, fideli et efficaci ; ut veritas hic idem sit quod fidelitas, qua Deus fideliter generationem hanc spiritalem in Christo promissam præstitit et adimplevit.

Tertio, alii « verbo, » scilicet sacramentali, dicendo in baptismo : « Ego te baptizo ; » et in sacramento pœnitentiæ : « Ego te absolvo. » Unde Apostolus ait : « Mundans eam lavacro aquæ, in verbo vitæ. » *Ephes.* V, 19.

Quartum.

Quarto, simplicius et germanius, « verbo (Vatablus, *sermone*) veritatis, » id est per Evangelium et veram Evangelii prædicationem, tum externam, tum magis internam per inspirationem et gratiam Christi : ita passim Interpretes. Unde S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovinianum* : Christus, inquit, virgo virginitatem docuit verbo veritatis, quod successit umbræ ac speciei quæ præcessit in lege, dedicans in seipso virgine primitias virginum suarum. Rursum « verbo veritatis, » id est, per fidem veram : hæc enim est initium justificationis et regenerationis ; diciturque *verbum* metonymice, quia ex verbo Evangelii prædicato et audito concipitur et efformatur. Peccator enim audiens verbum Dei, ex fide Christi mediatoris concipit timorem et spem veniæ, et ex ea dolorem de peccatis, contritionem et amorem Dei, quibus disponitur ad justificationem quasi ad generationem spiritualem Dei.

Quintum.

Denique Cajetanus τὸ *verbo* explicat *ad verbum, q. d.* Geniti sumus non ad fabulas, sed ad verbum veritatis vita et voce prædicandum, et celebrandum.

Moraliter qualis sit generatio Dei?

Moraliter disce qualis quantaque sit hæc generatio et filiatio divina, utpote per quam simus divinæ consortes naturæ, filii et hæredes Dei, ac cohæredes Christi. In ea ergo pater est Deus : semen est gratia præveniens, per Christi passionem et merita aspirata : mater est voluntas nostra ; semen ejus est consensus in gratiam et vocationem Dei ; proles est homo novus vivens vita gratiæ, imo ipso Deo et Christo. Hic enim per justitiam realiter et substantialiter mentem justi inhabitat, sanctificat, informat quasi anima, dirigitque et agit ad omne bonum ; uti dixi *Oseæ* cap. I, vers. 10, et II *Petri* I, 4. Vere S. Bernardus *ad Fratres de monte Dei* : « Formatio hominis, ait, institutio est moralis : vita ejus, amor Dei. Hunc fides concipit, spes parturit, charitas format et vivificat. Amor enim Dei, vel amor Deus Spiritus Sanctus amori hominis se infundens, afficit eum sibi. Et amans semetipsum de homine Deus, secum unum efficit et spiritum ejus, et amorem ejus. Amorem ergo Dei in homine ex gratia genitum lactat lectio, meditatio pascit, oratio confortat et illuminat. »

Quocirca Christus Dominus ut hanc generationem et filiationem nobis procuraret, adeoque ut ipse quasi pater, imo mater nos parturiret et pareret, immensos dolores et cruciatus tota vita, sed præsertim in cruce et passione sustinuit : adeo ut videretur esse abyssus et mare dolorum, ut merito dicere possit cum Paulo : « Filioli mei, quos iterum parturio, donec ego Christus formetur in vobis. » Et hoc significat hic græcum ἀπεκύησεν, id est progenuit, parturiit, peperit, in lucem emisit. Unde S. Bernardus, serm. 16 *in Cantic.* : « Voluntarie, ait, genuit nos verbo veritatis, non stimulo carnalis cupiditatis excussit, quemadmodum genitor carnis meæ. Deinde

etiam non pepercit Unigenito pro sic genito. Ita ipse quidem patrem se exhibuit mihi, sed non ego me illi vicissim filium. Quanam fronte attollo jam oculos ad vultum patris tam boni, tam malus filius? Pudet indigna gessisse genere meo, pudet tanto patri vixisse degenerem. » Idem in tractatu *De Diligendo Deo* : « Si totum, ait, me debeo pro me facto, quid addam jam pro refecto, et refecto hoc modo? Nec enim tam facile refectus, quam factus : nam qui semel et tantum dicendo fecit, in reficiendo profecto et dixit multa, et gessit mira, et pertulit dura; nec tantum dura, sed et indigna. Quid Deo retribuam pro se? Nam etiamsi me millies rependere possem, quid sum ego ad Deum? » Deus enim, ut ait S. Augustinus, plus me dilexit quam se, quia vitam suam dedit pro mea. Quanti est ut homo valeat Deum? ut pretium mortis nostræ sit mors Dei? ut lytrum vitæ meæ sit vita Dei? « Video, ait Eusebius Emissenus, hom. 6 *in Pascha*, ipsum transiisse in pretium meum, quandoquidem tam pretioso munere ipsa redemptio agitur ut homo Deum valere videatur. » Quocirca merito Petrus Chrysologus, *serm.* 70 : « Homo, ait, redi ad Deum sic amatus a Deo, et ad illius gloriam da totum te, qui se totum propter te ad suam deduxit injuriam : et voca patrem fidens, quem tanto amore tuum probas, sentis, intelligis esse genitorem. »

UT SIMUS INITIUM ALIQUOD CREATURÆ EJUS. — *Primo, q. d.* Ut simus initium Christianismi, Ecclesiæ et fidelium. Aut, ut initiemur, consecremur et dedicemur Deo. Quare perperam et impie Lutherus censuit justitiam nostram vocari *initium*, quia inchoata est tantum, non completa, eo quod permixta sit cum concupiscentia et peccato mortali : unde non tam esse justitiam, quam tegmen et pallium injustitiæ : non enim esse aliud quam justitiam Christi nobis injustis imputatam. Hæc enim non renovat mentem, nec regenerat, nec facit novam creaturam, ut ait S. Paulus, *Ephes.* cap. IV, vers. 24, et Jacobus hic. Vide Bellarminum, lib. V *De Amiss. grat.* cap. XI.

Secundo et germanius, pro *initium* græce est ἀπαρχή, id est *primitiæ*, ut vertit Syrus et S. Hieronymus lib. I *Contra Jovinianum*. Ut simus, inquit, *primitiæ creaturarum ejus*; aut, ut Vatablus, *ut principatum obtineamus inter creaturas ejus*; et, ut Œcumenius, *ut simus primi et honoratissimi*; et, ut Beda, *ut simus cæteris creaturis meliores*, nimirum ut simus ut primitiæ ex reliquo hominum acervo Deo selectæ, ac præcipua pars totius creaturæ ejus, cum angelica natura sortem et locum accipientes dignitatis gloriæ ejus, ut scilicet simus genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, utpote elevati ad filiationem divinam et ad jus hæreditatis æternæ; ut tanquam sacrificiorum primitiæ, quæ ex optimis rebus seligi solent, offeramur Deo, participes effecti gratiæ, charitatis, amicitiæ, imo naturæ divinæ. Ita Beda, Titelmannus, Gagneius et alii. Sic *behemot*, id est *elephas*, vocatur « principium viarum Dei, » *Job* XL, 14, quia sua magnitudine est animalium princeps et rex; atque, ut ait S. Basilius in *Hexaem.*, « elephantes videntur esse quidam animati montes. » Sic *Prov.* VIII, 22, Sapientia æterna vocatur « initium viarum Dei. » Sic Christus *Coloss.* III, 15, vocatur « primogenitus omnis creaturæ, » et *Psal.* CIX, 4 : « Tecum principium (hebraice נדבות *nedabot*, id est *principatus*) in die virtutis tuæ. » Alludit Jacobus ad illud *Jerem.* cap. II, vers. 3 : « Sanctus Israel Domino, primitiæ frugum ejus. » Israelitas enim ex omnibus gentibus elegit Deus quasi primitias in gentem et Ecclesiam suam.

Per *creaturam*, vel, ut græce est, creaturas, *primo*, accipe tum homines et animantia, tum omnia creata : horum enim primus et princeps est homo justus. Christus ergo est quasi sol justitiæ eximie fulgens omniaque collustrans : justi sunt sicut stellæ; sed ita radiis hujus solis aspersi, ut inter omnia lucida lucidius resplendeant; suoque splendore, licet participato, sed mirifice coruscante, solem ipsum quadamtenus referant. Nam, ut docet S. Thomas, I II, *Quæst.* CXIII, art. 9, ad 3, bonum gratiæ est majus bono naturæ totius universi. Imo S. Augustinus, lib. II *ad Bonifacium*, cap. VI : « Gratia Dei, ait, non solum omnia sidera et omnes cœlos, verum etiam omnes angelos supergreditur. » Sic sumitur « principium » pro *principatu*, *Apocal.* III, 14 : « Qui est principium (id est, præcipuus et princeps) creaturæ Dei; » et *Proverb.* I, 7, et alibi dicitur : « Timor Domini principium sapientiæ, » hoc est, præcipuum quiddam, et in sapientia præstantissimum. Sic sapientia dicitur « principium viarum Domini, » *Job* XL, 14; et « Initium vitæ hominis aqua et panis, » *Eccli.* XXIX, 28; et « Brevis in volatilibus est apis, et initium dulcoris habet fructus illius, » id est, obtinet primas partes in dulcedine, inter omnia dulcia dulcissimus est, *Eccli.* cap. XI, vers. 2. Ita noster Augustinus Quiros hic. Alludit ad primatum et dominium Adæ datum in animalia cæterasque creaturas, *Genesi* I, 28, quod peccato perditum recuperant justi per Christum, inchoate in hac vita, perfecte in futura.

Secundo, pressius et nervosius per *creaturas* accipe fideles recreatos et regeneratos in baptismo. Hi enim per Christi gratiam fiunt novi homines, et novæ creaturæ ipsius, ut ait Apostolus, *Ephes.* cap. II, vers. 10 : « Ipsius, inquit, sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus, » etc.; cap. IV, vers. 24 : « Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis. » Vide ibi dicta. Dicit ergo Jacobus, primos fideles a Christo genitos esse primitias creaturarum, id est filiorum ejus, puta fidelium deinceps futurorum; ideoque primitias Spiritus Christi accepisse, quasi in posteros verbo et exemplo

transfunderent et proseminarent : uti reipsa fecerunt Apostoli, Martyres et Virgines, qui primo illo sæculo in omni sanctitate effloruerunt, ac perfectæ virtutis illustre exemplar futuris omnibus dederunt. Ita S. Fulgentius, *Contra objectiones Arianorum*, cap. III, censet Apostolos hic vocari *initium creaturæ*, quia primo a Christo fuere vocati et regenerati, ac per eos cæteri fideles : Apostoli enim acceperunt primitias Spiritus Christi. Unde addit Jacobus τὸ *aliquod*, quo significat primitias has, tum esse paucas, quæ magna deinceps fidelium sobole propagandæ et multiplicandæ sint; tum e multis electas esse et eximias; tum earum gratiam et dona esse tantum inchoata, complenda enim esse per gloriam in cœlo. Sic Simon Magus dicebat se esse aliquem, magnum scilicet et eximium, *Actor.* VIII, 9. Sicut ergo elephas creatus est princeps bestiarum, homo animalium, Lucifer angelorum et populorum, Christus omnium creaturarum, uti paulo ante dixi : ita Apostoli et viri Apostolici a Deo electi et effecti sunt principes filiorum Dei, puta fidelium, totiusque Ecclesiæ, quæ est creatura, id est nova progenies, familia et prosapia Dei, quos proinde Patris luminum mysticos esse montes, de quibus ait Psaltes, *Psal.* LXXV, 3 : « Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis, » censent ibidem S. Augustinus et S. Hieronymus.

Mystice Œcumenius, per primitias accipit sacerdotes, quos Deus in Ecclesia voluit esse principes et honoratissimos : sic enim Deus ex duodecim tribubus Israel pro eorum primogenitis elegit et accepit Levitas, ut sibi in tabernaculo deservirent, sacraque et sacrificia peragerent, *Numer.* III, 12.

Hinc infert S. Athanasius, tractat. *De Passione*, eos qui denominati sunt quasi primitiæ, si quid ex se profanis usibus tribuant, id Deo suffurari. « Illud, ait, sciendum, quod quæcumque promisimus Deo, jam nostra non sunt, sed in ære Dei sunt; adeo ut si quid inde subtraxerimus, haudquaquam id faciamus velut quæ nostra sunt usurpantes, sed ut quæ Dei sunt sacrilegio deprædantes. » Et S. Bernardus *ad Fratres de monte Dei* : « Nolite, ait, negligere, nolite tardare : grandis vobis restat via : non solum vovistis omnem sanctitatem, sed omnis sanctitatis perfectionem, et omnis consummationis finem : non est vestrum solum attendere quid præcipiat Deus, sed quid velit. Aliorum est Deo servire, vestrum adhærere. »

19. SCITIS. — Legit ἴστε, jam legunt ὥστε, id est *itaque*, vel *quapropter*, *q. d.* Quapropter, fratres mei, sit omnis homo velox ad audiendum, tardus ad loquendum. Verum Latini passim legunt ἴστε, id est, *scitis*. Est clausula dictorum, *q. d.* Sat scitis, o Christiani, ea quæ dixi esse vera et a Christo Christianis tradita; ac proinde ea plane in cor vestrum demittite, in praxim operando redigite.

SIT AUTEM OMNIS HOMO VELOX AD AUDIENDUM. — Transit hic S. Jacobus more epistolari ad alia dogmata de formanda lingua et ira. Occasionem autem commodam eo transeundi accipit ex iis quæ, vers. 5, dixit de sapientia, ac modo tum eam comparandi, nimirum per orationem; tum ea utendi, nimirum per patientiam in sufferendis tentationibus et persecutionibus. Hic enim tres alios modos eamdem comparandi, eaque utendi subnectit : e quibus primus est velocem esse ad audiendum; secundus, tardum esse ad loquendum; tertius, tardum esse ad iram. Nam nihil ita impedit sapientiam, atque tria vitia virtutibus jam dictis opposita, nimirum *primo*, tardum esse ad audiendum; *secundo*, velocem esse ad loquendum, *tertio*, velocem esse ad iram. Ira enim turbat mentem, ut rem plene et sedate considerare nequeat, sed impetu feratur in cogitationes indignabundas et vindicativas; ac proinde sapientiæ, quæ quietem mentis requirit, incapacem efficit. Porro respicit S. Jacobus ad cœtus et conventus fidelium in Ecclesia, in quibus promiscue doctiores, magisque ardentes docebant et exhortabantur, prout Spiritu Sancto agebantur, ut patet I *Corint.* XIV, 29; in quibus subinde aliqui audaculi dicendi et docendi locum aliis modestioribus præripiebant, ut suam ostenderent sapientiam et spiritum. Quare monet eos hic Jacobus, ut in illis cœtibus humilitatis potius quam doctrinæ dent specimen, malintque audire et discere, quam loqui et docere alios. Alioqui enim in audiendis nugis, obscœnis, detractionibus, erroribus, pravis consiliis, non oportet velocem esse ad audiendum, sed claudere aures, juxta illud *Ecclesiastici* XXVIII, 28 : « Sepi aures tuas spinis, et linguam nequam noli audire. »

Porro, in velocitate audiendi S. Jacobus subintelligit velocitatem obediendi, et audita opere exequendi, ut ipse explicat vers. 22 : « Non enim, ut ait S. Paulus, *Rom.* II, 13, auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur. » Ita Œcumenius et S. Bernardus, serm. *De virtute obedientiæ* : « Tu ergo, inquit, cum voluntatem cordi, simplicitatem operi, hilaritatem vultui conjunxeris, adde velocitatem, ut sis juxta Jacobum Apostolum velox ad audiendum, et ad implendum velocior. » Vide Plutarchum, lib. *De Officio auditoris*. Alludit, imo citat Jacobus *Eccli.* V, 13 : « Esto mansuetus ad audiendum, ut intelligas et cum sapientia proferas responsum verum. » Ubi Syrus et Græcus habent, *esto velox ad audiendum, et cum tarditate da responsum*; pro quo Jacobus ait : « Esto velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum. »

TARDUS AUTEM AD LOQUENDUM. — Hoc etiam ad concionatores spectat, ut caveant nimiam verborum volubilitatem, quam nonnulli vane consectantur, ut facundi appareant magis, quam ut populum moveant : licet enim subinde ad pathos incitanda sit vox et oratio, tamen reliquus sermo

potius sit sedatus et solidus, qualis fuit S. Gregorii, Chrysostomi, Leonis, Augustini et aliorum Patrum in concionando. Carpit Seneca volubilitatem orationis in Serapione, *epist.* 40 : « Vis ista, inquit, dicendi rapida atque abundans aptior est circulanti, quam agenti rem magnam, ac seriam docenti. Movere vult turbam, et inconsultas aures impetu rapere. Quomodo autem regere potest oratio, quæ regi non potest? Quis medicus ægros in transitu curat? Remedia non prosunt, nisi immorentur. Habeat vires magnas oratio; moderatas tamen : perennis sit unda, non torrens. » Senecæ consonat S. Ambrosius, lib. I *Officiorum*, cap. III; legens enim cum textu Græco, *Eccles.* XXVIII, 29 : « Alliga sermonem tuum, » subdit : « Ne luxuriet, ne lasciviat : sit restrictior et ripis suis coerceatur. Cito lutum colligit amnis exundans. »

Audire et silere faciunt sapientem; cur? Resp. Primo.

Quæres hic *primo*, cur S. Jacobus ad sapientiam præ reliquis requirit velocitatem audiendi et tarditatem loquendi? Respondeo *primo*, quia auditus est sensus disciplinæ, teste Aristotele. Unde videmus discipulos omnes audiendo doctrinam magistri, eam haurire fierique sapientes, juxta illud *Prov.* I, 5 : « Audiens sapiens, sapientior erit. » Ita S. Thomas Aquinas attente et silenter audiebat Albertum Magnum, adeo ut a condiscipulis per scomma vocaretur *bos mutus;* sed defendit eum Albertus, dicens : « Bos mutus mox tantos edet mugitus, ut eos totus audiat mundus. » Ita factum vidimus, et etiamnum fieri videmus. Auditioni autem contraria est locutio, tum quia auditio sapientiam magistri recipit infunditque in animum audientis : locutio autem eam non infundit, sed potius effundit; tum quia auditio est discentis, locutio docentis : satius autem, tutius et utilius cuique est discere, quam docere, quia qui discit, seipsum; qui docet, alios sapientia implet. Et hoc hic intendit S. Jacobus, nimirum docere Christianos, ut potius ambiant sapientiæ Christianæ esse discipuli audiendo, quam doctores loquendo. Diu enim multumque disci debet, quod doceatur. In quo multi præcipites errant qui docere volunt, quæ non didicerunt; prius magistri, quam discipuli. Itaque ordinem naturæ et disciplinæ invertunt. Monet ergo Christianos ordinis, humilitatis et modestiæ, ut potius cupiant audire docentes, quam docere audientes : sapientis enim est, non nisi post multam auditionem, meditationem et studium prosilire ad docendum, idque tarde, et non nisi rogatum, imo jussum. Unde Pythagoras a suis discipulis exigebat quinquennale silentium, ait Beda. Celebre est illud Publii Mimi :

Tacere quisquis nescit, hic nescit loqui.

Sublimius S. Augustinus, *epist.* 132, et in *Psalm.* CXXXIX : « Verbi Dei, inquit, inanis est forinsecus prædicator, qui non est intus auditor. »

Secundo.

Secundo, quia velocitas audiendi facit, ut homo multa audiendo hauriat et cognoscat : tarditas autem loquendi facit, ut pauca et bene præmeditata loquatur : quorum utrumque est actus et praxis sapientiæ; præsertim quia loquendo facile peccatur : « In multiloquio (enim) non deerit peccatum, qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est, » ait Sapiens, *Prov.* X, 19. Nam ex volubilitate et lapsu linguæ innumera sequuntur mala et clades, uti audiemus cap. III, vers. 5. Unde Cato :

Nam nulli tacuisse nocet, nocet esse locutum.

Scitum est illud Epaminondæ : « Homo debet esse cupidus audiendi potius, quam loquendi; quia ex audiendo doctrina, ex loquacitate pœnitentia nascitur. » Rursum, audita respui possunt; dicta revocari, et indicta esse nequeunt : nam « volat irrevocabile verbum. » Quocirca sapienter S. Augustinus, in Quæstionibus *ad Dulcitium*, tom. IV, Quæst. III : « Ego, ait, plus amo discere quam docere; » citansque hunc locum Jacobi : « Ut ergo discamus, inquit, invitare nos debet suavitas veritatis; ut autem doceamus, cogere necessitas charitatis. Ubi potius orandum est, ut transeat ista necessitas, qua hominem docet aliquid homo, et simus omnes docibiles Dei. »

Tertio, quia Deus, qui est sapientissimus, hunc modum sapientiæ non tantum verbo, sed et exemplo suo præscribit. Ipse enim per æterna sæcula in sua sapientia contemplanda et fruenda conquievit, et tarde, puta initio mundi et temporis, cœpit loqui, unicoque verbo *fiat*, creavit cœlum et terram, omniaque quæ eorum ambitu continentur. Rursus Deus per quinque annorum millia, quibus stetit mundus, paucissima locutus est, nimirum ea duntaxat quæ in Bibliis continentur; adeo ut plerique homines plus loquantur uno anno, quam Deus locutus sit per tot annorum millia. Deum ergo imitantur qui multa audiunt, et pauca sed efficacia loquuntur; qui multa agunt, pauca dicunt. Insuper Verbum incarnatum eumdem sapientiæ modum reipsa nos docuit, dum Verbum hoc infans et elingue factum est, dum scilicet puer natus est in Bethlehem; dumque idem usque ad annum ætatis trigesimum multa audivit, pauca locutus est. Nam quasi faber vitam egit in silentio; anno vero trigesimo cœpit docere, sed quam pauca sunt ejus verba quæ Evangeliis continentur, si cum abysso sapientiæ, quam in se continebat, conferantur? Sic et B. Virgo pauciloqua fuit, adeoque paucissima ejus verba in totis Evangeliis invenies : audiendi vero fuit avida, præsertim Christum. Unde de ea ait Lucas, cap. I, vers. 51 : « Mater ejus (Jesu) conservabat omnia verba hæc in corde suo. » Sic et Magdalena tota intenta erat audiendis Christi sermonibus in silentio, ideoque a Christo dicitur optimam partem elegisse, *Luc.* X, 42.

Quarta.

Quarto, quia angeli, qui proxime inter creaturas ad Dei sapientiam accedunt, multa audiunt

a Deo, sed pauca loquuntur. Lege in Scriptura dicta et nuntia Gabrielis ad B. Virginem et ad Zachariam, Raphaelis ad Tobiam, Michaelis ad Danielem : videbis verba eorum esse rara et perpauca, ac subinde nulla. Simili modo « regum et principum est multa audire, pauca loqui, » ait Philosophus. Rursum angeli dum invicem loquuntur, uno conceptu quasi una voce, et uno mentis ictu id faciunt, ut docent Scholastici in tractatu *De locutione angelorum*. Idem imitantur viri magni et sapientes.

Quinto. *Quinto*, quia natura hunc sapientiæ modum nobis insinuat. *Primo*, enim animalia sapientiora parum vocalia effecit, ut elephantes, simias, leones : hi enim raras, sed efficaces dant voces. Rursum aves canoræ stato modicoque tempore canunt, philomelæ, merulæ, cycni; garrulæ vero et stridulæ, ut passeres et hirundines, perpetuo pipiunt et garriunt. Quocirca S. Gregorius Nazianzenus, epist. 1 *ad Celeusium* arguentem ejus taciturnitatem, respondet per apologum cycnorum et hirundinum, tritumque de eis proverbium : « Tunc cantabunt cycni, cum graculi tacuerint. » Sane una in morte cycnea cycni vox gratior est omnibus graculorum stridoribus.

Simili modo magna et præstantia corpora, uti orbes omnes cœlestes, motum omnem, qui maximus, continuus et velocissimus est, sine voce et strepitu in silentio peragunt. Atque hæc est silens harmonia, et harmonicum silentium cœlorum, quod celebrat Job dicens, cap. XXXVIII, vers. 37 : « Quis enarrabit cœlorum rationem, et concentum cœli quis dormire faciet? » Rursum in Scriptura legimus cœlos subinde apertos, sed raro, et non nisi gravi de causa, ad Dei laudem et hominum salutem, ut cum cœli pluerunt manna, *Exod.* XVI; cum Pater e cœlo vocem dedit in baptismo Christi : « Hic est Filius meus dilectus, » *Matth.* III, 16; cum Stephanus obiens martyrium vidit cœlos apertos, ac Christum stantem a dextris Dei, ad ei opitulandum, ad dandum ei victoriam et coronam. Mystici cœli sunt Apostoli et Sancti, juxta illud *Psal.* XVIII, 1 : « Cœli enarrant gloriam Dei. » Sancti ergo cœlos imitentur, ut os non aperiant nisi ad laudem Dei et salutem proximorum, ut scilicet manna cœlestis sapientiæ et charitatis in eos effundant. Id de se jactabat Manes hæresiarcha, qui se propterea vocabat Manichæum, quasi mannæ effusorem; sed revera erat μανής, id est *insanus*, et Manichæus, id est *maniæ et insaniæ effusor* : sanctus vero sit Mannachæus, id est *mannæ effusor*.

Sexto. *Sexto*, quia fabrica hominis, puta organa audiendi et loquendi, idipsum hominem docent. *Primo* enim solus homo rationalis inter omnia animalia vim loquendi, vocemque articulatam efformandi accepit, ut disceret rationis comitem et pedissequam esse linguam; eamque nihil eloqui debere, nisi quod ratio prius loquendum dictarit et jusserit.

Secundo, Deus homini dedit aures apertas, ut multa audiret; linguam vero duobus claustris circumsepsit, nimirum dentibus et labris, ut esset tardiloquus.

Tertio, Deus homini dedit duas aures, et unicam linguam, ut innueret duplo plura illi audienda esse, quam proloquenda. Unde S. Basilius *De Vera virginit.* : « Duas aures, inquit, unam linguam nobis effinxit, quasi et duplum disciplinæ causa audire debeamus, et ad ea quæ interrogamur sesquialtera proportione contractum referre sermonem. Castigata ergo locutione prudens virgo utetur, cumque tempestive oportuerit quempiam alloqui, multo audiet plura quam dicet. »

Quarto, aurium officium unum est, scilicet audire : linguæ plura, videlicet loqui, cibum noxium a commodo discernere, sapere, comedere, et in stomachum trajicere. Unde Varro linguam a ligando cibo dictam putat. Ita Lactantius, lib. *De Opificio Dei*, cap. X.

Denique loquaces et garruli sunt pueri et feminæ, in quibus minus est rationis, sapientiæ et cerebri; viri vero sapientiores, magisque cordati sunt pauciloqui. Garrulitas ergo signum est insipientiæ, aut minoris κρίσεως : silentium vero sapientiæ et limati judicii. Unde et nonnulli fatuum derivant a fando, quod fari gestiat, et quidvis effutiat. Nam, ut ait Sapiens, *Prov.* XVII, 27 : « Qui moderatur sermones suos, doctus et prudens est, et pretiosi spiritus (qui scilicet spiritum novit cohibere, ne in verba temerarius erumpat; seu cujus pretiosi, id est rari et maturi, sunt sermones) vir eruditus : stultus quoque si tacuerit, sapiens reputabitur; » et *Proverb.* XXIX, 20 : « Vidisti hominem velocem ad loquendum? stultitia magis speranda est, quam illius correptio; » et *Eccli.* XXI, 29 : « In ore fatuorum cor illorum, et in corde sapientium os illorum, » ut os non aperiant nisi corde consulto. Hinc qui pueros instituunt, docent eos multa audire, et pauca loqui, ait Plutarchus, *De Offic. audit.* Qui et tractatum concludens : « Recte vivendi, inquit, tirocinium est bene audire. » Sic et Sapiens, *Prov.* I, 8 : « Audi, inquit, fili mi, disciplinam patris tui, » etc., fructum subdit : « Ut addatur gratia capiti tuo, et torques collo tuo. » Porro res omnium difficillimæ sunt tacere et audire, ait Gellius, lib. I, cap. IX. Vere S. Bernardus, *De Interiori domo*, L : « Multum loqui, inquit, stultitia est : lingua dicitur, quia lingit adulando, mordet detrahendo, occidit mentiendo. Ligat, et ligari non potest; labilis est, et teneri non potest, sed labitur et fallitur. Labitur ut anguilla, penetrat ut sagitta; uno ictu multos percutit et interficit. »

Septimo, hunc sapientiæ modum docuerunt Septimo omnes prisci sapientes, tam gentiles, quam Christiani. Accipe Gentiles paucos selectosque e multis.

Apollodorus dicebat, « optimos homines in di-

Exempla et gnomæ pauciloquorum.

cendo brevissimos esse,» ait Stobæus, *serm.* 34. Qui et addit: Zeno philosophus audiens adolescentem nimis garrulum: « Huic, inquit, aures in linguam diffluxere,» significans adolescentis esse multa audire, pauca loqui: ideoque eum unicum habere os et binas aures. Idem alteri stultiloquo: « Nisi lingua, inquit, in mentem intincta disserueris, adhuc multo amplius dicendo delinques. Idem dicebat e discipulis suis aliquos esse φιλολόγους, id est, studiosos rationis et scientiæ; alios vero λογοφίλους, id est, loquendi duntaxat cupidos.

Gentilium.

Theocritus audiens Anaximenem, dixit: « Incipit verborum flumen, mentis gutta,» significans eum esse multiloquum, sed parum sapere.

Democrates avaritiam quamdam esse dicebat omnia velle dicere, et nihil audire. Hæc omnia refert Stobæus, *serm.* 34.

Demosthenes in convivio cuidam multa loquenti: « Si tam multa, inquit, sapuisses, nunquam tam multa locutus fuisses.» Idem rogatus cur unam habeamus linguam, sed duas aures; « Quia, inquit, duplo plus audiendum, quam loquendum.» Ita Maximus, *serm.* 47.

Isocrates a Careone loquaci discipulo, « duplicem mercedem postulavit. Alteram, inquit, ut loqui discas, alteram ut tacere.» Ibidem.

Nicostratus dicebat: « Si continenter multa et celeriter loqui sapiendi signum esset, hirundines dicerentur nobis multo sapientiores.» Ibidem.

Xenocrates in maledictis silens, rogatus causam, dixit: « Quia dixisse me aliquando pœnituit, tacuisse nunquam.» Idem de obscœnis interrogatus, cum taceret, causam postulatus ait: « De talibus te rogare decet, me autem non respondere.» Ita Maximus, *serm.* 31.

Solon cuidam dicenti, ideo illum non loqui, quod insanus esset, respondit: « Stultus silere nequit.»

Plato Dionysio tyranno roganti, num Athenis de se loquerentur? « Philosophi, inquit, Athenis nunquam ita vacant, aut de tam vili materia tractant, ut loqui de Dionysio valeant;» libere suggillans ejus vitam et tyrannidem. Ita Fulgosius, lib. VI.

Lacedæmoniis propria erat verborum paucitas, unde breviloquentia vocatur Laconismus. Cum ergo Abderitarum legatus apud Agidem dicendi finem non faceret, ac responsum postularet. Agis respondit: « Illud tuis renuntia, quantum temporis tibi opus fuit ad dicendum, tantum me silentem audisse.» Ita ei loquacitatem exprobravit, teste Plutarcho in *Lacon.*

Iidem Samiorum legatis multiloquis dixerunt: « Prima sumus obliti, postrema non intelleximus, quia prima non meminimus.» Idem ibidem.

Læbotus cuidam prolixo in sermone dixit: « Quid mihi de re pusilla longa texis proœmia?» Lacon de luscinia dixit: « Vox es, præterea nihil.» Idem dicas garrulo; et tamen luscinia dicitur philomela, eo quod lugens canat. Audi Martialem, lib. XIV:

> Flet philomela nefas incesti Tereos; et quæ
> Muta puella fuit, garrula fertur avis.

Ibidem Charillus roganti, cur Lycurgus tam paucas leges dedisset Lacedæmoniis? « Quia inquit, pauca loquentibus paucis etiam legibus est opus;» sensit nimirum pleraque mala ex multiloquio nasci. Ibidem.

Christianorum.

Accipe fideles et Christianos: Sponsa Ecclesia a Christo sponso audit *Psal.* XLIV, 11: « Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui, et concupiscet rex decorem tuum; quoniam ipse est Dominus Deus tuus.» *Deut.* XXVII, 9: « Attende et audi Israel;» Septuaginta, *audi Israel et tace*, quod præceptum pulcherrimum vocat Philo, libro *Quis rerum divinarum hæres.* S. Joannes Baptista, *Joan.* III, 29, se nuncupat amicum sponsi (Christi), qui stat et audit eum, et gaudio gaudet propter vocem sponsi.»

S. Gregorius Nazianzenus, epist. 98 *ad Cledonium*: « Sermone, ait, tacemus, ut quæ loqui opus sit discamus;» et epist. 102 *ad Eulalium*: « Tu solitudini et immodico jejunio das operam, ego silentio.» S. Ambrosius, lib. 1 *Offic.*, cap. II: « Lex dicit, ait: Audi Israel Dominum Deum tuum. Non dicit: Loquere, sed Audi. Ideo Eva lapsa est, quia locuta est viro, quæ non audierat a Domino Deo suo. Prima vox Dei dicit tibi: Audi, si audis, custodi vias tuas; et si lapsus es, cito corrige. Tace ergo prius et audi, et non delinques in lingua tua.»

S. Basilius in monasterio silentium coluit per tredecim annos, totus vacans lectioni sacræ Scripturæ et orationi: silentium enim est verbi nutrimentum, uti docet S. Gregorius, hom. 12 *super Ezechielem*; qui et lib. V *Moral.* cap. VIII: « Silere, ait, est mentem a terrenorum desideriorum voce restringere, ut ad superna attollatur,» juxta illud *Psalm.* XLV: « Vacate, et videte, quoniam ego sum Deus.» Tertullianus in stylo strictus est et concisus, ideoque nervosus et efficax, æque ac S. Hieronymus.

S. Augustinus, in *Psalm.* LI: « Sicut, inquit, eligis quo vescaris, sic elige quod loquaris.»

Idem in *Psalm.* CXXXIX, explicans illud, *Vir linguosus non dirigetur*: « Qualis, inquit, esse debet servus Dei? ut magis optet audire, quam dicere; sicut scriptum est: Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum. Et si fieri potest, hoc cupiat, non habere necessitatem loquendi et docendi; sed audire illum cui dicitur: Auditui meo dabis gaudium et lætitiam. Gaudium autem taciturnitatis intus habeat in voluntate, vocem doctrinæ in necessitate.» Et mox: « Quare vis loqui, audire non vis? Semper foras exis, intus redire detrectas. Qui enim te docet, intus est: quando tu doces, tanquam foras exis

ad eos qui foris sunt. » Unde concludit : « Non ergo amemus magis exteriora, sed interiora. De interioribus gaudeamus, in exterioribus autem necessitatem habeamus, non voluptatem. » Idem in Evangelio secundum Lucam, *serm.* 32 : « Prædestinati in vitam æternam, inquit, operibus loquantur, non vocibus ; » et serm. 69 *De Tempore* : « Noe, inquit, etsi tacebat voce, opere loquebatur : silebat lingua, fabricatione clamabat, » scilicet imminere diluvium : ut hoc enim evaderet, fabricabat arcam.

S. Bernardus, serm. 18 *in Cant.*, ait doctorem debere esse concham audiendo et retinendo, non canalem, effundendo duntaxat verba sapientiæ, instar Christi, « de cujus plenitudine omnes accepimus. Disce, inquit, et tu non nisi de pleno effundere, nec Deo largior esse velis. Concha imitetur fontem. Non manat ille in rivum, nec in lacum extenditur, donec suis satietur aquis, etc. Implere prius, et sic curato effundere. » Idem in *Octo punctis perfectionis* : « Bis, ait, ad limam veniant verba, quam semel ad linguam. Plus diligas audire, quam audiri; ut interrogatio magis aperiat os tuum, quam ad non interrogata respondere. » De silentio plura dixi *Threnor.* III, 26; *Isaiæ* XXX, 15, et cap. XXXII, 17. Mora itaque pensanda sunt verba, et ad rationis obrussam examinanda, ut non nisi clave mentis os pandamus. Ita S. Chrysostomus in *Psalm.* L : « Os nostrum, ait, perpetuo custodiamus, rationem ei tanquam clavem adhibentes. » *Proverb.* XXIX, 11 : « Totum spiritum suum profert stultus, sapiens differt et reservat in posterum. » Quem locum illustrant Septuaginta : « Totam iram suam profert insipiens : sapiens autem dispensat per partes. » Explicat Cassianus, *Collat.* 16, cap. XXVII, quid sit per partes iram dispensare; « sapiens autem paulatim eam maturitate consilii ac moderationis extenuat et expellit. » Nec minus congrue Seneca, lib. II *De Ira,* cap. XXVIII : « Maximum remedium est iræ mora : desinet, si exspectat ; nec universam illam tentaveris tollere : graves habet impetus primos. Tota vincetur, dum partibus carpitur. » Hæreant vero in animo ad hoc præstandum, luculenti illi versus Ovidii, III *Tristium,* eleg. 3 :

> Quo quisque est major, magis est placabilis iræ :
> Et faciles motus mens generosa capit.

Ita Julius Cæsar omnes conjuratorum epistolas simul exussit, quod tantopere celebrat Seneca, lib. II *De Ira,* cap. XXIII : « Gratissimum enim putavit genus veniæ (adde etiam tutissimum) nescire quid quisque peccasset. »

Ira præcipitat verba.

ET TARDUS AD IRAM. — Ut ira velox et prædominans non præveniat, secumque in præceps trahat rationem et voluntatem ; sed tarde eam velut pedissequa sequatur, nec nisi jussa aculeum suum exerat, ubi opus arduum iram, quasi cotem virtutis exposcit. Jungit S. Jacobus tardum ad iram tardo ad loquendum. *Primo,* quasi suggerens remedium tardiloquentiæ, *q. d.* Vis esse tardus ad loquendum, esto tardus ad iram. Communiter enim præcipitatio linguæ oritur ex præcipitatione mentis, quam parit ira; et vicissim præcipitatio linguæ parit jurgia, iras et rixas : sicut ex adverso tardiloquentia facit hominem tardum ad iram. *Secundo,* quia, ut ait S. Gregorius, lib. V *Moral.* XXX : « Per iram sapientia perditur, ut quid, quove ordine agendum sit omnino nesciatur : quia nimirum intelligentiæ lucem subtrahit, cum mentem permovendo confundit. » Idem docet Sapiens, *Eccles.* VII, 10 : « Ne sis velox ad irascendum, quia ira in sinu stulti requiescit. » Efficacissimum enim iræ remedium est, vindictæ, vel operis in ira concepti dilatio, ait Seneca, lib. III *De Ira,* cap. I. Unde Athenodorus philosophus abiens ultimum hoc monitum dedit Augusto Cæsari : « Iratus nil dicas, aut facias, priusquam alphabetum integrum recitaveris, » teste Plutarcho in Vita Augusti. Sapientius S. Ambrosius, Theodosio Imperatore qui ira, licet ex parte justa, commotus, Thessalonicenses jusserat necari, præcepit ut legem conderet, qua neci a se adjudicatos vetaret plecti ante trigesimum diem a lata sententia elapsum. Ita nimirum Deus laneos habet pedes, sed ferreas manus; quia tardo ad vindictam pede progreditur, sed cum accedit, acriter punit, et tarditatem vindictæ gravitate compensat.

Præclare S. Gregorius, lib. V *Moral.,* cap. XXX, damna iræ recensens : « Per iram, inquit, gratia vitæ socialis amittitur, concordia rumpitur, lex veritatis amittitur, Spiritus Sancti splendor excluditur; iræ stimulis accensum cor palpitat, corpus tremit, lingua se præpedit, facies ignescit, exasperantur oculi, et nequaquam recognoscuntur amici; » et Cassianus, *Collat.* XVI, cap. XXVII : « Hæc, ait, natura est iræ, ut dilata languescat et pereat, prolata vero magis magisque conflagret. Dilatanda ergo atque amplianda sunt pectora, ne angustiis pusillanimitatis arctata, iracundiæ turbulentis æstibus oppleantur; » et paulo ante docet, iram vincendam esse non fuga, sed amplexu ejus cui irascimur. « Nisi enim, inquit, iracundia proximi humili statim satisfactione vincatur, provocat eam fugiens potius, quam declinat. » Idem, lib. VIII *De Instit. renunt.,* cap. VI, docet iram nobis datam, ut irascamur vitiis, eaque perimamus. Unde Nazianzenus in carmine *De Ira* : « Irascor, inquit, iræ dæmoni intus condito ; » quia ira ex homine facit feram, puta leonem, tigridem, serpentem, imo diabolum; ut iratus et furens non videatur esse homo, sed dæmon incarnatus.

Remedia quibus vincenda est ira, assignavi *Ephes.* IV, 25. Plura vide apud S. Basilium, Senecam et Plutarchum, tract. *De Ira;* Cassianum, toto lib. VIII *De Instit. renunt.*; et S. Gregorium, lib. V *Moral.* cap. XXX, ad illud *Job* V : « Virum

stultum interficit iracundia; » et S. Ambrosius, lib. I *Offic.*, XXI, 21, inter alia ait : « Morum tranquillitas usu quodam affectionis proposito in naturam vertatur, ira ratione reprimatur; si præoccupaverit mentem, ne relinquas locum tuum. Locus tuus patientia est, locus tuus sapientia est, locus tuus ratio est, locus tuus sedatio indignationis est. Si non potueris mitigare mentem, reprime linguam. » Et inferius : « Si irascimini, nolite peccare, sed vincite ratione iracundiam. Vel certe sic : Si irascimini, vobis irascimini, quia commoti estis, et non peccabitis. Qui enim sibi irascitur, quia cito commotus est, desinit irasci alteri : qui autem vult iram suam justam probare, plus inflammatur, et cito in culpam cadit. Melior est autem secundum Salomonem, qui iracundiam continet quam qui urbem capit : quia ira etiam fortes capit. » Ait enim Salomon, *Proverb.* XVI, 32 : « Melior est patiens viro forti; et qui dominatur animo suo, fortior est expugnatore urbium. »

Vers. 20. Ira justitiæ inimica, quomodo?

20. IRA ENIM VIRI JUSTITIAM DEI NON OPERATUR. — Deus enim sine ira cum tranquillitate judicat, *Sapient.* XII, 18. Unde S. Clemens, lib. II *Constit.*, cap. XXXVII : « Ubi est ira, inquit, ibi non est Dominus, sed amica Satanæ. Hinc Elias iratus cultoribus Baal, vidit Deum in specie non turbinis, sed auræ lenis, quæ symbolum est mansuetudinis animique placidi et sereni, III *Reg.* XIX, 12. Nominat « justitiam » præ aliis virtutibus, quia ira induit nomen et prætextum justitiæ : iratus enim putat asseritque se justam sceleris et injuriæ sibi irrogatæ ultionem deposcere. Ira ergo justitiæ specie se velat et palliat.

Resp. Primo.

Jam varii varios hic dant sensus. *Primo*, Cajetanus, *q. d.* Deus ad operandam et exercendam justitiam non constituit iram, sed judices : illi ergo justitiam justamque vindictam exerceant, non ira et iratus, esto possit, viresque habeat ad se ulciscendum.

Secundo.

Secundo, Nilus abbas, tract. *De Ira*, explicat, *q. d.* Ira non amat, sed odit justitiam, ac proinde adeo non operatur justitiam, ut injustitiam, sævitiam et crudelitatem operetur : est enim miosis : parum enim dicitur, sed plus significatur.

Tertio.

Tertio, S. Hieronymus, lib. II *Contra Pelag.* : Ira, inquit, Dei justa est et justitiam operatur, quia Dei ira quieta est et ratione ducitur : nec enim in Deo aliud est ira quam appetitus justitiæ justæque vindictæ; ira vero viri injusta est, quia de perturbata mente procedit.

Quarto.

Quarto, S. Gregorius, lib. V *Moral.*, cap. XXX : « Ira viri, inquit, justitiam non operatur, quia dum perturbata mens judicium suæ rationis exasperat, omne quod furor suggerit rectum putat. » Ira ergo pro justitia substituit furorem, eumque censet esse justitiam, quia adeo cæca est mentemque excæcat, ut unum contrariorum pro altero cernat : velut si quis turbato visu, id quod album est cerneret nigrum, et vice versa.

Quinto, genuine et adæquate « justitia » hic generatim sumitur pro qualibet virtute, *q. d.* Ira non operatur id quod justum, æquum, rationi consonum et sanctum est, sed multa perpetrat contra mansuetudinem, charitatem, patientiam, prudentiam, æquitatem cæterasque virtutes, quas exigit et complectitur justitia Christiana. Alludit S. Jacobus ad *Ecclesiastici* I, 28 : « Qui sine timore est, græce ἀνὴρ θυμώδης, id est, vir animosus, audax et iracundus (audacia enim eique affinis ira opponitur timori, ut docent Ethici), non poterit justificari : iracundia enim animositatis illius, subversio illius est. » Ira ergo extinguit in animo irati omnem patientiam, humanitatem, charitatem, justitiam, etc.

Recte S. Thomas, III *part.*, *Quæst.* XV, art. 9, ad 1, quærens an in Christo fuerit ira, cum S. Jacobus dicat iram non operari justitiam, respondet iram tunc proprie dici operari, cum prævenit rationem eamque secum rapit ad operandum : secus est cum sequitur rationem ejusque est instrumentum, uti fuit in Christo et Sanctis. « Ira, inquit, dupliciter se habet in homine; quandoque enim prævenit rationem, et trahit eam secum ad operandum, et tunc proprie ira dicitur operari : nam operatio tribuitur principali agenti. Et secundum hoc intelligitur, quod ira viri justitiam Dei non operatur. Quandoque vero ira sequitur rationem, et est quasi instrumentum ipsius; et tunc operatio quæ est justitiæ, non attribuitur iræ, sed rationi; » quæ ira utitur quasi cote animi ad opus arduum, v. g. justæ vindictæ. Accepit hoc S. Thomas a S. Gregorio, qui lib. VII, *epist.* 126, ad Reccaredum, regem Gothorum, monens eum ne in regendo iram admisceat : « Curandum, inquit, est, ne ira surrepat. Ne fiat citius omne quod licet. Ira quippe cum delinquentium culpas exequitur, non debet quasi domina præire, sed post rationis tergum velut ancilla famulari, ut ad faciem jussa veniat; nam si semel mentem ceperit, justum esse deputat etiam quod crudeliter fecit. Hinc enim scriptum est : Ira viri justitiam Dei non operatur. » Ex adverso de S. Mose dicitur *Ecclesiastici* XLV, 4 : « In fide et lenitate ipsius sanctum fecit illum, et elegit eum ex omni carne. » Ita S. Augustinus, epistol. 75 *ad Auxilium*, Episcopum juvenem, qui ex ira videbatur præcipitasse sententiam excommunicationis in Classicianum, monet ut oret, et exclamet ad Deum : « Turbatus est præ ira oculus meus : miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum; ut porrigat dexteram suam, et comprimat iracundiam tuam, et tranquillet mentem tuam ad videndam faciendamque justitiam. Sicut enim scriptum est : Ira viri justitiam Dei non operatur. » Ita S. Ambrosius, lib. I *Offic.* cap. XXI, laudat Architam philosophum, quod ad villicum suum dixerit : « O te infelicem, quam te afflictarem nisi iratus essem! Sed etiam David armatam dexteram in indignatione compresserat : et bellatores adversus Nabal ad ultionem paratos, Abigail depreca-

tione revocaverat, » I *Regum* XXV. Idem Ambrosius, *De obitu Theodosii Imperatoris,* eum laudat a dominatu iræ, dicens : «Beneficum se putabat, et tunc propior erat veniæ, cum fuisset commotio major iracundiæ. Prærogativa ignoscendi erat indignatum fuisse, et optabatur in eo, quod in aliis timebatur, ut irasceretur.» Idem lib. II *Offic.* cap. VII : « David, inquit, fortis in prælio, mansuetus in imperio, patiens in convitio, ferre magis promptus quam referre injurias. Ideo tam charus erat omnibus, ut juvenis ad regnum etiam peteretur invitus, resistens cogeretur, senex ne prælio interesset a suis rogaretur, quod mallent omnes pro ipso periclitari, quam ipsum pro omnibus. »

Vers. 21. 21. PROPTER QUOD ABJICIENTES OMNEM IMMUNDITIAM, ET ABUNDANTIAM MALITIÆ, IN MANSUETUDINE SUSCIPITE INSITUM VERBUM. — Multi hæc referunt ad iram, de qua proxime sermo præcessit, *q. d.* Ut abjiciatis iram, abjicite immundas cupiditates : hæ enim dum amantur, excitant iras et rixas contra eos qui easdem ambiunt et nobis eripere aut præripere satagunt. Alii, *q. d.* Cum ira non justitiam, sed injustitiam, omnemque iniquitatem operetur, hac de causa eam abjicite ; quia ipsa animam facit immundam eamque sordidat, excitando motus ambitionis, avaritiæ, invidiæ, luxuriæ omniumque cupidatum ; sed præsertim malitiæ et malignitatis, puta odii, vindictæ, calumniæ, homicidii, etc.

Aptius hæc referemus ad omnia præcedentia, etiam remotiora, ac præsertim ad vers. 18, ubi dixit : « Voluntarie nos genuit verbo veritatis ; » hoc enim vocat hic « insitum verbum quod potest salvare animas, » *q. d.* Cum regenerati simus verbo veritatis, effectique filii Dei, satagamus hanc regenerationem, novamque vitam et filiationem divinam tueri et conservare, ideoque abjiciamus omnem immunditiam et malitiam, quæ eam vel maculant, vel infirmant, vel interimunt. Porro, in nomine *immunditiam* respicit ad concupiscentiam, a qua nos tentari, trahique ad mortem dixit, vers. 14 et 15 ; in nomine vero *malitia* respicit ad iram, quam immediate ante cavendam monuerat : tam enim concupiscentia, quam ira filiationi divinæ, novæque Christianorum vitæ repugnat.

Ῥυπαρία quid? Pro *immunditiam* græce est ῥυπαρία, id est, spurcitia, sordes, fæx, retrimentum, situs, squalor, illuvies, pædor : cum vero transfertur ad animum, significat avaritiam, animum illiberalem, parcum et sordidum. Inde enim ῥυπαρὸς vocatur sordidus, spurcus, illiberalis, avarus. Proprie ergo S. Jacobus taxat hic avaritiam : hæc enim suscitat iras, lites et jurgia ; hæcque erat prima tentatio Christianorum : dum enim ob fidem Christi a Judæis et Gentilibus patiebantur persecutionem et rapinam bonorum, tentabat eos avaritia, ut ea conservarent, non tantum ad impatientiam, sed et ad fidem, vel negandam vel certe dissimulandam. Tangit itaque tentationis, de qua initio fuse egit, fontem et radicem, ut ea succisa succidat tentationem. *q. d.* O Christiani, patimini spoliationem bonorum propter Christum : ea spernite, omnemque eorum cupiditatem et avaritiam ex animo evellite : ita facile sustinebitis omnem hanc persecutionem ; ita stabitis firmi et constantes in fide, gratia novaque generatione Christi, quam ultro suscepistis ; ῥυπαρία enim, et sordidi animi est, ut bona caduca retineas, perdere fidem, gratiam, animam ipsumque Deum. Sic hodie ῥυπαροὶ sunt avari, qui ut aliquot obolos, denarios vel aureos lucrentur, fallunt, fraudant, pejerant, negligunt sacrum Missæ officium die festo, aliasque Dei leges violant. Hi enim obolo, vel denario instar Judæ vendunt Christum, id est, Christi legem, gratiam, amicitiam, suamque conscientiam et vitam æternam. Unde merito de ea dixit Apostolus I *Timoth.* vers. 10 : « Radix omnium malorum est cupiditas, » græce φιλαργυρία, id est cupido pecuniæ, sive avaritia. Hoc sensu accipi potest *immunditia,* ut vertit Noster, pro sordibus avaritiæ ; ut omnem immunditiem abjicere sit idem, quod omnes sordes avaritiæ abjicere. Porro hæc avaritia non in solis opibus, sed in qualibet alia re locum habet, uti mox pluribus dicam.

Secundo tamen ῥυπαρία, id est *spurcitia,* potest significare luxuriam, gulam omniaque vitia carnalia, quæ proprie vocantur « immunditia, » quia in se spurca sunt, et corpus animumque conspurcant, juxta illud Apostoli I *Cor.* VI, 18 : « Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est : qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. » Ita per immunditiam vitia carnis accipit Beda, Thomas Anglicus, Salmeron et alii passim. Præclare Clemens Alexandrinus, *Orat. ad Gentes* : « Ego, ait, calcare terram didici, non adorare. »

ET ABUNDANTIAM MALITIÆ. — Perperam Beza vertit, *et excrementum malitiæ;* περισσεία enim abundantiam significat, non excrementum. Quæres : Quænam hæc malitia? *Primo,* aliqui accipiunt nimiam sollicitudinem rerum temporalium, quam ex animis fidelium volens evellere Christus, dicit *Matth.* VI, 34 : « Sufficit dici malitia, » id est, sollicitudo et afflictio « sua. » Hæc enim sollicitudo inflammat iram, impatientiam, aliarumque tentationum, de quibus egit S. Jacobus, est causa. Malitia septuplex. Prima.

Secundo, alii pro *malitiæ* vertunt timiditatis, ignaviæ, probri, dedecoris ; hæc enim significat Græcum κακία apud Thucydidem et Demosthenem, *q. d.* Abjicite nimiam timiditatem et ignaviam quasi ingens probrum et dedecus ; hæc enim facit vos persecutioni cedere, patientiam perdere, fidem prodere. Ita Catharinus. Secunda.

Tertio, alii proprie « malitiam » accipiunt pro animo malo, pravo, fallaci, versuto, duplici, superbo, nocendi cupido. Ita Hugo per *abundantiam malitiæ* accipit abundantem pravitatem cordis, sed latentem ; quæ proinde dicitur abundans, Tertia.

quia « simulata æquitas est duplex iniquitas. » Sic et Glossa Interlinearis : Abundantia malitiæ, inquit, est interior pravitas, peculiaris improbis qui abundant divitiis, præsertim cupido vindictæ, ait Lyranus.

Quarta. *Quarto*, κακία, id est *malitia*, sumi potest pro κακώσει, id est *malignitate*, maledicentia et maleficentia, qua quis fit maledicus et calumniator, aliosque vexat et turbat. Sic Callimachus pictor dictus est κακιζότεχνος, quasi κακίζων τὴν τεχνήν, id est, maledicens, improbans, accusans suam artem et picturam, de quo Plinius, lib. XXXIV, cap. IX : « Ex omnibus, ait, maxime insignis est Callimachus, calumniator sui, nec finem habens diligentiæ : ob id κακιζότεχνος appellatus, memorabili exemplo adhibendi curæ modum. » Tales κακιζότεχνοι sunt multi, qui omnia censent, carpunt, improbant, spernunt : itaque omnibus molestias, sibi odia et rixas creant. Quocirca Hugo ait immunditiem esse in cogitatione prava, malitiam in voluntate perversa, abundantiam malitiæ in operatione iniqua.

Quinta. *Quinto*, Œcumenius et Beda per « abundantiam malitiæ » accipiunt peccandi consuetudinem, habitum, pertinaciam et destinatum propositum.

Sexta. *Sexto*, Cajetanus, Serarius et Salmeron « malitiam » generaliter accipiunt pro quovis vitio quo voluntas ad malum accenditur; ideoque vocari « abundantiam malitiæ, » quia scilicet malitia abundet, imo exuberet in perniciem aliorum.

Septimo, alii censent per exaggerationem hic addi « abundantiam malitiæ : » idem enim esse quod immunditiem, sed eam aggravare ex exaggerare : Gentes enim in immunditiem et luxuriam erant profusæ, ideoque abundantes in malitia.

Omnes hi sensus probabiles sunt, probabiliores tamen, nostræque Latinæ versioni congruentiores videntur tertius et quartus. Ubi adverte « abundantiam malitiæ » hic vetari a Jacobo, non quasi parcitas malitiæ permittatur; sed τὸ *abundantia* significat proprietatem malitiæ, *q. d.* Abjicite malitiam, quia ipsa ex sua natura et indole ebullit, abundat et redundat in omne malum ; sicut enim vinum recens ebullit egeritque continuo spumas et fæces : sic malitia semper ebullit, eructat et suggerit quaslibet malas cogitationes, locutiones et actiones, omnesque fraudes et nocendi artes. Sic peccatum malitiæ opponitur peccato infirmitatis vel fragilitatis; Theologi enim peccatum ex sua causa in tres distinguunt species : aliud enim committitur ex ignorantia, aliud ex infirmitate, aliud ex malitia.

Denique Emmanuel Sa, et Maldonatus in Notis ad novum Testamentum, quas vidi legique in Collegio Romano, censent hic esse hebraismum, ut « abundantia malitiæ » idem sit, quod abundantia mala, id est, quidquid male abundat, omnis superfluitas. Hanc enim significat περισσεία κακίας; περισσεία enim est superfluitas, redundantia, exuberantia et omne id quod modum excedit, puta excessus qui honesti et rationis limites transgreditur; sicque recte opponitur ei ὑπαρία : hæc enim sunt duo extrema, ideoque vitiosa, nimirum ὑπαρία et περισσεία, id est *avaritia* et *superfluitas*, parcimonia et prodigalitas, quæ cavenda monet S. Jacobus, ut teneatur medium in quo consistit virtus, *q. d.* Nolite esse parci nec prodigi; nolite esse sordidi et avari, nec superflui et profusi in vestris opibus, sumptibus, familiis, actibus et rebus quibuslibet; sed in omnibus aveream mediocritatem servate, ac cor ab omni affectu æque ac defectu vitioso liberum, ut sit capax seminis divini et facile suscipiat insitum verbum salutis. Hic sensus valde congruus, nervosus et connexus est. Ubi nota, τὸ κακίας tam ad ὑπαρίαν quam ad περισσείαν referri posse, quasi dicat : Cavete omnem malam, tam avaritiam et tenacitatem, quam copiam et superfluitatem : est enim utrique adversa bona tam tenacitas, quam copia, v. g. tenacitas veritatis bona est, æque ac copia liberalitatis sive eleemosynæ. Docet ergo S. Jacobus malitiam et vitium in extremis consistere, puta in excessu et defectu; bonitatem vero et virtutem in medio, puta in moderatione et mediocritate : ideoque omnes surculos et fibras malitiæ e corde nostro esse evellendas, ut ei virtus inseratur; ut nimirum semen verbi divini ei inseri, cohærere, radices agere, et bonorum operum fruges germinare ac producere possit.

Mansuetudinis virtus.

IN MANSUETUDINE. — « Mansuetudinem » opponit malitiæ : mansuetudo enim facit cor docile capaxque seminis verbi divini, cujus incapax et indocile facit malitia, juxta illud *Eccli.* V, 13 : « Esto mansuetus ad audiendum verbum, ut intelligas et cum sapientia proferas responsum verum. » Mansuetudo enim est mentis serenitas, tranquillitas, claritas, quæ facile capit sapientiam, cernitque omne verum : unde ipsa est quasi aqua limpida, vel speculum tersum, in quo rerum imagines clare perspiciuntur; ex adverso malitia et ira est mentis turbatio, tumultus, tempestas et obscuritas : unde similis est aquæ turbidæ et speculo pulveribus obducto, in quo nihil recte videri potest, præsertim quia sicut malitiæ et iræ individua comes est superbia, ita mansuetudinis comes et socia est humilitas, quæ necessaria et optima ad sapientiam est dispositio adeoque eam a Deo emendicando meretur accipere. Insuper mansuetudinem exigit S. Jacobus uti matrem patientiæ, quæ fidelibus illo ævo in tantis persecutionibus et tribulationibus erat necessaria; quam proinde eis vers. 1 et deinceps impense commendavit.

SUSCIPITE, — id est, susceptum retinete; significatur enim actus non inchoatus, sed continuatus et perfectus. Loquitur enim fidelibus, qui jam verbum fidei susceperant, quos monet ut illud studiose conservent, augeant et promoveant.

INSITUM VERBUM. — Male Œcumenius λόγον vertit,

rationem, quæ opponitur iræ : agitur enim hic de verbo, non de ratione ; unde Syrus vertit, *verbum quod est insitum in natura nostra*, græce ἔμφυτον, quod Œcumenius et Vatablus vertunt, naturale, nativum, verum, non fictum, sicut *Sap.* XII, 10, ex adverso vocatur ἔμφυτος πονηρία, naturalis malitia obstinatorum. Melius alii passim hic ἔμφυτον vertunt, inditum, insertum, implantatum, sicut fit cum ramus unius arboris alteri inseritur, et, ut agricolæ loquuntur, inoculatur, vel implastratur, quam Græci et Latini vocant *emphyteusin*. Sic enim videmus pomo arbori inseri ramum piri, per eumque producere pira. Simili modo voluntati nostræ inseritur Dei verbum, fides et gratia quasi surculus et ramus divinus, per eumque voluntas nostra producit opera supernaturalia fidei, spei, charitatis, patientiæ, martyrii cæterarumque virtutum. Ubi adverte, τὸ *insitum* significare verbum Dei, fidem et gratiam non esse nobis connaturalia, sed aliunde, puta divinitus insita, ideoque gratuita et supernaturalia. *Secundo*, opera fidei et gratiæ non tam esse tribuenda voluntati, quam fidei et gratiæ : ex voluntate enim tantum accipiunt libertatem, scilicet quod sint opera vitalia, humana et libera ; ex fide vero et gratia accipiunt suam dignitatem et speciem, scilicet quod sint opera supernaturalia fidei, charitatis et gratiæ : sicut arbor pomus cum per insertum ramum piri producit pira, esto succum suum ei communicet; tamen quod pira producat, non poma, ramo piri inserto acceptum ferre debet, non sibi. Alibi S. Paulus et Scriptura vice versa dicit nos inseri Christo, quasi Christus sit arbor, cui nos quasi rami vel surculi inseramur, ut ab eo vitam, succum et vigorem gratiæ sugamus, juxta illud *Roman.* VI, 5 : « Si complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus ; » et I *Joannis* cap. IV, 16 : « Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo. » Sic S. Paulus, *Roman.* XI, 17, ait gentes infideles et impias, quasi oleastros, per fidem et gratiam insertos esse in bonam olivam, puta in Christum, ut dulces pinguesque charitatis et bonorum operum olivas producant.

Insitum verbum quod? Resp. Primo, esse incarnationem, quæ est quasi insitio ob sex analogias. Prima.

Quæres, quodnam est hoc « insitum verbum, » quod a nobis suscipi jubet S. Jacobus? Respondet *primo*, Concilium Viennense esse Christum, sive Verbum incarnatum : hoc enim, si per fidem et gratiam suscipiamus, salvabit nos : ejus enim incarnatio simillima est insitioni, sive inoculationi arborum. *Primo* enim sicut arbori agrestiori aut steriliori inseri solet surculus arboris melioris et feracioris, ut per eum ponat suam agrestem sterilitatem, fructusque meliores et copiosiores producat : ita carni nostræ et humanitati infecundæ et sterili, in horto uteri beatæ Virginis, operante Spiritu Sancto, insertum fuit verbum divinum, ut ex humanitate et divinitate fieret una hypostasis, unumque suppositum quasi una arbor, quod per ramum Verbi divini fructus divinos, dulcissimos et optimos produxit ; vice versa dici potest, quod humanitas quasi ramus in Christo inserta sit Verbo et divinitati quasi arbori et trunco. Deitas enim et hypostasis divina sustentat humanitatem et humanam naturam in Christo, non autem vice versa hypostasis humana sustentat divinam, hic enim fuit error Nestorii.

Secunda.

Secundo, sicut ramus resecatur ab una arbore ut alteri inseratur : ita Christus descendens in carnem quasi ablatus fuit, et resectus a sinu Patris, ut e cœlesti paradiso transplantaretur in terrestrem.

Tertia.

Tertio, sicut arboris, cui insitio facienda est, ramus præsciditur, ut ei alterisque melior inserantur : ita ab humanitate Christi ablata et quasi præcisa est hypostasis humana et creata, ut ei hypostasis divina communicaretur et quasi insereretur.

Quarta.

Quarto, sicut ramus arbori insitus cum ea coalescit, fitque una arbor : ita humanitas Verbo insita cum ea coaluit in unam eamdemque personam.

Quinta.

Quinto, sicut ramus colligatur arbori ut coalescat : ita colligata est divinitas humanitati per vinculum unionis hypostaticæ. Præclare S. Bernardus, serm. 3 *De Vigil. Nativit.*: « Nihil Deo sublimius, inquit, nihil vilius limo, et tamen tanta dignatione Deus descendit in limum, tantaque dignitate limus ascendit ad Deum, ut quidquid in eo Deus fecit, limus fecisse credatur; quidquid pertulit limus, Deus in illo pertulisse dicatur. »

Sexta.

Sexto, sicut in vere flante austro cum arbores sudant, ac in gemmas prorumpunt, facienda est ramorum insitio : ita incarnatio Verbi facta est in vere, puta 25 die martii, quo conditus est mundus, ut eum repararet et renovaret.

Secundo esse Eucharistiam.

Hinc *secundo*, nonnulli per « insitum verbum » accipiunt Eucharistiam. In ea enim Christus nobis nostroque stomacho et menti realiter et substantialiter inseritur et quasi inoculatur ; sed ita ut nos potius convertat in se, quam ipse convertatur in nostram substantiam et qualitatem, uti ait S. Augustinus. Verum hoc mysticum est, non litterale.

Alii per « verbum insitum » accipiunt Christum cruci affixum. Arbor enim crucis erat lignum silvestre et sterile, juxta illud : « Maledictus omnis qui pendet in ligno, » *Galat.* cap. III, vers. 13. Christus autem generosum et fœcundum fuit virgultum, juxta illud *Isaiæ* IV, 2 : « In illa die erit germen Domini in magnificentia, et gloria, et fructus terræ sublimis. » Hoc igitur virgultum per clavos insitum et innexum fuit in crucem, tuncque crux uberrimos orbi protulit fructus, juxta illud *Jerem.* XXXIII, 15 : « Germinare faciam David germen justitiæ. » Verum hic sensus accommodatitius est et concionatorius, non genuinus.

Tertio, esse

Tertio, « verbum insitum » est Verbum Dei puta S. Scripturam et Evangelium. Ita Beda, Glossa,

Cajetanus, Catharinus et Cajetanus. Dicitur « insitum, » ut distinguatur a congenito, puta a lumine rationis nobis a natura ingenerato. Unde S. Thomas explicans illud *Ephes.* cap. VI, 18, *Et gladium spiritus, quod est verbum Dei*: « Prædicatio, inquit, dicitur gladius spiritus, quia non penetrat usque ad spiritum, nisi ducatur a Spiritu Sancto. » Dicitur ergo « insitum, » quia per Apostolorum prædicationem et audientium fidem animis credentium a Spiritu Sancto inseritur et inspiratur.

Insitionis et prædicationis analogiæ undecim.

Ubi nota appositas analogias inoculationis surculi in arborem et insitionis verbi in animam. Multæ enim conditiones in insitione arborum servandæ sunt, quas recenset Columella lib. V, cap. XI; Varro, lib. I *De Re rust.*; Plinius, lib. XVII, cap. XIV, et alii. *Prima* est, sicut ramus per insitionem arbori inseritur, ita Christus per prædicationem et fidem menti inditur. *Secunda*, sicut ramus nativus præscinditur ut alter melior inseratur, ita in lege veteri circumcidebatur caro præputii, ut fideles insererentur Ecclesiæ et gratiæ Dei : in lege autem nova circumciditur anima resecando peccata et vitia, ut Dei fides et gratia menti inseri possit. *Tertia*, ut ramus unius arboris commode alteri inseri possit, debet ei similis esse in cortice : ita Christus nobis inseritur, quia externa specie et quasi cortice, puta humanitate, nobis est similis. *Quarta*, findendus est ramus usque ad medullam, ut ei alter surculus inseri et agglutinari possit : ita findenda est anima usque ad cor et intimum ejus sinum per amorem Christi, ut ei ipse Christus inseri et inoculari, ac, ut ita dicam, incordiari intimeque uniri possit, sicut vicissim usque ad cor fixus et transfixus est in cruce, ut nostro cordi uniri posset. Unde *Canticor.* cap. IV, vers, 9, dicit : « Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, » ubi pro *vulnerasti* hebraice est לבבתני *libbathani*, id est, abstulisti mihi cor, transfixisti mihi cor, excordiasti me : amans enim amato dare debet cor, ut, sicut in oculatione rami ejus medulla medullæ arbori, ita cor amantis cordi amati uniatur et inseratur. *Quinta*, ramus insitus arbori, ei bubulo fimo et luto colligandus, et contra frigus æstumque muniendus est : ita meditatione nostri fimi et luti, id est, miseriæ humanæ, mortis et novissimorum, anima Christo colliganda, et contra omnes acediæ, gulæ, luxuriæ aliorumque vitiorum tentationes munienda est. *Sexta*, insitio arborea facienda est in vere, flante Austro : ita insitio spiritualis optime fit in juventute et ætate florida, afflante Spiritu Sancto. Juventus enim flexilis est, omnemque insitionem recipit : senectus vero si in vitiis enutrita consenuit, difficile inolitos mores et vitia deponit, ac proinde perdifficile est virtutes oppositas ei inserere. *Septima*, surculi inserendi præscindendi sunt ex arbore nimirum triennali ; item ex ramis novis, qui spectant Orientem, iidemque ramis alterius arboris Orientem pariter spectantibus inserendi sunt : ita verbum Dei animæ indendum, hauriendum est a sancta Trinitate, et a Christo, cujus nomen est Oriens, *Zachar.* VI, 12; ac vicissim animæ ad Orientem, hoc est, parti superiori, qua cœlum cœlestia spectat, vitamque novam et spiritualem desiderat, inserendum est. *Octava*, sicut arbor silvestris quæ prius nihil producebat, aut non nisi pruna agrestia, per inoculationem piri producit pira dulcia et sapida : ita anima inculta et cupiditatibus luxurians, quæ prius nonnisi opera gulæ, luxuriæ, superbiæ, etc., producebat, per insitionem verbi et gratiæ Dei producit pira suavissima sobrietatis, castitatis, humilitatis, charitatis, etc. : ita Clemens Alexandrinus, lib. VI *Stromat.*, VI, ubi quatuor insitionis corporalis species recenset, easque mystice totidem speciebus insitionis spiritualis accommodat. *Nona*, ramus insertus ramum arboremque cui inseritur, quasi maritat, et arctissimo conjugii vinculo sibi copulat : ita Christus per verbum Dei despondet sibi animam fidelem, juxta illud II *Corinth.* XI, 2 : « Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo. » Rursus ramus insertus ramum alterum cui inseritur, quasi adoptat, juxta illud Ovidii, lib. I *De Remediis Amoris* :

Venerit insitio, fac ramum ut ramus adoptet.

Ita Christus per verbum, fidem et gratiam nos sibi in filios et hæredes adoptat. *Decima*, sicut ramus insertus alteri cui inseritur, firme cohæret, adeoque unus cum eo fit idemque : ita Christus per fidem et gratiam firme animæ nostræ copulatur et unitur, ut nisi per hostilem voluntatem abjiciatur et resecetur, perpetuo animæ conjunctus et quasi conjugatus maneat. *Undecima*, insitio arbori est instar culturæ : facit enim ut melior sit, melioremque ac magis digestum succum trahat, indeque meliorem fructum producat : ita insitio fidei et gratiæ animam animalem excolit, innovat, perpolit, ut succum cœlestem imbibat et induat, indeque cœlestes actiones producat. Hinc disce quam utile sit audire, legere, ruminare verbum Dei : sic enim illud menti inserendo, eam innovamus, cœlestemque facimus, ut omnis ejus succus, id est, cogitatio, et affectio, et fructus, id est actio, sit spiritualis et cœlestis : sicut ex adverso legere, audire, ruminare verba vana, carnalia, lasciva, maledica, hominem facit vanum, carnalem, lascivum, maledicum. Unde S. Ambrosius, lib. IX *in Lucam*, cap. XX : « Ut tener surculus, inquit, veteri excisus ab arbore in alterius fœtu radicis inseritur : ita populus sanctus surculi veteris cicatricibus enodatis, in novo illo crucis ligno tanquam gremio piæ parentis fotus inolescit, Spiritusque Sanctus in hoc carcereum corpus infusus, velut in altas demissus terrarum scrobes, aquæ salutaris irriguo diluit quidquid est fœtidum, membrorumque nostrorum habitus in cœlestem erigit disciplinam. »

Mystice hæc omnia facile adaptes verbo Dei inspirato, hoc est, inspirationi divinæ : hanc

Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta. Sexta. Septima. Octava. Nona. Undecima.

enim inserit menti Spiritus Sanctus, adeoque verbum Dei frustra a concionatoribus prædicatur exterius, nisi illud interius prædicet, mentique inserat Spiritus Sanctus; sive autem ipse illud per concionatorem exterius, sive per se solum interius menti inspiret et inserat, parum refert : idem enim utrobique est gustus et fructus. Transit enim in naturam nostram, facitque nos Deo fructificare, ut ait Thomas Anglicus.

QUOD POTEST SALVARE (Syrus, *vivificare*) ANIMAS VESTRAS, — nimirum eas regenerare, eisque tribuere novam nativitatem, eamque supernaturalem, hic per gratiam, in futuro per gloriam. Respicit S. Jacobus ad id quod dixit vers. 18 : « Voluntarie enim nos genuit verbo veritatis; » verbum enim veritatis est verbum insitum animæ nostræ a Spiritu Sancto, ad peragendam hanc divinam generationem, quæ fit per remissionem peccatorum, infusionem justitiæ et sanctificationem, quam indies innovare et augere possumus et debemus. Hoc est quod ait Paulus, *Roman.* I, 16 : « Non enim erubesco Evangelium : virtus enim Dei est in salutem omni credenti; » et cap. X, vers. 10 : « Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. » Vide ibi dicta. Porro verbum Dei salvat animam, non per solam fidem ei credendo, ut volunt hæretici; sed ei obediendo, illudque opere et vita complendo, ac præsertim multa pro eo patiendo, uti passi sunt primi fideles et Martyres. Illud ita esse docet S. Jacobus dum subdit :

verbum veritatis quid?

Vers. 22. 22. ESTOTE AUTEM FACTORES VERBI, ET NON AUDITORES TANTUM. — *q. d.* Quod dixi : « Suscipite insitum verbum, » intelligo sic, ut non tantum illud audiatis et credatis, sed et ut idem opere perficiatis. « Scienti enim bonum et non facienti, peccatum est illi, » ait S. Jacobus, cap. IV, vers. 17; et Christus, *Lucæ* XI, 28 : « Beati, inquit, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud, » adeoque « Jesus cœpit primo facere, et deinde docere, » *Actor.* I, 1. Christo enim « scientia erat norma vivendi, vita dicendi. » Non enim præclarius scivit, quam sanctius vixit; nec docuit majora quam fecit. Christum ducem imitati sunt omnes Sancti. Ita S. Paulus : « Imitatores, ait, mei estote, sicut et ego Christi, I *Corinth.* XI, 1. S. Gregorius, homil. 29 *in Evang.*, dicenti : « Ego jam credidi, ergo salvus ero, » respondet : « Verum dicit, si fidem operibus tenet : vera etenim fides est, quæ in hoc quod verbis dicit, moribus non contradicit. Hinc enim est quod de quibusdam falsis fidelibus Paulus dicit, *ad Titum*, V : Qui confitentur nosse Deum, factis autem negant. » Hinc Joannes ait, *epistola* I, cap. II : « Qui dicit se nosse Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est. Tunc enim veraciter fideles sumus, si, quod verbis promittimus, operibus complemus. » S. Augustinus, serm. *De blasphemia in Spiritum Sanctum* : « Scopus, ait, Christianæ religionis est, ut quæ ex doctrina veritatis didicimus, opere impleamus. Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur. » Nervose Nazianzenus, *orat.* 27 : « Opus, inquit, sermone fortius est. » Et S. Bernardus ad Eugenium Pontificem, lib. II *De Consider.*, cap. VII : « Audi, ait, canticum meum, et quidem minus suave, sed salutare. Monstruosa res gradus summus, et animus infimus; sedes prima, et vita ima; lingua magniloqua, et manus otiosa; sermo multus, et fructus nullus; vultus gravis, et actus levis; ingens auctoritas, et nutans stabilitas. » Vide dicta *Act.* I, 1.

FALLENTES VOSMETIPSOS, — παραλογιζόμενοι ἑαυτούς, id est, paralogismo et fallaci argumentatione decipientes, et in errorem seducentes vosmetipsos, uti faciunt Sophistæ. Hoc enim est sophisma diaboli et hæreticorum : scriptum est : Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; ergo bonis operibus non est opus, sed sola fides ad salutem sufficit. Rursum : Beatus est qui audit et suscipit verba Dei : valeant ergo opera et labores, abeant cruces in malam crucem. Sed respondendum est, neminem prudenter audire et credere, nisi auditis et creditis obediat, eaque in opus redigat. Porro « infelicius est decipere quam decipi, » ait S. Eucherius, epistola *ad Valerianum*; sed infelicissimum est decipere seipsum, et decipi a seipso, præsertim ubi æterna salus agitur. Ita hodie plurimi seipsos fallunt; auditoribus enim verbi Dei plena sunt templa, sed factoribus vacua. Tot millia crebro audiunt conciones, et vix unus est qui vitam in melius commutet; nimirum, quia audiunt verbum Dei ut carmen musicum aures titillans, non mentem feriens, uti queritur *Ezech.* cap. XXXIII, vers. 32.

Vers. 23. 23. QUIA SI QUIS AUDITOR EST VERBI, ET NON FACTOR, HIC COMPARABITUR VIRO CONSIDERANTI VULTUM NATIVITATIS SUÆ. — Id est, nativum cum quo natus est, non fictum; non pictum, non personatum. Nota : τὸ *viro* innuit viros non uti, sed abuti speculo : mulierum enim φιλοκόσμων, non virorum est speculum et imago. Unde S. Paulinus, Nolæ Episcopus, et eum imitatus nuper Cardinalis Bellarminus, rogantibus amicis ut permitteret se depingi, suique imaginem suis operibus præfigi, acute et religiose respondit : « Vel cupitis depingere meum veterem hominem, vel novum? Si veterem, ille deformis est; nec pictura, sed latebris dignus : si novum, ille necdum perfectus est. »

IN SPECULO. — Nota : Sicut speculum dicitur in quod inspicimus, et speciem, id est imaginem, nostram contemplamur : sic hic verbum et lex Dei vocatur speculum, quia in eo nos inspicimus et speciem animæ contemplamur, ut videamus quantum a virtutis perfectione distemus, et maculas animæ intuentes eas abstergamus et eluamus. Verbum enim et lex Dei ostendit clare sine fuco et adulatione præcepta virtutum et prohibitiones vitiorum omnium; illis addens promissa et præmia, his minas et supplicia; ut illas nobis imprimat, hæc e mente eradat. Unde S. Augus-

Scriptura est speculum.

tinus scripsit librum quem vocavit *Speculum*, quia in eo colligit sententias morales S. Scripturæ de virtutibus et vitiis; ut in eo « credens, inquit, qui Deo obedire voluerit, se inspiciat, quantumque in bonis moribus operibusque profecerit, et quantum sibi desit attendat. » Idem in *Psalm.* CIII, conc. 1 : « Vide, ait, si hoc es, quod dixit (Psaltes); si nondum es, geme ut sis. Renuntiavit tibi speculum faciem tuam : sicut speculum non sentit adulatorem, sic nec te palpes. » Et S. Leo, serm. 11 *de Quadrag.* : « Artifex misericordia Dei, inquit, splendidissimum in mandatis suis condidit speculum, in quo homo suæ mentis faciem inspiceret; et quam conformis imagini Dei, aut quam dissimilis esset, agnosceret. » Speculum enim ita pingit Virgilius in *Epigramm.* :

Imago in unda.

Redditur effigies liquida spectantis in unda,
Qualem rejectat speculi nitidissimus orbis.
Effigies liquido respondet ab æquore fontis,
Qualis et a speculo simulatrix umbra resultat.

Pari modo ait S. Bernardus, serm. 1 *De septem panibus* : « Evangelium, speculum veritatis, nemini blanditur, nullum seducit; talem in eo se quisque reperiet, qualis fuerit, ut nec ibi timore trepidet ubi non est timor, nec lætetur cum male fecerit. » Et citato hoc loco S. Jacobi : « Nos autem, fratres, consideremus nosmetipsos in ea quam audivimus S. Evangelii lectione, ut proficiamus ex ea, et corrigamus, si qua in nobis deprehendimus corrigenda. »

Hujus rei symbolo jusserat Deus *Exodi* XXXVIII, 8, fieri labrum æneum ex speculis mulierum, ut in eo sacerdotes sacrificaturi se lavantes inspicerent, et si quid maculatum, vel incompositum invenirent, detegerent et componerent. Nam, ut ait S. Gregorius, hom. 17 *in Evangelia* : « Specula mulierum sunt præcepta Dei, in quibus se sanctæ animæ semper aspiciunt, et si quæ in eis sunt fœditatis maculæ, deprehendunt, cogitationum vitia corrigunt, et quasi renitentes vultus velut ex reddita imagine componunt : quia dum præceptis Dominicis solerter intendunt, in eis procul dubio quid in se cœlesti viro placeat, vel quid displiceat agnoscunt. »

Sicut ergo feminæ dum se comunt et ornant, studiose se in speculo intuentur, ut omne quod fœdum in facie viderint eluant, eamque pulchre per omnia componant : ita Christianus debet assidue intueri speculum verbi et legis divinæ, ac juxta eam se totum moresque omnes reformare et exornare. Scribit Ludovicus Vives in S. Augustini lib. XVIII *De Civit.*, cap. XIII, basiliscum sic occidi : circumdant venatores se undique speculis, in quæ cum ille se introspicit, venenati specierum visualium radii ex oculis egressi, vi speculi ad ipsummet reflectuntur, itaque eum inficiunt et enecant : ita peccator scelerum suorum radices in lege Dei intuens et ad se reflectens, compunctus interimit illa peccata, quæ tam fœda et legi Dei repugnantia conspicit, novumque hominem induit. Hoc est quod ait S. Paulus, II *Corinth.* III, 18 : « Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tanquam a Domini spiritu. » Nam, ut ait S. Augustinus, lib. XV *Trinit.*, cap. VI : « Speculantes dixit per speculum videntes (hoc enim est κατοπτριζόμενοι), non de speculo prospicientes. Transformamur ergo, dicit, de forma in formam mutamur, atque transimus de forma obscura in formam lucidam, » ut scilicet simus imago Dei, eumque quasi exemplar ad quod creati sumus repræsentemus, dum conformamus nos verbo tum animato et incarnato, puta Christo; tum scripto, præcepto et audito; de eo enim ait Psaltes, *Psalm.* CXII, 105 : « Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis. » Et *Proverb.* VI, 23 : « Mandatum lucerna est, et lex lux, et via vitæ increpatio disciplinæ. » Præclare S. Leo, serm. I *De Quadrag.* : « Hæc, ait, nostri generis est dignitas, si in nobis quasi in quodam speculo divinitatis forma resplendeat. » Hinc utilissimum est crebro intueri, legere, vel audire vitam Christi et Sanctorum, quæ est quasi lex viva et speculum animatum, ut ex eo mores nostros corrigamus vitæque Christi et Sanctorum conformemus. Efficacia enim sunt sanctitatis exempla, quia Sancti fuerunt homines debiles et infirmi, uti sumus nos; et quod illi per gratiam Dei potuerunt, nos quoque possumus.

Ipsa facies in speculo videtur, non ejus imago.

Nota : Τὸ *vultum nativitatis suæ*, id est, nativum et genuinum (hunc enim significat Græca vox γενέσεως), significat nos in speculo non intueri imaginem vultus nostri, ut vulgus putat, sed ipsummet vultum per speciem non directam, sed reflexam. Aliter ergo videmus rem in speculo, aliter in imagine : quia ad imaginem quasi objectum adæquatum terminatur visio, ex qua mens assurgit ad rem, cujus est imago, imaginandam et contemplandam; in speculo vero imago quæ videtur, non est imago, sed est ipsissima res objecta speculo, visa in eo per sui speciem, a speculo ad oculum videntis reflexam, ita ut visio proxime terminetur ad faciem propriam, illaque sit objectum visus (non imago speculi), in quod ipse immediate per speciem illam reflexam fertur; illa ergo imago visa in speculo non est imago, sed est ipsissima hominis facies, prout per speciem in speculo et a speculo reflexam videtur. Quare delira fuit Acco anus, quæ in speculo seipsam quasi in imagine intuens, cum ea quasi cum alia muliere colloquebatur, arridebat, minabatur, etc., de qua Rhodiginus, lib. XVII, cap. II. Ferunt et eos qui rapiunt catulum tigris, illi insequenti speculum e vitro objicere, in quo ipsa se intuens, visa sui in speculo imagine, putans illam esse suum catulum, in eo contemplando hæret, raptoremque cum catulo abire permittit.

Sed audi hanc quæstionem utrimque ventilantem et definientem nostrum Franciscum Aguilo-

ium, lib. I *Opticorum*, proposit. 46 : « An imago illa, inquit, quæ in speculo cernitur, species sit, an res ipsa? Alii aiunt, alii negant. Speciem esse his argumentis probari videtur. Primo, quia id quod in speculi profunditate oberrat, non tam verum aliquod corpus, quam phantasticum et imaginabile esse potest. Unde illud a S. Jacobo usurpatum cap. I : Si quis auditor est verbi, et non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo, etc. Deinde res vera minime ibi est, ubi idolum apparet. Est ergo hoc aliud a re ipsa : at nihil aliud esse potest quam species; ergo quod in speculo cernitur, species est, non res vera. Contra non speciem, sed rem ipsam in speculo videri, argumento est, quod phantasia in profunditate speculi immersa appareat : si autem species esset, ea in speculi superficie ubi terminatur, necessario videretur. Non est ergo species, sed res ipsa quam in speculo cernimus. At quomodo res intra speculum videtur, cum ibi non sit? Respondeo, in omni specierum inflexione rem alio loco, quam revera sit, apparere. Idem est de imagine, sive de virunculo (unde ab Hebræis vocatur אשון *iscon*) quem in alterius pupilla cernimus. Est enim illa velut a convexo speculo repercussa intuentis simulacrum : cornea enim tunica propter lævorem formas rerum objectarum remittit, at rebus ipsis minores propter sphæricam convexitatem. » Sic mystice in verbo et lege Dei non imaginem aliquam, sed ipsissimam Dei voluntatem, Deumque ipsum quasi in speculo intuemur, amplectimur et reveremur.

Vers. 24. An speculum pariat oblivionem sui?

24. CONSIDERAVIT ENIM SE, ET ABIIT, ET STATIM OBLITUS EST QUALIS FUERIT. — Hinc Romæ vir quidam solers mihi quæstionem proposuit, an speculum vim aliquam habeat inducendi oblivionem sui potius, quam alterius subjecti in eo visi; id enim videtur innuere hic S. Jacobus. Verum nil tale est, nec tale quid significat S. Jacobus : speculum enim eodem modo, eadem claritate et efficacitate repræsentat vultum proprium, atque alienum, ac proinde tam quis obliviscitur vultus alieni, quam proprii, si eum in speculo duntaxat inspexerit; sed quia vultum alienum, quem in speculo inspexit, cominus in se sine speculo per speciem directam intueri potest, et sæpe intuetur, hinc magis menti et memoriæ imprimit imaginem ejus, quam proprii, quem in se directe intueri nequit, sed tantum reflexe in speculo. Reflexæ enim species refranguntur, ideoque debiliores sunt, et debilius feriunt oculum et mentem quam directæ : unde Apostolus, I *Corinth.* XIII, visionem per speculum vocat obscuram et ænigmaticam : « Videmus, ait, nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. » Ita Dionysius Carthusianus : « Imago, inquit, in speculo habet debile esse, et intentionale potius quam reale; ideo debilem facit impressionem, quia modus agendi sequitur modum essendi, ac propterea ex tali impressione sequitur labilis in mente cognitio, indeque facilis oblivio. » Idem docet Aguilonius, lib. I *Optic.*, propos. 46 : « Cur, inquit, adeo debilis figura in speculo ostenditur? Respondeo, quia repercussione languescit. Unde cum eadem ex uno speculo in aliud et aliud reflectitur, secunda reflexio obscurior est quam prima, et tertia quam secunda, atque eodem ordine cæteræ. »

Quapropter speculum divini verbi et legis identidem nobis inspiciendum est, ut ejus memoriam in mente renovemus, nutriamus, acuamus, adeoque vivaciter imprimamus, ut voluntatem feriat, compungat et ad opera bona adigat. Hoc significat S. Jacobus cum dicit : « Consideravit enim se, et abiit, » *q. d.* Obiter et in transitu contemplatus est se in speculo; ideoque abiens et in alia objecta incurrens, « statim oblitus est qualis fuerit, » id est, qualem se viderit in speculo : unde nec maculas eluere, nec incomposita componere curat. Simili enim modo qui obiter verbum Dei audit, et illico ad negotia terrena resque caducas animum transfert, statim obliviscitur et speculi et sui, id est, et legis divinæ et morum suorum, ut eos corrigere et legi divinæ adæquare non curet, præsertim si speculum hoc legis divinæ intueatur non tam utilitatis, quam voluptatis et curiositatis causa, nimirum ut pascat oculos et aures vana ejus cognitione et eloquentia; non autem ut illam in praxim redigat, vitamque illi conformet. Sic enim curiose multi, viri præsertim (unde solerter ait S. Jacobus, « similis est viro, » non mulieri : hæc enim se aspicit in speculo ut mundet et ornet) intuentur se in speculo, ut videant an senes appareant, an juvenes; an pulchri, an deformes; an sereni, an morosi et rugosi; uti Claudianus, lib. I *in Eutropium*, de Laide se in speculo contemplante ait :

> Seque reformidat speculo damnante senectus,

et Ovidius, lib. *Trist.* :

> Flet quoque, ut in speculo rugas aspexit aniles
> Tyndaris.

Videre ergo in speculo, est proverbium significans, videre superficialiter duntaxat, ita ut penitus rem non perspicias, nec ejus intima penetres : unde I *Corint.* XIII, 12 : « Videmus, inquit, nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, » *q. d.* Videmus nunc divina per fidem superficialiter, sed in cœlo et visione Dei per speciem intima eorum conspiciemus. Hinc et S. Jacobus visioni in speculo quasi superficiali opponit perfectionem, qua penitus res inspicitur et perspicitur, cum subdit : « Qui autem perspexit in lege. »

Quocirca apposite Petrus Blesensis, *serm.* 51, ait, triplices esse verbi Dei auditores, pigros, activos, contemplativos : *primos* audire et contemnere; *secundos* audire et auditis obedire;

tertios audire et in amplexu obdormire. Primos esse quos hic tangit S. Jacobus, qui nimirum, audito verbo Dei, cogitantes de morte, judicio et inferno compunguntur; sed mox conversi ad terrenas curas et illecebras, ejus obliviscuntur. Eosdem noster Joannes David in imagine duodecim speculorum comparat cum iride, quæ solis quoddam est speculum, ut ait Seneca, lib. I *Natur. quæst.*, cap. IV, sed imperfectum et evanidum, quia partes aliquæ nubis sunt crassiores quam ut solem transmittant, aliæ tenuiores quam ut excludant : quo fit ut in iride sit color igneus a sole, cæruleus a nube, cæteri ab utriusque mixtura.

Memorabile est quod scribit Theodoretus in *Historia SS. Patrum*, cap. IV, de Eusebio anachoreta spectante arantes in agro. « Cum, inquit, divinus Ammiamus legisset locum Evangelicum, sciscitaretur autem interpretationem, jussit magnus Eusebius ut repeteret lectionem. Cum is autem dixisset : Illis qui arant forte delectatus, minime exaudisti; suis deinceps oculis legem tulit, ut neque campum illum unquam contemplarentur, neque cœlesti pulchritudine et chori astrorum aspectu fruerentur : sed angustissima utens semita, cujus mensuram aiunt fuisse unius palmi, ferente ad oratorium, extra eam deinceps egredi non est passus. Dicunt autem eum plusquam quadraginta annis vixisse post hanc legem. Quin et cum lumbos zona ferrea alligasset, et gravissimum collare collo imposuisset, alio ferro conjunxit zonam collari, quod erat collo impositum, ut hoc modo inclinatus cogeretur assidue in terram despicere. » Has ipse de se exegit pœnas neglectæ auditionis Evangelii.

Analogiæ speculi et verbi Dei. Prima.

Moraliter ex speculo et speculante se in eo, discequale sit verbum Dei, ejusque auditor. *Primo* enim, sicut in speculo videtur, non imago rei, sed res ipsa per speciem non directam, sed reflexam : ita in verbo Dei videtur ipsa Dei voluntas, ipseque Deus, uti verbum mentis cernitur in verbo oris, quasi in speculo. Hinc tritum est ænigma speculi apud Symposium :

> Nulla mihi certa est, nulla est peregrina figura :
> Fulgor inest intus radianti luce coruscus,
> Qui nihil ostendit, nisi quidquid viderit ante.

Secunda.

Secundo, specula plana imagines exhibent ipsis rebus æquales, convexa vero minores ; utraque quo longius absunt, eo minora reddunt idola, uti docet Aguilonius, lib. V *Opticor.*, propos. 56, et seq.

Unde et Plinius, lib. XXXIII, cap. IX : « Eadem, inquit, vi in speculis, usu polita crassitudine paulumque propulsa, dilatatur in immensum magnitudo imaginum. Tantum interest, repercussum illum respuat, an accipiat, etc. Plurimumque refert concava sint et poculi modo, an depressa, an elata, an aversa, an obliqua, supina, an recta, qualitate excipientis figuræ torquente venientes umbras. Nec enim est aliud illa imago, quam digesta claritas materiæ excipientis umbram. »

Pari modo verbum Dei plane, aperte et candide auditum, lectum et ruminatum, Dei voluntatem omnino nobis exhibet et quasi adæquat. At vero si verbum Dei timore quodam sapientiæ et eloquentiæ humanæ exornatum fucatumque audias vel legas, minus in eo Deum Deique voluntatem cernes, minus pios erga eam mentis et voluntatis motus persentisces. Quocirca præcones verbi Dei debent esse sinceri, liberi, nec curare auditorum querelas, juxta illud S. Hieronymi ad Nepotianum, *De Vita Clericorum* : « Neminem specialiter meus sermo pulsavit, generalis de vitiis disputatio est : qui mihi irasci voluerit, ipse de se quod talis sit confitebitur. » Nam, ut ait Clemens Alexandrinus, lib. I *Pædag.*, cap. IX : « Sicut speculum non est malum deformi, quod ipsum ostendat, qualis sit ; et sicut medicus non est ægroto malus, quod ei febrim annuntiet : non enim medicus est causa febris, sed ipse febrim arguit : ita nec is qui reprehendit, ei male vult, qui laborat animo, neque ei delicta adjungit; sed ea quæ adsunt peccata ostendit, ad hoc ut avertat ab hujusmodi studiis. »

Tertia.

Tertio, uti virgines nubiles pulchritudinis et ornatus studiosæ, diu multumque seipsas speculantur in speculo, omnesque nævos et maculas, etiam minimas, quas in eo vident, emaculant et extergunt, ac totam faciem, vestes, gestus et motus ad speculum formant et componunt : ita fidelis qui salutis et pulchritudinis animæ suæ studiosus est, has virgines æmulari, imo superare debet, ut assidue se in verbo Dei intueatur, moresque et vitam omnem cum lege et voluntate Dei conferat et componat, idque in dies melius semper et melius.

Quarta.

Quarto, « specula concava adversa solis radiis facilius accenduntur, quam ullus alius ignis, » ait Plinius, lib. II, cap. CVII, adeo ut stupas, chartam, manum aliaque opposita adurant et inflamment : ita si humili corde humilem Dei legem, ideoque radios divini ardoris excipientem, diutius et penitius intueamur, ab eodem amore divino accendemur. Nam, ut ait Psaltes *Psalm.* XI, 7 : « Eloquia Domini eloquia casta, (sicut) argentum igne examinatum; » et *Psalm.* CXVIII, 140 : « Ignitum eloquium tuum vehementer, et servus tuus dilexit illud. »

Quinta.

Quinto, speculorum acies et fulgor menstruis mulieris hebetatur, ait Plinius, lib. VII, cap. XV : ita luxuria et vitiis carnalibus in anima offuscatur et quasi hebetatur verbum Dei, ut a luxurioso et carnali vix cerni et cognosci queat. Unde idem Plinius, lib. XI, cap. XXXVII : « Hominum dentibus, ait, quoddam inest virus. Namque et speculi nitorem ex adverso hebetant, et columborum fœtus implumes necant. » Dentes enim symbolum sunt gulæ, æque ac dicacitatis, calumniæ et detractionis, quibus quasi nubibus verbum

Dei obvelatur ut ægre perspici queat. Porro idem Plinius, lib. XXVIII, cap. VII, remedium assignat, aitque hebetata aspectu specula recipere nitorem, si nullum piscem secum habeant, qui, ut idem ait, lib. IX, cap. XVIII, durus est, ut nunquam percoqui possit, nisi ferula verberatus: ita duritie et asperitate vitæ superatur gula et libido, ac verbum Dei intuenti pristinus ejus fulgor redditur.

Sexta. *Sexto,* multum interest quo situ, qualibusve oculis speculum intuearis : aliter enim videbis rem in speculo si ad lævam, vel ad dextram; aliter si directe et æqua distantia illud inspexeris; rursum aliter videbis si obliquis, limis, aversis, etc., oculis illud intuearis, planeque qualiter speculum inspexeris, taliter illud vicissim se, imo te, tuique imaginem tibi exhibebit. Si accedis, accedit; si recedis, recedit; si transis, transit; si procumbis, procumbit; si irrides, irridet; si irasceris, irascitur; si percutis, repercutit. Ita qualem te Deo Deique verbo exhibes, talem vicissim ille se tibi exhibebit, juxta illud *Psalm.* XVII, 26 : « Cum sancto sanctus eris, etc. et cum perverso perverteris. » Intuere ergo hoc speculum, puta Dei verbum, in eoque Deum ipsum directis, fixis et benignis oculis, et ille iisdem vicissim te aspiciet.

Septima. *Septimo,* Plinius, lib. XXXIII, cap. IX : « Specula, inquit, optima apud majores fuerunt Brundusina, stanno et ære mixtis : prælata sunt argentea. Primus fecit Praxiteles Magni Pompeii ætate; nuperque credi cœptum certiorem imaginem reddi auro apposito aversis. » Ita optima virtutum et vitiorum specula sunt leges et sententiæ illæ S. Scripturæ, quæ instar argenti clare, et instar æris ac stanni fortiter et constanter intonant minas et supplicia, legum violatoribus a Deo decreta. Hisce enim acies mentis repercussa in se reflectitur, humiliatur, compungitur, cum Deo, Deique lege in gratiam redit.

Ita in oraculo et minis Jonæ, quasi in speculo Ninivitæ intuiti sua scelera, pœnituerunt in sacco et cinere, vitam mutarunt, excidium a Jona comminatum evaserunt, *Jonæ.* III. Idem fecit David in oraculo Nathan, II *Reg.* XII, 13; et Nabuchodonosor in oraculo Danielis, cap. II, vers. 46; et Cornelius ad prædicationem S. Petri, *Actor.* X, 25. Ita Babylas mimus et magus, habensque duas concubinas, adiens ecclesiam audiensque Evangelium, dicens : « Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum, » *Matth.* III, omnibus sese abdicavit, factusque est monachus, ac concubinis ut idem facerent persuasit, teste Joanne Moscho in *Prato spirit.,* cap. XXXII.

Exempla. Memorabile est quod scribit Sozomenes, lib. II, cap. IV, et ex eo Baronius, anno Domini 350 : Miles, inquit, fuit in Persia civitatis cujusdam Episcopus, cumque in ea prædicando nihil proficeret, civitatem execratus inde discessit; quare Sapor urbem obsedit, evertit, et in agrum convertit : ita ultus est Deus neglectum verbi sui et legis Evangelicæ. Simile extat in Vita S. Laurentii Justiniani, Venetiarum Patriarchæ.

In *Vitis Patrum,* lib. II, cap. XC, refertur quod, cum quidam apud Arsenium quereretur se verba S. Scripturæ audire, sed non capere, nec ex ea fructum percipere, responderit Arsenius : « Fili mi, necesse est ut magno ardore meditationi divinæ doctrinæ insistas : audivi enim a Patribus, quod serpentum incantatores verba quibus serpentes effascinant, non intelligant; serpentes autem audientes verba, ea intelligant, eorum vim percipiant, eique obediant. Idem et nobis faciendum est : etiamsi virtutem et efficaciam sacrarum litterarum plane non intelligamus, attamen virtutem verborum diaboli percipiunt, et fugantur. »

Ita S. Chrysantus assidue legens sacros libros in iisque sese intuens, et fidelis et sanctus et martyr effectus est, uti habet ejus Vita apud Surium, die 25 octob., cap. II.

Ita S. Antonius audiens in ecclesia : « Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo, » atque hoc speculum jugiter intuens, ad illud totam vitam conformavit, teste S. Athanasio. Idem de S. Francisco scribit S. Bonaventura. Nam, ut ait S. Paulus, II *Timoth.* III, 16 : « Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus. »

Denique in hoc verbi Dei speculo assidue et ardenter speculantes et excolentes se S. Laurentius, Vincentius, Cæcilia (quæ assidue Evangelium gestabat in pectore), Agnes, Augustinus, Basilius, Gregorius, Chrysostomus, omnesque sancti Doctores, Martyres, Virgines, Confessores, ad heroica martyrii, virginitatis, religionis, contemptus mundi cæterarumque virtutum opera sese exstimulantes, tanti evaserunt, quantos eos legimus et suspicimus. De hisce respectu nostri vere dixeris illud Plauti in *Mostell.* : « Quid opus speculo tibi, quæ tute speculo speculum es maximum; » eis enim speculo legis non erat opus, qui nobis ejusdem viva facti sunt specula.

Vers. 25. 25. QUI AUTEM PERSPEXERIT, — intus, usque ad medullas, ait Hugo. Tigurina, *Qui autem prospexerit.* Græce enim est παρακύψας, id est, qui fixis intentisque oculis incumbens penitus introspexerit : opponit hunc ei, qui obiter et leviter se consideravit in speculo, et abiit, ideoque oblitus est qualis fuerit, et quid in se corrigere debeat, παρακύπτειν enim est inclinato capite, et collo curvato, pronoque corpore, intento vultu et oculis in obliquum aspicere, uti faciunt, qui per fenestram proni et procumbentes transversis oculis venientes euntesque curiose observant. Unde proverbium, περὶ ὄνου παρακύψεως, de asino qui, cum ab agasone neglectim ageretur, in transitu caput in

tabernam vel officinam inseruit, et vasa evertit. Ita Budæus in *Comment. linguæ Græcæ*. Sensus ergo est, *q. d.* Qui non obiter, sed studiose; non negligenter, sed attente; non confuse, sed accurate quasi totus incumbens in speculum legis Christi, in illudque oculos obliquans et retorquens, illud introspexerit, explorarit, vimque ejus et efficaciam penetrarit, hic id quod vidit, in opus conferet, facietque quod lex docet et jubet; itaque in facto suo beatus erit. Quocirca minus recte Œcumenius παραχύψας vertit *qui transpexerit, et quasi in transitu aspexerit* : licet enim Græcum παρὰ aliquando significet *trans, obiter, cursim*, tamen hic non transitum, sed fixam contemplationem significat; opponitur enim obiter consideranti et abeunti. Significat ergo *transpicere*, id est, ad fundum usque inspicere; sicut faciunt qui toti incumbunt speculo, vel alteri rei inspiciendæ.

IN LEGEM PERFECTAM, — in legem Evangelicam : hæc enim perfecta est, cum Mosaica fuerit imperfecta : quia perfecta vitæ et virtutis dat non tantum documenta et præcepta, sed et auxilia gratiæ, eaque copiosa et efficacia. Vide II *Cor.* III. Unde Christus ait *Matth.* cap. V, 17 : « Non veni legem solvere, sed adimplere. » Quin et Cicero graviter incusat Clodium, orat. *Pro domo sua*, quod in sua domo, quam libertati consecraverat, libertatem effigians effigiasset simulacrum meretricis. Qui enim meretrici et voluptatibus indulget, non liber est, sed servus : maximis enim hostibus et impotentissimis dominis servit. Aliqui legunt *in legem perfectæ libertatis* ; verum Græca legunt τέλειον, et Romana *perfectam*; sic et Syrus.

LIBERTATIS, — *q. d.* Lex Evangelica et perfecta est lex libertatis, non servitutis, ut fuit vetus, *Galat.* IV, 24. Porro libertas hæc non est a lege, quasi Evangelium faciat Christianos liberos ab observatione mandatorum, ut nulla lege teneantur, sed perpetrare possint quidquid lubet, uti docent Lutherus et Libertini : si enim in Evangelio est lex, eaque perfecta, ergo et subjectos obligat, et a Christianis servanda est, uti docet Christus, *Matth.* V. Nam Christus venit in mundum, non tantum ut ejus esset redemptor, sed etiam ut esset legislator novæ legis, uti contra Lutherum definit Concilium Tridentinum, *sess.* VI, can. 19, 20 et 22.

Libertas Christiana quadruplex. Prima.

Libertas ergo hæc legis Evangelicæ quam attulit Christus, *primo*, est a lege veteri, puta a præceptis judicialibus et cæremonialibus Pentateuchi : illis enim exsolvit et liberavit nos Christus, non autem lege Decalogi : hæc enim obligat Christianos, non quatenus lata est per Mosen, sed quatenus est lex naturæ sancita a Deo et renovata per Christum, *Matth.* V. *Secundo*, est libertas a peccato et a potestate dæmonis et inferni, *Rom.* VI, 20. « Sola (enim) apud Deum libertas est, non servire peccatis, » ait S. Hieronymus *ad Celantiam*.

Secunda.

Tertio, est libertas a coactione et metu, ut legem impleamus non ex timore vindictæ, sed ex amore justitiæ, justa illud II *Cor.* III, 17 : « Ubi spiritus Domini, ibi libertas; » et I *Timoth.* I, 9 : « Lex justo non est posita. » Christiani enim non sunt servi, uti Judæi, sed filii; non sub spiritu servitutis in timore, sed sub spiritu adoptionis in amore, *Galat.* IV, 5. Sic olim Stoici et Cicero, *Paradoxo* 5, censuerunt « solum sapientem esse liberum, et omnem stultum servum; » quia sapiens sequens rationem, legem facit facile, libere et libenter; cæteri vero difficulter, invite et coacte. Ita Seneca, *De Vita beata*, cap. XV : « In regno, ait, nati sumus : Deo parere, libertas est. » Et Ovidius, lib. I *Metamorph.*, auream mundi ætatem ita pingit : Tertia.

——— Quæ vindice nullo,
Sponte sua, sine lege fidem rectumque colebat.

Divinius S. Augustinus, lib. *De Continent.*, cap. III : « Non sumus, ait, sub lege bonum quidem jubente, non tamen dante; sed sumus sub gratia, quæ id quod lex jubet faciens nos amare, potest liberis imperare. » Idem, tract. 91 *in Joannem* : « Noli libertate abuti ad libere peccandum, sed utere ad non peccandum : erit enim voluntas tua libera, si fuerit pia : eris liber, si fueris servus, liber peccati, servus justitiæ. »

Quarto, in resurrectione erit libertas a morte omnique miseria. Vide dicta *Rom.* VI, 20, ubi ex S. Bernardo triplicem assignavi libertatem, scilicet naturæ, gratiæ et gloriæ. Præclare S. Agatha tyranno exprobranti : « Nonne te pudet nobili genere natam, humilem et servilem Christianorum vitam agere? » respondit : « Multo præstantior est Christiana humilitas et servitus, regum opibus ac superbia. » Nam, ut ait S. Augustinus, lib. *De Quantitate animæ*, cap. XXXIV : « Ille ab omnibus liberat, cui servire omnibus utilissimum est, et in cujus servitio placere perfecte, sola libertas est. » Ille est Christus. Quarta.

Ex adverso infideles et carnales non ingenui sunt, sed suarum cupiditatum servi, imo mancipia. Ita libertas libertate perit, adeoque summa libertas summa est servitus, sicut summum jus summa est injuria, et summa sapientia summa est insipientia : quia in ea tot servitur tyrannis, quot cupidinibus.

ET PERMANSERIT IN EA, — eam assidue contemplando, meditando et opere exercendo. Hoc enim in Scriptura significat manere in lege, in Deo, in Christo, nimirum jugiter meditari et facere ea quæ lex, Deus et Christus jubent; uti explicat Moses, *Deuteronom.* cap. VI, vers. 7. « Sic ait Christus, *Joan.* XV, 7 : « Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis, petetis, et fiet vobis. » Et Moses, *Deuter.* XXVII, 26 : « Maledictus qui non permanet in sermonibus legis hujus, nec eos opere perficit. » Et S. Joannes, *epist.* I, cap. II, vers. 5 : « Qui dicit se in

Manere in lege quid in sacris

ipso manere, debet sicut ille ambulavit et ipse ambulare.» Lex enim est quasi anima, quæ hominem, in quo manet, quasi informat et animat, agitque ad omne bonum quod lex præscribit, opere perficiendum. Unde subdit S. Jacobus :

NON AUDITOR OBLIVIOSUS. — Græce ἐπιλησμονῆς, id est *oblivionis*, qui scilicet ea quæ audivit, tradat oblivioni. Syrus, *non est auditor, qui audiat et obliviscatur*; sicut lupi cognominati cervarii, prædæ oblatæ obliviscuntur, aliamque quærunt, teste Solino in *Polyhist.* cap. XVIII : « Et lynces tergum respicientes non meminerunt priorum, et mens perdit quod oculi videre desierint, » ait S. Hieronymus epist. 44 *ad Chrysogonum*.

HIC BEATUS IN FACTO (ἐν ποιήσει, id est, *in factione et operatione*) SUO ERIT. — *q. d.* Beatus erit non in contemplatione, sed in facto, praxi et exercitio legis; «beatus, » inquam, beatitudine viæ, quæ recta ducit et perducit ad beatitudinem patriæ. Hinc liquet beatitudinem nostram in hac vita consistere in facienda et adimplenda lege Dei : hæc enim est justitia nostra; ex adverso miserum et infelicem esse peccatorem, qui violat legem Dei, adeoque infelicitatem hujus vitæ consistere in transgressione legis Dei, quia parit offensam Dei, quæ ducit ad æternam damnationem, ubi est omnis miseria et infelicitas.

Ad hoc factum et factorem legis spectat quod legimus in Vita (apud Surium, die 23 aprilis) S. Ægidii (qui fuit socius S. Francisci), viri raræ sanctitatis et valde illuminati a Deo. Nam S. Ægidius audiens dominum vineæ vinitores suos objurgantem, iisque dicentem Italice *fate, fate, et non parlate* : « Audite, inquit, concionatores, quid iste vir dicat : facessant verba, et manus operi admovete. Concionamini opere potius, quam verbo. Si enim totam terram possideres, nec tamen eam coleres, quid fructus ex ea perciperes? Certe nihil. Ex adverso, si parvum haberes agellum, eumque diligenter excoleres, multum inde fructus pro te tuisque perciperes. Sic pariter scientia legis divinæ et cujuslibet rei, licet eximia, nihil tibi conferet si eam per opera non excolas; » sin illa exigua sit, sed operibus excolatur, magnam meritorum et gloriæ messem producet.

Vers. 26. 26. SI QUIS AUTEM PUTAT SE RELIGIOSUM ESSE (Syrus, *servire Deo* : Græcum θρῆσκος et religiosum et generosum, nobilemque significat), NON REFRÆNANS LINGUAM SUAM, SED SEDUCENS COR SUUM, HUJUS VANA EST RELIGIO. — Etsi non sit necesse omnes epistolæ sententias inter se connectere : sæpe enim sunt disparatæ, et more Hebræo disparata dant monita; tamen hac sententia respicit S. Jacobus et confirmat id quod dixit vers. 19 : « Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus ad loquendum. » Rursum, immediate ante dixerat factorem operis beatum esse : factori autem repugnat loquax, qui non refrænat linguam suam. Hujus enim anima occupatur in lingua, et defluit in verba, ut manum deserat et opera negligat : sicut videmus loquaces parum operari. Alios vero, inquit Œcumenius, videmus de factis suis gloriari et vane se jactare, qui laudem operis hac jactantia perdunt, eo quod non refrænant linguam : alios vero etiam probos, et in bonis operibus assiduos sentimus subinde garrulos et pronos ad censendum, detrahendum, maledicendum, ait Beda. Hos monet hic Jacobus, ut linguam refrænent. Denique commendarat Jacobus factorem legis : nunc ostendit quis sit factor legis, nimirum religiosus, qui refrænat linguam. « Religio » enim juxta nonnullos, a lege, puta a *relegenda lege*, dicitur : sita enim est in observatione legis divinæ. Ostendit ergo Jacobus Dei legem, cultum et religionem in omnibus quidem mandatis, sed præsertim in tribus cerni, nimirum *primo*, in moderanda lingua; *secundo*, in visitatione pupillorum et viduarum; *tertio*, in custodiendo se immaculatum ab hoc sæculo.

Religionis etymon

Nota : « Religiosum » nonnulli accipiunt stricte pro eo qui studens perfectioni, arcte per vota se Deo religavit et obstrinxit : hunc enim hodie vulgus religiosum vocat; hujus enim proprium est silentium, non colloquium, ait Gillebertus abbas, serm. 7 *in Cant.*, qui extat inter opera S. Bernardi. Ita explicant Auctor sermonum *ad Fratres in eremo* (qui falso tribuuntur S. Augustino), *serm.* 3, Hugo, Thomas Anglicus, Dionysius, Catharinus et alii. Sane religiosorum horum præ cæteris est frænare linguam, adeoque irreligiosus videtur, qui eam frænare nescit. Verum S. Jacobus generalius accipit nomen religiosi pro quovis fideli, qui Deum colit : ac primævi Christiani inter gentes videbantur religiosi, imo vere erant religiosi, uti ostendi *Actor.* V, 2. Quare plene decebat eos pauca, prudenter pieque loqui, ut et Christianos et Gentes ædificarent, ac ad fidem Christi allicerent. Unde S. Cyrillus, lib. III *in Joan.* XXVI, pro *religiosus* legit *fidelis*. Ait enim : « Si quis in vobis fidelis videtur, qui non refrænat linguam, » etc.

Religiosus quis?

NON REFRÆNANS LINGUAM. — Significat Jacobus linguam esse quasi equum indomitum et effrænem, qui nisi fræno refrænetur a sessore, puta a ratione, eum agat in præceps ut ruat in exitium, juxta illud Theophrasti apud Laertium, lib. V : « Magis credendum infræni equo, quam verbo incomposito. » Quocirca sapienter monet *Eccli.* cap. XXVIII, vers. 29 : « Aurum tuum, inquit, et argentum tuum confla, et verbis tuis facito stateram, et frænos ori tuo rectos, et attende ne forte labaris in lingua et cadas in conspectu inimicorum insidiantium tibi, et sit casus tuus insanabilis in mortem. » Vide S. Thomam, in serm. *Dom.* IV *post Pascha*, ubi hanc Jacobi sententiam egregie pertractat, ostendens quæ damna ex effræni, quæ commoda ex frænata lingua consequantur. Porro frænum linguæ est mens et ratio,

cujus proinde hoc est ænigma apud Symposium :

> Lex bona dicendi, lex sum quoque dura tacendi,
> Vis avidæ linguæ, finis sine fine loquendi.
> Ipsa fluens, dum verba fluunt, ut lingua quiescat.

SED SEDUCENS COR SUUM. — Syrus, מטעא *mate*, id est, *errare faciens sibi cor suum*. Aliqui vertunt, *fornicans*; alii, *idololatrans*, quasi loquax et garrulus fornicetur cum lingua sua, eamque colat quasi idolum : sicut gulosus palatum colit quasi idolum, libidinosus ventrem, superbus sui æstimationem, avarus pecuniam. Radix enim טעא, vel טעי *tau* chaldaice, syriace et arabice significat *errare*, et per metaphoram *fornicari*; inde per aliam metaphoram *idola colere*; summus enim error in carnalibus est fornicatio, in spiritualibus idololatria. Verum primus sensus est genuinus : nam Græcum ἀπατῶν, et Latinum *seducens*, proprie idem est quod errare faciens, decipiens, seducens; quia garrulus non tam alium decipit quam seipsum : nam per loquacitatem seipsum a vera salutis, virtutis et quietis pacisque via avertit, ac inducit in multas lites, rixas, pericula corporis et animæ, mortemque præsentem et æternam.

Secundo, « seducens cor suum, » id est, ex φιλαυτίᾳ et nimio sui amore sibi persuadens se religiosum esse, licet petulans sit, garrulus et maledicus. Intendit S. Jacobus digitum ad fontem, unde fluit petulantia linguæ, nempe ad cor seductum. Qui enim aberrare sinit cor suum, ut vertit hic Tigurina, hujus linguæ nunquam rationis frænum injicitur : « Ex abundantia enim cordis os loquitur, » *Matth.* XII, 34. Quare si verba non expenduntur, aberrante corde, ruent cæco impetu sine fræno. Sapienter enim scribit Gellius, lib. I, cap. XV, garrulorum orationem in ore nasci, non in pectore. Contra Homerus Ulyssem virum sapienti facundia præditum, vocem mittere ait non ex ore, sed ex pectore. Quæ Gellii sententia valde illustrat illud *Eccli.* cap. XXI, 18 : « Labia imprudentium stulta narrabunt : verba autem prudentium statera ponderabuntur. In ore fatuorum cor illorum, et in corde sapientium os illorum. » Prudentes nimirum de corde suo proferent eloquia, *Job.* VIII, 10 : « Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum, » *Luc.* cap. VI, vers. 45. Stulti contra impræmeditata effundunt verba, *Psal.* LI, 2 : « Tota die injustitiam cogitavit lingua tua. » Recte Origenes apud Agellium ibi : « Cor fatuorum, ait, in superficie situm est, non in profundo : ad labia exilit. »

Religio hoc loco quid?

HUJUS VANA EST RELIGIO. — Syrus, *hujus vanum est obsequium*, vel *vana servitus*. « Religio » ergo hic significat tum virtutem religionis, qua Deo debitum cultum deferimus, quæ prima est inter morales virtutes, sicut charitas prima est inter theologicas; tum professionem Christianismi : hæc enim vocatur religio Christiana, quia Deum vera religione veroque sacrorum cultu colit. Nam, ut ait Lactantius, lib. IV *Divin. Instit.*, cap. XXVIII : « Hac conditione gignimur ut generanti Deo justa et debita obsequia præbeamus, hunc solum noverimus, hunc sequamur : hoc vinculo pietatis obstricti Deo et religati sumus. Unde ipsa religio nomen accepit. Et ad id dicimus nomen religionis a vinculo pietatis esse deductum, quod homines sibi Deus religaverit et pietate constrinxerit : quia nos servire ei ut domino, obsequi ut parenti necesse est. » Idem asserit S. Augustinus, lib. *De Vera Religione*, cap. LV. Sensus ergo Jacobi est, *q. d.* Loquax frustra se Christianum esse profitetur, frustra se religiosum, id est, Deum timentem et colentem, jactitat; inanis est ejus professio, inane religionis Christianæ nomen præ se fert, cum totam virtutum structuram dejiciat garrulitas, et vana injustaque loquela : nihil enim ita Christianos et Christianam religionem apud Gentiles commendabat atque moderatio pietasque verborum. Unde S. Hieronymus *ad Marcellam* de Asella, ait : « Habebat silentium loquens, » quasi silendo magis suam sanctitatem, quam loquendo explicaret.

Causam dat S. Gregorius, lib. VII *Moral.* VII. Citans explicansque hunc Jacobi locum : « Aquæ more, inquit, se habet humana mens. Sicut enim detenta aqua sursum elevatur, sic humana mens circumclusa ad superiora colligitur, et relaxata deperit, quia se per infima inutiliter spargit. Quot enim supervacuis verbis a silentii sui censura dissipatur, quasi tot rivis extra se ducitur; unde et redire interius ad sui cognitionem non sufficit, quia per multiloquium exterius expansa, vim intimæ considerationis amittit; unde scriptum est *Proverb.* XXV : Sicut urbs patens absque murorum ambitu, ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum. Quia enim murum silentii non habet, patet inimici jaculis civitas mentis, et cum se per verba extra semetipsam ejicit, apertam se adversario exhibet : quam tanto ille sine labore superat, quanto et hæc eadem quæ vincitur, contra semetipsam per multiloquium pugnat. » Hoc est quod ait Isaias, cap. XXXII, vers. 17 : « Et erit cultus justitiæ silentium. » Vide ibi dicta. Et *Cant.* II, laudatur Sponsa a taciturnitate : « Labia, inquit, tua sicut vitta coccinea, » scilicet non loquendo disjuncta et divisa sunt, sed silendo conjuncta et unita instar vittæ. Præclare id in sacerdote præ cæteris requirens Nazianzenus, orat. *De silentio Quadrag.* : « Providendum est, inquit, ne quem sonum edamus, qui a Dei laude discrepet. Equidem ipse puris sacrificiis, quibus magnum illum regem mortalibus concilio, puram linguam servabo : neque enim committam, ut ab aliena lingua, fœda atque obscœna mente, vivificum illud sacrificium purissimum Deo mittam. »

Religio proprie qui?

Nota : « Religio » proprie idem est, quod cultus Dei. « Religio, ait S. Augustinus, lib. LXXXIII, *Quæst.* XXXI, est quæ superioris cujusdam naturæ quam divinam vocant, curam cæremoniam-

que affert. » Vide eumdem, lib. X *De Civit.*, cap. I.

Quadruplex. Prima. Religio enim est virtus qua Deum ut creatorem, dominum et patrem rite colimus, eique debitum honorem deferimus : tum interius per adorationem, invocationem, reverentiam, etc.; tum exterius per vota, sacrificia, genuflexiones, hymnos, etc. Religionis initium et fundamentum est fides, quia enim fide cognoscimus verum Deum, hinc eum ut talem religione colimus. Unde S. Cyrillus, lib. III *in Joan.*, cap. XXVI, legit : « Hujus inanis est fides. » Nam, ut ait Trismegistus : « Religio est notitia Dei. » Et D. Thomas, *Opusc.* XIX, cap. I, ait primum vinculum quo Deo ligatur homo, esse fidem. Et Lactantius, lib. IV *De Vera Sapientia*, cap. IV : « Sapientia, inquit, præcedit, religio sequitur, quia prius est Deum scire, consequenter colere. » Unde religio subinde vocatur pietas, et religiosi vocantur εὐλαβεῖς, id est, *pii*, ut patet *Actor.* II, 5, et X, 2. Huc spectat religionis etymon, ut dicatur a religando, sicut jam dixi : per eam enim nos religamus et obstringimus Deo, ut auctori omnis tum naturæ, tum gratiæ et gloriæ.

Secunda. Hinc *secundo*, religio extendit se ad legem Dei, et religiosi vocantur, qui studiose Dei leges omnes observant : religio enim includit Dei timorem et reverentiam. Timor imperat, et cogit nos servare ejus leges et præcepta. Unde in Scriptura viri religiosi vocantur timentes Deum, juxta illud : « Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis, » *Psalm.* CXI, 1. Qui enim Deum honorat et reveretur, utique satagit ut ejus voluntatem et legem impleat. Hinc de personis religiosis Zacharia et Elisabeth, dicitur, quod erant « incedentes in omnibus mandatis Domini sine querela, » *Lucæ* I, 6. Huc spectat etymon religionis quod affert Cicero, lib. II *De Natura Deorum*, ut dicatur a relegendo, quia religiosus assidue legit et relegit leges Dei. Hoc est quod ait Sapiens, *Eccles.* XII, 13 : « Deum time, et mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo. » Ita dicimus « religionem injicere, » id est, scrupulum conscientiæ; « aliquid esse religioni, » id est, debito conscientiæ ac curæ ne Deum offendat. Sic officium, ad quod tenemur, vocatur religio. Unde Cicero, actione IV *in Verrem* : « Ego, inquit, quos adhuc magistratus mihi populus Romanus mandavit, ita accepi, ut me omnium officiorum religione obstringi arbitrarer. » Ita Franciscus Suarez, lib. I *De Religione*, cap. I.

Tertia Hinc *tertio*, « religio » vocatur ipsa professio fidei, legis et cultus Dei : unde religio Christi vocatur Christianismus, et professio Christiana. Nam, ut ait S. Augustinus, lib. VIII *De Civit.*, cap. XVII : « Religionis summa est imitari quem colis. » Et S. Hieronymus in cap. IX *Amos*, ait religionem homines quasi in unum colligare gregem; ac propterea justorum, seu electorum fasciculum appellari, quia una Domini religione constrictus est. Unde et ipsa religio a religando, et in fascem Domini vinciendo nomen accepit.

Quarto, « religio » vocatur excellentia religionis, qua quis totum se Deo alligat et obstringit, uti faciunt Religiosi per tria vota. Hi enim dicti sunt Religiosi a religendo, ut ab eligendo eligentes, et a diligendo diligentes, et intelligendo intelligentes, ut ait Cicero, lib. II *De Natura Deorum*. Et Isidorus : Religio, inquit, dicitur a religendo, id est, eligendo, ut religio dicatur quasi eligio; religiosi ergo dicuntur ab eligendo, quasi reeligentes Deum fontem beatitudinis omnisque boni, quem per peccatum amiseramus negligentes, ait S. Augustinus, lib. X *De Civit.*, cap. IV. Hinc rursum Gellius, lib. IV, cap. IX, religionem dici censet a relinquendo, ut religiosum sit id quod propter sanctitatem relictum, et remotum, et sepositum est, uti sunt religiosi et claustrales. Verius tamen etymon est, ut religio dicatur a religando, quia nos religat Deo, unde Religiosi vocantur quasi Deo religati. Ita S. Augustinus, Lactantius et alii, ac S. Thomas, Opusc. XIX *Contra Impugn. Relig.*, cap. I. Quarta.

Loquacis ergo qui linguam non refrænat, vana est religio quadruplex jam recensita. Loquax est irreligiosus. Primo.

Prima, quia ostendit se Deum non colere, nec magnifacere : tum quia in ejus præsentia et ab eo audiri se sciens non veretur, nec verecundatur loqui ea, quæ Deo displicent; tum quia ore, quod Deus ei dedit ad sui cultum et laudem, abutitur ad vana, turpia, maledica, etc. « Lingua » enim nobis a Deo data est « quasi organum religionis, » ut sit « cithara et plectrum laudis divinæ. »

Secunda, quia loquax religionem, id est, legem Dei, crebro multisque modis violat, mentiendo, detrahendo, irritando, jurando, etc. Rursum religionem, id est, studiosam et anxiam curam servandæ legis divinæ habere nequit, qui religiose, id est studiose linguam non frænat, ne leges divinas violet Deumque offendat. Secunda.

Tertia, quia loquax sua garrulitate dedecorat et infamat religionem Christianam, ut infideles dicant : Impossibile est hunc Christianum (et consequenter cæteros) esse religiosum, Deique cultorem modestum et mente compositum, qui in verbis tam est effusus et incompositus. Unde S. Petrus Damianus, serm. *De Spiritu Sancto*, scribit vaniloquio non tantum animam sauciari, sed et ipsam honeste vitæ rationem, quæ hominem Deo junxit, evacuari. Quin et S. Petrus apud Clementem, epist. 1 *ad Jacobum* hunc nostrum, asseserit S. Petrum crebro prædicasse Christianis, ut studiose os et linguam custodirent et moderarentur. Ex lingua enim quasi ex porta conspicimus quis in domo, puta in mente, habitet, an sanctitas vel vanitas, an Deus vel diabolus. Sicut enim modestia corporis, præsertim linguæ, arguit et indicat modestiam animi, ex qua illa quasi ex fonte promanat et resultat : ita ex adverso immodestia et intemperantia linguæ index est et effectus immodestiæ et intemperantiæ animi. Tertio.

Quarta. *Quarta*, quia loquacitas signum est animi vagi, dissoluti, improvidi, irreligiosi : qui enim linguam non frænat, quomodo frænabit iram, curiositatem, gulam, superbiam aliaque potentissima vitia? Quamobrem S. Hieronymus (vel quisquis est auctor, certe non est S. Hieronymus) in *Regula* jubet monachos crebro relegere hanc S. Jacobi sententiam : religionem enim sanctam non posse esse in loquacibus, qui linguæ moderari nequeunt, nam « mors et vita in manu linguæ, » *Proverb.* XVIII, 21. Quocirca S. Bernardus, serm. 1 *De mutatione aquæ*, silentium vocat custodem religionis, in eoque sitam esse fortitudinem Religiosorum, sicut Samsonis fortitudo sita erat in capillis. Hinc et in Ordinibus pene omnibus arcte, et sub gravibus pœnis præcipitur silentium; et qui monasteria reformare volunt, primum curant restitui silentium. Sane S. P. N. Ignatius, fundator Societatis nostræ, dictitabat : Vis nosse, an in aliquo Ordine vigeat religiosa disciplina? aspice an in eo rite hæc tria serventur, nimirum silentium, clausura et mundities. Si enim hæc tria repereris, scito vigere in eo disciplinam : si non, scito eam languere.

Vere S. Bernardus (vel quisquis est auctor), tract. *De Passione Domini*, cap. XXVII : « Religa, ait, linguam tuam si vis esse religiosus; quia sine linguæ religatione religio vana est. » Et mox : « Sciunt homines spirituales, qui hoc experti sunt, quantum auferat devotionis, quantum afferat dissolutionis intrinsecus, frequens linguæ resolutio. Nam sicut fornax, cujus os semper apertum est, non potest in se retinere fervorem : sic nec cor devotionis in se gratiam poterit conservare, cujus os non fuerit janua silentii reclusum. Claudamus igitur os nostrum, ut cum devotionis fervore Christum devotionis largitorem in ferventi affectu possimus conservare, » et paulo post : « O quam bonum et jucundum est tecum, o dulcissime Jesu, habitare in unum, tecum colloqui, tibi revelare causam animæ nostræ, tuæque consolationis responso perfrui! »

Vers. 27. 27. RELIGIO MUNDA. — Alludit S. Jacobus tum ad Judæos quorum ipse erat Episcopus, qui suam religionem et munditiem collocabant in cæremoniis et purificationibus legalibus, tum ad Gentiles qui religiosos se putabant, si colerent multitudinem deorum nefandis sacrificiis et ritibus. Opponit ergo religionem mundam Christianorum vanæ et immundæ religioni Judæorum, æque ac impiæ superstitioni Paganorum, Saracenorum et hæreticorum : videtur enim Jacobus in spiritu prævidisse et taxasse impuras religiones et ritus Gnosticorum et Carpocratianorum, qui in suis cœtibus incestu infandoque concubitu sese inquinabant, teste Eusebio, lib. IV, cap. VII, et Ophitarum, qui Eucharistiam suam consecrabant contactu serpentis : hunc enim credebant esse Christum, teste S. Augustino, *hæres.* 6 et 17. Sic hodie Lutheri et Calvini impura est religio, qua damnant Ecclesiæ jejunia, leges et vota; ac monachos incitant, imo cogunt ad sacrilegas nuptias. Sensus ergo est, *q. d.* Judæi suæ religionis munditiem collocant in multis lustrationibus; Pagani in multis multorum deorum victimis; hæretici in impuris sui cerebri figmentis et turpitudinibus; Saraceni nunc in cultu Luciferi, postea Mahometi, etc. At vero munda et immaculata religio et pietas Christi et Christianorum maxime cernitur et consistit in misericordia et charitate : nimirum in visitando pupillos et viduas, ac immaculatum se conservando ab hoc sæculo. Munda enim est visitatio pupillorum, quia hoc est opus puræ misericordiæ et charitatis, cum a pupillis nihil lucri, gratiæ, honoris aut mercedis speretur : unde et Deus, et angeli, et homines hoc opus pietatis ut purum et mundum dilaudant et celebrant.

Nota *primo* : « Religio » hic quatuor modis paulo ante dictis accipi potest, *q. d.* Et cultus Dei, et lex charitatis, et professio Christiana, et excellens religio consistit maxime in visitandis pupillis ac in immaculata conscientia. Proprie tamen religio significat cultum Dei : hic enim græce vocatur θρησκεία (hebraice עבודה *aboda*, id est servitus, cultura, opus, ministerium) a Thracibus, quod hi cæteris religiosiores cœperint certo sacroque ritu, institutore Orpheo, colere Deum. Ita Suidas : « θρησκεία, inquit, est latria, idemque cultus et Dei obsequium, et deorum veneratio. Narrant enim Orpheum Thracem primum arte quadam mysteria Græcorum tradidisse, et cultum deorum θρησκείαν nominasse, quod Thracum esset inventum. » Religio pro cultu Dei.

Posset denique « religio » hic sumi pro pietate. Sic enim viros pios vocamus religiosos; pietas autem est pius affectus non tantum erga Deum, sed et erga homines, præsertim miseros et afflictos : unde Hebraice חסד *chesed* pietatem et misericordiam significat, ac חסד *chasid* vocatur vir pius et misericors. Hæc enim duo conjuncta sunt : qui enim pius est in Deum, pius quoque est et misericors in proximum : sicut qui amat Deum, amat et proximum propter Deum.

Nota *secundo* : Virtutis religionis actus proprius et elicitus est colere et honorare Deum, tum interna mentis submissione et reverentia, tum externa; puta adoratione, victimis, hymnis, votis, juramentis, etc. Actus vero a religionis virtute imperatus est, visitare pauperes, jejunare, mortificare carnem, etc., in honorem Dei et Sanctorum. Poterat ergo S. Jacobus dicere : Religio munda est, orare, psallere, vovere, peregrinari Hierosolymam, Romam, Compostellam, etc.; hi enim sunt actus religionis eliciti. Poterat quoque dicere : Religio munda est abstinere carne, vino, gestare cilicium, jejunare, etc. Sed maluit dicere : Religio munda est visitare pupillos et viduas, quia hoc opus maxime tunc, ut mox ostendam, necessarium erat, Deoque gratissimum, et sum- Religionis virtus quæ?

mæ ædificationis apud infideles; adeo ut multi propter Christianorum charitatem et misericordiam ad Christi fidem se converterent : alioqui visitare pupillos proprie est actus misericordiæ; ab ea enim elicitur, sed a religione, ut dixi, imperatur. Perperam ergo hæretici hunc locum intorquent contra monachos solitarios, qui pupillos non visitant : religio enim est multiplex, multasque species complectitur, adeoque religiò monachorum est vera et proprie dicta. Ipsi enim toti sunt in Deo adorando, meditando, laudando, sequunturque sortem Magdalenæ, quam Christus laudavit et prætulit Marthæ, *Lucæ* x, 42; unde suis meritis et precibus sustentant Ecclesiam, iisque magis prosunt viduis, quam divites suis eleemosynis, ut merito de iis dixerit Ruffinus præfat. *in Vitas Patr.*: « Quis dubitet stare mundum precibus Sanctorum? »

MUNDA, — scilicet parit hos effectus, visitare pupillos et immaculatum se conservare ab hoc sæculo. Aut, *q. d.* Religio munda est, si visitet pupillos et immaculatum se custodiat.

APUD DEUM ET PATREM.— Syrus, *apud Deum Patrem.* Idem enim est « Deus et Pater : » Deus enim est *pater,* id est creator, gubernator, conservator et provisor omnium, *q. d.* Apud Deum qui et pater noster est. Aliqui tamen, ut Dionysius Carthusianus, hæc distinguunt, et per « Deum » accipiunt vel S. Trinitatem, vel Deum Filium, et per « Patrem » Deum Patrem, *q. d.* Apud S. Trinitatem et Deum Filium, qui ut Verbum omnia videt, et apud Deum Patrem, qui ut Pater omnibus, etiam miseris, quasi filiis suis consulit, religio munda censetur, magni fit, et honoratur, visitare pupillos, etc.

Visitandi verbum. VISITARE PUPILLOS. — Visitare per metalepsim significat visitando consolari, consulere, juvare, pascere : hæc enim omnia significat Hebr. פקד *pacad,* id est *visitare* : Hebræus enim S. Jacobus hebraizat; imo pauper qui pascere nequit, visitando solatur pupillum, juxta vetus proverbium : « Farre litet qui thure non potest. » Græce est ἐπισκέπτεσθαι, id est providere, prospicere; Syrus *curare,* et pro virili sublevare. Inde apud Gentiles « Episcopi » vocabantur magistratus, quibus incumbebat reipublicæ providere de frumento et annona, uti dixi *Actor.* I, 20.

Nominat præ cæteris pauperibus et miseris pupillos et viduas, quia in prima illa Judæorum et Gentilium persecutione multi viri Christiani partim occidebantur, partim in exilium aut carceres tradebantur, ac plerique omnes bonis privabantur, uti dixi *Actor.* VIII, 1. Hi ergo filios relinquebant pupillos et uxores viduas. Horum derelictorum curam suscipit S. Jacobus quasi eorum Episcopus, ideoque eos Christianorum charitati commendat, quasi Martyrum vel Confessorum filios, sed pupillos; aut uxores, sed jam viduas. Jam enim cessarat illa communio et distributio bonorum Ecclesiæ, de qua dixi *Actor.* II et IV. Creverat enim numerus Christianorum ad plurima millia, inter quæ impossibilis erat hæc vita communis. Adde, bonorum communio tantum Hierosolymæ fuit recepta in primo paucorum Christianorum fervore, non vero in cæteris Ecclesiis et urbibus, uti dixi *Actor.* V, 2. Quare cum pupilli et viduæ nullos adhuc haberent curatores, tutelam eorum hic suscipit et Christianis commendat S. Jacobus. Ita S. Lucia, ut habet ejus Vita, cum opes suas in pauperes, viduas et pupillos distribuisset, easque sponsus per Paschasium præfectum reposceret, respondit : « Sacrificium vivum et immaculatum apud Deum et Patrem hoc est, visitare viduas et orphanos in tribulatione eorum; et quia nihil superest, offero meipsam in sacrificium Deo hostiam viventem, » nimirum per martyrium, quod ipsa paulo post heroice subiit.

S. Ivonis misericordia. Ultimis hisce sæculis in hac virtute eminuit S. Ivo, quem proinde ejus merito Clemens VI Pontifex retulit in Sanctorum numerum anno Domini 1347, die 19 maii. De eo enim sic inter alia scribit auctor gravis Vitæ ejus apud Surium, die 29 maii. « Pupillos et orphanos egregie tuebatur, et eorum causa diversis in locis adibat judicia, patronum se illis exhibens, neque tamen id spe alicujus muneris aut præmii, sed pietate et justitia permotus, imo vero suis impendiis illorum causas defendebat apud judices, ut posset a Domino audire : Quod uni ex minimis meis fecisti, mihi fecisti. Inde factum est, ut in illa regione merito appellatus sit, Advocatus pauperum; » et anterius : « Orphani, afflicti, calamitosi homines ejus fovebantur humanitate et patrociniis; inter discordes conciliabat pacem et amicitiam; eos qui carceribus detinebantur, hortabatur ad patientiam : et cum proferenda ab ipso esset in judicio sententia, sine lacrymis id non faciebat; in misericordiæ opera totum se impendebat, toto pectore quæ sunt hujus mundi despiciens, et cœlestibus semperque mansuris bonis inhians. » Et inferius : « Alienigenas, pauperes, item egenos, mala affectos valetudine, deformes, haud secus ac fratres suos humaniter excepit, ad mensam sibi assidere voluit, de cibis suis apposuit, lectos apparavit, propriis manibus illorum pedes abluit. » Unde et per miraculum panes in pauperes erogando sibi multiplicari, ac Christum ipsum, aut certe angelum Christi vicarium, specie pauperis mensæ socium habere meruit.

PUPILLOS ET VIDUAS. — Hæ enim personæ ab omnibus derelictæ, cæteris afflictis miserabiliores sunt; sed sub his a pari vel simili, quoslibet miseros, puta pauperes, ægrotos, nudos, incarceratos, famelicos, sitibundos, peregrinos, vexatos, oppressos, tentatos, etc., accipe. Ita Dionysius. Horum enim omnium idea et specimen sunt pupilli et viduæ, qui proinde mystice repræsentant peccatorem, qui per peccatum Deo, quasi patre et

Pupilli et viduæ sumptio mystica.

sponso orbatus, factusque pupillus et viduus, præda fit dæmonibus.

Plurima enim sunt viduarum et viduitatis incommoda, ait Nyssenus, tract. *De Virgin.*, cap. III, nimirum viduitas, ærumna, solitudo, caligo, tenebræ, luctus, lamentabiles ploratus, oppressio, etc. Unde Deus eas sibi asciscens, vocatur « pater orphanorum et judex viduarum, » *Psal.* LXVII, 6; et *Exodi* XXII, 22 : « Viduæ et pupillo non nocebitis : si læseritis eos, vociferabuntur ad me, et ego audiam clamorem eorum. » Vere S. Ambrosius, lib. I *Offic.* cap. XI : « Nihil, ait, tam commendat Christianam animam, quam misericordia, nec quisquam magis beatus, quam qui intelligit super pauperum necessitatem. » Id præstitit Job; unde ait cap. XXXI, vers. 16 : « Si oculos viduæ exspectare feci. »

Porro hæc vocatur religio, quia religio versatur circa Deum, ut ei debitum honorem præstet. Ad Deum autem quasi ad patrem et tutorem pertinent pupilli et viduæ; qui ergo eos lædit, Deum lædit; qui eos pascit et curat, Deum pascit et curat. Quocirca Heliodorus cœlitus flagellatus fuit, quod ex ærario templi bona viduarum diripere destinasset, II *Machab.* III. Hinc et Plato, lib. XII *De. Legibus*, ait miserorum causas proprias esse Dei, ac proinde neminem debere pupillos aut viduas affligere, ne Deum ultorem et hostem sentiat. Hac de causa S. Ignatius, in epist. *ad Tarsenses*, « viduas » appellat « altare Dei, » quia scilicet sicut in altari offeruntur sacrificia, ita et eleemosynis in viduas collatis maxime placatur Deus. Quocirca Sapiens, *Prov.* XXIII, 20 : « Agrum, inquit, pupillorum ne introeas : propinquus (Hebr. גואל *goel*, id est redemptor, vindex, qualis in lege veteri erat propinquus et cognatus) enim illorum fortis est, et ipse contra te judicabit causam illorum. » Idcirco S. Basilius, Ambrosius, Chrysostomus, Gregorius, etc., se exhibuerunt patres viduarum et pupillorum. Et S. Paulus, *Hebr.* XIII, 16 : « Beneficentiæ, ait, et communionis nolite oblivisci : talibus enim hostiis promeretur Deus. »

Eleemosyna ea sacrificium.

Si beneficentia est hostia, ergo eadem est actus religionis, isque nobilissimus, puta sacrificium. Unde hanc hostiam cæteris præferens Deus : « Misericordiam, inquit, volo, et non sacrificium, » *Oseæ* VI, 6. Eleemosynarius ergo visitans pupillos et viduas, est quasi sacerdos, victima est eleemosyna, sacrificium est ipsa ejus donatio, altare est pupillus et vidua. Unde Apostolus in carcere recipiens eleemosynam a Philippensibus : « Repletus sum, inquit, acceptis ab Epaphrodito, quæ misistis odorem suavitatis, hostiam acceptam, placentem Deo, » *Philipp.* IV, 18. Sicut enim sacrificium est quasi cibus et potus Dei, ut dixi *Levit.* II, sic est et eleemosyna : in ea enim Deus comedit et bibit per ora pauperum, pupillorum et viduarum. Ipseenim dicit dicet que in die judicii : « Esurivi, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere, etc. Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex fratribus meis minimis, mihi fecistis, » *Matth.* XXV, 40.

Ita S. Gregorius prandio inter alios pauperes excepit angelum, ipsumque Christum in mensa, quæ etiamnum Romæ in ejus domo, nunc ecclesia, ostenditur et religiose visitur. Sic S. Martyrius leprosum suscipiens, Christum suscepit, teste eodem S. Gregorio, homil. 39 *in Evang.*

Jam vero qui viduæ et pupillo consulit, sibi consulit. Nam, ut ait S. Ambrosius, *De obitu Theodosii* : « Bonum est misericors homo, qui dum aliis subvenit, sibi consulit, et in alieno remedio vulnera sua curat. » Et S. Basilius, hom. 6 *in Ditescentes* : « Benefactorum gratiæ, inquit, ad dantes revertuntur : dedisti esurienti, tibi consuluisti : quod enim dedisti, cum auctario revertetur. »

Est et semen magnum messis.

Eleemosyna enim est velut semen sparsum in agrum, quod in messe magnum dat fenus spargenti, ad eumque ingenti cum fenore redit, uti ex S. Paulo dixi II *Cor.* IX, 10. Quocirca Clemens Alexandrinus, lib. I *Pædagog.*, eleemosynam comparat ludo pilæ, in quo pila projecta per reverberationem redit ad eum qui projecerat. Et S. Chrysostomus, hom 84 *in Joannem.*: « Eleemosyna, inquit, est vestis quæ cum mortuo resurget. His vestibus fulgebunt, qui tunc audient : Esurientem me vidistis, et dedistis mihi manducare : hæ insignes faciunt, hæ conspicuos, hæ securos. » Idem, hom. 33 *ad Popul.*, hunc dat titulum : « Quod eleemosyna est ars omnium quæstuosissima, » in qua inter alia hæc ei dat elogia : « Melius est scire eleemosynam, quam esse regem et diademate coronari : domos ædificat in cœlis, sed permansuras. Hæc te docet quomodo possis Deo similis fieri. » Idem, hom. 7 *De Pœnitentia* : « Eleemosyna, ait, artifex est optimaque illorum propugnatrix et tutela, qui eam exercent : etenim Deo amica est, et cominus ei semper assistit : quos amaverit, his facillime gratiam impetraverit, modo non patiatur a nobis injuriam. Quomodo vero patitur? cum eam fecerimus ex rapina. » Idem, hom. 16 in II *ad Corinth.*: « Magnum, inquit, et pretiosum quid vir misericors. Ista major est gratia quam mortuos excitare : nam hic quidem tu Christo benefacis, illic autem ipse tibi. Illic debitor efficeris Dei, hic eleemosyna Deum debitorem constituis.

Decem religionis species.

Mystice S. Chrysostomus in *Psalm.* XCV, enumerat decem religionis et sacrificii species. *Primum*, inquit, sacrificium est proprie dictum, de quo Apostolus, *Ephes.* V : « Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo, in odorem suavitatis, » *Secundum* est martyrium, juxta illud *ad Romanos* XII : « Obsecro vos, fratres, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem. » *Tertium* est deprecatio, juxta illud *Psalm.* CXL : » Dirigatur oratio mea sicut incensum in con-

spectu tuo : elevatio manuum mearum, sacrificium vespertinum. » *Quartum* est laudis et hymnodiæ, juxta illud *Psalm.* XLIX, 14 : « Immola Deo sacrificium laudis. » *Quintum* est justitiæ, *Psalm.* L : « Tunc acceptabis sacrificium justitiæ. » *Sextum* est misericordiæ et eleemosynæ, *Jacobi* I : « Sacrificium (sic enim legit Chrysostomus) mundum et immaculatum est, visitare pauperes et orphanos in afflictione ipsorum. » *Septimum* est jubili, *Psalm.* XXVI : « Circuivi, et immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis; » Chrysostomus legit *jubilationis*. *Octavum*, compunctionis, *Psalm.* L : « Sacrificium Deo spiritus contribulatus. » *Nonum*, humilitatis, ibidem : « Cor contritum et humiliatum non despicies. » *Decimum*, prædicationis, *Rom.* cap. XV, vers. 16 : « Sacrificium (græce ἱερουργοῦν, id est sacris operans, sacrificans) Evangelium Dei, ut fiat oblatio Gentium accepta et sanctificata in Spiritu Sancto. »

Mundus pro sæcularibus.

ET IMMACULATUM SE CUSTODIRE AB HOC SÆCULO.— Ἀπὸ τοῦ κόσμου, id est, *a mundo*. « Mundus, » sive sæculum, metonymice sumitur pro sæcularibus, puta pro sæculari, animali et carnali vita, qualis est hominum mundanorum qui se opibus, deliciis et honoribus hujus mundi ambiendis et fruendis dedunt, ac proinde conscientias suas sæpe maculant avaritia, gula, libidine, ambitione, etc. Hinc in baptismo abrenuntiamus omnibus mundi pompis, ideoque induimur veste candida, monemurque eam candidam servare, referre et sistere Christo judici in ultimo mundi die. Hinc et de Sanctis Agnum sequentibus dicitur *Apocal.* XIV, 5 : « Sine macula enim sunt ante thronum Dei. » Insinuat S. Jacobus Christianos, cum sint in sæculo, debere cum sæcularibus conversari, et facile hac conversatione inquinari, ut eorum vitia ipsis affricentur. Nam, ut ait S. Leo, serm. 4 *De Quadrag.* : « Necesse de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescere; » quin et visitando pupillos et viduas periculum esse a vanitate, avaritia, luxuria. Ergo sapienter monet ut inter eos cæterosque omnes ita versentur, ut immaculatos se servent.

Difficile enim est in mundo versari, et ab eo non inquinari : qui enim tangit picem, inquinatur ab ea. Difficile est versari in igne, et non aduri : mundus enim immundus est plenusque sordibus, ut significat hic S. Jacobus : inquinat enim pice vanitatum, adurit æstu cupiditatum. Unde ait Thomas Anglicus :

> Mundus non mundus, quia mundos polluit : ergo,
> Qui manet in mundo, quomodo mundus erit?

Mundum cor est hostia Dei. Cur? Respond. Primo.

Quæres, cur religio munda sit servare se immaculatum ab hoc sæculo, sive cur Deus maxime colatur puritate conscientiæ et vitæ? Respondeo : *Primo*, quia Deus est spiritus purissimus et a fæce terræ remotissimus : decet ergo eum victima purissima, puta mundissima conscientia, talique honoratur et gaudet, juxta illud principium Ethicæ Catonis :

> Si Deus est animus, nobis ut carmina dicunt,
> Hic tibi præcipue pura sit mente colendus,

Hinc angeli, qui sunt purissimi spiritus, purissime et perfectissime colunt Deum, adeoque toti sunt in eo amando, fruendo et laudando, ac jugiter ei accinendo : Sanctus, sanctus, sanctus, *Isaiæ* VI, 3.

Secundo.

Secundo, quia Deus est ipse per essentiam sanctitas; decet ergo eum victima sancta. Sancta autem est ea quæ illibata est et pura. Unde Origenes ἅγιον, id est *sanctum*, derivat ab α privativo, et γῆ, id est *terra*, *q. d.* Sine terra, semotus a terra terræque inquinamentis. Et S. Dionysius, lib. *De Divinis Nominibus*, cap. XII : « Sanctitas, inquit, est ab omni immunditia libera, et perfecta, et omnino immaculata munditia. » Hoc est quod suis ministris jubet sancitque Deus : « Eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus, et separavi vos a cæteris populis, ut essetis mei, » *Levit.* cap. XX, 26. Vide ibi dicta, et cap. XXI ac XXII, ubi Deus tam victimas, quam sacerdotes requirit puros omnique macula carentes.

Tertio.

Tertio, quia religio Christiana, ac consequenter Deus, quem illa profitetur et colit, primo illo Ecclesiæ ævo valde honorabatur et celebrabatur apud Gentiles et Judæos toto orbe per innocentiam et puritatem vitæ Christianorum, ut patet ex Tertulliano, Justino, Athenagora in *Apologet.* Dicebant enim Gentiles : Quam sanctus est Deus, qui tam pure et sancte a Christianis colitur, imo qui eos facit tam puros et sanctos? Id etiamnum fit.

Quarto.

Quarto, quia qui abstrahit se a sæculo, unit se Deo, et quo minus servit sæculo, eo plus servit Deo, adeoque sæpe totum se Deo Deique cultui mancipat. Hinc vicissim Deus in puris corporibus et mentibus, quasi in domo et templo inhabitat. « An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri? » ait Apostolus, I *Corinth.* VI, 19. Denique : « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt, » *Matthæi* V, 8.

Media ad cor mundum. Primum est timor Dei.

Porro modi et media conservandi se immaculatum in sæculo et a sæculo, sunt multa. Primum est timor Dei, ejusque judicii et vindictæ, juxta illud *Psalm.* CXVIII, 120 : « Confige timore tuo carnes meas : a judiciis enim tuis timui. » Vere S. Augustinus, serm. 40 *in S. Joannem* : « Spes, ait, nostra non est de hoc sæculo; non amemus sæculum. Ab amore sæculi hujus vocati sumus, ut aliud sæculum speremus et diligamus. » Idem, serm. 13 *De verbis Domini secundum Matth.* : « Attendite, ait, sæculum quasi mare, ventus validus et magna tempestas. Unicuique sua cupiditas tempestas est. Amas Deum, ambulas super mare, sub pedibus tuis est timor sæculi. Amas sæculum,

absorbebit te. Amatores suos vorare novit, non portare. Sed cum fluctuat cupiditate cor tuum, ut vincas tuam cupiditatem, invoca Christi divinitatem. » Et mox : « Magnæ virtutis est cum felicitate luctari, magnæ felicitatis est a felicitate non vinci : si titubas, si mergi incipis, dic : Domine, pereo, libera me ; dic : Domine, pereo, ne pereas. »

Secundum, mortificatio.

Secundum, mortificatio appetituum et sensuum. Immunditia enim et macula non est in sæculo, id est sæcularibus opibus, deliciis et honoribus, sed in appetitu nostro, qui nimis ea amat et ambit, relicto et spreto sæpe Deo. Appetitum ergo mortifica et rectifica, ita a sæculo non maculaberis. Unde S. Augustinus, lib. X *Confess.*, cap. XXXI : « Non ego immunditiem obsonii timeo, inquit, sed immunditiam cupiditatis. » Item consideratio vanitatis et brevitatis vitæ, omniumque bonorum temporalium ; ac ex adverso veritatis et æternitatis gloriæ cœlestis, ac gehennæ et inferni. Hoc enim est sal, quo condiendæ et mortificandæ sunt voluptates sæculi, juxta illud *Eccli.* VII, 40 : « Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis. » Quid amas sæculum, hoc est, senium ? A senio enim dicitur « sæculum, » quod non est aliud, quam « ætas senescendorum hominum, » ait Varro, rerumque omnium. Alii sæculum, a sequendo derivant, eo quod sequatur se et in se revolvatur. Vere S. Augustinus in *Psal.* XXX, conc. 1 : « David ait, Accelera, ut hoc totum, quod nobis videtur, quamdiu volvitur sæculum, intelligas punctum esse. Non est diu quod habet extremum : si adhuc viveret Adam, et hodie moreretur, quid ei prodesset tamdiu vixisse ? Ergo celeritas hæc quare ? quia transeunt tempora, et quod tibi tardum est, in oculis Dei breve est. » Cur ergo amas voluptatem et honorem ? dum oritur, senescit et occidit. « Filii hominum, ut quid diligitis vanitatem et quæritis mendacium ? » Mentitur voluptas : non voluptas est, sed dolor et angor. Mentitur rerum copia : non copia est, sed inopia verarum opum quæ in cœlis sunt. Mentitur honor : non honor est, sed onus et sæculi ludibrium.

Tertium, constans resolutio.

Tertium est constans resolutio et fortitudo ad resistendum sociis, illecebris omnibusque mundi invitamentis, quibus nos allicit illicitque ad peccatum et maculandam conscientiam. Ita de Fabricio, consule Romano, vulgi erat sermo : « Facilius est solem a suo cursu, quam Fabricium a suo proposito avertere. » Testis est Plutarchus in *Apophth.* Similis fuit Cato, de quo ait Valerius Maximus, lib. IV, cap. III : « Ex eodem naturæ utero et continentia nata est, et Cato. » Et C. Piso, de quo idem Valerius, lib. III, cap. VIII : « Multa ait, et terribilia Piso contempsit, dum speciosum mentis suæ flecti non vult rigorem. » Et C. Mævius, centurio Augusti, qui captus ab Antonio, rogatusque quid de eo statui deberet : « Jugulari me, inquit, jube : quia non salutis beneficio, aut mortis supplicio adduci possum, ut aut Cæsaris miles desinam, aut tuus esse incipiam. » Ita Valerius ibidem. Multo magis tentanti sæculo dicit fidelis illud S. Pauli : « Quis nos separabit a charitate Christi ? Tribulatio ? an angustia ? an fames ? etc. Certus sum quia neque mors, neque vita, » etc. *Roman.* VIII, 35.

Quartum, fuga sæculi.

Quartum est sæculum quam minimum tangere ; hinc cor habemus pyramidale, cujus orificium spectat cœlum, conus terram ; ut per hoc significet Deus, nos corde, id est amore et affectu tantum in puncto debere terram et terrena tangere. Id sapiunt et faciunt Religiosi, qui totum affectum et conversationem a mundo abstrahunt, ut omnem spem et amorem in Deo collocent, et cum Psalte *Psal.* LXXII, dicant : « Mihi autem adhærere Deo bonum est ; » et : « Quid mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram, Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum ? » Ita Abbas Olympius apud Sophronium (vel potius Joannem Moschum), cap. XII, hoc salutis monitum alteri dedit : « Contine linguam et ventrem ; ac ubicumque sederis, dic assidue : Peregrinus sum. » Ita S. Gregorius Nazianzenus, *epist.* 51, alias 17, Cæsarium fratrem objurgat, quod honorum cupidine delinitus, se in Juliani Apostatæ familiam contulerat, publicique ærarii curam susceperat ; urget eum ut ab illa recedat : « Hanc enim esse veram gloriam, securitatem et opes, nimirum fortiter et strenue adversus tempus stare, et quam longissime se ab scelere et piaculo removere. Alioqui, inquit, honores expetens, in rebus majoris momenti detrimentum capies, fumique saltem, si non ignis, fies particeps, » *q. d.* Julianus idololatriæ si non culpam, certe famam et suspicionem tibi asperget.

Vis ergo immaculatus esse a sæculo ? esto peregrinus in sæculo, et civis ac domesticus in cœlo. Peregrinus hospitio cor suum non affigit, non inhæret, non fruitur : quia scit se quasi peregrinum per illud transire, ac post horam in eo non fore : omnibus ergo utitur velut in transitu. Fac similiter et tu : edis, bibis, etc., ede, bibe, etc., necessitatis causa : iis utere, non fruere. Si voluptas se misceat, illa cum comestione et bibitione transeat. Noli cibo et potui affici, inhærere, addicere cor tuum : noli de iis extra prandium cogitare, ea desiderare, eorum appetitu te oblectare et pascere : ita non maculabunt te. Idem dictum æstima de φιλαυτίᾳ, id est *amore sui*, et φιλοδοξίᾳ, id est *amore favoris*, benevolentiæ, laudis et gloriæ humanæ ; quæ aliud non est, quam evanida aura popularis meraque vanitas. Cogita illud *Psal.* CXVIII, 96 : « Omnis consummationis vidi finem, » et finem celerem ; « latum mandatum tuum nimis. » Id cogitabat S. Agatha, cui proinde angeli hoc epitaphium posuerunt : « Mentem sanctam, spontaneam, Deo honorem, et patriæ liberationem. » Vixerat enim in corpore

quasi carens corpore, quasi angelus in corpore assumpto. Et S. Barlaam, qui Josaphat regi munditiem mentis, quasi ingentis pretii thesaurum commendat apud Damascenum in *Historia*, cap. XXXIX.

Denique S. Augustinus, in *Psalm.* LXVIII : « Quis, ait, non contemnat dulcedinem sæculi, inhians dulcedini vitæ æternæ? » nam, ut idem ait in *Psalm.* CXXIII : « Dulcedo hujus sæculi ad tempus fauces indulcat, sed in magnam amaritudinem postea convertetur. Dulcedo autem vitæ æternæ constans est; » ideoque expers omnis tam amaritudinis quam finis, mentem implet et satiat. Quocirca S. Gregorius Nazianzenus, in *Distichis* : « Perpetuum, inquit, tibi sit hoc studium, ut mentem tuam templum Deo extruas : sic enim eum pro spirituali statua in intimo corde habebis.» Et nonnullis interjectis : « Age vero deserto universo hoc mundo, mundique sarcinis excussis, ad vitam cœlestem vela pande : præsertim tibi Trinitas curæ sit. Alii aurum, alii argentum, alii mensas delicatas, id est vitæ ludibria in pretio habeant; ego vero Christum amplissimarum opum instar duco : quem utinam aliquando mihi contingat pura mente intueri; cætera autem mundus habeat. » Causam dedit paulo ante « Patris verbum est homo noster, ut hujusmodi mixtione Deum hominibus misceat : unus utrinque Deus est, hactenus homo effectus, ut me ex mortali Deum efficiat. » Et S. Eucherius, epist. *ad Valerianum* : « Vera, ait, beatitudo est sæculi beatitudinem spernere, neglectisque terrenis in divina flagrare. » Rursum Nazianzenus, *epist.* 57, alias 63, exhortans Eudoxium ut, rhetorica et mundo relicto, se det vitæ puræ ac perfectæ : « Migremus, ait, hinc, viri efficiamur, somnia projiciamus, umbras prætereamus : alios occupatos teneant, jactent, ludificentur invidia, et tempus, et fortuna. Valeant throni, principatus, opes, splendores, vilis hæc et despicabilis gloriola, ac denique magnæ hujus scenæ ludicra, nugæque theatricæ. Nos verbum arctissime complectamur, ac pro omnibus rebus Deum habere optemus : solum, inquam, perenne illud bonum, et nostrum; quia virtutis præmium est, Deum fieri. Ad hæc contende et volita. Nusquam spes tuas siste, quoadusque ad illud summe expetendum et beatum bonum perveneris.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Transit a religione ad fidem, quæ religionis est principium et fundamentum. De fide ergo tria docet. Primum, fidem non admittere acceptionem personarum, ut divitem præferat pauperi, nobilem ignobili : hoc enim recte cohæret ei, quod paulo ante dixerat : Religio munda, etc., est visitare pupillos et viduas in tribulatione ipsorum, et immaculatum se custodire ab hoc sæculo. *Sæculum enim præfert divitem pauperi, nobilem ignobili, hocque est ejus vitium et macula. Secundo, vers.* 10, *asserit fidem docere, eum qui violat unum legis præceptum, fieri omnium reum. Tertio, vers.* 14 *usque ad finem, multis argumentis et exemplis docet, fidem sine operibus esse inanem et mortuam, instar cadaveris.*

1. Fratres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi gloriæ. 2. Etenim si introierit in conventum vestrum vir aureum annulum habens in veste candida, introierit autem et pauper in sordido habitu, 3. et intendatis in eum, qui indutus est veste præclara, et dixeritis ei : Tu sede hic bene; pauperi autem dicatis : Tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum : 4. nonne judicatis apud vosmetipsos, et facti estis judices cogitationum iniquarum? 5. Audite, fratres mei dilectissimi, nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se? 6. Vos autem exhonorastis pauperem. Nonne divites per potentiam opprimunt vos, et ipsi trahunt vos ad judicia? 7. Nonne ipsi blasphemant bonum nomen quod invocatum est super vos? 8. Si tamen legem perficitis regalem secundum Scripturas : Diliges proximum tuum sicut teipsum : bene facitis; 9. si autem personas accipitis, peccatum operamini, redarguti a lege quasi transgressores. 10. Quicumque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. 11. Qui enim dixit : Non mœchaberis, dixit et : Non occides. Quod si non mœchaberis, occides autem, factus es transgressor legis. 12. Sic loquimini, et sic facite, sicut per legem libertatis incipientes

judicari. 13. Judicium enim sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam : superexaltat autem misericordia judicium. 14. Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum? 15. Si autem frater et soror nudi sint, et indigeant victu quotidiano, 16. dicat autem aliquis ex vobis illis : Ite in pace, calefacimini et saturamini : non dederitis autem eis, quæ necessaria sunt corpori, quid proderit? 17. Sic et fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa. 18. Sed dicet quis : Tu fidem habes, et ego opera habeo; ostende mihi fidem tuam sine operibus, et ego ostendam tibi ex operibus fidem meam. 19. Tu credis quoniam unus est Deus : bene facis; et dæmones credunt, et contremiscunt. 20. Vis autem scire, o homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est. 21. Abraham pater noster nonne ex operibus justificatus est, offerens Isaac filium suum super altare? 22. Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius : et ex operibus fides consummata est. 23. Et suppleta est Scriptura, dicens : Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam, et amicus Dei appellatus est. 24. Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantum. 25. Similiter et Rahab meretrix, nonne ex operibus justificata est, suscipiens nuntios, et alia via ejiciens? 26. Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est.

Vers. 1. 1. FRATRES MEI, NOLITE IN (id est *cum* : potest tamen *in* proprie accipi, ut dicam inferius) PERSONARUM ACCEPTIONE HABERE FIDEM. — « Acceptio personarum » est vitium oppositum justitiæ distributivæ, quo quis in distribuendis officiis, dignitatibus, beneficiis, muneribus, locis, etc., non respicit meritum, nec dignitatem, sed qualitatem personæ ad rem non pertinentem ut meliora et majora det consanguineis, amicis, divitibus, nobilibus, pejora et minora exteris, inimicis, pauperibus, ignobilibus. Aliquando etiam opponitur justitiæ commutativæ, ut cum judex litem adjudicat amico, quæ ex justitia adjudicanda erat inimico; et tunc inducit obligationem restitutionis.

S. Augustinus, *epistola* 28, hanc sententiam Jacobi refert ad eos, qui ad Episcopatum aliosque Ordines et beneficia promovent consanguineos, amicos, aut divites, postpositis exteris et pauperibus, licet dignioribus : quibus proinde fit injuria, æque ac Ecclesiæ, quæ jure majus decus, majusque auxilium a dignioribus exspectabat. Quare hoc est peccatum mortale, uti docet noster Lessius *De Justitia et jure*, cap. XXXII, dub. 1, Benedictus Justinianus hic, et alii; unde graviter vetatur a Concilio Tridentino *sess.* XXIV, cap. I, *De reformat.* Verum S. Jacobi sententia generalis est et omnes perstringit, qui quocumque modo divites præferunt pauperibus, hoc solo nomine quod divites sint, sive id fiat dando eis honoratiorem locum in templo, mensa, consessu publico; sive in judiciis favendo plus amicis quam exteris; sive in vectigalibus aliisque oneribus, gravando magis pauperes quam divites; sive in distribuendis officiis et beneficiis, dando illa cognatis licet indignioribus, etc. Maxime autem S. Jacobus spectat hic honorem quem multi divitibus deferebant, neglectis vel spretis pauperibus in communibus, ut ipse ait vers. 2, consessibus et conviviis, præsertim sacris, puta in agape, in qua divites post Eucharistiam inter se splendide epulabantur, non exspectatis vel exclusis pauperibus. Unde idem hoc eorum vitium taxat S. Paulus, I *Corint.* XI, 21, dicens : « Unusquisque suam cœnam præsumit ad manducandum; et alius quidem esurit, alius autem ebrius est : » vide ibi dicta. Hoc est enim quod vers. 3, subdit Jacobus eos dixisse diviti : « Tu sede hic bene; » pauperi autem : « Tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum. »

Memorabile fuit exemplum S. Martini, qui, ut inquit Severus Sulpitius, lib. I *Dialog.* cap. XXIII, a Maximo, tyranno feroce et victoriis insolenti, ad convivium invitatus, cum minister regi pateram obtulisset, ille eam S. Martino dari jussit, exspectans et ambiens ut ab illius dextera eadem reciperet; sed vir sanctus ubi ebibit, pateram presbytero suo pariter pauperi tradidit, nullum scilicet existimans digniorem qui post se biberet : nec integrum sibi fore, si aut regem ipsum, aut eos qui a rege erant proximi presbytero prætulisset. Quod factum rex omnesque qui aderant ita admirati sunt, ut hoc ipsum eis, in quo contempti erant, placeret, perque totum palatium celebraretur fecisse Martinum in regis prandio, quod in infimorum judicum conviviis Episcoporum nemo fecisset.

Idem viderunt Gentiles. Lycurgus intelligens æqualitatem et ad frugalitatem et ad concordiam in primis conducere, Spartæ novam fecit agrorum partitionem, et in singulos cives æquam portionem distribuit, ut tota Lacedæmon videretur multorum esse fratrum, qui inter se diviserunt hæreditatem. Eadem de causa instituit syssitia, id est convivia publica, in quibus inter omnes, potus

ac cibi æqua erat portio : quin et in vasis, et alia re quacumque statuit, ut dives non plus haberet, quam pauper. Ita Plutarchus in *Lacon.*

Curius cum, devictis Sabinis, ei a senatu plus agri offerretur, recusavit, et gregalium portione contentus fuit, dicens esse malum civem, cui non esset satis id quod cæteris erat satis. Ita Plinius Junior in *Viris illustr.*, cap. XXXIII.

Epaminondas Simonidi aliquid iniquum postulanti respondit : « Neque tu bonus poeta esses, si numeros carminis negligeres, neque ego bonus prætor, si gratiam cujuspiam legibus anteponerem. »

Socratis (qui oraculo Apollinis sapientissimus mortalium est judicatus) opes erant mina argenti, ait Plato in *Apolog. Socratis,* hoc est, decem aurei coronati. Mina enim Græcis est libra, continens centum drachmas, hoc est, centum denarios Romanos, seu quadringentos sestertios, qui faciunt decem coronatos. Ita Budæus *De Asse.*

Themistocles admonitus audiit a viro sapiente : « Bene principatum geres, si cunctis æqualis et communis esse voles. » Ita Plutarchus in *Apophth.*

Fides quadruplex.

HABERE FIDEM DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI. — Varii varie hæc exponunt, sed pauci rem acu tangunt. *Primo*, aliqui « fidem » hic sumunt pro opinione et existimatione, *q. d.* Nolite opinari et existimare de Domino nostro Jesu Christo, quod in ipso sit acceptio personarum, ita ut ad fidem et salutem vocaverit divites, non pauperes. Ipse enim est Dominus gloriæ; ac proinde nullius ipse, sed omnes ipsius favore et gratia indigent. Ita Hugo.

Secundo, idem « fidem » proprie accipit, hunc-que dat sensum : Nolite fidem Christi ponere in personis acceptis, puta in divitibus, ut illos quasi deos, aut [illegible] quædam præ aliis omnibus colatis.

Tertio, Dionysius Carthusianus τὸ *fidem* refert ad *gloriæ*, *q. d.* Nolite habere fidem gloriæ Christi, hoc est, nolite credere quod gloriam æternam a Christo sitis accepturi, si accipiatis personas.

Quarto, alii accipiunt « fidem » pro spe et fiducia, *q. d.* Ne speretis gratiam Christi, si accipiendo personas ostendatis vos spem collocare in homnibus, puta in divitibus. Ita Beda.

Quinto et genuine, *q. d.* Nolite fidem Christi conjungere cum acceptione personarum, ut putetis hanc cum illa posse consistere. Fides enim Christi docet jubetque justitiam, æquitatem, amorem curamque pauperum, quibus omnibus repugnat acceptio personarum, quæ divites præfert, pauperes spernit. Unde Vatablus sic exponit : « Cum sitis Christiani, ne habeatis personarum delectum; » alii, *q. d.* Nolite putare vos vere Christianos, si accipiatis personas. Præpositio enim *in* sæpe apud Hebræos sumitur pro *cum*; « in acceptione » ergo, id est cum acceptione « personarum » *q. d.* Professio Christiana non patitur acceptionem personarum, eamque non admitit christianismus; sed vetat, culpat et damnat. Potius tamen ait *in*, quam *cum*, ut vitii gravitatem exaggeret, *q. d.* Nolite in eodem corde vestro ponere fidem et vitium acceptionis personarum, imo nolite fidem ponere in vitio hoc, id est, in corde vitio hoc imbuto et pleno : nolite balsamum nobilissimum fidei in vase tam impuro et sordido collocare et inquinare. Hoc enim injurium est fidei, ipsique Christo, qui pauper pauperes vocavit et elegit, eosque beatos prædicavit. Simile est quod ait Paulus II *Cor.* VI, 15 : « Quæ societas luci ad tenebras? quæ autem conventio Christi ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli, qui autem consensus templo Dei cum idolis? » Idipsum recte cuivis vitio adaptes : nec enim in eodem corde poni potest virtus et vitium, fides et infidelitas, Christus et diabolus.

Quocirca aliqui nervosius sic exponunt, *q. d.* Nolite fidem Christi ponere in acceptione personarum, id est, in acceptis personis (per metonymiam, vel hypallagen), ut scilicet fidem et fiduciam vestram collocetis in personis divitibus et potentibus, quas colitis et honoratis, æque, vel magis, quam in Christo. Nolite transformare fidem et spem Christi in fidem et spem hominum, ut plus eis credatis et fidatis quam Christo : multi, enim fidem, æque ac cor, magis habent in ære, quam in æthere; quia pluris faciunt æs, id est pecuniam, quam opem cœli et Dei, plusque fidunt æri quam ætheri. Tales sunt de quibus ait Psaltes : « Nolite sperare in iniquitate, et rapinas nolite concupiscere; divitiæ si affluant, nolite cor apponere, » *Psalm.* LXI, 11. Et hæc videtur esse mens Hugonis juxta secundam expositionem.

Denique planissimus erit sensus, si per facilem metathesin verba ita connectas : Nolite fidem habere gloriæ Christi in acceptione personarum, *q. d.* Nolite credere quod Christi gloria consistat in acceptione personarum : quem sensum mox plenius explicabo.

Hoc est quod ait S. Hieronymus *ad Celantiam*; « Nescit religio nostra personas accipere, nec conditiones hominum, sed animos inspicit singulorum : servum et nobilem de moribus pronuntiat. Sola apud Deum libertas est, non servire peccatis. Summa apud Deum nobilitas est, clarum esse virtutibus. » Et S. Bernardus, lib. II *De Consider.*, cap. VI : « Argenti et auri, inquit, usus bonus, abusio mala, sollicitudo major, quæstus turpior. » Unde S. Petrus dixit : « Argentum et aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do, » *Act.* III. Quin et Apuleius : « Laudas, inquit, aliquem quia generosus est, parentem ejus laudas; si vero quia dives, fortunæ hoc debetur; si eum laudas quia bonis moribus sit, tunc ipsum virum laudas, non aliena. » Libere vero S. Bernardus, lib. II *De Considerat.* ad Eugenium Pontificem, cap. XIV : « Non sit, inquit, in te ac-

ceptio personarum : non parvi te reum peccati existimes, si facies peccatorum, et non potius causas judicas meritorum. » Acceptio ergo personarum justitiam pervertit, charitatem lædit, scindit unitatem Christianismi. Cum enim fides et lex Christi sit lex charitatis, omnes ex æquo debet comprehendere et in se unire ; ac consequenter nec divitem ob divitias honorare et extollere, nec pauperem ob inopiam despicere. Contraria ergo opinio, et acceptio personarum contraria est Christo et indigna Christianismo. Vere Clemens Alexandrinus, lib. III *Pædagog.*, cap. VI : « Solus Christianus, inquit, est dives ; quia veræ divitiæ sunt in anima, puta fides, gratia et virtutes, quibus pollet Christianus. »

GLORIÆ. — Græce τῆς δόξης, quod Erasmus et Tigurina vertunt *ex opinione*, scilicet non Christi, sed vulgi, quod divitias et divites colit, paupertatem et pauperes spernit. Verum hi addunt τὸ ἐκ, multaque supplent quæ non sunt in textu Græco. Quare alii passim vertunt *gloriæ*, illudque referunt vel remotius ad *fidem*, *q. d.* Fidem gloriæ, hoc est, gloriosam, quæque ducit ad gloriam æternam ; vel proximius et concinnius ad *Christi* : Christus enim vocatur *gloriæ*, scilicet rex et dominus, hoc est, gloriosissimus in se, suisque electis et Beatis, *q. d.* Accipiendo personas in fide Christi, facitis injuriam Christo gloriosissimo ; quasi scilicet ipse pendeat a divitibus, et non potius divites ab ipso ; aut quasi ipse vos juvare, tutari et promovere non possit, ut divitum favorem et gratiam captare debeatis : quorum utrumque injurium est gloriæ Christi Christoque gloriosissimo. Simili modo Christus vocatur spes gloriæ, *Colos.* I, 27. Et Christi gratia vocatur gloriæ, id est gloriosa, *Ephes.* cap. XVIII. Sic Dei proprium est esse et dici regem gloriæ, *Psal.* XXIII, 10. Unde S. Cyrillus, lib. XII *Thesauri*, cap. XIII, probat Christum esse Deum ex eo, quod hic vocetur *Dominus gloriæ*. Denique Joannes Alba Electorum, cap. XCVI, τὸ *gloriæ* exponit secundum, vel juxta gloriam, *q. d.* Nolite æstimare Christi fidem et fideles juxta gloriam, id est, juxta opes, honorem et potentiam eorum, ita ut accipiatis personas, divites et potentes colendo, pauperes vero spernendo.

Verum ut ingenue dicam quod sentio, hæ omnes expositiones remotæ, duræ et hiulcæ videntur. Quare planissime sic exponemus, *q. d.* Nolite fidem habere gloriæ Christi, id est, nolite credere quod Christi gloria sita sit in acceptione personarum, nimirum quod glorietur vel glorificetur Christus, cum ad agapes et cœtus vestros admittitis solos divites, nobiles et gloriosos, spretis vel exclusis pauperibus et squalidis, quasi gloria Christi et Christianismi consistat in gloria vestium aurearum et purpurearum, in splendore aulicorum et famulorum, in pompa equorum et curruum. Hæc enim est gloria mundi, non Christi ; Judæorum, non Christianorum ; gentilismi, non christianismi : ita Thomas Anglicus. Notent hoc confessarii, concionatores, doctores, præsides congregationum, qui gloriantur dum habent pœnitentes, auditores, discipulos, asseclas nobiles, divites, splendide vestitos ; plebeios vero et squalidos ægre vident, ægre audiunt et admittunt. Sciant hunc esse sensum vanitatis, non veritatis ; mundi, non Christi : sæpe sub vestibus sericis magnæ latent sordes.

Posthume, non bene olet, qui bene semper olet.

Hunc ergo vilem affectum exuant, et contrarium Christi discipulo dignum induant.

2. ETENIM SI INTROIERIT IN CONVENTUM VESTRUM, — tum privatum, tum publicum, tum civilem, tum sacrum, puta in concionem, liturgiam, S. synaxin (quæ Græco συναγωγή, id est *conventus*, cœtus, congregatio, Ecclesia, uti etymo, ita significatione apte respondet : synaxis enim fiebat in synagoga, id est, conventu et Ecclesia) et agapen, uti superius dixi, docetque hic Thomas Anglicus, Salmeron, Serarius et Gagneius. Declarat acceptionem personarum exemplo illorum, qui divites in conventu et consessu honorant, pauperes vilipendunt : quod commune olim fuit, et etiamnum est vitium, juxta illud Ovidii, I *Fastor.* Vers. 1

In pretio pretium nunc est, dat census honores,
Census amicitias : pauper ubique jacet.

Et Euripides : « In paupertate ignobilitas est, et timiditas, et ignominia vitæ. » Vere Sapiens, *Eccles.* X, 19 : « Pecuniæ, ait, obediunt omnia ; » Septuaginta, *humiliantur omnia* ; alii, *cantant*, id est adulantur et applaudunt, *omnia* ; alii, *testificantur omnia* ; alii, *respondent omnia*, sicut famuli respondent dominæ vocanti et mandanti : hæc enim omnia significat Hebraice יענה *iaanc.* Hunc vulgi mundique sensum, hunc paganismum corrigit Christus et christianismus, qui in fide, gratia et gloria paupertatem divitiis, et pauperes divitibus æquat, imo anteponit. « Quod plerique pauperes dicimur, non est, inquit Minutius in *Octavio*, infamia nostra, sed gloria ; nec pauper est qui non eget, qui non inhiat alieno, qui Deo dives est. » S. Salvianus, lib. II *De Eccles. Cathol.* : « De illis, ait, qui expediti omnibus, aut pene omnibus sarcinis Salvatoris viam sequuntur, et Dominum Jesum Christum non sanctitate solum, sed etiam paupertate imitantur, nihil est quod dici possit, nisi illud tantum quod etiam Propheta dixit : Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus. Hos enim ego omnes non aliter quam imitatores Christi honoro, non aliter quam Christi imagines colo, non aliter quam Christi membra suscipio. » Eosdem lib. III, vocat nummularios Christi : Christiani enim qui opes cœlestes ambiunt, terrenas contemnunt, imo illas emunt harum contemptu. Unde Christi præceptum est : « Dimitte terrena, et accipies cœlestia, » ait S. Augustinus, serm. 233 *De Temp.* « Est

enim paupertas regni cœlestis pretium, ait idem, sermone 28 *De Verbis Apostoli*. Et S. Gregorius, homil. 18 *in Ezechiel*: « Volant, ait, qui terram quasi non tangunt, quia in ipsa nihil appetunt. » S. Prosper, lib. II *De Vita contempl.*, cap. XXVI : « Qui vult, inquit, Deum possidere, renuntiet mundo, ut sit illi Deus beata possessio (1). »

AUREUM ANNULUM HABENS. — Baronius, anno Christi 34, et Pineda, lib. VI, *De Rebus Salomonis*, cap. V, censent annulum hunc fuisse in veste, nimirum fibulam auream (hæc enim circulo aureo quasi annulo inseritur et constringitur), quam gestabant regum et principum affines, vel singulares amici in veste, ut patet ex Josepho, lib. XIV *Antiq.*, cap. XVI. Sic Alexander rex dedit auream fibulam Jonathæ in summæ benevolentiæ æque ac honoris indicium, I *Mach.* X, 88, uti apud Romanos erat latus clavus. Formam hujus fibulæ fuisse instar fibulæ auratæ et gemmatæ Pluvialis Abbatum et Episcoporum, qua unum latus alteri ad pectus connectitur, censet noster Raderus in lib. V *Martial.*, epigram. 42; unde et Virgilius, *Æneid.* IV :

Aurea purpuream subnectit fibula vestem.

Verum Græcum δακτύλιος non fibulam, sed annulum digitalem significat : δάκτυλος enim græce est *digitus*; unde fructus palmæ vocantur dactyli, quia prælonga gracilitate curvati, humanis digitis similes sunt, teste Dioscoride, lib. I, cap. LXVII. Inde δακτύλιος vocatur annulus, qui digito inseritur. Ergo χρυσοδακτύλιος ad verbum idem est, quod auroannuleus, vel aurodigitalis, qui scilicet aureum annulum in digito gerit. Ab olim enim divites et potentes solent annulum aureum gestare, tum ad obsignandum epistolas, tum ad ornamentum, tum ad cordis hilaritatem : unde eum gestabant in digito penultimo manus sinistræ, qui auricularis dicitur, eo quod ab illo nervus, vel arteria ad cor tendat, teste Gellio, lib. X, cap. X; aurum enim, ac præsertim hyacinthi, carbunculi, smaragdi, similesque gemmæ, quæ annuli palo inseruntur, cor æque ac oculos exhilarant et confortant. Episcopi tamen gestant annulum in digito medio manus dexteræ, qui index dicitur, quia silentium indicat, ut docet Apuleius, lib. I. Causam dat ipsa formula donationis annuli in consecratione Episcopi, quæ sic habet : « Accipe annulum discretionis, et honoris fidei signum, ut quæ signanda sunt signes, et quæ aperienda sunt pandas; quæ liganda sunt liges, quæ solvenda sunt solvas. » Vide Alexandrum ab Alexandro, lib. II *Genial.*, cap. XIX, et Pierium, *Hierogl.* cap. XLI.

Porro annulos divitum vani esse splendoris, docet S. Augustinus, lib. III *De Civit.* XIX, ex facto Hannibalis in victoria Cannensi, ex qua « tres modios annulorum aureorum Carthaginem misit : quo intelligerent tantam in illo prælio dignitatem cecidisse Romanam, ut facilius eam caperet mensura, quam numerus. » Et mox : « Tum etiam stipendiis sufficiendis cum defecisset ærarium, in usus publicos opes venere privatæ, adeo unoquoque id quod habuit conferente, ut præter singulos annulos aureos, singulasque bullas miserabilia dignitatis insignia, nihil sibi auri senatus ipse, quanto magis cæteri ordines tribusque relinquerent. » Olim enim apud Romanos soli senatores et equites annulis utebantur, teste Dione, lib. XLVIII. Quocirca Clemens Alexandrinus, lib. III *Pædag.*, annulum Christianis tantum permittit ad hoc, ut eo res suas obsignent. « Alii autem, ait, abjiciendi sunt annuli, ut vult Scriptura. Aureus prudenti mundus, est disciplina. » Et mox : « Sed neque est a viris annulus in articulo ferendus (hoc enim est muliebre), sed in parvo digito, atque adeo in extrema ejus parte : ita enim erit manus maxime ad operandum expedita; neque facile excidet sigillum, quod majori articuli ligamento custoditur. »

Annulorum usus olim et hodie.

IN VESTE. — Id est, cum veste; nam, ut jam dixi, annulus non erat in veste, sed in digito : tam enim vestis candida, quam annulus erat dignitatis insigne.

CANDIDA, — λαμπρᾷ, id est *splendida*, qualis erat candida. Candor enim præ cæteris coloribus splendet, estque ipse splendor : ita splendet candor cycni, nivis, fulguris, solis. Hinc Romæ olim candida erat vestis ambientium magistratus, qui inde Candidati dicebantur : candidati enim descendebant in campum Martium, ubi populi comitia agebantur. Sic et principes candida æque ac purpura utebantur. Unde Herodes illusit Christum induens eum veste alba, græce λαμπρᾷ, id est splendida, quo tacite insimulabat eum, quod fatue affectasset regnum Judææ, *Luc.* XXIII, 11. Hinc et Christus et Apostoli, *Apoc.* VI, 2, repræsentantur per equum album. « Ecce, inquit, equus albus, et qui sedebat super illum habebat arcum, et data est ei corona, et exivit vincens ut vinceret. » Albus enim color est pulcher, lætus, lucens et splendens : unde vestis candida est festiva, læta, splendida, magnifica. Audi Prudentium *Contra Symmachum* :

Candida vestis honoratorum

Exultare patres videas, pulcherrima mundi
Lumina, conciliumque senum gestire Catonum
Candidiore toga, niveum pietatis amictum
Sumere.

Et Martialis, lib. VIII, *epigram.* 28, candidissimam præstantissimamque togam, sibi a Parthenio, cubiculi Domitiani præfecto donatam, ita dilaudat :

Lilia tu vincis, nec adhuc dilapsa ligustra,
Et Tiburtino monte quod albet ebur;
Spartanus tibi cedet olor, Paphiæque columbæ,
Cedet Erythræis eruta gemma vadis.

(1) Tertullianus in *Apologetico* : « Præsident (in Christianorum cœtibus) probati quique seniores, honorem istum non pretio, sed testimonio adepti. »

Quocirca S. Joanni in cœlo visi sunt Sancti ac Beati amicti stolis albis, *Apocal.* VII, 9; nam colores albi maxime decent deos, ait Plato, lib. XI *De Legibus*. Denique Christus triumphator gloriosus post se exercitum ducit albatorum, *Apocal.* XIX, 14 : « Exercitus, inquit, qui sunt in cœlo sequebantur eum in equis albis, vestiti byssino albo et mundo. » Vide ibi dicta. Candor ergo vestium est divinæ gloriæ quædam æmulatio : nam candidus fulgor est divinitatis ornamentum, *Daniel.* VII, 9.

Vanitas vestium splendidarum. Primo.

Porro quam vanum sit gloriari aut honorare vestes splendidas, et vestitos splendide, patet *primo,* ex eo, quod vestis sit pœna et tegmen peccati. Adam enim innocens creatus est nudus, sed mox a peccato erubescens suam concupiscentiam, texit se vestibus consutis ex foliis ficus. Sicut ergo Rex conjectus in vincula compedes gestans aureas, iis non honoraretur, sed magis vilipenderetur : licet enim sunt aureæ, compedes tamen sunt; quodque sint aureæ, refricant ei pristinum regni decus, ex quo in compedes decidit, quasi e summo honoris fastigio in imum dedecoris dejectus : sic pariter erubescere debet dives in vestibus splendidis, quia illæ non sunt aliud nisi stigma peccati, velamen concupiscentiæ,

Secundo.

tegmen pudoris. *Secundo,* quia primæ vestes quibus Deus vestivit Adamum, fuerunt simplices et nativæ, puta crudæ pelles animalium, *Genes.* cap. III, 21, ut doceret eum ac posteros, vestem homini datam tantum ad necessitatem, esseque symbolum pœnitentiæ et mortalitatis, cui per peccatum obnoxii effecti sumus, uti dixi *Genes.* III, 21. Non magis ergo dives in veste byssina

Tertio.

extolli debet, quam fur in laqueo byssino. *Tertio,* quia simplex et rudis fuit vestitus Eliæ, Elisæi, Prophetarum, S. Joannis Baptistæ, Christi Domini, Apostolorum, Essenorum et primorum fidelium. Unde habitum Christiani describens Lucianus in *Philopatro* : « Pallium putre, inquit, sine calceis et tegmine, capite nudo incedens, detonsa coma. »

Quarto.

Quarto, quia femineus est vestium ornatus, feminasque indicat, non viros : horum enim ornatus est interior in judicio, sapientia et virtute. Nam quid est aurum et argentum, nisi terra alba et rubra? Quid est byssus, nisi vermium puta bombycum, putredo? Quid uniones, nisi concharum excrementa? Quid lanæ pretiosæ, nisi ovium vellera?

Audi S. Bernardum, serm. 4 *De Adventu* : « Aurum et argentum nonne terra est rubra et alba, quam solus hominum error facit (aut magis re-

Divitiæ veræ quæ?

putat) pretiosam? Veræ ergo divitiæ non opes sunt, sed virtutes, quas secum conscientia portat, ut in perpetuum dives fiat. » Et S. Cyrillum, lib. IV *in Joan.* cap. IV : « Sancti considerandi sunt non carne, sed intrinseca gloria. »

Exempla.

Ita Sisinnius Novatianorum Episcopus, homo mollis, reprehensus fuit a fidelibus, quod quotidie bis lavaretur et veste candida indueretur, abutens illo *Eccle.* IX, 8 : « Omni tempore sint vestimenta tua candida. » Ita Socrates, lib. VI, cap. XXII.

S. Asellam laudat S. Hieronymus, epist. 15 *ad Marcellam* : « Sermo, ait, silens, et silentium loquens : nec citus, nec tardus incessus, idem semper habitus, neglecta mundities, et inculta veste cultus ipse sine cultu. »

Aristoteles videns adolescentem sumptuosiori toga indutum : « Adolescens, ait, num aliquando a cultu isto immodico temperabis, ovium virtute parto? » Plato dixit Aristippo : « Tibi uni et chlamydem et pannum ferre datum est. » Chlamys vestis erat principum, pannus pauperum. Unde Horatius : « Omnis Aristippum decuit color. » Testis Laertius, lib. II, cap. VIII.

Diogenes divitem indoctum, sed splendide vestitum χρυσόμηλον, id est *ovem auream,* vel, ut alii legunt χρυσόμαλλον, id est *vellus aureum,* appellabat. Testis Laertius, lib. VI.

Demonax cuidam purpura vestito insolescenti in aurem dixit : « Heus tu, hoc ante gestabat ovis, et ovis erat; » significans illum æque stupidum esse in purpura atque ante, nec purpuram ei ingenium addidisse. Tritum est illud : « Simia in purpura. » Et, « Simia est simia, etiamsi aurea gestet insignia. » Artaxerxes Teribazo vestibus insolescenti ait : « Tibi ut mulieri aurum, ut insano regium amictum gestandi jus concedo. » Augusti Cæsaris axioma fuit : « Vestitus insignis ac mollis superbiæ vexillum est nidusque luxuriæ. » Testis Suetonius in ejus Vita.

Alexander Severus Imperator humili vestitu incedens, cum ob id ab aulicis reprehenderetur, ait : « Imperatoria majestas constat virtute, non corporis cultu. »

Simile fecit et dixit Alfonsus, Aragonum rex : « Malo, inquit, moribus et auctoritate meos excellere, quam diademate et purpura. » Ita Panormitanus, lib. I *De Gestis Alfons.* Plura dixi *Isaiæ,* cap. III, in fine.

Denique Clemens Alexandrinus, lib. II *Pædag.* cap. X, narrat Cæum sophistam improbitatem repræsentasse candida veste velatam, virtutem vero sola verecundia vestitam : perinde ac pictor ille, qui cum Helenam elegantem pingere non posset, pinxit eam veste aurea gemmeaque non tam decoratam, quam sepultam.

Nota, vestis præclara sæpe signum est magistratus, dignitatis aut nobilitatis : tuncque non ei, sed dignitati et officio deferendus est honor; sed eam ab hisce abstrahit hic S. Jacobus, tantumque considerat, ut indicem divitiarum, æque ac deliciarum lautæque vitæ. Solebant enim olim in festivis epulis, ludis, sacrificiis, etc., indui veste candida quasi indice lætitiæ, uti docet Valerius Maximus, lib. I, cap. I, et indicat *Ecclesiastes,* cap. IX, vers. 8.

Quocirca S. Jacobus per vestitum candida, intelligit hic non tantum divitem, sed et voluptua-

rium, qui festis, ludis epulisque vitam transigit cum despectu pauperum : qualis fuit dives Epulo qui bysso induebatur, et epulabatur splendide, ac Lazarum spernebat, eique micas mensæ suæ negabat. Sicut ergo Christus, *Luc.* XVI, taxat hunc divitem spernentem Lazarum, ita Jacobus taxat eos, qui divites et deliciosos honorant cum contemptu et injuria pauperum et egenorum.

INTROIERIT AUTEM ET PAUPER IN SORDIDO HABITU. — Græce ῥυπαρᾷ, id est squalido, detrito, sordido : de ῥυπαρᾷ dixi cap. I, vers. 21. Plerique fidelium in primitiva Ecclesia erant pauperes vel conditione, vel exspoliatione bonorum quam patiebantur a Judæis, vel voluntate et spiritu. Audi S. Justinum, epist. *ad Diogenetum*, mores Christianorum sui ævi describentem : « Omnis peregrina regio, ait, patria eorum est, et omnis patria est peregrina. In carne sunt, sed non secundum carnem vivunt; in terra degunt, sed in cœlo conversantur; pauperes sunt, et multos ditant; omnibus indigent, et omnibus abundant. »

Vers. 3. 3. PRÆCLARA, — λαμπρόν, id est *splendidam*, puta candidam, de qua paulo ante dixi. Præclare Seneca, *epist.* 37 : « Quemadmodum, ait, stultus est qui equum empturus non ipsum inspicit, sed stratum ejus ac frenos : sic et stultissimus est qui hominem ex conditione, quæ vestis modo nobis circumdata est, æstimat. Servus est? sed fortasse libero animo. Servus est? hoc illi nocebit, aliis non nocebit. » Parvi ergo judicii est, qui hominem non ex seipso, sed ex veste æstimat, uti faciunt stulti et pueri. S. Chrysostomus, homil. 47 *ad Popul.* : « Vestes, ait, et aurum et argentum sunt vermium pensa : virtutem autem indutus talem habet vestem, quam non tantum tinea, sed et mors ipsa lædere nequit. Et merito : non enim hæ animæ virtutes ex terra originem trahunt, sed sunt fructus spiritus. »

ET DIXERITIS EI : TU SEDE HIC BENE. — Græce καλῶς, Syrus שפיר *scappir*, id est *pulchre*, scilicet loco non tantum commodo et honorato, sed et eleganti, puta in sede primaria vel altiore, pulvinari byssino instrata, aulæis et conopæo redimita. Sedebant Judæi in synagogis : magistri quidem altius, auditores autem et discipuli demissius, uti tradit S. Ambrosius, in I *Cor.* XIV, 30, et insinuat ibidem Apostolus. Philo quoque Essenos sedisse tradit lib. *De Vita contempl.* Idem de Christianis Romanis tradit S. Clemens, lib. II *Constit.*, cap. LVII. Nam in Africa non licuisse laicis in ecclesia sedere, testatur Optatus Milevitanus, lib. IV, sicut etiam iisdem in templo sedere non licet in Æthopia, sive Abyssia, ne senibus quidem et infirmis : his enim solum scipioni inniti conceditur, uti Romæ ab Abyssinis accepi.

Memorabile est quod de Constantino Magno in Vita ejus scribit Eusebius, lib. IV, cap. XXXIII, ipsum in ecclesia concionem audivisse stantem, ac noluisse sedere, licet ab Episcopo ad id invitaretur, imo juberetur; quod diceret, res divinas erectis animis, auribus et pedibus audiri oportere.

Apud Romanos in theatro suus cuique pro dignitate erat locus : unde inter equites nemini considere licebat, nisi equestrem haberet censum, nimirum sestertia quadringenta, hoc est, decem millia aureorum. Audi Martialem, lib. V, *epigr.* 26 :

Quadringenta tibi non sunt, Chærestrate, surge.
Lectius (locorum censor) ecce venit : sta, fuge, curre, late.

Ordo ex jusque olim in Ecclesia.

Simili modo apud S. Clementem, lib. II *Constit.*, cap. LVII et LVIII, Apostoli sanciunt, quos operæ pretium est audire, ut ex iis ordinem synaxeos et sessionis in ea discamus. « Cum Ecclesiam Dei, inquiunt, convocas (o Episcope), tanquam magnæ navis gubernator jube cum omni prudentia congregari, præcipiens Diaconis veluti nautis, ut loca fratribus tanquam navigantibus valde accurate et honeste disponant. Ac primum quidem sit ædes oblonga ad Orientem versus navi similis, utrimque pastophoria in Orientem. Sit solium Episcopi in medio positum, et ex utroque ejus latere sedeant Presbyteri et astent Diaconi, succincti et expediti sine multa veste : sunt enim illi similes nautis, hi illis qui per foros navis cursitant. Sit autem horum cura, ut laici in altera parte, ordine, et decore et quiete sedeant : item ut sedeant mulieres separatim, ac cum silentio. » Et paulo post : « Si quis autem repertus fuerit qui sedeat loco non decenti, increpetur a Diacono, tanquam a proreta, traducaturque in locum qui eum deceat. Est enim Ecclesia non solum similis navi, sed gregi; nam ut Pastores singulas pecudes, capras dico et oves, pro generis et ætatis ratione locant et quodque eorum simile cum simili congregatur : sic in Ecclesia adolescentes quidem seorsum sedeant, si locus sit : sin autem non sit, stent; ætate vero provecti ordine sedeant : pueros autem stantes, patres et matres eorum suscipiant; rursus adolescentulæ seorsum, si fuerit locus; si vero non fuerit, post mulieres locentur. Nuptæ jam et matresfamilias item seorsum : virgines autem, et viduæ, et anus primæ omnium stent aut sedeant. Locis vero occupandis præsit Diaconus, ut quisque eorum qui ingrediuntur, in locum suum se conferat, et nemo præter decorum sedeat : similiter Diaconus populum speculetur, ne quis murmure obstrepat, dormitet aut nutus faciat. Oportet enim stare in ecclesia sapienter, sobrie et vigilanter, auribus ad verbum Domini intentis. Deinde cuncti pariter consurgentes et in Orientem spectantes, egressis catechumenis et pœnitentibus, precentur Deum, qui ascendit super cœlum cœli, idque ad Orientem. » Et inferius : « Si autem cum jam sedetur, alius quispiam adveniat honestus et nobilis, sive externus, sive ejus regionis, etc., Diaconus juniorem loco moveat, prudenter tamen, et non irate, et illum sessum recipiat : æquum enim est ut qui

est in fratres benevolus, sponte sua hoc faciat : quod si recusaverit, move eum cogendo, et in extremum locum rejice, ut discant cæteri cedere loco honoratioribus. Si autem pauper, aut ignobilis, aut peregrinus quispiam senex vel adolescens advenerit, neque sit locus vacuus, his quoque Diaconus ex toto animo locum faciat, ut non fiat adversus hominem acceptio personæ, sed fiat ministerium Deo acceptum : cum mulieres, sive pauperes, sive divites advenerint, utrumque horum faciat Diaconissa.»

Addit S. Clemens Christianos sedisse duntaxat in concione et lectione, in oratione vero et liturgia stetisse, aut certe genu flexisse. Posterius hoc diserte docet Tertullianus, lib. *De Orat.* cap. XII : « Irreverens est, ait, assidere sub conspectu, contraque conspectum ejus, quem maxime reverearis ac venereris : quanto magis sub conspectu Dei vivi, angelo adhuc orationis astante, factum istud irreligiosissimum est. Nisi exprobramus Deo, quod nos oratio fatigaverit. Atqui cum modestia et humilitate adorantes, magis commendamus Deo preces nostras. » Vide dicta *Act.* cap. XX, vers. 36.

PAUPERI AUTEM DICATIS : TU STA ILLIC, AUT SEDE SUB (Tigurina, *subter*; alii, *juxta*; Syrus, *ante*) SCABELLO PEDUM MEORUM. — Significatur contemptus pauperis, *q. d.* Sede non in scabello, sed sub scabello pedum meorum : adeo enim vilis es, ut non sis dignus qui pedes meos, imo nec eorum scabellum tangas. Ibi ergo sede, aut quasi alter Alexius sta in angulo, aut cum Lazaro quasi canis procumbe ad januam divitis Epulonis : qui contemptus sane est gravis, ideoque peccatum lethiferum. Inde sequebatur pauperum oppressio, quod est peccatum clamans in cœlum, de quo, vers. 6, ait S. Jacobus : « Nonne divites per potentiam opprimunt vos? »

Nota *primo* : Honor est bonum commune, æque ac officia et beneficia. Nam in mensa, judicio, concilio, aliove consessu publico cuique suus debetur honor et locus, qui si non detur, fit ei injuria, estque peccatum acceptionis personarum. *Secundo*, honor debetur creaturæ rationali ob excellentiam, quæ consistit in sapientia, virtute, officio, dignitate et potentia. Divitiæ ergo per se non sunt honorandæ, quia per se non faciunt hominem sapientiorem, magis virtuosum, digniorem et excellentiorem cæteris : tantum ergo honorantur divites per receptam consuetudinem, vel quia divitiæ comitantur dignitatem et principatum. Quare si quis ex interiori reverentia erga divitias, divitem hoc solo nomine quod dives est, præferat pauperi fideli, peccat vitio acceptionis personarum : fierique potest ut peccet mortaliter, nimirum si fiat cum notabili pauperis contemptu, vel injuria et oppressione, ut dicitur vers. 6, alioqui peccat tantum venialiter. Ita noster Lessius *De Justitia et jure*, cap. XXXII, dub. 1.

4. NONNE (græce οὐ, id est *non*, de more ponitur pro οὐχὶ, id est *nonne*) JUDICATIS, — διακρίθητε, id est *dijudicastis*, id est delectum personarum habuistis extollendo summe divitem, deprimendo in imum pauperem. Ita Vatablus. Unde Syrus vertit, אתפלגתון *etpalgetun*, id est *divisistis*, discrimen fecistis, discrevistis inique inter pauperem et divitem, quod Noster vertit, « judicatis; » quia judicis est inter partes æquitatem dividere, ut cuique jus suum tribuat, non vero unum alteri inique præferat, eique totum per fas et nefas attribuat : nec enim pauper ob paupertatem suo jure est spoliandus, ut illud per injuriam detur diviti ob solas ejus divitias. *Secundo*, Tigurina, Erasmus et alii διακρίθητε accipiunt passive, veruntque assertive, non interrogative, *et non dijudicati estis apud vosmetipsos*, *q. d.* Non sensistis conscientiæ judicium et remorsum, quod scilicet in hac personarum acceptione Deum offenderetis. Unde Cajetanus : «Non estis, ait, judicati in vobis ipsis, » sed estis judicati in vestibus, dum divites ob vestes splendidas honoratis, pauperes ob squalidas spernitis. Alii vertentes interrogative sic explicant, *q. d.* Nonne vestro judicio judicati, convicti et damnati estis? *q. d.* Nonne recta ratio et judicium vos condemnat, arguitque quod inique faciatis? ita Beda. Verum vertendum esse active *judicatis*, patet ex eo, quod explicando subdit S. Jacobus : « Et facti estis judices cogitationum iniquarum; » judicis enim est judicare, non judicari : unde suspicatur Gagneius Nostrum Interpretem legisse διακρίνετε, in indicativo, id est *judicatis*; sed « judicatis » idem est quod judicare soletis, id est judicastis : quod significat Græcum διακρίθητε. Vers. 4.

Urget Hugo et Dionysius τὸ *apud vosmetipsos*, quasi dicat : A vobis, vestraque prava phantasia judicium hoc perversum sumitis, non a Deo : Deus enim jubet tam pauperibus, quam divitibus suum jus et locum tribui. Sapienter Plato in *Protagora* : « Ne prius, ait, in alio tribunali judicaveris, quam ipse coram justitia (coram Deo) judicatus fueris. » Et Seneca, *epist.* 37 : « Si vis tibi omnia subjicere, subjice te rationi (et consequenter Deo); multos reges, si ratio te rexerit : ab illa disces quid et quemadmodum aggredi debeas. » Et Socrates apud Stobæum, *serm.* 48 : « Optimus, ait, rex est, qui suis affectibus imperare potest.»

ET FACTI ESTIS JUDICES COGITATIONUM INIQUARUM. — מפרשנא *mepharsane*, id est *separatores*, discutores pauperis et divitis. Pro *cogitationum* græce est διαλογισμῶν, id est *ratiocinationum*, disputationum, disceptationum, consultationum, reputationum, sermocinationum, *q. d.* Facti estis judices iniqui perversarum ratiocinationum, id est, judices perverse ratiocinantes et concludentes pauperem contemnendum esse, quia pauper est; divitem honorandum, quia dives est. Ergo facti estis judices judiciorum iniquorum, quia inique judicatis iniqua cogitando, ratiocinando, conclu-

dendo, sermocinando, eaque opere exequendo; dum scilicet pauperem præ divite spernitis, plusque splendori vestium, quam fidei et virtuti tribuitis, honorando impios divites, et despiciendo sanctos pauperes, ait S. Hieronymus in cap. v *Isaiæ*. Hoc ipso enim tacite judicatis, «quod dives tanto paupere sit melior, quanto est ditior, » ait S. Augustinus, epist. 29 *ad S. Hieronymum*, quod utique falsum et perversum est judicium, instarque monstri. Incongruus enim sermo est, ait Epictetus, si dicas : «Ego sum ditior te, ergo te melior. Ego sapientior, ergo melior. Hi vero sunt congrui : Ego te ditior : mea igitur possessio melior est tua. Ego sapientior : mea igitur oratio melior est tua. Tu autem neque possessio es, neque oratio.» Ita ipse *Enchirid.* cap. LIX.

Seneca, lib. X, *epist.* 77 : « Gladium, ait, bonum dices, non cui deauratus est balteus, nec cui vagina gemmis distinguitur; sed cui est ad secandum subtilis acies. Regula, non quam formosa, sed quam recta sit quæritur. Ergo in homine nihil ad rem pertinet quantum aret, quantum fœneret, a quam multis salutetur, quam pretioso incumbat lecto, sed quam bonus sit. Nemo istorum quos divitiæ honoresque in alto fastigio ponunt, magnus est. Quare ergo magnus videtur? cum basi sua illum metiris. Parvus pumilio, licet in monte constiterit. Colossus magnitudinem suam servabit, etiamsi steterit in puteo. Hoc laboramus errore, quod neminem æstimamus eo quod est, sed adjicimus illi et ea quibus ornatus est, imo ex illis ipsum æstimamus et metimur. »

Porro, ait S. Jacobus *cogitationum*, non *cogitationis*, græce διαλογισμῶν, id est *ratiocinationum*, consultationum, conclusionum : quia hæc una, qua divitiæ præferuntur paupertati, multas includit, et ex hac una quasi principio multæ aliæ educuntur, v. g. qui divitias præfert paupertati, secum ita ratiocinabitur. *Primo*, divitiæ sunt commodiores, magisque in hominum pretio; ergo divites præferendi pauperibus. *Secundo*, dives me juvare, commendare, promovere, ditare potest, non pauper : divites ergo colendi, non pauperes. *Tertio*, dives sui contemptum ulcisci potest, non pauper : illius ergo offensa curanda est, non hujus. *Quarto*, a paupere nihil exspecto : ergo mihi negligendus est. *Quinto*, pauper mihi est dedecori et oneri, quia a me petit et emendicat eleemosynam, itaque opes meas minuit : dives vero mihi est honori et commodo : ergo hic sequendus, ille fugiendus est.

Hæ sunt ratiocinationes iniquæ et falsæ, puta paralogismi mundi et mundanorum. Ex adverso Deus contra hos, ait Philo, lib. I *De Monarchia*, sancit *Exod.* 20 : «Non facietis vobis deos argenteos et aureos, in sensu mystico : Hi enim, ait, adoraturi mane ad ædes divitum quasi ad sanctissima templa cursitant, bona petituri ab illis quasi numinibus ; » cum tamen verissimum sit illud Augustini, lib. V. *De Civit.*, cap. VI : «Remota justitia, quid sunt regna nisi magna latrocinia? quia et latrocinia quid sunt nisi parva regna? Manus hominum, imperio regitur principis, pactione astringitur societatis, prædæ lege dividitur. Hoc malum latrocinia parva committunt, quia paucis hominibus, paucisque rebus geruntur; regna magna, quia latius grassantur, quia multis hominibus, multisque rebus geruntur, latrocinia nominantur. Quia enim impunitas accessit, ideo regna facta sunt. Hoc enim nomen manifestius confitetur veram libertatem. Nec fefellit quidam piratam comprehensum a rege Alexandro, qui cum interrogaret quid ei videretur ut mare haberet infestum, libere ac superbe respondit : Quod tibi videtur ut orbem terrarum; sed quia id ego exiguo navigio facio, latro vocor; quia tu magna classe, imperator. » Et cap. VIII : « Quid sunt omnes homines, nisi homines? » Ergo contra hos primo argumentatur Christus, dicens : « Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula, » *Luc.* XVI, 19.

Secundo, S. Augustinus, serm. 55 *De Temp.* : Secundus.
« Iste mundus, ait, aut ridet nos, aut ridetur a nobis. Melius est ut calces mundum, et calcato eo gradum tibi facias per quem in sublime conscendas. »

Tertio, Seneca, lib. *De Vita beata*, cap. XXVI : Tertius.
« Divitiæ apud sapientem virum in servitute sunt, apud stultum in imperio. Sapiens divitiis nihil permittit, vobis divitiæ omnia. » Unde et Alexander Magnus, teste Plutarcho, orat. 1 *De Fortuna Alexandri*, dixit : « Si Alexander non essem, Diogenes esse vellem. »

Quarto, Auctor imperfecti apud S. Chrysostomum, *hom.* 22 : « Si divitem honoras, ait, propter personam ipsius, honoras eum : si autem pauperem honoras, propter personam Christi honoras. » Quartus.

Quinto, S. Ambrosius, lib. II *Offic.* XXV, docet Quintus.
multis rationibus favores et beneficia pauperibus potius exhibenda esse, quam divitibus. *Primo*, quia Christus, ait, docet « ad epulas non eos qui divites sunt, sed pauperes invitandos, » *Luc.* XIV. *Secundo*, divites enim rogari videntur, ut ipsi quoque nobis reddant : pauperes quia non habent quod restituant, cum acceperint, remuneratorem nobis faciunt Dominum, qui se pro paupere obligandum obtulit. *Tertio*, quia dives dedignatur beneficium, et pudet eum debitorem esse gratiæ. Quin etiam id quod collatum est sibi, meritis suis arrogat. *Quarto*, quia in accipiendo beneficio, eo ipso quod acceperint, divites dedisse se magis quam accepisse existimant : pauper vero etsi non habet unde reddat pecuniam, refert gratiam : in quo certum est, quod plus reddat, quam acceperit. Pecunia enim nummo solvitur, gratia nunquam exinanitur. *Quinto*, quod dives refugit, pauper fatetur quod sit obligatus debito, sibique subventum, non honori suo delatum putat : donatos sibi arbitratur filios, vitam redditam, servatam familiam. » Idem ibidem cap. I : « Tantus, ait, splendor honestatis est, ut vitam beatam efficiant tranquillitas conscientiæ et securitas innocentiæ. Et ideo sicut exortus sol, lunæ globum et cætera stellarum abscondit lumina, ita fulgor honestatis; ubi vero et incorrupto vibrat decore, cætera quæ putantur bona secundum voluptatem corporis, aut secundum sæculum clara et illustria obumbrat. » Et cap. IV, loquens de Elia, cui pauperi corvus deferebat panem, III *Reg.* XVII : « Numquid ideo, ait, minus beatus, quia pauper erat sibi? Minime, imo eo magis beatus, quia Deo dives. Aliis enim quam sibi divitem esse præstat, ut iste erat, qui tempore famis cibum a vidua petebat, largiturus ei, ut hydria farinæ per triennium et sex menses non

deficeret, et per quotidianos usus olei vas viduæ inopi sufficeret ac ministraret. »

Sextus. *Sexto*, in paupere honoramus Christum quasi exemplar in sua imagine. Unde Chrysologus, serm. 14, explicans illud *Psalm.* CXL, *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem*, non dicit, ait, Qui videt, sed « Qui intelligit. » Arcana enim res est, et occultum mundo paupertatis pretium. « Oremus, fratres, ut ipse nobis intelligere intelligenda concedat, qui se intelligi in paupere sic demonstrat, quod ipse qui cœlum tegit, sit nudus in paupere; quod in esuriente esuriat satietas rerum; quod sitiat in sitiente fons fontium. Beatus proinde ille censendus est, qui hoc intelligit, ut super pauperes intelligat eorum necessitatibus occurrendo, eosque a necessitatibus eruendo. »

Septimus. *Septimo*, S. Bernardus, serm. 1 *De vigil. Nativ.*: « Paupertas, ait, non inveniebatur in cœlis: porro in terris abundabat hæc species, et nesciebat homo pretium ejus. Hanc itaque Dei Filius concupiscens descendit ut eam eligat sibi, et nobis quoque sua æstimatione faciat pretiosam. » Hoc est quod ait Christus, *Isaiæ* LXI, et *Luc.* IV, 18, : « Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me. » Plura de bono paupertatis dixi *Act.* IV et V.

Vers. 5. 5. NONNE DEUS ELEGIT PAUPERES IN HOC MUNDO?— Syrus, *pauperes mundi* (1). Probat non esse accipiendas personas ut divites honoremus, pauperes aspernemur, exemplo Dei, quod nobis debet esse instar normæ et præcepti. Deus enim elegit pauperes ære, eosque divites effecit fide; inopes censu, eosque opulentos fecit rerum divinarum sensu. Unde S. Leo, serm. 10 *De Quadr.* : « Quos viles, ait, facit carnalis sapientia, nescimus quam pretiosos spiritualis sit factura gratia. »

DIVITES IN FIDE, — ut scilicet fierent divites, ipseque faceret eos divites in fide. Nam simili modo addit : « Et hæredes regni. » Clarum autem est Deum neminem elegisse qui jam erat hæres regni, sed eligendo hæredem regni fecisse, *q. d.* Pauperes non sunt spernendi, quia Deus non sprevit, sed elegit pauperes, eosque eligendo ditavit fide, fecitque hæredes regni. Nihil ergo hic habent Pelagiani, quo probent fidem esse ex nobis, non ex gratia Dei, quasi ob fidem viribus naturæ elicitam Deus fidelem eligat, infidelem respuat. Fides enim est primum Dei donum, quo pauperes Apostolos primosque fideles ditavit Deus. Ita S. Augustinus, lib. I *De Prædest. Sanct.*, cap. XVII. Agit ergo Jacobus de electione tam ad fidem et gratiam, quam ad regnum et gloriam. Quos enim Deus elegit ad gratiam, eos consequenter destinavit ad gloriam, ut fiant hæredes regni cœlestis. Hic sensus est genuinus. *Secundo* tamen Gabriel Vasquez, I *part.*, disp. 89, cap. II, sic explicat, quasi dicat : Deus Apostolos pauperes censu, sed divites fide et virtute, elegit ad gloriam, puta ad hæreditatem regni cœlestis, et ad vitam æternam ex meritis; quia scilicet prævidit quod ipsi bene utendo et strenue cooperando fidei et gratiæ sibi a Deo datæ, per bona opera mererentur regnum cœleste. Unde sequitur : « Quod repromisit Deus diligentibus se. » Censet ergo hic agi de electione ad gloriam duntaxat, eamque fieri ex meritis probare ex hoc loco contendit; gloria enim est hæreditas, quia datur filiis; eadem est et corona justitiæ, ac merces, quia datur merentibus et vincentibus. Hinc et Jacobus prius ait, quod Deus elegerit divites in fide, deinde quod « hæredes regni, » quia per divitias fidei destinavit nos ad regnum in prima electione, quam fecit ab æterno.

Moraliter : docet hic S. Jacobus veras divitias non esse aurum, argentum, vestes splendidas, sed fidem et fidei virtutes : sicut ex adverso paupertatem et pauperes non facit egestas, sed cupiditas et impietas. Unde S. Augustinus, hom. *De centum ovibus* : « Deus, ait, omnibus æqualiter adest, sed apud Deum plus habet loci, qui plus attulerit, non argenti, sed fidei. » Et S. Gregorius, homil. 13 *in Evang.*: « Solæ, ait, divitiæ sunt, quæ nos divites virtutibus faciunt. » Et Clemens Alexandrinus, lib. VI *Stromat.* : « Veræ, ait, divitiæ est abundantia in iis quæ sunt ex virtute actionibus : paupertas autem est inopia in moderatis actionibus. » S. Ambrosius, lib. III, epist. 10 : « Solum illum Deus divitem novit, qui sit dives æternitati. » Moraliter veræ opes sunt virtutes.

Præclare vero S. Prosper, lib. II *De Vita contemplativa*, cap. XIII : « Illæ, ait, nobis sunt ambiendæ divitiæ, quæ nos ornare pariter possint, et munire; quas nec acquirere possumus inviti, nec perdere; quæ nos contra hostiles impetus armant, a mundo disterminant, Deo commendant, ditant animas nostras atque nobilitant, nobiscum sunt, intra nos sunt. Divitiæ nostræ credendæ sunt pudicitia, quæ nos pudicos; justitia, quæ justos; pietas, quæ pios; humilitas, quæ humiles; mansuetudo, quæ mansuetos; innocentia, quæ innocentes; puritas, quæ puros; prudentia, quæ prudentes; temperantia, quæ temperantes; et charitas, quæ nos facit Deo et hominibus charos, virtutum potentes, sæculi contemptores, ac bonorum omnium sectatores. Hæc non sunt omnium, sed Sanctorum sanctæ virtutes, non divitum superborum, sed humilium pauperum facultates, patrimonium cordium, divitiæ incorruptibiles morum, quibus non abundant, nisi illi qui illis carnalibus ex corde renuntiant. » Et inferius : « Propter hoc igitur eis qui militant Deo, fugienda sunt ex toto corde divitiæ : quas qui habere volunt, sine labore non quærunt, sine difficultate non inveniunt, sine cura non servant, sine anxia delectatione non possident, sine dolore non perdunt. Apostolus autem Christi militibus dicit : Volo vos

(1) Multi : Annon Deus probat, seu diligit, rerum mundanarum egenos, etc.

sine sollicitudine esse. Et : Radix omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis ; ac sic census iste terrenus eis a quibus vitiose diligitur, non est voluptatem materia, sed dolorum. »

Breviter, sed nervose S. Gregorius, lib. VI, epist. 190 *ad Andream* : « Non ergo, ait, honores aut divitiæ quærendæ sunt, quæ dimittuntur ; sed si bona quærimus, illa diligamus, quæ sine fine habebimus. Si autem mala pertimescimus, timeamus quæ a reprobis sine fine tolerantur. » Idem, hom. 18 *in Ezech.* : « Ille, ait, pauper est, qui eget eo quod non habet. Nam et qui non habens habere non appetit, dives est. Paupertas quippe in inopia mentis est, non in quantitate possessionis : nam cui cum paupertate bene convenit, non est pauper. »

HÆREDES REGNI, — id est, destinatos ad regnum cœleste, illudque certo adepturos, si in fide operibusque fidei ad finem usque vitæ constanter perseverent. Præclare S. Ambrosius, *serm.* 10 : « Cum regnum Dei, ait, pauperum sit, quid locupletius esse potest. » Vide hic miram harmoniam Jacobi et Pauli. Idem enim eodem ævo intonuit Paulus scribens, I *Corinth.* cap. II, vers. 26 : « Videte, ait, vocationem vestram, fratres, etc. : quæ stulta sunt mundi, et ignobilia, et contemptibilia elegit Deus. » Porro regnum Dei est ipse Deus cum omni sua felicitate et gloria. Vide S. Augustinum, serm. 119 *De Temp.*, et in *Psalm.* CXXXVI et CXLIX, ubi ait : « Hæredes Dei sic sunt, ut ipse Deus sit hæreditas nostra. Hæc hæreditas non minuitur copia possessorum, non fit angustior numerositate cohæredum ; sed tanta est multis, quanta paucis ; tanta singulis, quanta omnibus : non talis te fecit hæredem cui mortuo succedas, sed cum quo in æternum vivas. » Et S. Ambrosium in *Psalm.* CXVIII : « Omnes possident, nec minuitur hæredi ; manet emolumentum integrum, et eo magis singulis crescit, quo pluribus fuerit acquisitum. » Charitas enim perfecta in cœlis facit omnia communia : unde quisque beatus de aliorum singulorum gloria ita gaudet, ac si sua esset. Quare non semel, sed millies, et millesies millies est beatus et gloriosus. S. Bernardus, *De Triplici genere bonorum* : « Quæ est, ait, copia, ubi nihil quod nolis sit, et totum sit quod velis ? » Idem, serm. *De fallacia præsentis sæculi* : « In remuneratione, ait, torrens est voluptatis et fluminis impetus. Flumen plane est, sed quod affluat, non quod fluat, vel effluat ; flumen vocatur, non quod transeat, vel pertranseat, sed quod abundet. » Rursum S. Augustinus, lib. III *De Liber. arbitr.*, sub finem : « Tanta, ait, est jucunditas lucis æternæ, ut etiamsi non liceret amplius in ea manere, quam unius diei mora, propter hoc solum innumerabiles anni hujus vitæ pleni deliciis, et circumfluentia temporalium bonorum recte meritoque contemnerentur. » Idem, in *Manuali*, XIV : « O anima mea, si quotidie oporteret nos tormenta perferre, si ipsam gehennam longo tempore tolerare, ut Christum in gloria sua videre possemus et Sanctis ejus sociari, nonne dignum esset pati omne quod triste est, ut tanti boni tantæque gloriæ participes haberemur ? Insidientur ergo dæmones, parent suas tentationes, frangant corpus jejunia, premant carnem vestimenta, labores gravent, vigiliæ exsiccent, clamet in me iste, inquietet me ille vel ille, frigus incurvet, conscientia murmuret, calor urat, caput doleat, pectus ardeat, infletur stomachus, pallescat vultus, infirmetur totum corpus, deficiat in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus, ingrediatur putredo in ossibus meis et subter me scateat, ut requiescam in die tribulationis, et ascendam ad populum accinctum nostrum. Quæ enim erit justorum gloria, quam grandis Sanctorum lætitia, cum unaquæque facies fulgebit ut sol, cum ordinibus distinctis populum suum Dominus in regno Patris sui cœperit recensere, et meritis atque operibus singulorum promissa præmia restituet, pro terrenis cœlestia, pro temporalibus sempiterna, pro modicis magna ? Revera cumulus felicitatis erit cum Dominus adducet Sanctos suos in visionem paternæ gloriæ, et faciet in cœlestibus considere, ut sit omnia in omnibus. O felix jucunditas, et jucunda felicitas ! Sanctos videre, cum Sanctis esse ut sanctum, Deum videre, et Deum habere in æternum et ultra ! »

Cur Christus elegit paupores ? Causa Prima.

Porro causæ cur Deus ad fidem et regnum elegerit pauperes potius quam divites, sunt variæ, eæque congruæ. *Prima*, quia id requirit apta distributio donorum, ut qui carent terrestribus, abundent cœlestibus, et vice versa. Unde S. Hieronymus, epist. 34 *ad Julianum* : « Difficile, ait, imo impossibile est, ut præsentibus quis et futuris fruatur bonis ; ut hic ventrem, et ibi mentem expleat, ut de deliciis transeat ad delicias, ut in utroque sæculo primus sit, ut in cœlo et terra appareat gloriosus. » Et S. Chrysostomus, homil. 2 *ad Populum*, docet S. Paulum, cum nominat divites hujus sæculi, I *Tim.*, VI, 17, hoc ipso significare alios esse divites futuri sæculi, nimirum pauperes hujus sæculi. Sic dives hujus sæculi fuit Epulo, futuri vero Lazarus, *Lucæ* XVI, 24 ; sic Nazianzenus, *orat.* 16, religiosos vocat « propter humilitatem exaltatos, et propter paupertatem locupletatos. » Quocirca Patres pauperes Evangelicos vocant divites, eosque veros et solos. Ita S. Nazianzenus, orat. 20 *De S. Basilio* : « Divitiæ, ait, illi erant, nihil habere. » Et S. Leo, serm. 4 *De Quadrages.* : « Christiana paupertas dives est, quia plus est quod habet, quam quod non habet : nec pavet in isto mundo indigentia laborare, cui donatum in omnium rerum Domino omnia possidere. » Et S. Ambrosius, lib IV, epist. 24 *ad Simplicium* : « Vere, ait, dives est, qui in conspectu Dei potest dives videri, in cujus conspectu terra exigua, mundus ipse angustus est ; sed solum

illum Deus divitem novit, qui sit dives æternitati, qui non opera, sed virtutum fructus recondat. » Vide totam Epistolam, in qua demonstrat hoc paradoxum : « Quod solus sapiens, licet pauper, sit dives. »

Secunda. *Secunda,* quia divitiæ sunt fomites et illecebræ ambitionis, avaritiæ, gulæ, luxuriæ omniumque vitiorum, quibus itur in gehennam : paupertas vero suggerit materiam humilitatis, continentiæ, modestiæ, sobrietatis, castitatis omniumque virtutum, quibus tenditur ad gloriam. Unde Christus, *Matth.* XIX, 24 : « Facilius, ait, est camelum transire per foramen acus, quam divitem intrare in regnum cœlorum. » Sicut ergo non nisi per miraculum camelus transire potest per foramen acus : ita et dives non nisi per miraculum intrare potest in regnum cœlorum. Vide ea quæ de pernicie divitiarum dixi *Isaiæ,* cap. V, vers. 9. Paupertas ergo opibus vicinior est cœlo. « Magna quædam penna paupertatis est, qua tam cito volatur in regnum cœlorum, » ait S. Bernardus, serm. 4 *De Adventu.*

Tertia. *Tertia,* Deus ut ostenderet divitias bonitatis, misericordiæ et magnificentiæ suæ, elegit pauperes potius quam divites, utque pauperes exstimularet ad magnam humilitatem, gratitudinem, honorem et amorem Dei. Vide dicta I *Cor.* I, 26 et seq.

Quarta. *Quarta,* quia pauperes contemptu mundi emunt a Deo cœlum. Deus ergo eis fit debitor : cum enim omnia propter Deum reliquerint, par est ut Deus iis suum regnum rependat. Unde Nazianzenus in Carm. *De Beatit.* : « Felix, ait, qui Christum fortunis omnibus emit. » Et *orat.* 18 : « Hæc, ait, negotiatio præstantissima, qua brevia et fragilia bona cum sempiterna gloria commutantur. » Et S. Augustinus, serm. ult. *De Diversis* : « Quid, ait, gloriosius homini quam sua vendere, et Christum emere ? Vide *Matth.* cap. XIX, vers. 28.

Quinta. *Quinta,* quia Deus vacuum requirit cor, ut totum illud possideat; pauperum autem corda sunt vacua, divitum vero plena divitiis æque ac vitiis; illa ergo capacia sunt fidei, gloriæ et gratiæ, hæc vero incapacia. Dives itaque qui cor habet in ære, ineptus est ad capiendas res æthereas; pauper vero cum cor nequeat habere in ære quo caret, transfert illud in æthera quem sperat : liberum ergo amplumque, et Dei capax habet cor. Vide S. Chrysostomum, hom. 2 *Ad Popul.* Vidit idipsum per umbram Seneca, *epist.* 8 : « Nemo alius, ait, est Deo dignus, nisi qui opes contempsit; et ideo olim flamini Diali non modo tangere hederam criminosum erat, verum etiam nominare : » Nam hedera symbolum erat tenacitatis et adhæsionis ad terrena, teste Pierio, *Hierog.* cap. LI.

Præclare S. Augustinus, lib. *De* 12 *Grad. abusionum,* gradu 8 : « Recta, ait, dispensatione misericors judex regnum cœlorum illis committit, quibus regni terrarum participationem inter mortales abstulit, ut ipse dives in cœli sede appareat, qui in terra nihil penitus procurat. » Et mox : « Nobilis ergo inopia, est mentis humilitas, et ineptæ divitiæ sunt animorum enormitas. » Idem (si tamen ipse est auctor), lib. *De Contemptu mundi,* cap. VI : « Regnum cœlorum non divitum, sed pauperum est. Dicit namque pauperibus : Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Si est regnum cœlorum pauperum, restat ut infernus sit divitum; » idque probat exemplo divitis Epulonis, qui sepultus est in inferno, *Luc.* XVI, 24 et seq.

QUOD REPROMISIT DEUS DILIGENTIBUS SE, — ideoque suæ legi obtemperantibus. Qui enim diligit Deum, debet ea diligere, quæ Deus diligit; et ea odisse, quæ Deus odit, ait S. Augustinus, imo Christus, *Joan.* IV, 15 : « Si diligitis, ait, me, mandata mea servate. » Hinc disce *primo,* non soli fidei et credentibus, ut volunt hæretici, sed dilectioni et diligentibus, id est, opera charitatis erga Deum et proximum exercentibus, promissum esse regnum Dei; ac proinde volenti illud assequi necessaria esse charitatis opera. *Secundo,* regnum cœlorum promitti et dari quasi mercedem pro merito operum charitatis. *Tertio,* sanctum esse hæc obire intuitu hujus mercedis et præmii, ut fecit David, *Psalm.* CXVIII, 112, dicens : « Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem. »

Alludit ad *Isaiæ* LXIV, 4, quem sub idem tempus quo Jacobus hæc scripsit, S. Paulus scribens Corinthiis, *epistola* I, cap. II, 9, ex Septuaginta ita citat : « Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum. » Ultima enim hæc Isaiæ et Pauli verba antistropha sunt verbis hisce Jacobi, nimirum quia idem Spiritus Sanctus per ora trium horum testium, imo Prophetarum suorum, loquebatur.

Moraliter : Disce quam facili pretio Deus vendat regnum cœlorum, nimirum amore : amor ejus est pretium. Ama Deum, et Deum Deique regnum mereberis, emes et obtinebis. Ama Deum et regna, tum in cœlo, tum in terra, uti Israeli promittit Moses *Deut.* XI, 24. Moraliter, cœlum emitur amore.

Porro quis non amet Deum summe amabilem summumque bonum suum, qui est gaudium omnium angelorum et hominum; in quo sunt omnes deliciæ, omnes opes, omnes honores, omnis sapientia, omnis gloria, omnia bona in gradu immenso et infinito? Quis non amet Deum, qui prius tam impense amavit nos, ut nos ex nihilo crearet, perditos per filium suum recrearet et redimeret, aversos revocaret, ruentes in gehennam retraheret ad cœlum? Quis non amet Deum, qui suum amorem, se totum, suaque charitatis viscera in nos largissime effudit? qui nos indies, imo singulis momentis animat, vegetat, pascit, sua gratia donisque innumeris cumulat? Quis non amet Deum, qui a nobis amari optat, imo jubet, ac amanti promittit cœlum, non amanti minatur in-

fernum? Quare inexcusabiles sunt peccatores et reprobi, imo stulti sunt et insani, qui, ut creatura exigua, puta vili voluptate, vel honore fruantur, eamque diligant, Creatorem oderunt; qui terram paradiso, homines et bruta angelis, regnum dæmonis regno Dei, infernum cœlo anteponunt. Quid dementius? quid insanius?

Præclare S. Augustinus, hom. 9 *De Verbis Apostoli*, docet pauperem sola bona voluntate, id est dilectione, emere cœlum : « Quia quod valde necessarium est, inquit, habet : pauper est in arca, sed dives in conscientia; pauper est in domo, sed dives in animo, etc. Quam parvo constat regnum cœlorum, quam vili pretio tanta possessio proponitur? Proponitur in terra, quod possideas in cœlo; proponitur in tempore, quod possideas in æternum. » Et mox : « Duobus minutis emit quædam vidua regnum cœlorum, quæ misit in gazophylacium duos nummos, *Marci* XII. Misit illos in domum Dei, et emit regnum cœlorum. En duobus nummis valet. Plus addo, valet et vilius : vilior est calix aquæ frigidæ, vilior est sola bona voluntas. Audi clamantes angelos : In terra pax hominibus bonæ voluntatis. Bona enim voluntas ipsa dicitur charitas. Totum ergo habet, qui bonam voluntatem habet. » Idem, *hom.* 13 : « Regnum cœlorum venale proposuit, et pretium ejus calicem aquæ frigidæ esse voluit, » *Matth.* X, 42. Quocirca idem in *Manuali*, cap. X, suspirans ad Deum : « Amo, ait, te, Deus meus, amo te, et magis atque magis amare volo. Da mihi, Domine Deus meus, speciose præ filiis hominum, ut desiderem te, ut amem te quantum volo et quantum debeo : immensus, et sine mensura debes amari, præsertim a nobis, quos sic amasti, sic salvasti, pro quibus tanta ac talia fecisti. O amor qui semper ardes, et nunquam extingueris, dulcis Christe, bone Jesu, charitas Deus meus, accende me toto igne tuo, amore tuo, dulcedine tua, dilectione tua, desiderio tuo, charitate tua, jucunditate et exultatione tua, pietate et suavitate tua, voluptate et concupiscentia tua, quæ sancta est et bona, quæ casta est et munda, ut totus dulcedine amoris tui plenus, totus in flamma tuæ charitatis vaporatus, diligam te Dominum meum dulcissimum et pulcherrimum ex toto corde meo, ex tota anima mea, ex totis viribus meis, et ex omni intentione mea, cum multa cordis contritione et lacrymarum fonte, cum multa reverentia et tremore, habens te in corde, in ore, et præ oculis meis semper et ubique, ita ut nullus in me adulterinis amoribus pateat locus. » Et cap. XII : « O dulcedo amoris, et amor dulcedinis, comedat te venter meus, et nectare tui amoris repleantur viscera mea, et eructet mens mea verbum bonum. Charitas Deus meus, mel dulce, lac niveum, cibus es grandium; fac me crescere in te, ut sano palato possis manducari a me. Tu es vita mea cui vivo, spes cui inhæreo, gloria quam adipisci desidero. Tu mihi cor tene, mentem rege, intellectum dirige, amorem erige, animum suspende, et in superna fluenta os sitientis te spiritus trahe. Taceat, quæso, tumultus carnis. Conticescant phantasiæ terrarum et aquarum, aeris et poli; taceant somnia et imaginariæ revelationes, omnis lingua, omne signum, et quidquid transeundo fit. Sileat sibi et ipsa anima, et transeat se, non cogitando se, sed te Deus meus, quoniam tu es revera tota spes et fiducia mea. »

6. VOS AUTEM EXHONORASTIS PAUPEREM : — ἠτιμάσατε, id est, *inhonorastis*, contempsistis, sprevistis : ita Syrus; ac consequenter inhonorastis Deum, qui auctor est paupertatis, paterque pauperum, juxta illud *Eccli.* XI, 14 : « Bona et mala, vita et mors, paupertas et honestas (id est opulentia) a Deo sunt. » Et *Proverb.* XXII, 2 : « Dives et pauper obviaverunt sibi, utriusque operator est Dominus. » Unde infert idem cap. XIV, 31 : « Qui calumniatur egentem, exprobrat factori ejus; honorat autem eum, qui miseretur pauperis. » Quare merito exclamat Damascenus, *Parallel.* 3, cap. XXXVII : « O quanta est dignitas paupertatis! Dei velut larva efficitur : delitescit enim sub paupertate Deus; ac pauper quidem supplicem manum extendit; Deus autem est qui accipit. »

Porro S. Jacobus mutat personam tertiam in secundam, dicens : « Vos autem exhonorastis, » ut acrius corripiat pungatque divites superbos et in pauperes injurios.

Denique aliqui per pauperem accipiunt Christum, qui pauperum fuit pauper (id est, pauperrimus), ideoque eorum pater. Verum hoc arctius est et mysticum : ad litteram enim quosvis pauperes intelligit, ut patet ex toto sermonis discursu.

NONNE DIVITES PER POTENTIAM OPPRIMUNT VOS? — o pauperes. Compellavit divites oppressores, nunc compellat pauperes oppressos. Græce, καταδυναστεύουσιν ὑμῶν, id est, *dominantur in vos*, tyrannice vobis imperant, violenter opprimunt vos oneribus, rapinis, injuriis, vectigalibus iniquis : dum, ut ait Salvianus, lib. IV *De Provid.* : « decernunt potentes, quod solvant pauperes; decernit gratia divitum, quod perdit turba miserorum. » Vere *Eccli.* XIII, 23 : « Venatio leonis, onager in eremo; sic et pascua divitum sunt pauperes, » *q. d.* Sicut leo venatur et prædatur onagrum, sic et dives pauperem. Divitiæ enim inflant animum divitis, ut putet sibi omnia licere, se posse cæteris dominari, sibi oportere pauperes subjici et parere, sibi omnia deberi; ac proinde pauperes esse quasi servos et mancipia, quibus suas opes et pompas adaugeat : denique eorum opes devorant, sicut piscis major devorat minorem. Quocirca Sallustius in *Catilina* : « Divitiæ et imperia, ait, bella atque certamina inter mortales excitant. » Et : « O urbem venalem et mature perituram, si emptorem invenerit! » Et Juvenalis, *satyra* 6 :

> Luxuria incubuit, victumque ulciscitur orbem;
> Nullum crimen abest facinusque libidinis, ex quo
> Paupertas Romana perit.

TRAHUNT VOS AD JUDICIA, — ad tribunalia, etiam Gentilium et infidelium judicum, quos vel consanguineos et amicos habent, vel muneribus corrumpunt. Hoc enim illo ævo a Christianis factitatum fuisse docet, et graviter culpat S. Paulus, I *Cor.* VI, 1 : vide ibi dicta. Hoc est quod monet Sapiens, *Eccle.* V, 7 : « Si videris calumnias egenorum et violenta judicia, et subverti justitiam in provincia ; non mireris super hoc negotio, quia excelso excelsior est alius, et super hos quoque eminentiores sunt alii, et insuper universæ terræ Rex imperat servienti. »

Vers. 7. 7. NONNE IPSI BLASPHEMANT BONUM NOMEN. — « Blasphemant, » id est blasphemari faciunt, sunt causa ut blasphemetur. Est Hebraismus, *cal* ponitur pro *hiphil*. Sensus est, *q. d.* Divites Christiani suo fastu, avaritia, tyrannide, oppressione pauperum faciunt, ut Gentes hæc eorum scelera videntes blasphement nomen Christi et Christianismi, ipsamque fidem et religionem Christi ; quasi illa talia doceat aut certe permittat, nec castiget vel puniat. Nota : Pro *bonum* græce est καλόν, quod non tantum bonum, sed et præclarum significat, *q. d.* Blasphemant nomen Jesu, quod præclarum est et divinum, æque ac bonum, melliflum et salutiferum. Nomen enim « Jesu est mel in ore, melos in aure, jubilus in corde, » ait S. Bernardus, serm. 15 *in Cant.*

NOMEN QUOD INVOCATUM EST SUPER VOS, — id est, nomen quo vos vocamini, quodque invocare soletis, puta nomen Christi et Christiani : a Christo enim vocamur Christiani, quasi asseclæ, discipuli et filii Christi. Est hebraismus creber in scripturis, uti sæpius monui. Alludit ad *Isaiæ* LXII, 2 : « Et vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominabit. » Vere S. Ambrosius, serm. 12 *in Psalm.* CXVIII : « Respondendum, ait, est tam glorioso nomini : Christianum dum dico, perfectum dico : in Christo enim plenitudo dignitatis est, cujus nomen usurpat; qui vocabulum geris, interpretationem vocabuli perfectionemque cur refugis? »

Vers. 8. 8. SI TAMEN (εἰ μέντοι, id est, *si quidem, si tamen, verumtamen si, equidem si*) LEGEM PERFICITIS REGALEM. — Occurrit tacitæ objectioni : ergone divites odio habendi et contemnendi sunt? Respondet, minime, *q. d.* Verumtamen non veto, quin lege communi charitatis et divites diligatis : si enim hoc facitis, bene facitis, dummodo personas non accipiatis, nec pauperes aspernemini, præsertim quia, ut ait S. Ambrosius *in Luc.* XVI : « Neque omnis sancta paupertas, aut divitiæ criminosæ, sed ut luxuria infamat divitias, ita paupertatem commendat sanctitas. Et *Eccli.* cap. XIII, vers. 30 : « Bona est substantia cui non est peccatum in conscientia (est enim instrumentum eleemosynæ et beneficentiæ), et nequissima paupertas in ore impii. »

Secundo, εἰ μέντοι exponi potest ***igitur si***, vel ***porro si, certe si, sane si, q. d.*** **Porro, si perficitis** legem regalem quæ dicit : « Diliges proximum tuum sicut teipsum, » bene facitis. Sic enim vitabitis acceptionem personarum, hanc enim excludit dilectio, quæ proximos omnes eodem charitatis sinu complectitur, tamque pauperes quam divites amore et honore debito prosequitur. Videtur enim hic assignare remedium acceptionis personarum, nimirum charitatem. Ubi enim est charitas, ibi exsulat cupiditas, ac consequenter personarum acceptio.

Quæres, quænam lex hic vocetur *regalis*, et cur? *Primo*, aliqui, ut Cajetanus, censent legem regalem vocari eam qua reges jubent suos præfectos, nuntios, amicos a subditis honorari, juxta illud Assueri regis de Mardochæo edictum : « Hoc honore condignus est, quemcumque Rex voluerit honorare, » *Esther* VI, 11, *q. d.* Jacobus : Dum veto acceptionem personarum ne divites honoretis, pauperes spernatis, non veto honorem deferri regibus et magistratibus, qui divites sunt : hic enim eis debitus, ac lege naturæ, divina et humana præceptus est. Verum nulla regum hic præcessit aut sequitur mentio.

Secundo. *Secundo*, alii legem quamlibet censent vocari *regalem*, quia præcipit et sancit id quod justum est. Justitia enim est virtus regalis, basisque regni et reipublicæ. Unde Orpheus in *hymno* νόμου, νόμον, id est *legem*, vocat « deorum hominumque reginam. » Et Cicero, *Philip.* I, legem definit « rectam, et a numine deorum rationem. » Et Aristoteles, lib. III *Polit.* cap. ultim, ait, quod lex imperat, hoc imperare Deum. Omnis enim lex est derivatio et radius legis æternæ, quæ est in Deo. Quocirca Archidamus roganti : « Quinam essent Spartanæ civitatis præfecti? Leges, ait, et legitimi magistratus. » Demaratus vero percunctanti : « Cur exsularet Sparta, cum esset Rex? Quoniam, inquit, leges in ea sunt potentiores ; » regales ergo sunt leges, quia regibus imperant.

Tertio. *Tertio*, alii censent legem *regalem* vocari, quia ad regnum cœleste et æternum nos ducit, lataque est a Deo, qui est Rex regum et Dominus dominantium ; unde Syrus pro *legem regalem* vertit, *legem Dei*.

Quarto. *Quarto*, Hugo, Thomas Anglicus et Glossa : Lex regalis, inquiunt, est lex gratiæ, puta lex Evangelica : hæc enim lege naturæ et Mosaica eminet quasi regina, facitque nos reges, *Apoc.* cap. V, vers. 10.

Quinto genuine. *Quinto* genuine, lex *regalis* vocatur lex charitatis et dilectionis mutuæ : de ea enim explicat Jacobus, dum illico subdit : « Diliges proximum tuum sicut teipsum. »

Proximi ergo dilectio est lex *regalis* ; idque *primo*, quia charitas est omnium virtutum regina et princeps. Lex ergo charitatis est regia et regalis, hoc est, eximia, splendida, magnifica omniumque præstantissima : sic dicitur animus regius, virtus regia, munus regium, id est, magnificum et excellens : tale enim decet regem.

Secundo. *Secundo*, quia hæc virtus decet et ornat omnes homines, præsertim potentes, principes et reges : hi enim uti cæteris virtutibus, ita charitate maxime eminere debent, utpote quam subditis omnibus exhibeant oportet. Hinc Christus constituturus S. Petrum principem Ecclesiæ, hanc unam charitatis virtutem quasi conditionem necessariam ab eo postulavit, dicens : « Simon Joannis, diligis me plus his? » eoque respondente : « Etiam, Domine : tu scis quia amo te; » subjunxit : « Pasce agnos meos, » *Joan.* XXI, 15.

Tertio. *Tertio*, quia hæc est præcipua lex Christi Regis regum, quam impense et creberrime commendavit, ut *Joan.* XV, 17 : « Hæc mando vobis, ut invicem diligatis. » Et cap. XIII, vers. 34 : « Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. » *Rom.* XIII, 8 : « Omne mandatum in hoc verbo instauratur : Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio malum non operatur : plenitudo ergo legis est dilectio. » Lex ergo charitatis regalis est, quia cæteras in se complectitur.

Quarto. *Quarto*, lex charitatis est *regalis*, id est, communis et universalis, quia omnes obligat, atque ad omnes omnino homines, etiam inimicos, barbaros, pauperes, se extendit. Sicut ergo dicitur via regia, id est, publica, communis, qua omnes incedunt, non avia, vel devia : sic lex charitatis incedit via regia, quia nil habet obliquitatis, nec declinat ad dexteram vel ad sinistram. Ita Hugo et Dionysius. Unde per eam omnes justi et sancti incedunt, tenduntque ad cœlum.

Quinto. *Quinto*, quia regibus omnibus et tyrannis, eorumque minis et suppliciis est superior. Hinc Christiani olim sese pro Confessoribus captis et damnatis offerebant morti et martyrio. Unde exclamat S. Nilus, hom. II *De Christi ascensione* : « O eligionem omnibus regibus potentiorem, maisque regiam! Quæ enim reges armis excitabant, ec absque armis dissolvebat; quæ isti mac ando prohibebant, hæc dum mactaretur excitabat, et suorum cædibus trophæa contra mactantes erigebat. »

Sexto. *Sexto*, est *regalis*, id est inviolabilis, ait Vatablus; leges enim regum sunt inviolabiles, nam qui legem charitatis violat, culpam luet gehenna et incendiis æternis.

Septimo. *Septimo*, Mosis lex fuit timoris, ideoque servilis; Christi vero est amoris, ideoque regalis. Amorem enim veteres pinxere undique coronis aureis cinctum, quasi totum regalem.

Octavo. *Octavo*, denique lex charitatis est « regalis, » quia, ut ait S. Bernardus, serm. 83 *in Cant.* : « Amor ubi venerit, omnes in se traducit et captivat affectus, quasi Rex omnibus affectibus imperans. » Et mox : « Solus est amor ex omnibus animæ sensibus, motibus atque affectibus, in quo potest creatura, etsi non ex æquo, respondere auctori, vel de simili mutuam reddere vicem, » etc. Nam cum amat Deus, non alius vult quam amari : quippe non ad aliud amat, nisi ut ametur, sciens ipso amore beatos qui se amaverint.

Moraliter, lex regalis charitatis et Christi significat omnes Christianos Christi subditos, eaque præditos esse reges, ac habere animum regium, hoc est, amplum, præstantem, beneficum et munificum in omnes, ut singulos tam pauperes, quam divites; tam exteros, quam cives; tam malevolos, quam benevolos amare, juvare, protegere, promovere gestiant : arctum enim, strictum et frigidum cor est privatorum, qui sua duntaxat quærunt commoda, ideoque injuriis, maleficiis, calumniis sese contrahit et ab injuriantibus avertit : regum vero et principum cor est latum, liberale, excelsum, æstuans instar solis, qui in omnes sive amicos, sive inimicos radios suæ beneficentiæ spargit, uti dixi *Isaiæ* XLV, 1. Hoc est quod ait S. Petrus, S. Jacobo concinens : « Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, » *epist.* I, cap. II, vers. 9. Quocirca Saul videns charitatem Davidis, qua suo inimico, quem in potestate habebat, pepercerat, eam accepit ut certum regni omen. « Nunc scio, ait, quod certissime regnaturus sis, et habiturus in manu tua regnum Israel, » I *Reg.* XXIV, 21. Simili modo dicitur Deus dedisse Salomoni regi latitudinem cordis, III *Reg.* IV, 29, hoc est, animi magnitudinem et magnificentiam, ut inter Judæos et homines esset et emineret animo, sapientia, consilio, judicio, æquitate, charitate, providentia, regimine quasi angelus; essetque quasi pater inter pueros, quasi magister inter discipulos, quasi pastor inter oves, quasi dux inter milites; ita ex Abulensi, Lyrano, Cajetano et aliis noster Pineda, lib. VI *De Rebus Salomonis*, cap. IX. Præclare Plinius in *Panegyrico Trajani* : « Ut felicitatis est, inquit, quantum velis posse; sic magnitudinis, velle quantum possis.

Moraliter Christiani sunt animo regio. Primo.

Porro hæc magnitudo animi inducit ejusdem rectitudinem, æquitatem, tranquillitatem in omnibus et per omnia, ut nullis blanditiis, muneribus, viribus, nullis conviciis, injuriis, ingratitudine, etc., a rectitudine æque ac a beneficentia dimoveatur. « Honestum, ait Polybius, *serm.* 6, deorum est, aut eorum qui diis proximi censentur. » Ex adverso : « Tyrannis servire præstat, quam affectibus, » ait Pythagoras. Quocirca præclare Jamblichus, epist. *ad Agrippam* : « Oportet, ait, legibus præfectum summe purgatum esse, juxta summam legum rectitudinem; ac neque seductione, neque fraude falli per ignorantiam, neque vim inferioribus inferre, nec ulla occasione injusta allici : nam servatorem et custodem legum tam incorruptum oportet esse, quam summe fieri potest in humana natura. » Quamobrem lex regalis eadem est quæ perfectæ libertatis, uti eamdem appellavit S. Jacobus, cap. I, vers. 25. Liber enim a metu, amore omnique alia cupiditate, quæ sibi obsequentes servituti suæ mancipat, facitque servos, regalem habet

animum et regalia opera, ac proinde regaliter legem adimplet. Lex autem charitatis, quia enecat cupiditatem, parit hanc libertatem, ideoque est lex perfectæ libertatis, adeoque regalis.

Secundo. *Secundo*, lex charitatis et Christi est regalis et aurea, non tantum quia objectum ejus est regale, aureum et excellens, sed quia modus ejus pariter est regalis, aureus et eximius. Voluit enim Christus nos eam implere liberaliter ex amore justitiæ, non serviliter ex timore vindictæ. Insuper Christus, juxta illud *Osee* XI, 4 : « In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis, » legem regalem charitatis quam nobis imposuit, ipse exemplo suo præivit, quando pro nobis ingratis et peccatoribus ex immenso amore omnem suam vitam, corpus et sanguinem expendit, ut nos idem ejus amore et exemplo faceremus.

Tertio. *Tertio*, charitas est regalis, quia nunquam velut serva laborem sentit, sed ut domina voluptatem habet etiam in morte et tormentis. Unde S. Augustinus, tractatu 65 *in Joan.* : « Quam mirandi generis mors est, ait, cui non satis fuit non esse in pœnis, nisi esset insuper in deliciis? » Id adumbratum est in Samsone, *Judic.* XIV, 8, qui ad dilectam suam Philistæam profectus leonem occidit, ac remeans in ore leonis reperit favum mellis; quia amor quæcumque difficillima sunt, dulcia facit et mellea. Ita Martyres ibant gaudentes ad cruces et ignes, quia urgebat eos lex, urebat, inquam, charitas regalis.

Quarto. *Quarto*, denique charitas regalis est, quia amantes facit reges, eisque coronas et diademata regni in cœlis imponit. Maxime vero amor inimicorum facit animum excelsum et regium. Unde Didymus, Chrysostomus et Euthymius in *Psal.* IV, asserunt Davidem ibidem cum ait, vers. 1, « In tribulatione dilatasti mihi, » postulare dilationem cordis et magnanimitatis donum, ac latitudinem charitatis, qua etiam inimicos diligeret. Charitas ergo regalis est, quia omne bonum, omnem dignitatem, omnem eminentiam complectitur. « Porus rex captus ab Alexandro rogatusque quomodo se tractari vellet? Regio more, respondet. Rursumque interrogatus, an aliquid aliud vellet? respondet : Nihil; nam in regio more insunt omnia, » inquit Plutarchus, orat. 1 *De Fortuna Alexandri*. Multo magis in regali charitatis lege et amore insunt omnia. Quocirca si qua ingruit in nobis vel cum proximis pugna cupiditatum, litium, bellorum, illam dirimat, vincat et triumphet charitas quasi Rex, lex et judex omnium, juxta illud *Colos.* III, 15 : « Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis; et pax Christi exultet in cordibus vestris. » Vide ibi dicta.

SECUNDUM SCRIPTURAS. — *q. d.* Lex regalis quam perficiendam monui, est ea quam dictant et sanciunt sacræ Scripturæ tam veteris quam novi Testamenti, nimirum : « Diliges proximum tuum sicut teipsum : » hæc enim lex scripta et sancita est *Levit.* XIX, 18, ubi dicitur « Diliges amicum tuum sicut teipsum. » Amicus enim est quivis proximus, qui nobis natura conjunctus est, ut ibi dixi; et *Matth.* V, 43, ac *Rom.* XIII, 9. S. Jacobus enim hanc Epistolam scripsit post Epistolam Pauli ad Romanos, ut ostendi in proœmio, ac consequenter post Evangelium S. Matthæi. Hoc enim scripsit S. Matthæus anno Christi 41, ut tradit Eusebius et S. Hieronymus. Epistolam vero ad Romanos scripsit Paulus, anno Christi 58, uti ibidem ex Baronio docui.

DILIGES PROXIMUM TUUM SICUT TEIPSUM. — Proximus est quivis homo : hic enim compos est ejusdem naturæ nobiscum; ideoque factus est ad imaginem Dei, atque a Deo ad eamdem destinatus est gratiam, gloriam et felicitatem æternam. Vide dicta *Levit.* XIX, 18, et *Rom.* XIII, 9. Sensus est, *q. d.* Lex regalis charitatis, quæ jubet dicitque : « Diliges proximum tuum sicut teipsum, » non accipit nec excipit personas, sed omnes tam pauperes quam divites, tam amicos quam inimicos, tam exteros quam domesticos, eodem charitatis gremio complectitur. Hanc ergo ubique exercete, ita non peccabitis acceptione personarum, vel alio peccato. Omne enim peccatum violat legem charitatis. Proximus quis?

BENEFACITIS, — si nimirum legem perficitis, ut præcessit. Unde evidens est nos posse cum gratia Dei legem perficere. Perperam ergo hoc inficiantur hæretici.

9. REDARGUTI A LEGE. — Lex enim vetat acceptionem personarum, *Levit.* XIX, 15; *Deuter.* I, 17, et alibi. Alii, « a lege, » scilicet naturæ, quæ scripta et sculpta est in conscientia. Conscientia enim dictat acceptionem personarum esse peccatum : unde de ea dixit Menander : « Mortalibus omnibus conscientia est Deus. » Vers. 9

10. QUICUMQUE AUTEM TOTAM LEGEM SERVAVERIT, OFFENDAT AUTEM IN UNO, FACTUS EST OMNIUM REUS. — Occurrit objectioni. Ne quis enim dicat : Ego reliquam legem servo, esto accipiam personas divitum; ergo sum justus, ergo salvabor. Fuit enim hic error Pharisæorum, et postea R. Mosis et R. Salomonis in *Deut.*, tit. 1 *De Pœnitent.*, nimirum salvandum fore qui majorem partem legis servaret, etsi non totam : eo quod majorem habeat acervum operum bonorum, quam malorum. Respondet S. Jacobus, eum qui unam legem violat, omnes violare, fierique omnium reum; ac proinde esse injustum, et reum gehennæ. Ita Beda et S. Augustinus, *epist.* 29. Vers. 10

Quæres, quomodo hoc sit verum? Multi enim unam legem tantum violant, cæteras observant. Ergo unius tantum fiunt rei, non autem cæterarum omnium. *Primo*, Auctor apud S. Augustinum, lib. *De Vera et falsa Pœnit.*, cap. XIV, respondet fieri omnium reum, quia omnia peccata dimissa quodammodo per ingratitudinem redeunt et imputantur. *Secundo*, Dionysius et Richardus Victorinus, lib. *De Incarnat. Verbi*, part. I, Qui unam legem violat, fit reus omnium. Primo. Secundo.

cap. XIV, dicunt fieri omnium reum, quia omnia merita amittit, ac si totam legem violasset, juxta illud *Ezech.* XVIII : « Omnes justitiæ ejus non recordabuntur. » *Tertio,* alii censent fieri omnium reum, id est, lædere omnes virtutes acquisitas, quia destruit earum statum perfectum, generando scilicet debitum vitiosum, qui earum operationes impediat. Verum hæ responsiones ad rem non faciunt. Cum enim ait Jacobus omnium fieri reum, « omnium » intellige præceptorum; non peccatorum, meritorum aut virtutum acquisitarum. *Quarto,* verisimilius Glossa, Lyranus et alii aiunt, fieri omnium reum, quia eamdem pœnam damni incurrit, scilicet privationem gratiæ, charitatis, virtutum moralium infusarum, meritorum, ac ipsius gloriæ et cœli, perinde ac si omnia præcepta violaret. Verum nec hoc punctum attingit, tum quia non explicat quomodo omnium mandatorum fiat reus, cum omnia non violet; tum quia reatus proprie culpam significat, non pœnam, esto ex culpa sequatur obligatio ad pœnam ipsaque pœna.

Tertio. Quarto.

Pro responsione : Nota quod paulo ante de Pharisæis innui ex Burgensi et aliis, nimirum illo tempore fuisse errorem et hæresim Pharisæorum, qui uti in explicandis præceptis Decalogi multis modis errabant, uti ostendit Christus, *Matth.* V, ita pariter censebant unum aut alterum legis præceptum transgredi non esse grave peccatum, quo Deus offenderetur, nisi quis omnia præcepta aut potiorem eorum partem transgrederetur : a potiore enim parte quam servat, censendum esse justum potius, quam ab una violata injustum : nec omne peccatum esse iniquitatem : nec ullum esse crimen si quis charitatis officium proximo denegaret, dummodo amorem erga Deum retineret. Contra hos asserit hic Jacobus eum qui in uno offendit, fieri omnium reum, Deique offensam et iram incurrere, utpote qui tam unum quam alterum præceperit : qui enim universam legem condidit, singula quoque ejus præcepta condidit. Contra eosdem scribit S. Joannes, *epist.* I, cap. III, aitque : « Omnis qui facit peccatum, et iniquitatem facit; et peccatum est iniquitas. » Rursum : « Qui non diligit fratrem suum, in tenebris est, et manet in morte : qui odit fratrem suum, homicida est; » lege cap. III, quod totum est de hac re.

Similis fuit error nonnullorum Christianorum tempore S. Augustini, uti ipse refert *Enchir.* LXXV, qui putabant se sanctos et salvos fore si facerent eleemosynam, etiamsi cætera præcepta violarent et flagitiose viverent, ex eo, quod Christus dixerit, *Luc.* XI, 41 : « Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis. » Sicut nunc hæretici docent se et suos sanctificari et salvari per solam fidem, etiamsi legem Dei violent et multa peccata committant. Contra hos omnes docet hic S. Jacobus impium et injustum esse, ac damnationis reum, qui vel unam legem Dei violet, et ut radicem erroris refringat, ait eum omnium fieri reum, tantum abest ut ea servasse, indeque justus denominari aut dici possit. Bonum enim, ait S. Dionysius, *De Divin. Nomin.,* cap. IV, est ex integra causa, malum ex singulis defectibus. Ut enim opus sit bonum, debet omnes conditiones requisitas habere : quod si vel una desit, malum erit, non bonum. Simili modo, ut quis dicatur bonus et justus, debet totam legem servare. Si enim vel unam violet, erit malus et injustus, omniumque reus.

At qua ratione omnium, cum unam duntaxat violarit? Respondeo : τὸ *omnium* intellige conjunctim, sive copulatim sumptorum, non copulative. Omnes enim leges et præcepta integrant et conflant unam totalem legem, sicut decem præcepta integrant et conflant Decalogum, *q. d.* Qui unam legem violat, totam legis universitatem, quæ ex singulis legibus integratur, violat, spernendo legislatoris, puta Dei, majestatem et potestatem, ut sequitur. Violat ergo omnia, non singula, quatenus omnia conflant unum totum : toto enim violato, violantur omnes partes quæ illud integrant, quatenus illud integrant. Est ergo enallage totius universalis pro toto integro : nimirum « omnium, » id est *totius legis, q. d.* Violat omnem, id est totam legem, violat integritatem legis : totum enim deperit desinitque esse totum, si una duntaxat pars ex eo dematur, esto cæteræ in eo remaneant. Sic qui fornicatur, totum Decalogum, qui denominatur a denario mandatorum, ex iisque instar unius compositi coalescit, transgreditur. Esto enim cætera omnia servet, non tamen potest dici servasse et implesse Decalogum. Simili enallage dixit Jacobus, cap. I, vers. 2 : « Omne, » id est totum plenumque, « gaudium existimate, fratres, cum in varias tentationes incideritis. » Ita Beda : « Qui, inquit, offendit in uno, fit omnium reus; non quod omnia legis præcepta violarit, sed quod legis auctorem contempserit, eoque præmio merito careat, quod legis cultoribus propositum est. » Hunc esse sensum patet manifeste ex ratione quam subdit Jacobus : « Qui enim dixit : Non mœchaberis, dixit et : Non occides. Quod si non mœchaberis, occides autem, factus es transgressor legis, » quæ scilicet quasi totum quoddam quantum integratur ex singulis legibus, quasi sui partibus. Simili modo in musica unica vox dissona totam musicam et harmoniam corrumpit. Sensus ergo Jacobi est, quasi dicat : Justitia consistit in observatione totius legis : quare, ut quis justus sit et dicatur, debet totam legem observare; adeo ut si vel in uno, puta in personarum acceptione offendat, sit et dicatur injustus legisque prævaricator; ideoque iræ divinæ reus et condemnationi obnoxius. Lex enim et justitia legis est quasi una corona, una vestis, una cyclas aurea vestiens ornansque totum hominem; quæ tota violatur, si vel unam ex ea partem demas aut vio-

Quinto genuino.

ies : sic enim tollitur ejus integritas, species et decor.

Consonat S. Augustinus. Hinc *secundo*, S. Augustinus, *epist.* 29 (quæ tota est de hac Jacobi sententia) : « Qui in uno, ait, offendit, fit omnium reus, » quia contra charitatem facit, unde tota lex pendet. « Reus itaque fit omnium, faciendo contra eam, in qua pendet omnia, » utpote in qua connexa sunt, fiuntque quasi unum integrum charitatis mandatum : charitas enim est forma legum et virtutum omnium. Sic et OEcumenius, et S. Gregorius, hom. 27 *in Evang.* : « Omnia, ait, præcepta unum sunt in radice charitatis. » Sicut ergo hæreticus, qui non credit unum articulum fidei, perdit totam fidem non tantum illius articuli, sed et cæterorum omnium : esto enim eos dicat se credere, tamen non credit eos fide divina, sed humana : sic qui violat unam legem, perdit charitatem, non tantum « illius legis, sed et cæterarum omnium, ut licet eas » observet et faciat, tamen nullam observet et faciat ex charitate.

Et Dionysius. Hinc *tertio*, Dionysius : Fit, inquit, omnium reus, quia avertit se a summo bono, in quo omnia habent quamdam connexionem : omnia enim ab eo manant, et eodem tendunt ; ita ut si unum negligas, summum bonum non sis adepturus.

Et Chrysostomus. Hinc *quarto*, fit omnium reus, quia perdit Dei amicitiam, gratiam et vitam spiritualem, atque incurrit mortem spiritualem animæ et reatum gehennæ ; perinde ac qui toto corpore armatus, excepta una parte, in illa lethalem plagam accipit, quæ illum occidit æque, ac si in cæteris omnibus plagam letalem accepisset. Sicut ergo plaga unius membri, vitam adimit et cæteris : ita unum peccatum, v. g. ebrietatis, non tantum adimit vitam sobrietati contrariæ, sed et cæteris omnibus virtutibus ; ita Auctor Imperfecti apud Chrysostomum, *hom.* 35.

Et Hugo. Hinc *quinto*, Hugo, *q. d.* Fit omnium reus, id est, perinde damnabitur quasi hostis Dei, ac si esset omnium reus, licet non tam graviter tantaque pœna : sicut qui unam portam hosti aperit, omnes, totamque urbem aperit : hostis enim per unam ingreditur, urbemque occupat et vastat. Sic una scintilla ignis totam domum comburit ; sic unum foramen in aggere facit eluvionem totius fluminis, ut omnes agros inundet ; sic modicum fermentum totam massam corrumpit, ait Apostolus, I *Cor.* v, 5.

Omnes ergo hi sensus connexi sunt, et ex primo quem proprie intendit S. Jacobus, quasi rivuli e fonte et quasi conclusiones e suo principio deducuntur. Omnes enim elidunt errorem Pharisæorum et rabbinorum paulo ante citatum, et nonnullorum rudium Christianorum, qui censent salvandos fore eos, qui plura habuerint opera bona quam mala. Et ad hoc probandum abutuntur dicto Christi : « Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis, » *Lucæ* XI, 41. Quos refellit S. Augustinus, *Enchir.* cap. LXXV, uti jam dixi. Longe enim alia est mens Christi, nimirum avaros Pharisæos hortari ad eleemosynam, illam enim eluere peccata, non baptismos et lustrationes legales, uti Pharisæi putabant, *q. d.* Omnia interna et externa, quæ vos, o Pharisæi, putatis elui aqua vestra lustrali, non illa, sed potius eleemosyna eluuntur. Eleemosyna enim si a peccatore fiat uti debet, nimirum præmissa contritione peccatorum et proposito restituendi bona male parta, abstergit culpam omnem, aut certe eo hominem disponit, illique ad pœnitendum Dei gratiam et misericordiam conciliat et impetrat.

Nota : Agit S. Jacobus de offensa gravi et perfecta, puta, quæ sit peccatum mortale. Hoc enim est perfecta legis violatio, facitque omnium reum : tale vero non est peccatum veniale. Unde recte ex hoc loco colligunt Doctores distinctionem peccati venialis a mortali. *Secundo*, ex hoc dicto Jacobi non sequitur dogma Stoicorum et Lutheranorum, nimirum omnia peccata esse paria, aut connexa ; imo Jacobus supponit posse fieri, ut quis servet totam legem, et tantum offendat in uno. Ita D. Thomas, I II, *Quæst.* LXXXIII, art. 1.

Mystice et moraliter, in uno offendens fit omnium reus, quia violatio unius legis sensim allicit et trahit ad violationem alterius et alterius, tandemque omnium, v. g. nimius amor pecuniæ trahit ad fraudes, illicitos contractus, lites, pugnas, verbera, cædes, rursum ad fastum, gulam, libidinem, tandem ad blasphemiam, hæresim et atheismum : peccata enim sunt colligata quasi funes, qui impium constringunt, juxta illud : « Funibus peccatorum suorum constringitur, » *Prov.* v, 22 ; et : « Væ qui trahitis iniqu tatem in funiculis vanitatis, et quasi vinculum plaustri peccatum, » *Isaiæ* v, 18. Vide ibi dicta. Hoc est quod ait Auctor lib. *De vera et falsa pœnitentia*, tom. IV operum S. Augustini, cap. XIV : « Offendens, ait, in uno fit omnium reus, quia omnis virtus patitur detrimentum ab uno vitio : nam si quis cadit in avaritiam, largitatem destruit, et etiam castitatem minoravit : amore enim pecuniæ vel violaret castitatem, vel saltem minus amaret. » Hinc rursum unum peccatum remitti nequit nisi remittantur cætera omnia, quia unum remitti nequit nisi infundatur gratia et charitas, quæ tam cæteris omnibus, quam uni soli repugnat. Hinc disce quanta cura et studio quodlibet peccatum evitare, totisque animis virtuti et charitati studere debeamus. Quia, ut ait Nazianzenus in *Carm. ad Virgines* :

> —— Qui parvis obvius ibit,
> Is nunquam præceps scelera in graviora feretur.

Una virtus perfecta adducit cæteras. Nam licet una virtus imperfecta possit esse sine alia, tamen una perfecta cæteras omnes plerumque adducit : virtutes enim in statu perfecto sunt connexæ, ut docet D. Thomas, I II,

Quæst. LXXIII, art. 1, ad 1. Similiter ex adverso unum vitium perfectum adducit cætera ; unde S. Augustinus, *epist.* 29 : « Quanto, ait, quisque gravius leviusque peccarit, tanto in peccato committendo major, quanto in diligendo Deo et proximo minor. Tanto itaque plenior iniquitatis, quanto inanior charitatis. Et tunc perfecti sumus in charitate, quando nihil restat ex infirmitate. » Et anterius ex sententia Stoicorum ita virtutum et vitiorum concatenationem ostendit : « Certe hinc persuadent qui unam virtutem habuerit, habere omnes ; et omnes deesse cui una defuerit, quod prudentia, nec ignava, nec injusta, nec intemperans potest esse : nam si aliquid horum defuerit, prudentia non erit. Porro, si prudentia tunc erit, si et fortis et justa et temperans sit, profecto ubi fuerit, secum habet cæteras. Sic et fortitudo imprudens esse non potest, vel intemperans, vel injusta ; sic temperantia necesse ut prudens, fortis et justa sit ; sic justitia non est nisi prudens, fortis et temperans. Ita ubi est una vera aliqua earum, et aliæ similiter sunt. Ubi autem aliæ desunt, vera illa una non est, etiam si aliquo modo similis esse videatur, etc. Si enim virtus esset, a cæteris virtutibus tanquam inseparabilibus comitibus nunquam relinqueretur. » S. Ambrosius, lib. V *in Luc.* ad illud, *Beati pauperes*, etc. : « Connexæ, ait, sibi sunt concatenatæque virtutes, ut qui unam habeat, plures habere videatur ; et Sanctis una competit virtus, sed ejus quæ fuerit uberior, uberius est præmium.

Seneca, *epist.* 67 : « Nihil invenies rectius recto, non magis quam verius vero, quam temperato temperatius ; omnis in modo est virtus ; modus certa mensura est. Constantia non habet quo procedat, non magis quam fiducia, aut veritas, aut fides. Quid accedere perfecto potest ? nihil. Aut perfectum non erat cui accessit. Ergo ne virtuti quidem ; aut si quid adjici potest, defuit. Crescere posse imperfectæ rei signum est : bonum omne in easdem cadit leges : juncta est privata et publica utilitas. » Idem, *epist.* 68 : « Cum aliquis tormenta fortiter patitur, omnibus virtutibus utitur, fortasse cum una in promptu sit et maxime appareat patientia. Cæterum illic est fortitudo, cujus patientia et perpessio et tolerantia rami sunt. Illic est prudentia, sine qua nullum initur consilium, quæ suadet, quod effugere non possis, quam fortissime ferre. Illic est constantia quæ dejici loco non potest, et propositum nulla vi extorquente dimittit. Illic est individuus ille comitatus virtutum. Quidquid honeste fit, una virtus facit, sed ex consilii sententia. Quod autem ab omnibus virtutibus comprobatur, etiamsi ab una fieri videatur, optabile est. »

Plutarchus, orat. 1 *De Fortuna Alex. Magni* : « Alexander, ait, confirmavit Stoicorum illud decretum : Quidquid agit sapiens, omnibus eum virtutibus agere, unamque virtutem aliquam primas obire partes, reliquas autem socias sibi perficiendæ rei adsciscere. Ita in Alexandro videre licet bellicam virtutem humanitate temperatam, mansuetudinem fortem, liberalitatem in donando rei familiaris rationibus accommodatam, iram placatu facilem, amorem temperantem, remissionem non otiosam, tolerantiam laborum non vacantem solatio. Quis miscuit bello festivitates, quis comessationibus expeditiones, quis obsidionibus et rebus difficillimis gerendis nuptias et hymenæos ? Quis peccantibus se magis infensum, adversas res passis humaniorem præbuit ? Quis pugnantibus gravior, veniam petentibus benignior fuit ? »

Simili modo peccatum unum, nisi illico per pœnitentiam deleatur, illico suo pondere ad aliud et aliud trahit, ac tandem cætera inducit. Est enim uti virtutum, ita et vitiorum catena ac nexus. S. Gregorius, lib. XXXI *Moral.*, cap. XXXI, alias XVII, ait : « Ipsa vitiorum regina superbia, cum devictum plene cor ceperit, mox ipsum septem principalibus vitiis quasi quibusdam ducibus suis devastandum tradit, quos videlicet duces exercitus sequitur, quia ex eis procul dubio importunæ vitiorum multitudines oriuntur. » Et inferius : « Radix quippe cuncti mali superbia est, de qua *Eccle.* X, dicitur : Initium omnis peccati superbia. Primæ autem ejus soboles, nimirum septem principalia vitia, de hac virulenta radice proferuntur. » Vide eumdem, lib. VII *Moral.*, cap. XII, in illud *Job* VI, 18 : « Involutæ sunt semitæ gressuum eorum. »

11. QUI ENIM DIXIT : NON MOECHABERIS, DIXIT ET : NON OCCIDES. — Probat et ostendit eum qui in uno offendit, fieri omnium reum, ex eo quod omnia præcepta sancita sint ab eodem legislatore Deo, cujus proinde auctoritas contemnitur et offenditur, si vel unum transgrediaris, perinde ac si omnia transgredereris. In legislatore ergo uno leges omnes coeunt, suamque habent unitatem, ut si unam violes, omnes violare censearis, eo quod legis integritatem violes, eo modo quo paulo ante exposui (1). Vers. 11

12. SIC LOQUIMINI, ET SIC FACITE. — Concludit Jacobus hortando ut jam dicta faciant, nec personas divitum accipiant, sed legem regalem dilectionis proximorum tam pauperum, quam divitum impleant, memores judicii divini, in quo gravius damnabuntur Christiani qui eam viola- Vers. 12

(1) Scite Salvianus : « Si enim pro arbitrio suo servi dominis obtemperarent, ne in iis quidem in quibus obtemperaverint, obsequuntur. Quando enim servus ex domini sui jussis ea facit tantummodo, quæ vult facere, jam non dominicam voluntatem implet, sed suam. » Cæterum recte monet Pottus, hæc, quæ dicta sunt vers. 10 et 11, non revocanda esse ad metaphysicam subtilitatem, quasi Jacobus omnia peccata paria esse, et eum qui unam violaverit legem, eamdem pœnam ac si omnes violasset, daturum esse contendat ; sed id unum innuere voluisse, ne unius quidem legis transgressionem esse vilipendendam, quia Deum habeat auctorem, cujus auctoritas etiam vel uno præcepto læso admodum violetur.

runt, eo quod ipsi a Christo legem libertatis acceperint, eaque ingrate abusi, imo eam transgressi sint. Sensus ergo est, *primo, q. d.* Quæ hucusque docui, præsertim de acceptione personarum vitanda, et ei opposita dilectione omnium consectanda, nimirum, acceptionem personarum repugnare fidei et religioni Christianæ; ac proinde non licere fideli spernere pauperes, et divites extollere; sed tam circa illos, quam hos implendam esse legem, quæ sancit: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*: hæc, inquam, accipite ut dicta non mea, sed Christi, itaque credite, ac sic loquimini cum de iis sermo incidit, et sic facite fidem et sermonem in opus conferendo, cum res poscit opus. Ad quod stimulum vobis suggero, nimirum memoriam et metum divini judicii, in quo Deus exactam a vobis tam de verbis, quam de factis singulis rationem reposcet; eoque majorem, quo vobis dedit legem Evangelicam, quæ regalis est et perfectæ libertatis, uti jam dixi: hoc enim modo vicissim a Deo diligemini, et misericordiam in ejus judicio consequemini. Ita Beda.

Secundo, Thomas Anglicus hæc restringit ad præceptum dilectionis proximi, quod præcessit, quasi dicat: Loquimini proximis tam benigne, tam affabiliter, tam amanter, ac opera talia dilectionis eis exhibete et facite, ut ipsi sentiant se a vobis diligi, vosque implere dilectionis divinæ mandatum.

Tertio, Fevardentius, *q. d.* Loquimini honesta, Christiana, religiosa, uti decet discipulos Christi; non inhonesta, Gentilitia, mundana: talia enim congruunt carnalibus, Gentilibus et mundanis.

Quarto, generalius Dionysius, et noster Lorinus, *q. d.* In verbis et factis omnibus tam prudenter, honeste et ardenter vos gerite, quasi mox sitis judicandi per legem libertatis, id est Evangelicam, quæ a suis tanta libertate donatis, majorem exigit perfectionem. Unde concinens Jacobo S. Petrus, *epist.* I, cap. IV, vers. 11: « Si quis loquitur, inquit, quasi sermones Dei (quod Jacobus ait, sic loquimini); si quis ministrat, tanquam ex virtute quam administrat Deus (quod Jacobus ait, et sic facite): ut in omnibus honorificetur Deus. » Primus sensus magis genuinus, magisque textui adæquatus videtur.

SICUT PER LEGEM LIBERTATIS (Evangelicam, de qua I, 25) INCIPIENTES JUDICARI. — Græce μέλλοντες κρίνεσθαι, id est *futuri judicari*, hoc est judicandi. Verum μέλλω in Scripturis sæpe idem est quod *incipio*, ut patet *Apoc.* III, 16; *Actor.* III, 3, et cap. XVIII, vers. 14; *Joan.* IV, 47, et alibi, eaque significatio hic est aptior et efficacior, *q. d.* Instat judicium illudque mox inchoandum est: ad illud ergo vos assidue comparate: quare sic facite, et sic loquimini, quasi memores vos brevi judicandos, omniumque dictorum et factorum rationem Christo judici reddituros. Lex enim Evangelica cum sit lex libertatis, non tantum exactam, sed et liberam ac liberalem exigit mandatorum Christi observantiam. Incipit ergo Deus nos judicare illico in hac vita per judicium conscientiæ, quod suum quasi tribunal in mente hominis constituit, ac sæpe per plagas externas, et internas minas quas peccatoribus infligit; proprie vero per judicium particulare, quod anima subit in morte; perficiet vero illud in extremo mundi die, in quo nos judicabit secundum legem libertatis, id est, Evangelicam, non Mosaicam.

Moraliter docet Jacobus nos in omnibus dictis et factis recordari judicis Christi, et judicii divini; illud enim vicinum esse, imo ex nunc incipere. Inspirationes enim et minæ a Deo interius menti immissæ, ac monitiones et reprehensiones Concionatorum, Confessariorum, Superiorum; item adversitates et plagæ a Deo inflictæ, sunt quasi inchoatio judicii extremi mox secuturi. Adde: Vita hæc brevis non est aliud quam cursus ad mortem, mortisque inchoatio et continua persecutio; in morte autem fit judicium animæ particulare, quod est inchoatio, imo compendium et præjudicium certum judicii universalis et extremi. Hoc est quod ait Jacobus, cap. V, vers. 9: « Ecce judex ante januam assistit. » Et S. Paulus Areopagitas impellit ad pœnitentiam metu diei judicii, *Actor.* XVII, 30; æque ac Felicem Præsidem, *Actor.* XXIV, 25. Idem *Hebr.* IX, 27: « Statutum est, ait, hominibus semel mori, post hoc autem judicium. » Rursum judicium hoc inculcat Romanis, cap. II, vers. 5; et Corinthiis indigne communicantibus, I *Cor.* XI, 49; et Thessalonicensibus, *epist.* II, cap. I, vers. 5; et S. Joannes, *epist.* I, cap. IV, vers. 17: « Ut fiduciam habeamus, ait, in die judicii. » S. Judas vers. 13, ex Henoch propheta: « Ecce, ait, venit Dominus in sanctis millibus suis facere judicium contra omnes. » S. Petrus, *epistola* II, cap. III, vers. 10: « Adveniet, ait, dies Domini, ut fur, in quo cœli magno impetu transient, etc. Igitur quales oportet vos esse in sanctis conversationibus et pietatibus, exspectantes et properantes in adventum diei Domini. »

S. Clemens, *epist.* 1, narrat S. Petrum dicere solitum: « Quis peccare poterit, si semper ante oculos suos judicium Dei ponat? » Præclare Climacus, *gradu* 20: «Sicut, ait, qui esurit, recordatur panis; sic qui salvari cupit, non potest non recordari extremum judicium. » Unde illud obversans jugiter menti S. Augustinus ante conversionem, ardorem concupiscentiæ in eo si non extinguebat, certe refrenabat, ne tot tantaque peccaret, ut ipse refert lib. VI *Confess.*, cap. ult. Et S. Hieronymus, epist. *ad Florentium*: « Ego, ait, cunctis peccatorum sordibus inquinatus, diebus ac noctibus opperior cum tremore reddere novissimum quadrantem. » S. Ephrem assidue mente versabat Dei judicium, ideoque in continuo erat timore, compunctione et lacrymis, quibus pleni sunt ejus libri et tractatus omnes. Sapiens ergo est qui hosce sapientes, ac nominatim S. Jacobum

hic secutus, sic loquitur, sic facit omnia sua, sicut in die judicii de iis Deo judici respondere, et exigenti rationem reddere cogitat et destinat, uti sapienter monet S. Gregorius, hom. 1 *in Evang.*: «Illum ergo diem, ait, fratres charissimi, tota intentione cogitate, vitam corrigite, mores mutate, mala tentantia resistendo vincite, perpetrata autem fletibus punite : adventum namque æterni judicis tanto securiores quandoque videbitis, quanto nunc districtionem ejus timendo prævenitis. »

13. JUDICIUM ENIM SINE MISERICORDIA (supple, erit) ILLI QUI NON FECIT MISERICORDIAM. — Hæc apte præcedentibus cohærent. Dixerat enim Jacobus sic nos loqui, sic nos facere debere omnia, ut semper memores judicii divini illud nobis conciliemus, itaque benignum et propitium experiamur. Jam docet modum illud conciliandi, esse misericordiam juxta promissum Christi : « Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur, *Matth.* v, 7. Ex adverso enim qui non facit misericordiam, experietur illud rigidum, « et sine misericordia, » id est immisericors. Sub judicio intellige metonymice ipsam damnationem, quæ judicio divino impiis et immisericordibus infligetur, *Matth.* cap. XXV, 42. Idem docet Christus parabola illa servi immisericordis, cui herus omne debitum decem millium talentorum jam condonatum revocavit, eo quod conservo suo noluisset condonare centum denarios, *Matth.* XVIII, 34. Græce est elegans paronomasia : ἡ γὰρ κρίσις ἀνέλεος τῷ μὴ ποιήσαντι ἔλεος, *q. d.* Immisericors et crudele judicium subibit crudelis et immisericors. Causam dat S. Gregorius, hom. 13 *in Evang.*: « Pensate, ait, fratres, quia conclusit pietas Dei duritiam nostram : non est jam quid homo excusationis inveniat. Deus despicitur et exspectat : contemni se videt, et revocat : injuriam de contemptu suo suscipit, et tamen quandoque revertentibus etiam præmia promittit : ideoque postquam Jacobus dixit misericordiam superexaltare judicium, recte addidit judicium districtum subiturum eum, qui hanc ineffabilem misericordiam non fuerit imitatus.» Qui ergo non facit misericordiam in egenos, excludit a se Dei misericordiam, ait Œcumenius.

SUPEREXALTAT AUTEM MISERICORDIA JUDICIUM. — Potest accipi hic misericordia, vel divina, vel humana. De divina multi cum S. Gregorio jam citato accipiunt, *q. d.* Misericordia Dei superat Dei justitiam et judicium, quia Dei proprium est misereri et parcere. Unde lapso genere humano peccante Adamo, cum judicium vellet omnes punire et damnare, accurrit vicitque misericordia, decernens ut homo redimeretur per Verbi incarnationem et passionem. Licet enim in Deo omnia attributa sint æqualia, ac tanta sit justitia, quanta misericordia, tamen magis ipse utitur et exercet misericordiam, quam justitiam. Nam, ut ait Psaltes, *Psal.* CXLIV, 9, « miserationes ejus (Dei) super omnia opera ejus. » Unde et misericordia Dei impios punit citra condignum, et pios præmiat ultra condignum, ut habet communis Scholasticorum sententia.

Hinc aliqui apud Bedam sic exponunt, *q. d.* Plures per Dei misericordiam salvantur, nimirum qui fecerunt misericordiam, quam per judicium damnentur; plures sunt electi quam reprobi. Hoc in angelis verum est : plures enim steterunt, quam ceciderint; unde *Apoc.* XII, 4, dicitur draco traxisse tantum tertiam partem stellarum, id est angelorum; mystice : nam alius litteralis ejus loci est sensus, uti ibidem dicam.

An plures Christiani damnentur quam salvantur?

In hominibus falsum est. Certum enim est longe majorem hominum partem damnari, si omnes omnino, etiam Gentiles, Saracenos et hæreticos comprehendas. At, si tribus hisce exclusis solos Catholicos accipias, censent nonnulli plures ex eis salvari, non modo parvulos (hi enim omnes pene salvantur, cum omnes pene baptizantur), sed et adultos, eo quod plerique omnes in fine vitæ suscipiant sancta Sacramenta, quibus peccata omnia expiant, itaque expiati in statu gratiæ et salutis decedunt. Favet parabola nuptiarum regni cœlestis, a quibus unus solus ex invitatis exclusus fuit, eo quod non haberet vestem nuptialem, *Matth.* XXII, 12 : ubi unus ille repræsentat totam multitudinem reproborum. Ita ex Silvestro Franciscus Suarez, *De Deo trino et uno*, lib. VI, cap. III.

Respondent alii negative.

Verum ex adverso plures ex Christianis adultis damnari quam salvari, suadere videtur ratio et auctoritas. Ratio, *prima*, quia longe plures fuere damnati tam in statu legis naturæ, utpote in quo omnes perierunt per diluvium, ex quo solus Noe justus cum suis filiis eorumque uxoribus evasit, quam in statu legis Mosaicæ, utpote in quo omnes egressi ex Ægypto, puta sexcenta hominum millia et amplius, ob murmur et peccata perierunt in deserto, tantumque duo, puta Josue et Caleb, ingressi sunt terram promissam; filii autem pereuntium qui ingressi sunt eamdem, non fuere meliores parentibus; multi etiam Christiani iis non sunt meliores. *Secunda*, quia longe major pars Christianorum vivit in statu peccati mortalis : juxta regulam autem S. Augustini, sicut quis vixit, ita et moritur, ut raro qui male vixit, bene moriatur, et vice versa. Dices : Omnes suscipiunt S. Sacramenta in fine vitæ. Respondeo, non omnes : nam multi in præliis, navibus, montibus, pagis, etc., moriuntur sine Sacramentis. Rursum ex iis, qui ea suscipiunt, multi ea male suscipiunt, ac proinde peccata non expiant : multi enim laborant ignorantia crassa articulorum fidei, quos explicite scire et credere tenentur, æque ac Sacramentorum; ac præsertim ignorant efficax propositum abstinendi a peccatis requiri ut quis sit capax absolutionis, et nesciunt quam fortis et constans resolutio animi requiratur ut propositum censeatur esse absolutum et efficax. Alii esto sciant necessaria salutis, tamen

Alii affirmative eorum ratio. Prima.

Secunda.

vivunt incurii suæ salutis, toti intenti colligendis divitiis et dignitatibus, fabricandis domibus, hortis, vineis, etc., ut raro, vel nunquam de Deo et vita æterna, deque conscientia sua cogitent nisi in Paschate, idque idcirco tantum quia coguntur præcepto Ecclesiæ confiteri et communicare; peracto Paschate, illico ad res terrenas redeunt, iisque se immergunt, imo obruunt. Alii irretiti sunt usuris, simoniis, bonis injustis quæ restituere nolunt. Alii habent pellices, vel obscœnis amoribus sunt impliciti, ut iis se expedire nequeant, quia serio se expedire nolunt. Alii fovent lites, rixas et odia immortalia. Denique multi esto sciant propositum efficax requiri ad absolutionem, tamen illud procurare et habere non satagunt, sed habere se simulant, imo sibi ipsis falso persuadent. Est enim propositum hoc serium res ardua, sublimis et difficilis : multi autem nolunt vim sibi adhibere, et ad rem tam arduam totis viribus conniti, præsertim in morbo et articulo mortis, cum ratio, judicium, sensus et vires hominis debilitantur et sopiuntur : unde ex habitu tot annorum in morte formant tale quale solent in Paschate, scilicet superficiale, verbale et inefficax.

Tertia.

Hac enim justa animadversione punitur peccator, ut qui vivens oblitus est Dei, moriens obliviscatur sui, ait S. Gregorius et S. Augustinus, lib. III *De Libero arbitrio*. Illa est pœna peccati justissima, ut qui rectum facere cum posset, nolit, amittat posse cum velit. Porro multos carere hoc serio proposito colligitur ex variis indiciis. *Primum* est, quod hoc propositum obiter semel eliciant in Paschate ad hoc ut confiteantur, quia ad hoc a Pastoribus coguntur : unde hoc propositum magis extortum est et coactum, quam liberum et spontaneum : hinc mox a Paschate et confessione ad suas cupiditates, vitia et scelera redeunt, uti multi redeunt ad eadem post confessionem in periculo mortis peractam, si periculum hoc evadant et revalescant : qui reditus signum est illud propositum fuisse coactum, et metu mortis extortum, non sincerum et serium.

Multis deest propositum serium emendandi se.

Primo.

Secundum, quia multi malos habent habitus inebriandi se, fornicandi, etc., rixandi, pejerandi, maledicendi quos deponere nolunt, aut si volunt, non adhibent remedia ad rem tam inolitam defricandam necessaria. Porro, præ reliquis vitiis passim in hominibus dominantur luxuria et superbia : hæc duo potentissima sunt implentque infernum.

Secundo.

Tertium, quia multi habent principia pessima aut vitiosa, proposito huic directe contraria, in quibus a puero enutriuntur, adolescunt et vivunt, v. g. injuriam tibi et tuis factam talione esse vindicandam : inglorium, vilem et infamem esse qui id non faciat ; duellum si offeratur esse acceptandum, ne honor perdatur ; in conviviis cuilibet ad æquales haustus propinanti esse respondendum, ideoque inebriandum ante omnia consulendum esse statui, proximus, familiæ ; ut statum, honoremque retineas vel augeas, omni modo enitendum ; nec curandas leges Ecclesiæ, vel Dei, si obsistant ; vitam et fortunas tuendas esse præ omnibus, etiam cum dispendio legis Dei ; non esse tolerandas ignominias, calumnias, verbera, sed par pari referendum. Hæc autem dictamina et principia data occasione sæpius actu cogitant, destinant, confirmant, ac nunquam deponunt, ne in confessione quidem, adeo ut, si a Confessario de iis præcise rogentur, respondeant se in iis perstituros : quia ubi agitur de honore, lucro aut commodo, non curant conscientiam, nec Deum, nec infernum. Porro hæc proposita habitualiter, imo virtualiter semper in iis manentia ex diametro repuguant proposito serio cavendi omnia peccata, Deique legibus per omnia obediendi : atque Concionatores sæpe hæc non docent, non explicant, non inculcant, sed communem tramitem explicandi evangelia sequuntur, peccatoribus commendant passionem Christi, misericordiam Dei, largitionem eleemosynarum, et cultum B. Virginis, quod illa sui cultores non sinat perire, nec descendunt ad vitia huic illive loco propria, ut contra ea tonent et fulminent, eaque exstirpent : unde urbes et populi manent in iisdem malis legibus, consuetudinibus, propositis, vitiis, nec ullum, vel exiguum ex concionibus omnibus fructum referunt. Mutent ergo modum concionandi, si Deo, conscientiæ, Ecclesiæ et auditoribus consulere satagunt, ut conscientias feriant, ex iisque omne malum semen, quod in tali loco grassari sciunt, stirpitus evellant.

Tertio.

Quartum, esto aliqui in morte confitentes concipiant verum propositum, tamen post confessionem, si pluribus diebus, ut fit, decumbant, recurrit memoria pristinarum cupiditatum, quæ animum iis se pascere solitum, ad consensum flectunt, ut in pravam cogitationem et delectationem morosam præteritæ et solitæ voluptatis illicitæ consentiat ; præsertim quia dæmon tunc eamdem menti objicere et refricare solet, gravissimeque hominem tentare in ultimo illo duello, adeoque in ipso agone, quo anima e corpore migrat ; permittit enim id dæmoni Deus justo judicio in pœnam scelerum et negligentiæ, qua sani et vegeti cupiditates illas mortificare non curarunt, sed eis indulserunt quasi equus et mulus : quare tunc multi succumbunt et pereunt, cujus rei plura funesta exstant exempla. Vere quidem dixit noster R. P. Franciscus Villanova, uti refert P. Sacchinus, tom. II *Hist. Societ.*, lib. I, n. 131 : « Passio et vitium quod in vita mortificare neglexisti, acriter tentabit te ingruente morte. »

Quarto.

Quintum, virtus, salus et gloria cœlestis est res sublimis et ardua, superans omnes naturæ vires : ex altera parte hominis natura per peccatum corrupta, et plane ad res terrenas depressa est, tamque vivi in ea sunt affectus terreni et cupiditates

Quinto.

opum, honorum; commoditatum, deliciarum, ut vix apprehendat aut capiat res cœlestes, multo minus ad eas se erigat, et totis viribus connitendo assurgat. Esto enim gratia Dei præveniatur, tamen illa perinde se habet in homine lapso, ac medicina in homine infirmo et prostrato, ut illum vix erigere queat; et, si erigat, facile rursum collabatur et corruat. Quare in hac generali naturæ corruptione, facile est cuilibet inter tot occasiones et tentationes carnis, mundi et dæmonis, labi in aliquod peccatum mortale : ex eo autem resurgere per pœnitentiam et propositum efficax, arduum est et perdifficile. Atque hæ sunt duæ causæ, et quasi duo poli, in quibus vertitur hujus quæstionis cardo, puta damnandorum multitudo et salvandorum paucitas. Vera est enim gnome S. Justini apud Damascenum, lib. II *Paralip.* cap. LXXXVII : « Animus ad ea bona quibus excidit, ægre revocari potest; ac rursus ab iis quibus assuevit malis, non facile extrahi potest. » Sane harum rationum momenta et experimenta coegerunt viros sapientes, ac inter eos nostrum Benedictum Justinianum mutare sententiam, ut, cum prius sensisset plures e Christianis salvari, hoc loco sententiam revocet, censeatque plures damnari. Romæ plures audivi idem sentientes, ac inter eos nuper celebris quidam doctor et concionator passim prædicabat, confessiones eorum qui imminente morte confitentur, cum male vixerint, cæteris antea tota vita factis esse deteriores. Quin et S. Augustinus, serm. 57 *De Tempore*. « Nec illud servet, inquit, ut in extremo vitæ suæ tempore, tunc pœnitentiam petat, quando eam agere non possit. Inutilis est enim, dilectissimi, ista persuasio. » Et mox : « Ideo pœnitentia quæ ab infirmo petitur, infirma est. Pœnitentia quæ a moriente tantum petitur, timeo ne ipsa moriatur. Et ideo, dilectissimi, quicumque invenire vult misericordiam Dei, sanus agat pœnitentiam in hoc sæculo, ut sanus esse valeat in futuro. » Idem *hom.* 41 inter 50 : « Agens, inquit, pœnitentiam, et reconciliatus, si securus hinc exit, ego non sum securus. » Causam subdit : « Si vis agere pœnitentiam tunc quando peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa, etc. Ergo tene certum, dimitte incertum. » Idem *De Verbis Domini secundum Lucam*, serm. 24 : « Vivite bene, ne male moriamini. » Eædem rationes idem mihi pene persuadent, ut, licet in nonnullis oppidis, locis, populis bonæ indolis et educationis, ubi scilicet insignes sunt magistri, pastores, confessarii, senatores, gubernatores, qui assidue a puero populum in fide et pietate erudiunt, nutriunt et fovent, plures salvari credam; tamen in multis aliis, ubi hæc desunt, ubi scilicet magna est ignorantia et incuria salutis, atque ubi indoles gentis perversa, prava educatione aut societate nutritur et roboratur, plures damnari quam salvari opiner, aut metuam.

Ex Sacra Scriptura. Accedit auctoritas, *primo*, S. Scripturæ : « Hoc sæculum fecit Deus propter multos, futurum autem propter paucos : sicut terra dat multam materiam ex qua fiant fictilia, paucam vero ex qua fiat aurum et argentum. Multi quidem creati sunt, sed pauci salvantur, » ait lib. IV *Esdræ*, cap. VIII, vers. 1, 2, 3, qui liber etsi non sit canonicus, tamen suam habet auctoritatem. Rursum : « Multi sunt vocati, pauci vero electi, » *Matth.* cap. XX, vers. 16, ubi passim interpretes docent plures Christianos damnari, paucos salvari. Ita Origenes, Euthymius, Beda, Haymo, S. Thomas, Lyranus, Abulensis, Dionysius, Arias Montanus et alii, ac Maldonatus in cap. XXI S. *Matth.* vers. 14, Ludovicus Molina, I *part.*, *Quæst.* XXIII, art. 7. Unus Cajetanus explicans parabolam quinque virginum fatuarum et quinque prudentium, *Matth.* cap. XXV, vers. 3, opinatur numerum salvandorum et damnandorum esse æqualem, totque salvari quot damnari. Insuper clara sunt verba Christi : « Intrate per angustam portam, quia lata porta et spatiosa via est quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta porta et arcta via est quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam ! » *Matth.* cap. VII, vers. 13; scilicet, ut ait Isaias, cap. XXIV, vers. 13 : « Quomodo si paucæ olivæ quæ remanserunt, excutiantur ex olea, et racemi cum fuerit finita vindemia. » Et Michæas, cap. VII, vers. 1 : « Væ mihi, quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ. » S. Anselmus iter faciens incidit in venatores et canes persequentes leporem, qui cum jam pene esset in ore canum, accurrit ad pedes Sancti totus tremens et sudans. Manu eum excepit S. Anselmus, dixitque sociis : « Talis est anima in extremo periculo vitæ, quam canes infernales persequuntur, et devorare contendunt. » Ita habet ejus Vita.

Ex Patribus. Deinde favet huic sententiæ auctoritas Patrum. S. Augustinus, lib. III *Contra Crescon.*, cap. LXVI : « Ipsi, ait, boni verique Christiani, qui per seipsos multi sunt, comparatione malorum falsorumque itidem pauci sunt. Sic multa grana quibus horrea multa complentur, pauca dicimus in comparatione palearum. » S. Chrysostomus, hom. 46 *ad Popul.* : « Multo sunt plures gehennam ingredientes, sed majus est regnum cœlorum. » Idem clarius, *hom.* 40 : « Quot, inquit, putatis esse in hac civitate nostra (Antiochia) qui salvi fiant? Infestum est quod dicturus sum, dicam tamen : Non possunt inveniri in tot millibus centum qui salventur, quin et de his dubito. Quanta enim in juvenibus malitia? quantus in senibus torpor, » etc.?

S. Gregorius, hom. 19 *in Evang.* : « Ad fidem plures veniunt, sed ad cœlestia regna pauci perducuntur. » Idem fuse probat Alfonsus Mendoza, *Quæst.* I *positiva*, « An numerus prædestinatorum superet numerum reproborum? » concl. 4, qui inter cætera depravatos sæculi nostri mores recensens : Adi, inquit, aulas, tribunalia, officinas, nundinas, militiam, fora, naves, currus, etc., et ibi puerorum, adolescentium, virorum, se-

numque corruptissimos mores intuere, perjuria, invidias, detractiones, fraudes, convicia, rixas, obscœnitates, corrupta desideria, superbiam, avaritiam, edacitatem, vinolentiam, etc., profecto mecum senties dicesque : Nemo, aut unus alterve horum est, qui salutis suæ memor ad Deum allquando revertatur, juxta illud *Psalm.* XIII, 1 : « Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in studiis suis. Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum; » et *Michææ,* VII, 2 : « Periit sanctus de terra, et rectus in hominibus non est. » Hæ rationes et hæc sententia magnum cuique de salute injiciunt metum sanctumque timorem, ut juxta Apostolum cum timore et tremore eam operetur, ac proinde conscientiam suam serio indaget ; et si quæ in ea principia et dictamina saluti contraria inveniat, prorsus abneget et evellat, cor et voluntatem a nimio opum et honorum amore abstrahat, cupiditatibus generose resistat, totumque se Domino, Deique legi affigat, malens omnia pati, omnium jacturam facere, et millies mori potius, quam eum offendere, aut ejus gratiam et amicitiam perdere. Cum enim tam multi etiam Christiani damnentur, tam pauci salventur, quis non timeat? quis non inter paucos esse satagat? quis non pericula salutis studiose devitet? quis non eam omni modo assecuret? Unam enim habemus animam, non plures : una perdita, omnes perdimus, idque irrevocabiliter in omnem æternitatem, ut per eam futura sit miserrima urendaque æternis incendiis. Ex adverso, si unam salvas, omnes salvasti, ac in æternum eris felicissimus et gloriosissimus. Hoc cogita, quisquis hæc legis. Vive Deo, vive æternitati.

Misericordia superat judicium, quomodo?

Secundo, alii, ut Damasius, II *Parallel.* cap. XVI, Catharinus et Salmeron hic accipiunt hæc de misericordia humana, ut sit antithesis cum hemistichio præcedenti, *q. d.* Judicium rigidum et sine misericordia erit ei qui non fecit misericordiam : qui autem facit misericordiam, habebit judicium mixtum magna misericordia, adeoque misericordia superabit judicium, ejusque severitatem flectet et molliet. Unde Vatablus vertit, *misericordia non reformidat judicium*; Syrus clare, *exaltati estis per misericordias super judicium.* Misericordes enim impetrant per misericordiam et eleemosynam remissionem, vel mitigationem pœnæ peccatis suis debitæ, et in judicio Dei eis infligendæ; atque si in peccato lethali sint, per eleemosynam disponunt se ad misericordiam, gratiam et justitiam a Deo recipiendam, eamque de congruo merentur et a Deo impetrant : quo fit, ut in judicio ob hoc peccatum non damnandi, sed absolvendi sint. Misericordia ergo superat et elidit rigorem judicii, atque e manu judicis quasi virgam et flagellum extorquet, ut reus eo flagellandus immunis et liber abeat.

Hoc est quod ait Sapiens, *Proverb.* XIV, 21 : « Misericordia et veritas præparant bona. » Et *Ps.* XL, vers. 1 : « Beatus qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala liberabit eum Dominus; » et : « Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur, » *Matth.* V, 7. Denique Christus in die judicii electos omnes, ob exercita opera misericordiæ adjudicabit cœlo, reprobos vero ob ea neglecta inferno, *Matth.* XXV, 34.

Tertio, plenus et adæquatus erit sensus, si primum cum secundo jam dato jungas, et misericordiam hic accipias tam humanam quam divinam, *q. d.* Misericordia hominis misericordis provocat misericordiam Dei, eamque sibi advocatam et patronam adsciscit : utraque autem tam potens et efficax est apud Deum, ut ejus judicio et justitiæ resistat, eamque vincat et elidat. Est prosopopœia. Judicium enim et misericordia finguntur quasi duæ personæ, litigantes apud Deum de homine peccatore et reo : judicium quasi actor eum accusat reumque damnationis agit; defendit et excusat misericordia, impetratque et facit ut absolvatur, liberque abeat.

Visio S. Joannis Eleemosynarii.

Sic visa est S. Joanni Eleemosynario misericordia quasi virgo pulcherrima, splendide vestita et oleagina corona in capite redimita, incitans eum ad eleemosynam, dicendo se esse filiam summi Regis, eique familiarissimam et gratiosissimam, omniaque quæ vellet ab eo obtinere; uti refert Leontius in ejus Vita. Excitans, ait, Joannem a somno, eumque subridenti et læto vultu hilariter intuens, dixit : « Sum prima ex filiabus magni Regis. Si tu me tibi amicam paraveris, potero te ei efficere familiarem. Nulli enim major est apud eum quam mihi fiducia, quoniam ei ut e cœlo descenderet in terram, et carnem acciperet humanam, ego persuasi. » Quocirca Joannes deinceps in pauperes fuit liberalissimus, eosque vocabat dominos suos; causamque dabat : « Nam illi soli, ait, mihi possunt opem ferre, ut a Christi regno non excidam. » Ita explicat S. Augustinus in *Ps.* CXLIII, dicens : « Superponitur misericordia judicio, in quo inventum fuerit opus misericordiæ, etsi habuerit aliquid forte in judicio quo puniatur, tanquam unda misericordiæ peccati ignis extinguitur. » Et S. Hieronymus *ad Nepotianum* : « Non memini me legere, ait, mala morte mortuum, qui libenter opera charitatis exercuit : habet enim multos intercessores, et impossibile est multorum preces non exaudiri, » ut impetrent ei contritionem et pœnitentiam, si sit in peccato mortali, ne in eo decedat et damnetur, juxta illud *Tobiæ,* IV, 11 : « Eleemosyna ab omni peccato a morte liberat, et non patietur animam ire in tenebras. » Ubi vide Serarium et Bellarminum, lib. III *De bonis Oper.*, cap. III.

Jam verba ipsa præcise expendamus et explicemus. « Superexaltat autem misericordia judicium, » hoc est, misericordia exaltat se supra judicium, superat et vincit judicium, ejusque rigidam damnationis sententiam, cui peccator obnoxius est, infringit et abolet, dum facit ut misericordes secundum misericordiam salventur, et non per

judicii rigorem et severitatem damnentur. Interpres noster legisse videtur κατανχᾶται (et sic habent aliqui codices Græci), id est, cervicem erigit, collum attollit contra judicium : αὐχὴν enim Græcis est *cervix* vel *collum* : unde ὑψαυχῶ idem est quod *cervicem attollo, superbio*; et μεγαλαυχεῖ, quod Noster vertit, *magna exaltat*, cap. III, vers. 5. « Superexaltat ergo misericordia judicium, » id est, exaltat se contra judicium, super judicium cervicem attollit, *q. d.* Misericordia est judicii victrix, et quasi judex illud discernit et judicat : habet enim altius tribunal, ut judicii sententiam irritare aut mutare possit, sicut rex et Pontifex irritant aut mutant sententias Cardinalium vel principum. Sicut ergo a Cardinalibus ad Papam, ita a judicio ad misericordiam a misericordibus fit appellatio; adeoque qui in judicio ob peccata stabant capite demisso et pavidi, quasi damnandi, in tribunali misericordiæ ob misericordiam, quam fecerunt, caput erigunt, certamque absolutionis gratiæ et gloriæ sententiam exspectant. Unde noster Mariana sic explicat, *q. d.* « Misericordia judicio superior est. » Et Emmanuel Sa : « Misericordia, ait, superexaltat, scilicet hominem, id est, collocat eum super judicium, hoc est, facit evadere condemnationem. Aliqui legunt superexaltat judicio, id est prævalet judicio, scilicet liberans hominem a condemnatione. » Et Thomas Anglicus : « Misericordia, ait, exaltat judicium, quia major est veluti curia misericordiæ quam justitiæ : sicut licet a minore curia appellare ad majorem, ita a curia justitiæ ad curiam misericordiæ. » Sicut Romæ multi causam quam perdiderunt in signatura justitiæ, impetrant in signatura gratiæ. Quocirca suadet Paulus, *Hebr.* IV, 16, dicens : « Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. » Unde S. Cyrillus, vel potius Clictovæus (hic enim medios octo Cyrilli libros deperditos supplevit), lib. V *in Joan.* cap. XIV : « Supra judicium, ait, exaltatur misericordia, sicut oleum super aquam; » sicut ergo oleum aquæ supernatat, ita misericordia superat judicium.

Porro Græca nunc habent non κατανχᾶται, sed κατακαυχᾶται, quod respondet Hebræo מתהלל *mithallel*, id est, gloriatur misericordia contra judicium, quasi illud superans et in causa triumphans : sicut qui litem vincit, solet gloriari de victoria contra partem adversam. « Gloriatur » ergo, id est, vincit, expugnat, obtundit, hebetat judicium, ait Œcumenius; κατακαυχᾶται enim ponitur pro νικᾷ, per catachresin, quia victoriam comitari solet gloriatio. Rursum gloriatur contra judicium, id est, damnationem, hoc est damnationi quasi superior et victrix insultat. Huic lectioni et sensui aliqui adaptant nostrum *superexaltat*, subaudiendo Græcum κατὰ, id est *contra*, *q. d.* « Superexaltat misericordia judicio, » vel « contra judicium, » id est, ipsa se effert et gloriatur adversus judicium, gloriose se extollit ac superiorem facit judicio. Verum Latinis insolens est subaudire τὸ *contra*. Quocirca Erasmus, Gagneius et alii suspicantur, pro *superexaltat* legendum esse *superexultat*. Sic enim S. Augustinus, *epist.* 29, legit *superexultat judicium*; et *epist.* 89, *superexultat judicio*; ac Beda hic dum sic explicat : « Sicut in judicio dolebit qui non fecit misericordiam, ita qui fecit, remuneratus exultabit atque gaudebit. » Qui enim litem vincit, gloriatur et exultat super judicium, quasi qui illud vicerit, *q. d.* Sicut qui non faciunt misericordiam, damnabuntur a Dei judicio, et ab ipsa ejus misericordia, ita ex adverso qui faciunt misericordiam, non reformidabunt Dei judicium et damnationem, sed ipsi judicio, id est damnationi, morti, gehennæ, peccato et diabolo quasi victores insultabunt, dicentes cum Christo eorumdem triumphatore suoque salvatore : « Absorpta est mors in victoria. Ubi est, mors, victoria tua? ubi est, mors, stimulus tuus? » I *Corinth.* XV, 55. Et illud *Rom.* VIII, 31 : « Si Deus pro nobis, quis contra nos? » Et vers. 33 : « Quis accusabit adversus electos (misericordes) Dei? Deus qui justificat, quis est qui condemnet? »

Hunc sensum poscit antithesis cum hemistichio præcedenti : « Judicium enim sine misericordia ei qui non facit misericordiam; » huic enim opponit : « Superexaltat autem misericordia judicium, » *q. d.* Immisericors judicabitur rigide a judicio, cum non habeat patronam misericordiam quæ eum defendat : misericors autem judicabitur misericorditer et misericordiam consequetur, quia defendet eum misericordia, causamque ejus in judicio aget et peraget, ut vincat et triumphet. Eumdem sensum poscit connexio cum vers. præcedenti : ejus enim dat rationem, ut patet ex vocula rationali *enim*; versu autem præcedenti dixit : « Sic loquimini et sic facite, sicut incipientes per legem libertatis judicari, » *q. d.* Sic loquimini et sic facite, ut locutionis et factorum vestrorum Deo in judicio exactam rationem vos reddituros memineritis. Subdit deinde rationem, dicens : « Judicium enim sine misericordia ei qui non facit misericordiam, » *q. d.* Qui accipit personas divitum, pauperes vero aspernatur, in eosque immisericors est, ac proinde violat legem charitatis : « Diliges proximum tuum sicut teipsum, » quam paulo ante commendavi : hic pariter subibit judicium rigidum sine misericordia; qui vero non accipit personas, sed omnes tam pauperes, quam divites diligit, in eosque misericors est, hic pariter experietur judicium Dei misericors, adeoque misericordia omnem judicii vim metumque superabit et auferet, ac faciet ut misecors non tantum damnationem evadat, sed et præmio gloriaque cœlesti donetur. Hic sensus est verus et genuinus : ex quo discimus quanta sit vis misericordiæ, et quam illa Deo sit grata, quamque illam amplecti et exercere debeamus, si

salvari velimus, cum in ea salus nostra consistat.

Moral. De vi misericordiæ. Tanta enim est vis misericordiæ, ut in judicio exaltare valeat misericordes per pauperes, qui eos recepturi sunt in æterna tabernacula, ait S. Augustinus, lib. XXI *De Civit.*, cap. XXVII; qui et idipsum adumbratum fuisse in arca et propitiatorio scribit *Quæst.* CV *in Exod.* : «In arca, ait, jussa sunt poni lex, et manna, et virga» Aaron; «in lege præcepta sunt, virga potestatem significat, manna gratiam, quia nisi cum gratia non est potestas præcepta faciendi. Verumtamen quia lex a quovis proficiente non ex omni parte completur, propitiatorium est desuper. Ad hoc enim opus est ut propitius sit Deus, et ideo desuper ponitur, quia superexaltat misericordia judicio. Duo vero Cherubini pennis suis obumbrant propitiatorium, id est, honorant velando. Et vultus eorum sunt in propitiatorium, quia misericordiam Domini in quo una spes est, valde commendant.» Pulchre OEcumenius ex vocum analogia quæ est inter ἔλαιον, id est *oleum*, et ἔλεος, id est *misericordiam*, utriusque vim et usum declarat: «Sicut, ait, oleum athletis illitum dat eis elabi, ne ab adversariis teneantur, sic et in universali judicio misericordia nostra erga egenos dabit effugere impetus ac pericula, quæ a dæmonibus accusatoribus nostris imminebunt.» Sicut ergo Sardius lapis pretiosus, sed rubeus et cruentus, ideoque symbolum judicii et vindictæ, hebetatur oleo, teste Plinio, lib. XXXVII, cap. VII : sic judicium Dei hebetatur et refrangitur per misericordiam. Rursum S. Augustinus, *hom.* 39, inter 50 : «Ante foras gehennæ, inquit, stat misericordia, et neminem permittit in carcerem mitti.» Est ergo ipsa domina cœli, terræ et inferni, omniumque claves habet. S. Chrysostomus, hom. 33 *ad Popul.* : «Eleemosyna, inquit, astat tribunali non tantum patrocinans, sed et ipsi judici persuadens, ut reo patrocinium præstet, et pro eo sententiam ferat.» Petrus Chrysologus, *serm.* 42 : «Manducat, ait, Deus panem in cœlo, quem perceperit pauper in terra. Da ergo panem, si Deum debitorem, non judicem vis habere. Misericordiam nescit divinus ignis exurere.» Vide S. Leonem, serm. 5 *De Jejunio*, ubi inter alia præclare ait: «Æquatur plerumque merito, quod distat impendio; quia potest esse par animus ubi impar est census.» Idem, serm. 10 *De Quadrag.* : «Ubi Deus curam misericordiæ invenit, ibi imaginem suæ pietatis agnoscit.» Nazianzenus, orat. 16 *De Cura pauperum* : «Esto, inquit, calamitoso Deus.» Idem, in *Monostichis* : «Eris si beneficus, imitaberis Deum. Fac sis benignus, ut benignum habeas Deum.» Denique «misericordia secundum se est maxima virtutum, ait D. Thomas, II II, *Quæst.* XXX, art. 4; unde et misereri ponitur proprium Deo, et in hoc maxime dicitur ejus omnipotentia manifestari.» Et mox : «Inter omnes virtutes quæ ad proximum pertinent, potissima est misericordia. Nam supplere defectum alterius, est superioris et melioris.» Et S. Ambrosius in illud I *Timoth.* IV, *Pietas ad omnia utilis est* : «Omnis, ait, summa disciplinæ Christianæ in misericordia et pietate est.» Et S. Matthæus, cap. XII, vers. 7 : «Misericordiam, ait, volo et non sacrificium.»

Porro Hugo Cardinalis quatuor alios affert sensus in se veros, sed huic loco incongruos et impertinentes. Hugonis sensus parergi. *Primus* est, *q. d.* Misericordia superponitur rationi et judicio hominis, ipsumque illuminat sicut lucerna candelabrum. *Secundus*, *q. d.* Dei misericordia plus super condignum præmiabit in judicio bonos et misericordes, quam malis et immisericordibus de pœna relaxet et remittat. *Tertius*, *q. d.* Plures salvantur per misericordiam quam per judicium, plures enim decedunt in peccatis venialibus, quæ per misericordiam Dei remittenda sunt; pauciores moriuntur ita puri, ut statim evolent in cœlum. *Quartus*, *q. d.* Misericordia faciet altius graviusque judicium ejus, qui magnam misericordiam consecutus est a Deo, si fuerit immisericors. *Quintus* est Dionysii Carthusiani, *q. d.* Plus placet Deo charitativa miseratio, quam judicialis districtio. Unde oportet ut jura sint in misericordiam prona, et stent magis juramento accusati quam accusantis, ac in dubiis casibus ad misericordiæ partem inclinent, *Sextus* Cajetani, *q. d.* Sicut in statera una lanx pondere aliquo depressa elevat alteram et adversam, ita misericordia elevat judicium, *q. d.* Apud Deum plus ponderis et momenti habet misericordia quam judicium, adeoque ipsa judicii vim extenuat et elevat.

Hi omnes sensus partim detorti sunt, partim accommodatitii, partim symbolici : quare litterales et genuini esse nequeunt.

Mystice, *primo*, Elias Cretensis in *orat.* 10 Nazianzeni, num. 23 : «Misericordia superexaltat judicium,» quia misericordiæ opera, ait, ascendunt ad Deum, et exaltant misericordem; quæ vero in voluptates effunduntur, abscedunt et ad cruciatus transmittunt, puta in gehennam, ubi est sedes judicii et damnationis. Et Dionysius Carthusianus : Misericordia, ait, est altior judicio, quia relucet in beatis in cœlo, judicium vero jacet in damnatis in tartaro. Mystice. Primo.

Secundo, S. Thomas, I *part.*, *Quæst.* XXI, art. 3, ad 2 : «Misericordia superexaltat judicium,» quia «Deus, ait, misericorditer agit, non contra justitiam suam faciendo, sed aliquid super justitiam operando : sicut si alicui, cui debentur centum denarii, aliquis ducentos dét de suo, non facit contra justitiam, sed liberaliter vel misericorditer operatur. Et similiter si aliquis offensam in se commissam remittat : eam enim donat et condonat. Ex quo patet, quod misericordia non tollit justitiam, sed est quædam justitiæ plenitudo, unde dicitur, *Jacobi* II, quod misericordia superexaltat judicium;» sicut opera supererogationis superant mandata, ac consilia Evangelica transcendunt præcepta : misericordia enim sæpe Secundo.

est consilii, judicium vero præcepti apud homines, sed non apud Deum.

Tertio. *Tertio*, Petrus Blesensis, lib. *De Pœnit. et satisfact.*, hanc sententiam applicat correctioni fraternæ, *q. d.* Qui alium corripit, id faciat potius per misericordiam, ostendendo lenitatem, quam per judicium dure increpando; ne et ipsum eadem invadat tentatio, uti docet Apostolus, *Galat.* VI, 1. Vide ibi dicta.

Anagogice. Anagogice, mire exaltabuntur, ideoque mire exultabunt misericordes in judicio, cum a Christo judice cyeneam hanc vocem audient : « Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare,» etc. *Matth.* XXV, 34. Hoc est quod dixit Jacobus, cap. I : « Glorietur autem frater humilis in exaltatione sua. » Et Petrus, *epist.* I, cap. V, vers. 6 : « Ut vox exaltet in tempore visitationis.» Et *Psal.* LXXIV, 11 : « Exaltabuntur cornua justi. » Et : « Cornu ejus exaltabitur in gloria,» *Psalm.* LXXXVIII, 25. Et: « Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.» Et : «Exaltationes Dei in gutture eorum, » *Psalm.* CXLIX, 5. Et : « Transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei, in voce exultationis et confessionis, sonus epulantis,» *Psalm.* XLI, 5. Et : « Vox exultationis et salutis in tabernaculis justorum, » *Psalm.* CXVII, 15. Et : «Lætabuntur coram te sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores capta præda, quando dividunt spolia, » *Isaiæ* IX, 3.

Vers. 14. 14. QUID PRODERIT, FRATRES MEI, SI FIDEM QUIS DICAT SE HABERE, OPERA AUTEM NON HABEAT. — Hæc est tertia pars capitis, in qua contra hæresim tunc exorientem docet, ad salutem non sufficere fidem, sed et requiri opera bona. Ad ea ergo transit S. Jacobus occasione operum misericordiæ, quæ paulo ante commendavit, dicens : « Misericordia autem superexaltat judicium. » Ab iis ergo assurgit quasi a specie ad genus ad quorumlibet bonorum operum necessitatem; simul explicat illud quod dixit cap. I, 22 : «Estote autem factores verbi, et non auditores tantum, » nimirum docendo fidem verbi non sufficere, sed requiri ut verbum in opera conferatur; et illud hoc cap. vers. 8 : « Si tamen legem perficitis regalem secundum Scripturas, Diliges proximum tuum sicut teipsum, bene facitis; » nimirum docendo hanc legem impleri non per nudam fidem, sed per opera charitatis. Insuper explicat « legem libertatis, » quam nominavit vers. 12, puta Evangelicam, nimirum illam non ita Christianos facere liberos, ut omni lege soluti libere facere possint, quidquid lubet, quasi sufficiat fides qua credant in Christum Salvatorem. Hoc enim docebat illo ævo Simon Magus, teste Irenæo, lib. I, cap. XX, et Theodoreto, lib. *Hæretic. fabul.*, et post eum Valentinus, Basilides, Eunomius, Aetius, teste S. Irenæo et Theodoreto locis jam citatis, ac S. Augustino, lib. *De Hæres.*, cap. LIV, et S. Hieronymo, lib. II *Contra Jovinian.* Simonem, ejusque asseclas jam dictos sequuntur nostri hæretici quasi dignum patella operculum, qui docent ad salutem sufficere fidem, qua credas Christum pro te esse mortuum, pro tuis peccatis satisfecisse, tibique meruisse gratiam et gloriam; quare ad salutem non requiri opera bona. Probabat id Simon, uti etiamnum probant nostri hæretici, ex epist. S. Pauli *ad Rom.*, in qua Paulus contra Judæos gloriantes in Mose et operibus legis, ac fidem Christi despicientes, deprimit opera legis, ac fidem Christi extollit. Ut ergo hunc errorem eliderent, S. Petrus, S. Jacobus, S. Joannes scripserunt Epistolas Canonicas, in quibus Pauli mentem explicant, ac impense commendant et exigunt studium bonorum operum, uti diserte affirmat S. Augustinus, lib. *De Fide et operibus*, cap. XIV et XV.

Unde liquet Paulum, dum ait *Rom.* III, 28, nos justificari ex fide sine operibus legis, non adversari Petro, Jacobo et Joanni, qui dicunt nos justificari non ex fide sola, sed et operibus. Paulus enim intelligit opera legis, facta viribus naturæ sine fide et gratia Christi, qualia jactabant Judæi. Petrus vero, Jacobus et Joannes intelligunt opera fidei, puta facta ex fide et gratia Christi, quæ Paulus nomine fidei comprehendit et intellexit. Ita S. Augustinus, lib. LXXXIII, *Quæst.* LXXVI. Paulus, inquit, intelligit opera quæ fidem præcedunt, Jacobus opera quæ fidem sequuntur (1). Porro duplex est justificatio : *prima*, qua homo ex injusto fit justus; *secunda*, qua ex justo fit justior et sanctior; quæ proinde non est aliud quam augmentum justitiæ. Jam opera fidei conferunt primam justitiam dispositive, secundam vero

(1) Et Rosenmullerus : « Hic locus doctrinæ Pauli de peccatorum remissione sine meritis operum, propter Christum solum adipiscenda, minime repugnat, quod facile perspicere potuissent interpretes, si utrumque et Pauli et Jacobi locum diligentius considerassent. Paulus nempe docet, *Rom.* III, *peccata pristina nobis remitti, nosque a Deo recipi in gratiam* (hoc enim apud Paulum est δικαιοῦσθαι) ex mera gratia, antequam operum meritis favorem ejus nobis conciliavissemus. Jacobus autem ostendit fidem, sensu latiori, non esse genuinam, aut vere talem, nisi bona opera consequantur. Ergo Paulus et Jacobus non ejusdem generis homines objurgant, aut edocent. Paulo enim ὁ νόμος est universa lex Judaica, et ii, contra quos disputat, sunt Judæi, qui se solos, exclusis Paganis, ἐξ ἔργων νόμου, propter observationem legis Mosaicæ, δικαιοῦσθαι censent. Distinguenda sunt igitur in tota hac disputatione ἔργα νόμου et ἔργα ἀγαθά. Nam apud Jacobum ἔργα sunt dicta et facta religioni Christianæ consentanea, vers. 8, et ii adversus quos scribebat, erant Christiani, qui fidem a factis divellebant, et nudam fidem sufficere putabant. Agendam autem esse vitam doctrinæ Christianæ consentaneam, si quis frui velit felicitate, id Paulus etiam docet *Rom.* II, 13; VI, et in omnibus epistolis.... Falsa opinio fidem solam prodesse ad salutem, olim valde fuit frequens apud Judæos, qui existimabant omnem Israelitam, qui modo professionem judaismi non abjecisset, partem tandem habiturum in altero sæculo, id est, in vita æterna. Quum eadem sententia apud multos Christianos invaluisset, Jacobus eam refutavit. »

meritorie : justus enim per opera bona meretur augmentum justitiæ; injustus vero per opera spei, timoris, pœnitentiæ disponit se ad primam justitiam, non vero eam meretur de condigno, sed tantum de congruo. Vide Concilium Tridentinum, *sess.* VI.

Nota *primo* : Per fidem S. Jacobus intelligit veram fidem, non umbram fidei, puta inanem cognitionem articulorum fidei, uti exponit et eludit Calvinus : fides enim fidem veram, non umbram fidei significat; et talem habuit Abraham, quem hic citat et urget S. Jacobus, vers. 21. Ita contra Calvinum fidem veram hic intelligit S. Augustinus loco jam citato; Nazianzenus, *orat.* 27; Chrysostomus, hom. 2 *in Gen.*; Cyrillus, lib. X *in Joan.*, cap. XVIII; S. Hieronymus in cap. V *ad Galatas*, sub finem, et alii passim. Hinc patet fidem veram posse esse sine operibus, quod negant hæretici, sed perperam. Quot enim sunt Christiani, qui vere credunt in Christum, et tamen carent operibus bonis, imo abundant malis?

Nota *secundo* : Calvinus cum suis coactus hoc loco et similibus, fatetur opera requiri ad salutem, verum non tanquam causas et merita salutis, sed tantum ut vera fidei veræ signa et indicia. Verum hoc quoque elidit S. Jacobus, dicens vers. 21 : « Abraham pater noster nonne ex operibus justificatus est, offerens Isaac filium super altare? » et : « Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam. Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantum. Similiter et Rahab meretrix nonne ex operibus justificata est, » etc. Quid clarius? Vide Bellarminum, lib. IV *De Justific.*, cap. XVIII et seq.

Opera requiri probatur sex argumentis.

Nota *tertio* : Opera requiri ut fides prosit, probat S. Jacobus sex argumentis. *Primum* est vers. 16 : Sicut pauper non vestitur, nec saturatur verbo, sed opere eleemosynæ, dando scilicet ei panem et vestem : ita pariter animæ nuditas et inopia meritorum non vestitur, nec saturatur fide, sed bonorum operum exercitio. *Secundum*, vers. 17 : Fides sine charitate et opere est sicut corpus sine anima, puta mortua; ergo non tantum inutilis, sed et fœda quasi cadaver. *Tertium*, vers. 18 : Fides non nisi per opera se ostendere et communicare potest : ergo si demas opera, est invisibilis, insensibilis, ac consequenter nulli utilis. *Quartum*, vers. 19 : Fides sine operibus est demoniaca : nam et dæmones credunt et contremiscunt. *Quintum*, vers. 21 : Abraham fuit justificatus non ex fide sola, sed et ex operibus, offerendo scilicet filium suum super altare. Atqui Abraham fuit pater credentium et norma justificandorum et salvandorum. Ergo et hi quasi Abrahæ filii, « justitiam et salutem sperare debent ex operibus, non ex nuda fide. » *Sextum*, vers. 25 : Idipsum patet ex Rahab, quæ ex operibus justificata est, excipiens et protegens exploratores missos a Josue, cap. II, vers. 10.

NUMQUID POTERIT FIDES (sola sine operibus) SALVARE EUM? — *q. d.* Minime. « Salvare, » id est, justificare et beatificare : justitia enim est salus inchoata, beatitudo et gloria est salus consummata. Justitia enim salvat et liberat nos a peccato et diabolo; beatitudo vero a morte, miseriis et inferno.

Præclare S. Gregorius, lib. III in I *Regum*, cap. III : Area, inquit, vacua esse non debet, hoc est, scientia sine bona operatione : ficulnea enim in qua sunt sola folia sine fructu a Christo maledicitur, *Matth.* XXI, 19; ac servus piger, otiosus et deses damnatur a Christo, *Matth.* XXV, 26. S. Fulgentius, lib. II *De Remiss. peccat.*, cap. I : « Vita, ait, bona non veraciter dicitur, quæ perversæ credulitatis vitio depravatur; neque sufficit ad salutem fides recte credentis, si conversatio moribus atque operibus turpatur obscœnis. » S. Bernardus, serm. 51 *in Cantica*, explicans illud : « Fulcite me floribus, stipate me malis, » fidem assimilat flori, opera fructui et pomo. Sicut enim inutilis est flos, qui non excrescit in fructum : ita inutilis est fides, quæ fructum bonorum operum non producit. Diserte vero S. Gregorius, hom. 29 *in Evang.* : « Fortasse, ait, unusquisque apud semetipsum dicat : Ego jam credidi, salvus ero. Verum dicit, si fidem operibus tenet. Vera etenim fides est, quæ in hoc quod verbis dicit, moribus non contradicit. Hinc est enim quod de quibusdam falsis fidelibus Paulus dicit : Qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Hinc Joannes ait : Qui dicit se nosse Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est. Quod cum ita sit, fidei nostræ veritatem in vitæ nostræ consideratione debemus agnoscere. Tunc enim veraciter fideles sumus, si quod verbis promittimus, operibus compleamus. » Diadocus, *De Perfectione spirituali*, cap. XX et XXI : « Fides, inquit, in actione per charitatem posita, magnitudo virtutum est. » S. Isidorus, lib. *De Different. spirit.* in XXX : Fides, ait, sine operibus non prodest, « quia non potest per fidem Deo placere, qui Deum contemnit in opere. »

15. SI AUTEM FRATER, ET (id est *aut*, et sic habent nonnulli codices : hoc enim significat Græcum ἤ) SOROR NUDI SINT. — « Frater, » id est Christianus; « soror, » id est Christiana. Hic enim est frater et soror cognatione, non naturæ et sanguinis, sed Ecclesiæ et fidei, ut dixi *Actor.* I, 15. Est hoc primum argumentum pro necessitate operum, petitum a simili, imo ab exemplo, *q. d.* Sicut si quis dives esurienti diceret : Saturare; nudo : Vestire et calefias; non vero daret panem quo se saturaret, nec vestem qua se vestiret, nihil conferret, nihil prodesset pauperi. Nam, ut ait Valerianus Cemeliensis, *hom.* 7 : « Non pascunt esurientem blanda colloquia, nec vestiunt alienam nuditatem infructuosa consilia; » ita et fides quæ dicit : Credo in Deum et Christum, adeoque credo bona opera facere ad salutem, si eadem non operaretur, nec reipsa exerceret, nihil conferret, nihil Vers. 15

prodesset ad assequendam salutem. Dixi *dives*, qui potest succurrere : nam pauper pauperi magnam dat eleemosynam, si ei commiserationis non effectum, sed affectum ostendat, eique bene precetur. Unde S. Augustinus in *Psalm.* CXXV : « Si corde miserearis, inquit, etiamsi non habeas quod porrigas manu, acceptat Deus eleemosynam tuam. » Et S. Job, cap. XXX, 25 : « Flebam, inquit, super eo qui afflictus erat, et compatiebatur anima mea pauperi. » In quem locum S. Gregorius, lib. XX *Moral.*, cap. XXVI : « Vir sanctus; ait, apud omnipotentem Deum, aliquando majus datum noverat mentis esse quam muneris. Exteriora enim largiens, rem extra semetipsam præbuit; qui autem fletum et compassionem proximo tribuit, ei aliquid etiam de semetipso dedit. Idcirco autem plus compassionem, quam datum dicimus, quia rem quamlibet plerumque dat et qui non compatitur; nunquam autem qui vere compatitur, quod necessarium proximo conspicit, negat. »

Vers. 16. 16. QUÆ NECESSARIA SUNT CORPORI. — Quia corpus eget victu ad sustentationem, veste ad tegendam nuditatem : innuit S. Jacobus Christianos in hac vita tantum quærere debere necessaria vitæ, non vero ambire delicias luxumque vestium. Idem docuit S. Paulus : « Est, ait, quæstus magnus pietas cum sufficientia. Nihil enim intulimus in hunc mundum: haud dubium quod nec auferre quid possumus. Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et in desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, græce φιλαργυρία, id est, « cupido argenti et pecuniæ, » I *Timoth.* VI, 6. Hinc severe S. Basilius, orat. in illud, *Destruam horrea mea*, sub finem : « At tu, ait, nonne spoliator es, qui quæ dispensanda accepisti, propria reputas? Est panis famelici, quem tu tenes; nudi tunica, quam in conclavi conservas; discalceati calceus, qui apud te marcescit; indigentis argentum, quod possides inhumatum. Quocirca injuriam tot pauperibus facis, quot dare valeres. »

Vers. 17. 17. SIC ET FIDES, SI NON HABEAT OPERA, MORTUA EST. — « Quasi non habens animam, ipsam dilectionem, qua vegetetur et moveatur ad opera, » ait S. Bernardus, *epist.* 42. Talis ergo fides est quasi cadaver exanime, ut ait idem, sermone 24 *in Cantica*, et corpus mortuum, quod tamen verum est corpus, sicut fides sine operibus vera est fides, quod falso negat Calvinus, sed elumbis, exanguis, deses, inanis, otiosa et quasi mortua : sic radix dicitur mortua, e qua non germinant frondes, flores et fructus : sic aqua stagnans, quia stat, nec fluit, dicitur mortua, quia caret motu, qui in viventibus est index et effectus vitæ. Sic virtutes dicuntur mortuæ, si desit charitas : hæc enim earum est quasi forma et vita non physica, sed moralis, quia sua præsentia tribuit eis dignitatem et statum virtutis, ac vim merendi, ut homo coram Deo censeatur virtute præditus, justus, amicus, filius, cujus opera digna sint et meritoria vitæ æternæ; alioqui charitatem non esse propriam fidei et virtutum formam nec essentialem, nec accidentalem, sed extrinsecam duntaxat et moralem, patet ex eo, quod fides sit in intellectu, charitas vero et virtutes sint in voluntate; rursum, quod fides in suo genere sit species perfecta, æque ac charitas : charitas tamen fidem aliasque virtutes dirigit ad Deum quasi ad summum bonum ultimumque finem, ideoque eis dignitatem statumque virtutis tribuit. Vide Gregorium de Valentia, II II, disp. 1, Quæst. IV, puncto 3, ac dispens. 3, Quæst. I, puncto 3. Præclare S. Chrysostomus in I *Tim.* V : « Viventes, ait, non eo tantum a mortuis differunt, quod solem et aerem vident, sed eo quod boni aliquid faciunt : nisi enim id adsit viventibus, nihilo defunctis meliores sunt. » Est hoc secundum argumentum, quo probat Jacobus ad fidem, ut salvet, requiri opera.

Ex hoc loco S. Jacobi colligit S. Cyrillus in *Concilio Ephesino*, part. III, cap. XLIII : Sicut fides absque operibus mortua est, ita vicissim opera mortua sunt, si desit vera fides. Rursum : ergo fides habens opera viva est.

Fides otiosa non est fides, quo sensu?

Denique multi Patres asserunt fidem carentem operibus non esse veram fidem, quia scilicet non est fides viva, ardens, perfecta et charitate formata, quæ per dilectionem operatur, ut ait Apostolus, *Galat.* V, 6, sed informis et mortua; et quia fidelis deses ad bona opera, facile labitur in peccata, adeo gravia, ut tandem ipsam fidem amittat fiatque infidelis. *Tertio*, quia fides docet et jubet facere opera bona. Si ergo ea non faciat, fallax videtur et mendax. Ita Didymus hic : « Fides, ait, mortua non est fides, sicut homo mortuus non est homo. » S. Bernardus, serm. 24 *in Cant.* : « Munus, ait, mortuum offers Deo, etc.: bene honoras Deum munere fœtido? bene placas tuæ fidei interfector? » Cyrillus Alexandrinus in cap. IV *Malach.*, n. 43 : « Si quis, ait, post justificationem recidat in peccata, fidem in seipso quasi occidit. » S. Hieronymus in cap. V *ad Galat.* : « Cum dilectio procul abfuerit, fides pariter abscedit. » Cyrillus Hierosolymitanus : « Fides, ait, sine operibus est quasi lampas sine oleo. » Sicut ergo hæc lucere nequit, ita nec illa salvare : hoc enim solum potest fides dilectione ardens. Quare fides bonis operibus alenda est, alioqui emoritur uti lampas ardens deficiente oleo. Unde S. Hieronymus in *Ezech.* cap. III, ait hæreticos propter impuros mores et opera fidem amisisse. Idem Christianis impie viventibus non raro accidere docet S. Gregorius, lib. XXV *Moral.*, cap. X. Symbolice quoque fides otiosa fides non est, quia *fides* dicitur, eo quod *fiat* quod dicitur. Si ergo non fiat quod dicitur, fides non est, si fidei etymon spec-

tes, inquit Thomas Anglicus. Unde et S. Gregorius : « Probatio, ait, dilectionis (consequenter et fidei), exhibitio est operis. » Simili phrasi dicimus homines feros et barbaros non esse homines, sed belluas, hæreticos non esse homines, sed lupos, tyrannos esse tigrides et leones.

MORTUA EST IN SEMETIPSA, — καθ' ἑαυτήν, id est, *secundum seipsam,* hoc est per se sola ac solitaria, quia remota a charitate ejusque operibus : licet enim fides actusque fidei in se sit vivus, tum naturaliter, quia scilicet est actus a vitali potentia, puta intellectu et voluntate vitaliter procedens; tum supernaturaliter, quia scilicet est actus fidei, quæ est virtus supernaturalis et gratia inchoata; gratia enim dat vitam supernaturalem animæ : quatenus tamen charitate, quæ plenam et perfectam vitam supernaturalem tam fidei quam homini tribuit, destituitur, eatenus mortuus dicitur; sicut brachium stupefactum mortuum dicitur, quod ab anima vegetationem et nutritionem, non vero motum et sensationem recipit : mortuum enim est quoad animam sensitivam, vivit vero quoad vegetativam.

Præclare S. Bernardus, sermone 24 *in Cant.* : « Mors fidei, inquit, est separatio charitatis. Credis in Christum? fac Christi opera, ut vivat fides tua. Fidem tuam dilectio animet, probet actio. Non incurvet terrenum opus, quod fides cœlestium erigit. Qui te dicis in Christo manere, debes sicut ipse ambulavit, et tu ambulare. Quod si propriam gloriam quæris, florenti invides, absenti detrahis, reponis lædenti te : hoc Christus non fecit. Confiteris te nosse Deum, factis autem negas. Non recte plane, sed impie linguam Christo, animam dedisti diabolo. » Vita ergo linguaque fidei sunt opera : opera enim loquuntur, ait S. Augustinus, tract. 3 et 6 *in Epist. S. Joannis,* loquuntur, inquam, veram et probam esse fidem, quæ tam proba parit opera. Nam, ut ait Nazianzenus, orat. *In plagam grandinis* : « Præstantior est sapientia quæ factis indicatur, quam quæ verbis splendescit. Intellectus enim bonus (inquit ille) omnibus facientibus eum, non item prædicantibus. »

Fides ergo ἀπράγμων et carens operum praxi, mortua est, quia quando debet operari et idipsum renuit, signum est eam non esse vivam, nec habere animam et vitam charitatis : charitas enim operatur, si est; sin renuit operari, charitas non est, ait S. Gregorius, tum quia vita animæ, puta justitia, charitas et gratia operibus bonis ali, conservari et augeri debet, sicut vita corporis cibo alenda et conservanda est : si enim is desit, fame contabescet et morietur. Ita Tridentinum, *sess.* VI, cap. x. Simili phrasi homo dicitur vivere ex respiratione et halitu, adeoque carens halitu esse mortuus, quia halitus ita comitatur fovetque animam, ut hæc sine illa consistere nequeat; nam refrigerando cor, conservat corpus, animam et vitam. Intellige hæc de adultis, scilicet eos diu non posse vivere vita gratiæ, si bene operari negligant. Nam in parvulis et adultis justificatis, si statim a baptismo, vel justificatione moriantur, patet eos salvari sine operibus. Cum ergo ait Jacobus, fidem sine operibus esse mortuam, intellige fidem quæ renuit operari, cum lex charitatis aut alia opus aliquod jubet et poscit. Ita Cajetanus. Quotidie enim lex divina vel humana non unum, sed plura opera fieri præcipiunt, quæ si quis facere contemnat aut negligat, peccat, itaque amittit Dei gratiam, quæ vita est animæ : quo fit ut fides in eo jam non sit viva, sed mortua. Hoc est quod ait S. Augustinus, lib. *De Cognit. veræ vitæ,* cap. XXXVII : « Hæc fides spe nutritur, sicut corpus cibo reficitur; dilectione animatur, sicut corpus anima vivificatur. » Idem *De Spiritu et Litter.,* cap. XXXII : « Charitas quæ est vita fidei, ipsam non præcedit, sed sequitur. » S. Bernardus, *epist.* 42 : « Mortua fides est quæ non operatur ex dilectione, quasi non habens animam ipsam dilectionem, qua vegetetur et moveatur ad opera. »

18. SED DICET QUIS. — Erasmus putat esse occupationem, quasi Jacobus, ut ostendat nec fidem absque operibus, nec opera sine fide valere, inducat hic duos colloquentes, quorum alter fretus fide negligit opera. Huic dicitur : Tu fidem habes, sit hoc tibi satis. Rursus alter fidens operibus neglecta fide, respondet illi : Et ego opera habeo, mihi satis est. Jacobus autem utriusque sermonem refellit, dicens : Imo neutrum quod alteruter habet, sufficit ad salutem. Sed tu qui fidem tuam jactas, doce factis ipsis tibi fidem esse, quæ certe res otiosa non est : et ego factis ipsis declarabo mihi neutrum deesse. Verum hoc intricatius est, nec trium personarum colloquium hoc in textu reperiri potest. Nam pronomen *ego,* cum ait : « Ego opera habeo, » est idem et ejusdem (non alterius) personæ loquentis, ac mox dicentis : « Ego ostendam tibi ex operibus fidem meam; » ac consequenter tres personæ, triaque eorum dicta hic inveniri nequeunt. Vers. 18

Secundo, Glossa, Hugo et Thomas Anglicus censent hæc irridendo et improperando dici, quasi is qui fidem et opera habet, irrideat eum qui de sola fide se jactat, ex eaque salutem sperat, ut significet talem esse risu et probro dignum, ideoque explodendum. Verum, ut alia taceam, hæc irrisio indigna videtur gravitate Apostolica et modestia S. Jacobi.

Tertio ergo et genuine, est hæc tota sententia et objectio S. Jacobi, qua novo, puta tertio argumento, vel nova argumenti jam allati confirmatione retundit jactantiam ejus, qui sola fide gloriatur : τὸ enim ἀλλά, id est *sed,* est particula non adversantis, sed confirmantis, vel exaggerantis suum dictum, ut sit idem quod *sed sane,* verumtamen, certe, insuper, præterea; vel quippe, quare, quamobrem; vel quinimo, imo, vero : hæc enim omnia significat ἀλλά, et hæc omnia

huic loco congruunt, *q. d.* Sed sane, verumtamen, vel præterea, vel quippe, vel quinimo dicet, id est jure dicere et recte objicere poterit quis ei, qui fidem jactitat et opera negligit (aitque nudis et famelicis : Ite in pace, calefacimini, saturamini) : Tu fidem habes et jactas, at ego fidei adjuncta habeo opera. Ostende ergo mihi fidem tuam sine operibus : certe eam nudam iisque destitutam nunquam mihi ostendes. At ego ex operibus clare tibi ostendam fidem meam, itaque simul ostendam tibi me esse vere fidelem, et e cœtu Ecclesiæ verorumque fidelium, ac pariter ostendam fidem meam non mihi soli, sed et tibi aliisque prodesse vel ad auxilium, vel ad exemplum. Ostensio enim fidei per opera ad hæc duo requiritur in Ecclesia, scilicet, *primo*, ut iis fideles sibi mutuo ostendant suam fidem, itaque coeant et conflent unum cœtum fidelium eumque visibilem. Fideles enim quia homines sunt, non angeli, fidem mentis videre nequeunt : operibus ergo illam ostendere, aliisque spectandam exhibere debent ad hoc, ut se invicem nosse, et ab infidelibus distinguere, ac in unum cœtum convenire et coalescere possint. Quocirca Salvianus, lib. III *De Providentia*, tractans hunc Jacobi locum, ait, «bonos actus esse testes fidei Christianæ.» *Secundo*, ut fides unius non illi soli, sed et cæteris fidelibus prosit, vel eos juvando, vel bonorum morum et virtutum exemplum præbendo. Idcirco enim in Ecclesia, ut habet symbolum, est Sanctorum communio, puta bonorum mutua communicatio, ut in ea singuli aliis sua communicare, eisque prodesse satagant. Jam quid mihi prodest fides quam in corde gerere dicis, si eam in operibus non videam, non sentiam, nec ullum ex ea emolumentum percipiam (1)?

Ostendendi verbum.

Atque utrumque significat τὸ *ostende*. Ostendere enim in Scriptura significat non tantum rem spectandam proponere, sed et rem ipsam exhibere, dare, donare, largiri; ut cum dicimus Deo : «Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.» *Ostende*, id est exhibe et elargire, ut scilicet tua dona, beneficia et opera misericordiæ nobis impertias. Cum ergo ait Jacobus : «Ostende mihi fidem,» exigit non tantum ut illa oculis videnda subjiciatur, sed et reipsa mihi communicetur, mihique commodum et utilitatem aliquam conferat, vel eleemosynas impertiendo, vel adjuvando, vel consulendo, vel aliis quibusque modis. Rursum, *q. d.* Ostende mihi fidem tuam esse vivam, et charitate animatam vivere, non autem esse mortuam et cadaver; vita enim ostenditur ex habitu et motu. Si enim animal se moveat et respiret, vivit; si sit immobile, est mortuum : ita pariter fides ostendit se vivere, si se moveat et agat ad bona opera; sin ab iis quiescat et sit immota, ostendit se esse mortuam.

OSTENDE MIHI FIDEM TUAM SINE OPERIBUS. — Jam contrarie legunt Græca ἐκ τῶν ἔργων, id est *ex operibus* : sed pro ἐκ legendum ἐκτός, id est *sine*; sic enim legit Noster, Syrus et multi Græci : idque exigit antithesis : «Ostende mihi fidem tuam sine operibus, et ego ostendam tibi ex operibus fidem meam,» *q. d.* Tu fidem sine operibus mihi ostendere non poteris, ego vero ex operibus plane tibi ostendam fidem meam. Ita Apostoli, Martyres et Virgines contemnentes opes, honores, delicias, ipsamque vitam, ostendebant se credere vitam futuram, opes, honores et delicias cœlestes. Ideo enim hic paupertatem amplexi sunt, humiliati, afflicti, ut in cœlo ditarentur, exaltarentur et gaudiis æternis affluerent.

Censet Salmeron alludere S. Jacobum ad *Proverb.* XII, 17, ubi pro eo quod Noster vertit, *qui quod novit loquitur, index justitiæ est*; Septuaginta vertunt, ἐπιδεικνυμένην πίστιν ἀπαγγέλλει δίκαιος, id est *demonstratam fidem annuntiat justus*, quasi *demonstratam* idem sit quod operibus demonstrabilem; Symmachus, ἐκφαίνων πίστιν ἀπαγγέλλει δικαιοσύνην, id est *qui patefacit fidem*, puta per opera, *annuntiat justitiam*. Verum fides ibi sumitur pro veritate et fidelitate, *q. d.* Justus patefacit veraciter et fideliter ipsam fidem, id est rei veritatem sibi patefactam et demonstratam. Hoc est enim quod Noster vertit, *qui quod novit loquitur, index justitiæ est*, id est indicat id quod verum et justum est; cui per antithesin de more Sapiens mox opponit : «Qui autem mentitur, testis est fraudulentus.» Si ergo eo alludit S. Jacobus, verbotenus tantum alludit, aut certe mystice et symbolice duntaxat.

Symbolice hæc adaptes hæreticis, eisque dicas : Symboli ce. Ostende mihi fidem tuam novam, imo perfidam, sine operibus divinis, id est miraculis : ego ex iis ostendam tibi fidem meam et orthodoxam. Miracula enim fidei orthodoxæ sunt, ex mortuis suscitare vivos, ex cæcis facere videntes, ex surdis audientes; hæreticæ vero fidei miracula sunt, ex vivis facere mortuos, ex videntibus cæcos, ex audientibus surdos.

Ita Calvinus volens suscitare vivum fingentem se mortuum, eum vere mortuum effecit, uti narrat Bolsecus ejus discipulus in ipsius Vita, cap. XIII. Idem fecisse Cirolam Episcopum Arianum, docet Gregorius Turonensis, lib. II *Hist. Franc.* cap. III.

Sic S. Macarium disputantem cum Eunomiano hæretico provocasse ad miraculum, ut ex operibus quisque ostenderet fidem suam, ideoque mortuum suscitasse; cum Eunomianus diffidens suæ fidei, imo perfidiæ, se subduxisset, narrat Cassianus, *Collat.* XV, cap. III.

(1) Τὸ *sed dicet quis* varie explicant. Præplacet sententia Knappii, loquentem induci alium quempiam, probum et sapientem, qui priorem illum τινά de imaginaria sua fide temere prædicantem refellat. Is igitur illum jam sic affatur : *Tu fidem habes*, pro : *Tu dicis te fidem habere*. Id enim agit ut fidem illi prorsus abjudicet. Deinde hæc subjungit : *Atque ego facta habeo* (quibus tu non studes, teque impune carere posse putas); ut indicet, se talem requirere fidem, quæ cum factis conjuncta sit. Id declarant verba sequentia.

Efficacius arguit eosdem Georgius, dux Saxoniæ : cum enim a Luthero invitaretur ad suam hæresim, respondit, opera Lutheri et Lutheranorum ostendere ipsius fidem non esse a Deo, sed ex diabolo : opera enim quæ fides Lutheri docet et suadet, sunt, violare vota, jejunia, festa, profanare templa et altaria, imagines Sanctorum confringere, S. Sacramenta conculcare, blasphemare beatam Virginem omnesque Sanctos, imo Deum ipsum, quem omnis operis mali auctorem facit. Quando unquam, inquit, facta sunt tot sacrilegia sacerdotum, Religiosorum et Virginum Deo dicatarum, quot sub tuo, o Luthere, Evangelio ? Quando crebriores in principes extitere rebelliones. Quando tot sacrarum ædium expilationes, tot furta et rapinæ visæ sunt ? Quando tot maritis ablatæ sunt uxores aliisque traditæ ? Quando tot fornicationes, adulteria, incestus, etc.?

Vers 19. 19. TU CREDIS QUONIAM UNUS EST DEUS : BENE FACIS : ET DÆMONES CREDUNT ET CONTREMISCUNT. — Est hoc quartum argumentum probans ad fidem justificantem requiri bona opera, quod fides operum expers sit dæmonum, non fidelium et sanctorum. Objicit Calvinus, S. Jacobum per fidem accipere umbram fidei, quia dæmones non habent fidem veram et divinam, sed humanam,

An dæmones habeant fidem ? Respondeo, multi probabiliter censent in dæmonibus et damnatis remanere habitum et actum fidei divinæ ; quia ipsi, exceptis hæreticis, nunquam habuerunt actum infidelitatis, qui ut contrarius fidei, eam expellit, et quia in damnatis remanet character baptismi, qui est quasi nota fidei et fidelium. Ita censent Durandus, in III, dist. XXIII, *Quæst.* IX, art. 2; Alensis, III *part.*, *Quæst.* LXIV, memb. 7, Catharinus et Salmeron hic, Magister sententiarum in III, dist. XXIII, § *Aliud est,* ubi id probat ex Augustino in *Psal.* LXXVII. Idem probabile esse censet Gregorius de Valentia, II II, *Quæst.* V, art. 2, puncto 2, ac magis Justinianus hic, qui idem ascribit S. Augustino, *Enchir.* III, et S. Thomæ, II II, *Quæst.* XVIII, art. 3, ad 2.

Verum verius est dæmonibus et damnatis non remanere fidem, quia Deus eam, uti et cæteras virtutes supernaturales, ab illis aufert ; eo quod hæ virtutes hominem ordinent et dirigant ad salutem et vitam æternam, qua indigni et incapaces sunt damnati. Ita censent S. Thomas, II II, *Quæst.* V, art. 2, quem Thomas Anglicus, Gregorius de Valentia et passim Scholastici sequuntur. Favet S. Dionysius *De Divin. Nom.*, cap. IV, ubi ait naturalia in dæmonibus mansisse integra, periisse vero gratuita : fides enim est unum e gratuitis.

Dico ergo, argumentum Jacobi non peti ab eadem specie et fide, sed peti a pari vel simili, *q. d.* Non est quod jactes te credere Deum cæterosque fidei articulos ; quia etiam dæmones eorum evidentia (unde Plato in *Cratylo,* ait dæmones dici δαημόνας, id est *scientes*) coacti eosdem credunt, sive id faciant fide divina, sive humana : et tamen hæc eorum credulitas nil eis prodest, nisi ad majus tormentum. Pari ergo modo fides tua, etsi divinitus indita, tibi non proderit, nisi ad majorem damnationem, si secundum eam non vixeris, nec bona opera quæ fides facienda dictat, exercueris ; sed cum dæmonibus erit uti fides, ita et sors ac gehenna tua, infra dæmones subsidebis, cum dæmonibus flammaberis : æque enim tua, ac dæmonum fides non est aliud nisi inanis cognitio, imo iners ac socors credulitas, qua credis Deum jussisse, ut hæc et illa facias, quæ tamen facere et operari non vis. Quocirca S. Augustinus, *Enchirid.* VIII, fidem sine operibus vocat dæmoniacam, eamque opponit fidei, quæ per dilectionem operatur. Et S. Anselmus, in cap. V *ad Galat.*, fidem operibus destitutam vocat dæmonum, non Christianorum.

ET CONTREMISCUNT, — φρίσσουσι, id est *exhorrescunt,* quia videlicet tantam Dei judicis et vindicis majestatem, potentiam, severitatem non tantum credunt, sed et reipsa experiuntur ac sentiunt.

20. VIS AUTEM SCIRE, O HOMO INANIS. — Instat Vers. 20. acrius S. Jacobus, quintumque argumentum affert, quo rem conficit, nimirum proponendo Abraham patrem fidei et justitiæ, qui ex operibus, non ex fide sola justificatus est. Inanem vocat hominem, qui inanem jactat fidem, utpote fructuum, id est operum expertem, ideoque inanis et expers est prudentiæ sanæque mentis.

MORTUA EST. — Ita Romana, Græca et Syra : minus ergo recte aliqui legunt *otiosa est.*

21. ABRAHAM PATER NOSTER, — tum secundum Vers. 21. carnem, tum secundum fidem et spiritum. Jacobus enim Judæus loquitur præcipue Judæis, quasi eorum Episcopus. Producit Abrahamum, tum quia ipse fuit pater credentium et exemplar justorum ; tum quia Paulus, *Rom.* IV, 3, produxerat Abrahamum, dixeratque eum per fidem justificatum esse ; unde inferebat Simon Magus, eum sine operibus justificatum esse. Explicat ergo hic Jacobus Paulum, nimirum fidem Abrahæ non fuisse otiosam, sed bonis operibus cumulatam. Ita quoque seipsum explicat Paulus, *Hebr.* XI, 8 et 17, ubi heroica fidei Abrahæ opera recenset et celebrat (1).

(1) « Visus est nonnullis Jacobus contradixisse Paulo, expressis verbis docenti, *Rom.* III, 28, πίστει δικαιοῦσθαι ἄνθρωπον χωρὶς ἔργων νόμου. Nec verisimilitudine caret, vanos homines Paulina illa doctrina abusos fuisse. Sed fac, fuisse inter Christianos, ad quos Jacobus scripsit, qui abuterentur dictis Pauli de δικαιώσει, tum Jacobus non ipsi Paulinæ doctrinæ, sed falsæ cuidam explicationi Paulinæ doctrinæ contradixisse dicendus erit. Paulus nempe adversus *Judaizantes,* qui putabant observatione legis, imprimis Mosaicæ, ex debito quasi se exspectare posse præmia et felicitatem æternam, disputans, dixerat : *Quemque hominem, sive natione sit Judæus, sive Paganus, sola Christi fiducia, nullo suo merito beari,* Rom. III, 23 seq. Ii vero *Christiani,* adversus quos Jacobus disputat, in ea erant persuasione, ut ex ejusdem Apostoli responsione patet, posse aliquem beari πίστει χωρὶς ἔργων (ἀγαθῶν), id est, fide destituta factis ; salutem propter Chri-

OFFERENS ISAAC. — « Offerens, » id est offerre parans, nimirum eum ligans, imponens altari et stringens in eum gladium; sed ab Angelo prohibitus, eum reipsa non obtulit, nec immolavit. « Offerens » ergo in actu destinato et inchoato, non perfecto et consummato. Fuit hic Abrahæ heroicus fidei, fortitudinis, obedientiæ, charitatis et religionis actus, quo Deo jubenti immolare filium, eumque unicum, illico paruit. Unde Sapiens, cap. X, vers. 5, vocat Abraham *in filii misericordia fortem*, quia fortitudine vicit misericordiam. Quare actus Abrahæ immolantis filium longe excellentior fuit actu Jephte, Agamemnonis, Codri, Iphigeniæ, Harmonii, Aristogitonis, Leonidæ, Epaminondæ, L. Bruti, Deciorum, Creontis, Idomenei, et similium, de quibus Cicero, *Tuscul.* 1, et Serarius noster in *Judic.* XI, Quæst. XVII: qui se, vel filios, vel filias immolarunt, aut morti devoverunt, quia id fecerunt vel coacti, ad tuendam patriæ salutem, vel cupidine famæ et gloriæ. Abraham autem libere id fecit, sola Deo obediendi voluntate et zelo impulsus. Adde: Abraham immolavit filium, ex quo Deus promiserat illi posteritatem maximam, ipsumque Christum; credidit ergo, quod Deus filium a se immolatum resuscitaret. Unde Apostolus ait, quod « contra spem » naturæ, « in spem » gratiæ et resurrectionis a Deo promissæ crediderit, *Rom.* IV, 18; « arbitrans quia et a mortuis suscitare potens est Deus, *Hebr.* XI, 19. Vide dicta *Gen.* XII et XXII.

Nota *primo*, cum Beda, Jacobum producere hoc exemplum Abrahæ, ut eo fideles animet ad illud imitandum, ut scilicet in persecutione ingruente suam et suorum vitam Deo in martyrium offerant, multo magis ut eidem in pauperibus bona sua elargiantur, itaque opera charitatis aliarumque virtutum exerceant, et cum fide conjungant.

Nota *secundo*, Abraham jam erat justus: jam enim dictum erat de eo *Gen.* XV, 6: « Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam. » Quod ergo postea, *Gen.* XXII, 10, offerens filium, dicitur hic justificatus, intellige magis, quia scilicet valde in accepta justitia per actum tam heroicum obedientiæ, religionis et charitatis profecit et crevit, ut patet ex eo, quod in præmium tanti actus Deus eum sua benedictione cumulavit, promittendo ei filium Messiam, sive Christum. Ait enim *Gen.* XXII, 16: « Per memetipsum juravi, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi et multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, et velut arenam quæ est in littore maris: possidebit semen tuum portas inimicorum tuorum. Et benedicentur in semine tuo omnes Gentes terræ, quia obedisti voci meæ. »

Ex quibus refelluntur Calvinus et Beza (quod et Calvinistæ Bibliis Vatabli inseruerunt), qui censent S. Jacobum præter fidem opera requirere, non ut causam justificationis, sed ut ejus effectum; quasi opera sint signum duntaxat et ostensio fidei justificantis, quæ, inquiunt, a charitate separari nequit. Ergo τὸ *justificatus est* interpretantur *justus declaratus est*. Sed perperam, quia hæ benedictiones et hæc præmia ex Genesi jam recensita, a Deo non sunt data Abrahæ ob justitiæ declarationem, sed ob insignem ejus virtutem et justitiam, qua offerendo filium eximie Deo placuit, eximiamque ejus gratiam et justitiam consecutus est. Quis enim neget Abraham, cum tanta fide, charitate et obedientia filium suum voluit immolare, magis Deo gratum, ac proinde magis justificatum fuisse? *Secundo*, idem patet ex eo quod subdit Jacobus, Abraham justificatum esse ex operibus, non tantum ex fide. Atqui ex fide non tantum justus declaratus, sed vere justificatus dicitur, ut fatentur hæretici: ergo et ex operibus non tantum justus declaratus, sed et vere justificatus est. *Tertio*, quia subdit Jacobus ex operibus fidem Abrahæ esse consummatam: quia scilicet vere iis consummata est, non autem quia ex eis consummata declarata est: ergo opera afferunt fidei perfectionem et consummationem, quia scilicet merentur augmentum et perfectionem justitiæ. *Quarto*, quia vers. 25 ait, Rahab meretricem ex operibus justificatam, neque enim meretrix declarari potuit justa, sed vere justificata, id est, ex infideli fidelis, et ex meretrice casta justaque facta est. *Quinto*, ita explicat Concilium Tridentinum, *sess.* VI, cap. VIII et X, ac S. Augustinus, lib. *De Fide et Operibus*, cap. XIV, et *Ad Dulcitium*, Quæst. I, et alibi sæpe, ac passim Patres omnesque Doctores orthodoxi.

Abraham ex operibus vere justificatum probatur quinque argumentis.

Moraliter S. Ambrosius, lib. I *De Abraham*, Moralis-

stum obtingere non tantum nullo nostrorum factorum merito, sed etiam ita, ut emendata mente et piis factis nequidem sit opus. Hoc autem Paulo nunquam in mentem venerat. Is enim perspicue docet, *Rom.* VI, VIII, religionis Christianæ hanc esse vim, ut nobis præstet, quod lex Mosis præstare non poterat, ut nos ab infausto pravarum cupiditatum imperio liberet, et in animis nostris desiderium rerum cœlestium, sensus bonos et veræ virtutis studium excitet et alat. Ergo Paulus et Jacobus amice conspirant.

» *Paulus* docet, Christianis non amplius opus esse lege Mosaica, ut consequantur favorem Dei, et meliores reddantur; solam religionem Christianam nobis præstare omnia ad salutem necessaria; hanc felicitatem nobis obtingere nullo nostro merito, ex mera gratia divina.

» *Jacobus* docet, fidem (sive religionis professionem in universum, sive Christi fiduciam nominatim intelligas), πίστιν, quæ careat bonis sensibus et recte factis, non esse veri nominis fidem, sed imaginariam et fictam.

» Uterque, et Paulus et Jacobus, thesin suam exemplo Abrahami illustrat, uterque accommodate ad rem quam tractat; et quod Jacobum attinet, non ille negat, Abrahamum πίστει consecutum esse favorem divinam, sed hoc negat, πίστιν ejus destitutam fuisse factis. Ostendit potius Abrahamus πίστιν suam et fiduciam eo, quod filium de Sara unicum, vinctum imposuit aræ, ut fieri mos victimis, paratus etiam eum mactare, si Deus in jusso perstitisset. Cf. *Hebr.* IX, 17. » Hæc apposite Rosenmullerus.

Per velitationes justorum.

de cap. VIII, docet Deum ad hunc tentationis et perfectionis gradum, ut filium suum immolaret, sensim provexisse Abrahamum per multas prævias probationes et experimenta, sicut duces solent milites per velitationes instruere et formare ad prælium et victoriam. « Et sanctum, ait, Abraham probavit ante, et sic tentavit, ne si ante tentaret quam probasset, gravaret. Probavit eum, cum exire de Charra jussit, et obedientem reperit; probavit cum fidei titulo fretus liberavit nepotem, cum de præda nihil attigit, cum promisit seni filium; et cum esset centum annorum, quamvis Saræ genitalia consideravit emortua, tamen credidit, nec fide hæsitavit; probavit eum sedulitate hospitii. Probatum igitur quasi fortiorem tentandum putavit majoribus, et quibusdam imperiis durioribus, » jubendo immolare filium unigenitum.

Discant Prælati et Superiores a Deo, non subito tentare subditos, nec onerare gravibus præceptis, sed sensim a minoribus eos provehere ad majora. Subdit aliud morale documentum S. Ambrosius: « Et hoc quidem exemplo docemur, quia veris probatur quis, tentatur autem compositis et fictis. Nec enim volebat Deus immolari a patre filium, sed tentabat affectum patris, si Dei præcepta præferret filio, si paternæ pietatis contemplatione vim devotionis inflecteret. » In magnis ergo voluisse sat est, sufficitque Deo affectus. Idem imitentur Prælati.

Vers. 22. 22. VIDES QUONIAM (quod) FIDES COOPERABATUR (Syrus *auxiliata est*) OPERIBUS ILLIUS. — Sicut radix cooperatur ramis, instillando eis succum ad producendum fructus : quod enim radix est in arbore, hoc est fides in serie virtutum et bonorum operum : fides enim est quasi fax ostendens et suadens quid faciendum, quid fugiendum sit, ut gehennam vitemus et cœlum adipiscamur, ac eo ipso ad bona opera capessenda, mala declinanda impellit. « Nam fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium, » *Hebr.* XI, 1. Vide ibi dicta.

ET EX OPERIBUS FIDES CONSUMMATA EST. — Græce τελειώθη, id est, *primo*, perfecta est; *secundo*, finem suum nacta est; *tertio*, victoriam consecuta; *quarto*, coronata et coronam adepta; *quinto*, consecrata est : vide dicta cap. I, vers. 4. Opera ergo tribuunt fidei perfectionem et consummationem, quia tribunt ei meritum vitæ æternæ, item augmentum et perfectionem charitatis, cæterarumque virtutum. Ex earum enim actibus iteratis seseque intendentibus, intenditur perficiturque earumdem habitus. Huc facit quod mystice notat Origenes, homil. 10 *in Gen.*, famulum scilicet Abrahæ, dum jussu domini sui sponsam Isaaco elegit Rebeccam, statim obtulisse ei inaures et armillas, ut aures manusque simul ornatas haberet. Idque mystice explicans : Vult enim, ait, Christus sponsus animam sponsam suam aurea in auribus suscipere fidei verba, et aureos actus in manibus habere.

23. ET SUPPLETA EST SCRIPTURA. — Hugo et Thomas Anglicus legunt, *impleta est* : utrumque significat Græcum ἐπληρώθη. Sensus est, *q. d.* Ne putaremus ex sola fide Abraham et fideles justificari, eo quod de eo Scriptura *Gen.* XV, 6, dicat : « Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam; » ecce tibi alia Scriptura idipsum supplet et implet, addens ad fidem requiri opera; nimirum cum dicit Abraham obtulisse filium, multaque alia heroica virtutum opera edidisse, quibus magis magisque sibi Dei gratiam, justitiam et amicitiam conciliavit. Alii legentes *impleta est*, simpliciter sic explicant, *q. d.* Atque hac ratione impleta est Scriptura, quæ dicit Abraham per fidem justificatum esse : per opera enim impleta et perfecta est fides, et consequenter justitia Abrahæ (1). Verum τὸ *suppleta* exposcit priorem sensum, præsertim quia Jacobus hic urget justificationem fieri ex operibus, non ex fide duntaxat : hic enim est scopus ipsius. Vers. 23

CREDIDIT ABRAHAM DEO, ET REPUTATUM EST ILLI AD JUSTITIAM. — Hæc verba explicui *Gen.* XV, 6. Moraliter Philo, lib. *Quis rer. divin. sit heres*, ait, « difficile esse credere soli Deo, propter cognationem quam habemus cum rebus mortalibus, quæ nobis persuadent ut credamus fidamusque gloriæ, principatui, amicis, sanitati, robori, etc. Has persuasiones eluere, et diffidere creaturæ per se infidissimæ, ac soli Deo fidere, qui solus vere fidus est, res est animi magni cœlestisque, non inescati ullis rebus nostratibus. » Idem, lib. *De Præm. et pœn.* : « Quisquis, ait, Deo credit ex animo, in nulla re creata corruptibilique collocat fiduciam, ne in his quidem quibus sibi maxime placet. » Idem, lib. *De Abraham* : « Solum igitur, ait, certum firmumque bonum est fides qua Deo creditur, vitæ solatium, bonæ spei supplementum, depulsivum calamitatum, felicitatum conciliativum, superstitionis abnegatio, pietatis assertio, prosperitatis hæreditas, profectus in bonis omnibus fultus universorum auctore, qui potest omnia, vult tantum optima. »

Abraham amicus Dei.

ET AMICUS DEI APPELLATUS EST. — II *Paral.* XX, 7, et *Judith* VIII, 22 : « Memores, ait, esse debent, quomodo pater noster Abraham tentatus est, et per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est; » et *Isaiæ* XLI, 8 : « Et tu, Israel, serve meus Jacob, quem elegi semen Abraham amici mei; » ac *Daniel.* III, 35 : « Neque auferas a nobis misericordiam tuam propter Abraham dilectum tuum, et Isaac servum tuum, et Israel sanctum tuum. »

Nota : Licet omnes justi sint et vocentur amici Dei, proprie tamen et quasi antonomastice hic titulus et epithethum datur Abrahæ, ut ait Epi-

(1) Alii : Apparuit, verum esse, quod dicit Scriptura, etc.; seu : Veram fuisse πίστιν illam, quæ loco cit. parenti nostro tribuitur, ex factis ejus intellectum est, quum scilicet filium aræ imponere non dubitaret. Hoc igitur eventu confirmatum est præconium ejus fidei.

phanius, *hæres.* 78, quia mira Dei cum Abraham fuit familiaritas et amicitia, ut patet in *Gen.*, a cap. XII usque ad XXV. Hinc et ei quasi singulari suo amico secreta sua revelavit Deus, uti excidium Sodomæ et Pentapolis. « Numquid, ait, celare potero Abraham (Septuaginta addunt *amicum meum*) quæ gesturus sum? » *Gen.* XVIII, 17. Vere Philo, lib. in illud, *Resipuit Noe*: « Cuicumque, ait, hæc sors contigerit ut amicus Dei sit, is humanæ felicitatis terminos transcendit. »

Ratio hujus amicitiæ fuit, *prima*, quod Abraham Deum mire amans et colens, eum vocantem secutus, ex patria exierit in Chanaan, ibique quasi peregrinus, sed civis cœli et domesticus Dei vixerit. **Secunda.** *Secunda*, quod Dei voluntati in omnibus se conformarit. Ita S. Augustinus, serm. 46 *De Temp.*, cap. IV. Vera enim amicitia est idem velle et idem nolle, ait Aristoteles. **Tertia.** *Tertia*, quod ardua et heroica virtutum opera ediderit, et in tentatione valida fidelis Deo et constans permanserit, ut ait Judith verbis paulo ante citatis. Nam, uti ait Seneca, lib. I *De Provid.*: « Bonum virum Deus in deliciis non habet; » sed miris modis **Quarta.** probat, purgat et exagitat. *Quarta*, quod Deo fuerit similis: sicut enim Deus immolavit Filium pro salute mundi, sic et Abraham immolavit Isaac; qui typus erat Christi, uti Abraham Dei Patris. Similitudo autem est illex amoris et amicitiæ, teste **Quinta.** Aristotele. *Quinta*, quia Abraham in omnes fuit beneficus et liberalis. Id autem mire Deo placet, eique nos facit persimiles: Deus enim in omnes beneficentissimus est. Titus Imperator cum vesperi recordaretur, se eo die nulli beneficium contulisse, exclamavit: « Amici, diem perdidi. » Quod recitans S. Hieronymus in cap. VI *ad Galat.*: « Et nos, ait, non putamus perire nobis horam, diem, momentum, tempus, ætatem, cum otiosum verbum loquimur, pro quo reddituri sumus ra- **Sexta.** tionem in die judicii? » *Sexta*, quia conversatio ejus erat in cœlis cum Deo et angelis; unde mente, lingua et moribus non tam terrestris erat, quam **Septima.** cœlestis et divinus. *Septima*, quia Dei fidem, cultum et gloriam docendo, orando, sacrificando, ideoque ædificando altaria per totam Chananæam propagavit. Rursus, eadem imbuit totam suam familiam et posteritatem amplissimam, quæ Abrahami patriarchæ disciplinam secuta in Dei religione constans et firma stetit per annos bis mille **Octava.** usque ad Christum. *Octava*, quia insigni fuit in rebus omnibus et eventibus animi moderatione et æquitate; qua uti præcellit Deus, ita ea præditos quasi amicos diligit. Hanc in Scipione Africano celebrat Seneca, *epist.* 87: « Animam ejus, ait, in cœlum, ex quo erat, rediisse mihi persuadeo, non quia magnos exercitus duxit, hoc enim et Cambyses furiosus et furore feliciter usus habuit, sed ob egregiam ejus moderationem. »

Iisdem de causis, S. Joannes, quasi alter Abraham novæ legis, vocatur « discipulus ille quem diligebat Jesus, » *Joan.* XIII, 23. Quin et Apostoli omnes a Christo amici vocantur: « Vos autem, ait, dixi amicos; quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis, » *Joan.* XV, 15. Sic et cæteri Christiani non tantum amici, sed et filii Dei nuncupantur, de quibus S. Joannes quasi admirans ait, *epist.* I, cap. III, vers. 1: « Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus. » Eosdem prævidens in spiritu Psaltes exultans canebat: « Mihi autem nimis honorati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum, » *Psal.* CXXXVIII, 17; et Sponsa *Cant.* V, 10: « Dilectus meus, ait, candidus et rubicundus, electus ex millibus; » et vers. 16: « Totus desiderabilis: talis est dilectus meus, et ipse est amicus meus. » Porro hominum, etiam principum, amicitia infida est, fragilis, caduca, inutilis et sæpe noxia, non tantum corpori, sed et animæ extremam perniciem affert: Dei vero amicitia fida est, stabilis, secura, utilis, salutemque et corpori et animæ, tam præsentem quam æternam conciliat. Quocirca sapienter Aulicus iste apud S. Augustinum, lib. VIII *Confess.* cap. VI, lecta Vita S. Antonii, ad socium conversus: « Dic quæso te, ait, omnibus laboribus nostris quo ambimus pervenire? quid quærimus? cujus rei causa militamus? Majorne esse poterit spes nostra in palatio, quam ut amici Imperatoris simus? Et ibi quid non fragile plenumque periculis? Et per quot pericula pervenitur ad grandius periculum? Et quandiu istud erit? Amicus autem Dei si voluero, ecce nunc fio. » Voluit, et factus est. Porro, inter Deum et justum non est amicitia rigida, quæ solum est inter æquales: Deus enim in immensum superat omnes homines, angelos et creaturas; sed qualis esse potest et solet inter principem et subditum, inter patrem et filium, inter Creatorem et creaturam, quæ tota summa dignatione et benevolentia Creatoris nititur, in eaque fundatur et consistit. Et hoc sensu accipe illud S. Hieronymi, in cap. VII *Michææ*: « Amicitia pares aut accipit, aut facit; » pares scilicet in officiis amicitiæ.

25. RAHAB MERETRIX. — Chaldæi, Lyranus, Abulensis, Pagninus, Arias pro *meretrix* vertunt, *cauponam* vel *hospitam*. Hebr. enim זונה *zona* et cauponam et meretricem significat: utrumque hic congruit, quia non raro hospitæ dum marito carent, tam se quam sua prostituunt. Porro Rahab meretricem fuisse ex Clemente Romano, Origene, Irenæo, Nazianzeno, Ephrem, Chrysostomo, Theodoreto, Ambrosio, Augustino, Hieronymo et aliis docet noster Serarius *in Josue*, cap. II, Quæst. III et seq. Unde exemplo Rahab conversæ ad fidem et castitatem, æque ac S. Magdalenæ, S. Ephrem tomo I, serm. 2 *De Pœnit.*, invitat peccatores omnes ad pœnitentiam. Idem facit S. Chrysostomus, hom. 5 *De Pœnitentia*, ubi de Rahab ait: « Erat in fornice velut in volutabro confusa margarita, aurum in luto abjectum, flos spinis confossus, religiosa anima reclusa

Vers. 25. Rahab meretrix et hospita.

impietatis loco,» quia scilicet talis erat non actu, sed in Dei præscientia et prædestinatione. Unde et Rahab hebraice idem est quod *robur*, vel *latitudo*. Origenes, hom. 3 *in Josue*, eam vocat Prophetidem. Cyrillus Hierosolymitanus, *catech.* 2, ait eam salvatam; quin et S. Paulus, *Hebr.* XI, 31, eam in catalogo Sanctorum veteris Testamenti collocat, et ab insigni fide commendat : « Fide, ait, Rahab meretrix non periit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace, » *q. d.* Cum omnes cives Jerichuntis increduli persisterent, nollentque se dedere Hebræis, quibus Deus urbem totamque Chananæam dono dederat, perierunt et ab Hebræis occisi sunt; sola Rahab credens, et Hebræis dedens se et patriam, salvata est.

Moraliter S. Ambrosius, lib. III, *epist.* 25, sub finem : « Hospitalitatem, ait, diligite, per quam S. Abraham invenit gratiam, Christum hospitio suscepit, filium Sara meruit effœta jam senectute, Lot quoque Sodomitani excidii evasit ignem : et tu potes suscipere angelos, si advenientibus hospitium tuum offeras. Quid de Rahab dicam, quæ hoc munere invenit salutem?»

Opera bona Rahab. Primum.

NONNE EX OPERIBUS JUSTIFICATA EST? — Opera fidei Rahab fuere illustria. *Primo*, insignis fuit ejus hospitalitas, quæ exteros et ignotos exploratores Jerichuntis, patriæ licet hostes, hospitio excepit, abscondit, servavit, eo quod divino instinctu intellexisset Deum velle civitatem Hebræis tradi. Quare fallitur Abulensis in *Josue* I, Quæst. XL et XLI, ubi ait Rahab sine peccato potuisse exploratores prodere, vel occidere; Deo enim ejusque voluntati cognitæ repugnare non poterat.

Secundum.

Secundo, fuit in ea amor ingens Dei, quo vicit amorem patriæ, adeoque illo patriam Hebræis prodidit et perdidit : amor autem patriæ in cive vehemens est, amorique patris et matris præponitur, ait Plato in *Critone*. Ita pro patria morti se devoverunt Codrus, rex Athenarum; Curtius, Decii, Brutus, Thrasybulus, Themistocles et alii, quos mire celebrat Valerius Maximus, lib. V,

Tertium.

cap. VI, et Cicero, *Tuscul.* I. *Tertio*, enituit in ea fortitudo ingens, qua se suasque fortunas, et totam familiam extremo discrimini objecit pro Deo ejusque populo. Nam, ut ait S. Ambrosius, in *Psal.* XXXVII : « Animam suam non solum contemptu omnium quæ habebat, sed etiam vitæ periculis putavit esse redimendam, quæ exploratores Jesu Nave civibus suis quærentibus denegavit, et hostes patriæ, legatos tamen fidei, maluit occultare quam prodere. Non eam minæ civium, non bellorum pericula, non incendia patriæ, non suorum discrimina terruerunt. Disce vir, disce Christiane, quomodo verum Jesum sequi debeas, quando femina contempsit omnia sua, et Jesum in figura propter similitudinem nominis est secuta. »

Quocirca R. Simeon et R. Johai apud Masium in *Josue* II, pag. 16, asserunt tantam fuisse fidem Rahab, adeoque Deo acceptam, ut etiamsi ducentos habuisset consanguineos et ducentas exteras familias eis affinitate conjunctas, omnes illæ ob Rahab salvandæ fuissent.

Hinc nota *primo*, Rahab justificatam esse asserit hic S. Jacobus et S. Paulus, *Hebr.* cap. XI, vers. 31, ex communi Synagogæ et Judæorum consensu, atque ex fide ejus tam generosa, qua et vitam suaque omnia pro populo Dei evidenti exposuit periculo, ac ex idololatra et Chananæa facta est fidelis et proselyta, adeoque in veram Dei religionem, Ecclesiam et judaismum transiit : unde et nupsit Salmon, principi tribus Juda, ex quo descendit Christus. Salmon enim ex Rahab genuit Boos, hic Obed, hic Jesse, hic Davidem, *Matth.* I, 5. Quare meruit esse genitrix et avia Davidis, Salomonis, ipsiusque Christi. Addunt Rabbini (penes quos sit fides), Rahab sua fide promeruisse ut ex ejus stirpe procrearentur Prophetæ et sacerdotes, Jeremias, Helcias, Sarias, Maasias, Barachias, Hanameel, Sellum, Ezechiel et Huldam.

Rahab quando justificata?

Nota *secundo*, Rahab ante adventum exploratorum audiens prodigia, quæ Deus pro Hebræis fecerat in Ægypto, et in transitu maris Rubri, Dei instinctu in eum credidit, dicens : « Dominus Deus vester ipse est Deus, in cœlo sursum et in terra deorsum, » *Josue* II, 11. Sed problema est, an antequam exciperet exploratores, fidem contritione et charitate perfectam habuerit, ideoque justificata sit; an vero post eorum adventum e colloquium eam conceperit, ita ut eos excipiendo non sit primo justificata, sed jam justa facta sit justior et sanctior. Utrumlibet est probabile et graves habet auctores; fuisse justificatam ante eorum adventum videtur indicare narratio historica, *Josue* II. Non fuisse justificatam, suadet quod hic, et a S. Paulo, *Hebr.* cap. XI, 31, vocetur meretrix, quæ, ut ait Ambrosius in *Psalm.* XL, « perfidiæ et intemperantiæ se alebat stipendiis; tamen ubi exploratores vidit, quos miserat Jesus Nave, fidem induit et periculo imminente justitiam servavit. » *Secundo*, quia non potuit velle mutare gentilismum in veram religionem et judaismum, nisi visis et auditis exploratoribus Judæis, ab eisque de judaismo edocta; atqui debuit mutare gentilismum in cultum et religionem veri Dei Hebræorum, antequam justificari posset : ergo debuit prius eos audire et ab eis edoceri. Quare multa inter eam et exploratores colloquia de Deo, et Hebræorum religione eorumque portentis intercessisse non est dubium, licet ea sileantur *Josue* cap. II. Hoc si verum est, sequitur Rahab post et per adventum exploratorum fuisse plene ad Deum conversam, primoque justificatam; quam justitiam deinde auxit abscondendo et dimittendo exploratores. Quocirca S. Jacobus agit tam de prima, quam secunda ejus justificatione, puta de augmento justitiæ.

SUSCIPIENS NUNTIOS, — duos exploratores in Jericho missos a Josue. Hebræi nonnulli tradunt hos duos fuisse Caleb et Phinees, filium Eleazari.

quem aliqui censent fuisse angelum, vel instar angeli, qui cum vellet videretur, cum nollet absconderetur; ac proinde cum Rahab eum vellet abscondere, respondisse : Ego sacerdos sum; sacerdotes vero, quippe angelorum similes, si volunt, aspectabiles sunt; si nolunt, non cernuntur : itaque Rahab abscondisse tantum Caleb, non Phinees. Sed hoc Rabbinicam olet fabulam et repugnat versioni Latinæ *Josue*, II, 4, ubi uterque a Rahab absconditus dicitur.

Vers. 26. Virtus non in verbis, sed in opere sita.

26. SICUT ENIM CORPUS SINE SPIRITU (id est halitu vitali, qui index et fomes est animæ, ac vitæ indicium) MORTUUM EST, ITA ET FIDES SINE OPERIBUS MORTUA EST. — Hinc patet errare eos, qui virtutem in verbis, non rebus ponunt, de quibus Plutarchus, lib. *De Superstitione*, et Horatius : « Virtutem, inquit, verba putas, ut lucum ligna. » Ex adverso enim Paulus, I *Cor.* IV, 20 : « Non in sermone, ait, est regnum Dei, sed in virtute.» Philo, lib. *De Migrat. Abraham* : « Verba, inquit, Dei, opera sunt sapientis : quod enim Deus loquitur, hoc sapiens operatur. » S. Ambrosius, in *Psal.* XLIII : « Virtus, ait, non verbis et in voce, aut simulatione, sed in re ac in manibus et operibus consistit. » S. Ephrem, lib. *De Vita spirituali* : « Considera, ait, utrum habeas opera fidei congruentia. Nam si dicendi tantum et audiendi studiosus es, illud in te jacietur : Fides sine operibus mortua est. »

Hinc Christus, ut necessitatem operum nobis commendaret, « in vita passiva habuit actionem, et in morte passionem activam sustinuit, dum salutem operatur in medio terræ,» ait Bernardus, serm. *feriæ 4 Hebd. pœnosæ*; quia, ut idem inquit serm. *De obedientia, patientia et sapientia*, Christus dum operabatur, simul patiebatur, et dum patiebatur, simul operabatur; ut utrumque nos ambire et jungere doceret. Idem, serm. *De resurr.*: « Fidem, ait, veram opera testantur. Sicut enim corporis hujus vitam in motu suo dignoscimus, ita et fidei vitam ex operibus bonis. Itaque vita quidem corporis est anima, per quam movetur et sentit : vita vero fidei charitas, quia per illam operatur; unde et refrigescente charitate fides moritur, sicut corpus, anima recedente. Tu ergo si videris hominem in bonis operibus strenuum vivere, in eo fidem esse non dubites, tenens fidei illius argumenta.» Hoc est quod ait Paulus, *Ephes.* II, 10 : « Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, » id est, ad opera bona peragenda et accumulanda, « quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus, » *q. d.* Idcirco Christus nos fecit Christianos tantaque gratia donavit, ut ea non sit iners et otiosa, sed operosa, ac in opera bona studiose conferatur.

Moraliter, fidei sex dotes.

Moraliter, Thomas Anglicus : « Nota, inquit, quod oportet nos habere fidem veram, non fictam, I *Timoth.* I : Finis præcepti, ait, est charitas de corde puro et conscientia bona, et fide non ficta. Certam, non dubiam, cap. I, vers. 6 : Postulet in fide nihil hæsitans; *Matth.* XIV, 31 : Modicæ fidei quare dubitasti? Unam, non divisam, *Ephes.* IV, 5 : Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Vivam, non mortuam, *Habac.* II, 4 : Justus autem in fide sua vivet. Magnam, non parvam, *Matth.* XV, 28 : O mulier, magna est fides tua. Fervidam, non tepidam, *Matth.* XVII, 19 : Si habueritis fidem sicut granum sinapis. Operosam, non otiosam, ut hic : Fides sine operibus otiosa est. Firmam, non infirmam, *Coloss.* II, 5 : Videns vestrum ordinem, et firmamentum ejus quæ Christi est fidei vestræ. Animosam, non timidam, *Ephes.* VI : In omnibus sumentes scutum fidei. Perpetuam, non transitoriam, *Tob.* II, 18 : Filii sanctorum sumus, et vitam illam exspectamus quam Deus daturus est iis, qui fidem suam nunquam mutant ab eo. »

Conciliatio Pauli et Jacobi. Prima.

Ex dictis liquet quomodo conciliandus sit S. Jacobus, dicens nos fide et operibus justificari, cum S. Paulo, qui asserit nos ex fide, non ex operibus justificari. Nam Jacobus per opera intelligit opera fidei; Paulus vero opera legis et naturæ, seclusa fide et gratia Christi, ex quibus nos non justificari manifestum est. Porro Paulus sub fide comprehendit opera fidei, ex iisque nos justificari non negat, imo asserit, æque ac Jacobus. Ut alia taceam, idipsum plurimis exemplis confirmat toto cap. XI *ad Hebræos*, ubi heroica fidei patrum facta enarrat, per quæ ipsi Dei hominumque gratiam et gloriam meruerunt. Unde per anadiplosin concludens, vers. 33 : « Gedeon, inquit, Barac, Samson, Jephte, David, Samuel, etc., per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii, etc., lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt. Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus et speluncis, et in cavernis terræ.» Ita S. Augustinus, lib. *De Fide et Oper.* cap. XIV, qui et lib. LXXXIII, *Quæst.* IX, cap. LXXVI, ait Paulum intelligere opera quæ fidem præcedunt, Jacobum vero opera quæ fidem sequuntur.

Secunda.

Addunt aliqui Paulum loqui de prima justificatione, qua quis ex injusto fit justus; Jacobum de secunda, qua quis ex justo fit justior : sed *Rom.* IV, 3, ostendi tam Paulum quam Jacobum loqui de utraque. Verum tamen est, Jacobum magis loqui de secunda, puta de augmento justitiæ : conatur enim fideles et justos excitare ad studium bonorum operum; Paulum vero magis loqui de prima, qua quis ex impio fit justus. Id liquet ex cap. III *ad Rom.*, vers. 23, ubi sic ait : « Omnes peccaverunt et egent gloria Dei, justificati gratis per gratiam ipsius, etc., propter remissionem præcedentium delictorum; » et cap. IV, vers. 3 : « Credenti, ait, in eum qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam.» Idque

probat ex *Psalm.* XXXI, vers. 1 : « Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. »

Denique Paulus per opera proprie intelligit legalia. Cum enim Judæi censerent se justificari ex circumcisione et cæremoniis lege Mosaica præscriptis, Paulus idipsum confutat, docetque hæc omnia sine fide et gratia Christi esse inefficacia et inutilia ad justitiam et salutem. Idipsum patet *Rom.* III, 28, ubi diserte ait : « Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus legis, » ac subdit : « An Judæorum Deus tantum? » uti Judæi putabant; « nonne et Gentium? imo et Gentium. » Idem liquet ex eo, quod *Rom.* II, III, IV, et epist. *ad Galat.*, cum nominat opera legis, semper affert exemplum circumcisionis, quæ fuit præcipuum opus legale veteris legis. Jacobus vero per opera intelligit Evangelica et Christiana, quæ fiunt ex fide et gratia Christi, ex quibus nos justificari tam Paulus quam fides docet.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hoc capite S. Jacobus a fide transit ad fidei doctrinam, puta ad magisterium; ac contentioni et ambitioni opponit sapientiam humilem et mansuetam. Primo, ergo taxat eos qui officium docendi ambiebant, quorum occasione in linguæ vitia excurrit, aitque linguam esse indomabilem, ignem omnia comburentem, adeoque universitatem iniquitatis. Denique, vers. 13, *docet veram sapientiam discendi et docendi non consistere in contentione et zelo, sed in mansuetudine et pace.*

1. Nolite plures magistri fieri, fratres mei, scientes quoniam majus judicium sumitis. 2. In multis enim offendimus omnes. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir; potest etiam fræno circumducere totum corpus. 3. Si autem equis fræna in ora mittimus ad consentiendum nobis, et omne corpus illorum circumferimus. 4. Ecce et naves cum magnæ sint, et a ventis validis minentur, circumferuntur a modico gubernaculo ubi impetus dirigentis voluerit. 5. Ita et lingua modicum quidem membrum est, et magna exaltat. Ecce quantus ignis quam magnam silvam incendit ! 6. Et lingua ignis est, universitas iniquitatis. Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus et inflammat rotam nativitatis nostræ, inflammata a gehenna. 7. Omnis enim natura bestiarum, et volucrum, et serpentium, et cæterorum domantur, et domita sunt a natura humana. 8. Linguam autem nullus hominum domare potest : inquietum malum : plena veneno mortifero. 9. In ipsa benedicimus Deum et Patrem : et in ipsa maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt. 10. Ex ipso ore procedit benedictio et maledictio. Non oportet, fratres mei, hæc ita fieri. 11. Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem et amaram aquam? 12. Numquid potest, fratres mei, ficus uvas facere, aut vitis ficus? Sic neque salsa dulcem potest facere aquam. 13. Quis sapiens, et disciplinatus inter vos? Ostendat ex bona conversatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ. 14. Quod si zelum amarum habetis, et contentiones sint in cordibus vestris : nolite gloriari, et mendaces esse adversus veritatem. 15. Non est enim ista sapientia desursum descendens : sed terrena, animalis, diabolica. 16. Ubi enim zelus et contentio : ibi inconstantia et omne opus pravum. 17. Quæ autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia et fructibus bonis, non judicans sine simulatione. 18. Fructus autem justitiæ in pace seminatur, facientibus pacem.

Vers. 1. Plures magistri vetantur, qui?

1. NOLITE PLURES FIERI MAGISTRI. — Græce *ne multi doctores fiatis. Magister* Latinis appellatur quilibet præfectus; unde vocatur magister morum, magister equitum, magister navis, magister populi, id est dictator, magister pecoris, id est pastor. Hinc magistrare est regere, indeque nomen magistratus, ait Festus. Unde *primo,* aliqui per magistros accipiunt Episcopos : Episcopus enim est doctor populi, ut ait Apostolus I *Timoth.* III, 2, *q. d.* Nolite plures fieri Episcopi

ejusdem loci et urbis : una enim urbs unum poscit Episcopum, et unus Episcopus unam urbem ; sicut sponsus unam sponsam, et sponsa unum sponsum. Inde enim natæ sunt hæreses et schismata, ait S. Cyprianus, lib. I, epist. 3 *ad Cornelium,* quod plures voluerunt esse Episcopi et Pontifices, ac consequenter « quod uni sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus sacerdos judex vice Christi cogitatur : cui si secundum magisteria divina obtemperaret fraternitas universa, nemo adversus sacerdotum collegium quidquam moveret. » Et Lactantius lib. IV, cap. ult : « Hæresiarchæ, ait, augendis opibus et honoribus studentes, affectabant magnum sacerdotium, et a potioribus victi secedere cum suffragatoribus suis maluerunt, quam eos ferre præpositos, quibus concupierant ipsi ante præponi. » Huc accedit Thomas Anglicus, qui sic exponit, *q. d.* Nemo in pluribus Ecclesiis velit esse magister, pluraque beneficia consequi.

Secundo. *Secundo,* planius et plenius, *q. d.* Nolite plures ambire cathedram doctoralem, scilicet, nolite singuli e pluribus ambire magisterium, fierique magistri fidelium. Per plures enim intelligit singulos e pluribus, per syllepsin, qua uti pro multis ponitur unus, ut *Æneid.* II :

Armato milite complent,

id est, armatis militibus ; ita vicissim pro uno ponuntur multi ut *Æneid.* IX :

Vos, o Calliope, precor, aspirate canenti.

Sed dicit *plures* non singulos, quia plures concurrebant et ambiebant magisterium, uti etiamnum concurrunt et ambiunt, *q. d.* Solent plures aspirare ad magisterium, illudque ambire : veto id fieri, quia pauci ad id a Prælatis Ecclesiæ destinati et auctorati sufficiunt : plures vero si fiant, paucos impediunt, idque *primo,* quia in pluralitate semper est confusio. *Secundo,* quia inter plures facile irrepunt indocti, indiscreti, perversi, scandalosi. Rursum, inter plures levi de causa oritur ambitio et contentio, dum unus alium excellere vel supprimere satagit. *Tertio,* quia plures plura et diversa habent judicia ; unde facile diversa et contraria docebunt, ex quo orientur lites et scandala. *Quarto,* quia inter plures facile inserit se aliquis heterocliti et superbi cerebri, qui solus sapere, ac discipulos post se trahere sataget, ut novæ scholæ, sententiæ et sectæ auctor et princeps habeatur ; itaque hæresim introducet, fietque hæresiarcha. Hæc enim ambitio impulit Simonem, Arium, Pelagium, Calvinum, Lutherum cæterosque Novatores, ad comminiscendum suas hæreses, uti docet Tertullianus, lib. *De Præscript. hæret.* cap. XLI, et S. Justinus, *Quæst.* IV *ad Orthod.* Unde S. Augustinus in prologo lib. I *Retract.* : « Magistri, inquit, tunc plures fieri dicuntur, cum diversa et inter se adversa sentiunt : cum vero idipsum dicunt omnes, et verum dicunt, ab unius veri magistri magisterio non recedunt. Offendunt autem, non cum illi multa dicunt, sed cum addunt sua : sic quippe incidunt ex multiloquio in falsiloquium. »

Occasio id scribendi Jacobo fuit ea quam dat Beda : « Multi, ait, fuere temporibus Apostolorum, qui descendentes de Judæa Antiochiam, non bene eruditi in lege fidei, docebant credentes ex Gentibus debere circumcidi, et alios errores inducebant, de quibus in Actis Apostolicis loquitur Lucas. » Tales fuere Ebion, Cerinthus, Simon et similes, uti dixi *Actor.* XV. Hosce ergo vitandos docet S. Jacobus, æque ac S. Paulus, *Act.* XX, 29 : « Ego scio, ait, quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. Et ex vobis ipsis exurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se, » ut scilicet eorum vocentur magistri.

Alludit S. Jacobus ad illud Christi *Matth.* XXIII, 6, ubi taxans arrogantiam Pharisæorum : « Amant, inquit, primas cathedras in Synagogis, et salutationes in foro, et vocari ab hominibus Rabbi : vos autem nolite vocari Rabbi. Unus est enim magister vester (Christus), omnes autem vos fratres estis, » *q. d.* Ne arrogetis vobis honorem et titulum Rabbi præ Christo, imo excluso Christo, ut faciunt Pharisæi, sed potius quasi discipuli unum magistrum Christum sectamini et nuncupate, ejusque, non vestra dogmata prædicate, non tam quasi magistri, quam quasi Christi discipuli et præcones. Scripsit S. Augustinus lib. *De Magistro,* in quo docet non alium esse magistrum qui docet hominem scientiam, quam Deum ; homines enim exterius tantum admonere, Christum vero interius docere veritatem. Dum enim loquimur et docemus, nos loquendo asserit « nihil aliud agere, quam commonere, cum memoria ; cui verba inhærent, ea revolvendo facit venire in mentem res ipsas, quarum signa sunt verba. » Unde sic concludit : « Ego vero didici admonitione verborum tuorum, nihil aliud verbis quam admoneri hominem, ut discat, et perparum esse quod per locutionem aliquanta cogitatio loquentis apparet. Utrum autem vera dicantur eum docere solum, qui se intus habitare, cum foris loqueretur, admonuit. Quem jam favente ipso tanto ardentius diligam, quanto ero in discendo provectior. » Idem, serm. 122 *De Diversis,* cap. II : « Tutius est ergo ut et nos qui loquimur, et vos qui auditis, sub uno magistro condiscipulos nos esse noverimus : omnino tutius est et hoc expedit, ut nos non tanquam magistros, sed tanquam condiscipulos vestros audiatis. » Hinc hæretici volentes esse magistri, ab uno magistro Christo desciverunt. « Cum enim Phryges aut Novatiani, aut Valentiniani, aut Marcionitæ, aut Anthropiani, seu quilibet alii nominantur, Christiani esse desierunt, qui Christi nomine amisso, humana aut externa vocabula induerunt, » ait Lactantius, lib. IV, cap. ult. Tales fuere qui se superbe Gno-

sticos, id est, scientes omnia, indigitarunt, teste Clemente Alexandrino, lib. I *Pædag.* cap. VI. Itaque Jacobus hic tantum vetat docendi ambitionem, præsertim juvenum et indoctorum, qui prius docere volunt quam discere, et ut sint doctores dedignantur esse discipuli : in quos invehitur S. Hieronymus, epist. *ad Paulinum*, simulque docet tutius esse discere quam docere, juxta illud *Psal.* L, 15 : « Auditui meo dabis gaudium et lætitiam. » Vide quæ contra ambitionem dixi I *Timoth.* III, 1.

S. Jacobus non taxat gradus scholasticos.

Quare inepte hanc Jacobi sententiam hæretici torquent contra Academias, eorumque gradus, quasi Jacobus vetet creari Baccalaureos, Licentiatos, doctores; eos enim non plus prodesse Ecclesiæ quam diabolum, asseruit Wiclef, teste Prateolo; et Andræas Carolstadius ex Doctore factus pistor, cathedræ Wittembergicæ, in qua doctorandi stabant, inscripsit: « Nolite vocari magistri, » quod legens Lutherus dixit, hac Christi et Jacobi sententia non aliud sanciri, quam ne quis novum dogma excogitet et doceat, uti refert Cochlæus in *Gestis Lutheri*. Inepte, inquam. Nam Paulus fuit doctor Gentium, aitque Deum in Ecclesia posuisse doctores *Ephes.* IV, 11, et tales in schola Alexandriæ, fuerunt Clemens, Origenes, Heraclas, Pantenus, Dionysius, Theonas, Achillas, etc., ac similes Parisiis Carolus Magnus instituit, quos secuti sunt Albertus Magnus, Alexander Alensis, S. Thomas, S. Bonaventura, qui et doctoratus insignia susceperunt. Vide Middendorpium, lib. *De Academiis*, et decreta *De magistris* in Synodo Viennensi, Basileensi, Lateranensi et Tridentina. Denique Nazianzenus, orat. 1 *in Julianum*; S. Augustinus, lib. XVIII *De Civit.*, cap. V, et passim veteres taxant Julianum Apostatam, quod vetuerit Christianos docere, ut arma iis eriperet, quibus gentilismum suum destruebant.

Mystice.

Mystice S. Augustinus in *Psal.* CXLIV : « Breve, ait, magisterium est, ut semper laudes Deum, veroque corde non falso dicas : Benedicam Dominum in omni tempore : semper laus ejus in ore meo. Breve mysterium (alias magisterium) est, scilicet ut noveris eum misericorditer dare cum dat, misericorditer auferre cum tollit : nec te credas a misericordia ejus derelinqui, qui tibi aut blanditur dando ne deficias, aut corripit exultantem ne pereas. Sive ergo in ejus donis, sive in ejus flagellis, lauda eum. Laus flagellantis medicina est vulneris. »

SCIENTES QUONIAM GRAVIUS JUDICIUM SUMITIS. — Græce λημψόμεθα, id est, *sumemus*, scilicet nos magistri, *q. d.* Magisterium est λῆμμα, id est, onus et pondus, quod quis imprudenter in humeros assumit, nisi a superiore imponatur. Dat causam cur magisterium potius fugiendum sit, quam ambiendum, quia scilicet magistri apud Christum judicem gravius et severius judicium et condemnationem subibunt, quam discipuli, si arrogantes gloriam captent, aliosque contemnant, aut si mala doceant, vel male vivant : magistri enim discipulis prælucere debent non tantum verbo, sed et exemplo. Unde caute monet S. Augustinus, lib. *De Pastoribus*, cap. X : « Ne lacereris a spinis, id est, ne facta imiteris malorum; lege uvam inter spinas pendentem, sed de vite nascentem. Ad te perveniat botri alimentum, spinis servatur ignis tormentum. » Idem, tractatu 46 *in Joan.* « Botrum carpe, spinam cave : doctrina vera per malos, palmes in sepe : botrum inter spinas caute lege, ne dum quæris fructum, laceres manum, et cum audis bona dicentem, ne imiteris mala facientem. » Auctor Imperfecti apud S. Chrysostomum, *hom.* 43 : « Numquid, inquit, propter terram vilem pretiosum aurum contemnitur? Non : sicut aurum eligitur, et terra relinquitur, sic et vos doctrinam accipite, et mores relinquite. » Et nonnullis interjectis : « Apes, ait, flores colligunt, herbas relinquunt; sic et vos flores doctrinæ colligite, et conversationem relinquite. »

Porro magnum, inquit Hugo, est judicium, si magister sit illitteratus; majus, si immorigeratus; maximum, si deficiens in utroque, quod Sapiens, cap. VI, 6, durissimum asserit fore ei qui præest. Quocirca formidabile est quod scribit S. Chrysostomus, homil. 3 *in Acta* : « Non temere dico, sed ut affectus sum ac sentio : non arbitror inter sacerdotes multos esse qui salvi fiant, sed multo plures qui pereant. Quod alii peccant, sacerdoti imputatur. Si vel unus tantum decedat non initiatus, nonne totam ipsius subvertit salutem? Etenim si unius animæ salus tanti est, ut ob hanc Filius Dei fieret homo, tantaque pateretur, perditio cogita quantam conciliabit pœnam? Quod si quis ob hominem in hac vita perditum morte dignus est, quanto magis ille? »

Recte itaque monet Imperator, lib. *Si quemquam*, cap. *De Episcopis et Clericis* : « Tantum ab ambitu debet esse sepositus, ut quæratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat. Profecto enim indignus est sacerdotio, nisi fuerit ordinatus invitus. »

Vers. 2. Nemo sine peccato.

2. IN MULTIS ENIM OFFENDIMUS (græce πταίομεν, id est, *cadimus*) OMNES, — tum verbo, cum alios docere volumus, de quo proprie hic agitur; tum exemplo, *q. d.* Cum quisque, etiam sibi soli et Deo vivens, in multis offendat, sane imprudenter ambiet quis aliorum magisterium, cum in eo in longe pluribus sit offensurus, de quibus in Dei judicio exactam rationem est redditurus. Audi S. Augustinum, serm. 122 *De Diversis*, cap. II : « Videte, quia sollicitudo nobis imposita est, ubi dicitur : Nolite plures fieri magistri, in multis enim offendimus omnes. Quis non contremiscat cum Apostolus dicat, omnes? etc. Oportet ergo vos esse non solum loquentium auditores, sed timentium miseratores : ut in eo quod verum dicimus, quoniam verum a veritate est, non nos, sed ipsum (verum et veritatem, quæ est ipse Deus) laudetis : ubi autem sicut homines offendimus,

eumdem ipsum pro nobis oretis.» Hoc est quod ait Ecclesiastes, cap. VII, 21 : « Non est homo justus in terra, qui faciat bonum et non peccet ; » et *Proverb.* XXIV, 16 : « Septies enim cadet justus, et resurget. » Unde Clemens Alexandrinus, I *Pædag.*, cap. II : « Nil omnino peccare, inquit, proprium est Dei. » Clare vero S. Joannes, *epist.* I, cap. I, vers. 8 : « Si dixerimus, ait, quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est; » et S. Paulus, I *Cor.* IV, 4 : « Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum. » Unde S. Gregorius, XXIV *Moral.* cap. VII vel XVIII : « Quid ergo, ait, facient tabulæ, si tremunt columnæ ? Aut quomodo virgulta immobilia stabunt, si hujus pavoris turbine etiam cœli quatiuntur ? » Quocirca singulariter ex præcepto Christi quotidie oramus : « Dimitte nobis debita nostra; » idque vere, non ex ficta humilitate, ac in persona propria, non aliena, ut contra Pelagium definit Concilium Milevitanum, *can.* 6.

Itaque de fide est, hominem justum non posse, etiam cum auxilio speciali, quod ordinarie confertur, sine singulari privilegio omnia peccata veniala ad longum tempus evitare. Ita definit Concilium Tridentinum *sess.* IV, can. 23 : « Si quis, ait, hominem semel justificatum dixerit posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia, anathema sit. » Ubi nota *primo*, posse hominem justum carere omni omnino peccato ad tempus, v. g. cum baptizatur, cum de omnibus ex toto corde conteritur et confitetur, cum indulgentiam plenariam consequitur, etc. Sed non potest per omnem vitam, ut volebant Pelagiani, imo nec ad longum tempus se continere ab omni peccato veniali.

Necesse est justum aliquando peccare, unde ?

Ratio est, quia auxilium omne gratiæ quod Deus ordinarie confert, non tollit concupiscentiam, ut patet in S. Paulo, *Rom.* VII, et II *Cor.* XII, 9. Ac proinde non impedit omnes motus rationem prævenientes quibus rapimur in illicita. Motus autem hi concupiscentiæ varii sunt, et pene innumeri, ac dum unum superamus, exurgit et quasi ebullit alius et alius quasi continue. Ubicumque autem sunt tales tantique motus ad peccatum illices, fieri moraliter nequit, ut spectata humana infirmitate aliquando non peccetur venialiter. Nam si vel parum quis negligens in uno fuerit, illico est peccatum veniale, non est autem humanæ industriæ, istam extremam diligentiam et vigilantiam in omnibus animi motibus præstare. Ergo moraliter fieri nequit ut per auxilium speciale ordinarium, quod etiam sanctissimis confertur, homo evitet in tota vita, imo ad unum annum omne peccatum veniale. Minima enim negligentia sufficit ad peccatum veniale, quia non requirit perfectam deliberationem, aut advertentiam. Sic impossibile est, ut quis opus aliquod magnum conscribat vel imprimat, aut navim, domum, templum ædificet; et nullum, ne minimum quidem errorem committat; quia impossibile est ut mens humana ad omnia etiam minima vigil excubet, vigilque consistat. Unde illud : « Quandoque bonus dormitat Homerus. » Sicut ergo facile in cithara chorda aliqua per longum tempus laxatur, facitque dissonantiam : ita et in homine contentio animi diu durare nequit, quin se remittat et in aliquo hallucinetur. Rursum, sicut qui in Alpibus per montes asperos et saxa multis diebus incedunt, impossibile est ita semper esse cautos, ut aliquando in aliquod saxum non impingant et offendant : sic homini inter tot lapsuum occasiones et scandala, aliquando non impingere et offendere moraliter est impossibile. Licet enim singuli actus et lapsus sint liberi, ideoque in hominis potestate sit eos evitare, tamen omnes simul sumpti non ita sunt in hominis potestate, ut omnes vitare possit. Libertas ergo est singulorum, necessitas vero peccandi aliquando, est omnium copulatim et simul sumptorum. Denique peccatum veniale non tollit justitiam, aut gratiam Dei, sed cum ea consistit, estque quasi nævus in facie pulchra : unde pariter non impedit, quominus justus censeatur implere legem juxta possibilitatem hujus vitæ. Prætor enim, et multo magis Deus, non curat errata minima, ut ob ea graviter indignetur, hominemque odio prosequatur et morte puniat.

Necessitas hæc moralis est, non physica.

Dices : Si homo tantummodo moraliter hanc a lapsu veniali immunem integritatem præstare non potest, physice tamen potest, ergo non est ei absolute id impossibile; ac proinde fieri poterit, ut aliquis in toto genere humano, per auxilium Dei commune vitet omne peccatum veniale. Respondeo : Cum dicimus hominem moraliter hoc non posse, non sic intelligimus, quasi aliquo modo, raro tamen, aut non nisi cum summa difficultate fieri possit, ut homo omne omnino peccatum caveat; sed quia non caret potestate intrinseca, puta libertate et voluntate physica, quæ secundum se cum Dei gratia sufficiens est ad hoc præstandum : hæc tamen tot difficultatibus et mutationibus est obvallata, ut spectata humanæ fragilitatis conditione nunquam possit reduci in actum; et ideo dicimus moraliter hoc esse impossibile, physice tamen possibile, uti recte docet Andreas Vega, lib. XIV *in Concil. Trident.* XXV.

An omne veniale ex genere vitari possit ?

Si quæras, an justus cum auxilio speciali non possit vitare saltem omnia peccata venialia ex genere, quæ plena deliberatione committuntur ? Respondet Durandus in II, dist. XXVIII, *Quæst.* III, num. 8, id fieri posse; idque non est improbabile, si de aliquo viro sanctissimo loquamur, ut de S. Joanne Baptista, qui nunquam videtur dixisse verbum otiosum. Unde de eo canit Ecclesia, quod a puero iverit in desertum, « ne levi saltem maculare vitam famine posset. » Idem forte dici posset de S. Paulo primo eremita et Antonio, eos ad aliquot annos hæc vitare potuisse : licet de tota vita non ausim id affirmare ; facillime enim tanto

tempore contingit aliquis linguæ vel phantasiæ et mentis lapsus, uti docet hic S. Jacobus. Ita olim sensit docuitque noster Lessius in tract. *de Gratia.*

Moraliter, necessitas peccandi humiliat hominem.

Moraliter hæc peccandi necessitas est materia profundæ humilitatis, acuitque hominis vigilantiam, studium et luctam, ut quam minime peccet, atque ideo eam in justo permittit Deus, uti S. Paulus ait sibi stimulum carnis relictum, ne magnitudo revelationum eum extolleret, et virtus divina in ejus infirmitate perficeretur, II *Cor.* XII, 9. Hic ergo Jebusæus in carne nostra habitans, subjugari potest, extirpari non potest, sicut olim idem relictus fuit a Deo Hebræis, ut in eo experiretur Israelem, *Judic.* II, 22. Hic rursum monet nos misereri aliorum, eisque qui nos offenderunt, facile dare veniam, utpote conscios fragilitatis tam nostræ, quam alienæ, ac pariter peccantes corripere in spiritu lenitatis, *Galat.* VI, 1. Unde S. Augustinus, lib. II *De serm. Domini in monte,* cap. XX, hunc corripiendi modum præscribit, ut corripiens consideret an aliquando idem vitium habuerit, an non : « Si non habuit, cogitet se hominem esse, habereque potuisse ; si habuit et non habet, tangat memoriam communis fragilitas, ut objurgationem non odium, sed misericordia præcedat. Si est in eodem vitio, non reprehendat, vel objurget, sed congemiscat et ad pariter cavendum invitet. » Hinc de S. Fransisco multisque aliis Sanctis legimus, quod assidue se vocarint peccatores, et quidem maximos, adeoque noster Franciscus Borgia suis epistolis non aliud subscribebat, quam « Franciscus peccator, » uti refert Ribadeneira in ejus Vita. De aliis legimus eos optasse liberari hoc exilio, et transire ad Christum, ut hanc eum offendendi miserabilem necessitatem evaderent.

SI QUIS IN VERBO NON OFFENDIT, HIC PERFECTUS EST VIR. — Didymus id accipit de verbo interno cordis, non externo oris ; qui enim, inquit, habet veritatem sensus de rebus quæ sunt, is inoffensibile habebit verbum : atque perfectio consistit in moderatione et fræno non tam verborum, quam cogitationum et passionum. Verum hoc symbolicum est. Agit enim Jacobus de usu et vitio linguæ, ut patet ex sequent. ; perpetua enim linguæ moderatio effectus et signum certum est moderationis cogitationum et passionum. Qualis enim est vita, talis est loquela. Unde Hugo Victorinus, annot. in cap. XIII epist. *ad Roman.*, docet in moderatione linguæ non tam consistere perfectionem, quam cumulum perfectionis : sicut senem vocamus, qui centesimum annum agit ; etsi enim solus centesimus non inducat senium, tamen id facit, si jungatur cæteris præcedentibus.

Offensa linguæ facillima, unde? Causa. Prima.

Talem virum quasi vix inveniendum requirebat *Eccli.*, cap. XIX, vers. 17 : « Quis est qui non deliquerit in lingua sua ? » Ratio est, *prima,* quia inter vitia corruptæ naturæ humanæ unum non minimum est innata loquacitas, ut quod cupit et concipit, hoc proloqui gestiat ; uti videre est in pueris et mulieribus : hanc autem, quia innata et quasi naturalis est propensio, compescere et regere est difficillimum. « Ex abundantia enim cordis os loquitur, » *Matth.* XII, 34.

Secunda.

Secunda, quia lingua vicina est cerebro, os phantasiæ, ut quod illa cogitat mox derivet in os, et in verba effluat : quare nisi phantasiam regas (quod est perdifficile), linguam non rexeris ; verbum enim oris est partus verbi mentis ; sermo est fructus cogitationis, imago cordis, index sensorum animi. Hinc Socrates dicebat : « Loquere, adolescens, ut te videam. » Unde Psaltes, *Psalm.* XXXVIII, 1 : « Dixi, ait, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. »

Tertia.

Tertia, quia magna rerum et circumstantiarum omnium circumspectione opus est in loquendo, ut dicas accommodate loco, tempori, personis audientibus, ne quem offendas. Hæc autem circumspectio actus est magnæ prudentiæ et perfectionis, ac viribus naturæ in omni sermone longo tempore præstari nequit, sed ad id gratia Dei singulari opus est. Quocirca vere S. Augustinus, epist. 7 *Ad Marcellinum* : « Quamvis, ait, Tullius (ut scribitur) nullum verbum unquam emiserit, quod revocare vellet, hæc tamen laus credibilior est de nimium fatuo, quam de sapiente perfecto. »

Quarta.

Quarta, quia homo pronus est ad se laudandum et aliis detrahendum : item ad adulandum, simulandum, fallendum, mentiendum : rursum ad loquendum curiosa, fabulosa, otiosa et superflua, cum tamen Christus edicat *Matth.* XII, 36 : « Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.

Hoc est quod pronuntiat Sapiens, *Prov.* XVI, 1 : « Hominis est, præparare animam ; et Domini, gubernare linguam. » Hoc orat Psaltes, *Psalm.* cap. CXL, vers. 3 : « Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis, ut non declinem in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis. » Quocirca unus e Seraphim calculo ignito adussit labia Isaiæ, ut expurgata discerent recta et ignita loqui, *Isaiæ* VI. Idem viderunt Gentiles. Interrogatus Aristoteles apud Stobæum, *serm.* 33, quæ res homini esset difficillima? respondit : « Silere tacenda. » Longius progressus est idem Aristoteles apud Antonium in *Melissa*, I *part.*, serm. 73, tom. I *Bibliothecæ SS. Patrum :* cum enim ex eo quæreretur, quisnam posset arcanum sibi creditum continere : « Qui carbonem, ait, ignitum lingua retinere potest. » Consentanee refert Cicero, lib. II *De Orat.*, Ennium dicere solitum flammam a sapiente facilius ore inardente opprimi, quam bona dicta teneat.

Atque hæc Philosophorum apophthegmata illustrant illud *Eccli.* XIX, 12 : « Sagitta infixa femori carnis, sic verbum in corde stulti, » id est, qualis impressa fugax taurus bipenne, vulnus et telum ferens (ut loquitur Seneca in *Hercule Fu-*

rente, act. III), acerbissime saucius cœlum horrido mugitu complet, donec adactum ac penitus infixum venabulum excutiat : sic stultus, quoad verbum sibi creditum effutiat instar parturientis, aut hausto veneno nauseantis (quas etiam similitudines usurpat ibi Spiritus Sanctus), nulla capit intervalla requietis. Ergo tam impotenti belluæ frænum rationis injiciendum est, *Eccli.* XXVIII, 30 : « Facito frænos ori tuo rectos, et attende ne forte labaris in lingua. *Psalm.* XXXVIII, 2 : « Posui ori meo custodiam, » hebraice *frænum*.

Silendum de-set loqui.

Porro ratio et modus dirigendi linguam ne offendat, est silentium. Vis discere loqui ? sile, et in silentio cogita quid et quomodo sit loquendum. Hac de causa in omnibus Religionibus tanta est disciplina et cura silentii, quod id ad cavendum offensas et ad cordis puritatem ac innocentiam sit utilissimum, imo necessarium. Itali prudenter suis hoc proverbium occinunt : *Odi, vedi et taci, se voi vivere in pace*, hoc est, Audi, vide et tace, si vis degere in pace.

Exempla.

Lege Vitas Patrum, et innumeris exemplis id ita esse deprehendes. Inter alios eximius fuit Abbas Pambo, qui suo silentio eo perfectionis pervenit, ut in morte protestatus sit nullum sibi verbum unquam excidisse, cujus se pœniteret. Rudis enim cum esset, ait Socrates, lib. IV, cap. XVIII, magistrum adiit, a quo audiens primum versum *Psalm.* CXXXVIII : « Dixi : Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea, » secundum audire noluit, sed discedens dixit : « Unus hic versus satis est, si modo eum reipsa et opere discere potuero. » Cumque post sex menses rogaretur a magistro, cur ad se tanto tempore non rediisset ? respondit se versum Psalmi nondum reipsa didicisse. Post plures annos rogatus an eum didicisset ? ait se decem et novem annis integris vix didicisse eum opere explere. Quocirca moriens, inquit Palladius in *Lausiaca*, cap. X, dixit : « Non memini me ab aliquo panem gratis datum comedisse, nec me in hanc horam pœnitet alicujus sermonis quem dixerim ; et sic ad Deum recedo, ut qui nec pius quidem, nec religiosus esse cœperim. » Subdit Palladius, « quod nunquam de sacra Scriptura, vel de re aliqua interrogatus statim responderit, sed dixerit : Nondum inveni quod respondeam. Præteribant tres menses, et non dabat responsum, dicens : Nondum comprehendi. Tam considerate ex Deo dabat responsa, ut a Deo cum omni metu omnes acciperent : dicebatur enim hanc virtutem supra magnum Antonium et super omnes Sanctos exercuisse, nempe ut esset in loquendo accuratus et perfectus. »

Similis fuit Arsenius, olim præceptor Arcadii et Honorii Imperatorum, qui eorum iram declinans abiit in eremum, audiitque ab angelo : « Arseni, fuge, tace, quiesce, hæc sunt principia salutis : » quæ in praxin redigens, vir miræ sanctitatis evasit. Similis fuit Evagrius, qui a quodam sene dogma salutis poscens dicensque : « Dic mihi, Abba, sermonem quo salvus fiam, » ab eo audit : « Si vis salvari, quando ad aliquem vadis, non prius loquaris antequam te ille inquirat. » Ita habetur in Vitis Patrum, lib. V, cap. X *De discretione*, num. 19.

S. Antonii monitum salutis fuit : « Contine linguam et ventrem. » Alius senior in Vitis Patrum eos qui linguam non continent, vocabat « stabulum sine janua : quia quodcumque eis ascendit in cor, id ore loquuntur. » Ibidem Abbas Sisois ait : « Triginta annos non deprecor Deum propter peccata, sed orans hoc dico : Domine Jesu Christe, protege me a lingua mea. Et usque nunc per singulos dies corruo per ipsam et delinquo. » Ibidem Abbas Hyperichius ait : « Monachus qui non retinet linguam in tempore furoris, neque passionum corporalium retentor erit aliquando. » Et Abbas Lucius cuidam volenti peregrinari ait : « Si non tenueris linguam tuam, ubicumque perrexeris, non eris peregrinus ; sed refræna hic linguam tuam, et eris etiam hic peregrinus. »

Abbas Agatho per triennium lapidem ore gestavit, ut coactus disceret silere ; idque ita didicit, ut postea, cum vellet loqui, vix posset.

Idem viderunt Gentiles. Hesiodus apud Plutarchum in *Lacon.* :

> Optimus, *ait*, est homini linguæ thesaurus, et ingens
> Gratia quæ parcis mensurat singula verbis.

Anacharsis rogatus quid in homine esset optimum et pessimum ? respondit : « Lingua, » teste Laertio, lib. I, cap. IX. Ægyptii sacrificantes Harpocrati, deo silentii, clamabant : « Lingua fortuna, lingua dæmon, » teste Plutarcho, lib. *De Iside*.

In multiloquio enim non deest peccatum. Quocirca S. Augustinus, procemio in lib. *Retract.*, testatur se libros *Retractationum* scribere, ut multa locutus male dicta castigaret. « Neque enim, inquit, ea reprehendere deberem, si dicere debuissem : sed qui primas non potuit habere sapientiæ, secundas habeat partes modestiæ : ut qui non valuit omnia impœnitenda dicere, saltem pœniteat quæ cognoverit dicenda non fuisse. » Ex mox : « In multis enim offendimus omnes. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Ego mihi hanc perfectionem nec nunc arrogo, cum jam sim senex, quanto minus cum juvenis cœpi scribere, vel ad populos dicere : tantumque mihi tributum est, ut ubicumque me præsente loqui opus esset ad populum, rarissime tacere, atque alios audire permitterer, et esse velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum. »

POTEST ETIAM FRÆNO CIRCUMDUCERE (Syrus *subjicere et in servitutem redigere*) TOTUM CORPUS. — Græce δυνατός, id est *potens* ; sed eodem redit sensus, *q. d.* Sicut qui frænat os equi, per illud frænat, regit et circumducit quocumque vult totum corpus equi, totumque equum : ita qui frænat os et

linguam, potest frænare, regere, et quocumque libuerit gyrare et circumducere totum corpus. Aliqui per *corpus* accipiunt corpus peccati, puta congeriem vitiorum, quæ quasi totum quoddam corpus ex variis speciebus et actibus peccatorum, quasi partibus et membris conflatur et integratur, uti docet Cassianus, *Collat.* XII, cap. I et II. Alii per *corpus* accipiunt congeriem passionum, quæ ex ira, odio, spe, metu aliisque passionibus integratur : passiones enim sunt quasi equi indomiti, qui frænis domandi et circumducendi sunt. Ita Origenes, hom. 15 *in Josue. Tertio*, alii accipiunt corpus actionum omnium, *q. d.* Qui frænat regitque linguam, potest pariter frænare et regere passiones motusque animi, atque actiones omnes. Nam, ut ait S. Augustinus, serm. 17 *De Verbis Apostoli* : « Ream linguam non facit nisi mens rea. » *Quarto*, genuine et proprie, *q. d.* Qui frænare novit linguam, hic perfectus est vir, ideoque frænare potest cætera corporis membra, omnesque actiones et motus moderari et componere ad leges modestiæ et virtutis. Causam cur perfectus sit paulo ante dedi.

Vers. 3. 3. SI AUTEM. — Legit Interpres cum nonnullis εἰ καί; jam plures legunt ἴδε, vel ἰδού, id est, *ecce vidi* : illud enim mox repetit Jacobus in altera navium similitudine, dicens : « Ecce (ἰδού) et naves, » etc. Aliqui pro *si* legunt *sicut*. Est anantapodoton, deest enim altera pars comparationis, quam ita supplet et explet Beda, *q. d.* Si equum fræno in os misso regimus : ergo multo magis decet hominem frænando os et linguam, totum corpus, omnesque actiones suas regere et moderari. Aut, ut Gagneius, si autem in ora equorum frænos mittimus, omne illorum corpus circumferimus : ita qui linguæ fræna imponit, quoquo vult eam agit, nec sinit præcipitem ferri. Verum hæc suppletio nimia est, nimisque multa subaudit et supplet. Quare tam hujus, quam sequentis de navi similitudinis redditionem et comparationem explet Jacobus, cum post utramque subdit : « Ita et lingua modicum membrum est, et magna exaltat. » Id ita esse patet ex textu Græco. Jacobus enim duplici similitudine declarat quanti momenti sit frænare linguam : prior petitur ab equis, posterior a navibus, *q. d.* Sicut equos licet generosos, fortes et indomitos fræno in os misso domamus, gyramus et flectimus quo volumus; rursum, sicut clavo modico navim vastissimam dirigimus quo volumus : ita pariter si linguæ, quæ modicum est membrum, frænum injicias, frænabis et reges totum corpus animumque hominis. Aut certe dicendum est τὸ *autem* poni pro *enim*, ut et alibi fit. Unde Syrus vertit, *ecce enim*; et Hugo, *quia si*, ut det causam ejus quod dixit : « Potest etiam fræno circumducere totum corpus, » quia scilicet simili modo si in equorum ora mittamus frænum, totum corpus eorum circumducimus. Ita Franciscus Lucas in *Notationibus* ad hunc locum. Hinc illa Theophrasti gnome apud Laertium, lib. V, cap. II : « Fidendum est magis equo effræni, quam verbo incomposito, » *q. d.* Ab hoc plus periculi est, plusque noxæ, quam ab equo effræni. Perstat Jacobus in similitudine equi fræno recti, quam quia paulo ante verbo innuerat, hic fuse et clare explicat et pertractat, docetque non tantum linguam esse frænandam, sed et ipsammet esse frænum, quo frænantur omnia membra totumque corpus, *q. d.* Quod frænum est equis, hoc est hominibus lingua : sed fræno reguntur, diriguntur et circumflectuntur equi ad sessoris arbitrium : igitur et lingua Dei timoris et amoris proximi legibus coercita et temperata, omnes facultates et actiones humanas, tam corporis quam animi, in suum finem moderabitur, diriget et perducet.

AD CONSENTIENDUM (πρὸς τὸ πείθεσθαι, id est *ad obediendum*, hoc est, ad obedire faciendum ; est hebraismus : ponitur *cal* pro *hiphil*, scilicet verbum neutrum pro activo) ILLOS NOBIS. — *q. d.* Fræno facimus equos indociles dociles, indomitos domitos, inflexiles flexiles et ductiles, ut nobis per omnia obediant, juxta illud Ovidii, IV *Tristium*, eleg. 6 :

> Tempore paret equus lentis animosus habenis,
> Et placido duros accipit ore lupos.

Hinc Cassiodorus in *Psalm.* XXXI, « frænum, » censet dici a « fero (id est, equo) retinendo : ferum quippe antiqui caballum dixerunt, » licet alii a frangendo dictum putent, quod equorum ora frangat.

ET OMNE CORPUS ILLORUM CIRCUMFERIMUS, — μετάγομεν, id est, *circumagimus*. Ratio est, quia dum sessor fræno regit os equi, regit pariter totum equi caput ejusque phantasiam : hæc autem regit totum equi corpus, omnesque ejus affectus, motus et gressus; equus enim per omnia phantasiam suam sequitur, eoque fertur, quo illa eum ducit. Simili modo frænando linguam per continentiam, frænamus pariter caput nostrum, ejusque phantasiam, mentem et voluntatem, quæ refrænata frænat pariter totum corpus, omnesque ejus motus et actus : tum quia omnium idem est frænum, scilicet continentia, quæ si partem frænet difficillimam, puta linguam refrænet, facile cætera membra minus rebellia et difficilia frænabit; tum quia lingua frænari nequit, nisi prius frænetur pronitas et aviditas loquendi quæ est in phantasia et appetitu : frænata autem phantasia et appetitu, frænantur omnes actiones et motus qui ab iis manant; tum denique quia lingua vicina est cerebro, in quo residet uti phantasia et appetitus, sic et vis motiva totius corporis per nervos, musculos et spiritus quos ex se in reliqua membra derivat et transmittit. Refrænata ergo lingua, refrænatur pariter cerebrum, ejusque phantasia, appetitus et vis motiva, omnesque nervi, musculi et spiritus motivi.

Mystice, equus est corpus hominis; sessor est

Christus, qui illud sua gratia frænat et regit. Ita S. Joannes, *Apoc.* VI, 2 : « Ecce, ait, equus albus, et qui sedebat super illum habebat arcum, et data est ei corona, et exivit vincens ut vinceret. » Hic equus sunt Apostoli, sessor est Christus, qui per eum vicit et subegit totum orbem. Equus ergo notat Apostolorum erga Christum *primo*, obedientiam ; *secundo*, patientiam laborum ; *tertio*, alacritatem ; *quarto*, ferociam contra dæmones, infidelitatem et peccata ; *quinto*, velocitatem in evangelizando ; *sexto*, quod Christum Christique nomen et regnum per totum orbem portarint. Vide ibi dicta. Hinc S. Chrysostomus, hom. 52 *in Matth.*, linguam nostram vocat regium equum, quem si frænes, gradarium efficies, dignumque cui insideat et inequitet Christus. S. Ambrosius, lib. IX, in cap. XIX *S. Lucæ*, vers. 30, quærens cur Christus asina in die Palmarum vehi, itaque Hierosolymam ingredi voluerit, respondet : « Non, inquit, mundi Dominum forensi specie gestari dorso asinæ delectavit, sed ut latente mysterio, penetralia nostræ mentis insterneret, et in secretis animorum interiore consessu mysticus vector insideret, quasi quodam corpore divinitatis infusus, regens mentis vestigia, lasciviam carnis infrænans, ut ductu pietatis assuetum populi Gentilis edomaret affectum. Felices illos, qui talem internis renibus recepere vectorem. Felices plane illos, quorum ora ne multiloquio solverentur, verbi cœlestis habena restrinxit. Quæ est ista habena, fratres? Quis me doceat quemadmodum ora hominum aut restringat, aut solvat? Monstravit mihi habenam illam qui dixit : Ut detur mihi sermo in apertione oris mei. Sermo ergo habena est, sermo stimulus est, et ideo durum est tibi adversus stimulum calces mittere. Docuit igitur hic non aperire ora, stimulum perpeti, jugum ducere. Doceat et alius linguæ retinacula pati. Rarior enim tacendi virtus est, quam loquendi. Doceat plane ille, qui velut mutus adversus dolum non aperuit os suum, paratus in flagella, et verbera non recusans, ut esset pia sessio Dei. »

Nota hic *primo* : Sicut fræno domantur equi, cameli, ursi, aliaque animalia fera et indomita, juxta illud Martialis, lib. I, *epigram.* 105 :

> Picto quod juga delicata collo
> Pardus sustinet, improbæque tigres
> Indulgent patientiam flagello :
> Mordent aurea quod lupata cervi,
> Quod frænis Libyci domantur ursi
> Et quantum Calydon tulisse fertur.
> Paret purpureis aper capistris :
> Turpes esseda quod trahunt bisontes.

Ita nulla est lingua, phantasia et cupiditas tam sæva et vehemens, quæ non Christi gratia et continentia dometur, cicuretur, jugumque rationis et spiritus divini subeat. Hoc est quod monet *Eccli.*, cap. XXVIII, vers. 29, dicens : « Aurum tuum et argentum tuum confla, et verbis tuis facito stateram, et frænos ori tuo rectos. » Quæ verba explicans S. Ambrosius, lib. I *Offic.*, cap. III : « Possessio tua, ait, mens tua est ; aurum tuum, cor tuum est ; argentum tuum, eloquium tuum est, etc. ; jugum sit verbis tuis et statera, hoc est, humilitas atque mensura, ut lingua tua menti subdita sit. Restringatur habenæ vinculis : frænos habeat suos, quibus revocari possit. Ad mensuram sermones proferat, libra examinatos justitiæ, ut sit gravitas in sensu, in sermone pondus, atque in verbis modus. Hæc si custodiat aliquis, fit mitis, mansuetus, modestus. »

Porro Philo, lib. *Quis divin. rerum hæres*, sub initium, frænum linguæ asserit esse meditationem rerum divinarum. Idem alibi : « Qui, ait, narrant quæ non decent, non eloquentiam ostentant, sed silendi impotentiam. »

Nota *secundo* : Sicut equus frænatur et fræno inhibetur cum dolore, ideoque frænum a frangendo ore dicitur, uti jam indicavi : ita et linguæ vis inferenda est per silentium et continentiam, cum dolore. Unde Seneca, lib. IV *De Benef.*, cap. XXXVI : « Ecce, inquit, ut doleas, ut postea consideratius loquaris, quod dicere solemus, linguarium, » id est, linguæ vinculum et retinaculum, v. g. capistrum (quo equorum mordacium os et labra claudi et constringi solent) « dabo. » Voluptas enim, aviditas et quasi pruritus loquendi quæ vidimus, audivimus aut scimus, adeo nobis innata est, ut sine dolore inhiberi nequeat. Multis enim prurit lingua ad loquendum magis, quam mens ad cogitandum, aut manus ad operandum. Quocirca sapienter S. Gregorius, lib. V *Moral.*, cap. XI, alias XII : « Boni viri, inquit, fræno consilii retinent præcipitationem verbi, et caute considerant ne relaxantes linguæ lasciviam, auditorum conscientiam incauta locutione transfigant. Unde bene per Salomonem dicitur : Qui dimittit aquam, caput est jurgiorum. Aqua quippe dimittitur, cum linguæ fluxus effrænatur : sed dimissor aquæ, caput jurgiorum efficitur, quia per linguæ incontinentiam discordiæ origo propinatur. Igitur sicut pravi in sensu leves sunt, ita in locutione præcipites, et reticere pertractando negligunt quæ loquantur ; sed quod levis concupiscentia concipit, levior protinus lingua prodit. »

Frænum dat dolorem.

Nota *tertio* : Sicut sessor laxando frænum et calcaribus stimulando equum incitat ad cursum, ita pariter Christus jubet incitatque suos præcones et fideles, ut tempore congruo loquantur, ac fidenter et animose prædicent, moneant, carpant vitia hominum. Quocirca rogandus est ut mittat in nos Spiritum Sanctum, qui linguas igneas et Seraphicas nobis indat, quibus tum ejus magnalia celebremus, omnesque ejus amore accendamus ; tum Deum fidenter et audacter invocemus, ac pia quadam libertate et vi quasi cogamus ut postulata concedat, uti fecit Moses, *Exodi* XXXII, 32. Quia, ut ait Philo, loco citato : « Libertas loquendi cognata est amicitiæ : nam arrogantis est

temeritas, amici vero fiducia. » Quocirca S. Bernardus, *De Passione Domini*, cap. XXVI : « Ostium, ait, non semper patet, nec semper clauditur; sed in domo sapientis patet sapientibus, clauditur vero stultis : sic et os nostrum, quod est ostium cordis nostri, per quod verba quasi quædam nuntia egrediuntur, nuntiantia quid interius agatur in corde, quod verbis prudentibus et utilibus est in tempore reserendum, pravis vero verbis quæ de malis moribus cordis surgunt, jugiter est claudendum. Tempus enim loquendi et tempus tacendi, nec minus peccat is qui subtrahit verbum in tempore opportuno, quam qui prava loquendo alios scandalizat. » Idem docet S. Gregorius, lib. VII *Moral.*, in fine. Huc spectat illud Theophrasti ad quemdam, qui in convivio perpetuo silebat : « Si indoctus et imprudens es, ait, prudenter facis; sin doctus, imprudenter. » Ita Laertius, lib. V, cap. II. Plutarchus vero sic dixisse scribit : « Si stultus es, rem facis sapientem : sin sapiens, stultam. Est enim sapientiæ pars non levis tegere silentio stultitiam. »

Vers. 4. 4. ECCE ET NAVES. — Est secunda similitudo petita a navium gubernaculo, ideoque similis primæ petitæ ab equorum fræno. Nam navis in mari est id quod in terra equus et currus; ac sicut equus regitur fræno, sic navis gubernaculo : unde navis a Plauto in *Rudente*, actu I, vocatur equus ligneus. Et Homerus, *Odysseæ* IV : « Celeres, ait, in mari naves equorum loco sunt. » Hinc et nautæ a Varrone apud Nonium vocantur equisones; ac Seneca in *Medea*, actu I, rati sive navi dat frænum, quo instar equi frænanda sit. Et Pindarus *Pyth.* ode 3, ait anchoram esse frænum navis; quin et Horatius, lib. IV *Carm.*, ode 4, ait, Eurum « Siculas equitare per undas. » Pulchre vero Catullus in carmine de nuptiis Pelei, navim vocat *volitantem flamine currum*, quia flatu ventorum agitur.

> Ipsa, *ait*, levi fecit volitantem flamine currum,
> Pinea conjungens inflexæ texta carinæ.

Vice versa Martianus, lib. II, remigium navis vocat solis equos.

CUM MAGNÆ SINT, — τηλικαῦτα ὄντα, id est, *cum tantæ sint*, puta tam magnæ et vastæ.

ET A VENTIS VALIDIS, — σκληρῶν. Vatablus, *sævis*; Pagninus, *duris*; alii, *asperis, rigidis*.

MINENTUR, — ἐλαυνόμενα, id est, *agantur*; Pagninus, *vehantur*; alii proprie *impellantur*.

CIRCUMFERUNTUR A MODICO (ἐλαχίστου, id est, *minimo*) GUBERNACULO, — puta clavo; quod enim in equo est frænum, in curru temo, hoc in navi est clavus. Unde proverbia, ad clavum sedere, clavum tenere reipublicæ, id est reipublicæ præsidere, eamque gubernare et regere. Ita Cicero *ad Papirium*, lib. IX, epist. 15 : « Sedebamus in puppi clavumque tenebamus; nunc autem vix est in sentina locus. »

UBI IMPETUS DIRIGENTIS VOLUERIT. — « Impetus, » id est, voluntas; sed dicit ὁρμή; id est impetus, quia gubernator volens recta dirigere navim, debet sæpe obniti ventis et undis; ideoque vi et impetu clavum iis opponere, aut certe illis eum totamque navim ita aptare et accommodare, ut, si non rectum, certe lateralem cursum teneat, feraturque in locum a se destinatum. Adde, ὁρμὴ accipi posse pro impetu, id est, impulsu, studio et conatu voluntatis : in nauclero enim ad clavum sedenti, ut eum recte gubernet, magis opus est animi attentione et dexteritate, quam brachiorum impetu viriumque impulsu. Vere Plato, epist. *ad Axiochum* : « Frænis, inquit, ac flagello equos dirigimus, et navigamus aliquando velis navim expandentes, aliquando anchoris frænantes retinemus, seu degravamus : sic gubernanda lingua, Axioche, modo ut verbis armemus, modo ut silentio reprimamus. »

5. ITA ET LINGUA MODICUM QUIDEM MEMBRUM EST. Vers. 5. —Vere Nazianzenus, in carm. *De silentio*, inter alia ait : « Lingua quidem parva est, ac viribus omnia vincit, » præsertim in sacerdote, « cujus lingua, ait, est musicum instrumentum. » S. Bernardus, serm. *De Custodia linguæ, manus et cordis* : « Lingua, ait, modicum est membrum, sed nisi caveas, magnum malum. » Idem, *De Interiori domo*, cap. L, linguam a lingendo, vel ligando deducit : « Quia, ait, lingit adulando, mordet detrahendo, occidit mentiendo, etc., ligat et ligari non potest; labilis est, et teneri non potest; sed labitur et fallitur : labitur ut anguilla, penetrat ut sagitta; tollit amicos, multiplicat inimicos; movet rixas, seminat discordias, uno ictu multos percutit et interficit; blanda est et subdola, lata et parata ad exhaurienda bona et miscenda mala. » Linguæ vis.

ET MAGNA EXALTAT. — Est hic apodosis, sive redditio utriusque similitudinis, scilicet fræni regentis equum et gubernaculi regentis navim, quibus linguam comparavit. Pro *magna exaltat* græce est μεγαλαυχεῖ, quod *primo*, multi juxta propriam verbi significationem usu communi receptam vertunt, *magnifice gloriatur*; Syrus, *se extollit*, nimirum, ut ait Poeta :

> Projicit ampullas et sesquipedalia verba,

q. d. Pusillum membrum est lingua, sed jactabundum, quod verborum suorum quasi totidem verberum jactu, impetu et pondere tota regna, totosque populos inter se committit; ac proinde maxime curanda est ejus directio et moderatio. Hinc Beda et alii pro *exaltat* legunt *exultat* (perperam Auctor Comment. in *Psalm.* CXIX, apud S. Hieronymum, legit *exulcerat*), id est, impotenter gestit, gloriatur, et jactantia sua quasi in altum exilit, ferocit et sævit, ut contineri non possit, nisi frænum rationis et continentiæ adhibeas. Sic Cicero, IV *De Repub.*, dixit : « Omni crudelitate exultare, » quod Nonius interpretatur *sævire*. Rursum Cicero, lib. *De Senectute* : « Fabius, inquit, Annibalem juveniliter exultantem, » id est, ferocientem et sævientem, « patientia sua emollivit. »

Itaque S. Jacobus μεγαλαυχεῖ hic non sumit pro inani jactantia, ostentatione et gloriatione : hæc enim parum boni vel mali efficit; sed pro jactantia impetuosa et efficaci, qua lingua multos adeoque integros sæpe populos ad magna, vel bona vel mala, impellit et concitat. Hinc per metalepsin μεγαλαυχεῖ idem est quod *magna exaltat*, ut vertit Noster, id est, magna erigit, efficit, operatur. Unde Pagninus et Vatablus vertunt, *magna jactat*, videlicet verba et verbera; Œcumenius, *magna operatur*, bona videlicet et mala : sic et Mariana et alii. Emmanuel Sa, *magnas turbas excitat*. Alludit μεγαλαυχεῖ ad αὐχήν, id est cervix, collum, *q. d.* μεγάλα αὐχεῖ, id est, magna in cervicem attollit, magna in altum erigit, magna exaltat : unde eodem allusit in voce καταυχᾶται, id est, *superexaltat*, uti dixi cap. II, vers 13. Rursum αὐχὴν est pars clavi, sive gubernaculi, in quam gubernator incumbit, ait Pollux, idem pene quod πηδάλιον nominatum hic a S. Jacobo, ut μεγαλαυχεῖ sit idem quod « magnæ navis clavum gerit et regit. » Sensus ergo est, *q. d.* Sicut frænum cervicem equi totumque equum agit, et in altum erigit; et sicut clavus se totamque navim regit et erigit supra aquas et undas, ut iis non obruatur et mergatur, sed iis superferatur et inequitet: ita quoque lingua non tantum hominem totum sua jactantia in altum sustollit, sed et cœtus ac respublicas integras in altum erigit, agitque quo vult, ac proinde magna, vel bona vel mala, exaltat, id est erigit, efficit, producit; perinde ac aurigæ currus in profundo limi defixos modico instrumento ferreo, quod instar vertebræ gyrando sese exerit, sensimque assurgit, facile elevant et educunt. Simili vertebra et rota exigua vidi in Belgio, a puero uno maximos pontes et naves in altum attolli. Itidem facit et lingua; licet enim minimum sit membrum, magna tamen potest et operatur.

Dicit ergo Jacobus : Sicut sessor peritus equitandi fræno regit equum, ut eo vehatur quocumque libuerit; imperitus vero sessor aut negligens frænum, facit tam se quam equum et currum, omnesque qui eo vehuntur, periclitari, ut cursu præcipiti allidantur, excutiantur, aut ruant in præceps. Rursum, sicut nauclerus peritus clavo regit navim et omnes qui ea vehuntur, ut superatis fluctibus et ventis salvi perducantur in portum; imperitus vero aut negligens clavum, se, et navim, ac omnes qui ea vehuntur, certo periculo naufragii exponit, ut in scopulos illisa dissiliat, aut ventis, fluctibus et vorticibus hauriatur : ita pariter vir prudens, qui linguam rite moderatur, se multosque alios ad magna bona attollit; imprudens vero, qui eam regere nescit, sibi aliisque pluribus magna mala invehit et accersit : linguæ enim effrænis petulantia excitat lites, jurgia, odia, bella, excidia familiarum, urbium et gentium; lingua vero frænata et moderata salutem sibi, domui, urbi totique genti conciliat. Sicut ergo directum frænum et clavus saluti est equo, navi et vectoribus, negiectum vero utrumque, periculum et perniciem utriusque affert : ita pariter et lingua a prudenti prudenter directa, pacem et omne bonum; ab imprudenti vero imprudenter directa, bellum et omne malum sibi multisque aliis conciliabit. Comparat enim linguam fræno et clavo, virum sessori et nauclero, domum, urbem et rempublicam equo et currui, ac navi et vectoribus. Hæc omnia intelligit, unoque verbo *magna exaltat*, brevitatis studio complectitur S. Jacobus. Unde Œcumenius : « Non est adeo, inquit, explicatus sermo, quoniam abbreviati Verbi discipulus est is qui hoc scribit. »

Mystice Beda, Hugo, Lyranus et Thomas Anglicus : « Lingua magna exaltat, » inquiunt, id est, magna præmia, vel magnas pœnas affert.

Exempla bonæ linguæ magna bona conciliantis sunt apud Valerium Maximum, lib. VIII, cap. IX. *Primum*, de Valerio, qui cum plebs a senatu pestifera seditione divisa in montem sacrum secessisset, eamdem sua oratione et blandiloquentia « ad saniora consilia revocatam senatui subjecit, id est, urbem urbi junxit. Verbis ergo facundis ira, consternatio, arma cesserunt. » Exempla bonæ linguæ.

Secundum, de Hegesia Cyrenaico philosopho, « qui sic mala vitæ » sua eloquentia « repræsentabat, ut eorum miseranda imagine audientium pectoribus inserta, multis voluntariæ mortis appetendæ cupiditatem ingeneraret : ideoque a rege Ptolomæo ulterius hac de re disserere prohibitus est. »

Tertius sit Amphion, qui sua oratione saxa ad struendos muros Thebanos traxisse dicitur. Unde Horatius, *De Arte poetica* :

> Dictus et Amphion, Thebanæ conditor urbis,
> Saxa movere sono testudinis, et prece blanda
> Ducere quo vellet.

Idem, lib. III *De Carm.*, ode 11 :

> Movit Amphion lapides canendo.

Et Statius, lib. VIII *Theb.*:

> Et duras animantem Amphiona cautes.

Sic Orpheus et Arion perhibentur suo carmine et suaviloquentia movisse arbores, silvas et feras : non quod vere id fecerint, sed quod homines duros, stupidos et barbaros instar ferarum in silvis viventes, sua oratione pellexerint ad vitam civilem, humanam et socialem, ac ad urbes ea de causa construendas et incolendas.

Quartus sit Cicero, qui Romæ omnia poterat, et Romanis persuadebat quæcumque volebat, Catilinam, Antonium aliosque tyrannidem ambientes urbe expulit. Audi Plutarchum in ejus Vita : « Nempe hic vir quantum afferat honesto condimentum eloquentia, ostendit populo Romano : atque invincibile esse, quod justum est, si recte dicatur : debereque eum qui sedulo trac-

tare Rempublicam intendit, semper quidem in rebus agendis honestum blandienti anteferre, sed in dicendo acerbum eximere conducibili. » Et inferius : « Fuit Ciceronis ea tempestate potentia Romæ maxima; et cum omnia efficeret quæ vellet, Antonium factione oppressit, » etc. Subdit Augustum, postea Cæsarem, per Ciceronem postulasse et impetrasse consulatum, quo viam sibi stravit ad triumviratum, deinde ad monarchiam.

Similis Ciceroni in suavitate dicendi, sed in efficacia dicendi superior fuit Athenis Demosthenes; de eo enim sic scribit Plutarchus in ejus Vita : « Hujus oratoris vis quæ excitabat animos et incendebat ad gloriam, obstruxit omnibus reliquis, ut quasi lymphati ab ejus oratione rapti ad honestum, metum, rationem, gratiam abjicerent, ut legatos mitteret Philippus ad pacem petendam, omnis Græcia erigeret se; accommodarent se vero Demostheni non modo prætores Athenienses dicto ei audientes, sed et Bæotarchæ, concionibus illic præesset omnibus, Thebanorum æque ac Atheniensium. »

Verum hos omnes superarunt oratores Christiani, ac in immensum Christus ipse, qui turbas flectebat quo volebat, ut missi a Pharisæis ad eum capiendum stupefacti redirent dicerentque : « Nunquam sic locutus est homo sicut hic homo, » quia scilicet erat Verbum in carne loquens lingua cœlesti et divina, *Joan.* VII, 46; et Petrus : « Domine, ad quem ibimus (nisi ad te)? verba vitæ æternæ habes, » *Joan.* VI, 69. Hinc Apostolis linguas dedit igneas, ac præsertim S. Paulo, qui reges et principes, oratores et philosophos Judæos et Græcos, adeoque Gentes totius orbis pertraxit ad Christi fidem et cultum. Ejus discipulus fuit S. Joannes, Patriarcha Constantinopolitanus, qui ab aureo ore et lingua persuadendi quidlibet cognominatus est Chrysostomus. Tales posterioribus sæculis fuere S. Antonius de Padua, S. Vincentius Ferrerius, S. Bernardinus, qui suis concionibus saxea hominum corda ad pœnitentiam et sanctimoniam inflexerunt; adeo ut eorum linguæ essent plectra et organa Spiritus Sancti.

Exempla mala. Exempla malæ linguæ magna mala conciliantis recenset Valerius loco citato : « Pisistratus, inquit, tantum dicendo valuisse traditus est, ut ei Athenienses regium imperium oratione capti permitterent, cum præsertim ex contraria parte amantissimus patriæ Solon niteretur; sed alterius salubriores erant conciones, alterius disertiores. Pericles liberis Athenarum cervicibus jugum servitutis imposuit : egit enim et versavit illam urbem arbitrio suo, cumque adversus voluntatem populi loqueretur, jucunda nihilominus et popularis ejus vox erat; unde fatebantur in labris hominis melle dulciorem leporem habitare. Quocirca senex quidam exclamavit, caveri illum civem oportere, quod Pisistrati simillima ejus foret oratio. Nec hominem aut æstimatio eloquii, aut morum augurium fefellit. Quid enim inter Pisistratum et Periclem interfuit? nisi quod ille armatus, hic sine armis tyrannidem gessit. »

C. Gracchus sua eloquentia perturbavit rempublicam, ait Valerius, lib. VIII, cap. XI. Inter fideles quid Eva et Adamo totoque genere humano miserabilius? quid illud in has miserias conjecit? lingua serpentis, *Genes.* III. Quid exitialius lingua Judæ? quæ prodidit et perdidit Christum, unicum hominum et angelorum bonum et gaudium. Quid stolida lingua Roboam vesanius? quæ sua sævitia totum Israelis regnum a se, a Juda, a templo et Deo avertit, III *Reg.* XII. Quid hodie bella inter regna et reges Christianos, quæ utrisque innumeras calamitates et clades afferunt, suscitat? linguæ pestiferæ invidorum et inquietorum, qui suam quietem æstimant bellum commune, qui sua lucra æstimant damna aliena, qui rapinas et spolia aucupantur. Vide hic quot incendia, quot stupra, quot furta, quot exitia, quot funera cumulet, attollat et exaltet, parva, sed nocentissima lingua. Vere Sapiens, *Prov.* XVIII, 21 : « Mors et vita, ait, in manibus linguæ. »

ECCE. — In Græco est hoc tertium ἰδού, id est, *vide, ecce.* Est enim hæc tertia similitudo, qua docet quanto studio moderanda sit lingua. *Primo* enim assimilavit linguam ori equi frænato, sive fræno equi. *Secundo*, gubernaculo navis. *Tertio*, hic assimilat eam modico igni, sive scintillæ, quæ totam domum, silvam et urbem incendit.

QUANTUS, — id est quantulus, quam exiguus : græce enim est ὀλίγον, id est *modicus, parvus*; videtur interpres legisse, ἡλίκον, id est *quantus*, sic enim habet textus Græcus Veronensis, teste Gagneio, qui et explicans addit : « Et hoc modo ironice legendum : Videte quanto et quam magno igni opus est ad incendendam silvam, *q. d.* Non multo opus est, sed modico, imo una scintilla duntaxat. Ita, ut ait S. Hieronymus, in cap. III *ad Galat.*, « Arius in Alexandria parva scintilla fuit, sed quia non statim oppressus est, totum orbem flamma ejus est populata. » Ita Faustus Manichæus sua eloquentia, ait S. Augustinus, lib. V *Confess.*, cap. III, « magnus erat laqueus diaboli, et multi implicabantur in eo per illecebram suaviloquentiæ. »

Ita Lutheri lingua quasi ignis scintilla, quia illico non repressa, proserpens incendit totam Germaniam, Calvini Galliam, Wiclef Bohemiam, etc. Annon hæ faces orbis?

6. ET LINGUA IGNIS EST. — « Et, » id est *sic, simili modo, pariter.* Incipit enim hic apodosis, sive redditio similitudinis, *q. d.* Sicut modicus ignis totam silvam accendit, simili modo ignis est lingua, silva est universitas iniquitatis, quam lingua accendit : dum domos, urbes, respublicas et regna implet rixis, litibus, bellis aliisque sceleribus, juxta illud *Prov.* XVI, 27 : « Vir impius fodit malum, et in labiis ejus ignis ardescit. » Et *Eccli.* XXVIII, 11 : « Homo iracundus incendit litem, etc. Secundum enim ligna silvæ, sic ignis exardescit. » Eo Vers. 6.

alludit hic Jacobus. Sic in Proverbiis passim Hebræum ו *vau*, id est *et*, sumitur pro *sic*, ut patet intuenti.

Lingua similis igni. Cur?

Comparat linguam igni. *Primo*, ob formam et speciem : utrumque enim formam habet pyramidalem. *Secundo*, ob similem colorem : utrumque enim rubicundum est. *Tertio*, ob velocitatem, volubilitatem et agilitatem similem. *Quarto*, ob parem efficaciam : verbum enim mordax urit et cruciat proximum instar ignis. *Quinto*, ob similem agendi modum : unde flamma æque ac lingua dicitur lambere rem quam accendit, juxta illud Claudiani, I *Rapt.*:

Prima analogia. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta.

Lambit continuas innoxia flamma pruinas.

Sexta.

Sexto, quia lingua se prodit internus ignis, id est amor, vel impurus et carnalis, vel purus et divinus, qui proinde Apostolis indidit linguas igneas. Quocirca sapienter et pie S. Augustinus, lib. X *Confess.*, cap. XXXVII : « Quotidiana fornax nostra, ait, est humana lingua, imperans nobis et in hoc genere continentiam : da quod jubes, et jube quod vis. Tu nosti de hac re ad te gemitum cordis mei, et flumina oculorum meorum. Neque enim facile colligo quam sim ab hac peste mundatior; et multum timeo occulta mea quæ norunt oculi tui, mei autem non. Est enim qualiscumque in aliis generibus tentationum mihi facultas explorandi me, in hoc pene nulla est. » Et inferius : « Confiteor me delectari laudibus, sed amplius ipsa veritate, quam laudibus. » Denique uti ignis, ita linguæ damnum sæpe est irreparabile. Fama enim semel perdita recuperari nequit, *Proverb.* XXV, 8.

Silentium sedat mala linguæ.

Moraliter : Sicut lingua et loquacitas ignem et incendium immane excitat, ita silentium et linguæ moderatio idem sopit et extinguit. Unde Sapiens, *Prov.* XXVI, 20 : « Cum defecerint ligna, inquit, extinguetur ignis : (sic) et susurrone subtracto jurgia conquiescent. » Et *Eccli.* VIII, 4 : « Non litiges cum homine linguato, et non strues in ignem illius ligna. » Quocirca S. Basilius graviter deceptus et offensus ab Eustathio hæretico, quem simulantem conversionem ad communionem admiserat, per triennium siluit, et ne vel litterulam ad eum scripsit, ne potius ex dolore quam ex ratione cum eo expostulare videretur, neve novas rixas suscitaret. Ita habet ejus Vita. S. Basilium quasi socium et fratrem imitatus est S. Gregorius Nazianzenus. Cum enim nonnulli probra in eum jacerent, ut ignem, id est iram, elicerent, ille se siluisse narrat, orat. *De serm. suis* : « Negant, inquit, ut pyritem (qui lapis est internum habens ignem, quem percussus exerit, ait Nicetas), sic me conviciis tundere desituros, donec ex parva scintilla ingentem sermonum flammam excitarint. »

Ipsumque ignem.

Hujus rei symbolo, Deus incendium voce silentis extinxit. Erat is Radulphus, ob silentium continuum cognominatus Tacens : per sedecim enim annos nullum verbum ex ore emiserat. Habitabat ipse in monasterio Affligniensi, quod Bruxellæ adjacens, Belgis notum est et celebre. In eo casu exortum est incendium, quod cum nulla vi restingui posset, Radulphus silentium solvens fidenter edixit : « Stes, ignis; flamma, penitus conquiescas; » illico stetit ignis, ut stetit sol ad imperium Josue. Ita Thomas Cantip., lib. II *De Apibus*, cap. XIII, § 4. Quocirca S. Ephrem, *De Passion. animi*, sic nos antequam loquamur pro lingua moderanda Deum orare docet : « Digitus gratiæ tuæ, Domine, semper moveat linguam meam, tanquam nervum citharæ ad gloriam tuam. Concede mihi, Salvator, petitionem cordis mei, fiatque lingua mea velut cithara ad resonandum jugiter laudes tuas. » Et Esther, XIV, 13 : « Tribue sermonem compositum in ore meo. » Et Psaltes, *Psal.* L, 17 : « Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam. » Et *Psal.* LXX, vers. 8 : « Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam. »

Universitas iniquitatis quæ?

UNIVERSITAS INIQUITATIS.—« Universitas, » id est, cumulus, congeries; simili proverbio vocamus malorum oceanum, malorum iliadem; græce ὁ κόσμος τῆς ἀδικίας, id est, mundus injustitiæ, scilicet est lingua, aut potius silva, quam lingua quasi ignis incendit. Sicut enim linguam comparat igni, ita mundum iniquum comparat silvæ, in quam agit ignis linguæ; alioqui quid igni cum universitate iniquitatis? Jam κόσμος, id est *mundus, primo*, cum nostro Interprete accipi potest pro universo, sive universitate, *q. d.* Uti mundus omnium rerum varietatem et universitatem complectitur : ita lingua omnem iniquitatem parit et continet; aut potius, *q. d.* Lingua totum hunc mundum, qui non est aliud quam silva quædam iniquitatis et injustitiæ, velut ignis infernalis accendit. Rursum, *q. d.* Lingua implet totum universum iniquitate. Nulla enim est regio, nulla civitas, nulla platea, imo sæpe nulla domus quam maledica lingua non impleat detractionibus, calumniis, litibus, tumultibus, bellis, concupiscentiis, libidinibus. Ad hæc mundus iniquitatis accipi potest ipsa congeries injuriarum et scelerum : hujus enim follis et causa est lingua; adeo ut ipsa tribunalia, quæ sunt asyla justitiæ, impleat falsis testibus, injustis advocatis, procuratoribus, judicibus. Ita lingua impia et hæretica Deum blasphemat, Sanctos omnes probris afficit, verbum Domini corrumpit, auditorum mentes excæcat, voluntates ad quidvis audendum accendit, fidem exterminat, spem in præsumptionem vertit, charitatem extinguit, humanitatem tollit, seditionem bellorumque faces accendit; facit superbos, invidos, rixosos, avaros, gulosos, luxuriosos; corpora commaculat, et animas in tartarum demergit. An non ergo ipsa est universitas iniquitatis? omnes enim iniquitates et scelera per linguam aut perficiuntur, aut persuadentur, aut defenduntur, aut excusantur : « Lingua (enim) est lena

et conciliatrix peccatorum,» ait S. Basilius in *Psal.* XXXIII. Denique lingua est mundus et universitas iniquitatis, quia maculat totum corpus, totamque vitam hominis cujusque, uti subdit et explicat S. Jacobus. Addunt aliqui : Lingua est « universitas, » id est academia, « iniquitatis; » quia sicut in academiis docentur omnes artes et scientiæ, sic lingua docet omnia genera iniquitatum. Sed κόσμος non significat academiam.

Secundo, κόσμος, id est *mundus*, verti potest ornatus et ornamentum; sic enim mundus muliebris vocatur mulierum ornatus, *q. d.* Lingua est velamentum et ornamentum iniquitatum. Sicut enim meretrix sua dedecora et sordes tegit vestibus sericis et aureis : sic multi sua scelera velant, excusant, imo exornant sua garrulitate et falsiloquentia. Ita Œcumenius et Isidorus Pelusiota, lib. IV, *epist.* 10. Hinc toties in Scripturis lingua dicitur concinnare, id est, comere et adornare mendacium vel dolos, ut *Psalm.* XLIX, 19; *Job* VI, 26; *Proverb.* XII, 19. Verum prior sensus aptior est et nervosior, ac plane genuinus.

Symbolice *primo*, Thomas Anglicus : Lingua, inquit, totum Universum, puta cœlum, terram et infernum, implet iniquitate. In cœlo enim Lucifer, dicens : «In cœlum conscendam, super astra exaltabo solium meum, etc., similis ero Altissimo, » *Isaiæ* cap. XIV, 13; suisque asseclis idipsum suadens et persuadens, cœlum implevit seditione et apostasia. Sic et impii «posuerunt in cœlum os suum, » *Psalm.* LXXII, 9, maledicendo Deum et cœlites. Rursum : « Lingua eorum transivit in terra, » quia terram implent rixis, bellis, perjuriis, etc. Damnati vero infernum implent suis blasphemiis, jurgiis, sannis, maledictionibus. *Secundo*, lingua impetit Deum blasphemando, proximum calumniando, seipsum jactando. *Tertio*, noster Salmeron et Paës hoc loco per litteras alphabeti ostendunt linguam esse alphabetum et congeriem omnium vitiorum : ex lingua enim oritur adulatio, blasphemia, calumnia, detractio, excusatio in peccatis, gloriatio, hæresis, hypocrisis, irrisio, lamentatio, mendacium, nugæ, otiosa verba, perjurium, querimonia, rixa, susurratio, secreti revelatio, scandalum, taciturnitas noxia, vituperatio, zelus amarus. Scribit Joannes Pellecyus e Societate nostra librum hoc titulo, *Universitas iniquitatis*, in quo quot quantaque sint vitia linguæ ostendit.

Lingua est alphabetum scelerum.

LINGUA CONSTITUITUR IN MEMBRIS. — Græce addunt οὕτως, id est *sic*. Hic enim finitur apodosis : explet enim hic Jacobus cœptam similitudinem ignis et silvæ cum lingua et universitate iniquitatis. Verum quia concisus est, multa subaudit, ut superius annotavi ex Œcumenio. Quare tota hæc ejus sententia ita reddenda et connectenda videtur : Ecce quantulus ignis quantam silvam accendit : una enim scintilla potest accendere totam silvam Herciniam, cujus, ut ait Cæsar, lib. VI *Comment.*, latitudo ad novem diætas, longitudo ultra sexaginta diætas extenditur. Pari modo et lingua ignis est, universitas iniquitatis est silva, in quam lingua instar ignis agit; sicut ergo modicus ignis in silva constitutus eam totam accendit, sic lingua quasi modica corporis particula instar scintillæ in membris constituitur, quæ totum corpus putida sua exhalatione et adustione commaculat, totamque vitæ seriem malitiæ flammis succendit. Hunc esse sensum patet ex Græco, eumque exigit hujus versus cum præcedenti cohærentia et connexio, nec alia idonea causa afferri potest, cur Jacobus dicat linguam constitui in membris nostris.

Nota : Lingua a Deo posita est in ore hominis et animalium quatuor de causis : *Prima* est, ut sit interpres animi, ejusque cogitationes et affectus enuntiet. Nam, ut ait S. Augustinus, præfat. *in Psalm.* XCIII, « Quid velit cor, lingua testatur. » Et Aristoteles, lib. *Periherm.*, docet voces esse signa conceptuum et passionum animæ. Lingua in ore quatuor de causis. Prima.

Secunda, ut serviat cibo et comestioni : lingua enim contritos et commolitos dentibus cibos colligit, et collectos vi sua deprimit et transmittit ad ventrem. Quocirca Varro censet linguam dici a ligando, quod liget cibum : licet alii a lingendo dictam velint. Secunda.

Tertia, lingua sapores sentimus et discernimus ut cibos commodos ab incommodis et noxiis secernamus; lingua ergo est quasi prælibator et prægustator stomachi. Tertia.

Quarta, lingua bestias in potu adjuvat : illæ enim extenta cavataque lingua hauriunt aquam, eamque comprehensam linguæ sinu, ne tarditate ac mora defluat, ad palatum celeri necessitate complodunt, itaque in ventrem trajiciunt. Quarta.

Verum homo corruptus et vitiatus his omnibus abutitur, eaque in vitium et scelus vertit, primum scilicet in mendacia, perjuria, detractiones, rixas, etc., secundum, tertium et quartum in gulam et crapulam.

QUÆ MACULAT. — Persistit in metaphora ignis. Ignis enim dum rem adurit, eam atro colore, æque ac odore inficit et maculat : ita lingua dum adurit totum hominem, eumdem tetro libidinum, rixarum, vulnerum omnisque vitii, æque ac infamiæ colore et odore fœdat et maculat. Ita Œcumenius. Probat mundum sive universitatem iniquitatis esse silvam, quam lingua instar ignis accendit, ex eo quod lingua totum corpus totamque vitam, omnesque actiones hominis cujusque commaculet et succendat : ex omnibus enim hominibus conflatur mundus, et ex iniqua vita cujusque hominis conflatur universitas iniquitatis.

TOTUM CORPUS. — Per hoc aliqui accipiunt omnes hominis potentias, habitus, passiones, quæ sibi invicem subordinatæ unum quasi corpus constituunt. Alii totam actionum humanarum congeriem, ac corpus. Verum hoc corpus mysticum est potius, quam litterale. Alii, *q. d.* Lingua vitia animi profert in lucem, itaque totum quasi

corpus hominis publice dehonestat. Ego propriam maculam et hominis corpus hic intelligo, quod suis membris constat et integratur : in his enim dixit constitutam esse linguam, *q. d.* Lingua exigua in membris hominis constituta est, non tam quasi membrum, quam quasi particula et pene punctum membrorum. Quod enim in circulo est centrum, in rota modiolus, hoc in capite est lingua. Sicut ergo, moto centro, movetur totus circulus, et centro vitiato, vitiatur circulus, ita mota et maculata lingua movetur et maculatur totum caput, totumque corpus hominis. Porro, per corpus synecdochice animam totumque hominem intellige, *q. d.* Lingua maculat corpus et animam, id est totum hominem omnesque ejus actiones : nam, ut explicat S. Chrysostomus homilia 22 *ad Populum*, maculato corpore, necesse est maculari animam, juxta illud : « Corrumpunt bonos mores colloquia prava, » I *Corint.* cap. XV, vers. 33; lingua enim inficit aures, et per aures phantasiam, caput, mentem et voluntatem pravis desideriis, cupiditatibus, odiis, inimicitiis, erroribus, etc., ex quibus sequuntur crapulæ, fornicationes, adulteria, pugnæ, verbera, cædes, etc., quæ corpus commaculant. Rursum lingua inficit tres appetitus hominis, et per eos totum hominem : inficit enim appetitum concupiscibilem concupiscentiis; irascibilem ira et rixa; rationabilem errore, odio, hæresi, etc. In hujus rei signum et symbolum Deus Mariam, sororem Mosis, lingua abutentem et murmurantem contra Mosen percussit lepra in toto corpore, *Num.* XII, 1. Simili enim modo lingua impudica, rixosa, blasphema, etc., totam mentem et totum corpus, id est, totum hominem commaculat et quasi lepra inficit.

Rota nativitatis quæ? Respondeo. Primo.

ET INFLAMMAT ROTAM NATIVITATIS NOSTRÆ. — Pro γενέσεως, id est *generationis, nativitatis,* nonnulli apud Œcumenium legerunt γεέννης, id est *gehennæ, q. d.* Lingua incendit et excitat in nos gehennam, veluti grassari faciens adversus nos ignem. Sed et ipsa incenditur a gehenna, ut manifestum est ex divite, qui lingua cruciabatur, *Luc.* XVI, ait Œcumenius. Huc spectat illud Christi *Matth.* cap. V, 22 : « Qui dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis. » Verum alii passim legunt γενέσεως, quod *primo,* Syrus vertit, *genealogiam.* « Inflammat, inquit, series genealogiarum nostrarum, quæ currunt in modum rotarum; » lingua enim serens odia inter familias, urbes et regna, eadem transmittit in posteros per multas generationes et sæcula, ut perpetuæ inter eos, immortales et irreconciliabiles lites et inimicitiæ esse videantur.

Secundo.

Secundo, alii per τροχὸν γενέσεως accipiunt universum orbem conditum, ut τροχὸς ponatur pro κυκλῳ, id est, circulo et orbe; γενέσεως, pro κτίσεως, id est creatione et conditione : respicit enim et explicat id quod dixit, linguam esse ignem a quo accenditur κόσμος ἀδικίας, id est, *mundus* vel *universitas iniquitatis, q. d.* Lingua totum orbem tartareo igne inflammat.

Tertio.

Tertio, Vatablus per *rotam nativitatis,* id est rotam natam et genitam, non arte a fabro factam, accipit totum corpus, quod est vehiculum animæ, *q. d.* Lingua adducit in discrimen totum corpus et animam, id est, totum hominem, si inconsulte moveatur : sicuti molæ molendinorum totum molendinum incendunt, ubi nimio motu ignem conceperint.

Quarto.

Quarto et genuine, « rotam nativitatis » nostræ vocat Jacobus universum vitæ nostræ cursum, qui a lingua inflammatur ira, libidine, superbia aliisque sceleribus, atque uritur multis ærumnis, morbis, molestiis et malis, ait Vatablus. Hic cursus dicitur rota, quia instar rotæ a nativitate usque ad mortem semper volvitur cum rotatione cœli, cui subjacet, et a qua regitur et rotatur. Græcum enim τροχὸν, si accentum gravem ponas in ultima, significat tam rotationem quam rotam; sin vero per accentum in penultima legas scribasque τρόχον, significat currum. Unde Beda : « Cursum, inquit, humanæ vitæ lingua contaminat, quo ad mortem usque veluti currenti rota agimur. » Ita Œcumenius : « Rota, inquit, dicitur vita, quia in se ipsam revoluta. » Et Isidorus Pelusiota, lib. I, *epistola* 158 : Tempus, inquit, vitæ nostræ rotæ speciem imitatur; utpote quod in se torqueatur et convolvatur. Dies enim succedit diei, mensis mensi, annus anno, ut uno finiente alter incipiat, itaque ad sui principium dies, mensis et annus quasi redeant et in se perpetuo revolvantur, ut choream jugem agere videantur. Sic et Lyranus, Glossa, Hugo, Thomas Anglicus, Cajetanus, Salmeron, Catharinus, Vatablus et alii passim.

Vita nostra est rota. Primo.

Ætas ergo vitaque nostra vocatur rota. *Primo,* quia nunquam consistit, sed semper instar rotæ circumvolvitur. Audi S. Gregorium Nazianzenum in *Sentent.* : « Rota, ait, est incerte fixa, brevis hæc et multiplex vita. Sursum movetur, ac deorsum trahitur : neque enim stabilis est quantumvis ita videatur : fugiens tenetur, et manens effugit; saltat plerumque, nec tamen fugere potest : stationem suam motu trahit ac retrahit. Quocirca ipsius inanitas nullo modo rectius describi potest, quam si vel fumus, vel insomnium, vel herbæ flos appelletur. Atque olim quidem avarus quispiam his verbis usus esse fertur : Fortunæ guttam malo, quam mentis dolium. Sed ei præclare sapiens quidam hoc opposuit : Mentis guttam pluris facio, quam fortunæ dolium. »

Alludit S. Jacobus ad rotas curruum et ad laminas ferreas, quæ ignitæ circumcirca rotis a fabris affiguntur, ut rotæ sint fortiores, et lapidibus, dum per eos rotantur, diutius resistant. Hisce enim laminis ignitis comparat linguam, *q. d.* Quod lamina ignita est in rota, hoc lingua est in rota vitæ : sicut enim lamina hæc ignitur in fornace, ita lingua ignitur in fornace gehennæ; et sicut lamina ignita a fabris dum applicatur clavisque affigitur rotæ, undique vomit flammas, videtur-

que totam rotam ligneam circumcirca inflammare, ita pariter lingua inflammat totam rotam vitæ nostræ. Ita de lingua laudante dixit S. Augustinus, lib. XX *Confess.*, cap. XXXVII : « Quotidiana fornax nostra lingua humana. » Quid de petulanti, impudica, maledica, invida, rixosa dixisset?

Secundo. *Secundo*, sicut rota in puncto tantum terram attingit, ita hominum vita res terrenas leviter tantum degustat : illæ enim mox rotantur et abeunt.

Tertio. *Tertio*, sicut rota major rapit minorem sibi subditam et subalternam : ita rotatio cœli secum rapit et rotat rotam vitæ nostræ, ait Cajetanus.

Quarto. *Quarto*, quia instar rotæ velocissime ad metam et mortem decurrit. Vocatur autem « rota nativitatis, » quia ab ipsa nativitate ad mortem properamus, et instar rotæ currimus. Unde ex Isidoro Pelusiota Œcumenius : Lingua, inquit, inflammat rotam nativitatis, contaminat vitam, dum temere ac petulanter movetur; unde ἐκταραχύνεται, id est *exacerbatur*, exasperatur, atque innumeris rerum varietatibus et ærumnis succumbit; vel, ut alii legunt, ἐκταχύνεται, id est acceleratur vita nostra, sive tempus et finis vitæ nostræ. Simili metaphora *Eccles.* XII, 6, dicit in morte conteri hydriam super fontem, et confringi rotam super cisternam. Ubi interpretes per *hydriam* accipiunt venas aut fel, per *fontem* jecur; aut per *hydriam* corpus, per *fontem* elementa, in quæ moriens homo abit et resolvitur; per *rotam* caput, per *cisternam* cor, ex quo caput haurit omnes spiritus vitales. Corde enim extincto, etiam cerebrum deficit et extinguitur. Hinc noster Serarius hic : « Rota, ait, est nativa quælibet perturbatio, qua tanquam rota, huc illuc rotamur et agitamur. »

Quinto. *Quinto*, sicut rota rotando redit ad sui principium, sic vita nostra tum agendo, tum moriendo redit ad sui principia. Dum enim una actio finitur, incipit alia : sic labor laborem parit, et sæpe dum credimus eum finire, de novo idem inchoandus est, juxta illud *Eccli.* XVIII, 6 : « Cum consummaverit homo, tunc incipiet. » Ita Lyranus. Hinc veteres pinxerunt annum quasi serpentem actum in gyrum, qui caudam ore mordet : quia ubi cauda et finis unius anni desinit, ibi os et principium alterius incipit.

Sexto. *Sexto*, sicut in rota dum una pars deprimitur, adversa erigitur; sic in hac vita, dum hi deprimuntur, illi exaltantur; et vice versa. Hæc est rota fortunæ. Rotam hanc quisque continuo subit, ut nunc humilietur, nunc exaltetur, nunc rursum humilietur.

Exempla. In hujus rei symbolum Archiepiscopus Moguntinus pro stemmate gerit rotam : cujus origo et auctor fuit Willigisus, qui cum ex carpentario et fabro rotarum creatus esset Archiepiscopus Moguntinus, rotam pro insigni sumpsit, ut perpetuo prioris suæ tenuis fortunæ memor, in humilitate se contineret; quod deinde successores ejus retinuerunt, uti narrat noster Serarius in *Moguntia*, lib. IV, pag. 723.

Simile est quod Glycas refert, lib. IV *Annal.*, de Sultano capto a rege Francorum, qui cum in vinculis nunquam risisset, visa rotatione currus in risum se effudit; rogatus causam, dixit rotationem hanc ei repræsentasse suam et rerum humanarum vicissitudinem, qua nunc hi, nunc illi, imo quisque nunc erigitur, nunc deprimitur : quocirca vinculis liberatus in Consiliariorum numerum a rege cooptatus est. Hoc est quod Boetius in seipso expertus, de rota fortunæ ait, lib. II *De Consol.*, prosa 1 : « Hæc nostra vis est, hunc continuo ludum ludimus : rotam volubili orbe versamus, infima summis, summa infimis mutare gaudemus. Ascende, si placet; sed ea lege, ne utique cum ludicri mei ratio poscet, descendere injuriam putes. »

Sic et Theodorus, Prisci medicus, apud Nicephorum, lib. XVIII, cap. XXIX, recitat quemdam regem, Sesostris regis junctum currui, rotarum ejus continuas volutiones spectantem, et his vitam nostram comparantem, se suosque in libertatem asseruisse. Sesostris enim quatuor reges devictos instar equorum currum suum trahere jusserat; sed hac unius sapienti oratione flexus illos hoc jugo exsolvit. Vere Pythagoras apud Diogenem Laertium, lib. VIII, ait vitam humanam similem esse foro et nundinis, ad quas dum alii veniunt, alii revertuntur, alii vendituri, alii empturi, alii spectaturi.

Lingua vitia totam vitam occupant. Porro cætera vitia certam ætatis et vitæ partem occupant, ut gula pueritiam, libido juventutem, ambitio virilem ætatem, etc., omniaque fere cum homine senescunt et emoriuntur : solum linguæ vitium omnem vitam occupat, ut ait hic S. Jacobus, et in senio perdurat. Senum enim propria est loquacitas, qua narrant omnia per totam vitam a se gesta, visa et audita; quare putant se sapere suumque esse loqui, esse juvenum vero tacere, audire aut discere. Inter omnia autem linguæ vitia nocentissimum, ac perpetuum, et quasi per omnem vitam perennans est detractio.

Detractionis mala. Hæc inflammat totam rotam et cursum ætatis nostræ, ac denigrat et maculat alienæ. Hæc est quæ turbat domos, urbes et regna : hæc est quæ concitat odia, lites, rixas immortales, et bella internecina. Hæc est quæ ubique grassatur et dominatur : unde quidam eam comparat lingulæ chalybeæ sclopeti, quæ collisione ad rotulam ignem elicit, qui sulphureum pulverem inflammans glandem plumbeam ejaculatur, qua instar fulminis illico quemlibet percutit et occidit; sed perperam censet S. Jacobum de ea loqui : hæc enim non est rota nativitatis, nec cognita ætate S. Jacobi, sed nuperrimum inventum Germani anonymi, qui illud primo ostendit Venetis in bello contra Genuenses, anno Domini 1330, uti narrat Polydorus Virgilius, lib. II *De Inventoribus rerum*, cap. XI.

Hanc Ecclesiasticus, cap. XXVIII, vers. 16, vocat « linguam tertiam, » quia discordiam serit inter duos, et quia detrahit tertio absenti. Alii *tertiam* exponunt trisulcam, quia instar tridentis et gladii tricipitis, ac fulminis trisulci, tres uno ictu ferit et conficit, nimirum detrahentem, audientem et absentem cui detrahitur, uti notat S. Bernardus, serm. *De Triplici custodia manus, linguæ et cordis*. Sed audiamus utrumque : « Lingua tertia, ait *Ecclesiastic.*, multos commovit, et dispersit illos de gente in gentem : civitates muratas divitum destruxit, et domos magnatorum effodit : virtutes populorum concidit, et gentes fortes dissolvit : lingua tertia mulieres viratas (græce ἀνδρείας, id est viriles, viragines) ejecit, et privavit illas laboribus suis. Qui respicit illam, non habebit requiem, nec habebit amicum in quo requiescat. Flagelli plaga livorem facit : plaga autem linguæ comminuet ossa. Multi ceciderunt in ore gladii, sed non sic quasi qui interierunt per linguam suam. Beatus qui tectus est a lingua nequam, qui in iracundiam illius non transivit, et qui non attraxit jugum illius, et in vinculis ejus non est ligatus : jugum enim illius, jugum ferreum est; et vinculum illius, vinculum æreum est. Mors illius, mors nequissima : et utilis potius infernus, quam illa, » *q. d.* Satius est mori et ire ad inferos statumque defunctorum, puta ad limbum, quam pati vexationes linguæ tertiæ, puta detractoris.

S. Bernardi verba sunt : « Numquid non vipera est lingua ista? Ferocissima plane, nimirum quæ tam lethaliter tres inficiat flatu uno. Numquid non lancea est ista lingua? Profecto, et acutissima, quæ tres penetrat ictu uno. Lingua, inquit Psaltes, eorum gladius acutus. Gladius equidem anceps; imo triceps est lingua detractoris. Nec vero ejusmodi linguam ipso etiam mucrone, quo Dominicum latus confossum est, crudeliorem dicere verearis. Fodit enim hæc quoque Christi corpus, et membrum de membro, nec jam exanime fodit, sed facit exanime fodiendo : ipsis quoque nocentior est spinis, quas illi tam sublimi capiti furor militaris imposuit : sex etiam clavis ferreis, quos sanctissimis manibus illis et pedibus consummatio judaicæ iniquitatis infixit. Nisi enim hujus quod nunc pungitur et transfoditur corporis sui vitam, illius vitæ corporis prætulisset, nunquam illud pro isto mortis injuriæ, crucis ignominiæ tradidisset. Et dicimus : Levis res sermo, tenera, mollis et exigua caro, lingua hominis : quis sapiens magni pendat? Levis quidem res sermo, quia leviter volat, sed graviter vulnerat; leviter transit, sed graviter urit; leviter penetrat animum, sed non leviter exit; profertur leviter, sed non leviter revocatur; facile volat, atque ideo facile violat charitatem. Vilis res est musca moriens, sed exterminat oleum suavitatis. Tenerum membrum lingua, attamen vix teneri potest : substantia quidem infirmum atque exiguum, sed usu magnum et validum invenitur. Modicum membrum est; sed nisi caveas, magnum malum. » Denique noster Augustinus Quiros hic nove, sed ingeniose et apposite hanc rotam explicat. Arbitror, inquit, hic rotam sumi metaphorice pro acerbissimo illo antiquissimoque cruciatu, quem τροχὸν Græci, *rotam* Latini nominarunt : cujus supplicii mentio fit *Proverbior.* cap. XX, vers. 26 : « Et incurvat super eos fornicem; » ubi in Hebraico textu et in editione Septuaginta legimus : « Et immittet illis rotam, » græce τροχὸν; observatque ibi Vatablus, genus fuisse supplicii usitatum apud Hebræos. Et vero in eo supplicio non solum, distentis laxatisque membris, homines atrocissime excarnificabantur, sed urebantur etiam admotis flammis, ut aperte constat ex Josepho in lib. *De Machabæis*, cujus hæc sunt verba : « Ut erat affixus rotæ, igni in catasta objicitur; atque ita tendentibus corpus radiis, et contrahentibus flammis, et costis deinde patentibus, laterum vitalia rumpuntur. » Et ex Apuleio, lib. III *De Asino aureo* : « Nec mora, ignis et rota : tum omne flagrorum genus inferuntur. » Ab hoc supplicii genere vocitatos affirmat Christianos per irrisionem sarmentitios Tertullianus in *Apologetico*, cap. L : « Quia ad stipitem, inquit, dimidii axis revincti, sarmentorum ambitu exurimur. » Tractant de hoc supplicio Baronius in *Martyrologio*, die 23 aprilis; Pontanus in lib. VI *Æneidos*, col. 1485; Turnebus, lib. VII *Adversarior.*, cap. XVI. Omnium vero ut novissime, ita accuratissime noster Cerda in lib. VI *Æneid.*, vers. 616, num. 10; Bisciola, tom. II *Horarum subcisivarum*, lib. XII, cap. IX. « Rotam itaque nativitatis » explico per metaphoram, supplicium naturæ nostræ : nam etiam Plautus metaphorice usus est et vocabulo et supplicio rotæ, in *Cistellaria*, actu II, scena 1, « Jactor, crucior, agitor, stimulor, versor in amoris rota miser. » Eodem gignendi casu usus est Jacobus, cap. I, vers. 23, cum faciem nativam appellavit « vultum nativitatis. » Quod autem supplicium atrocius, quis carnifex naturæ nostræ truculentior excogitari potest, quam impotentes animi perturbationes? Eæ nativæ cum sint, id est ipsa ab natura ingenitæ, ubi modum intemperanter excedunt, hominem miserrime et acerbissime torquent : ut merito rota nativitatis, hoc est nativus cruciatus, nominentur. Suboluit hæc explicatio sagacissimo ingenio Serarii nostri, dum ait in Commentario hujus loci : « Vel rota est nativa quælibet perturbatio, qua tanquam rota huc illuc rotamur et agitamur. » Hæc ipse.

Rota pro tormento.

Vita ergo nostra est rota, non quælibet, sed torquens et discrucians, adeoque ipsa est tormentum rotæ, quia non est aliud, quam continua rotatio laborum, morborum, dolorum, anxietatum, perturbationum, curarum, timorum, cupiditatum, miseriarum et malorum omnium, quæ hominem continue, sed varie rotant, lace-

rant, discerpunt, excerebrant : huic vero tormento rotæ aliud, ignis scilicet, addit lingua petulans, dum hominem tot malis rotatum instar ignis urit, cruciat, consumit : perinde ac tormentum rotæ erat; quo corpus ut rotæ aptaretur, debebat necessario frangi, exossari, exvertebrari. Deinde corpus sic rotæ illigatum et pendens rotabatur in gyrum, idque velocissime et conversim, ut jam in unam partem versaretur, jam in contrariam mutato motu : quo fiebat, ut viscera et membra omnia miserum in modum jactarentur et divellerentur, juxta illud Senecæ in *Hercule Furente* :

Rapitur volucri tortus Ixion rota.

Et Statius, VIII *Theb.* :

.....Ixione frango
Vorticibus.

Denique non raro homini sic rotæ affixo subjiciebatur ignis, uti factum esse Machabæis testatur Josephus in eorum Vita. Talis est et rota vitæ nostræ, ab igne linguæ succensa.

INFLAMMATA A GEHENNA. — Cajetanus vertit active *inflammat sub gehenna, q. d.* Lingua inflammat rotam nativitatis nostræ, id est vitam præsentem quoad culpam, sed futuram quoad pœnam : in gehenna enim et sub gehenna, puta supposita et subjecta igni gehennæ, rota ardens et sulphurea inflammabit hominem, qui lingua tota vita abusus est, per omnem æternitatem. Sic dives Epulo in gehenna cruciabatur in lingua, qua delicate vivens spreverat Lazarum : unde petebat eum ad se mitti, ut injecta frigida mitigaret incendia linguæ, *Lucæ* XVI.

Mala lingua inflammatur a gehenna.

Verum passive vertendum est *inflammata*, uti vertit noster et alii passim : passivum enim est Græcum φλογιζομένη, appositum activo φλογιζούσα, quod dixit de rota nativitatis, *q. d.* Lingua adeo est exitialis, adeo omnia adurit, adeo inflammat rotam totius vitæ nostræ, ut videatur conflata in fornace gehennæ, ibique igne tartareo inflammata inflammare rotam et cursum totius vitæ cujusque, ac consequenter totius Universi : sicuti Primo. Poetæ finxerunt furias, accensis ex Erebo facibus, totum mundum inflammare; est catachresis : non enim vere et proprie lingua maledica inflammatur a gehenna, sed per similitudinem; quia scilicet tam maledica et tam pestilens urensque est, ut videatur non terreno, sed infernali igne succensa. In inferno enim damnati ex desperatione lingua ignita et furibunda maledicunt Deo, Sanctis ac creaturis omnibus. Simili tropo dicimus : Hæc tyranni superbia, hæc ira, hæc invidia tanta est, ut non videatur humana, sed infernalis et diabolica (1).

Adde, linguam dici inflammari a gehenna per metonymiam, quia scilicet inflammatur a diabolo, qui est rex et præses gehennæ. Sicut ergo Sancti, præsertim doctores et prædicatores, loquuntur lingua angelorum, imo angeli per eorum linguam loquuntur : ita ex adverso perversi, præsertim doctores, ut hæretici, schismatici, susurrones, seminantes rixas et bella, docentes obscena, famam alienam mordentes, etc., loquuntur lingua dæmonum, imo dæmones per eorum ora et linguas loquuntur. Unde hæresiarchas omnes suas hæreses didicisse a doctore diabolo docet S. Augustinus, lib. II *De Genesi contra Manich.*, cap. XXV et XXVI; Irenæus, lib. V, cap. XXIII; S. Athanasius, orat. *contra Arianos*. Imo ipsos habuisse dæmones paredros, id est assessores et familiares, tradit Irenæus, lib. I, cap. IX, et lib. II, cap. LVII. Eosdem habuisse Berengarium, Lutherum, Calvinum, Zuinglium, ostendi I *Timoth.* IV, 1. Hoc est quod ait *Job* cap. XLI, vers. 12, de Behemot, id est elephante, qui est typus diaboli : « Halitus ejus prunas ardere facit, et flamma de ore ejus egreditur. » Et S. Joannes, *Apoc.* cap. IX, vers. 17 : « Vidi equos in visione, et qui sedebant super eos habebant loricas igneas, et hyacinthinas, et sulphureas, et capita equorum erant tanquam capita leonum, et de ore eorum procedit ignis, et fumus, et sulphur. » Vide ibi dicta. Concludat S. Chrysostomus, homil. *Ad baptizandos*, tomo V : « Undique, ait, nobis insidias dæmon præparare consuevit; sed facilius lingua et ore peccante : nullum enim æque congruum illi organum in ministerium est interitus atque peccati. »

Secundo.

Denique gehenna est proprius locus ignis et incendiorum, eorumque quasi fons, imo oceanus et barathrum : ardent enim damnati ut omni culpa et scelere, ita et omni pœna et igne; quocirca sicut Ætna, Vesuvius, Hecla similesque montes qui ignes evomunt, dicuntur a multis inflammari ab igne inferni, ejusque esse quasi os, camini et spiracula : ita et lingua quæ ardores litium, bellorum, incendiorum, omniumque scelerum et malorum tam culpæ, quam pœnæ suscitat, dicitur inflammari a gehenna, quasi illa in vicinam sibi superpositam terram eos exhalet, per catachresim, qua res quasque suis assignamus locis, quibus abundant. Sic flumina omnia dicuntur oriri a mari, *Eccles.* I, 7, quia mare aquis abundat. Igitur sicut faber lignarius, vel carpentarius contundendis cædendisque lignis et lapidibus præparans malleum, eumdem prius ad ignitam mittit incudem, ut ibi aptetur et exacuatur : ita maledicus homo, impetu fu-

(1) Τὸ *inflammata a gehenna* Rosenmullerus sic explicat : « Sicut ipsa (lingua) incendit, ita et ipsa, nempe cum corpore, incendium feret gehennæ. Lingua, quæ tot iras accendit, et corpus hominis vitamque depasta est, post hæc omnia denuo ardebit, inflammata et discruciata a gehenna. Sensus idem qui *Matth.* V, 22. Jacobus sine dubio respexit ad vulgarem Judæorum opinionem, eam corporis partem, qua homo in hac vita imprimis peccasset, in inferno imprimis puniri, sive igne cruciari, » *Sapient.* XI, 17.

rens, odiisque armatus ad incudem inferni, ad cacodæmones gehennæ malleatores suam mittit linguam, ut furiali quodam splendescat acumine, quod deinde mores hominum confundat, honorem, famam vitamque prorsus comminuat, discindat, laceret; quin et cædes, rapinas, incendia domorum, urbium et regnorum suscitet, acuat, inflammet.

GEHENNA. — Ita per crasin dicitur hebraice « geben Ennom, » id est, *vallis filii Ennom*, quæ erat juxta Jerusalem, in qua parentes cremabant filios idolo Moloch, et ne eos ejulantes audirent, pulsabant *toph*, id est, tympanum; unde locus dictus est *Tophet*. Ibidem cæsa sunt ab angelo occulto ardore et igne 185 millia militum Sennacherib: unde ob similem crudelitatem, stragem et incendia infernus dictus est *Gehenna* et *Tophet*, uti dixi *Isaiæ* XXXII, 33, et *Jerem.* VII, 31, et XIX, 2.

Denique totam hanc Jacobi sententiam egregie pertractat Gilbertus abbas in *Appendice ad Canticum* S. Bernardi, serm. 24, dicitque : « Jacobus ait : Lingua modicum membrum inflammat rotam nativitatis nostræ, inflammata et ipsa a gehenna. Quomodo potest bene inflammare lingua tam pessime inflammata? vitiatæ nativitatis mobilis corruptela per se nimis rotatur ad malum, et volubilitate propria fertur in præceps. Et quid necesse est inflammari rotam hanc, quæ firmari non potest, sed per se fertur in malum? Denique diligenter appositum est cor hominis in malum ab adolescentia sua. A prima nativitate impulsa nescit cursum inflectere, et tu illam lingua prava impellis amplius et inflammas? Lingua prava iracundiæ et indignationis occasiones requirit, injurias vel falsas simulat, vel veras exaggerat, quas debuerat dissimulare; ad offensam officia etiam interpretatur, et venenati sermonis scintillas adhibet ad commovendum cor suum. Quid, lingua nequam, cordi tuo talem adhibes flammam? sufficiat illi flamma sua, sufficiat illi concupiscentiæ ardor carnalis, et levitatis calor innatæ, quibus cor tuum ac si volubilis rota impellitur. Deinde ejus originem et terminum recenset. Hanc tibi flammam nativitas prima ingenuit, sed renascendi gratia restringit. Noli ignem igni adhibere, et concupiscentiæ addere malitiam : ignem hunc quem evomis, hauris de gehenna : inde incipit, et illo rapit : Lingua, inquit, inflammata a gehenna. Lingua hæc mala coccinea est, sed vitta non est. Non enim ligat, sed dissipat. Male succendit, quia succidit unita, quia dissidii verba scintillat, et flamma talis de inferis est : nam flamma, quæ desursum est, pudica est, pacifica est, bonis consentiens, et bonos faciens. Verbum enim dulce et multiplicat amicos, et mitigat inimicos. Quasi flammam flamma consumit, inferiorem superior, infernalem cœlestis; dum sapiens et suave verbum vincit malignum, et dulce durum emollit, et ideo dicit : Sicut vitta coccinea labia tua, et eloquium tuum dulce. Non enim decent sponsam nisi verba dulcia, verba amoris, verba quæ delicati funiculi vice fungantur, verba quæ sponsum irretiant, et trahant vinculis charitatis. Felix anima, quæ hujus novit dulcium verborum nectere retia, quibus Jesum illaqueet, alliget Verbum Patris, animi affectibus vel affatibus Christum includat, amatorio deliniat sermone et delectet, ut ejus eloquium dulce sit ei qui habet verba vitæ æternæ, et est Verbum æternum, quod cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen. »

7. OMNIS ENIM NATURA BESTIARUM. — S. Jacobus, ut ostendat quantam vim et efficaciam habeat lingua, ac proinde quanta ei sit adhibenda cura, *primo* comparavit eam fræno equi; *secundo*, gubernaculo navis; *tertio*, igni modico silvam incendenti. Unde *quarto*, hic comparat eamdem bestiis ferocissimis, atque iis magis efferam et indomitam : idque apposite ad etymon linguæ in Hebræo; lingua enim hebraice dicitur לשון *lascon*, quod videtur esse diminutivum a ליש *lais*, id est, *leo* (sicut ab איש *is*, id est *vir*, dicitur אישון *iscon*, id est, *virunculus* et *pupilla oculi* : in ea enim apparet *virunculus*). Unde *lascon*, id est *lingua*, idem est quod leunculus, parvus leo; quia sicut leo sævus est et fortissimus animalium, ac bestiarum omnium rex : ita et lingua sævissima, et fortissima est, omniumque princeps et domina. Rursum, sicut leo latet in spelunca, ex eaque in prædam a se visam improvisus insilit : ita lingua latet in ore quasi in insidiis, ex eoque obvios quosque et ignaros invadit. Porro *lais*, id est *leo*, dicitur a לוש *lus*, id est *subegit*, eo quod prædam subigat, omnesque feras sibi subjiciat. Unde alii *lascon*, id est *linguam*, derivant per metathesin a נשל *nascal*, id est, *detraxit*, *dejecit* : utrobique enim eædem prorsus sunt litteræ, sed transpositæ : *lascon* enim *nascal*, id est, *lingua* omnia *detrahit*, dejicit, subigit et sternit quasi leo. Porro ab Hebræo *lascon* nonnulli deducunt Græcum γλῶσσα, id est *lingua*, addito γ, et a γλῶσσα deducunt Latinum *gloria*, quasi *glosia* : lingua enim est quæ gloriatur, ipsaque unicum gloriationis et jactantiæ est instrumentum. Simili modo nonnulli linguam latine dictam volunt a ligando, quod ipsa quasi indomita fera et leo, dentium et labiorum septis, tanquam muris, vallata ac ligata sit. Hinc de lingua maledica ait *Eccles.* cap. XXVIII, vers. 27: « Immittetur in illos (injustos et impios) quasi leo, quasi pardus lædet illos. » Ipsa est ergo quasi leopardus, sævior leone et pardo, utpote qui utriusque sævitiam exsuxit et in se conjunxit. Hinc et illud *Proverb.* XX, 2 : « Sicut rugitus leonis, ita et terror, » puta lingua, et vox terrifica, « regis : qui provocat eam, peccat in animam suam, » *q. d.* Animæ, id est vitæ suæ, creat periculum. Et *Isaiæ* V, 29, de Nabuchodonosor : « Rugitus ejus ut leonis, rugiet ut catuli leonum. » Simile est *Ezech.* XIX, 7; *Zach* XI, 3.

Vers. 7.

Lingua hebraice *lascon*, id est leunculus.

Feræ obediebant Adæ. Unde?

Nota : In statu innocentiæ et integræ naturæ, in quali conditus fuit Adam, positusque in paradiso, omnia animalia, etiam feræ, homini obediebant ad nutum. Unde singula venerunt ad Adam, quasi servi ad dominum, ab eoque singula nomen acceperunt, *Genes.* II, 19. Id fiebat per instinctum obediendi homini, quem eis indebat Deus per angelos : per talem enim instinctum canes, equi, asini, muli et boves parent homini, et catuli ferarum parent matribus feris. Hunc instinctum perdiderunt bestiæ, peccante Adamo, qui proinde jus herile et dominium in eas per peccatum amisit. Sancti tamen eminentes, qui proxime accesserunt ad primævam innocentiam, hoc dominium recuperarunt, ut S. Paulus, S. Antonius, S. Franciscus. Cæteri homines longo usu, arte et industria similem instinctum feris indunt, itaque eas aliquo modo domant et cicurant.

Ars domandi leones.

Primo ergo feras quaslibet domari ab homine, multis docetur exemplis. Experientia constat, et docet Plinius, lib. VIII, cap. XVI, hac arte domari et vinci leones, etiam furentes et irruentes, si quis in caput eorum pallium aut vestem objiciat, qua oculi eorum velentur, « quia omnis vis et feritas consistit in oculis. » Addit Plinius : « Jugo subdidit eos, primusque Romæ ad currum junxit M. Antonius, et quidem civili bello, cum dimicatum esset in Pharsalicis campis. Primus autem hominum leonem manu tractare ausus, et ostendere mansuefactum Hanno e clarissimis Pœnorum traditur, damnatusque illo argumento, quoniam nihil non persuasurus vir tam artificis ingenii videbatur; et male credi libertas ei, cui in tantum cessisset etiam feritas. Mentor Syracusanus in Syria leone obvio suppliciter volutante, attonitus pavore, cum refugienti undique fera opponeret sese, et vestigia lamberet adulanti similis, animadvertit in pede ejus tumorem vulnusque, et extracto surculo liberavit cruciatu. »

Simile est, quod de leone obediente Androdo, ob spinam e pede sibi ab eo exemptam, recitavi *Isaiæ* I, 3. Et tale subdit Plinius de Elpide Samio, ac cap. XVII, de Democrito Physico, qui pantheræ blandienti catulos e fovea eximens, « ab ea læta et gestiente usque ultra solitudines deductus est, ut facile appareret gratiam referre. » Subdit de infantibus ferarum lacte nutritis, cum essent expositi, uti Romulus et Remus a lupa. Ælianus, lib. XV, cap. XIV, narrat Indos suo regi offerre cicures tigrides, pardos et oryges quadricornes. Paulus Venetus in Historia Tartarorum narrat magnum eorum Khan cicuratos habere leones, tigrides, pardos, ursus, etc., quibus in venatione se oblectet, veneturque ejusdem speciei feras. Rhinocerotes cicuratos Domitiano Imperatore Romam advectos narrant Suetonius et alii. De elephantum docilitate stupenda, quæ fidem videntur excedere, ex Ælíano, Plinio, Oppiano, Aristotele et aliis recenset Lipsius, centuria 1, *epist.* 50. Denique bestiarii, sive præfecti bestiarum Romæ alebant et regebant leones, tigrides, pardos, ursos omnesque feras, quas e caveis in amphitheatrum ad pugnas et spectacula educebant et reducebant.

Jacobus ergo comparans linguam cum bestiis, innuit in ea quid esse irrationale, stultum et bestiale, ideoque indomitum. Ita Philosophi censent loquacitatem signum esse parvi cerebri et judicii, adeoque stultitiæ. Unde Solon cuidam dicenti, illum ideo non loqui, quia insanus esset : « Nullus, inquit, stultus tacere potest. » Theocritus audiens initium orationis Anaximenis : « Incipit, inquit, verborum flumen, mentis gutta; » significans illum esse multiloquum, sed parum sapientem. Ita Stobæus, *serm.* 34. Alfonsus, Aragonum rex, teste Panormitano in ejus *Gestis*, lib. IV, homines ad loquendum turgidos et quasi distentos vocabat utres et vesicas : turgent enim, donec ea eructent. Quare prudenter Æneas Silvius, lib. I *De Gestis* ejusdem Alfonsi, ait : « Sapientius esse agere quam fari : » nunquam enim nisi cum necessitas postulat, sapiens loquitur; neque vana, sed ponderata profert. Stulto autem nullum est tempus sermoni clausum, sed quovis loco et tempore quidquid in buccam venerit, effutit.

Loquacitas signum stultitiæ.

Aves omnes cicurantur.

Secundo, volucres quaslibet ab homine domari, puta falcones, aquilas, accipitres, merulas, graculos, luscinias, etc., patet experientia; quin et multæ earum humanum sermonem addiscunt tam Græcum, quam Latinum : uti de sturno et lusciniis Cæsarum narrat Plinius, lib. X, cap. XLII. Idem de perdice affirmat Plutarchus in *Symposiis*. De psittacis res clara est. Idem de picis certi generis asserit Plinius, loco citato : « Adamant, inquit, verba quæ loquantur; nec discunt tantum, sed diligunt, meditantesque intra semet cura atque cogitatione intentionem non occultant. Constat emori victas difficultate verbi, ac nisi subinde eadem audiant, memoria fallit quærentes; mirum in modum hilarari, si interim audierint id verbum. » Lepida sunt quæ narrat Macrobius, lib. II *Saturn.*, cap. X, in fine, de corvis Augustum salutantibus : « Ave, Cæsar, victor, imperator, » quos viginti millibus nummorum emit. Simile lucrum aucupans, sutor « corvum instituit ad parem salutationem. Hac audita dum transit Augustus, respondit : Satis domi salutatorum talium habeo. Superfuit corvo memoria, ut et illa quibus quærentem dominum solebat audire, subtexeret : Opera et impensa periit. Ad quod Cæsar risit, emique avem jussit, quanti nullam adhuc emerat. » Subdit de graculo, qui Cæsari solebat porrigere honorificum epigramma, ac simile submissum a Cæsare legendo laudavit, admirans tam voce quam vultu, et Cæsari paucos denarios dedit, adjecto hoc sermone : « Non secundum fortunam tuam, Auguste; si plus habe-

rem, plus darem. » Quare Augustus sestertia centum millia graculo numerari jussit. Verum pro graculo legendum est Græculo, puta homine Græco, ut patet ex narrationis serie, et ex emendatis Macrobii codicibus.

Serpentes dominantur.

Tertio, serpentes domari patet ex Plinio, lib. VIII, cap. VII, qui « Thoantem in Arcadia servatum a dracone narrat. Eum nutrierat puer, dilectum admodum, pavensque serpentis naturam et magnitudinem metuens in solitudines tulerat; in quibus circumvento latronum insidiis, agnitoque voce, subvenit. » Idem, lib. X, cap. LXXIV, narrat de aspide rem miram : « Ipsam (enim) cum ad mensam cujusdam in Ægypto veniens aleretur assidue, enixam catulos, quorum ab uno filium hospitis interemptum; illam reversam ad consuetudinem cibi intellexisse culpam, et necem intulisse catulo, nec postea in tectum id reversam. » Psyllos et Marsos domare serpentes tradit Plinius et alii, licet nonnulli viri sapientes censeant eos esse incantatores. Crocodilos mansuescere tradit Ælianus, lib. VIII, cap. IV : addunt alii Tondyritas eis inequitare; qui et addit murenam piscem agnovisse vocem Crassi Romani, et ab eo alitam et dilectam adeo, ut in ejus morte luxerit. De delphini in homines amore et obsequio mira narrat Plinius, lib. IX, cap. VIII, nimirum quod ipse puerum a quo alebatur, in dorsum receptum, « Puteolos per magnum æquor in ludum ferebat : simili modo revehens pluribus annis, donec morbo extincto puero, subinde ad consuetum locum ventitans tristis et mœrenti similis, ipse quoque desiderio expiravit. » Et infra : « Quæ faciunt ut credatur, Arionem quoque citharœdicæ artis, interficere nautis in mari parantibus, ad intercipiendos ejus questus, eblanditum, ut prius caneret cithara; congregatis cantu delphinis, cum se jecisset in mare, exceptum ab uno Tænarum in littus pervectum. » Subdit delphinos evocatos a piscatoribus accurrere, et cogere mugiles in eorum retia. Quid ad hæc homines indociles, loquaces et indomiti? utique eis dociliores sunt delphini et bestiæ, magisque domari et regi se sinunt.

ET CÆTERORUM — animalium. Ita Romana : legit Interpres τῶν ἄλλων, id est *aliorum*; vel ἐνάλλων, id est *variorum* : jam legunt ἐναλίων, id est *marinorum* : ita Syrus. Unde nonnulli pro « cæterorum » censent legendum *cetorum*. Ita Cajetanus, Clarius, Salmeron, Gagneius, Catharinus et alii. Cetorum enim variæ sunt species, quas recenset Rondeletius et Aldrovandus, lib. *De Piscibus*. Maxima est balæna, quam domat, imo regit pisciculus, cui nomen musculus. Hic enim eam ducit et præit, ejusque est quasi oculus, dux et monitor, indicans vada et pericula quæ cavere debeat, cibum ostentans, cæteraque omnia præsentiens et præmonens : unde eo moriente moritur pariter balæna, teste Æliano, lib. II, cap. XIII, et aliis. Verum τὸ *cetorum* non respondet Græco ἐναλίων, id est *marinorum* : innumera enim sunt genera animalium marinorum, e quibus unum duntaxat est cetus.

DOMANTUR, — non ait, cicurantur, quia aliquæ bestiæ adeo feræ sunt, ut plane cicurari nequeant; sed « domantur, » ut scilicet eorum feritas compescatur et refrænetur. Domantur autem multæ pastu : illi enim a quo pascuntur, obsequuntur; aliæ frænis et capistris; aliæ flagellis et verberibus; aliæ per res quas metuunt, ut leones terrentur flammis, rotis et voce galli gallinacei; aliæ fame et inedia. Unde illud : « Quis docuit psittacum suum χαῖρε? fames. » Aliæ per animalia sibi inimica. Sic, inquit Plinius, lib. X, cap. LXXIV : « Dissident olores et aquilæ, corvus et milvus, cornices et noctuæ, mustela et cornix, turtur et pyralis, anates et gaviæ, sorices et ardeolæ, ægithus minima avis cum asino, vulpes et Nili angues, mustelæ et sues : dissident thoes et leones, et minima æque ac maxima. »

8. LINGUAM AUTEM NULLUS HOMINUM DOMARE POTEST. — Œcumenius legit interrogative, *q. d.* Feræ domantur, cur lingua ab homine domari non possit? omnino potest : humanior enim et docilior est, quam feræ. Abutebantur hac lectione et expositione Pelagiani, ut probarent gratiam Dei non esse necessariam, sed hominem suis et naturæ viribus posse refrænare omnes tam linguæ, quam animæ passiones et concupiscentias. Verum perperam : nam cæteri Græci et Latini legunt assertive, non interrogative. Sequitur enim : « Inquietum malum, plena veneno mortifero. » Ita S. Augustinus, *De Natura et gratia*, cap. XV. Idem, serm. 4 *De Verbis Domini secundum Matth.* : « Homo, ait, domat feram, non domat linguam; domat leonem, et non refrænat sermonem; domat ipse, et non domat seipsum; domat quod timebat, et ut se domet, non timet quod timere debebat. » Et mox : « Ergo intelligamus, charissimi, quia si linguam nullus hominum domare potest, ad Deum confugiendum est, qui domet linguam nostram. Si enim tu eam domare volueris, non potes, quia homo es : linguam nullus hominum domare potest. » Sic Christus, *Matth.* XIX 24, ait tam impossibile esse divitem salvari, quam impossibile est camelum transire per foramen acus. Mirantibus discipulis ac dicentibus : « Quis ergo poterit salvus esse? » respondit seque explicavit Christus dicens : « Apud hominem hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt, » *q. d.* Non hominis, sed Dei virtute ac gratia potest dives salvari, æque ac camelus per foramen acus transire. Pergit S. Augustinus : « Attendite similitudinem ab ipsis bestiis quas domamus. Equus non se domat, camelus non se domat, elephantus non se domat, aspis non se domat, leo non se domat, et sic homo non se domat. Sed ut dometur equus, bos, camelus, elephantus, leo, aspis, quæritur homo. Ergo Deus quæratur ut dometur homo : ergo, Domine, refugium tu factus es nobis, etc. Quid ergo, fratres mei, dubitare debemus, quia

Vers. 8.

Deus domat linguam.

mansuetos nos faciet Dominus, si nos domandos ei præbeamus? Domuisti leonem quem non fecisti, non domat te qui fecit te? etc. Imago Dei domat feram, et non domat Deus imaginem suam. »

Per tribulationes. Subdit modum domandi Dei, scilicet tribulationes. « In illo, ait, spem nostram ponamus, et donec domemur et perdomemur, id est perficiamur, domitorem feramus. Plerumque enim profert domitor noster etiam flagella. Si enim tu ad domanda jumenta (id est, adjumenta infirmitatis tuæ) tua, profers virgam, profers flagellum: Deus non profert ad domanda jumenta sua, quod sumus nos, qui de jumentis suis faciet filios suos? » Et paulo post dat stimulum præmii : « Domito tibi Deus hæreditatem servat, quod est ipse Deus; et constituet te cum angelis in æternum, ubi jam non indigeas domari, sed tantummodo a piissimo possideri. Erit enim tunc Deus omnia in omnibus : nec erit ulla infelicitas quæ nos exerceat, sed felicitas sola quæ pascat. » Subdit exemplum filii quem castigat et erudit pater, ut eum bonorum omnium relinquat hæredem : « Deus autem tuus, redemptor tuus, castigator tuus, pater tuus erudit te. Quo? ut accipias hæreditatem, ubi non efferas patrem, sed hæreditatem habeas ipsum patrem. Ad hanc spem erudiris et murmuras, et si quid triste acciderit, fortasse blasphemas? Nonne melius est, ut flagellet te et recipiat te, quam parcat tibi et deserat te? » Unde concludit : « Dicamus ergo : A te non recedemus, cum liberaveris nos ab omnibus malis nostris, et impleveris nos bonis tuis. Bona das, blandiris, ne fatigemur in via. Corripis, cædis, percutis, dirigis, ne aberremus a via : sive ergo blandiris, ne fatigemur in via : sive castiges, ne aberremus a via ; Domine, refugium tu factus es nobis. » Hoc est quod ait Sapiens, *Proverb.* XVI, 1 : « Hominis est animam præparare, et Domini gubernare linguam. » Nam, ut ait Ecclesiasticus, cap. XIX, vers. 17 : « Quis est qui non deliquerit in lingua sua? » adeo ut et S. Job ita laudatus a Deo dicat, cap. XLII, vers. 3 : « Insipienter locutus sum, et quæ ultra modum excederent scientiam meam. » Tanta enim est linguæ cupido et pruritus ad loquendum, quanta est ejus qui hausit venenum ut illud evomat, quanta est musti bullientis et diffringentis lagenas, quanta est mulieris gravidæ ad pariendum, quanta est vulnerati ut sagitta eximatur. Audi Ecclesiasticum, cap. XIX, vers. 10 : « Audisti, ait, verbum adversus proximum tuum? commoriatur in te, fidens quoniam non te disrumpet. A facie verbi parturit fatuus, tanquam gemitus partus infantis. Sagitta infixa femori carnis, sic verbum in corde stulti. » Unde Eliu, *Job* XXXII, 18 : « Plenus sum, inquit, sermonibus, et coarctat me spiritus uteri mei. En venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas novas disrumpit. » Hinc lingua a Nazianzeno, tract. *De Silentio*, vocatur ἄδαμαστος, id est *indomabilis*; ἀχάλινος, id est *effrænis*; ἄθεσμος, id est *exlex*, quia scilicet frænari non potest a natura, sed a gratia; non ab homine, sed a Deo. Rursum, quia cum gratia communi et ordinaria nemo, id est, pauci et vix ullus, ita eam frænare potest, quin aliquando exorbitet, et frænum excutiens instar effrænis equi huc illucque discurrat, et in aliorum noxam grassetur. Unde Nazianzenus, loco citato, ait se jejuniis, vigiliis, ciliciis, humi cubatione domuisse gulam, libidinem, iram, etc., sed non linguam.

Namque mihi, *ait*, effrænis lingua est et garrula, per quam
Livor me innumeris afficit usque malis.

Verum loqui videtur de lingua non sua, sed invidorum sibi detrahentium, seque exagitantium.

Religiosis periculum salutis a lingua. Præclare hanc Jacobi sententiam pertractat B. Petrus Damianus, lib. II, epist. 18 *ad Cardinal.*; additque Religiosis per cætera fere securis a sola lingua esse periculum damnationis (quod et alii viri sapientes olim asseruerunt, et etiamnum asserunt). « Fateor, ait, fratres mei, nil fere in monasteriis agitur, unde mens mea terribilius super monachos imminere Dei judicium suspicetur : nam continuo meatus impulsu, quasi torrens per decliva devexa procedens eorum lingua decurrit; et cum tintinnabulum sonat, sic illis est, tanquam si de repentino protinus ictu eorum caput illidat. Quod tamen de quibusdam, absit autem ut de omnibus dicam, etc. Omnibus horis laborandi, ac legendi studium quidam postponentes, abutuntur in fabulis, et quidquid laboribus ac lectionibus debent, totum vaniloquis sermonibus exhibent. » Et mox citato *Proverb.* XVIII : « Mors et vita in manu linguæ : Quam inhonestum est, ait, ut in hoc munere, quo creaturis omnibus homo præponitur, ipse largitor ab homine frequentius offendatur! Et cum naturis reliquis homo præsideat, easque suæ ditionis legibus subdat, quanti pudoris est, ut carunculam tenuem quam intra fauces includit, edomare non possit! Unde et Jacobus dicit : Omnis natura bestiarum et volucrum domabilis est, linguam autem nullus hominum domare potest. Nullius quippe frena doctoris coercere valent linguam se cohibere nolentis (est hæc ejus nova et tertia hujus loci S. Jacobi expositio); alioqui si pulsat et nititur, quod optat procul dubio consequetur. » Et inferius : « Serpentes sunt de quibus dictum est : Venenum aspidum sub labiis eorum. Ubi ergo supervacuis vacatur ineptiis, et quasi symbola congeruntur verbis otiosis, apud intrinsecus auscultantem non sermones hominum, sed quasi multigena decernitur vociferatio bestiarum. Ipse nimirum est, de quo in *Canticis*, cap. II, dicitur : Dilectus meus respicit per fenestram, respicit per cancellos. Et ipse per Prophetam (*Jerem.* VIII) : Attendi, ait, et auscultavi; nemo quod bonum est, loquitur. Sed ut noster sermo ab ea quam semel cœpit, materia non recedat, et loquentium vitia per non loquentium animalium prose-

Lingua quasi hydrus.

quatur exempla, nunquam fauces hydrus ingreditur, nisi cum crocodilus oscitans invenitur : nam si clausum os teneat, insidiantis impetum non formidat. Authalopus cum exclamat, ad suum ignarus interitum, gladios venatoris invitat; qui donec obticuit, persequentis industriam fugacis cursus opinione delusit. Atque ut hoc inferam, quod cancer ostreo, facit plerumque diabolus monacho, etc. Solerter explorat, si quando ostreum se contra solis radios aperiat : tunc ergo calculum clandestinus incursator immittit, sicque hiantia claustra reperiens, viscera ostrei interna decerpit. Ostreum significat monachum qui nimirum vivit, dum sub silentii censura concluditur : perit autem cum ad loquendum immoderatius aperitur. Quid enim designat calculus, qui ostreo ne recludatur injicitur, nisi duritia consuetudinis, qua quisque ne sese ad pœnitentiam emolliat, induratur. Nam quasi quidam lapillus pravæ consuetudinis obstat, ne is qui fabularum vacat ineptiis, a sua se vanitate recludat. Cancer qui post se naturaliter graditur, est apostata spiritus, qui postquam semel a conditore recessit, in posterius relabi nunquam desiit. »

INQUIETUM MALUM, — ἀκατάσχετον, id est, ut Pagninus et Vatablus, *incoercibile*; S. Hieronymus, lib. II *Contra Pelagium*, *incontinens*, scilicet passive, quod contineri et cohiberi nequit; alii, *incohibile*; Syrus, *inimpedibile*, *irremorabile*; alii, *intolerabile*.

Nonnulli legunt ἀκατάστατον, id est, *inconstans*, instabile, consistere non potens, sicut cor et pulmo, quibus lingua respondet, et quoad formam assimilatur, consistere nequeunt, sed perpetuo agitantur : cor, ut spiritus vitales toti corpori subministret; pulmo, ut cor refrigeret. Unde Poeta :

> Cor sapit, et pulmo loquitur, fel commovet iram,
> Splen ridere facit, cogit amare jecur.

Item ἀκατάστατον est seditiosum et tumultuosum : nam ἀκαταστασία est *seditio*, inconstantia, tumultus, confusio, turbatus rerum ordo. Hinc et sequitur : « Plena veneno mortifero. » Porro cur lingua sit inquieta, causam dat S. Augustinus, serm. 31 *De Verbis Apost.*: « Lingua, inquit, facilitatem habet motus, in udo posita est, facile in lubrico labitur. Quanto illa citius et facilius movetur, tanto tu adversus illam fixus esto. Domabis, si vigilabis; vigilabis, si timebis; timebis, si Christianum te esse cogitaveris. »

PLENA VENENO MORTIFERO, — quo proximi famam, suam et audientis animam, ac sæpe multorum corpora occidit per odia, rixas et bella quæ suscitat; unde *Psal.* CXXXIX, 4 : « Acuerunt, ait, linguas suas sicut serpentis : venenum aspidum sub labiis eorum. » Et *Psal.* V, 11 : « Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant, judica illos Deus. » Sepulcrum est, *primo*, quia lethiferum est guttur maledicum, et quos tetigerit occidit, et in sepulcrum infert, juxta illud *Jerem.* V, 16 : « Pharetra ejus quasi sepulcrum patens, » *q. d.* Nabuchodonosoris sagittæ sunt lethiferæ, et omnes quos confixerit, occidet et sepeliet.

Lingua maledica est sepulcrum.

Primo.

Secundo, quia instar sepulcri tetrum et lethalem halitum ac virulentiam calumniarum, dolorum et impiarum machinationum exhalat. Secundo.

Tertio, qui obscena loquuntur, ait ibidem S. Chrysostomus, ora habent quasi sepulcra, quia fœtor ille spiritalis, qui ex animæ putrefactione oritur, fœtore sensibili major et gravior est. Tertio.

Lingua ergo similis est hydrargyro, sive argento vivo, quod consistere nequit, sed perpetuo agitatur, ac si tangatur, in mille et minutissimas partes dissilit; estque venenum exitiale, ut si vel minimum quid ex eo hauriatur, illico interimat : ut olim Lovanii juvenem curiositatis causa illud delibantem, illico interimi conspexi. Porro alludit Jacobus ad linguam aspidum et serpentum, quæ venenata est, et venenum morsu effundit. Nam animalia quæ veneno nocent, venenum in vesica sub lingua inclusum habent; quæ, cum mordent, rumpitur, et morsu venenum effundunt, ait Mercurialis, lib. *De Venen.*, juxta illud *Job*, cap. XX, vers. 12 : «Cum enim dulce fuerit in ore ejus malum, abscondet illud sub lingua sua. » Est quasi argentum vivum.

9. IN IPSA (id est *ipsa*, *per ipsam*) BENEDICIMUS DEUM, — tum psallendo, tum docendo, tum concionando, etc. (1). Hic enim est finis linguæ ob quem nobis a Deo est indita, scilicet ut illa Deum glorificemus, aliosque glorificare doceamus. Ita fecit S. Antonius de Padua, qui ardenti corde et lingua concionando innumeros ad Deum convertit. Unde 32 anno a morte ejus, lingua ejus incorrupta, recens et rubicunda inventa est a S. Bonaventura, qui lacrymando eam deosculans : « O lingua benedicta, inquit, quæ Dominum semper benedixisti, aliosque benedicere docuisti, nunc liquet quam grata ei fueris, quantique apud eum meriti. » Ita habet ejus Vita et Chronica Ordin. S. Francisci : quæ et addunt ipsius S. Bonaventuræ linguam 160 annis post mortem, puta anno Domini 1434, integram et recentem esse repertam, æque ac cor et caput in translatione ejusdem. Ita Psaltes, *Psalm.* XXXIII, vers. 1 : « Benedicam, inquit, Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. « Ita Sancti in cœlis non aliud lingua concinunt quam Dei laudes et magnalia, *Apoc.* IV, 8, et cap. V, vers. 8, et cap. VII, vers. 12: vide ibi dicta. Quocirca S. Paulus quasi angelus terrestris, satagens fideles effi- Vers. 9. Lingua data est ad Deum laudandum. Exempla.

(1) Per *communicationem* Jacobus loquitur in prima persona; intelligit autem multos, imprimis, ut videtur, doctores impios. Isti impietatis magistri volebant videri doctores Christiani, ideoque Deum omnino sermonibus suis celebrabant; sed imprecationibus aliorum satis ostendebant, se non esse Dei amantes. Quomodo enim Deum ex animo veneretur is, qui hominibus, omnium in his terris creaturarum præstantissimis, imprecatur?

cere cœlites et angelos : « Implemini, inquit, Spiritu Sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Jesu Christi, Deo et Patri, » *Ephes.* v, 18. Ita S. Nazianzenus in carm. *De Silentio*, de lingua canit :

Sum lyra supremi regis, modulisque canoris
Hunc cano, qui tremulo cuncta pavore quatit.

Ita S. Augustinus, totis tredecim libris *Confessionum*, assidue benedicit, laudatque Dominum; unde ita orditur : « Magnus es, Domine, et laudabilis valde; magna virtus tua, et sapientiæ tuæ non est numerus. Et laudare te vult homo, aliqua portio creaturæ tuæ, et homo circumferens mortalitatem suam, circumferens testimonium peccati sui, quia superbis resistis : et tamen laudare te vult homo, aliqua portio creaturæ tuæ. Tu enim excitas ut laudare te delectet : quia fecisti nos ad te, et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te. » Et lib. IX, cap. I : « Laudet te cor meum et lingua mea, et omnia ossa mea dicant : Quis similis tibi? » Quocirca impius Nestorius lingua abutens, et maledicens Christo, ejusque matri, dicensque et docens Christum non esse Deum, ac consequenter ejus matrem non esse Deiparam, sed Christiparam, in eadem a Deo mulctatus est : lingua enim ejus a vermibus corrosa et exesa est, teste Cedreno et Evagrio, lib. I, cap. VII. Ex adverso Martyres plures, quibus ob confessionem exsectæ erant linguæ, Deum laudarunt perinde ac si illæ exsectæ non fuissent, uti fecerunt Martyres Africani, teste Victore Uticensi in *Persecutione Wandalica*. Tota ergo vita fidelium, præsertim Clericorum, Religiosorum et Prædicatorum, non aliud esse debet, quam continua Dei laus et prædicatio.

Dicit hoc Jacobus, ut ostendat proprium finem et usum linguæ, qui est benedicere et laudare Deum, ut ex illo ostendat gravitatem abusus, quo homines passim eadem impie et quasi sacrilege abutuntur ad maledicendum. Nam, ut ait S. Chrysostomus, hom. 14 in epist. *ad Ephes.*, « Os habes, inquit, spiritale obsignatum Spiritu Sancto : cogita quæ sit oris tui dignitas. Patrem vocas Deum, et fratrem mox vituperas? Cogita qua mensa dignatum sit os tuum, quæ contingat, quæ degustet, quo cibo fruatur. Perpende cum quibus tempore mysteriorum astes, nempe cum Cherubim ac Seraphim. Seraphini neminem vituperant, sed unus et idem usus ora illorum adimplet, nempe benedicendi et glorificandi Deum. Quomodo ergo potes cum illis dicere : Sanctus, sanctus, sanctus, qui ore tuo ad vituperium abuteris? » Portentum ergo est qui lingua prædicat Dei bonitatem, eamdem vero exacuit in consortes et proximos suos. Indignus est hominis titulo qui pacem habet in ore, opere autem serit lites et bella; qui semen cœlestis doctrinæ pollicetur, et merum seminat aconitum. Idem Chrysostomus, hom. 21 in epist. *ad Rom.* : « Quomodo, inquit, sacram oblationem sumes, qui linguam humano sanguine cruentasti? Quomodo pacem das ore, bellis adeo referto? »

DEUM ET PATREM. — Deum qui est pater omnium. Vide dicta cap. I, vers. 27.

ET IN IPSA MALEDICIMUS HOMINES, — καταρώμεθα, id est *execramur*, mala imprecamur, diris devovemus; rursum, calumniamur, conviciamur, irridemus, subsannamus, etc. : hæc enim omnia significat τὸ *maledicimus* per catachresin. Viderunt idipsum per umbram Gentiles : Anacharsis rogatus quid in homine esset optimum, quid pessimum, respondit : lingua; testis est Laertius, lib. I, cap. IX. Bias Amasi regi Ægypti poscenti optimum et pessimum ex victima, linguam remisit, sentiens linguam, si ratione regatur, esse optimum hominis membrum; sin ira, aliave passione instigetur, esse pessimum. Ita refert Plutarchus, lib. *De Garrulitate*. Vide Pierium, lib. XXXIII, titul. *De lingua*.

QUI AD SIMILITUDINEM (id est imaginem : vide dicta *Genes.* I, 26) DEI FACTI SUNT, — *q. d.* Maledicendo homines, maledicimus Deum, quia homines sunt opus, creatura et imago Dei. Præclare S. Ambrosius, lib. *De Dignitate humanæ condit.*, cap. III : « Quis major, inquit, honor homini potuit esse, quam ut ad similitudinem sui factoris conderetur? » Et S. Leo, serm. 1 *De Jejunio X mensis* : « Si fideliter atque sapienter creationis nostræ intelligamus exordium, inveniemus hominem ideo ad imaginem Dei conditum, ut imitator sui esset auctoris, et hanc esse naturalem nostri generis dignitatem, si in nobis quasi in quodam speculo, divinæ benignitatis forma resplendeat. » Explicat venenum mortiferum linguæ, taxatque proprie eos qui pii videntur, Deumque benedicunt psallendo, orando, prædicando, et interim proni in maledicentiam assidue eadem lingua petulanter maledicunt proximis, eo utique nocentius, quo ex pietatis specie, quam præ se ferunt, juste et pie id facere videntur. Tales sunt non pauci qui frequentes sunt in officiis divinis; et domum reversi eam implent rixis, jurgiis, calumniis, maledictis, ut in templo videantur esse angeli, in domo dæmones. Contra quos magna patientia certandum est, et cogitandum illud Senecæ *De Remediis fortuitis* : « Bene nesciunt loqui; faciunt non quod mereor, sed quod solent : quibusdam enim canibus sic innatum est, ut non pro feritate, sed pro consuetudine latrent. »

Sensus ergo est, *q. d.* En lingua adeo plena est veneno mortifero, ut etiam tunc cum Deum laudat, non cesset a maledictis in proximos, itaque in Deum sit injuria, adeoque Deum simul maledicat et benedicat. Qui enim imaginem, imo amicum et filium regis violat, aut maledicit, regem violat aut maledicit; multo magis qui Dei Unde

Œcumenius hæc legit interrogative : « In ipsa benedicimus Deum, et in ipsa maledicimus homines? » *q. d.* Fierine potest, ut eodem ore et lingua laudemus Deum et vituperemus homines, qui sunt peculium et imago Dei? Fierine potest ut simul laudes et vituperes Deum? laudes in se, vituperes in sua imagine? Unde subdit Jacobus : « Non oportet, fratres mei, hæc ita fieri; » sed si laudas Deum, lauda et hominem, qui est magna Dei portio. Hoc est quod ait Sapiens, *Prov.* cap. XIV, vers. 31 : « Qui calumniatur egentem, exprobrat factori ejus; honorat autem eum, qui miseretur pauperis. » Et Psaltes, *Psal.* XLIX, 16 : « Peccatori autem dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? etc. Os tuum abundavit malitia, et lingua tua concinnabat dolos, sedens adversus fratrem tuum loquebaris. » Tales similes sunt pantheræ, quæ cum homini nocere nequit, imaginem ejus dilacerat, teste S. Basilio, orat. 10 *De Invidia* : ita et hi cum Deo nocere nequeant in seipso, nocent ei in sua imagine, puta in homine.

Homo magis imago Dei quam angelus Primo.

Nota : Etsi homo quoad naturam inferior sit angelo, itaque minor imago Dei, tamen quoad quædam angelum superat, magisque quam ille est imago Dei. *Primo*, quia mundus hic visibilis creatus est propter hominem, non propter angelum, utpote qui spiritus est invisibilis. Homo ergo in mundo est quasi princeps, rex et Deus quidam terrestris; in eo ergo magis refert Deum

Secundo.

quam angelum. *Secundo*, quia omnes bestiæ, aves, pisces, elementa, sidera, cœli, quin et angeli serviunt homini perinde ac serviunt Deo.

Tertio.

Tertio, quia homo per tot rerum inventiones, per tot fabricas et machinas, per tot fructuum sationem et productionem, per tot artes mechanicas quibus nihil non efficit, videtur imitari Dei omnipotentiam, omniscientiam rerumque omnium

Quarto.

creationem. *Quarto*, quia hominis productio refert S. Trinitatem : Adam scilicet ingenitus repræsentat Patrem ingenitum; Eva producta ex Adamo, Filium genitum; Seth, Spiritum Sanctum procedentem ex utroque, uti innuit Nazianzenus, *orat.*

Quinto.

39. *Quinto*, quia sicut in Deo sunt omnes rerum species et gradus vel formaliter, vel eminenter : ita sunt et in homine. Homo enim habet esse commune cum inanimis, vivere cum plantis, sen-

Sexto.

tire cum animalibus, intelligere cum angelis. Denique homo est affinis, consanguineus et frater Dei per Verbum incarnatum, non angeli : Christus enim nascens non « angelos apprehendit, sed semen Abrahæ, » *Hebr.* II, 16. Noli ergo, o homo, te abjicere et tanti generis esse degener, sed divinæ consors naturæ despice hæc vilia et exilia, suspice illa magna et divina, Deum tuum imitare. « Esto quidam quasi in terris obambulans Deus, et sanctus in carne angelus. »

Homo mundi miraculum.

Vidit hæc per umbram Trismegistus; unde scribens ad Asclepium exclamat : « O Asclepi, magnum miraculum est homo, animal adorandum. Hic enim in naturam Dei transit, quasi ipse sit Deus. Hic humanæ naturæ partem in seipso despicit, alterius partis divinitate confisus : diis cognata divinitate conjunctus, partem sui qua terrenus est despicit : cætera omnia quibus se necessarium esse cœlesti dispositione cognoscit, nexu secum charitatis astringit, sicque suspicit cœlum. Sic ergo feliciore loco medietatis est positus, ut quæ infra se sunt diligat, ipse a superioribus diligatur. Elementis velocitate miscetur. Acumine mentis in maris profunda descendit : omnia illi lucent. Non cœlum videtur altissimum; quasi enim proxima sagacitate animi intuetur. Intentionem animi ejus caligo aeris non confundit, non aquæ altitudo aspectum ejus obtundit : omnia idem est, et ubique idem est. » Nam, ut aiunt Theologi : « Factus est homo ut Deum intelligeret, intelligendo amaret, amando possideret, possidendo frueretur. »

Vers. 10.

10. EX IPSO ORE PROCEDIT BENEDICTIO ET MALEDICTIO. — Exaggerat mali indignitatem, illudque insistendo et repetendo perurget, *q. d.* Ex eodem ergo ore procedit benedictio et maledictio, quod in se tam iniquum et indignum esse liquet, ut aliis verbis magis exaggerari non egeat, imo nequeat; unde Œcumenius rursum hæc legit et intelligit interrogative : « An justum est ut ex eodem ore et benedictio et detestatio egrediatur? non profecto. » Hinc et leni piaque, sed efficaci correptione idipsum studiose cavendum monet S. Jacobus, dicens : « Non oportet, fratres mei, hæc ita fieri; » sed ore ad benedicendum tantum (ad hoc enim nobis a Deo inditum est), non ad maledicendum, uti nos convenit. S. Maximus, *serm.* 43, et alii hanc Jacobi sententiam apposite exponunt de adulatoribus qui palam laudant, occulte vituperant, et ex eodem ore calidum et frigidum, ut vulgo dicitur, efflant. Verum prior sensus videtur genuinus : loquitur enim de eadem benedictione et maledictione, de qua locutus est immediate ante.

Mora'is. ter mitis sit correptio.

Disce hic mansuetudinem in corripiendo a S. Jacobo, quam ipse didicit a Christo, cui per omnia similis erat, ideoque vocabatur frater Domini : unde et subditos vocat « fratres. » Præclare S. Chrysostomus, hom. 52 *ad Popul.*, ait linguam nostram fieri linguam Christi, si in loquendo, docendo et corripiendo imitemur mansuetudinem Christi. Ita David de se : « Memento, inquit, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus, » *Psal.* CXXXI, 1. Et Paulus, II *Corinth.* X, 1 : « Ipse ego Paulus, inquit, obsecro vos per mansuetudinem et modestiam Christi. » Et *Ephes.* IV, 1 : « Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine. » Et I *Timoth.* VI, 11 : « Tu vero, o homo Dei, hæc fuge, sectare vero justitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem. » Et *ad Titum*, III, 2 : « Omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes

homines.» Aurea est Sapientis vox : « Fili, in mansuetudine opera tua perfice, et super hominum gloriam diligeris, » *Eccli.* III, 19.

Vers. 11. 11. NUMQUID FONS DE EODEM FORAMINE EMANAT DULCEM ET AMARAM AQUAM. — *q. d.* Non. Ergo nec homo ex eodem ore debet proferre benedictionem, quæ est quasi aqua dulcis; et maledictionem, quæ est quasi aqua amara amaricans Deum et homines, sed solum benedictionem. Rursum, sicut aqua amara immixta dulci eam efficit amaram, ita dulcedinem benedictionis maledictionis amaritudo in eodem ore consumit, ait Beda; sicut modicum fermentum totam massam corrumpit, I *Corinth.* V, 6. Huic tamen non obstat quin concionator populo nunc blandiri, nunc minari et objurgare; nunc dulcia Dei promissa, nunc amaras ejus minas et pœnas proponere debeat : quia hæc omnia inducunt populum ad Deo serviendum et benedicendum, ideoque sunt Dei benedictio, non maledictio.

Fontes dulces et amari simul. Nota : Quidam fontes dulcem et amaram fundunt aquam, sed diverso tempore, vel loco. Audi Plinium, lib. II, cap. CIII : « In Troglodytis fons Solis appellatur dulcis, et circa meridiem maxime frigidus; mox paulatim tepescens, ad noctis media fervore et amaritudine infestatur. » Et mox : « Lyncestis aqua quæ vocatur Acidula, vini modo temulentos facit. In Andro insula templo Liberi patris fontem nonis januarii semper vini sapore fluere Mutianus credit. » Addunt nostri Conimbricenses, tract. 9 *in Meteora*, cap. IX, « in Troglodytis lacum esse qui ter die fit amarus salsusque ac deinde dulcis, totiesque etiam noctu. » Similes in Ardenna, non longe a Leodio, sunt fontes Sphadani aciduli, qui ferri, nitri, sulphuris et vitrioli saporem referunt; eo quod eorum aqua per venas ferri, nitri, sulphuris et vitrioli perlabatur, eorumque vim et saporem imbibat, uti e triennali experientia eos frequentando didici : quocirca invicem vicini fontes diversos habent sapores, ob diversas venas quas pertranseunt : imo idem fons, si per aliam venam labatur, saporem mutabit.

Arethusa. Talis quoque est Arethusa, fons et flumen Syracusæ, qui diversis in locis fertur diversum habere saporem, eo quod alii fontes in eum influant; et quia sub mari labitur, si ex eo quid hauriat, marinam et salsam dulci immixtam emanabit, de quo Virgilius, *ecloga* X :

> Extremum hunc, Arethusa, mihi concede laborem,
> Sic tibi, cum fluctus subterlabere Sicanos,
> Doris amara suam non intermisceat undam.

Sed audi Thomam Fazellum, oculatum testem, qui de Arethusa ita scribit, lib. IV *De Reb. Siculis*, pag. 89 : « Crassas salsioresque et ad potum injucundas habet aquas; quarum usum, cum duræ et incoctiles sint, incolumitati humanæ minus conferre lib. II docet Athenæus. Non procul ab Arethusa, in mediis maris fluctibus fons aquæ dulcis mire exundat, caputque inter aquas salsas attollit, oculus Cilicæ vulgo appellatus. » Et mox : « Quod si ex Arethusæ fontibus hic non est unus, ex aliquo certe vicino monte gigni, et ex pelagi vadis, expellente eum interiori vento, sursum emergere necesse est. » Et anterius causam aperit, scilicet quod aqua Arethusæ non oriatur in Sicilia, sed in Achaia et Peloponneso. Siquidem Alphæum, ait, Achaiæ regionis fluvium terra absorptum, subter mare in Siciliam per passuum millia fere quingenta fluere, atque ex hoc fonte Arethusæ rursum emergere primum Pindarus, deinde Timæus, quos Græci et Latini secuti sunt, tradiderunt. Sic de Ascanio lacu et fontibus Chalcidis scribit Plinius, lib. XXXI, cap. X, eorum superficiem dulcem esse et potabilem, inferiores vero partes nitrosas et amaras.

Verum S. Jacobus loquitur de fontibus communibus et ordinariis : hi enim simul aquam dulcem et amaram non reddunt; pauci jam nominati extraordinarii sunt, et quasi portenta et monstra naturæ, ideoque sunt typi et symbola linguæ, quæ simul fundit maledictionem et benedictionem, ideoque ipsa pariter ostentum est et monstrum naturæ. Adde, licet in jam dictis fontibus, exterior fons, puta fontis orificium sit idem, quod emanat aquam dulcem et amaram; tamen interior fons, hoc est, ipsa prima vena et scaturigo, quæ est quasi cor aut hepar fontis, est diversa, ut patet ex dictis de fonte Arethusæ, cui nomen *oculus Cilicæ*. In homine autem secus se res habet. Sicut enim in eo unus est fons exterior, puta unum os, proferens bona et mala : sic et unus est fons interior, puta unum cor et una anima, ex quo utraque manant. Hoc ergo instar portenti est et prodigii, quod scilicet idem cor per eamdem linguam injuriam et laudem, pietatem et impietatem, mortem et vitam, veritatem et mendacium depromat.

Vers. 12. 12. NUMQUID POTEST, FRATRES MEI, FICUS UVAS FACERE. — Græca et Syrus pro *uvas* legunt ἐλαίας, id est *olivas*, et tunc major est antithesis : ficus enim sunt dulces, olivæ vero amaræ; sed sequentia indicant de uvis agi. Subdit enim : « Aut vitis ficus? » *q. d.* Nullo modo : nec enim vitis per se aliud quam uvas profert, nec ficus viti inseri potest, ut in ea producat ficus, uti pirus inseritur pruno, atque in pruno profert pira.

SIC NEQUE SALSA DULCEM POTEST FACERE AQUAM. — « Salsa, » id est fons salsus : unde græce est, « sic nullus fons salsus salsam ac dulcem potest edere aquam. » Ita Tigurina, Pagninus et alii, Probat enim priorem similitudinem, scilicet quod ex eodem fonte non manet aqua dulcis et amara (ex qua probat et concludit moraliter non posse, id est non debere, ex eodem ore prodire benedictionem et maledictionem), alia similitudine vitis et ficus, quarum illa non ficus, sed uvas duntaxat, hæc non uvas, sed ficus duntaxat profert. Burgensis tamen censet hic esse aliam,

puta tertiam similitudinem : primam enim peti a fonte, secundam a vite et ficu, tertiam hic ex aqua salsa, quæ ex se non potest dulcem diffundere. Verum si diffundit, ergo fons est et fontis rationem habet : quare eadem est hæc similitudo cum prima. Ex hisce similitudinibus ostendit Jacobus innaturale esse et præter rerum ordinem, ac quasi cum ipsa natura pugnare, ut ex ore a Deo et natura destinato ad benedicendum procedat maledictio : sicut cum natura pugnat, ut ex fonte dulci procedat aqua amara, ex vite ficus, ex ficu uva; ideoque idipsum fieri nequit. Rursum, sicut aqua amara immixta dulci eam facit amaram, ita maledictionem mixtam benedictioni in eodem ore eam vitiare, ac quasi convertere in maledictionem; quia scilicet maledictum est os, quod cum sit soli benedictioni destinatum, ex se emittit maledictionem : bonum enim est ex integra causa, malum ex singulis defectibus, ut ait S. Dionysius. Insuper sicut ficus non profert uvas, nec vitis ficus : sic maledicum, licet aliquid boni ad tempus loqui videatur, fructum benedictionis habere nullatenus posse. Ita Beda. Porro octo differentias et quasi species malæ linguæ assignat Thomas Anglicus : nimirum lingua tertia, inquit, de qua *Eccli.* XVIII, 16, est detractorum, solumque detrahit; falsa est adulatorum, *Eccli.* XX, 18; magniloqua superborum, *Psal.* XI, 4; viperea hæreticorum, *Job* XX, 16; blasphema maledicorum, *Job* XV, 5; dolosa hypocritarum, *Psal.* CXIX, 2; coinquinata luxuriosorum, *Eccli.* LI, 3; iniqua advocatorum, *Prov.* cap. XVII, vers. 4.

Duodecim attributa et damna malæ linguæ.

Nota : S. Jacobus noxam et damna linguæ demonstrat ex duodecim partim argumentis, partim attributis. *Primum* est vers. 3, quod instar equi sit effrænis. *Secundum*, vers. 1, quod modica licet, magna tamen exaltet. *Tertium* ibidem, quod sit instar scintillæ quæ totam silvam comburit. *Quartum*, vers. 6, quod sit universitas iniquitatis. *Quintum* ibidem, quod maculet totum corpus. *Sextum*, quod inflammet totam rotam nativitatis et vitæ nostræ. *Septimum*, quod inflammetur a gehenna. *Octavum*, quod magis indomita sit quam omnes feræ, ideoque a nemine domari possit. *Nonum*, quod sit inquietum malum. *Decimum*, quod sit plena veneno mortifero. *Undecimum*, quod cum sit data et dicata benedictioni Dei, simul tamen maledicat proximis. *Duodecimum*, quod sit quasi fons monstrosus, eructans simul aquam dulcem et amaram (1).

Vers. 13. 13. QUIS SAPIENS (σοφὸς, id est eruditus, scilicet rerum divinarum) ET DISCIPLINATUS, — ἐπιστήμων, id est sciens ea quæ ad praxim et mores pertinent, non tantum speculative, sed et practice, hoc est, disciplinæ studiosus.

Porro idem est *sapiens* et *disciplinatus*; sed hic illi additur, ut significetur sapientem non speculativum duntaxat, sed et practicum esse debere, puta disciplinatum et bene institutum : unde vers. ultimo diserte asserit sapientiam esse pudicam, pacificam, modestam, suadibilem, etc. « Disciplina enim est morum ordinata correctio, et regularum a majoribus traditarum studiosa observatio. » Ita Cicero, *Tuscul.* IV : « Sapiens, ait, est qui rerum divinarum et humanarum (ad quas pertinet morum disciplina) scientia est præditus. »

OSTENDAT EX BONA CONVERSATIONE OPERATIONEM SUAM IN MANSUETUDINE SAPIENTIÆ. — Syrus, *ostendat opera sua in conversationibus bonis*. Redit S. Jacobus ad doctores et magistros, de quibus egit vers. 1, quorum occasione hucusque digressus est ad vitia linguæ. Eis ergo impense commendat mansuetudinem et modestiam, ut plus doceant exemplo quam verbo; plus modesta et miti conversatione, quam magna ostentatione sapientiæ. Magis enim docent et movent opera quam sermones, magis vita quam vox. Ita Christus prius cœpit facere, deinde docere, *Actor.* II, 1. Christum imitatus S. Petrus pastoribus hanc legem præfigit *epist.* I, cap. V, vers. 3 : « Forma, inquit, facti gregis ex animo; » præmiumque assignat : « Et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam. » Et S. Paulus *Philipp.* III, 17 : « Imitatores mei estote, fratres, et observate eos qui ita ambulant sicut habetis formam nostram. » Hinc pontifex Aaronicus in Rationali ad pectus gestabat « urim et tummin, » id est doctrina et veritas, ut significaret in Pontifice requiri tam veritatem, id est integritatem vitæ et exempli, quam doctrinam legis et Scripturæ, *Exodi* XXVIII, 30 (2).

Magister plus docet vita quam voce.

Insignis in hac re fuit Origenes, de quo scribit Eusebius, lib. VI *Histor.* cap. III, « quod qualis ejus erat sermo, tales et mores; et quales mores, talis sermo, » ideoque habitus est Ecclesiæ oraculum, orbisque miraculum, ac plurimos ad fidem et sanctimoniam convertit. Ex adverso probro fuit ille qui audivit : « Verba tua sunt verba Dei, sed facta tua sunt facta diaboli. »

Exempla.

Illustrior fuit S. Lucianus Martyr, qui adeo moribus erat compositus, pius, hilaris et sanctus, ut angelus videretur, omnesque ad sui et Christi amorem alliceret : quocirca Maximianus Imperator non nisi eminus et per velum eum aspicere et alloqui est ausus, timens ne et ipse ab eo virtutis quasi philtro dementaretur, velletque fieri Christianus. Vide dicta *Philipp.* IV, 5.

Similis fuit S. Bonaventura, in cujus funere perorans in Concilio Lugdunensi anno Domini 1274, Petrus Tarantasius, Cardinalis ex Ordine S. Dominici, qui postea creatus Pontifex dictus

(1) « Sic neque salsa dulcem potest facere aquam, » *q. d.*, ait Allioli : Creatura quæque suum sequitur a Deo sibi destinatum finem : ita quoque lingua ad bonos usus destinata eos semper sequi et persequi deberet.

(2) « Operationem suam, » Gall. *son talent*, ostendat scilicet se esse sapientem, idque per sapientiam lenitate conditam.

est Innocentius V, inter alias ejus laudes dixit : Quotquot aspiciebant vel audiebant S. Bonaventuram, ejus amore capiebantur, illi cedebant, illius sententiam et consilium amplectebantur; eo quod esset benignus, affabilis, humilis, charus omnibus, pius, prudens, castus, pacificus omnique virtute ornatissimus.

Sapienter S. Hieronymus, *epist.* 3, Heliodoro Episcopo hunc vivendi canonem præfigit : «In te, inquit, oculi omnium diriguntur : domus tua et conversatio tua quasi in specula constituta, magistra est publicæ disciplinæ. Quidquid feceris, id sibi omnes faciendum putant. Cave ne committas quod aut qui reprehendere volunt, digne lacerasse videantur; aut qui imitari, cogantur delinquere.» Talis fuit Gregorius senior, Episcopus Nazianzeni, pater S. Gregorii Nazianzeni. Nam, ut hic de eo ait *orat.* 19 : « Ferinos hominum mores haud magno negotio mitigavit, tum pastoralis artis sermonibus, tum etiam quod velut spiritualem quamdam statuam ad optimæ cujusque actionis pulchritudinem expolitam ad imitandum proponeret.» Idem in *Laudibus S. Basilii* : « Oratio Basilii erat tonitru, quia vita ejus erat fulgur.» Ex adverso S. Bernardus, lib. II *De Consid. ad Eugenium Pontificem* : « Monstrosa res, inquit, est locus summus, et animus infimus; sedes prima, et vita ima; lingua magniloqua, et manus otiosa; sermo multus, et fructus nullus. »

Idem eminus viderunt Gentium Philosophi. Aristides apud Platonem in *Theag.*, profitetur se ex alloquio Socratis nihil didicisse, ex conversatione et moribus plurimum. Agesilaus rogatus qua ratione quis maxime apud homines probaretur : «Si dicat, inquit, optima, et faciat honestissima.» Præclare Seneca, lib. I, epist. 6 : « Plus, inquit, tibi et viva vox, et convictus, quam oratio proderit. In rem præsentem venias oportet. Primum, quia homines amplius oculis, quam auribus credunt. Deinde, quia longum iter est per præcepta, breve et efficax per exempla. Zenonem Cleanthes non expressisset, si eum tantummodo audisset : vitæ ejus interfuit, secreta perspexit, observavit illum an ex formula sua viveret. Plato et Aristoteles, et omnis in diversum itura sapientium turba, plus ex moribus quam ex verbis Socratis traxit. Metrodorum, et Erymachum, et Polyænum, magnos viros non schola Epicuri, sed contubernium fecit.» Idem alibi : «Eum, ait, doctorem elige quem magis admireris cum videris, quam cum audieris.» Scitum est illud Democriti apud Laertium, lib. IX, cap. VII, λόγος ἔργου σκιή, id est, *oratio operis est umbra*. Sicut ergo se habet umbra ad corpus, ita oratio ad opus : opus ergo est quasi corpus solidum, oratio et sermo quasi umbraticum et evanidum, puta corporis virtutisque umbra, non corpus et solida virtus.

IN MANSUETUDINE SAPIENTIÆ. — In mansueta sapientia, quæ mansuete audit, respondet, monet, corripit et docet. Talis enim est Christi et discipulorum ejus, juxta illud ejusdem : « Discite a me, quia mitis sum et humilis corde, » *Matth.* XI. Est hebraismus. Sic charitas fraternitatis vocatur charitas fraterna, filius dilectionis vocatur filius dilectus, filii inobedientiæ et diffidentiæ vocantur filii inobedientes et diffidentes.

Nota : Veræ sapientiæ propria dos et quasi flos est mansuetudo. Vide dicta cap. I, 21.

Quærit Petrus Damianus libro *De Contemptu sæculi*, cap. XXVIII, cur, IV *Regum* IV, 34, Elisæus nequiverit puerum suscitare per baculum illi applicitum, sed per seipsum incumbendo illi eum revocarit ad vitam? ac respondet : « Is quem terroris virga suscitare non poterat, per amoris spiritum ad vitam redit, dumque se parvulo accommodavit et composuit, facile erexit et suscitavit. » Sic subditi sæpe magis moventur amore Prælati, quam terrore, si leniter se eis accommodet, moresque attemperet et benigne componat. S. Augustinus, serm. 6 *De Verbis Domini*, durum Prælatum vocat tentatorem subditorum. Vide S. Dionysium, epist. 8 *ad Demophilum*, et S. Bernardum, serm. *De S. Magdalena*.

14. QUOD SI ZELUM AMARUM HABETIS. — « Zelus amarus » est invidia, zelus dulcis est fervens charitas, a qua Simon Chananæus cognominatus est Zelotes. Opponit mansuetudini sapientiæ zelum amarum, id est, amarulentam æmulationem et invidiam, quæ nata ex superbia et amore excellentiæ parit contentiones et schismata, ideoque abit in errores, hæreses et mendacia, ex quibus gloriosum, sed vanum doctoris nomen aucupatur, ut scilicet inaniter de nova secta a se inventa, de nova schola, novisque discipulis glorietur et se jactitet. Vers. 14.

Notat Isidorus Pelusiota, lib. II, *epist.* 90, plures fuisse et esse sectas, contentiones, schismata et hæreses in christianismo, quam fuerint in judaismo et gentilismo, eo quod diabolus, sectarum auctor, invidens et indignans utilitati et excellentiæ Christi et christianismi, ut eum evertat, illa magis nunc serat et succendat quam ante, præsertim quia gentilismus totus erat diaboli, Judæorum etiam longe major pars. Accedit, *primo*, quod inter Christianos major sit sapientia majusque sapientiæ studium : inter studiosos autem sapientiæ oriri solent variæ sententiæ et sectæ. *Secundo*, quod in christianismo omnes errores se tegant sanctissimo nomine Christi, prætextu veræ fidei et pietatis, quem diabolus magistris superbis et novarum opinionum avidis obtendit, itaque eos excæcat, ut vere, recte et pie se agere putent.

Adverte τὸ *amara* : nam invidia est amarulenta, et iis quibus invidet, et magis sibi. Invidus enim mire cruciatur cruciatu invidiæ suæ, quo torquet et affligit se de excellentia alterius, quem dolet sibi præferri vel æquari in sapientia, virtute et gloria : tunc enim, ut ait Statius, II *Theb.* : « trucem secretus coquit invidiam. » Hinc nota conditiones invidiæ. *Prima* est, invidia signum est animi parvi et abjecti : invidendo enim agnoscit alium

Conditiones invidiæ. Prima. esse se superiorem, vel parem. Et qui invident, fere sunt inertes, pusillanimes, depressi, juxta illud Ovidii, lib V *De Ponto* :

> Livor, iners vitium, mores non exit in altos,
> Utque latens ima vipera serpit humo.

Unde Plinius, lib. VI, *epist.* 17 : « Disertior es? inquit, tanto magis ne invideris. Nam qui invidet, minor est. »

Secunda. *Secunda,* id quod excellit et eminet, ferit oculos invidi, estque objectum invidiæ. Unde Ovidius, lib. I *De Remedio amoris* :

> Summa petit livor, perflant altissima venti :
> Summa petunt dextra fulmina missa Jovis.

Quocirca Themistocles juvenis dolebat sibi non invideri : hoc enim signum est, inquit, me nihil adhuc præclari gessisse. « Sicut enim cantharides rosæ, sic invidia virtuti innascitur. » Ita Antonius in *Melissa,* sermone 62, ubi et addit, Aristotelem rogatum quid esset invidia, respondisse, esse antagonistam fortunatorum.

Tertia. *Tertia,* invidia sæpe res maximas impedit et evertit, uti in urbibus, bellis, congregationibus etiam bonorum subinde experimur. Trita est Belisarii, ducis Justiniani Imperatoris, tot victoriis inclyti, sed per æmulos ad extrema redacti, mendica et miseranda vox : « Da obolum Belisario, quem extulit virtus, cæcavit invidia. » Ita multi. licet nonnulli viri docti ex Zonara et aliis id refutent, asserantque Belisarium honoratum semper vixisse et obiisse. Vere Silius, lib. I :

> O dirum exitium mortalibus, o nihil unquam
> Crescere, nec magnas patiens exurgere laudes,
> Invidia!

Ita duos primos fratres Cainum et Abelem una domus, imo totus mundus capere non potuit.

Quarta. *Quarta,* invidiam liquet esse amaram et felleam : commovet enim fel et bilem utramque, scilicet tam flavam quam atram, hoc est, tam choleram quam melancholiam; adeo ut invidus in vultu atrum, felleum lividumque colorem præ se ferat. Unde Martialis, lib. I :

> Ecce iterum nigros corrodit lividus ungues.
> Omnibus invideas, livide, nemo tibi.

Et Silius, lib. XI :

> —— Atra veneno
> Invidiæ, nigroque undantia pectora felle.

Quinta. *Quinta,* duo sunt actus invidiæ, videlicet : « Insultare malis, rebusque ægrescere lætis, » ait Statius, lib. II.

Sexta. *Sexta,* invidia summum est tormentum invidi, eumque lenta longaque tabe exedit et consumit, indeque invidia vocatur edax. Unde Claudianus, lib III *De Raptu Proserpinæ* :

> Invidus alterius rebus macrescit opimis.

Et Horatius, lib. I *epist* :

> Invidia Siculi non invenere tyranni
> Majus tormentum.

Hinc Socrates dixit invidiam esse ulcus, imo serram animæ, teste Stobæo, sermone 36, et Antonio in *Melissa,* serm. 62; et Martialis, lib. IX :

> Rumpitur invidia quod amamur, quodque probamur:
> Rumpatur quisquis rumpitur invidia.

Et Ovidius, II *Metarmoph.,* graphice eam depingit :

> —— Lentaque miserrima tabe
> Liquitur, ut glacies incerto saucia sole,
> Felicisque bonis non lenius uritur Herses,
> Quam cum spinosis ignis supponitur herbis,
> Quæ neque dant flammas, lenique tepore cremantur.

Hinc Poetæ finxerunt invidos apud inferos serpentibus vesci, et hydris recreari. Quin et Cassianus, *Collat.* XVIII, cap. XVII, illud *Jerem.* VIII, *Ecce ego mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio, et mordebunt vos,* mystice accipit de invidia. Vide eum. Agis, rex Lacedæmonum, audiens sibi ab æmulis invideri : « Geminam igitur, inquit, habebunt molestiam : nam ipsos et sua ipsorum mala discruciabunt, ac insuper meis et meorum bonis torquebuntur. » Magnifica vox, significans eos quos tenet invidia, magis esse misericordia dignos quam ira; ac invidum satis dare pœnarum, etiamsi alius ejus ultor non existat. Ita Plutarchus in *Lacon.*; nam, ut ait Antisthenes apud Laertium, lib. VI, cap. I : Sicut ferrum consumit rubigo ex ipsomet nata, ita invidus suo ipsius vitio contabescit. » Elegantius vero Chrysologus, *serm.* 172 : « Invidia suorum carnifex semper extitit : extendit sensus, torquet animos, discruciat mentes, corda corrumpit. Quid plura? Hanc qui receperit, sua sustinet sine fine supplicia, quia in se domesticum semper diligit habere tortorem. Quis ibi malorum finis, ubi alterius bonum pœna est? ubi cruciatus est aliena felicitas? » Propterea acute dixit Nazianzenus, *orat.* 27 : « Solus ex omnibus affectibus, iniquissimus simul et æquissimus est invidia : iniquissimus, quia bonis omnibus adversus est; æquissimus, quia dominos suos exest et conficit. »

Septima. Remedium invidiæ. *Septima,* remedium invidiæ est humilitas, modestia et gloriæ contemptus. Hinc Cato dicebat eos qui moderate sobrieque fortuna uterentur, minime peti invidia. Non enim, inquit, nobis, sed bonis quæ nos circumstant, invident homines. Externa bona extra hominem sunt; at insolenter utenti vitium intra hominem est, qui eo sibi conflat invidiam, seque facit invidiosum et exosum. Ita Plutarchus *Apoph. Roman.* Diogeni Cynico, utpote omnium contemptori, nemo invidebat. Crates Thebanus dicebat se pro patria habere gloriæ contemptum et paupertatem, in quæ nullum jus exerceret fortuna. Aiebat item se Diogenis esse discipulum, qui nullis invidiæ patebat insi-

diis. Opes enim et honores plerumque conciliant invidiam, præsertim subiti, si sortem statumque valde excedant. Ita Laertius, lib. VI, cap. v. Præclare S. Ambrosius, lib. II *De Abraham*, cap. IV : « Grande, ait, virtutis mysterium, cui cito invidetur. Et ideo ut invidiam reprimat, humiliorem se præstare debet. Non sibi principatum super omnes vindicet; non sibi soli sapientiam præcipuam arroget. » Idem, in conflictu vitiorum et virtutum, « Invidia, ait, dicit : In quo illo vel isto minor es? Cur ergo eis vel æqualis, vel superior non es? Quanta vales quæ ipsi non valent? Non ergo tibi aut superiores, aut etiam æquales esse debent. Verum dilectio fraterna respondet : Si cæteros, o homo, virtutibus antecellere te existimas, tutius in infimo quam in summo loco temetipsum servabis. Semper enim de alto pejor fit ruina. Quod si tibi, ut asseris, quidam superiores, alii æquales sunt, quid te lædit? quid te nocet? Cave prorsus ne, dum aliis locum celsitudinis invides, illum imiteris de quo scriptum est : Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum. Imitantur autem illum qui ex parte ejus sunt. »

Octava, denique invidia solet morte ejus cui invidetur finiri, et in commiserationem, quin et admirationem verti.

Pascitur in vivis livor, post fata quiescit.

Et : « Virtutem incolumem odimus, sublatam ex oculis quærimus invidi. » Ita Julius Cæsar audiens tragicam necem Pompeii sui æmuli, illacrymavit.

ET CONTENTIONES SINT IN CORDIBUS. — Contentiones solent esse in ore et linguis, non in cordibus : per *contentiones* ergo hic accipe studia et proposita contendendi : unde græce est ἐρίθεια, id est *contentio*, in singulari, hoc est voluntas et cupido contendendi, quam parit zelus amarus, id est invidia. Qui enim fel invidiæ gerit in mentis stomacho, ille gestit illud ore exhalare, omnibusque contradicere, et cum omnibus contendere. Præclare Sapiens, *Proverb.* XX, 3 : « Honor est homini qui separat se a contentionibus : omnes autem stulti miscentur contumeliis, » id est contentionibus, quæ pariunt jactantque vicissim contumelias. « Puerilis enim animositatis est contendere, » ait S. Augustinus, *epist.* 174, et studere ut alter alterum vincat, cum apud Christianos vincere debeat veritas, pax et humilitas. Et Seneca, lib. II *De Ira*, cap. XXXIV : « Cum pari contendere, inquit, anceps est, cum superiore furiosum, cum inferiore sordidum; pusilli hominis et miseri est repetere mordentem. Imbecilla se lædi putant, si tangantur, ut mures et formicæ; quas si manu amoveris, ora convertunt. »

Quid quæris, o Christiane, dum contra Christi leges cum fratre contendis? utique scientiæ ostentationem et victoriæ laudem apud tui similes, superbos et stolidos. Egregiam sane laudem nancisceris, ut audias contentiosus, arrogans, ostentator, sophista : quanto gloriosius tibi foret abstinere jurgio; ut apud cordatos audires sapiens, pacificus, religiosus, mentis linguæque compos et dominus? Sapienter Papias, S. Joannis Apostoli discipulus et S. Polycarpi sodalis, audiens multorum clamoribus Dei veritatem lacerari : « Non multa dicentibus, inquit, sed vera tradentibus auscultandum est. » Ita Eusebius, lib. III, cap. LIX. Religiose S. Ignatius, fundator Societatis nostræ, hoc suis documentum dabat :

Nulli vel minimo quavis ratione repugnes :
Cedere te potius quam superare juvet.

Et S. Bernardus, lib. *De Modo bene vivendi*, cap. XVII : « Viri mites, ait, semper despiciunt lites. » Et mox : « Si detractio et jurgia sunt in claustro, ubi est taciturnitas regularis, ubi sanctitas religionis, ubi silentium Ordinis, ubi religiositas monasterii, ubi vinculum charitatis, ubi pax unitatis, ubi concordia fraternitatis, ubi amor socialis? Heu proh dolor! periit taciturnitas regularis, ablata est sanctitas religionis, defecit silentium Ordinis, ad nihilum devenit religiositas monasterii, annullata charitas fraternitatis; sed si illi qui in pace debent vivere, incipiunt contendere, litigare, detrahere, ubi est vita tranquilla, ubi vita quieta, ubi vita pacifica, ubi vita honesta, ubi vita modesta, ubi vita casta, ubi vita contemplativa, ubi vita angelica? » Et inferius : « Contentio lites parit; contentio pacem cordis extinguit; contentio rixas gignit; contentio jurgia seminat; contentio faces odiorum accendit; contentio concordiam rumpit; contentio conturbat oculum mentis. » Modum eam excludendi subdit, si quis ubique eligat viliora; ac concludens ait : « In nulla causa decertare studeas, nisi ut soli Deo placeas. »

NOLITE GLORIARI ET MENDACES ESSE ADVERSUS VERITATEM. — *q. d.* Si sentitis in mente ardorem contendendi, nolite illum sequi, eumque per os verbaque egerere et exerere, ut gloriose et mendaciter oppugnetis veritatem; sed potius ardorem hunc silentio reprimite et ratione compescite (1). Unde Græca habent : *Ne gloriemini, et mentiamini contra veritatem*; Syrus : *Ne intumescatis adversus veritatem, et mentiamini*. Qui enim libidine contendendi agitur ex studio contradicendi, ut scilicet videatur esse prudentior, vel doctior cæteris omnibus, tam veris quam falsis contradicit, omnesque et omnia impugnat; ac proinde necessum est ut sæpe inaniter glorietur et mentiatur contra veritatem, uti clare videre est in sophistis et hæreticis, qui agnitam veritatem impugnant. Significat Jacobus zelum, sive invidiam matrem et fontem esse contentionis, jactantiæ et mendacio-

(1) Allioli : Nolite gloriari sapientis titulo, quem contra veritatem vobis arrogatis. Alii græcum μή interrogative sumunt, *nonne falso gloriamini*, etc. Est pleonasmus in illo *mendaces esse contra veritatem*. Similis locutio *Rom.* IX, 1.

Zelus veritatis. rum. Porro, sicut summum decus est tueri veritatem, ita summum dedecus est eam impugnare et propugnare falsitatem : quod faciunt invidi et contentiosi. Quocirca cum quæreretur quidnam esset fortissimum, unusque responderet esse regem, alius esse vinum aut mulieres, Zorobabel rem acu tangens respondit esse veritatem, de qua perorans coram Dario rege, impetravit ab eo toti genti suæ plenam solutionem captivitatis Babylonicæ et templi reædificationem. Vide III *Esdræ*, cap. III, vers. 12 et seq. usque ad vers. 47, cap. IV.

Præclare S. Augustinus, epist. 9 *ad S. Hieronymum* : « Incomparabiliter, ait, pulchrior est veritas Christianorum, quam Helena Græcorum : pro ista enim fortius nostri martyres adversus hanc Sodomam, quam pro illa illi heroes adversus Trojam dimicaverunt. » Idem, epist. 7 *ad Marcellinum* : « Nimis, ait, perverse seipsum amat, qui et alios vult errare, ut error suus lateat. » Demosthenes rogatus, « quid Deo simile haberent homines, » respondit : « Benigne facere, et veritatem amare. » Ita Maximus, *serm.* 8. Pythagoras asserebat hæc duo divinitus hominibus data esse longe pulcherrima, veritatem amplecti et beneficiis operam dare : utrumque enim cum deorum immortalium operibus comparari posse. Ita Ælianus, lib. XII *Var. Hist.*

Denique veritas et charitas sorores sunt. Adeoque Deus per essentiam tam est veritas quam charitas : qui ergo veritatem oppugnat, oppugnat pariter charitatem, ipsumque Deum, qui est prima veritas et increata charitas. Remedium igitur contentionis et clypeus veritatis est charitas.

Clypeus veritatis charitas. Nam, ut ait Apostolus, I *Corinth.* XIII, 4 : « Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. » Et S. Bernardus, tract. *De Duodecim Gradibus humilitatis* : « Bona, inquit, est via humilitatis, qua veritas inquiritur, charitas acquiritur, generationes sapientiæ participantur. Denique sicut finis legis Christus, sic perfectio humilitatis cognitio veritatis. Christus cum venit, attulit gratiam : veritas quibus innotuit, dat charitatem; innotescit autem humilibus : humilibus ergo dat gratiam. » Tres igitur sociæ et comites inseparabiles, ac quasi tres Christianæ Charites sunt humilitas, veritas et charitas.

Idem paulo post tres veritatis gradus assignat : *Primum*, quo Deum et Christum ac nos ipsos agnoscimus, ideoque eum summe reveremur, et nos sub eo summe humiliamus. *Secundum*, quo proximorum culpas et miserias pervidemus, eisque compatimur. *Tertium*, quo Deum contemplamur, partim hic in ænigmate, partim in cœlo facie ad faciem per visionem beatificam, juxta illud : « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. » « Ad primum, inquit, ascendimus per laborem humilitatis, ad secundum per affectum compassionis, ad tertium per excessum contemplationis. In primo veritas reperitur severa, in secundo pia, in tertio pura. Ad primum ratio ducit, qua nos discutimus; ad secundum affectus perducit, quo aliis miseremur; ad tertium puritas rapit, qua ad invisibilia sublevamur. »

Tropologice Beda explicat, *q. d.* Jacobus : Nolite, o Christiani, mentiri Deo, cui in baptismo promisistis vos abrenuntiare Satanæ et pompis ejus : hisce enim non abrenuntiatis, si bona vestra insolentius jactetis, et gloriosius supra, imo contra veritatem mendaciter prædicetis. Magis ad mentem S. Jacobi dicas eos Deo mentiri, qui cum ejus cultores se profiteantur, proximis tamen, quos Deus ut seipsos diligere jubet, irascuntur, indignantur, invident, cum eisque contendunt et rixantur, in eoque quasi re præclare et animose gesta gloriantur.

15. NON ENIM EST ISTA SAPIENTIA (zelum amarum habentis et contentiosi, qui gloriam aucupatur, ideoque veritatem mendaciter oppugnat, ut videatur cæteris sapientior) DESURSUM DESCENDENS (cœlitus a Deo Patre luminum, ut dixit cap. I, vers. 17, infusa), SED TERRENA (ob avaritiam, qua quærit opes terrenas), ANIMALIS (ob gulam et luxuriam, qua concupiscit voluptates sensibiles ventris et veneris, ideoque illius Deus venter est, ut ait Apostolus, *Philip.* III, 19), DIABOLICA, — ob superbiam, qua ambit præ cæteris excellere et honorari; atque ad id subtiles modos, dolos et astus adinvenit, quorum auctor et antesignanus est diabolus. Ex adverso sapientia vera viri et doctoris humilis, pacifici et sancti est cœlestis, spiritalis, divina. Antistropha huic Jacobi sententiæ est illa S. Joannis, *Epistola* I, cap. II, vers. 16, qui mundo tribuens id quod Jacobus sapientiæ terrenæ et mundanæ, ait : « Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt, etc. Quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, » puta gula et luxuria; et « concupiscentia oculorum, » avaritia; « et superbia vitæ, quæ non est ex Patre, sed ex mundo. » Antistropha quoque, et magis est illa S. Pauli, I *Cor.* III, 3 : « Cum enim sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis et secundum hominem ambulatis? » Ubi Theodoretus : « Carnalis, ait, est, qui contentus est propriis cogitationibus, et spiritus doctrinam non admittit. » Ambrosiaster vero : « Qui pecoribus similis, ait, sensum suum in terram deprimit, ideoque non assequitur nisi ea quæ videt, nec putat aliquid posse fieri nisi quod scit; ideo quidquid aliud audit quam norit, stultum judicat. » Talis est hæresis et hæreticus, qui non capit nisi terrena, non capit nisi quæ sentit sensibusque tangit, non sapit nisi ventrem et venerem, non ambit nisi primas cathedras, ideoque plenus est invidia, odio, contentione, fastu, ostentatione, falsitate.

Vers. 15. Sapientia terrena.

Nota : *Primo*, « animalis, » græce ψυχικὸς, est is qui

non cupit, nec capit et sapit aliud, quam id quod familiare et gratum est animæ et animali, puta sensui, gustui et tactui, instar bestiæ, quales sunt gulosi et libidinosi : et, ut ait S. Bernardus, vel quisquis est auctor, lib. *De Solitaria vita*, qui corporis sensibus et animæ sensitivæ desideriis servit, et pascit ac nutrit sensualitatem suam, ideoque nescit nisi corporeas voluptates imaginando cogitare : ubi et addit tres esse gradus fidelium, nimirum primum incipientium; secundum, proficientium; tertium, perfectorum : primum esse animalem, secundum rationalem, tertium spiritualem. Sic Tertullianus jam factus Montanista, orthodoxos per scomma vocabat *psychicos* (male Rhenanus legit *Physicos*), id est animales; se vero et Montanistas spirituales, eo quod tres Quadragesimas jejunarent, damnarent secundas nuptias, etc., quas admittebant orthodoxi. Unde scripsit librum *De Jejuniis* contra Psychicos. Rursum animales sunt hæretici, qui nil credunt nisi quod vident et intelligunt. Nam, ut ait S. Augustinus, serm. 151 *De Temp.* : « In homine carnali tota regula intelligendi est consuetudo cernendi. »

Diabolica. *Secundo*, hæc mundi sapientia vocatur « diabolica, » tum quia diabolum imitatur : primus enim diabolus in cœlo invidit Deo suum thronum gloriæ, eumque voluit invadere, ac contra eum ejusque angelos contendit et dimicavit, sed victus dejectus est in tartara; tum quia a diabolo suggeritur et aspiratur, unde « invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum, » *Sapient.* II, 24. « Ipseque Princeps est super omnes filios superbiæ, » *Job* XLI, 25. Insuper est mendax et mendacii pater, *Joan.* VIII, 44. Sic Paulus Elymam sibi et Christo resistentem vocavit « filium diaboli, » *Act.* XIII, 10. S. Polycarpus Marcionem vocavit « primogenitum Satanæ, » teste Eusebio, lib. IV *Hist.*, cap XIV. Irenæus, lib. III, cap. III, eumdem vocat « os diaboli. » Porro alludit Jacobus ad etymon dæmonum : dæmones enim dicuntur quasi δαήμονες, id est *scientes*; et his antiqui tribuebant scientiarum et artium humanarum inventionem; sed proprie ipsi primi auctores et inventores sunt sapientiæ mundanæ, quæ docet se suaque extollere, alios deprimere, ideoque miscere lites, contentiones et bella.

Igitur sapientia cœlestis est *theodora*, id est, Dei donum; terrena vero est *dæmonodora*, id est, diaboli donum. Ita Theodora, uxor sapiens Justiniani Imperatoris, facta dictaque est dæmonodora, cum Justinianum ad hæresin Eutychianam inflexit, Concilium Chalcedonense proscripsit, Silverium Pontificem cepit morique coegit, aliaque nefanda perpetravit. Ita Theophilus in Vita Justiniani. Quocirca cœlitus icta misere periit. Audi Victorem Tunnensem in Africa Episcopum in *Chronico* : « Theodora Augusta, inquit, Chalcedonensis Synodi inimica, canceris plaga toto corpore perfusa, vitam prodigiose finivit. »

16. UBI ENIM ZELUS ET CONTENTIO. — « Contendere, ait S. Augustinus, lib. IV *De Doctr. Christ.*, cap. XXVIII, est non curare quomodo error veritate vincatur, sed quomodo tua dictio dictioni præferatur alterius. » Vers. 16.

IBI INCONSTANTIA. — Græce ἀκαταστασία, id est, « inconstantia, » inquietudo, inordinatio, turbulentia, perturbatio, agitatio, tumultus, seditio, ut dixi vers. 8. Probat Jacobus superbam invidorum et contentiosorum sapientiam esse terrenam, animalem ac præcipue diabolicam, ex eo quod sit inconstans et turbulenta, cieatque tumultus et seditiones : id quod in hæresi et hæreticis omni sæculo visum est, qui internecina bella et seditiones ubique suscitarunt. Unde hic verum est illud Tertulliani, lib. *De Pallio*, cap. V : « Plus togæ læsere Rempublicam, quam loricæ; » plus scilicet in pace hæresiarchæ læserunt Ecclesiam, quam in persecutione tyranni : nam hinc Martyres extitere invicti et gloriosi, inde perfidi et seditiosi apostatæ, qui Rempublicam et Ecclesiam disciderunt.

Hæresis inconstantis tribus de causis. Porro quam hæretici in hæresi sint inconstantes, patet ex eo quod in dies nova cudant dogmata prioribus contraria. Unde S. Hilarius, lib. *ad Constantium et Constantem Imperatorem*, asserit, « Arianis annuas et menstruas esse fides; » circumferuntur enim omni vento doctrinæ, ut ait Apostolus, *Ephes.* IV, 14. Id in Luthero clare ostendit Cochlæus in lib. cui titulus : *Lutherus septiceps*. Ratio est *prima*, quia hæretici aguntur spiritu vertiginis; *secunda*, quia hæresis est mendax : omne autem mendacium debiles habet pedes; mox enim ejus falsitas deprehenditur, tumque aliam adinvenit, qua se obvelet et sustentet. *Tertia*, quia diabolus ejus auctor mendax est et pater mendacii, atque suos ad nova semper et majora scelera, ac blasphemias impellit ex odio immani quo flagrat in Deum, et invidia qua uritur in homines, ne in thronos cœlestes quibus ipse excidit, succedant. Prima. Secunda. Tertia.

ET OMNE OPUS PRAVUM. — Ex invidia enim et contentione oriuntur rixæ, contumeliæ, blasphemiæ, pugnæ, cædes, rapinæ, schismata, hæreses, sacrilegia omniaque scelera : nam, ut ait S. Cyprianus, serm. *De Zelo et Livore* : « Mala cætera habent terminum, et quodcumque delinquitur, delicti consummatione finitur : invidia terminum non habet, permanens jugiter malum, et sine fine peccatum. » Vide quanta scelera et clades secuta sint ex hæresi Donatistarum apud Optatum *contra Parmenium*, et Arianorum apud Athanasium, *Apolog.* II, et Victorem Uticensem in *Wandalica*. Quale incendium Galliæ, Germaniæ, Angliæ, etc., intulerint Lutherus et Calvinus, nuper spectavimus, atque adhuc spectamus et lugemus.

17. QUÆ AUTEM DESURSUM EST SAPIENTIA, PRIMUM QUIDEM PUDICA EST. — Opponit falsæ invidorum, superborum et contentiosorum sapientiæ, quæ Vers. 17

terrena est, animalis et diabolica, veram et sanctam fidelium et doctorum, humilitati, paci, charitati et ædificationi studentium, ejusque novem, partim signa, partim effectus et dotes assignat. Sapientiam intelligit cognitionem sapidam (puta cum affectu, amore et praxi conjunctam) rerum divinarum, quæ fideles ad salutem et beatitudinem perducunt. Sapientia ergo hæc complectitur omnia mysteria fidei, totam doctrinam Christianam, Theologiam, S. Scripturam, Ethicam, cæteraque quæ ad christiane sancteque vivendum conducunt. Hæc « desursum est, » quia a Christo tradita, qui hac de causa e cœlis descendit, ut eam nos doceret. Rursum, quia sine supernaturali Dei lumine et gratia intelligi et capi nequit; requirit tamen ipsa hominis cooperationem et studium : licet enim Apostoli eam infusam acceperint, tamen posteri eorum proprio studio et labore eam acquirere et augere debent : unde qui plus ei vacant, sapientiores evadunt iis qui minus ei student : uti videre est in Theologia et Theologis. Hi enim lumen et dogmata fidei sequentes, ex iis speculando alias veritates scrutantur, et quasi conclusiones theologicas ex suis principiis eliciunt et colligunt. Denique « desursum est, » quia earum sapor et amor ac praxis sine gratia Dei haberi nequit.

Veræ et falsæ sapientiæ antitheses novem.

Porro conferre libet hasce novem antitheses veræ et falsæ sapientiæ, quas hic assignat S. Jacobus, easque ut in sinopsi lectori spectandas proponere. *Prima* est, sapientia vera est pudica; falsa est animalis et impudica. *Secunda*, vera est pacifica; falsa, contentiosa. *Tertia*, vera est modesta; falsa, petulans et superba. *Quarta*, vera est suadibilis; falsa est impersuadibilis, quia nec a vera quidquam sibi suaderi sinit, nec seipsam cordatis persuadere potest. *Quinta*, vera est bonis consentiens; falsa est bonis invidens, adversans et rixosa. *Sexta*, vera est plena misericordia; falsa, immisericors, crudelis et impia. *Septima*, vera est plena fructibus et operibus bonis; falsa, plena operibus malis cunctisque sceleribus. *Octava*, vera neminem temere judicat; falsa judicium præcipitat, quia omnia censurat et carpit. *Nona*, vera est sincera; falsa est simulata et hypocrita. Simili modo ait Apostolus, I *Cor.* XIII : « Charitas (quam includit sapientia hæc practica) patiens est, benigna est, non æmulatur, congaudet veritati, » etc. Jam si sapientia pudica est, pacifica, modesta, suadibilis, etc.; ergo et sapiens judicus est, pacificus, modestus, suadibilis, etc. Est argumentum a conjugatis : sapiens, inquam, tum discipulus, tum doctor; doctorum enim et magistrorum causa hæc dicit Jacobus, ut patet vers. 1.

PUDICA EST, — ἁγνή, id est *pura*, casta, intemerata est instar agni, tum a libidine, tum a quavis impuritate pravæ doctrinæ, sceleris et vitii, ut possit pingi specie S. Agnetis, quæ pudicitiæ æque ac sapientiæ Christianæ fuit exemplar et viva effigies, ut jure vocetur sitque Agnes. Nulla enim religio aut secta docet jubetque tantam puritatem tam castitatis et morum, quam veritatis et dogmatum, atque Christiana. Hæc enim de Deo docet omnia augusta, divina eoque digna. Hæc sancit omne quod honestum est. Hæc jubet conjuges caste in conjugio vivere, sibi servare fidem, nec eo uti ad voluptatem, sed ad suscipiendam educandamque Deo prolem. Hæc consulit virginitatem, cælibatum et continentiam, eamque omnibus sacerdotibus et Religiosis severe præcipit et indicit.

Quocirca hæc puritas doctrinæ, castitatis et vitæ est una e notis veræ fidei, religionis et Ecclesiæ. Ab ea enim longe aberrarunt et aberrant Gentiles, Mahometani, hæretici : docent enim cælibatum et continentiam homini esse impossibilem; fornicationem esse licitam censuerunt Gentiles, ut colligitur *Actor.* XV, 29. Mahometanis tot in Alcorano permittuntur concubinæ, quot possunt alere. Idem de Deo et Christo multa docent insulsa, ridicula, blasphema, æque ac Judæi in Thalmud. Hæresiarchas omnes suas habuisse amasias, docet S. Hieronymus, epist. *ad Ctesiphontem* : scilicet Simon Magus, inquit, habuit Helenam meretricem; Nicolaus Antiochenus choros duxit femineos; Apelles habuit Philumenem; Montanus, Priscam et Maximillam; Elpidius, Agapen; Priscillianus, Gallam, etc. Gnostici docebant frequentandam esse fornicationem quasi palmare vitium, conceptum vero impediendum esse per abortum, fœtumque enecandum, teste Epiphanio, *hæresi* 26; qui et *hæresi* 27, tradit Carpocratianos docuisse quemque satagere debere ut ante mortem omnibus sceleribus se commaculet, alioqui toties revocandum ad vitam, donec id perfecerit et perpetrarit. Quam impia et impura doceant Lutherus et Calvinus, omnibus liquet, ut Deum esse auctorem operum tam malorum quam bonorum; Christum in cruce perpessum esse pœnas gehennæ, ideoque desperasse; Religiosis et sacerdotibus violanda esse vota castitatis; non esse liberum arbitrium, sed electos a Deo in cœlum, reprobatos in tartara unius Dei decreto, quasi fato agi et impelli; si uxor nolit rem uxoriam, vocandam ancillam; omnia opera fidelium, etiam pia et sancta, esse peccata; nulla esse eorum merita; sola fide quemque salvari; quemque fidelem certum esse de sua fide, gratia et salute, ac credere debere fide divina se iturum in cœlum ad gloriam æternam.

Mystica pudicitia sapientia.

Denique Dionysius Carthusianus ait veram sapientiam, puta fidem et professionem Christianam, esse pudicam, eo quod perspiciat quanta cujusque peccati sit fœditas, ideoque illud cane pejus et angue fugiat et execretur; ac eo quod summæ veritatis, ac primæ lucis pulchritudinem puritatemque contemplans, pariat in mente castum pudorem et timorem, quo homo timet et

erubescit se in divinæ Majestatis præsentia et aspectu viliter turpiterque gerere, aut aliquid cogitare, dicere, agere, quod Dei oculos offendat. Insuper quia de præteritis culpis salubrem injicit pudorem, ut eas contritione et lacrymis deleat. Tertio; quia facit ut ad contemplationem Dei reverenter, pure et verecunde quis accedat, non præsumptuose, impudenter ac temerarie ingerens se ad divinorum ac incomprehensibilium perscrutationem.

Castitas comes sapientiæ.

Moraliter : Disce hic comitem individuam et quasi sororem sapientiæ esse pudicitiam. Hinc ambæ apparuerunt in somnis S. Gregorio Nazianzeno, eumque complectentes dixerunt : « Ne moleste accipias, juvenis; notæ tibi et familiares sumus : altera enim ex nobis sapientia, altera castitas dicitur; et missæ sumus a Domino tecum habitare, quia jucundum nobis et mundum in tuo corde habitaculum præparasti. » Uti refert Ruffinus in prologo *Apolog.*

Exempla fidelium.

S. Joannes Apostolus, quia virgo, meruit ex pectore æternæ sapientiæ Christi Domini haurire arcana cœlestia. Unde quasi aquila libravit se ad thronum S. Trinitatis, Verbique æterni generationem enarravit. Ibi quoque didicit Apocalypsim, quæ tot habet sacramenta quot verba; inde unus ipse Apostolorum cognominatus est Theologus. Similis ei fuit Joannes Baptista, æque ac Elias, uterque virgo, uterque Propheta : nam, ut ait Clemens Alexandrinus, III *Pædag.* cap. V : « Domi, foris, semper comes est sapientis pudicitia »

S. Thomas Aquinas, Doctor Angelicus, angelicam habuit tam castitatem quam sapientiam, adeoque ab angelis in exstasi cingulo castitatis (quod Vercellis in templo P. Dominicanorum religiose asservatur) accinctus, omni deinceps libidinis sensu caruit.

Illustre est quod legimus in Vita S. Laurentii Justiniani : hic enim cum annum ageret decimum nonum, qui ætatis flexus lubricus esse solet, apparuit ei Sapientia, puta Christus Dominus, specie virginis, cujus splendor solis splendorem superabat, eique dixit : « Cur, adolescens, cor tuum effundis, et pacem sectando teipsum per multa spargis? Ego, si me sponsam accipere decreveris, pacem hanc certissime polliceor. » Ille tam magnifica specie et promisso delectatus, quæsivit quod ei nomen, quod genus esset? Tum illa : « Ego sum Dei Sapientia, quæ ad homines reformandos humanam formam assumpsi. » Quare cum Laurentius se vero eam libentissime accipere respondisset, illa, dato osculo, læta et gaudens abscessit : ipse autem non multo post in monasterium ad oblatas nuptias sapientiæ et castitatis se contulit, in quibus abunde id expertus est, quod promisso acceperat.

Simili visu et schemate sapientia despondit sibi Henricum Susonem, qui proinde inter alia scripsit officium de æterna Sapientia, omnibus ejus studiosis et discipulis quotidie recitandum, indeque vocatus est *Minister æternæ Sapientiæ*, ut habet Vita ejus, cap. IV.

Simili, sed reali et visibili specie, Sapientia incarnata, puta Christus Jesus, despondit sibi S. Catharinam Senensem, virginem castissimam, quæ licet litterarum rudis, inde facta est sapientissima, quin et prophetiæ spiritum accepit. Annulus hujus ejus desponsationis Romæ in monte, qui vulgo dicitur Magnanapoli, religiose asservatur, ubi mihi ostensus est.

Causa est, quod sapientia sit cœlestis et purissimæ sapientiæ Dei participatio, Deique filia, ut aiebat Alfonsus, Aragonum rex, apud Panormitanum, lib. III. Requirit ergo cor purum et cœleste, non spurcum et libidinosum : hoc enim in cœno luxuriæ demersum, cœlestem hanc lucem intueri nequit. Unde Sapiens pingens sapientiam cap. VII, vers. 25 : « Vapor est, inquit, virtutis Dei, et emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera, et ideo nihil inquinatum in eam incurrit; candor est enim lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius. » Ex adverso Osee cap. IV, vers. 11, ait : « Fornicatio, et vinum, et ebrietas auferunt cor. » Ita Bersabee dementavit Davidem, virum secundum cor Dei, et mulieres dementarunt Salomonem mortalium sapientissimum : cæcitas enim mentis est proles luxuriæ, ait S. Gregorius, lib. XXXI *Moral.* Nimirum « cum in aliquem supercecidit ignis concupiscentiæ, videri ab eo nequit sol intelligentiæ, » ut docet S. Augustinus in *Psal.* cap. LVII, vers. 9. Ita Dalila excæcavit Samsonem, *Judic.* XVI; et libido Sodomitas, *Gen.* XIX, 11.

Exempla Gentilium.

Idem viderunt Gentilium Philosophi. Seneca, præfat. *ad Controversias*, asserit nil tam mortiferum esse ingeniis, quam luxuriam. Plato semper fuit continens ob sapientiæ studium, ait S. Augustinus, lib. *De Vera Relig.* Idem Academiam locum morbidum, ideoque aptum libidini reprimendæ, ad scholam elegit. Hinc Platonis ad Musas monitum, fuit teste Laertio : « Venerem exhorrescite, Nymphæ. » Cui Musæ : « Aliger huc ad nos non volat ille puer. » Hinc et Musas vocarunt Camœnas, quasi castæ mentis. Sibyllæ sapientissimæ fuere virgines, imo ob virginitatem adeptæ sunt donum prophetiæ, ait S. Hieronymus contra Jovinianum et Lactantium, lib. I *Divin. Institut.* Averroes, lib. VII *Physic.*, ait castitatem et alias virtutes, quibus concupiscentia carnis comprimitur, plurimum valere ad acquirendas scientias speculativas. Hippocrates copulam carnalem vocabat parvam epilepsiam : quia in ea homo ita a turpi voluptate abripitur, ut videatur esse epilepticus, et rationis mentisque impos : libido enim, ait Nyssenus, lib. *De Virg.* cap. IV et seq., facit homines quasi porcos, quorum oculi in cœnum demersi cœlum et cœlestia aspicere nequeunt. Cicero in *Hortensio*, asserit luxuriæ motum uti maximus est, ita inimicissimum esse sa-

Veneris pientiæ. Hinc Venus, juxta nonnullos, dicta est a *ve*, quæ est particula privativa, significans *sine*, et νοῦς, id est *mens*, quasi *sine mente*, amens; aut potius, ut Varro, a *viendo*, id est, ligando et vinciendo; quia ligat rationem, mentem et voluntatem amantis. Venus enim ex homine facit brutum; ex adverso castitas ex homine facit angelum.

Sapientia pacifica ob sex causas. PACIFICA, — εἰρηνική, id est, *pacis amans*, pacem colens in se, et consequenter eamdem aliis communicans et concilians; Syrus, *plena pace*. Ex adverso falsa sapientia, ut hæresis, ἐριστική, id est, *contentiosa* est, amans litium, rixarum et bellorum; uti omni ævo, sed præsertim nostro in Gallia, Scotia, Germania, Hollandia, etc., vidi-
Prima. mus. Causæ sunt: *Prima*, quia vera sapientia est donum Spiritus Sancti, qui concordiæ et pacis est auctor; falsa est enim donum diaboli, qui dis-
Secunda. cordiæ, belli et seditionum est princeps. *Secunda*, quia sapientia hæc fide et charitate nititur, quæ una eademque est in omnibus fidelibus: unde « multitudinis credentium erat cor unum, et anima una, » ait S. Lucas, *Actor.* IV, 32. Ita sapientissimus mortalium fuit rex Salomon, id est pacificus. Hinc Christus, *Marc.* IX, vers. ult.: « Habete, inquit, in vobis sal, et pacem habete inter vos. » Sal est symbolum sapientiæ, hujus comes est pax. « Sal quippe sine pace non est virtutis donum, sed damnationis augmentum, » ait S. Gregorius. Unde et sal priscis erat symbolum amicitiæ, ideoque hospitibus ante alios cibos apponi solebat, teste Pierio, *Hieroglyph.* XIII. Unde proverbium: « Non oportet transgredi salem et mensam, » id est, jus amicitiæ. Sed audi S. Gregorium, II parte *Pastor.* cap. IV: « Per sal, inquit, sapientia designatur. Qui loqui igitur sapienter nititur, magnopere metuat ne ejus eloquio audientium unitas confundatur. Hic Paulus ait: Non plus sapere quam oportet, sed sapere ad sobrietatem. Hinc in sacerdotis veste juxta divinam vocem tintinnabulis mala punica conjunguntur. Quid enim per mala punica, nisi fidei unitas designatur? Nam sicut in malo punico uno exterius cortice multa interius grana muniuntur: sic innumeros Ecclesiæ populos unitas fidei contegit,
Tertia. quos intus diversitas meritorum tenet. » *Tertia*, quia pax non est aliud quam tranquillitas ordinis: ordinare autem est sapientis, ait Aristoteles,
Quarta. lib. I *Metaphysic.* *Quarta*, quia Sapientia increata, a qua nostra creata derivatur, est Christus, qui est pax nostra, *Ephes.* II, 14, et princeps pacis, *Isaiæ* IX, 6. Unde suis valedicens, *Joan.* XIV, 27: « Pacem, inquit, relinquo vobis, pacem meam do vobis. » Hinc de Cherubinis (qui creatæ sapientiæ primum vivumque sunt exemplar) dicitur *Ezech.* cap. I, 9: « Junctæque erant pennæ eorum alterius ad alterum, » in signum pacis et
Quinta. concordiæ. *Quinta*, quia sapientia est humilis; humilitas autem est mater pacis: unde humiles jugiter sunt in pace, cum inter superbos semper sint jurgia. *Sexta*, quia sapiens scit omnia
Sexta. pace constare, omnia vero mala dissensione, lite et bello conflari; omni ergo conatu pacem sectatur, lites fugit. Hinc Apostolus, *Philip.* IV, 7: « Et pax Dei, inquit, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras. » Vide ibi dicta. Et S. Augustinus, XIX *Civit.*, XIII: « Pax corporis, inquit, est ordinata temperatura partium. Pax animæ rationalis, ordinata requies appetitionum. Pax animæ rationalis, ordinata cognitionis actionisque consensio. Pax corporis et animæ, ordinata vita et salus animantis. Pax hominis mortalis et Dei immortalis, ordinata in fide sub æterna lege obedientia. Pax hominum, ordinata concordia. Pax domus, ordinata imperandi atque obediendi concordia cohabitantium. Pax civitatis, ordinata imperandi atque obediendi concordia civium. Pax cœlestis civitatis, ordinatissima et concordatissima societas fruendi Deo et invicem in Deo. Pax omnium rerum, tranquillitas ordinis. Ordo est parium dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio. »

Modesta. MODESTA, — ἐπιεικής; Syrus, *mansueta, demissa, humilis*; Tigurina, *æqua*; Vatablus et Pagninus, *morigera*; alii, *moderata, humana, facilis, civilis*: nam mundi sapientia facit superciliosos, morosos, difficiles; alii, *moderata, sedata, honesta, laudabilis*: hæc enim omnia significat τὸ ἐπιεικής. Modestiæ mater est humilitas, filia verecundia, soror patientia, magistro exercenda: nam, ut ait Cicero *pro Roscio Comœdo*, quo quisque est solertior et ingeniosior, hoc docet iracundius et laboriosius; et quod ipse celeriter arripuit, tanquam tarde a discipulis percipi videns, discruciatur. Porro modestia in schola et disputatione est necessaria, ut refrænet juvenum petulantiam et audaciam: unde modestia ab oratoribus vocatur « Flos et decus adolescentum; » ab Euripide, « donum pulcherrimum deorum; » a S. Ambrosio, « purpura virtutum. » Ejus hæc est sanctio: « Sic habitum, vocem, vultum, gressum compone, ut deceat Deum, ut te ornet, ut proximum ædificet; alioqui decus latet in animo, dedecus patet in voce, vultu, habitu. » Vide dicta *Philipp.* IV, 5, et S. Nazianzenum, *orat.* 26, quæ est de moderatione in disputatione servanda. Vere S. Bernardus, serm. 36 *in Cantic.*: « Multa scientia, inquit, ingesta stomacho animæ, si charitate decocta non fuerit, convertitur in pravos noxiosque humores, atque inflationes mentisque tormina facit. »

Suadibilis. SUADIBILIS, — id est, persuasu facilis. Græce εὐπειθής; Syrus, *obediens, obsequens*; Pagninus, *morigera*; Tigurina, *tractabilis*; alii, *facile cedens et credens*. Ex adverso falsa sapientia, ut hæresis, est ἀπειθής, id est *impersuasibilis*, intractabilis, cerebrosa, dura, cervicosa, pertinax, obstinata in sua sententia et errore. Sapientis ergo est rationi cedere, veritati cor pandere, errorem agnoscere, sententiam mutare. Unde Apostolus Episcopum, qui est doctor populi, vult esse docibilem, II *Tim.*

cap. II, vers. 24. Et Salomon postulans a Deo sapientiam, petiit *cor docile*, Hebr. *audiens*, III *Reg.* cap. III. Docilitas enim est pars prudentiæ, ait Plato apud Macrobium, lib. I *in Somnium Scipionis*. Quia, ut ait S. Cyprianus, epist. *ad Stephanum*, Episcopum et doctorem « oportet non tantum docere, sed etiam discere : quia idem melius docet qui quotidie proficit et crescit discendo meliora. » Ita S. Augustinus, S. Damasus aliique doctores consuluerunt S. Hieronymum in difficultatibus S. Scripturæ. Vide S. Augustinum in *epistolis*, quas plures de eis dedit ad eumdem. Idem Augustinus *ad Dulcitum*, Quæst. III : « Ego, inquit, plus amo discere, quam docere. »

Porro τὸ *suadibilis* dupliciter accipi potest. *Primo*, passive, ut sit idem quod quæ « facile sibi persuaderi » sinit. *Secundo*, active, « quæ facile persuadetur aliis, » quia ipsa facile seipsam iis persuadet : sapientia enim tantam veri et honesti habet speciem, ut illico audienti se suaque persuadeat. Ita religio Christiana nil docet absurdi, nil turpe, nil inopinabile; sed omnia naturæ et rectæ rationi conformia, uti contra Gentiles docent Eusebius in lib. *De Demonstr.*, Augustinus in lib. *De Civit.*, et alii.

Ex adverso Philosophi et hæretici plurima docent absurda, turpia, incredibilia. Lycurgus dabat impunitatem adulteriis. Persæ cum sororibus et fratribus inibant conjugia. Plato, qui a suis nuncupatur sidus sapientiæ, uxores voluit esse communes, et præposteram libidinem commendat, lib. III *De Republ.* In solo fere *Timæo* hæc habet paradoxa, imo contraria : *Primum*, mundum creatum esse non ex nihilo, sed ex atomis. *Secundum*, mundum facit animal intelligens æternum, eo quod pulcherrima creatura, qualis est mundus, non possit esse sine intellectu. *Tertium*, hoc animal a Deo creatum esse ad ideam alterius animalis. Fingit enim ipse animal aliud universale, æternum, separabile et ideale, cujus exemplum Deus secutus sit in creando. Rursum, Deum esse animam mundi. *Quartum*, ignem et terram censet primo fabricata, deinde aere et aqua quasi vinculis fuisse colligata. *Quintum*, terram antiquissimam deorum cœlo contentorum facit. *Sextum*, mundum ait ali senio et consumptione sui ipsius; et tamen æternum esse. *Septimum*, mundum appellat Deum beatum. *Octavum*, animam mundi ponit in ejus medio, abjectissima scilicet parte. *Nonum*, stellas censet animalia esse, imo deos. *Decimum*, solem in secundo a terræ circulo statim a luna positum; quod Astronomi et ratio ipsa confutat. *Undecimum*, astra ex igne esse fabricata, ideoque ignea. *Duodecimum*, terram esse circa polum suspensam, antiquissimam et primam deorum (id est stellarum) qui intra cœlum sint geniti. *Decimum tertium*, fabulosam dæmonum generationem ex terra et cœlo, et prosapiam per Oceanum et Thetidem productam, fidelem esse Idem in *Apolog.* : « Dæmones, ait, sunt deorum filii spurii, » unde deos facit adulteros. *Decimum quartum*, omnem animam statuit æternam et ingenitam. *Decimum quintum*, iniquos transmutari in ortu secundo in mulieres, aves et bestias pro cujusque delicto. *Decimum sextum*, delicta expiari per ignem et reliqua elementa. *Decimum septimum*, deos juniores fecisse hominis corpus ex quatuor elementis secundum atomos. *Decimum octavum*, mundi generationem ait ex necessitatis et mentis cœtu mixtam, quasi Deus coactus fuisset mundum generare, aut facere. Huc spectat quod de necessitatis filiabus, scilicet Parcis, scribit lib. X *De Republ.*, et quod alibi habet de fortuna pariter gubernante mundum : et quod Deus necessitati non repugnet. Unde Marsilius, Platonis interpres, duplicem Platonicorum sententiam affert. Primam Procli, mundum factum esse; secundam, mundum non esse factum, sed semper fuisse et fluxisse a Deo, quasi fiat semper et fluat. *Decimum nonum*, ante mundum elementa in suis fuisse sedibus inordinate mota; Deum ordinem attulisse et ornatum. *Vigesimum*, mundum esse Deum seipso sufficientem. *Vigesimum primum*, homini dat plures animas, unam a Deo factam, alias duas mortales, perturbationi et libidini obnoxias, factas a Dei filiis, id est stellis et dæmonibus, quarum unam jecori, alteram cordi indiderint. *Vigesimum secundum*, in jecore, ait, dii vaticinia expleri statuerunt, membro scilicet rationis experte; ne quis sit sapiens simul et vates. Quare nemo dum sanæ est mentis vaticinatur, sed cum vis prudentiæ somno, vel morbo oppressa, aut divino aliquo raptu e suo statu est dimota; vaticinia enim esse pronuntiata furentis ingenii. *Vigesimum tertium*, hominem acquirere immortalitatem ex veritatis intentissimo intuitu : unde colligas animam per se non esse immortalem. *Vigesimum quartum*, anima, ait, cum semper divinum colat, ipsumque familiarem dæmonem in se habeat ornatissimum, fit beata. Hoc familiari dæmone valde gaudent Platonici, ob id magiæ suspecti, ut et Socrates. *Vigesimum quintum*, idem alibi docet animam ante corpus extitisse, ideoque cognitionem nostram non esse scientiam, aut potius discentiam, ut ita dicam, sed reminiscentiam, etc. *Vigesimum sextum*, ponit παλιγγενεσίαν, sive reditum rerum omnium, nimirum post duodecim millia annorum (quod spatium ipse magnum annum nuncupat : hic enim præcise continet annos 12954, ait Cicero, lib. II *De Natur. deor.*) omnia præterita in integrum revocanda esse, ut iterum fiant eo modo quo facta sunt.

Paradoxa Platonis 26.

Aristotelis, qui a S. Hieronymo et aliis vocatur miraculum naturæ et ingenii, paradoxa sunt : *Primum*, mundum fuisse ab æterno. *Secundum*, primum motorem Orienti affigit. *Tertium*, asserit eum moveri fato et naturali necessitate. *Quartum*, futurorum contingentium non esse determinatam veritatem, nec Deum ea determinate scire. *Quin-*

Aristotelis undecim.

tum, de animæ mortalitate ita subinde loquitur, ut nonnulli asserant eum putasse animam esse mortalem : licet alii verius contrarium opinentur. *Sextum*, censet licere partum abigere, et liberis necem parare. *Septimum*, docet Dei providentiam non se extendere ad singularia. *Octavum*, lib. *De Bonor. fortun.*, negat Deum curam gerere fortuitorum. *Nonum*, negavit Dei providentiam se extendere infra lunam, Deumque curare sublunaria, si credimus Clementem, lib. V *Stromat.*, Nazianzenum, orat. 1 *De Theolog.*, Ambrosium, I *Offic.* cap. XIII. *Decimum*, motum et tempus censuit esse perpetuum, ideoque infinitum. *Undecimum*, ex nihilo nihil fieri : unde inferunt Deum non creasse mundum, sed omnia fecisse ex præjacente materia. Plura vide apud S. Justinum, lib. *De Erroribus*. Aristotelis, Stoicorum et Epicureorum absurda dogmata recensui *Act.* XVII, 18.

Vere Psalles, *Psal.* CXVIII, 85 : « Narraverunt, inquit, mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua ; » nam in vera sapientia tum increata, tum creata et derivata, est « Spiritus intelligentiæ, sanctus, ait Sapiens, cap. VII, vers. 22, unicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, incoinquinatus, certus, suavis, amans bonum, acutus, quem nihil vetat, humanus, benignus, stabilis, securus, etc., intelligibilis, mundus, subtilis : omnibus enim mobilibus mobilior est sapientia, attingit autem ubique propter suam munditiam.»

BONIS CONSENTIENS. — Hoc epithetum non est in Græco et Syro, illudque expungit Prosper, lib. *De Lib. Arbit.*; Dionysius, Cajetanus, Catharinus, Gagneius et alii : legunt tamen Romani codices. Videtur ergo additum ad explicandum et determinandum τὸ *suadibilis*, nimirum quod sapientia sibi bona persuaderi sinat, non mala, ut bonis tam rebus quam hominibus sit consentiens, non malis, nimirum eis credendo, eorum bona consilia et opera probando, imitando, diligendo et promovendo, nulli invidendo aut resistendo, neminem vituperando, et a sancto opere impediendo. Ex adverso hæreses et hæretici bonis dissentiunt, malis consentiunt. Ita Lutherus in *Colloquiis mensalibus* respuit Chrysostomum ut loquacem, Basilium ut abjectum, Cyprianum ut infirmum Theologum, Hieronymum ut errantem et de hæresi suspectum, ac omnibus præfert Apologiam sui Melanchthonis : qui et alibi satanico fastu intonat, nihil se curare, si mille Cypriani, mille Augustini, mille Ecclesiæ contra se starent.

Moraliter : S. Augustinus, serm. 12 *De Verbis Apost.* : « Nihil, ait, in te alteri resistit? vide ne forte ideo non sit bellum, quia pax perversa est, forte in totum carni consentiens, et nulla rixa est. »

PLENA MISERICORDIA. — Syrus רחמי *rachame*, id est, miserationibus ex intimis visceribus manantibus. Sapientia enim novit, didicitque illud Christi : «Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur,» *Matth.* cap. V, vers. 7. Ita S. Cyprianus, serm. *De Lapsis* : « Dolco, ait, fratres, vobiscum. Cum singulis copulo pectus meum, cum jacentibus jacere me credo, cum prostratis fratribus et me prostravit affectus. » Talis quoque fuit S. Job, ut patet cap. XXXI, et S. Paulus, II *Cor.* cap. XI, vers. 29 : « Quis, ait, infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror? » et S. Leo, serm. 10 *De Quadragesima* : «Pulchrum valde est et divinæ benevolentiæ comparandum, sui quemque in altero meminisse. » Porro Plinius, lib. II, cap. VII, omnem divinitatem ponit in beneficentia : nam quasi atheus dubitat de Deo et numine, deos vero censet ab hominibus factos, fuisse non alios, quam viros fortes et beneficos. « Deus, ait, est mortali juvare mortalem : et hæc ad æternam gloriam via. Hac proceres iere Romani : hac nunc cœlesti passu cum liberis suis vadit maximus omnis ævi rector Vespasianus Augustus, fessis rebus subveniens. Hic est vetustissimus referendi benemeritis gratiam mos, ut tales numinibus ascribantur. Quippe et aliorum omnium nomina deorum, et quæ supra retuli siderum et hominum, nata sunt meritis. » Beneficii in deos relati.

Misericors ergo et beneficus suis clientibus est Apollo, Æsculapius et Jupiter, id est, juvans pater. Idem de beneficis in deos relatis censet Cicero, lib. II *De Legibus*, et ex eo Lactantius, lib. I *Instit.*

ET FRUCTIBUS BONIS, — puta bonis operibus; hæc enim sunt effectus, partus et fructus sapientiæ.

NON JUDICANS. — Multi codices et interpretes delent τὸ *non*, et τὸ *judicans* nectunt sequenti, leguntque *judicans sine simulatione*, *q. d.* Judicans sincere, non ficte et simulate; verum codices Romani, Lovanienses, Lugdunenses, Regii et cæteri, æque ac Syrus et Græcus legunt, *non judicans*; Pagninus et Tigurina, *nihil dijudicans*, scilicet temere, non usurpans sibi munus judicandi, non faciens se judicem aliorum eos carpendo, censurando, spernendo, juxta illud Christi : « Nolite judicare, ut non judicemini, » *Matth.* VII, 1, *q. d.* Nolite in aliorum facta et mores curiose inquirere, carpere, censurare, damnare : ita fiet, Deo juste disponente, ut vicissim ab aliis non judicemini, censuremini et damnemini.

Secundo, Græcum ἀδιάκριτος quasi passivum noster Turrianus, lib. IV *De Dogmat. charact.*, vertit passive, *quæ non judicatur*, quia scilicet certa et indubitata est, ut ipsa potius de aliis judicare debeat, quam judicari; quomodo Apostolus ait spiritualem a nemine judicari, I *Corinth.* II, 15. Hinc S. Augustinus, lib. *De Grat. et Lib. Arbitr. ad Valent.*, cap. ultim., ἀδιάκριτος vertit, *inæstimabilis*, *q. d.* Sapientia adeo sublimis et pretiosa est, ut superet omne hominum judicium et æstimationem; de qua re vide Baruch, cap. III, 16 et sequent., et Job XXVIII, 13 et seq. *Tertio*, aliqui ἀδιάκριτος ver-

tunt, *nihil hæsitans*, non dubitans, non nutans, sed resoluta, certa et secura de veritate.

SINE SIMULATIONE, — ἀνυπόκριτος, *sine hypocrisi*; Pagninus, *nihil simulans*. Ex adverso falsa sapientia, ut hæresis et hæretici, simulant veritatem, sinceritatem, castitatem, pacem, sanctitatem, cum moliuntur docentque falsitatem, hypocrisin, libidinem, bellum omneque scelus : sunt ergo lupi vestiti pelle ovina, ut ait Christus, *Matth.* VII, 17. Vere *Sap.* cap. I, vers. 5 : « Spiritus Sanctus, ait, disciplinæ effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu; » et cap. VII, 13 : « Quam sine fictione didici, et sine invidia communico, et honestatem illius non abscondo. »

Vide actus et mores hypocritarum graphice depingentem S. Gregorium, X *Moral.* XVI, alias XXVII.

Vers. 18. 18. FRUCTUS AUTEM JUSTITIÆ IN PACE SEMINATUR, FACIENTIBUS PACEM. — Syrus, *iis qui sunt pacifici*. « Justitiæ, » id est sapientiæ; sapientia enim practica, de qua hic agitur, est justitia, id est, complexio omnium virtutum (1). Concludit Jacobus totius capitis de sapientia et magistris discursum hoc quasi epiphonemate, quo sapientiæ usum, fructum et præmium assignat et complectitur, *q. d.* Dixi sapientiam plenam esse misericordia et fructibus bonis, quia sapientia et sapiens certo scit hos justitiæ, id est virtutis bonorumque operum, fructus esse quasi semen æternæ felicitatis et gloriæ, quam quasi copiosam segetem ac præmium metet in cœlo; scit pariter se hoc semen serere debere in pace, pacem et mutuam concordiam studiose colendo, et inter dissidentes conciliando; cum seges hæc et merces solis pacis cultoribus proposita et promissa sit, non superbis, non contentiosis, non facientibus schismata, non se, et sua dogmata factaque jactantibus, qui alios contemnunt, ut soli sapere videantur : hos enim toto capite taxavit S. Jacobus. Nam, ut ait Origenes, hom. 13 *in Levit.*, Deo grata opera nostra, quantumlibet in se bona, esse nequeunt, nisi in pace peragantur, adeo ut et sacrificium ejus qui a fratre dissidet, ei non placeat, juxta illud Christi, *Matth.* V, 23 : « Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adversum te, vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum. » Antistropha huic Jacobi sententia est illa S. Pauli, sub idem tempus ad eosdem edita, *Hebr.* XII, 11, cum de disciplina ait, quod « fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ; » et : « Quæ seminaverit homo, hæc et metet. Quoniam qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem; qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam, » *Galat.* VI, 8; et illud Psaltis de Apostolis et doctoribus. « Euntes ibant et flebant mittentes semina sua : venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos, » *Psalm.* CXXV, 6.

Nota : τοῖς *facientibus pacem*, id est opera pacis, quæ scilicet ad pacem conciliandam et augendam faciunt, qui scilicet et sibi et aliis pacifici sunt, ut vertit Syrus : sic enim in Scripturis jubemur facere misericordiam, justitiam, judicium, pietatem, etc., id est, opera misericordiæ, justitiæ, judicii, pietatis, etc.

Moraliter : Nota quanta sint commoda pacis. Pacis bona quinque. *Primum*, quod Deo sit gratissima, unde ipse vocatur Deus pacis et dilectionis, II *Cor.* XIII, 11. Primum. *Secundum*, quod pax sit via ad cœlum, adeoque inchoatio vitæ cœlestis. In cœlo enim unum e summis Sanctorum gaudiis est summa æternaque omnium pax. Secundum. *Tertium*, quod pax sit ipsa Dei et SS. Trinitatis similitudo : in Deo enim cum sint tres personæ, una tamen voluntas est, unus amor, unus omnium sensus et consensus. Audi Nazianzenum, orat. 2 *De Pace*. « Non minus, ait, quam ipsa secum divinitas (nisi hoc nimis magnifice dictum videatur) inter nos consentimus, concordesque sumus, labiumque unum et vox una existimus : contrario tamen modo atque illi qui turrim olim extruebant; animo atque ore Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum celebramus, idque de nobis prædicatur quod vere in nobis sit Deus, eos, a quibus unitur, uniens. Tertium. *Quartum*, quod Christus ideo e cœlo descendit; ut pacem hominibus cum Deo et secum afferret. Quartum. Unde S. Chrysostomus, hom. 18 in I *ad Corinth.* : « Ut in Christo, ait, uniamur, multa movere nos debent, quia ipse est caput, nos corpus; ipse fundamentum, nos ædificium; ipse vitis, nos palmites; ipse pastor, nos oves, » etc. *Quintum*, quod pax vitam suavissimam efficit. Quintum. Vide S. Bernardum, serm. V *De Assumpt. B. Virg.* : « Unitas, ait, Sanctorum alia est quæ justificat, alia quæ glorificat; una meritum, altera præmium; unitas quæ in hac vita habetur, est decus suavitatis, de qua scriptum est : Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum. Cum enim descripsisset Propheta pulchritudinem, non tacuit utilitatem : quoniam illic mandavit Dominus benedictionem et vitam : hic benedictionem, illic vitam æternam. » Plura de pace dixi *Isaiæ* II, 4, et *Philip.* I, et seq. *Ephes.* IV, 3, *Coloss.* III, 15.

Porro ut hæc pax cum Deo, nobiscum et cum proximis habeatur, nobis, id est nostris concupiscentiis, inferendum est bellum. Unde S. Augustinus, serm. 6 *De Verbis Apostoli* : « Et si spiritus, ait, concupiscit adversus carnem, et si modo rixa est in ista domo, maritus litigans, non perniciem, sed concordiam quærit. »

(1) « Iis, » id est *ab iis*.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Capite præcedenti insectatus est fidelium, præsertim magistrorum, contentiones, æmulationes et lites; hic mali radicem indicat et amputat, nimirum concupiscentias, amoremque mundi et commodorum præsentis vitæ, cui opponit amorem et accessum ad Deum. Igitur, vers. 1, *concupiscentias quasi litium et bellorum fomites perstringit. Inde, vers.* 4, *docet amicitiam mundi esse inimicam Deo. Ad Deum autem, qui superbis resistit, per humilitatem et munditiem cordis accedendum esse, ut ipse nos exaltet. Tertio, vers.* 11, *invehitur in detractores. Quarto, vers.* 13, *ostendit vanitatem concupiscentiarum ex vanitate vitæ, cui et inhærent et adhærent. Summa ergo capitis est : concupiscentiam honoris et excellentiæ, sive ambitionem, quæ mater est invidiæ, litium, bellorum et detractionum, sanare et extinguere per studium humilitatis et modestiæ.*

1. Unde bella et lites in vobis? Nonne hinc? ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris? 2. Concupiscitis, et non habetis : occiditis, et zelatis, et non potestis adipisci : litigatis, et belligeratis, et non habetis, propter quod non postulatis. 3. Petitis, et non accipitis, eo quod male petatis : ut in concupiscentiis vestris insumatis. 4. Adulteri, nescitis quia amicitia hujus mundi inimica est Dei? Quicumque ergo voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur. 5. An putatis quia inaniter Scriptura dicat : Ad invidiam concupiscit spiritus, qui habitat in vobis? 6. Majorem autem dat gratiam. Propter quod dicit : Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. 7. Subditi ergo estote Deo, resistite autem diabolo, et fugiet a vobis. 8. Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis. Emundate manus, peccatores : et purificate corda, duplices animo. 9. Miseri estote, et lugete, et plorate : risus vester in luctum convertatur, et gaudium in mœrorem. 10. Humiliamini in conspectu Domini, et exaltabit vos. 11. Nolite detrahere alterutrum, fratres. Qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem suum, detrahit legi, et judicat legem. Si autem judicas legem, non es factor legis, sed judex. 12. Unus est legislator et judex, qui potest perdere et liberare. 13. Tu autem quis es, qui judicas proximum? Ecce nunc qui dicitis : Hodie aut crastino ibimus in illam civitatem, et faciemus ibi quidem annum, et mercabimur, et lucrum faciemus. 14. Qui ignoratis quid erit in crastino. 15. Quæ est enim vita vestra? vapor est ad modicum parens, et deinceps exterminabitur : pro eo ut dicatis : Si Dominus voluerit; et : Si vixerimus, faciemus hoc, aut illud. 16. Nunc autem exultatis in superbiis vestris. Omnis exultatio talis, maligna est. 17. Scienti igitur bonum facere, et non facienti, peccatum est illi.

1. UNDE BELLA ET LITES IN VOBIS? — Primi Christiani nulla gesserunt bella, nec gerere poterant, utpote pauci et Gentilibus subditi : *bella* ergo vocat lites, rixas et pugnas; ut τὸ *et* sit explicativum; *q. d.* « Bella, » id est « lites. » Ita Lyranus. *Secundo,* « lites» accipi possunt verborum, «bella» verberum; unde Thomas Anglicus : *Lites,* inquit, pertinent ad ligitantes coram judice, dum volunt obtinere causam per calumniam, prætextu justitiæ; *bella* pertinent ad violentos, qui rem per violentam injuriam sibi vindicare conantur. *Tertio,* per *bella* accipe pugnas et duella : duellum enim est duorum bellum. Denique prævidebat Jacobus inter Christianos post Constantinum fore bella, eaque hic tollere satagit (1). Sensus ergo est, *q. d.* Capite præcedenti culpavi invidiam et contentiones, quæ suscitant bella et lites, ac suasi studium modestiæ, concordiæ et pacis : nunc profundius radicem eorum digito commonstrabo, ut ea a vobis amputata, amputentur pariter mali hujus rami. Unde ergo et ex qua radice oriuntur

(1) Rectius Allioli : Perversos hic etiam insectatur Apostolus doctores illos de quibus egit in præced. capite, qui existimationem et magisterii auctoritatem ambiebant, unde exoriebantur lites et dissidia familiarum, sectarum, partium in eadem civitate.

bella et lites in vobis? utique ex concupiscentiis vestris : dum enim plures eamdem rem concupiscitis, eamque simul omnes obtinere non potestis, quisque pro ea obtinenda sibique vindicanda contendit, litigat et pugnat. Cupis proferre limites agri et dominii tui, aspiras ad dignitatem, ambis officium : resistitur tibi ab aliis qui eadem retinere, vel obtinere satagunt; incitaris ergo ut cum eis litiges, eosque pessumdes, itaque rem concupitam assequaris. Omnes ergo lites et bella oriuntur propter meum et tuum : tolle hæc duo pronomina e mundo, aut saltem e mentibus hominum, nullæ erunt lites, nulla bella, inquit S. Chrysostomus. Hinc, ut ait Virgilius, XII *Æneid.* :

Bella oriuntur ex cupiditate.

> Limes agro positus, litem ut discerneret arvis.

Sane priscos principes et tyrannos non alia causa incitavit ad bella, quam ambitio proferendi imperii et cupiditas opum externarum. Id significat Hebræum ריב *rib,* id est *lis* : derivatur enim vel alludit ad רהב *rahab,* id est *superbivit*; et ad רבב *rabab,* id est *multiplicavit.* Ex superbia enim et cupiditate excellendi, ac multiplicandi opes et honores, oriuntur omnes lites et bella. Audi Sallustium in *Conjur. Catil.* : « Una, ait, et ea vetus causa bellandi, profunda cupido imperii et divitiarum ; » et Tacitum in lib. IV *Hist.* : « Aurum et opes præcipuæ bellorum causæ ; » et Lucanum in lib. III *Pharsal.* :

> At pars vilissima rerum
> Certamen movistis opes.

et Ovidium, I *Metamorph.* :

> Jamque nocens ferrum, ferroque nocentius aurum
> Prodierat, prodit bellum, quod pugnat utroque.

Porro sapienter S. Augustinus, lib. IV *De Civit.* VI : « Inferre, ait, bella finitimis, et inde in cætera procedere, ac populos sibi non molestos sola regni cupiditate conterere, quid aliud quam grande latrocinium nominandum est? » Talia fuere olim bella Alexandri, Nabuchodonosoris, Cæsaris, et passim regum Assyriorum, Babyloniorum, Persarum, Medorum, Græcorum et Romanorum. Unde licet Priscianus bellum dictum putat per antiphrasim, quasi minime bellum, id est pulchrum; Festus vero, quasi belluinum et ferinum; alii tamen censent dictum a Belo, qui primus Assyriorum rex cœpit bello vicinos appetere et subjugare. Porro Belus proprio nomine vocatus est Nemrod, cujus tyrannis describitur *Genes.* X. Appellative vero vocatus est hebraice *Bal, Baal, Bel* et *Belus,* id est dominus, quia omnibus dominari satagebat. Vide dicta *Genes.* X, 10. Ita Cassiodorus, lib. I *Variarum epist.* 30 : « Non erant, inquit, prius armata certamina, sed pugnis se quamlibet fervida lacessebat intentio; unde et pugna nomen accepit. Postea Belus ferreum gladium primus produxit, a quo et bellum placuit nominari. Concilium atrox, crudele præsidium, ferina certatio. Crimini applicandum est, quod inde posteritas potuit interire. » Intellige post diluvium; nam ante diluvium gigantes bellis et cædibus fuere infames, teste Josepho, lib. I *Antiq.*, cap. XIII. Ubi et primum qui militarem artem exercuit, censet fuisse Tubal Cain, qui invenit artem fabrilem in cuncta opera æris et ferri, *Genes.* IV, 22. Josephum sequitur Glossa.

Bellum unde dictum?

NONNE HINC,— scilicet ex concupiscentiis, ut sequitur.

EX CONCUPISCENTIIS (græce ἡδονῶν, id est *voluptatibus*) VESTRIS, — quas scilicet concupiscitis, hoc est, ex concupiscentiis opum, scilicet honorum et deliciarum : quia licet ira sit in appetitu irascibili, oritur tamen ex appetitu concupiscibili. Ex eo enim quod obtinere nequit rem concupitam, irascitur, lites et bella movet. Porro pax dedit materiam concupiscentiæ, concupiscentia bello : unde tempore persecutionum nulla inter Christianos fuerunt bella usque ad Constantinum, sed pace ab eo data Ecclesiæ, illico in ea lites et bella movere cœperunt Ariani Episcopi et principes; ac mox cæteri. Unde vere S. Leo, serm. 6 *in Epiphan.* : « Terrores, ait, proscriptionum diabolus in avaritiæ mutat incendium, et quos damnis non fregit, cupiditate corrumpit; inflammat concupiscentiis, quos non potest vexare tormentis. » Et Tertullianus : « Magis togæ læsere rempublicam, quam loricæ. » Licet enim lis et bellum justum debito modo susceptum, etiam Christianis licitum sit et sanctum, ut contra Erasmum et Anabaptistas docet S. Augustinus, *Enchirid.* LXXVIII, tamen vix caret peccatis, saltem venialibus : fere enim suscipitur ex nimio amore rerum terrenarum. Insuper facile se interserit cupido vindictæ, invidiæ, malevolentiæ, superbiæ, gloriæ, etc.

Concupiscentia ubi?

QUÆ MILITANT IN MEMBRIS VESTRIS. — Licet enim passiones et concupiscentiæ sint in anima et appetitu, vel concupiscibili, vel irascibili, tamen quia hi appetitus sedem habent et quasi castra sua figunt in membris, per eaque se exerunt, hinc pariter concupiscentiæ in membris suam habent sedem, ut ira in felle, libido in membris generationi destinatis, tristitia in liene, amor in jecore, etc. Hinc concupiscentia ab Apostolo vocatur lex membrorum, *Rom.* VII, 23. Porro concupiscentiæ militant adversus mentem et spiritum. Nam, ut ait Apostolus, *Galat.* V, 17 : « Caro, id est concupiscentia, concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem. » Hi ergo sunt quasi duo milites, aut potius duo belli duces, qui assidue inter se confligunt, suosque milites in aciem educunt, nimirum concupiscentia educit omnes passiones, sensationes, imaginationes et membra : spiritus educit fidem, spem, charitatem omnesque virtutes morales, quæ cum concupiscentiis singulis decertant, uti graphice describit Prudentius in *Psychomachia,* id est animæ pugna.

Denique concupiscentiæ hæ in membris ita militant, ut dominentur quoad actus subitos et in-

deliberatos, qui rationem et libertatem præveniunt; quoad actus vero humanos, liberos et deliberatos non dominantur : sed tam ipsæ quam membra subsunt voluntati et libero arbitrio, a quo reguntur non despotice, uti brutum regitur ab homine; sed politice, uti civis regitur a magistratu, cui contradicere et reluctari potest. Unde Apostolus hortatur fideles jam baptizatos et justificatos, *Rom.* VI, 12, dicens : « Non ergo regnet peccatum (peccati fomes, puta concupiscentia) in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus. Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato; sed exhibete vos Deo tanquam ex mortuis viventes, et membra vestra arma justitiæ Deo : peccatum enim vobis non dominabitur. » Vide ibi dicta. Hinc vere et sapienter ait Laurentius Justinianus, lib. *De Interiori Conflictu*, cap. VIII : « Omnis disciplina Christianæ professionis non in miraculis faciendis, non in futura prædicendo, non in eloquio composito scripturarumque explanatione, sed in resecandis concupiscentiis commendatur. Quantum Christum quis diligat, in hoc spirituali certamine recognoscat. » Et S. Augustinus, lib. *De Agone Christiano*, cap. II : « Ibi ergo, inquit, vincuntur inimicæ nobis visibiles potestates, ubi vincuntur visibiles cupiditates. Et ideo qui in nobis vincimus temporalium rerum cupiditates, necesse est ut in nobis ipsis vincamus et illum, qui per ipsas cupiditates regnat in homine. Quando enim dictum est diabolo : Terram manducabis, dictum est peccatori : Terra es, et in terram ibis. Datus est ergo in cibum diabolo peccator. Non simus terra, si nolumus manducari a serpente. »

Perfectio sita in mortificatione concupiscentiæ.

Vers. 2. 2. CONCUPISCITIS, ET NON HABETIS. — Docet concupiscentiam, quæ ciet lites et bella, inquietum esse malum, quod animam jugi rerum concupitarum desiderio et siti cruciat, ac nunquam explet et satiat. Rursum concupiscentiam concitare lites et bella, ut rem concupitam sibi vindicet, at frustra : res enim concupita non armis paranda, sed a Deo, rerum omnium auctore et datore, postulanda est. Concupiscentia ergo non nisi tumultus irarum et litium in animo suscitat, eosque inanes et evanidos; utpote quibus re desiderata potiri nequit, magisque angores, metus et dolores sibi asciscit.

Concupiscens non habet id quod concupiscit sextupliciter. Primo.

« Concupiscitis » ergo « et non habetis. » Τὸ *et* potest *primo*, accipi more Hebræo pro *quia*, *q. d.* Concupiscitis, quia non habetis id quod concupiscitis : concupiscendo ergo significatis vos esse egentes et miseros.

Secundo.

Secundo, « et » simpliciter accipi potest ut vox copulativa, *q. d.* « Concupiscitis, » et tamen « non habetis, » non obtinetis quod concupiscitis, idque *primo*, quia sæpe aliena et illicita concupiscitis, quæ per jus et fas, et sæpe per injuriam et nefas acquirere non potestis. *Secundo*, quia concupiscentia est insatiabilis; nam habito eo quod concupivit, illico aliud et aliud in immensum concupiscet. Id videmus in mercatoribus, qui cum centum lucrati sunt, appetunt mille, inde decem millia, inde centum millia, inde millionem, etc., juxta illud :

Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ;

et in ambitiosis : nam qui ambit esse senator, ubi id obtinuit, ambit esse gubernator, inde Comes, inde Dux, inde Princeps, inde Rex, inde Imperator.

Tertio.

Tertio, quia concupiscentia est instabilis : nam ubi rem concupitam obtinuit, fastidit, et aliam concupiscit : ita finis concupiscentiæ unius, est initium alterius, juxta illud *Thren.* I, 8 : « Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est, » ubi multas hujus instabilitatis causas attuli. Idem vidit Seneca, lib. *De Vita beata*, cap. VII : « Voluptas, ait, tunc cum maxime delectat, extinguitur. Nec multum loci habet : itaque cito implet et tædio est, et post primum impetum marcet. Nec id unquam certum est, cujus in motu natura est. Ita non potest quidem ulla ejus esse substantia quod venit transitve celerrime, in ipso usu sui periturum. Eo enim pervenit, ubi desinit; et dum incipit, spectat ad finem. » Idem, lib. III *De Benefic.*, cap. III : « Novis, ait, semper cupiditatibus occupati non quid habeamus, sed quid petimus inspicimus : non in id quod est, sed in quod appetitur intenti. Quidquid enim domi est, vile est. » Ergo « non habetis, » quia licet habeatis, habere vos non existimatis; et quia aliud concupiscitis, quod revera non habetis. Concupiscens itaque est quasi chamæleon, qui vivit vento sui desiderii, et re desiderata non fruitur : estque, ut ille ait, vir desideriorum, sed alio sensu quam Daniel, cap. IX, vers. 23.

Quarto.

Quarto, quia concupiscens non tam habet rem concupitam, quam ab ea habetur et possidetur quasi ab hero, imo tyranno. Audi Senecam, lib. *De Vita beata*, cap. XIV : « Cæterum non ipsi voluptatem, sed ipsos voluptas habet, cujus aut inopia torquentur, aut copia strangulantur. Miseri, si deseruntur ab illa; miseriores, si obruuntur. Sicut deprehensi mari Syrtico, modo in sicco relinquuntur, modo torrente unda fluctuantur. » Et mox : « Ut feras cum labore periculoque venamur, et captarum quoque illarum sollicita possessio est; sæpe enim laniant dominos : ita habentes magnas voluptates, in magnum malum evasere, captæque cepere; quæ quo plures majoresque sunt, eo ille minor ac plurium servus est, quem vulgus felicem appellat, etc.; nec voluptates sibi emit, sed se voluptatibus vendit. »

Quinto.

Quinto, quia cupidorum vita in rerum cupitarum prosecutione sæpe tota pene consumitur. « Quosdam, ait Seneca, *De Brevit. vitæ*, cap. XIX, cum in summum ambitionis eniterentur, inter prima luctantes ætas relinquit. Quosdam cum in consummationem dignitatis per mille indignationes (alii legunt *indignitates*) erupissent, misera

subit cogitatio ipsos laborasse in titulum sepulcri. Quorumdam ultima senectus dum in novas spes, ut juventa, disponitur, inter conatus magnos et improbos invalida defecit. » De hac concupiscentia ambitionis maxime hic agit Jacobus : hæc enim innumeros suscitat sibi tumultus, aliis lites et bella.

Sexto. *Sexto*, quia sæpe cupidus re cupita uti fruique non audet ; ita avarus opes congerit, et sordide vivit, nec eas expendere audet, ne minuat. Opes ergo quas habet, vere non habet, sed aliis habendas custodit. Hoc est quod ait Sapiens, *Proverb.* cap. XIII, vers. 7 : « Est quasi dives, cum nihil habeat ; et est quasi pauper, cum in multis divitiis sit. » Unde Democritus, teste Hippocrate, epist. 2 *ad Damagetum*, ridebat hominum insaniam, quod dum non habent opes, expetant ; dum habent, occultent ; quod omnia pervertant ad propriam cupiditatem ; quod ex omnibus affectionibus ægrotent ; quod concupiscant ea quæ tristitiam et noxam inferunt ; ideoque feris sint deteriores et stolidiores, utpote quæ intra sufficientiam se continent. Denique Sapiens, *Prov.* XXX, 15 : « Sanguisugæ, ait, duæ filiæ, dicentes : Affer, affer. » Sanguisuga est hirudo, quæ ab hærendo dicitur, juxta illud :

Non missura cutem nisi plena cruoris hirudo.

Duæ ergo filiæ sunt duo ora, quibus hirudo sanguinem sugit. Symbolice sanguisuga est concupiscentia, præsertim avaritia in pauperes, de qua immediate ante egerat Sapiens, quæ quasi hirudo pauperum sanguinem sugit. Hæc dicit : Affer munera, ut vendam justitiam ; affer dona, ut vendam gratiam, ait Cajetanus. Beda vero : Sanguisuga, ait, est diabolus, cujus duæ filiæ dicentes : Affer, affer, sunt luxuria et avaritia. S. Bernardus autem in *Declamatione*, sub initium : « Propriæ voluntatis, ait, sanguisugæ duæ sunt insatiabiles filiæ, clamantes : Affer, affer. Siquidem nec animus vanitate, nec voluptate corpus aliquando satiatur. » Fuge sanguisugam hanc, et omnia reliquisti. Vere Seneca, lib. VIII *De Benef.*, cap. XXVI : « Aspice, ait, quemadmodum immensæ hominum cupiditates hient semper, et poscant. Non miraberis ibi neminem reddere, ubi nemo satis accipit. »

OCCIDITIS. — Legit interpres cum Syro, Complut. et Regiis, φονεῖτε, vel φονεύετε. Alii legunt φθονεῖτε, id est *invidetis*. Ita Cajetanus, Clarius, Vatablus ; non enim videntur fideles adeo invidisse æmulis, ut eos occiderent. Sed respondeo in tanto numero fidelium aliquos in cædes erupisse, uti eruperunt in hæreses et schismata : quorum licet paucorum scelus hic Jacobus exaggerat et quasi indignum omnibus execrandum proponit. Rursum « occiditis, » in actu non perfecto, sed inchoato, id est occidere cogitatis, cædem machinamini. Invidia enim et ira semper crescunt, ac tandem in cædes erumpunt. Unde vicina sunt, uti nomine, ita et re ac operatione φόνος καὶ φθόνος, id est *invidia* et *occisio*. Solent oratores, cum vitium insectantur, extrema et gravissima ejus damna, licet rara, recensere et exaggerare, ut auditores magis ad vitii odium impellant : ita facit hic Jacobus, præsertim quia scribit etiam posteris, quos prævidebat ex ira et invidia patraturos homicidia, uti sæpe nunc fieri videmus.

ET ZELATIS. — *Primo*, « et, » id est *quia*, ut paulo ante dixi, *q. d.* Quia invidetis, ideo occiditis ; alioqui enim decresceret oratio : minus enim mali est invidere, quam occidere. *Secundo* proprie, *q. d.* Postquam occidistis, pergitis aliis invidere, imo zelari : zelus enim non qualem qualem, sed vehementem et acrem invidiam significat, qualis fuit in Cain fratricida. Quocirca Eusebius, lib. XI *De Præpar.*, cap. IV, « Cain » ex Hebræo interpretatur *invidiam* et *zelum*, a rad. קָנָא *kana*, id est *zelari* (unde Simon Apostolus dictus est Chananæus, id est *zelotes*), licet mater Eva eum vocaverit *Cain*, id est *possessionem*, a rad. קָנָא *kana*, id est *possedit*, dicens : « Possedi hominem per Deum, » *Genes.* IV, 1. Nimirum portendit, quod amor possidendi in Cain causaret invidiam, invidia cædem, imo parricidium.

ET NON POTESTIS ADIPISCI, — id quod concupiscitis et ob quod zelatis et occiditis. Causas dedi paulo ante.

LITIGATIS ET BELLIGERATIS. — An, et quantum distet lis a bello, dixi initio capitis.

PROPTER QUOD (propterea quod ; græce enim est διὰ τὸ μὴ αἰτεῖσθαι, id est *quia*) NON POSTULATIS. — Significat causam, cur rem concupitam non obtineant, esse quod eam litibus et armis per injuriam occupare satagant, non vero postulent a Deo, qui solus est dator omnium.

3. PETITIS, ET NON ACCIPITIS, EO QUOD MALE PETATIS, UT IN CONCUPISCENTIIS (græce ἡδοναῖς, id est *voluptatibus*) VESTRIS INSUMATIS. — Syrus, *ut eas alatis*, cibetis, pascatis et nutriatis. Est occupatio : occurrit enim objectioni concupiscentium ac dicentium : Ecce nos petiimus sæpe a Deo res quas concupiscimus, et non impetravimus : frustra ergo nos mones petere eas a Deo, non per lites et bella occupare. Respondet S. Jacobus : Petitis quidem, sed non accipitis, eo quod male petatis, ut iis abutamini contra Deum ad vestram libidinem. Audi Bedam : « Male petit a Deo, ait, *primo*, qui jussa Domini contemnens, a Domino beneficia superna desiderat. *Secundo*, qui, amisso amore supernorum, infima tantum quærit bona percipere. *Tertio*, et hæc non ad sustentationem humanæ fragilitatis, sed ad redundantiam liberæ voluptatis ; quod est velle insumere in concupiscentiis. » Modus recte petendi est, quem docet Christus, *Matth.* VI, 33, dicens : « Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis, » quæ scilicet necessaria sunt ad vitam, non ad concupiscentiam : Deus enim dat tantum bona et salutaria, non mala et noxia, qualia sunt ea quibus expletur concupiscentia. Eis ergo qui talia petunt, Deus aures plane ob- Vers. 3.

struit. Illa enim odit, quia turpia, ac proinde ea largiri nequit; nec dulcedinis fons amarum aliquid scaturire potest, ait Cyrillus, lib. IX *in Joan.* cap. XLIII, et S. Augustinus, tract. 73 *in Joannem*, et ex eo S. Bernardus, serm. *Contra vitium ingratit.* Misericordiæ, ait, est aliquando subtrahere misericordiam, quemadmodum iræ et indignationis misericordiam exhibere, uti fuit Hebræis in murmure petentibus carnes, eas dare : mox enim ira et ultio Dei ascendit super eos, *Psal.* LXXVII, 30.

Nil caducum petendum a Deo.

Quocirca Cassianus, *Collat.* IX, cap. XXIII, docet a Deo non esse postulandas opes, honores, delicias, potentiam, robur, etc. « Nihil enim caducum, ait, vult a se, nihil vile, nihil temporale æternitatum conditor implorari. Itaque magnificentiæ ejus, ac omnificentiæ maximam irrogabit injuriam, quisquis, sempiternis petitionibus prætermissis, transitorium aliquid et caducum ab eo maluerit postulare, et offensas potius quam propitiationem judicis sui, vilitate orationis incurret. » Eleganter S. Gregorius, hom. 27 *in Evang.*, explicans illud Christi, *Joan.* XIV, *Si quid petieritis in nomine meo* : « Nomen, inquit, Filii Jesus est : Jesus autem Salvator, vel etiam Salutaris dicitur : ille ergo in nomine Salvatoris petit, qui illud petit quod ad veram salutem pertinet, etc. Pensate, quæso, petitiones vestras, videte si in nomine Jesu petitis, id est si gaudia salutis æternæ postulatis. In domo enim Jesu Jesum non quæritis, si in æternitatis templo importuni pro temporalibus oratis. Ecce alius in oratione quærit uxorem, alius petit villam, alius postulat vestem, alius dari sibi deprecatur alimentum. Et quidem cum hæc desunt, ab omnipotenti Deo petenda sunt; sed meminisse debemus quod ex mandato ejusdem nostri Redemptoris accipimus : Quærite primum regnum Dei. » Subdit aliquos orare prohibita a Deo, ut vindictam et mortem inimici, aitque : « Quisquis itaque sic orat, in ipsis suis precibus contra Deum pugnat; unde et sub Judæ specie dicitur : Fiat

Oratio in peccatum quid?

oratio ejus in peccatum. Oratio autem in peccatum est illa petere quæ prohibet ipse qui petitur. » Chrysologus, *serm.* 132 : « Qui mala a Deo postulat, inquit, Deum mali judicat et sentit auctorem. »

Sanxerunt idipsum Gentiles. Seneca, *epist.* 10, ex Athenodoro : « Tunc, ait, scito esse te omnibus cupiditatibus solutum, cum eo perveneris, ut nihil Deum roges, nisi quod rogare possis palam. Nunc enim quanta est dementia hominum! turpissima vota diis insusurrant; si quis admoverit aurem, conticescent; et quod scire hominem nolunt, Deo narrant. » Et mox : « Sic vive cum hominibus, tanquam Deus videat : sic loquere cum Deo, tanquam homines audiant. » Et Juvenalis, *satyra* 10 :

> Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano;
> Fortem posce animum, mortis terrore carentem,
> Qui spatium vitæ extremum inter munera ponat
> Naturæ; qui ferre queat quoscumque labores,
> Nesciat irasci, cupiat nihil.

Platonis oratio erat : « Jupiter, da nobis bona, sive ea petamus, sive non : arce vero mala, etiamsi ea ex errore petamus. » Secus enim videmur velle Deo legem sapiendi et dandi præscribere. Sed audi de Socrate Valerium Maximum, lib. VII, cap. II : « Socrates, humanæ sapientiæ quasi quoddam terrestre oraculum, nihil ultra petendum a diis immortalibus arbitrabatur, quam ut bona tribuerent : quia ii demum scirent, quid unicuique esset utile : nos autem plerumque id votis expetere, quod non impetrasse melius foret. Etenim, densissimis tenebris involuta mortalium mens, in quam late patentem errorem cæcas precationes tuas spargis? Divitias appetis, quæ multis exitio fuerunt; honores concupiscis, qui complures pessumdederunt; regna tecum ipsa volvis, quorum exitus sæpenumero miserabiles cernuntur; splendidis conjugiis injicis manus, at hæc ut aliquando illustrant, ita nonnunquam funditus domos evertunt. Desine igitur, stulta, futuris malorum tuorum causis, quasi felicissimis rebus inhiare, teque totum cœlestium arbitrio permitte : quia qui tribuere bona ex facili solent, etiam eligere aptissima possunt. »

Quocirca misericordiam suam ostendit Deus, cum noxia quæ petimus, negat; iram vero, cum ea tribuit et concedit. « Multos Deus non exaudit ad voluntatem, ut exaudiat ad salutem, » ait Isidorus, lib. III *De Summo Bono*, cap. VII; et S. Augustinus, epist. 34 *ad Paulinum* : « Bonus Dominus, qui non tribuit sæpe quod volumus, ut quod mallemus attribuat. » S. Bernardus, serm. *contra vitium ingratitudinis* : « Misericordiæ res est, hac in parte subtrahere Deum misericordiam. » Denique S. Gregorius, lib. XV *Moral.* XII : « Majoris iracundiæ est, inquit, cum hoc tribuitur, quod male desideratur, atque inde repentina ultio sequitur : nam quanto citius malum votum impleri permittitur, tanto celerius punitur; » sicut punivit Deus Judæos concupiscentes carnes, dum eas illis dando, illico plagam mortis in pœnam eis immisit, *Numer.* XI, 33; ideoque loco datum est nomen, « Sepulcra concupiscentiæ. »

4. ADULTERI. — Græca addunt, καὶ μοιχαλίδες, id est, *et adulteræ* : tam enim feminas, quam viros objurgat. Dices : Vocare aliquem adulterum, est grave convicium. Respondeo : Convicium est, cum in aliquem torquetur ut probrum, ad eum infamandum vel dehonestandum; cum vero jacitur in aliquem ad eum corripiendum et objurgandum, ut ille se emendet, correctio est et disciplina, quæ ex amore, non ex odio et ira proficiscitur. Talis est hæc Jacobi, æque ac illa Joannis Baptistæ, *Matth.* III, 7 : « Progenies viperarum; » et illa Christi *Luc.* cap. ult., vers. 25 : « O stulti et tardi corde ad credendum! » et illa Pauli *Galat.* III, 10 : « O insensati Galatæ; » et *Actor.* XIII, 10, ad Elymam Magum : « O plene omni dolo et omni fallacia, fili diaboli. » Duri enim dure sunt increpandi, uti jubet Apostolus Tito, cap. I,

Vers. 4.

vers. 13 Sicut enim longi et pertinaces morbi non nisi ustione, sectione et cauterio curantur : sic et amor mundi, puta concupiscentia omnibus innata, quam homines quasi bruta sequuntur, non nisi acri objurgatione, longaque mortificatione quasi perfricatione et sectione curari potest. Porro, si parentibus et magistris licet filios et discipulos flagellare virgis et verberibus ; multo magis licet eosdem verbis acrioribus castigare ; imo, ut ait S. Chrysostomus, homil. 7 *ad Popul.* : « Tunc maxime patres sunt, cum filios mensa prohibent, flagella infligunt, afficiunt ignominia. »

Quæres, quo sensu et qua veritate vocat eos « adulteros ? » Respondeo : Eo quo idololatræ a Prophetis vocantur adulteri, quia scilicet, relicto Deo, animæ suæ sponso, adhærent idolis, quasi adulteris ; ita hi, relicto Deo sponso, adhærebant mundo, quasi adultero. Nam, ut ait Apostolus, II *Cor.* XI, 2 : « Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo. » Aut, quod eodem redit, adulteri dicuntur, quia ad amplexus mundanæ sapientiæ turpiter deflectebant, spreta cœlesti, quam paulo ante S. Jacobus celebravit : de qua etiam ait Sapiens, cap. VIII, vers. 2 : « Quæsivi sponsam mihi eam assumere, et amator factus sum formæ illius. »

Amor mundi est adulterium. Cur ?

Moraliter hic disce, quam mundum odisse et fugere debeamus, nimirum quasi adulterum : amor ergo mundi est adulterium spiritale et mysticum, quod tanto gravius est carnali et litterali, quanto Deus, qui hic contemnitur, nobilior est homine, cui uxor se despondit. Amans ergo mundum vere coram Deo est adulter, et ut adulter plectetur. Omnes enim ejus amores sunt adulterini, qui casto Dei amori et charitati, quæ per Spiritum Sanctum diffusa est in cordibus nostris, e diametro repugnant. Hoc est quod Synagogam idololatrantem increpans Jeremias intonat, cap. III, vers. 2 : « Tu autem fornicata es cum amatoribus multis. » Et Osee, cap. II, vers. 2 : « Judicate matrem vestram, judicate : quoniam ipsa non uxor mea, et ego non vir ejus. Auferat fornicationes suas a facie mea, et adulteria sua de medio uberum suorum. » Eo alludit hic Jacobus ; concupiscentiæ enim, de quibus hic agit, sunt mysticæ fornicationes et adulteria animæ : unde qui eis obediunt contra Dei legem, potius diaboli quem imitantur et sequuntur, filii dicendi sunt, quam Dei, ait S. Irenæus, lib. IV, cap. LXXIX. Ita S. Nazianzenus in *Iambicis*, carm. 3, divitias vocat « meretricem, » quia ut meretrix nunc huic amasio blanditur, nunc illi, nunc alteri, omnesque ludit et decipit, sic et divitiæ.

Secundo, alii sic explicant : « Adulteri, » id est spurii, degeneres et adulterini filii videmini ; quia non Deum patrem vestrum, sed mundum adulterum amatis et colitis. Sic ait Paulus, *Hebr.* XII, 8 : « Quod si extra disciplinam estis, etc., ergo adulteri, græce νόθοι, id est adulterini et spurii, et non filii estis. » Verum prior sensus est genuinus : quia græce est μοιχοί, id est *adulteri*, non νόθοι, id est *ad ulterini et spurii*.

NESCITIS. — Hoc verbum emphasim habet acriterque pungit, *q. d.* Itane ignoratis, aut non consideratis juratum vestrum hostem, puta mundum, imo eum amicum putatis, qui vos Dei vestri inimicos constituit ? Et sane mira est hominum ignorantia, inconsideratio et dementia, quod mundum cum Dei et bonorum cœlestium æterno dispendio sequantur et diligant.

QUIA AMICITIA HUJUS MUNDI INIMICA EST DEI. — Aliqui efficacius legunt, « inimicitia est Dei ; » si enim ἔχθρα legas cum Syro accentu penacuto, significat inimicitiam : sin cum aliis passim legas accentu gravi ἐχθρὰ, significat inimicam.

Quæres, quænam est « amicitia mundi ? » *Primo*, aliqui active accipiunt eam qua mundus improbos amat, fovet, exaltat ; probos vero odit, deprimit, persequitur, *Joan.* XV, 18.

Amicitia mundi quæ ?

Secundo, alii melius « amicitiam mundi » accipiunt passive, qua scilicet mundus a mundanis amatur et colitur præ Deo, imo spreta Dei lege. Unde apposite subdit Jacobus : « Quicumque ergo voluerit esse amicus sæculi hujus, inimicus Dei constituitur. » Amicitia ergo mundi est, qua quis amat mundi bona, puta opes, honores, delicias, ita ut propter illa Dei legem violet, aut violare, eumque mortaliter offendere sit paratus. Item ea qua quis amat et colit homines mundanos, puta superbos, divites, potentes, ut ad eorum gratiam captandam, aut retinendam præcepta Dei et Ecclesiæ transgrediatur. Id ita esse patet, eo quod quas paulo ante vocavit concupiscentias, easdem hic vocet mundum. Unde hunc Jacobi locum antistropha sententia explicans S. Joannes, *epist.* I, cap. II, vers. 15 : « Nolite, inquit, diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Quoniam omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ, quæ non est ex Patre, sed ex mundo. » Vere Seneca, *epist.* 84 : « Relinque, ait, ista ad quæ discurritur ; relinque divitias, periculum possidentium, aut onus ; relinque corporis atque animi voluptates : molliunt et enervant ; relinque ambitum : tumida res est, vana, ventosa, nullum habet terminum : tam sollicita est, ne quem ante se videat, quam ne alium post se : laborat invidia, et quidem duplici : vides autem quam miser sit, si is, cui invidetur, et invidet. Confragosa in fastigium dignitatis via est. »

Quocirca christiane et sapienter Tertullianus : « In hoc mundo, ait, nihil nostra interest, nisi ut quamprimum ex eo excedamus. » Et S. Cyprianus, lib. *De Habitu virg.*, cap. II : « Sciant Christiani bona illa esse quæ sunt spiritualia, divina, cœlestia, quæ nos ad Dominum ducunt, quæ nobiscum apud Deum perpetua possessione permaneant. Cæterum quæcumque terrena sunt, in sæculo accepta et hic cum sæculo remansura, tam contemni debent, quam mundus ipse con-

temnitur, cujus pompis et deliciis jam tunc renuntiamus, cum meliore transgressu ad Dominum venimus. » Idem, tractat. *De Mortalitate* : « Porro, ait, cum mundus oderit Christianum, quid amas eum qui te odit, et non magis sequeris Christum qui te redemit et diligit? Mundus ecce nutat et labitur, et ruinam sui non senectute rerum, sed fine testatur, etc. Considerandum est et identidem cogitandum renuntiasse nos mundo, et tanquam hospites et peregrinos hic interim degere. » Vide S. Ambrosium, toto libro *De Fuga sæculi*, qui et *de Virginis forma vivendi* cap. I, hisce Jacobi verbis urget virginem Deo addictam, ut plane fugiat sæcularium consortia. Et S. Gregorius, homil. 28 in *Evang.* : « Ecce, ait, mundus qui diligitur, fugit; Sancti isti (Nereus et Achilleus) ad quorum tumbam consistimus, florentem mundum mentis despectu calcaverunt. Erat tunc vita longa, salus continua, opulentia in rebus, fœcunditas in propagine, tranquillitas in pace : et tamen cum in seipso floreret, jam in eorum cordibus mundus aruerat. Ecce jam mundus in seipso aruit, et adhuc in cordibus nostris floret. Ubique mors, ubique luctus, ubique desolatio, undique percutimur, undique amaritudinibus replemur; et tamen cæca mente carnalis concupiscentiæ, ipsas ejus amaritudines sequimur, fugientem sequimur, labenti inhæremus. Et quia labentem retinere non possumus, cum ipso labimur quem cadentem tenemus. »

Hostes sunt Deus et mundus.

QUICUMQUE ERGO VOLUERIT AMICUS ESSE SÆCULI (mundi) HUJUS, INIMICUS DEI CONSTITUITUR. — Ergo contrarii et antagonistæ sunt, hostesque internecini, Deus et mundus, amor Dei et amor mundi. Ita Didymus hic : « Sicut, ait, impossibile est servire Deo et mammonæ, ita amicum Dei esse simul et mundi. » Et S. Augustinus, lib. XIV *De Civit.*, cap. XXVIII : « Fecerunt, ait, civitates duas amores duo : civitatem Jerusalem amor Dei, usque ad contemptum sui; civitatem Babylonem amor sui, usque ad contemptum Dei. » Hinc ad amorem Christi classicum canens Apostolus : « Mihi, inquit, absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. » Vide ibi dicta; quem quasi magistrum secutus S. Ignatius, epist. *ad Rom.* : « Amor meus, inquit, crucifixus est. » Sapienter Richardus Victorinus, *De Gradib. charit.*, cap. III : « Columbinus, inquit, vere pii oculus amor est, qui in rebus humano usui concessis nulla libidine figitur, sed in transitoriis contemplatur æternum. » Vere enim Beda hic : « Omnes, inquit, amatores mundi, omnes inquisitores nugarum. » S. Augustinus (vel quisquis est auctor), lib. *De Duodecim abusionibus*, gradu 7 : « Mundi amor, inquit, et Dei pariter in uno corde cohabitare non possunt, quemadmodum iidem oculi cœlum pariter et terram nequaquam aspiciunt. » S. Cyprianus, epist. *ad Donat.* : « Arridet mundus, inquit, ut sæviat; blanditur, ut fallat; illicit, ut occidat; extollit, ut deprimat; fœ[illegible] quodam nocendi, quam fuerit amplior summa dignitatis et honorum, tam major exigitur et usura pœnarum. » Denique mundi typus fuit Sodoma, plena omnibus et infandis sceleribus, quæ proinde cœlitus siderata conflagravit. Sicut ergo Lot Sodomæ incendium angelum sequens effugit, ita nos gratiam Dei sequentes mundi pericula et incendia fugiamus.

Nota : Pro *constituitur* Græce est καθίσταται, id est, plane et firmiter constituitur, puta semper et in omnes æternitates, ni Deus infinita sua clementia amatorem mundi in gehennam ruentem excipiat, et ad se cœlumque revocet.

Ita Theodorus Archimandrita adhuc puer, hac Jacobi sententia commotus et compunctus, mundum opesque contempsit, ut habet ejus Vita; æque ac S. Nicolaus Tolentinas, audito concionatore Augustiniano disserente de illo S. Joannis, I *epist.* I : « Nolite diligere mundum, » eo spreto, monasticen Ordinis S. Augustini complexus est.

5. AN PUTATIS? — Græce ἤ, id est *aut*, et sic legunt nonnulli Codices. Verum ἤ, id est *aut*, sæpe idem est quod *an*, ut multis exemplis docet Thesaurus linguæ græcæ. Vers. 5.

QUIA INANITER (frustra, sine causa) SCRIPTURA DICAT. — Quid? Respondent aliqui, id quod proxime præcessit, scilicet ut mundi amicitiam, leges et consortia fugiamus, ac Dei gratiam et amicitiam ambiamus : hoc enim passim concionantur Prophetæ et alii libri sacræ Scripturæ. Ita Beda. Alii cum Œcumenio referunt ad id quod paulo post sequitur : « Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. » Verum alii passim referunt ad id quod proxime sequitur : « Ad invidiam concupiscit spiritus qui habitat in vobis, *q. d.* Deus est zelotes et quasi zelotypus animæ vestræ, velut sponsæ suæ; unde non patitur rivalem, mundum scilicet : nam ad invidiam concupiscere idem est, quod esse zelotypum. Qui enim zelotypus est, ita rem amatam concupiscit, ut eamdem rivali cuilibet invideat, cupiatque ea solus potiri, nec quemquam in amoris partem admitti patiatur : Deum autem esse zelotem, scriptum est *Exodi* XX, 5; *Nahum*, I, 2, et alibi. Si velis plus velle S. Jacobum, nimirum hanc sententiam ab eo recitatam, in Scripturis præcise et in terminis scriptam esse, fateor ubi ea scripta sit me latere, nec quisquam hactenus idipsum indicare potuit. Quare nova et contorta videtur Œcumenii dispunctio, versio et expositio. Ipse enim sic dispungit, vertit et explicat : « An putatis quia inaniter Scriptura dicat, aut ad invidiam? » *q. d.* An putatis quod Scriptura difficilia nobis præcepta et vires excedentia de odio mundi et concupiscentiæ tradat, eo quod illa nobis invideat? Erratis : non enim id facit inaniter aut ex invidia, sed quia « concupiscit » πνεῦμα in accusativo, id est spiritum, scilicet rectum, id est bonum propositum bonamque voluntatem

sua exhortatione in vobis excitare et habitare; quam ubi per spiritualem modestiam invenerit operantem in nobis, majorem dat gratiam. Cæteri enim omnes aliter dispungunt et vertunt, excepto Francisco Luca, *Annot.* 594, qui Œcumenium sequitur.

Ad invidiam concupiscit spiritus, quis?

AD INVIDIAM CONCUPISCIT SPIRITUS QUI HABITAT IN VOBIS? — Ita per interrogationem hæc legunt Codices Romani et alii plerique : nonnulli tamen interrogationem tollunt et legunt assertive. Rursum alii interrogationem referunt ad τὸ *putatis*, alii ad τὸ *concupiscit spiritus*. Jam nonnulli per spiritum accipiunt humanum, sed vario sensu. *Primo*, aliqui, *q. d.* Spiritus hominis mundo deditus et concupiscens ea quæ sunt mundi, sibi suæque saluti nocet et quasi invidet; sed Deus copiosius impertit gratiam, quam ipsi cupiamus. *Secundo*, *q. d.* Spiritus humanus et mundanus impellit nos ad aliena concupiscenda, et ad aliis ea invidendum. Ita Lyranus, Hugo et Thomas Anglicus. *Tertio*, Emmanuel Sa, *q. d.* Spiritus hominis ad invidiam, id est per invidiam, concupiscit bona proximi. *Quarto*, alii, *q. d.* Spiritus zeli et fervoris habitans in nobis adeo concupiscit, id est, concupiscere nos facit virtutem et sanctimoniam, ut sanctam in nobis excitet invidiam æquandi, imo superandi eos, qui nos in studio virtutis præcurrunt.

Respond. divinus.

Verum alii passim accipiunt hic Spiritum divinum et Spiritum Sanctum, idque melius. Illi enim soli competit id quod sequitur : « Majorem autem dat gratiam. » *Primo* ergo Beda inter alias expo-

Primo.

sitiones hanc affert, *q. d.* Putatisne quod Spiritus divinus nos excitet ad concupiscentiam et invidiam? Erratis, si id putatis : ipse enim est spiritus continentiæ, charitatis et concordiæ, ac « majorem dat gratiam, » quam sunt bona et gratia mundi, quam concupiscitis : ergo malus sit spiritus oportet, qui ad concupiscendum et invidendum vos concitat. *Secundo*, Glossa, *q. d.* Spiritus Dei cupit et concupiscit ut invideamus mundo eumque odio prosequamur. *Tertio*, Hugo, *q. d.* Spiritus concupiscit ad invidiam, id est contra invidiam, ut scilicet ea quasi opus diaboli tollatur e mundo. *Quarto*, noster Justinianus, *q. d.* Spiritus Sanctus, quo in baptismo imbuti estis, ad invidiam concupiscit, hoc est, ita afficitur erga vos sui cultores et amicos, tantisque donis vos cumulat, ut mundi amatores merito vobis invidere queant, juxta illud *Isaiæ* LXV, 13 : « Ecce servi mei comedent, et vos esurietis. Ecce servi mei bibent, et vos sitietis, » etc. Hoc sensu invidia datur mundanis, non Deo, ut fit in aliis expositionibus, quæ proinde duriusculæ videntur. Nusquam enim alibi in Scriptura invidia tribuitur Deo, sed nec proprie tribui potest. *Quinto*, apposite alii interrogationem referentes ad τὸ *Spiritus concupiscit*, exponunt; *q. d.* An putatis Spiritum Sanctum vos inhabitantem et regentem vestri esse zelotypum, vobisque mundi a vestra sit, invidere, ut ipse solus corde vestro potiatur et fruatur, quasi ex hoc illi ingens bonum accedat? *q. d.* Absit : imo vero majorem dat gratiam quam vel accipi, vel sperari possit a mundo; quam tamen ipse mundi amatoribus, utpote tam sibi, quam propriæ saluti contrariis, negat. Propter quod scriptum est : « Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. » Ita Franciscus Titelmannus et Franciscus Lucas, *Notat.* 593. *Sexto*, Gagneius, Cajetanus, Catharinus, Salmeron, Mariana et Lorinus interrogationem referentes ad τὸ *putatis*, censent significantius et nervosius hic anthropopathœ; Spiritui Dei tribui invidiam, id est, zelotypiam, quæ Deo tribuitur a Prophetis et Apostolis, II *Cor.* XI, 2; *Exodi* XX, 5; *Jerem.* cap. II, et aliis locis mox citandis. Invidia enim subinde in bonam partem capitur, ut cum duorum virtutis æmulationem, et in antegressu contentionem vocamus sanctam invidiam. Talis quoque est ea quæ vitiis et vitiosis invidet opes et honores, quibus ipsi contra Deum ad scelera abutuntur. Talis quoque est illa Plinii, lib. II, *epist.* ult. : « Quid invidetis bonam mortem, cui dare vitam bonam non potestis? » Sic Deus invidet mundo, quod animas a Deo ad se pelliciat et perdat, quæ utique est sancta invidia. Sensus ergo est, *q. d.* Putatisne, o Christiani, frustra in Scripturis Deum vocari zelotypum vestri, ac osorem mundi, illique quasi invidentem possessionem cordis vestri, eamque « ad invidiam, » id est cum invidia mundi, sive ita ut eam invideat mundo, concupiscere? non sane frustra ita vocatur. Reipsa enim est zelotes, consortis impatiens : non patitur ut alios amemus præter ipsum, non fert nos diligere mundum quasi adulteros. Deus ergo concupiscit cor nostrum instar zelotypi, magnoque zelo illud affectat, idèoque dolet et quasi invidet mundo, quod animas Deo desponsatas per illecebras ad se pelliciat. Probat Jacobus id quod dixit, scilicet amicitiam mundi esse inimicitiam Dei, ex eo quod ita nos amat Spiritus Dei, ut solus velit amari, nec patiatur rivalem. Amat enim nos tanquam sponsas suas charissimas. Unde si alium, puta mundum, amemus, nobis quasi adulteris irascitur. Ardet ergo nostri amore : si quando igitur aliud nobis postulantibus neget, non id facit quod nobis invideat, utpote qui usque ad invidiam amat nos, sed ne id nobis obsit, nosque ab amore suo ad amorem mundi avertat (1).

Secundo.

Tertio.

Sexto.

(1) Ita et Allioli. Heinsius : An ergo ignoratis passim a Scriptura dici, spiritum hominis, seu qui habitat in homine, adversus Deum et cum indignatione ejus, cupiditates suas exercere? Pottus : Invidiæ repugnat Spiritus divinus nobis, vel vobis concessus, ita ut potius gratiam atque humanitatem erga alios nobis commendet.

Hic versus igitur explicatu difficillimus est, adeo ut Erasmus dicat, plaustra onusta interpretationibus a theologis recentioribus huc convehi. Inde nata est tam multiplex hujus loci interpretatio, quod ex interpretibus alii per *spiritum* intelligant spiritum hominis carnalis, vel

Moraliter de zelo Dei. Ubi moraliter nota quantus sit amor Spiritus divini in nos : nimirum ardenti zelo amat nos, et eodem vult amari a nobis; ac si non ametur, indignatur et sævit tanquam ursa raptis catulis raptori occurrens, *Oseæ* XIII, 8. Præclare S. Augustinus hunc zelum ex Scriptura in Deo ponit et defendit, lib. *Contra Adimantum*, cap. XIII : « Tolle, inquit, de zelo errorem et dolorem, quid remanebit aliud nisi voluntas custodiens castitatem, et corruptionem vindicans conjugalem? Quo igitur verbo nisi zelo Dei melius posset insinuari? quo vocamur ad conjugium Dei, et non vult nos turpi amore corrumpi; et punit impudicitiam nostram, et diligit castitatem. Non enim frustra etiam vulgo dici solet : Qui non zelat, non amat. » Hic ergo Dei zelus sanctus est, hæc sancta invidia. Simili schemate et figura Deo tribuitur indignatio, ultio, furor in peccatores, qui mundum Deo anteponunt : rege enim furorem ratione, uti Deus regit, eumque pro justitia exere, sanctus erit, nec tam vindictæ furor, quam justitiæ rigor. Sic et S. Hieronymus in *Sophon.* I : « Nisi Deus, inquit, amaret animam humanam, nunquam zelaretur eam, et in similitudinem mariti peccatum ulcisceretur amoris. » Quin et S. Paulus, II *ad Corinth.* XI, 2 : « Æmulor, inquit, vos Dei æmulatione : despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo. » Quocirca decet nos simili, cum pari non possimus, passu, huic Dei amori occurrere, vicemque vici et zelum zelo rependere, ut totum cor, totumque amorem a creaturis mundi avocantes, in eum unum tota animi contentione et ardore conferamus.

Zelus animæ amantis Deum. Ita fecit S. Agnes, quæ Christo sponso totam se addixit, ideoque juvenem nobilissimum nuptias ejus ambientem, ac omnia promittentem dantemque quasi diaboli satellitem cum suis muneribus indignabunda repulit : « Discede, inquit, a me, fomes peccati, nutrimentum facinoris, pabulum mortis. Discede a me, quia jam ab alio amatore præventa sum, qui mihi satis meliora te obtulit ornamenta, et annulo fidei suæ subarrhavit me, longe te nobilior et genere et dignitate. Cujus est generositas celsior, possibilitas fortior, aspectus pulchrior, amor suavior et omni gratia elegantior : cujus Mater Virgo est, cujus Pater feminam nescit, cujus pulchritudinem Sol et Luna mirantur, cujus odore reviviscunt mortui. Illi soli servo fidem, illi me tota devotione committo. Quem cum amavero, casta sum; cum tetigero, munda sum; cum accepero, virgo sum, » uti refert S. Ambrosius, lib. IV, *epist.* 34. Idem nobis dicendum mundo, carni et diabolo, cum nos tentant, et a Christo ad se pellicere satagunt. Quocirca S. Agnes post mortem apparens parentibus cum choro Virginum, cycladibus aureis et ingenti lumine radiantium, consistens juxta Agnum nive candidiorem, iis dixit : « Congaudete mihi et congratulamini, quia cum his omnibus lucidas sedes accepi : illi sum juncta in cœlis, quem in terris posita tota animi intentione dilexi. » Ita S. Ambrosius. Similis est sponsa in Canticis, quæ ubique non nisi amoris ardorem, languorem, delicias et zelum spirat : « Fulcite, inquit, me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio; lampades ejus lampades ignis atque flammarum, » *Cantic.* VIII, 6, etc. Et Psaltes in Epithalamio Christi et Ecclesiæ, sive animæ sanctæ : « Astitit, inquit, Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum et domum patris tui : et concupiscet Rex decorem tuum. »

Zelus Christi. Porro Christus usque ad agoniam et sanguineum sudorem zelatus est nos. Patiens enim et orans pro nobis in horto, sanguinem copiosum sudavit ex angore non tam doloris, quam amoris nostri, quodque plus amans nos parum ametur a nobis, imo a multis odio habeatur. Hunc suum in nos zelum passim in Prophetis explicat, ut *Isaiæ* IX, 6 : « Parvulus, inquit, natus est nobis, etc. Zelus Domini exercituum faciet hoc. » Et cap. LIX, vers. 17 : « Opertus est quasi pallio zeli. » *Zachar.* VIII, 2 : « Zelatus sum Sion zelo magno, et indignatione magna zelatus sum eam. » *Ezech.* XXXVI, 6 : « Ecce ego in zelo meo et furore meo locutus sum, eo quod confusionem gentium sustinueritis. » Et vers. 5 : « In igne zeli mei locutus sum de reliquis gentibus. » *Psalm.* LXXVIII, 5 : « Accendetur velut ignis zelus tuus. » *Sap.* I, 10 : « Auris zeli audit omnia. » *Ezech.* XXIII, 25 : « Ponam zelum meum in te. » *Sophon.* III, 8 : « In igne zeli mei devorabitur omnis terra. » Ad hæc loca alludit hic S. Jacobus. Hunc zelum pro Deo et vice Dei ostendit Angelus custos S. Ceciliæ. De eo enim ipsa sic ait ad Valerianum sponsum : « Volo te scire me Angelum Dei habere amicum, qui summo zelo corpus meum custodit. Et si vel minimum fuerit suspicatus, quod tu incesto me amore contingas, iram suam protinus in te accendet, et juventutis tuæ florem perdet; sin autem cognoverit quod tu simplici et immaculato mei amore tenearis, et virginitatem meam integram et impollutam custodias, te sicut me diliget, et ostendet tibi suam gratiam, » uti reipsa præstitit, dum visibiliter ipsi apparens eum Christianum, virginem et martyrem effecit.

Porro pie et pulchre Chrysologus explicat ar-

diaboli, alii vero Spiritum Sanctum qui habitat in nobis per fidem et gratiam. At verius est cum Allioli et Catholicorum plerisque intelligi Spiritum Sanctum, ut colligitur ex vers. seq. Non ergo inaniter dicit Scriptura Deum amare instar zelotypi, ut proinde mirum non sit quod anima diligens mundum, et cum eo adulterans, constituatur inimica Deo, sicut uxor in adulterio deprehensa fit inimica marito, et frequenter ab ipso interficitur. Tribuit igitur Apostolus invidiam et zelotypiam Deo, loquens more humano, ad significandam maximam indignationem ex amore o[illegible]um.

dentissimum zelum cœlestis sponsi Christi pendentis in cruce, et adulteras animas benigne ad se vocantis, *serm.* 108 : « Distendit membra, dilatat viscera, pectus porrigit, offert sinum. Nonne dicit : Videte in me corpus vestrum ? et si quod Dei est, timetis, quare vel quod vestrum est non amatis ? si Dominum fugitis, quare non recurritis ad Parentem ? Sed forte vos passionis meæ, quam fecistis, magnitudo confundit ? Nolite. Clavi isti non mihi infigunt dolorem, sed vestram mihi infigunt altius charitatem. Sanguis meus non mihi deperit, sed vestrum prorogatur in pretium. » Nec minus eleganter Bernardus, tum Spiritus Sancti, tum Christi charitatem extollit, *epist.* 197 : « O geminum ipsumque firmissimum Dei erga nos amoris argumentum ! Christus moritur, et meretur amari ; Spiritus afficit, et facit amari : ille facit cur ametur, iste ut ametur : ille suam multam dilectionem nobis commendat, iste et dat : in illo cernimus quod amemus, ab isto sumimus unde amemus : charitatis igitur ab illo occasio, ab isto affectio. »

QUI HABITAT. — Græce κατῴκησεν, id est *habitavit, q. d.* Olim in baptismo habitavit Spiritus Dei in vobis ; at jam in multis vestrum non habitat, quia ab eo descivistis et mundum diligitis : in cæteris tamen, qui in gratia baptismi perseverant, etiamnum habitat.

Vers. 6. 6. MAJOREM AUTEM DAT GRATIAM. — Syrus, *præstantiorem autem dat gratiam datus nobis Dominus noster*, puta Spiritus Sanctus ostendit Spiritum Dei ad invidiam, id est, ardentissime et quasi zelotype nos amare et concupiscere, ex eo quod longe majorem det gratiam, dona et bona, quam mundus, et quam mereamur, ut nos a mundi, æmuli sui, amore avellat, et ad sui amorem invitet et pene cogat. Invidet ergo mundo, quod pauca donans, multum ametur : se vero infinita donantem parum et vix a nobis amari. Rursum occurrit objectioni mundanorum dicentium : Amor mundi ita nobis innatus est, ut eum abjicere nequeamus. Respondet enim : Deus majorem dat gratiam, quam sit amor mundi, ut per eam amorem mundi facile vincere et ex animo ejicere possitis, si gratiæ Dei vos subdere et strenue cooperari velitis. Nam, ut ait Apostolus, *Philip.* IV, 13 : « Omnia possum in eo qui me confortat ; » et : « Potens est Deus omnia facere superabundanter, quam petimus aut intelligimus, » *Ephes.* III, 20. Alludit Jacobus ad illud *Exodi* XX, 6 : « Faciens misericordiam in millia his qui diligunt me : » sicut in τῷ *ad invidiam concupiscit spiritus*, allusit ad τὸ *ego sum Dominus Deus tuus fortis zelotes.* Ibid. vers. 5.

PROPTER QUOD DICIT (hic versus in nonnullis Græcis deest ; unde eum omittit Tigurina et Pagninus. Verum Romani aliique plures Græci et Latini eum legunt. Probat Spiritum Dei majorem dare gratiam iis qui ipsum amant, reverentur, invocant, ipsique totos se subdunt, ex eo quod dicit Scriptura et Spiritus Sanctus) : DEUS SUPERBIS (qui spreto Deo mundum mundique honores et pompas sectantur) RESISTIT (vel, ut Cassianus legit, lib. XII *Instit.* cap. VI, *adversatur* ; vel, ut Cyprianus, epist. *ad Novatianum, contrasistit* ; Syrus, *deprimit, conterit*), HUMILIBUS AUTEM (qui spretis mundi pompis et fastu, humiliter se Spiritui Dei subdunt et per omnia obediunt, ab eoque se in omnibus duci regique sinunt) DAT GRATIAM. — Porro id dicit Spiritus Sanctus, *Prov.* III, 34 ; ibi enim nos legimus : « Illusores ipse deludet, et mansuetis dabit gratiam. » Septuaginta quos more suo citat et sequitur S. Jacobus hic, et S. Petrus I *epist.*, cap. V, vertunt : « Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. » Illusores enim sunt superbi, et mansueti sunt humiles.

Deus humiles exaltat.

Antistrophas huic Jacobi gnomas habent omnes auctores hagiographi, ut hoc dogma verissimum, sed in praxi obscurum et difficile, tot consonis testibus nobis persuadeant. *Prima* est Davidis, *Psalm.* XVII, 28 : « Populum humilem salvum facies, et oculos superborum humiliabis. » *Secunda*, Salomonis, *Proverb.* XXIX, 2 et 3 : « Superbum sequitur humilitas, et humilem spiritu suscipiet gloria. » *Tertia*, Isaiæ, cap. II, vers. 12 : « Dies Domini super hominem arrogantem et superbum. » Et cap. LXVI, 1 : « Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum et contritum spiritu, et trementem sermones meos ? » *Quarta*, Annæ, matris Samuelis : « Arcus fortium superatus est, et infirmi accincti sunt robore. Suscitat de pulvere egenum, et de stercore erigit pauperem, ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat. » *Quinta*, Judith, IX, 16 : « Nec superbi ab initio placuerunt tibi, sed humilium et mansuetorum semper tibi placuit deprecatio. » *Sexta*, Virginis Deiparæ : « Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles. Esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes, » *Lucæ* I, 51. Accedat *septimus*, unus ex Septuaginta sacræ Scripturæ interpretibus, qui rogatus a Ptolemæo Philadelpho, rege Ægypti, qua ratione quis posset cavere superbiam, respondit : « Si cogitet quod Deus superbos deprimit, mansuetos autem et humiles exaltat. » Denique omnes divinorum voluminum paginæ hanc ubique sententiam spirant, ait S. Augustinus, lib. III *Doct. Christ.*, cap. XXIII. Quocirca apposite Isidorus Pelusiota, lib. I, *epist.* 164, monet Martyrium, dicens : « Superbis Deus resistit : nam etiam ipsorum principi ab initio sese opposuit. Considera igitur quantum est, et Deum hostem atque adversarium habere, et veterem hostem socium. »

Cur? Causa Prima.

Causæ sunt multæ. *Prima*, quia uti radix omnis peccati et mali est superbia, *Eccli.* cap. X, vers. 15 : ita radix et fons omnis boni et virtutis est humilitas.

Secunda.

Secunda, quia superbus est vas tumidum et vento arrogantiæ plenum, ideoque gratiæ incapax : humilis vero est vas demissum et vacuum, ideoque gratiæ et liquoris divini capax. Sicut ergo pluvia

a collibus descendit in valles, ita gratia e cœlo depluit in humiles.

Tertia, quia Deus est zelotes gloriæ suæ : unde superbos eam ambientes deprimit et sternit in gehennam, humiles vero eam adorantes exaltat ad gratiam et gloriam. Rursum humilitas meretur ditari et sublimari, superbia spoliari et deprimi. Sicut ergo umbra sequentem fugit, fugientem sequitur : ita honor superbos, qui eum ambitiose sequuntur, fugit ; humiles qui eum fugiunt, sequitur.

Quarta. *Quarta,* quia gratia est gratia et gratuito datur, nec nisi gratis, quales sunt humiles, qui de ea gratias agunt ; non superbis, qui eam suis viribus et meritis attribuunt.

Quinta. *Quinta,* quia regum, et præsertim Dei, sublimitas et magnificentia poscit illud Virgilii, *Æneid.*, lib. VI :

Parcere subjectis, et debellare superbos.

Sexta Denique humilitas est virtus propria Christi et christianismi, juxta illud *Matth.* XI, 29 : « Discite a me, quia mitis sum et humilis corde ; » ita S. Bernardus, tract. *De Grad. humil.* Unde humilitas tam potens est, ut resistat Deo, juxta illud : « Dixit ut disperderet eos, si non Moyses electus ejus stetisset in confractione in conspectu ejus. » Confractio enim cordis est humilitas, virtutum regina, quæ Deum vincit pro sua reverentia, ait Rupertus, lib. IV *in Exod.*, cap. XXVI.

Superbus est insanus. Quocirca S. Chrysostomus, hom. 20 in epist. *ad Roman.*, ait superbiam esse summam stultitiam et insaniam, nec superbo quidquam esse insanius. Quid enim insanius quam Deo resistere, et cum Deo instar gigantum velle bellum gerere ? Quid insanius quam se Dei, a quo omnia pendent, favore, gratia et ope sponte privare et spoliare ? Quid insanius quam non hominem, non angelum, non dæmonem, sed Deum habere antagonistam et hostem, eumque qui in superbos tonat et fulminat, ad duellum provocare ? Unde S. Hieronymus, *epist.* 45 : « Quale, ait, malum sit oportet, quod adversarium habet Deum ! » Superbus enim suo fastu quasi Deum lacessit, et ad singulare certamen provocat. Unde Deus zelotes illud acceptat, aitque : Meus est hic antagonista, meum hoc duellum : hic exerendæ meæ vires, hic proterendus novus Lucifer. Ita Cassianus, lib. XII *De Instit. renunt.*, cap. VII.

Unde S. Ambrosius, serm. 7 in *Psalm.* CXVIII, de superbia, locutus : Quid, inquit, hoc peccato potest esse deterius, quod a Dei cœpit injuria ? ideoque Scriptura dicit : Deus superbis resistit, *Jacob.* IV, 6. Tanquam suæ contumeliæ propulsator, veluti quoddam suscepit adversus superbiam speciale certamen ; tanquam dicat : Meus iste adversarius est, qui me lacessit ; mihi debetur ista congressio. »

Sapienter ergo S. Fulgentius, *epist.* 6, cap. IX : « Crescat, inquit, in te humilitas animi, quæ vera est et integra sublimitas Christiani ; et tanto magis in te cognosces gratiam Dei crescere, quanto magis tibi humilitatem cordis videris abundare. » Et S. Augustinus, serm 16 *De Martyribus* : « Altitudinem, inquit, quæritis ? per vallem pervenitur ad montem. Sedem quæritis claritatis ? prius bibite calicem humilitatis. » Idem, serm. 3 *De Verbis Domini* : « Comprehensus est Christus, cæsus, crucifixus et occisus. Ista est via. Ambula per humilitatem, ut pervenias ad æternitatem. Deus Christus : patria est quo imus ; homo Christus : via est qua imus. Ad illum imus, per illum imus, quid timemus ne erremus ? Non recessit a Patre, et venit ad nos : ubera sugebat, et mundum continebat : in præsepi manebat, et angelos pascebat Deus homo. Idem homo qui Deus, idem Deus qui homo. » Idem, serm. 8 *De Epiphania* : « Tota, inquit, Christianæ sapientiæ disciplina non in abundantia verbi, non in astutia disputandi, neque in appetitu laudis et gloriæ, sed in vera et voluntaria humilitate consistit, quam Dominus Jesus Christus ab utero matris usque ad supplicium crucis, pro omni fortitudine elegit et docuit. » Idem, epist. 65 *ad Dioscorum,* docet non esse aliam viam ad veritatem, quam humilitatem ; et sicut Demosthenes dixit, omnem vim eloquentiæ consistere in pronuntiatione, sic omnem vim christianismi consistere in humilitate.

Gnomæ gentilium. Idem viderunt Gentiles. Æsopus rogatus a Chilone, « quidnam ageret Deus, » respondit : Τὰ ταπεινὰ ὑψοῖ, τὰ ὑψηλὰ ταπεινοῖ, id est, humilia exaltat, alta humiliat ; ita habet ejus Vita. Artabanus, ut Xerxi dissuadeat expeditionem in Græcos, ait Deum altas arbores, turres et montes fulminare, humiles vero servare et tueri ; magna et superba castra parvis copiis sternere, nec sinere alium præter se altum sapere. Ita Herodianus, lib. VII. Vere Tragicus : « Sequitur superbos ultor a tergo Deus. »

Porro hæc signa et effectus humilitatis assignat S. Basilius, orat. 17 *De humilitate* : « Qui, inquit, summa modestia est præditus, et qui dum conviciis afficitur, fatetur se longe esse inferiorem, quam dicatur, ejus animum nulla unquam convicia percellent et perturbabunt : sed si appellabitur inops, novit se inopem esse, et omnibus rebus indigentem, ac quotidiana Domini suppeditatione opus habere. Quod si acceperit ignobilem et obscuro loco natum se dici, jam animo multo ante percepit fictum se esse ex limo. » Et mox : « Consequitur autem humilem animum visus subtristis et in terram demissus, habitus neglectus, capillus passus, vestis sordida, ita tamen ut videantur hæc casu ac fortuito fieri, quæ lugentes de industria faciunt. »

Effectus humilitatis.

7. SUBDITI ERGO ESTOTE DEO, — ὑποτάγητε, id est *subordinamini ;* Syrus, *servi estote :* rectus enim naturæ ordo postulat, ut creatura subordinetur et serviat suo creatori. « Deo ergo servite, » ut Dei gratiam et amicitiam obtineatis. Nam, ut dixi, « Deus humilibus dat gratiam. » Quocirca Vers. 7.

Psaltes, *Psalm.* LXI, 2 : « Nonne Deo, inquit, subjecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum. Nam et ipse Deus meus, et salutaris meus, susceptor meus, non movebor amplius (1). »

RESISTITE (ἀντίστητε, id est, *contra state*, opponite vos, adversamini; Syrus, *insurgite in eum*) DIABOLO, — qui quasi rex super universos filios superbiæ, ut ait Job cap. XLI, vers. 25, vos sollicitat ad superbiam, pompasque mundi ambiendas. Resistere autem non possumus acriori et longiori tentationi, sine novo gratiæ Dei auxilio, uti ex S. Augustino docent Doctores. Ergo ante omnia invocanda est assidue Dei gratia, ac parta victoria illam non nostris, sed Dei viribus acceptam ferre debemus. « Nam utique ut diabolo resistamus et fugiat a nobis, ideo precantes dicimus : Ne nos inducas in tentationem, » ait S. Augustinus, *De Natur. et Gratia*, cap. LVIII.

ET FUGIET A VOBIS. — Si homini te invadenti resistas, non idcirco illum fugas et vincis : at si diabolo resistas, illum fugas et vincis. In tua ergo potestate, tibique facilis est de eo victoria : quia, ut ait S. Augustinus, *hom.* 12, inter 50, « Suadere diabolus et sollicitare potest, cogere omnino non potest; et ideo cum per Dei adjutorium in tua potestate sit, utrum consentias diabolo, quare non magis Deo, quam ipsi obtemperare deliberas? »

Artes diaboli. Prima. Porro diabolus « nostris ipsorum desideriis nos oppugnat, » ait S. Basilius, *hom.* 23. Et, ut ait S. Ambrosius, lib. I *De Cain et Abel*, cap. V : « Oculos delectat, aures demulcet, sed mentem inquinat; multa mentitur, falsa adjungit, vera Secunda. subducit; spondet pecuniam, aurum offert, sed Tertia. aufert disciplinam. » Ad hæc illa est calliditas diaboli, ut ea parte qua infirmiores sumus nos oppugnet; sicut dux oppugnat arcem ea parte qua debilior est, ait S. Gregorius, XXXI *Mor.*, XVII, alias XXX, qui et addit : « Dolosus adversarius simul ferire nititur, et aperte sæviens et in insidiis latens, etc. Sæpe enim tentationem proponit de libidine, et subito fraudulentius cessans elationem suggerit de servata castitate. Et sunt nonnulli, qui dum multos ex castitatis arce in foveam elationis cecidisse conspiciunt, vitæ suæ castitatem negligentes in immunditia libidinis demerguntur. Sunt vero e diverso nonnulli, qui dum libidinis immunditiam fugiunt, per castitatis culmen in voraginem elationis ruunt. » Quocirca semper vigilare debemus, semperque parati ad dimicandum, ac nascenti tentationi illico resistere; nam, ut idem ait XXI *Mor.*, VII : « Si tentationi in corde nascenti festine non resistitur, hac eadem qua nutritur, mora roboratur; et existens foris in operibus vinci vix prævalet, qui ipsam intus membrorum dominam mentem captivam tenet. » Rursum dæmon semel victus et Quarta. fugatus, iterum iterumque redit ad nos tentandum, uti rediit ad Christum, *Matth.* IV, 5 et 8. Si tamen fortiter et constanter repellatur, non tam facile et cito redit ad tentandum nos, saltem eodem tentationis genere, ne iterum vincatur et pudefiat. Unde S. Ambrosius in cap. IV *Lucæ* : « Cedere, ait, solet veræ virtuti, etsi invidere non desinat, tamen instare formidat : quia frequentius refugit triumphari. »

Quocirca S. P. N. Ignatius in *Exercit. spirit.*, diabolum comparat *primo*, feminæ procaci, quæ viro timido impotenter dominatur et insultat, audacem vero veretur, eique silens se submittit. *Secundo*, S. Gregorius, lib. V *Moral.*, cap. XVII, ac Olympiodorus, et alii exponentes illud Job cap. IV, vers. 11, *Tigris periit, eo quod non haberet prædam*; ubi pro *tigris*, Septuaginta vertunt, *myrmecoleon*, id est *formica leo* : Diabolus, inquiunt, Diabolus est formica leo, cur? est myrmecoleon, qui coram piis et constantibus qui ei resistunt, timidissimus est ut formica; impiis vero et inconstantibus qui ei cedunt, terribilis instat ut leo. Sic et Theodorus Studita, *epist.* 68 : « Timidus, ait, est diabolus, rejiculus, imbellis, ideoque animositate quadam longe abigendus, ut idcirco germanus Dei clamet S. Jacobus : Resistite diabolo, et fugiet a vobis. » *Tertio*, S. Chrysostomus, conc. 3 *De Lazaro*, diabolum comparat cani, qui mensæ assistit quamdiu quid inde ei projicitur; sin nil ei projiciatur, quin et baculo fortiter abigatur, fugit, nec temere redit. Idem, homil. 22 *ad Popul.* : « Cani, inquit, similis est voluptas : si pellas, fugit; si nutrias, permanet. » *Quarto*, diabolus est similis militi, qui acrius insequitur fugientes, ut ignavos et imbelles; ita S. Bernardus, epist. 1 *ad Robertum*, qui Cistercio fugerat Cluniacum : « An, inquit, quia fugisti ex acie, putas te manus hostium evasisse? Libentius te insequitur adversarius fugientem, quam sustineat repugnantem; et audacius insistit a tergo, quam resistat in faciem. » Quocirca sapienter S. Cyprianus, serm. *De zelo et livore* : « Tam paratus, inquit, ad repugnandum semper animus debet esse, quam ad impugnandum semper inimicus. »

Moraliter : Notat S. Gregorius III *Mor.*, cap. VIII, Diabolus victus confugit ad insidias. diabolum quo valentius vincitur, eo ardentius ad insidias instigari, ut qui viribus victus est, insidiis et dolis vincat. Unde Cassianus, lib. V *Instit.*, cap. XIX, monet athletam Christi, ut quanto magis triumphorum successibus crevit, tanto colluctationum robustiorem ordinem successurum exspectet. Hinc sicut vulpes procumbunt, quasi mortuæ, ut gallinas quasi securas alliciant et devorent : sic et dæmon subinde se quasi victum fugere simulat, ut hominem quasi de victoria securum, ex improviso invadat et prosternat : perinde ac Horatius, unus e tribus superstes, fugiens.

(1) Hæc cum versibus præced. connecti possunt, hoc modo : Subdite Deo vestram de appetentia et de modis appetita consequendi opinationem, ipsamque cupiditatem; nihil quærite, quod ille quæri non vult; nihil eo modo, quo ille non vult; nihil ad eam usque mensuram, ad quam usque nos provehi non vult.

tres Curiatios vicissim occidit, itaque Romanis dominium in Albanos consignavit. Et Antigonus cedens hostibus, dicebat se non fugere; sed commodum suum a tergo persequi, teste Plutarcho in *Apophth.* Denique sanctiores magis infestat diabolus, iisque magis insidiatur, utpote quos sibi dissimiliores, ac Deo similiores videt et invidet : peccatores enim quasi sibi similes negligit, quia eos possidet.

Vers. 8. 8. APPROPINQUATE DEO (non corporis, sed cordis mentisque passibus, id est affectibus), ET APPROPINQUABIT VOBIS. — Quæres qua via appropinquemus Deo? Respondeo *primo*, recedendo a diabolo eique resistendo, ut præcessit : Deus enim et diabolus sunt duo extrema summe contraria, duoque hostes sibi infensissimi : unde quo magis ab uno recedis, eo magis accedis ad alium oppositum; ita Origenes, lib. IV *in epist. ad Roman.*, cap. V : Bellum, inquit, contra diabolum, pacem parat ad Deum; tumque huic appropinquamus, cum illi resistimus.

Modi appropinquandi Deo.

Secundo, humiliando nos : Deus enim humilibus dat gratiam, ut præcessit; ita S. Augustinus, serm. 2 *De Ascensione* : « Videte, fratres, ait, magnum miraculum. Altus est Deus : erigis te, et fugit a te; humilias te, et descendit ad te. Quare? quia excelsus est et humilia respicit, et alta, id est superba, de longe cognoscit, ut deprimat; » ita Hugo : Per humilitatem, ait, et bona opera appropinquare debemus Deo, « ut ad misericordiam, ut nudi ad divitem, ut famelici ad panem, ut infirmi ad medicum, ut servi ad dominum, ut discipuli ad magistrum, ut cæci ad lumen, ut frigidi ad ignem. »

Tertio, purificando nos a peccatis per pœnitentiam. Unde quasi explicans subdit S. Jacobus : « Emundate manus, peccatores, et purificate corda; » quo enim magis a peccato et impuritate recedimus, eo magis ad virtutem, puritatem et Deum accedimus, juxta illud *Psalm.* XXXIII, 15 : « Declina a malo, et fac bonum. » Ita Concilium Tridentinum, *sess.* VI, cap. VI, docet peccatorem accedere ad Deum per actus fidei, timoris, spei, dilectionis, contritionis et propositi novæ vitæ; juxta illud *Zachariæ* I, 3 : « Convertimini ad me, et ego convertar ad vos. » Ita Magdalena pœnitens accessit ad pedes Jesu rigans eos lacrymis, osculans et ungens, *Lucæ* VII.

Quarto, amando Deum et opera charitatis exercendo. Amor enim jungit amantem amato, imo eum in illum transformat. Unde S. Joannes, *epist.* 1, cap. IV, vers. 16 : « Deus, inquit, charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet et Deus in eo; » et Sapiens, *Proverb.* VIII, 17 : « Ego diligentes me diligo, et qui mane vigilant ad me, invenient me; » et Apostolus, *Rom.* VIII, 35 : « Quis nos separabit a charitate Christi? An tribulatio? an angustia? » etc. Nimirum magnes amoris est amor : amor trahit amorem, uti magnes ferrum.

Quinto, per orationem ac per studium perfectionis; ita Origenes, hom. 1 *in Genes.* : Sicut, inquit, non æqualiter illuminantur oculi corporis a sole, sed tanto magis, quanto altius quis in altiora loca conscenderit : ita mens quanto excelsius appropinquat Christo, tanto clarius ejus lumine radiatur; juxta illud *Psal.* XXXIII, 6 : « Accedite ad eum, et illuminamini. » Proprie vero appropinquamus Deo, cum quasi obsequentes servi, amici et filii nos nostraque omnia offerimus Deo tanquam summo omnium domino, amico et patri; dicimusque cum Psalte : « Mihi autem adhærere Deo bonum est, » *Psal.* LXXII, 28. Ex adverso enim queritur Deus de nonnullis, dicens *Isaiæ* XXIX, 13 : « Appropinquat populus iste ore suo, et labiis suis glorificat me; cor autem ejus longe est a me; » et *Jerem.* cap. IX, 2 : « Prope es tu ori eorum, et longe a renibus eorum. » Vidit id per umbram Plotinus Platonicus philosophus, *Enneade* 6, lib. IX, cap. VII, cum ait : « Oportet nos animam ab omnibus rebus externis separare tanquam a sarcinis et obstaculis, ut possit a Deo illustrari. Sicut enim oportet materiam primam omnibus formis esse vacuam, ut ita figuras omnium rerum possit recipere : ita oportet animam hominis esse informem, ut a Deo informari commode possit. » Quinto.

Porro appropinquamus Deo non puris naturæ et liberi arbitrii viribus, quasi iis nos præparemus ad Dei gratiam recipiendam : uti contendebant Semipelagiani facientes gratiam pedissequam liberi arbitrii; sed præventi et excitati a Dei gratia. Hæc enim nostræ conversionis et accessus ad Deum est, et dux, et principium, uti definit Concilium Tridentinum, *sess.* VI, cap. V. Et Christus ipse, *Apocal.* III, 20 : « Ecce sto ad ostium et pulso : si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ille mecum. » Et Psaltes, *Psal.* LVIII, vers. 11 : « Misericordia ejus præveniet me. » Diserte vero Christus asserit *Joan.* cap. VI, 44 : « Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum. » Vere S. Hieronymus in cap. II *ad Ephes.* : « Absque cruore (id est, merito cruoris) Domini Jesu, nemo appropinquat Deo. »

ET APPROPINQUABIT VOBIS. — Deus cum sit ubique, non longe est ab unoquoque nostrum. In ipso enim vivimus, movemur et sumus, ut ait Apostolus, *Act.* XVII, 28. Localiter ergo et substantialiter nulli appropinquat, sed accidentaliter per gratiam, et causaliter per operationem virtutum. Sicut enim peccator per peccatum recedit a Deo et appropinquat diabolo, morti et inferno : sic idem per pœnitentiam et bona opera accedit ad Deum. Ita Cain post occisum fratrem vagus et profugus exulavit a Deo, *Genes.* IV, 12. Et filius prodigus abiit in regionem longinquam, *Lucæ* XV, 13. Sed, ut recte notat S. Augustinus, lib. IV *Confess.*, cap. IX : « Qui amittens dimittit Deum, fugit ab ipso placato ad ipsum iratum. »

E contrario ad Christum accesserunt Apostoli, dicente Petro : « Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, » *Joannis* VI, 69.

Per peccata venialia recedimus a Deo.

Porro non tantum peccatores per peccatum mortale, sed et justi per peccata venialia elongant se aliquatenus a Deo, præsertim per tepiditatem et torporem, cum in bonis operibus et studio proficiendi intepescunt : appropinquant vero Deo, cum defectus suos lacrymis abluunt, fervorem resumunt, bonis operibus sedulo intendunt, perfectioni student. Jam quia multiplex nobis quotidie obrepit negligentia, hinc jugi ejus expurgatione mentisque excitatione nobis opus est, uti docet S. Leo, serm. 5 et 11 *De Quadragesima*.

Nota : Appropinquat Deus pœnitentibus et justis ferventibus per multiplicem operationem et effectum, quem quadruplicem assignat Thomas Anglicus. *Primus*, inquit, est illuminatio mentis respectu cognoscendorum, ut cum cæcus illuminatus est a Jesu, *Lucæ* XVIII, 40. *Secundus* est, instructio respectu operandorum, juxta illud *Deuteron* cap. XXXIII, vers. 3 : « Omnes Sancti in manu illius sunt : et qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius. » *Tertius* est, recuperatio divinæ gratiæ, puta justitiæ, vel primæ, vel augmenti illius. *Quartus* est, delectatio internæ lætitiæ, qui dicitur hymnus omnibus Sanctis Dei, populo appropinquanti sibi, *Psalm.* CXLVIII, vers. 14. « Bonus es, Domine, animæ quærenti te, quid ergo invenienti? Vis ergo inveniri ut quæraris, quæri ut inveniaris, » ait S. Bernardus, *De diligendo Deo*. Et Psaltes, *Psal.* LXXXIII : « Beatus vir cujus est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum, in loco quem posuit. »

EMUNDATE MANUS — ab omni rapina, pugna, libidine, gula omnique peccato. Per « manus » enim intelligit metonymice omne opus externum : hoc enim manibus fit et perpetratur; sicut per corda intelligit opus internum. « Manus » ergo significant externas actiones, cor internas affectiones, *q. d.* Purificate corda ab omni prava cogitatione, machinatione, delectatione, ac vicissim et manus ab omni pravo opere, ut nec mali quidquam agatis, vel velitis. Alludit ad *Psalm.* XXIII, 3 : « Quis ascendet in montem Domini? Innocens manibus et mundo corde. » Sic Paulus jubet orantes levare ad Deum puras manus, I *Timoth.* II, 8 : vide ibi dicta. Hujus rei symbolo sacerdotes et fideles ante sacram communionem lavant manus, ut protestentur se pœnitere de culpis per manus commissis; nam, ut ait Beda : « Hoc est veraciter nos appropinquare Domino, operis videlicet munditiem et cordis simplicitatem habere. »

ET PURIFICATE (Syrus, *sanctificate*) CORDA, — mentes et animos. Dicit hoc *primo*, contra Judæos, qui omnem purificationem ponebant in cæremoniis externis, cum Christus et Christianismus præcipuam sanctitatem ponant in puritate cordis et mentis. *Secundo*, ut doceat quomodo debeant emundare manus, id est opera, nimirum purificando eorum fontem et radicem, puta cor. Nam, ut Christus ait : « De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia : hæc sunt quæ coinquinant hominem, » *Matth.* XV, 19.

Sicut ergo medici curant externos membrorum morbos, expurgando internos viscerum pravos humores qui eos causant : ita fideli expurganda est mens, ut sordes manuum, id est operum, inde manantes expurgentur. Quocirca S. Paulus, I *Timoth.* I, 5 : « Finis, ait, præcepti est charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta. »

DUPLICES ANIMO. — In Psalmis vocantur « duplici corde, » qui aliud quasi cor in visceribus abscondunt, aliud in manibus et operibus ostendunt. Græce δίψυχοι, id est *bianimes*, inconstantes, qui nunc hoc, nunc aliud cupiunt et volunt : unde Syrus vertit *divisi* vel *dubii mente*; vide dicta cap. I, vers. 8. Præclare Nyssenus : « Simplicem mentem, ait, et unius modi voco, eam quæ in solo bono animadvertitur, et nullius mali communione permixta est. » Et Cicero, lib. *De Senect.* : « Animus, ait, omni admixtione corporis liberatus, purus et integer esse cupit. »

9. MISERI ESTOTE, — ταλαιπωρήσατε, id est *affligite vos*, vel affligimini, tum per internum dolorem mentisque compunctionem; tum per externas corporis afflictiones, ut jejunia, orationes, humicubationes. Syrus, *humiles efficiamini*. Docet modum emundandi manus et corda, itaque appropinquandi Deo, esse pœnitentiam, compunctionem, afflictionem, qua miserias animæ nostræ non tantum cognoscamus et confiteamur, sed et deploremus, puniamus, castigemus, extirpemus per pœnas et miserias partim hujus vitæ patienter toleratas, partim voluntarias et sponte assumptas. Vers. 9.

Octuplex miseria et luctus.

« Miseri estote » ergo, *primo*, miseriam vestram humiliter agnoscendo; *secundo*, miseriam culpæ et peccati deplorando et castigando; *tertio*, miserias hujus vitæ patienter tolerando; *quarto*, miserias et tormenta æterna gehennæ per modicas et breves pœnitentias redimendo; *quinto*, tentationes et persecutiones fortiter cum Christo sustinendo; *sexto*, alienis calamitatibus compatiendo; *septimo*, per labores præsentis vitæ alacriter ad æterna gaudia transeundo; *octavo*, a miseriis hujus peregrinationis et exilii ad Christum et cœlum suspirando. Unde Thomas Anglicus octo hujus vitæ recenset miserias, nimirum culpæ originalis, peccati actualis, innatæ fragilitatis, mundanæ paupertatis, humanæ persecutionis, diabolicæ tentationis, æternæ calamitatis, pœnitentiæ salutaris. Sumus ergo hic in valle lacrymarum et miseriarum, ideoque nos ipsos miserari, gemere et deplorare debemus, juxta illud *Eccles.* VII, 3 ;

« Cor sapientium, ubi tristitia est : et cor stultorum, ubi lætitia. » Quin et Seneca in *Consolat. ad Polyb.* : « Larga, ait, ubique flendi est et assidua materia. Lacrymæ nobis deerunt antequam causa dolendi. » Quocirca Heraclitus semper flebat suam hominumque miseriam; Democritus vero eorumdem ineptam stolidamque in tantis ærumnis lætitiam et risum perpetim ridendo deridebat.

Solerter colligit S. Bernardus, serm. 3 *De Nativitate*, ex Christi exemplo : « Ipse est promissus olim per Isaiam parvulus, sciens reprobare malum et eligere bonum ; malum ergo voluptas corporis, bonum afflictio est : siquidem et hanc eligit, et illam reprobat. » Jam quod ad promerendam peccatorum veniam attinet, asseveranter affirmat Nazianzenus, *orat.* 18, pag. 490 : « Neque enim Deus ulla re, perinde atque corporis ærumna conciliatur. » Et B. Virgo Maria affirmavit S. Elisabethæ apud Bonaventuram in *Vita Christi*, cap. III : « Pro certo habeas quod nulla gratia descendit in animam, nisi per orationem et corporis afflictionem. »

ET LUGETE ET PLORATE.— Syrus, אתאבלו *etabbelu*, id est, *lugete instar Abelis*, qui persecutionem passus, et occisus a Cain fratre typum gerit lugentium, sicut Cain gaudentium : unde Abel, Hebr. הבל *Habel*, significat *vanitatem*, vel *luctum* (a rad. אבל *aval*, id est *luxit*. Sæpe enim Hebræi א cum ה commutant), inquit Origenes, tract. 26 *in Matth.*, et S. Augustinus, lib. XVIII *De Civit.*, cap. XV. Causæ luctus sunt octo miseriæ jam recensitæ. Unde Beda sic explicat, *q. d.* « Nolite locupletari et gaudere in hoc sæculo, sed memores scelerum quæ fecistis, hoc potius procurate, ut per breves vitæ hujus miserias, paupertatem, ac lamentationem transitoriam ad sempiterna gaudia cœlestis regni pertingatis.» Et S. Augustinus in hunc Jacobi locum : « Utique regio ista scandalorum est, et tentationum, et omnium malorum, ut gemamus hic, et mereamur gaudere ibi; hic tribulari, et consolari ibi, et dicere : Quoniam exemisti oculos meos a lacrymis, pedes meos a ruina, quoniam placebo Domino in regione vivorum ; in regione mortuorum labor, dolor, timor, tribulatio, gemitus, suspirium. » Christianos ergo in hac vita decet luctus et dolor, non risus et gaudium; sed illud in cœlo exspectant. Ex adverso infideles et impii hic gaudent ad modicum, sed in gehenna æternum ejulabunt, juxta illud Christi : « Væ vobis qui ridetis, quia flebitis, » *Luc.* VI, 25; » et: «Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur, » *Matth.* V. Sanctus ergo hic luctus opponitur risui et ridentibus, ac gaudio omnique felicitate affluentibus, quibus mundus ut beatis applaudit, Christus væ intentat; lugentes vero beatos pronuntiat. Ubi nota tres hujus beatitudinis gradus : Beati enim sunt, qui adversitates lugubres a Deo immissas aut permissas patienter tolerant, ait S. Augustinus, lib. I *De Serm. Domin. in mont.* Beatiores sunt, qui sua aut aliena peccata lugent et deflent. Ita S. Chrysostomus, Ambrosius, Hilarius et Hieronymus in *Matth.* V. Beatissimi sunt, qui præ dolore luctæ quam habent cum carne, mundo et diabolo, ac præ desiderio cœlestis patriæ, et amoris Dei et Christi, lugent suum hoc in corpore exilium. Ita Nyssenus, orat. 3 *De Beatitud.* Talis lugens fuit Paulus, dicens : « Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? » *Rom.* VII, 24; et : « Desiderium habens dissolvi et esse cum Christo, » *Philip.* I, 23. Vide ibi dicta. Talis quoque fuit David, dicens : « Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie : Ubi est Deus tuus? » *Psal.* VI, 7. Et Jeremias totis *Threnis*, ac præsertim cap. II, vers. 18 : « Deduc, ait, quasi torrentem lacrymas per diem et noctem : non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui. » Tales fuere veteres Anachoretæ, quorum luctum recenset Climacus, *gradu* 7, ubi luctum sanctum ita definit : « Luctus secundum Deum est mœror animæ, afflicti cordis affectus, semper id quod sitit ardentissime inquirens; quo non potitur, summo id cum labore persequitur, atque post ipsum mœrens ululat.» Deinde hæc luctus assignat partim signa, partim effectus. « Proprium illorum est qui in beato luctu proficiunt, continentia, labiorumque silentium. Eorum vero qui jam profecerunt, non irasci, injuriarumque omnino oblivisci. Eorum vero qui perfecti et consummati sunt, profunda animi humilitas, ignominiæ sitis, vexationumque invitis advenientium spontanea esuries, peccantium non condemnatio, sed ultra vires miseratio. » Et mox praxin luctus tradit : « Sta in orationis prece tremens, nec aliter quam judici assistens, ut et interiori et exteriori habitu favorem justi judicis concilies, » etc.

Eremopla.

Inter priscos lugentes excelluit S. Ephrem, qui totus est in compunctione et luctu, ut patet ex omnibus ejus operibus, ac præsertim tractatu *De Compunctione* : « O lacrymarum virtutem, inquit, quæ medicinalis officina es peccatorum, per te peccatores efficiuntur beati. » Et : « Luctus animam lacrymis tergit, mundamque reddit, voluptates exscindit et virtutes perficit. » Et S. Bernardus, serm. 16 *in Cant.* : « Paveo, inquit, gehennam; contremisco a dentibus bestiæ infernalis, ac ventre inferi, a rugientibus præparatis ad escam ; horreo vermem rodentem et ignem torrentem, fumum et vaporem, et sulphur et spiritum procellarum; horreo tenebras exteriores. Quis dabit capiti meo aquam et oculis meis fontem lacrymarum, ut præveniam fletibus fletum et stridorem dentium?» Pathetice vero S. Augustinus in *Meditat.*, cap. XXXVI : « Da mihi, inquit, Domine, irriguum superius et irriguum inferius, ut sint mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte. Præsta mihi hanc gratiam propter te, ut quoties de te cogito, de te loquor, de te scribo, quoties

Tres lugentium gradus.

tui reminiscor, tibi assisto, laudes, preces et sacrificium offero, totus obortis lacrymis in conspectu tuo copiose et dulciter fleam, ita ut efficiantur mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, » etc. Et S. Laurentius Justinianus, in *Ligno vitæ*, IX : « O lacryma humilis ! inquit, tua est potentia, tuum regnum; tribunal judicis non vereris, amicorum tuorum accusatoribus silentium imponis. Quid plura ? Vincis invincibilem, ligas omnipotentem, inclinas filium Virginis, aperis cœlum, fugas diabolum. »

« Risus vester (quo risistis in gentilismo gaudentes epulis, jocis, stultiloquio, scurrilitate, omnique voluptati turpi indulgentes) in luctum convertatur » pœnitentiæ, ac gravioris et severioris vitæ Christianæ; juxta illud Christi : « Mundus gaudebit, vos vero contristabimini; sed tristitia vestra vertetur in gaudium, etc., et gaudium vestrum nemo tollet a vobis, » *Joan.* XVI, 20; et illud *Apocal.* VII, 17 : « Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum. » Et illud *Ps.* CXXV, vers. 5 : « Euntes ibant et flebant mittentes semina sua : venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos. » Et illud *Psal.* CXXXVI, vers. 1 : « Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus, dum recordaremur tui Sion. » Ubi sparsim S. Augustinus : « Flumina, ait, Babylonis sunt omnia quæ hic amantur et transeunt. » Amas honores, opes, delicias ? amas flumina Babylonis, id est confusionis, quæ celerrime instar fluminum pertranseunt. « Alii ergo cives sanctæ Jerusalem intelligentes captivitatem suam, attendunt humana vota, et diversas hominum cupiditates hac atque illac rapientes, trahentes, impellentes in mare. Vident hæc, et non se mittunt in flumina Babylonis, sed sedent super flumina Babylonis. O sancta Sion, ubi totum stat, et nihil fluit ! quis nos in ista præcipitavit ? Quare dimisimus conditorem tuum et societatem tuam ? Ecce inter fluentia et labentia constituti, vix quisquam raptus a flumine, si tenere lignum potuerit, evadet, etc. Sede super flumina, noli in flumine, noli sub flumine, sed tamen sede humilis. Inde oportet fleas recordando Sion. Multi enim flent fletu Babylonico, quia et gaudent gaudio Babylonis : quia gaudent lucris, et flent damnis : utrumque de Babylonia est. Flere debes, sed recordando Sion. O pax illa, quam videbimus apud Deum ! o pax illa, et sancta æqualitas Angelorum ! o illa visio et spectaculum pulchrum ! Ecce in Babylonia pulchra sunt quæ tenent, non te teneant, non decipiant. Aliud est solatium captivorum, aliud gaudium liberorum. » Nimirum illud ad quod suspirat Psaltes, *Psalm.* LXXXIII, vers. 1 : « Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum ! Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. »

ET GAUDIUM IN MOEROREM. — Syrus, *in angustiam.*

Vers. 10. 10. HUMILIAMINI IN CONSPECTU DOMINI. — Tigurina clare, *humiliate vos*; Syrus, *humiles vos reddite coram Domino.* Redit ad dicta vers. 6 et 7, de humilitate; et quia humilitas est filia veri luctus, de quo egit versu præcedenti. « Qui enim flet, non superbit; qui luget, humiliatur, » ait S. Ambrosius, lib. V *in Lucam.* Sunt enim nonnulli qui falso et ficte lugent, nimirum qui dum lamentantur, contra proximum vel Deum superbiunt et murmurant, ait S. Gregorius, lib. IX *Moral.*, XIX, alias XXVIII.

Alludit Jacobus, imo citat illud Christi, *Luc.* cap. XIV, vers. 11 : « Omnis qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur; » sicut Christus humilians se infra omnia, exaltatus est super omnia, *Philipp.* II, 8. Nam, ut ait S. Augustinus, tract. 104 *in Joan.* : « Humilitas claritatis est meritum, claritas humilitatis est præmium. »

Nota τὸ *in conspectu Domini, q. d. Primo*, humiliamini non ficte, non exterius, sed sincere et interius ex toto corde coram Domino, qui cor intuetur. *Secundo, q. d.* studete profundæ et intimæ humilitati : hæc enim ante districti judicis oculos cæteris virtutibus præeminet, ait S. Gregorius, loco jam citato. *Tertio, q. d.* humiliamini non tantum coram hominibus vos prosternendo, peccatores profitendo, pedes osculando, sed et coram Deo fastum mentis deprimendo, ac calcando; de qua re vide Cassianum, *collat.* XIX, cap. XI, et S. Bernardum, serm. 42 *in Cantic.* : « Humilitas, inquit, justificat nos, non humiliatio. Quanti humiliantur, et humiles non sunt ? Alii cum rancore humiliantur; alii patienter, et alii libenter. Primi rei sunt, sequentes innoxii, ultimi justi : quanquam et innocentia portio justitiæ est; sed consummatio ejus apud humilem. Qui autem dicere potest : Bonum mihi quia humiliasti me, is vere humilis est. » *Quarto,* quia humilitas vera nihil aliud est, quam vera et practica cognitio sui et Dei, nimirum ut homo cognoscat suum nihil et immensitatem Dei. Verus ergo humilis non homines, sed Deum respicit : seipsum enim in oculis Dei considerans, videnque se esse abyssum nihili, ignorantiæ, peccatorum et vitiorum, profundissime coram Deo se dejicit : et si quid boni habet, ab eo sibi gratis datum agnoscit, eique totum acceptum refert. Ita S. Franciscus noctes integras non aliud dicebat, non aliud meditabatur quam : « Quis tu, Domine ? Quis ego ? Tu abyssus omnis boni, ego abyssus omnis mali et nihili. » Denique humilis cum Deum cognoscat et revereatur, semper Dei præsentiam cogitat, omniaque ita humiliter agit et loquitur, ut Dei se intuentis oculos nusquam offendat, sed placet et oblectet.

Vere humilis quis ?

ET EXALTABIT VOS — in cœlo, et etiam in hac vita per gratiam, et sæpe per famam et gloriam apud homines, præsertim post mortem, *q. d.* Ne vereamini studere humilitati, quasi illa vobis depressioni et dedecori sit futura. Hic enim est exploratus error, qui multos hominum occupat :

nam illa sola vos exaltabit et decorabit, idque ea proportione et mensura, ut quantum descendendo vos humiliaveritis, tantum ascendendo exaltemini : uti Christus super omnes cœlos ascendit, quia moriens descendit ad imos inferos. Hoc enim suis ipse promisit, qui est æterna veritas et immutabilis fidelitas, *Luc.* XIV, 11. Ratio est *prima,* quia congruum humiliationis præmium est exaltatio. *Secunda,* quia humiles summe honorant Deum : merentur ergo vicissim ab eo honorari. Unde sapienter Ecclesiasticus, cap. III, vers. 21 : « Quantum magnus es, inquit, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam : quoniam magna potentia Dei solius, et ab humilibus honoratur. » Humilis enim sicut coram Deo suam summam vilitatem, sic et Dei summam majestatem videt et agnoscit. *Tertio,* quia gloriosa res est humilitas, qua ipsa quoque superbia palliare se appetit, ne vilescat, ait S. Bernardus *De Gradibus humil.,* in nono. Plures rationes dedi vers. 6 et 7.

Cur homines exaltentur?

Antistropha huic Jacobi sententiæ est illa S. Petri I, cap. V, vers. 6 : « Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis ; » et illa Sapientis : « Humilem spiritu suscipiet gloria, » *Proverb.* XXIX, 23, et *Job* XXII, 29. Ita Virgo Deipara merito humilitatis facta est mater Dei, et exaltata super omnes Angelorum choros. S. Joannes factus est Baptista Christi, quia indignum se putabat, qui solveret corrigiam calceamenti ejus. S. Petrus se quasi peccatorem indignum judicans hospitio Christi, factus est Christi Vicarius, et primus Apostolorum caputque Ecclesiæ. S. Paulus sentiens se abortivum et novissimum Apostolorum, uti seipsum postea vocavit, factus est vas electionis. Quocirca merito S. Cyprianus ait libro *De Zelo et Livore* : « Exaltationis apud nos non potest esse contentio : de humilitate ad summa crescimus ; didicimus unde placeamus. » Hanc viam munierat nobis cœlestis Magister, *Marci* cap. IX, 34 : « Si quis vult primus esse, erit (id est *sit,* vel *fiat*) omnium novissimus. » Eamdem munit Augustinus, serm. 213 *De Tempore* : « Esto parvulus in oculis tuis, ut sis magnus in oculis Dei. » Et S. Bernardus, serm. 2 *De Ascensione* : « Sola est humilitas quæ exaltat, sola quæ ducit ad vitam : hæc est via, et non est alia præter eam. »

Nota : Hæc Jacobi sententia et sequentes aliquot ad verbum citantur a S. Clemente, epist. 2 *ad Jacobum fratrem Domini,* ac ab eo tribuuntur S. Petro, non Jacobo : unde Epistolæ illæ Clementis non carent scrupulo, ut advertit Bellarminus *De Script. Ecclesiast.,* in *Clemente,* præsertim quia *epist.* 1, dicit jam mortuum esse S. Petrum ; cum constet Jacobum ad quem scribit, occisum esse ante S. Petrum : quare videtur auctor illarum Epistolarum censuisse Jacobum fratrem Domini, et primum Episcopum Hierosolymæ ad quem scribit, diversum esse a Jacobo Apostolo, auctore hujus Epistolæ, uti dixi in Proœmio. Idem Epistola quinta citat Platonem dicentem amicorum omnia debere esse communia, etiam uxores ; nec idipsum refutat, quanquam in exemplari Vaticano id non invenitur : unde videtur a sciolo aliquo insertum, et huc translatum ex lib. X *Recogn.,* ubi Clemens idem citat et refutat.

Vers. 11. NOLITE DETRAHERE ALTERUTRUM. — Transit ab humilitate ad detractionem, quasi ad vitium oppositum. Humilis enim se omnibus inferiorem et pejorem æstimat ; unde nulli detrahit, nisi sibi : superbus autem aliis detrahit, ut iis major et melior appareat, itaque concitat odia, lites et bella, quæ taxavit Jacobus, vers. 1. Porro hoc detractionis vitium adeo proclive et commune est, ut omnes pene domos et fideles, etiam pios, occupet, adeoque vix sit colloquium aliquod longius, cui sese non immisceat, « tantaque hujus mali libido mentes hominum invasit, ut etiam qui procul ab aliis vitiis recesserunt, in istud tamen quasi in extremum diaboli laqueum incidant, » ait S. Hieronymus, epist. *ad Celantiam.*

Detractio fit quintupliciter.

Fit autem quintupliciter ; *primo,* falsum crimen alteri impingendo ; *secundo,* verum nimis exaggerando ; *tertio,* occultum prodendo ; *quarto,* benefactum male interpretando, vel extenuando, vel frigide laudando ; *quinto,* reticendo virtutes et laudes, cum eas deberet pandere et recitare. Grave est hoc crimen, quia proximo adimit famam, quæ melior est opibus et bonis fortunæ : unde majus est furto et proximum homicidio : imo ipsum manans ex odio est spiritale homicidium, ait S. Petrus apud Clementem, epist. 1 *ad Jacobum,* quia scilicet occidit animam tam dicentis, quam audientis, si consentiat : quin et ejus cui detrahitur, si eum vicissim ad odium et detrahendum concitet.

Hinc detractor dicitur odibilis et abominabilis Deo, *Prov.* cap. VI, vers. 16 et 17 ; *Rom.* I, 30. Ratio est triplex. *Prima,* quia lædit non tantum charitatem, sed et justitiam, quam debemus proximo : aufert enim illi famam, quæ ingens est ejus bonum. *Secunda,* quia Dei legem id vetantem contemnit. Lex enim Christi est : « Nolite judicare, et non judicabimini, » *Matth.* VII, 1 ; et Mosis, *Levit.* XIX, 16 : « Non eris criminator, nec susurro in populo ; » et Sapientis, *Proverb.* IV, 24 : « Remove a te os pravum, et detrahentia labia sint procul a te. » Rursum detractor et iniquus censor inique usurpat judicium Dei, cujus solius est de factis et intentionibus hominum, præsertim occultis, judicare. *Tertia,* quia nemo est sine peccato. Dum ergo quis peccatum alterius censet et judicat, hoc ipso suum ipse condemnat, et simili censura dignum judicat. Adde, detractor ordinem pervertit : deberet enim prius sua vitia carpere et emendare, antequam carpat alterius : subit ergo illam sententiam Christi contra Pharisæos dictatam : « Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat, » *Joan.* VIII, 7.

Detrac-

Merito ergo queritur S. Augustinus, serm. 202

tionis malitia.

De Temp.: « Maxima, ait, pars generis humani indiscreto judicio ad reprehendendum prompta et parata esse probatur, cum tamen non ita se velit ab aliis judicari, quomodo vult alios judicare. » Violat ergo illud naturæ et Christi præceptum: « Prout vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis similiter, » *Lucæ* vers. 6, 31. Et S. Hieronymus, epist. *ad Rusticum* : « Nulli detrahas, nec in eo te sanctum putes, si cæteros laceres. Accusamus sæpe quod facimus, et contra nos ipsos diserti in nostra vitia invehimur, multi de eloquentibus judicantes. » Idem *ad Celantiam* : « Est sane hoc vitium quod vel in primis extingui debeat, et ab eis qui se sancte instituere volunt, prorsus excludi. Nihil enim tam inquietat animum, nihil est quod ita mobilem mentem ac levem faciat, quam facile totum credere, et obtrectatorum verba temerario mentis assensu sequi. Hinc enim crebræ dissensiones, hinc odia injusta nascuntur. Hoc est quod sæpe de amicissimis etiam inimicos facit, dum concordes quidem, sed credulas animas maliloqua lingua dissociat. » S. Bernardus, serm. *De Simplici custodia*, « linguam detractoris » vocat « viperam et lanceam, quæ tres penetrat ictu uno. Gladius equidem anceps, ait, imo triceps est lingua detractoris. » Vide eumdem, serm. 24 *in Cantic.* S. Chrysostomus, hom. 3 *ad Pop.*, ait vitandum esse detractorem, perinde ac vitamus stercora commoventes, quæ nil nisi fœtores excitant; juxta illud Sapientis: « Sepi aures tuas spinis, linguam nequam noli audire, » *Ecclesiasti.* XXVIII, 28.

S. Franciscus, ait S. Bonaventura in ejus Vita, lib. I, cap. VIII, « detractionis vitium inimicum fonti pietatis et gratiæ, tanquam serpentinum abhorrebat morsum et atrocissimam pestem; et piissimo Deo abominabile fore firmabat, pro eo quod detractor animarum sanguine pascitur, quos gladio linguæ necat. Tanto major est, aiebat, detractorum impietas, quam latronum, quanto lex Christi, quæ in observantia pietatis impletur, magis animarum quam corporum, nos astringit optare salutem. »

Judicat detractor legem.

QUI DETRAHIT FRATRI, AUT QUI JUDICAT FRATREM SUUM, DETRAHIT LEGI, ET JUDICAT LEGEM, — et consequenter ipsum legislatorem Deum judicat, id est, arguit et condemnat: ita Œcumenius. Sed quo sensu? *Primo*, aliqui sic exponunt, *q. d.* Detractor condemnat legem, quia quos peccantes lex sustinet ut pœniteant, ipsi illico ut puniendos judicant, et supplicio dignos clamitant. *Secundo*, S. Thomas, II II, *Quæst.* LXXV, art. 1, ad 3: Detractor, inquit, detrahit legi, id est, eam contemnit. Sicut enim is qui servat legem, eam honorat: ita qui transgreditur, quasi detrahit et infamat eam. *Tertio* et genuine, *q. d.* Detractor judicat legem in actu, non signato, sed exercito: quia non verbo, sed facto dicit legem non recte sanxisse, ne cui detrahamus, aut ne quempiam judicemus. Judicat ergo legem non judicio formali et explicito, sed virtuali et tacito, quia reipsa et practice judicat sibi hic et nunc esse faciendum id quod lex vetat, scilicet esse detrahendum. Unde videtur legem divinam maculare, carpere et reprehensibilem reddere, quasi impossibilia vel incongrua præceperit: ita Dionysius, Cajetanus, Catharinus, Salmeron hic, et Cassianus, *Collat.* XVI, cap. XVI. Lex enim dicit: Tibi non est judicandus frater. E contrario detractor sciens hanc legem, reipsa dicit: Imo vero mihi hic et nunc judicandus est frater. Judicando ergo fratrem, judicat legem hoc fratris judicium vetantem, illamque tacite arguit et condemnat, quasi ipsa perperam hoc vetarit. Simili modo qui furatur, tacite judicat legem quæ dicit: Non furaberis; sed magis proprie is qui judicat fratrem, judicat legem id vetantem, quia format sibi formale judicium de fratre, de eoque contra legem formaliter judicat: quod non facit fur, qui neminem judicat. Denique detractor in Qua terminis judicat legem, cum alicui detrahit ob opera virtutis lege Evangelii sancita aut consulta, eaque in probrum et irrisionem vertit (1): quod tunc frequens erat, uti et nunc est, ut dum fratrem pietati studentem vocat hypocritam; dum patienter probra tolerantem vocat ignavum; dum silentem vocat vecordem; dum modestum vocat idiotam et simplicem; dum sua omnia dantem pauperibus vocat prodigum, et secedentem in monasterium vocat insanum. Hoc ipso enim opera virtutis et sanctitatis quæ lex commendat, condemnat, facitque vitia: novam ergo legem sancit Dei legi contrariam, sed ipsius lex est lex vitiorum: Dei lex est lex virtutis. Ita Œcumenius, Lyranus, Hugo et Gagneius.

Quocirca sapienter monet S. Bernardus, serm. 40 *in Cantic.* : « Cave, ait, alienæ conversationis curiosus esse explorator, aut temerarius judex, etiamsi perperam actum quid deprehendas: nec sic judices proximum, sed magis excusa. Excusa intentionem, si opus non potes; puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum. Qui si omnem omnino dissimulationem rei certitudo recusat, suade nihilominus ipse tibi, et dicito apud teipsum: Vehemens fuit nimis tentatio. Quid de me illa fecisset, si accepisset in me similiter potestatem? »

12. UNUS EST LEGISLATOR ET JUDEX, — puta Deus et Vers. 12
Christus, sive Deus homo: illi ergo judicium relinque, nec tibi arroga, *q. d.* Dum fratrem judicas, legem et legislatorem judicas, in eumque peccas dupliciter: *primo*, quia tacite ejus legem redarguis; *secundo*, quia ejus judicium tibi arrogas et usurpas, cum ipse solus sit tam legislator, quam judex omnium, scilicet primus et summus, a quo Moses, Abraham, Salomon cæterique reges et legislatores, quasi ejus ministri, suam vim et potestatem leges condendi acceperunt, juxta illud *Proverb.* VIII, 15: « Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt: per me princi-

Primo.

Secundo.

Tertio.

(1) Hic est, ut videtur, hujus loci genuinus sensus.

pes imperant, et potentes decernunt justitiam. »

QUI POTEST PERDERE ET LIBERARE. — Græce, σῶσαι καὶ ἀπολέσαι, id est *salvare et perdere*, scilicet tam in præsenti vita, quam in futura et æterna. Sic et Syrus. Addit hoc Jacobus, ut doceat hominum non esse judicare fratres, sed Dei, qui suos suæque legi obedientes (qui scilicet non detrahunt, nec judicant fratres suos) salvabit et beabit in æternum; inobedientes vero, scilicet qui detrahunt et judicant fratres, ideoque tacite judicant legem, et in ipsum legislatorem injurii sunt, perdet et damnabit ad gehennam, ut omnes hac spe et metu a detractione et judicio temerario avocet. Rursum occurrit objectioni detrahentis ac dicentis : Si ego non castigo peccatum et injuriam fratris, illa manebit impunita. Respondet enim non fore impunitam, sed puniendam a Deo, *q. d.* Cum ergo frater peccans suum habeat judicem et vindicem acerrimum, is tibi sufficiat; tu noli eum judicare : sin is velit ejus misereri, eumque convertere et salvare, tu velle non debes, nec potes eum perdere. Ita Hugo. « Non eadem est sententia tribunalis Christi, et anguli susurronum, » ait S. Hieronymus, *epist.* 39; et S. Ephrem, *Parœn.* 4 : « Non judicemus quemquam, inquit, quia non novimus ejus pœnitentiam : in testaceis vasis aurum sæpe reconditur. » Antistropha huic Jacobi sententiæ est illa Pauli *ad Roman.* XIV, 4 : « Tu quis es, qui judicas alienum servum? Domino suo stat, aut cadit. » Et vers. 10 : « Tu autem quid judicas fratrem tuum? aut tu quare spernis fratrem tuum? omnes enim stabimus ante tribunal Christi. »

Vers. 13. 13. TU AUTEM QUIS ES, QUI JUDICAS PROXIMUM? — « Quis, » id est qualis, quam temerarius et audax es, qui cum sis vilis homuncio, similibusque et sæpe iisdem peccatis obnoxius, audeas tamen de iis fratrem judicare, et Dei de eo judicium usurpare. Sic ait David : « Quis est hic Philisthæus incircumcisus, qui exprobravit acies Dei viventis? » I *Reg.* XVII, 26.

Moraliter de fuga detractionis. MORALITER nota hic quam vitanda sit detractio et judicium temerarium proximi. Quocirca in *Vitis Patrum*, lib. V, libello IV, § 1, Abbas Moyses : « Debet, inquit, homo quasi mortuus esse socio suo, hoc est, mori amico suo, ut non dijudicet eum in aliqua causa. »

Et S. Antonius : « Nolite, ait, ante tempus judicare : debent enim omnes Christi, cui soli occulta patent, reservari judicio. Aliud enim hominum, aliud Dei est judicium. Quisque seipsum inspiciat et judicet. » Ita S. Athanasius in ejus Vita.

Abbati Isaac, qui quemdam peccantem judicaverat, occurrit angelus dicens : « Ubi jubes ut mittam fratrem illum culpabilem, quem addixisti? » Mox Isaac : « Peccavi, inquit, ignosce mihi. » Cui angelus : « Surge, ignoscit tibi Deus; sed vide ne de cætero adjudices quemquam priusquam Deus adjudicet eum. » Ita in *Vitis Patrum*, lib. V, libello IX.

Ibidem alius dicit : « Peccata mea sunt post me currentia, et non video ea; et veni ego hodie judicare peccata aliena. » Et alius : « Quacumque hora tegerimus peccatum fratris nostri, teget et Deus nostrum; et quacumque hora prodiderimus culpas fratrum, et Deus nostras similiter prodet. » Alius : « Ne judices fornicatorem, si castus es : quoniam similiter legem prævaricaveris. Etenim qui dixit : Non forniceris, dixit : Ne judices. » Alius vidit gratiam, quæ visibiliter in celebratione Eucharistiæ solebat in virum sanctum descendere, ab eo recessisse; qua de re eum admonens, cum ille detractionis culpam agnosceret et pœniteret, visa est gratia ad eum reverti. Verum maxime omnes a temere judicando absterrere debet illa augusta Christi sententia et promissio, *Matth.* VII, 1 : « Nolite judicare, et non judicabimini; nolite condemnare, et non condemnabimini. »

Memorabile est exemplum quod scribit S. Anastasius Sinaita, Episcopus Antiochenus tempore S. Gregorii (cujus *Pastorale* ex latino in Græcum convertit), orat. *De S. Synaxi*, et ex eo Baronius, tom. VII, anno Christi 599 : « Quidam, ait, monachus, qui negligentissime per summum otium vixerat, cum ad mortem infirmaretur, eam non perhorrescens, summa voluptate magnaque cum gratiarum actione exsolutus vinculis excedebat. Ad quem assidentium Patrum unus : Frater, inquit, scimus te summa negligentia hucusque vixisse : unde ergo tibi hæc tanta securitas? Cui ille : Ita est, negligentissime vixi : sed angeli Dei hac ipsa hora peccatorum meorum ad me chirographum attulerunt; cumque ea quæ fecissem postquam sæculo renuntiassem, peccata legissem, numquid agnoscerem, rogaverunt. Quibus ego : Maxime vero, inquam, agnosco : sed idem ex quo renuntiavi sæculo vitamque institui monasticam, nec judicavi quemquam, nec ab ullo mihi factam injuriam meminisse volui. Igitur Domini verba ad me quoque pertinere opto et oro, qui dixit : Nolite judicare, et non judicabimini; et : Dimittite, et dimittetur vobis. Quæ postquam angelis dixi, chirographum peccatorum meorum conscinderunt; et inde nunc summa cum lætitia et securitate proficiscor ad Dominum. Hoc ubi frater ille narravit Patribus, Domino in pace spiritum reddidit. » Plura recensui *Jerem.* XXXVII, 17.

ECCE, — ἄγε. Quæ vox transitionis est nota, novumque sermonem et materiam inchoat, *q. d.* Agite, videte vestram prudentiam, superbiam et stultitiam, quam vobis demonstro. Unde vers. 16 concludens, ait : « Omnis exultatio talis maligna est. »

QUI DICITIS : HODIE, AUT CRASTINO IBIMUS IN ILLAM CIVITATEM. — Disparata videtur hæc sententia a præcedente : veteres enim sua dogmata ethica docebant per gnomas disparatas, ut patet in *Proverbiis* et *Ecclesiastico*. Romani tamen codices eodem versu cum præcedenti hæc connectunt, quasi ad judicium temerarium hæc spectent, *q. d.* Tu

quis es qui judicas fratrem tuum? nimirum es homo liber, præceps, inconsideratus, qui longam tibi liberamque vitam polliceris; nec cogitas tibi imminere mortem; in qua judicii temerarii omniumque peccatorum exactam judici Deo redditurus es rationem. Verum esto ita connectamus; generalis tamen hæc est sententia, ut notat Beda, qua Jacobus taxat multorum stoliditatem, qui toti lucris mundique negotiis intenti diu se victuros æstimant, ideoque pro arbitratu futura disponunt, quasi liberi, vitæque et temporis domini; nec cogitant hæc omnia pendere a Dei nutu, qui singulis celerem finem vitæ certumque diem mortis præstituit, qui omnes has dispositiones et spes succidet; de quibus celebratur festivus iste apologus rustici, qui lactis amphoram portans ad forum tacite secum cogitabat : Tanti vendam lac meum, ex pretio emam gallinam, illa mihi generabit pullos; illos alam, et grandiores effectos vendam, ex pretio emam porcellum, quem impinguatum vendam; emamque vitulum, illum saginabo et vendam. Quid tanto pretio faciam? emam equulum cui filius meus inequitet, ac gestiens subsultare cœpit, ac exprimere speciem filii in equo exultantis. Subsiliens amphoram e capite excussit, et lac omne in terram effudit, ac cum lacte pariter omnes suas spes, conceptus et gaudia effudit. Ita hodie multi magna moliuntur, magna sibi pollicentur, aura aulæ velut chamæleontes vivunt, spes altissimas sibi efformant, sed chimericas; quas vel morbus, vel mors, vel sinister aliquis casus evertit, et in ipso sæpe exortu succidit. Nimirum,

Apologus vanæ spei.

Nescia mens hominum fati sortisque futuræ.

Exemplum divitis extat *Luc.* XII, 17, qui sibi applaudens dicensque : « Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos? Et dixit : Hoc faciam, destruam horrea mea et majora faciam; et illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi et bona mea, et dicam animæ meæ : Anima, habes multa bona posita in annos plurimos; requiesce, comede, bibe, epulare.» Sed eadem die audiit a Deo : «Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te : quæ autem parasti cujus erunt?» utique immemoris, ingrati et sæpe ignoti incertique hæredis.

Nota : Hæc futura, « ibimus, faciemus, mercabimur, lucrum faciemus,» accipi possunt pro optativis, eamus, faciamus, mercemur, lucrum faciamus, ut vertunt Pagninus et Tigurina; significant enim non tantum suam de futuris dispositionem, sed et (idque magis) suam lucrandi cupiditatem, scilicet se non Deum, non cœlum, sed lucrum duntaxat cogitare et ambire; quos merito miserans S. Ambrosius, lib. *De Naboth*, XII : « Servitis, inquit, divites, ac miseram quidem servitutem, qui servitis errori, cupiditati, avaritiæ, quæ explori non potest. Captiva est opulentia, paupertas libera.» Et cap. XIV : « Desideriorum suorum æstu volvuntur, et quodam sale fluctuant.» Nam, ut ait S. Chrysostomus, hom. 39 *in Genes.* : «Mare fluctibus non ita intumescit, ut talem animam a cogitationibus et affectionibus infestari videmus.» Et S. Gregorius vocat hanc plagam muscarum Ægypto a Mose inflictam : « Musca enim, inquit, nimis insolens et inquietum animal est, in qua quid aliud quam insolentes curæ desideriorum carnalium designantur?» Unde hos culpans Sapiens, cap. XV, vers. 12 : « Æstimaverunt, inquit, lusum esse vitam nostram; et conversationem vitæ compositam ad lucrum, et oportere undecumque etiam ex malo acquirere; » cum tamen mala lucra semper damnum afferant, ut ait Hesiodus et Menander.

FACIEMUS IBI QUIDEM ANNUM. — S. Ignatius, fundator Societatis nostræ, cuidam dicenti se post aliquot menses quippiam facturum : « Bone Deus, inquit, tamdiu te victurum putas?» cui mors certa, sed die incerto imminet, et æternitas. Quid enim est annus vitæ tuæ, nisi annulus qui semper in orbem rotatur, donec ad numerum sibi a Deo præfixum decurrat? Audi Servium : Annus, inquit, dicitur quasi anus, id est annulus, quia in se redit :

Atque in se sua per vestigia volvitur annus.

Vel ἀπὸ τοῦ ἀνανεοῦσθαι, id est, *ab innovatione*, quod scilicet assidue innovetur et alter fiat.

14. QUI IGNORATIS QUID ERIT IN CRASTINO. — Magna hominum est fidentia, qui de crastino ita secure disponunt, atque si crastinum in sua haberent manu et dominio, cum nesciant an crastino sint victuri, res suas habituri, libertate et sanitate usuri. Sapienter ergo monet Sapiens : « Ne glorieris in crastinum, ignorans quid superventura (ἐπιοῦσα, id est *crastina*) pariat dies,» *Prov.* XXVII, 1; et Psaltes : « Deus meus es tu, in manibus tuis sortes meæ, hebr. tempora mea,» *Psalm.* XXX, 15. Et Christus, *Matth.* XXV, 13 : «Vigilate, quia nescitis diem neque horam.»

Vers. 14. Vanitas promittentium sibi longævitatem.

Quocirca sapienter monet S. Gregorius, lib. IV *Dial.*, cap. XLIX, diabolum illaqueare homines promittendo longam vitam, datque exemplum de quodam : « Qui dum somnia, inquit, vehementer attenderet, ei per somnum longa spatia hujus vitæ promissa sunt. Cumque multas pecunias pro longioris vitæ stipendiis collegisset, ita repente defunctus est, ut intactas omnes relinqueret, et ipse secum nihil ex bono opere portaret.» Ita multos decipi videmus a Mathematicis, qui dum falso promittunt amplos honores, metum mortis adimunt : quo fit ut eis creduli ad mortem se non parent, quia promissos ab eis honores exspectant; ac ingruente morte non tantum honoribus, sed et vita priventur præsenti, ac sæpe æterna.

Vere Pindarus in *Nemeis*, ode 8 : « Vanæ spes, inquit, exitus habent futiles.» Idem in *Isthmiis*, ode 3 : «Tempus, dum volvuntur dies, alias aliam affert rerum vicissitudinem; sed tamen invulnerabiles sunt filii deorum;» et *ode* 5 : « Mortalia

mortales decent; » et *ode* 7 : « Vetus beneficium dormit : immemoresque sunt mortales ejus rei, quæ non pervenerit ad florem summum sapientiæ. »

Egregie Seneca, lib. XVII, *epist.* 102, narrata subita morte Senecionis Cornelii, qui totus divitiis imminens, in ipso procurrentis pecuniæ impetu raptus est, subdit :

Insere nunc, Melibœe, piros, pone ordine vites.

« Quam stultum est ætatem disponere ! nec crastino quidem dominamur. O quanta dementia est spes longa inchoantium ! Emam, ædificabo, credam, exigam, honores geram, tum demum lassam et plenam senectutem in otium referam ! Omnia, mihi crede, etiam felicibus, dubia sunt. Nihil sibi quisquam de futuro debet promittere ; id quoque quod tenetur per manus exit, et ipsam quam premimus horam, casus incidit. Volvitur tempus rata quidem lege, sed per obscurum. Quid autem ad me, an naturæ certum sit, quod mihi incertum est ? Navigationes longas, et pererratis littoribus alienis, seros in patriam reditus proponimus, militiam, et castrensium laborum tarda manupretia, procurationes, officiorumque per officia processus ; cum interim ad latus mors est, quæ quoniam nunquam cogitatur, nisi aliena, subinde nobis ingeruntur mortalitatis exempla, non diutius quam dum miramur, hæsura. » Et mox : « Stat quidem terminus nobis, ubi illum inexorabilis fatorum necessitas fixit ; sed nemo scit nostrum quam prope versetur terminus : sic itaque formemus animum, tanquam ad extrema ventum sit : nihil differamus, quotidie cum vita paria faciamus. Maximum vitæ vitium est, quod imperfecta semper est, quod in aliud ex alio differtur. Qui quotidie vitæ suæ summam manum imposuit, non indiget tempore. Ex hac autem indigentia, timor nascitur, et cupiditas futuri exedens animum. Nihil est miserius dubitatione volutantium quorsum evadant, quantum sit illud quod restat, aut quale. » Quærit deinde : « Quomodo effugiemus hanc volutationem ? Uno, si vita nostra non prominebit, si in se colligetur. Ille enim ex futuro suspenditur, cui irritum est præsens. Ubi vero, quidquid mihi debui redditum est, ubi stabilita mens scit, nihil interesse inter diem et sæculum, quidquid deinceps dierum rerumque venturum est ex alto prospicit, et cum multo risu seriem temporum cogitat. Quid enim varietas mobilitasque casuum perturbabit, si certus sit adversus incerta ? Ideo, mi Lucili, propera vivere, et singulos dies singulas vitas puta. Qui hoc modo se aptabit, cui vita sua quotidie fuit tota, securus est. In spe viventibus, proximum quodque tempus elabitur, subitque aviditas temporis, et miserrimus, atque miserrima omnia efficiens metus mortis. Inde illud Mæcenatis turpissimum votum, quo et debilitatem non recusat et deformitatem, et novissime acutam crucem, dummodo inter hæc mala spiritus prorogetur. »

Quocirca Plutarchus, lib *De Tranquill.*, docet sapientem ita moderari vitam per prospera et adversa, ut iis non insolescat, his non dejiciatur : sicut musicus chordas et fistulas, quarum aliæ acutum, aliæ gravem, aliæ medium sonum edunt, ita contemperat, ut suavem harmoniam efficiant.

15. QUÆ EST ENIM VITA VESTRA, — ut audeatis de ea in crastinum et futurum certo disponere ? « Quæ, » id est, qualis et quantula, puta quam instabilis, brevis, caduca et misera est. « Tanquam semper victuri vivitis ; nunquam vobis fragilitas vestra succurrit, » ait Seneca, *De Brevit. vitæ*, cap. IV : Omnia tanquam mortales timetis. Omnia tanquam immortales concupiscitis. » Idem, *epist.* 121 : « Nihil, ait, imprudentius aut stultius fingi potest, quam si putre corpus sortiti, æterna tamen proponamus, et in quantum potest ætas humana protendi, tantum spe occupemus. » Et mox : « Ideo magnus animus sibi conscius melioris vitæ dat quidem operam, ut in hac statione qua positus est, honeste se atque industrie gerat : cæterum nihil horum quæ circa ipsum sunt, suum judicat ; sed ut commodatis utitur peregrinus et properans. » Vers. 15

VAPOR EST (id est, quasi vapor, vel vapori similis) AD MODICUM PARENS, ET DEINCEPS EXTERMINABITUR. — Græcum ἀτμὶς significat *primo*, vaporem ; *secundo*, flatum ; *tertio*, fumum ; *quarto*, halitum ; *quinto*, auram tenuem ; ab ἀτμίζω, id est evaporo, exhalo, expiro. Alludit ad illud axioma et epiphonema, *Eccle.* cap. I, vers. 1 : « Vanitas vanitatum, et omnia vanitas, » pro quo Aquila, Symmachus, Theodotion cæterique omnes, exceptis Septuaginta, ut ait ibidem S. Hieronymus, vertunt, *vapor vaporum, et omnia vapor*. Quid enim vanius vapore, qui illico tenues vanescit in auras ? Porro vapor, ait Aristoteles, I *Meteorol.*, cap. I, fit cum humidum quod circa terram est, a radiis et ab alia quæ desuper est caliditate evaporans fertur sursum, ubi infrigidatus vel in rorem et pluviam resolvitur, vel constrictus in nivem, pluviam, glaciem et grandinem densatur et coalescit. Unde hunc vocat quasi fluvium perennem, qui circulariter fluat sursum, cum fit vapor ; et deorsum, cum resolvitur in pluviam, quæ in terram, e qua vapor ascendit, depluit.

Talis vapor est vita nostra. *Primo* enim ut vapor calore cogitur, ascendit et consistit, sed modico : ita et vita nostra calore consistit, sed modico, estque quasi scintilla ignis, ut ait Sapiens, cap. II, vers. 2. Vita est vapor ad octo analogias. Prima.

Secundo, sicut vapor statim in auras dispergitur et evanescit, sic et vita nostra. Et hoc proprie hic intendit S. Jacobus. Secunda.

Tertio, sicut vapor adeo exilis, tenuis et pene invisibilis est, ut non tam res, quam rei videatur umbra et simulacrum : sic et vita nostra, adeoque omnis res creata respectu entis increati et æterni, puta Dei, est tantum umbra ; unde Dei Tertia.

nomen est: « Ego sum qui sum; » nostrum: « Ego sum qui non sum, » ut dixi *Exodi* III, 14.

Quarto, sicut vapor adeo debilis est, ut omni vento etiam minimo huc illucque feratur: sic et vita nostra minima re impellitur et mutatur. Unde S. Gregorius in Prologo *Psal.* VI *Pœnit.*: « Laboriosa, ait, est vita temporalis, levior fabulis, velocior cursore, instabilitate fluctuans, imbecillitate nutans; cui nulla est fortitudo, nulla propositi constantia, nulla a turbationibus requies, nulla a laboribus reclinatio. Quis denique est, quem non excruciet dolor, sollicitudo non urgeat, non subruat timor? Risus fletum sequitur, gaudium tristitia comitatur: esuriei succedit saturitas, saturitatem iterum excludit esuries: in nocte dies optatur, in die nox quæritur, in algore calor, in æstu refrigerium: ante cibum suspiria, post cibum tribulatio, iræ, indignationes exagitant, et innumerabiles miseros homines motus perturbant. »

Quinta. *Quinto*, sicut vapor obscurus est et coalescit in nubem, sic et vita nostra plena est ignorantia, errore, imprudentia. Unde S. Gregorius, lib. XXIII *Moral.*, cap. XII, Isaiam citans, cap. XXVI: « Propheta, inquit, ad videndum Dominum quadam se premi caligine sentiebat, dicens: Anima mea desideravit te in **nocte**, *q. d.* **in hac obscuritate** vitæ præsentis, **videre te appeto; sed adhuc infirmitatis nubilo circumscribor. David** quoque hujus noctis caliginem videns, claritatem veri luminis præstolatus ait: Mane astabo tibi et videbo. »

Sexta. *Sexto*, sicut vapor confusus est, ita et confusa et perturbata est vita nostra; idque pio Dei consilio, ait S. Gregorius, XXV *Moral.*, cap. XV, « ne viam pro patria diligamus; ne, dum viator delectatur in via, obliviscatur quod desiderabat in patria. » Idem, lib. XXXI, cap. XVII: « Justus, ait, vitam suam bonis malisque permixtam conspicit, et cogitationes suas aliquo modo spe et timore confundit. »

Septimo, sicut vapor resolutus in pluviam descendit, reditque in terram, ex qua exhalando ascendit: ita et vita nostra ac corpus, per morbum et mortem resolutum, redit in terram, ex qua sumptum est; unde Salomon concionem suam de vanitate mundi, quam præ cæteris expertus erat, ita concludit *Eccles.* XII, 1: « Memento creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, etc. Et revertatur pulvis in terram suam, unde erat, et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum. Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, et omnia vanitas. » Alii, ut dixi, vertunt: « Vapor vaporum, et omnia vapor. »

Octava. *Octavo*, sicut vapor terrenus putrescit, et vocatur situs, ait Aristoteles, lib. V *De Gener. animalium*, cap. IV: « Situs, inquit, caries vaporis terreni est: nam si vapor se efferens concrescit, fit pruina; sin putrescit, situs. Sic comœdi senectutis situm pruinam nominant. » Unde infert: « Recte dixeris morbum esse adventitiam senectutem, senectutem autem esse morbum naturalem. » Sic et vita nostra vaporibus, tum corporalibus in catarrhos, phlegmata et flatus resolutis; tum spiritualibus, puta concupiscentiis carnalibus, quas quasi vapores exhalat, corrumpitur et putrescit. Unde Avicenna et medici docent in montibus puriorem esse aerem, ideoque ibi homines diutius, sanius et robustius vivere: in vallibus vero aerem esse impuriorem, ob continuos vapores ex ea ascendentes, ideoque hominum in vallibus habitantium vitam minus esse longævam, sanam et robustam. Pari modo in hac lacrymarum valle brevis, ægra et infirma est vita nostra ob vapores corporales, quibus corpus, et spiritales, quibus anima inficitur. In cœlis vero quasi in montibus æternis ab omni vapore et exhalatione liberis, vita est æterna, sanissima, fortissima et gloriosissima.

Porro sacra Scriptura ut brevitatem, instabilitatem, exilitatem et miseriam vitæ nostræ nobis repræsentet, variis utitur similitudinibus. *Primo*, comparat eam momento, id est, inclinationi stateræ, cujus lances continuo ascendunt et descendunt, *Isaiæ* XL, 15. *Secundo*, guttæ roris antelucani, quæ illico a sole oriente sorbetur, uti vita a febri aliove morbo, *Sap.* IX, 13. *Tertio*, fumo, *Sapient.* cap. II, 2: « Fumus flatus est in naribus nostris, et sermo scintilla ad commovendum cor nostrum, qua extincta cinis erit corpus nostrum, et spiritus diffundetur tanquam mollis aer, et transibit vita nostra tanquam vestigium nubis, et sicut nebula dissolvetur quæ fugata est a radiis solis. » *Quarto*, umbræ: « Umbræ enim transitus est tempus nostrum. » Ibidem. *Quinto*, flori illico marcescenti, et fœno arido, *Isaiæ* XL, 6: « Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos agri. » Vide ibi dicta. *Job* XIV, 1: « Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis; qui quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet. » *Sexto*, stillæ et pulveri, *Isaiæ* XL, 15: « Ecce gentes quasi stilla situlæ, etc. Ecce insulæ quasi pulvis exiguus. » *Septimo*, nihilo, ibid. vers. 17: « Omnes gentes, quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputatæ sunt ei. » *Octavo*, palmo, id est, mensuræ quatuor digitorum transversorum, *Psal.* XXXVIII, 6: « Mensurabiles posuisti dies meos; » hebraice טפחות *tepachot*, Septuaginta παλαιστάς, id est *palmares*. Symmachus, *palmum posuisti dies meos*. *Nono*, araneæ, *Psalm.* LXXXIX, 10: « Anni nostri sicut aranea meditabuntur. » Græcum ἀράχνη potius telam quam araneam significat: sicut ergo tela araneæ scopa everritur, sic vita nostra telo, aut morbo. Hebraice est הגה *hege*, id est meditatio, vel sermo loquentis, ut vertit S. Hieronymus. Sed Septuaginta vertunt, *aranea*; quia ipsa est animal cogitabundum et quasi meditabundum. Subdit Psaltes: « Dies annorum nostrorum in ipsis, septuaginta anni: si autem in potentatibus, octoginta anni, et amplius eorum labor et

Vita est momentum stateræ.

Et gutta roris.

Et fumus.

Et umbra.

Et flos.

Et stilla.

Et nihilum.

Et palmus.

Et aranea.

Et vanitas. dolor. » *Decimo,* imagini et vanitati, *Psal.* XXXVIII, 7 : « Universa vanitas omnis homo vivens : verumtamen in imagine pertransit homo, sed et frustra conturbatur. » *Undecimo*, vento, *Job* VII, 7 : « Memento quia ventus est vita mea. » *Duodecimo,* pluviæ aut flumini, II *Regum* XIV, 14 : « Omnes morimur, et quasi **aquæ dilabimur in terram,** quæ non reverturuntur. » *Decimo tertio,* nuntio percurrenti, navi sulcanti mare, avi per aerem transvolanti, et sagittæ emissæ, *Sapient.* cap. V, vers. 9 et seq.

Et ventus.

Flumen.

Et nuntius, navis, avis, et sagitta.

Ite nunc, mortales, erigite familias, titulos, palatia, arces : æternos vos credite, cras morituri. Mors ultimum vitæ vestræ actum claudet : cum ad mortalitatis finem veneritis, finis pariter erit honorum et opum : discedet ambitio, nullus erit avaritiæ locus, omnis cupiditas in æternum conticescet. Ut quid ergo caduca ambitis, quæ mors adimet, imo extinguet?

O curas hominum! o quantum est in rebus inane!
O quam angusti sunt mortalium termini!
O quam angusti mortalium animi!

Æternitati creati estis : cur tempori tam modico vivitis? Cœlo destinati, cur terræ quasi talpæ incumbitis? Deum possessuri, cur mundi possessioni inhiatis?

Quid mentem traxisse polo, quid profuit altum
Erexisse caput, pecudum si more pererrant
Avia, si frangunt communia pabula, glandes?

ait Claudianus, III *De Raptu Proser.* Glandes sunt deliciæ, opes, honores, pompæ : has porcis et pecudibus relinquite; escam angelorum quærite; Christi nectar et ambrosiam ambite.

Gnomæ Philosophorum. Idem uno ore clamitant Gentiles. **Manilius, libro IV :**

Nascentes morimur, finisque ab origine pendet.

Martialis, lib. I :

Si sapis, utaris totis, Coline, diebus,
Extremumque tibi semper adesse putes.

Seneca in *Hercule Furente :*

Vivite læti, properat cursu
Vita citato, volucrique die
Rota præcipitis vertitur anni, *etc.*
Certo veniunt ordine Parcæ.
Nulli scriptum proferre diem,
Nulli jusso cessare licet :
Recipit populos urna citatos.

Menander : « Umbræ somnium est homo. » « Homo, ait Philosophus, est fortunæ lusus, temporis spolium, inconstantiæ imago, imbecillitatis exemplum, invidiæ et calamitatis trutina, reliquum pituita et bilis. » Rursum : « Homo bulla. » Sicut ergo pueri conchas sapone et aqua plenas inflant, bullasque tremulas excitant, quæ mox tenues difflantur in auras : sic et omnis vitæ nostræ decor et honor bulla est, quæ mox in auras evanescit. Ambis ergo sponsam? bullam ambis. Ambis delicias ventris et veneris? bullam ambis. Ambis Canonicatum, Episcopatum, etc.? bullam ambis. Horatius, lib. IV *Carm.,* ode 7 :

Pulvis et umbra sumus.

Homerus apud Plutarchum in *Oratione consol.* : « Quale est foliorum genus, tale est et hominum; » sicut enim illa vento, ita homines levi adversitate decutiuntur. Zeno : « Dei ludibrium est homo. » « Quotidie, ait Seneca, *epist.* 24, morimur, quotidie enim demitur aliqua pars vitæ, et tunc quoque cum crescimus, vita decrescit; infantiam amisimus, deinde pueritiam, deinde adolescentiam : usque ad hesternum quidquid transiit temporis, periit : hunc ipsum quem agimus diem, cum morte dividimus. » Idem, lib. VI *Natur. quæst.,* cap. XXXII : « Fluit tempus, ait, et avidissimos sui deserit; nec quod futurum est, meum est, nec quod fuit : in puncto fugientis temporis hæreo. » Et *epist.* 99 : « Nihil firmum infirmo, nihil fragili æternum et invictum est; tam necesse est perire quam perdere. » Idem, *epist.* 59, docet vitam nostram non consistere, sed jugiter fluere. « Nemo nostrum, ait, idem est in senectute, qui fuit juvenis : nemo est mane, qui fuit pridie : corpora nostra rapiuntur fluminum more. Quidquid vides currit cum tempore : nihil ex iis quæ videmus, manet. Ego ipse dum loquor mutari ista, mutatus sum. Hoc est quod ait Heraclitus : In idem flumen bis non descendimus. » Plura recensui hac de re *Ezech.* II, 1.

AD MODICUM PARENS. — Modico tempore apparens : græce φαινομένη, *q. d.* Vita hæc est vapor, qui nullam habet soliditatem, nullam quasi substantiam et consistentiam, sed tantum apparentiam modicam et modici temporis : perinde ac spectra quæ in aere, et personæ ac larvæ quæ in comœdiis repræsentantur, nullam pene habent subsistentiam, sed sunt res duntaxat apparentes et fictæ, quæ proinde a Philosophis vocantur φαινόμενα, quales sunt parhelii, sive tres soles apparentes, aeris hiatus, halones, colores iridis, etc., de quibus Proclus in *Sphæra,* Aristoteles in *Meteorol.,* et Aratus in *Phænomenis* : hæc enim fiunt ex radiis solis in vapore et nube varie receptis, transparentibus et reflexis. Sic Augustus Cæsar moriens, omnem suæ vitæ pompam dixit esse comœdiam jam transactam. Audi Suetonium in ejus Vita, cap. XCIX : « Amicos admissos percunctatus, ecquid his videretur, mimum vitæ commode transegisse? » adjecit et clausulam : Δότε κρότον, καὶ πάντες ὑμεῖς μετὰ χαρᾶς κτυπήσατε, id est *date plausum, et omnes vos cum gaudio plaudite.* Finita enim comœdia, valedicendo spectatoribus dicunt actores : « Valete et plaudite. »

Vita est comœdia.

ET DEINCEPS EXTERMINABITUR. — In Græco est elegans et emphatica paronomasia inter φαινομένη, id est *parens,* et ἀφανιζομένη, id est *evanescens;* quasi diceret : Vita hæc est quasi vapor apparens et su-

pito disparens, ita ut nullum ejus vestigium cernatur, sed prorsus evanescat et exterminetur: hoc enim est ἀφανίζειν; unde Syrus vertit, qui *cito apparet et dejicitur ac evanescit*. Sapienter S. Antonius apud S. Athanasium : « Ad inertiam, inquit, calcandam Apostoli præcepta replicemus, quibus se mori quotidie testabatur : similiter et nos humanæ conditionis vitam ancipitem retractantes non peccabimus. Cum enim excitati a somno, ad vesperam nos pervenire dubitemus; et quieti corpora concedentes, de lucis non confidamus adventu, et ubique naturæ ac vitæ incertæ memores, Dei nos intelligamus providentia gubernari. Hoc modo non delinquemus, aut aliqua fragili cupiditate raptabimur; sed nec irascemur quidem adversus aliquem, nec terrenos congregare thesauros ambiemus : quin potius metu quotidiani recessus, et sejungendi corporis jugi meditatione, omnia caduca calcabimus. » Vis exempla?

Scribunt Plinius, lib. VII, cap. VII, et Valerius Maximus, lib. IX, cap. XII, Anacreontem poetam acino uvæ passæ pertinacius in faucibus hærente, Fabium vero senatorem unico pilo in lactis haustu gutturi transverso, strangulatos. Chilon Spartanus dum victorem Olympiæ filium amplectitur, præ gaudio inter filii amplexus animam efflavit, ait Plinius, lib. VII, cap. XXXII. Sophocles in certamine tragœdiæ victor renuntiatus, præ lætitia expiravit, ait Valerius, lib. IX, cap. XII. Clidemus dum victor auro coronaretur, repente obiit, ait Tertullianus, lib. *De Anima*, cap. LII. Diagoras cum tres filios eodem Olympiæ die vincere coronarique videret, illique coronas sibi detractas capiti patris imponerent, animam exhalavit, ait Gellius, lib. III, cap. XV. Ite nunc, mortales, qui tam fragilem ordimini texitisque vitæ telam, et Nestoris annos vobis promittite, cras morituri. Sapienter Tertullianus, *De Anima*, cap. LII : « Vis est et illa navigiis, inquit, cum longe a saxis, nullis depugnata turbinibus, nullis quassata decumanis, adulante flatu, labente cursu, lætante comitatu, intestino repente perculsu, cum tota securitate desidunt. Non secus naufragia sunt vitæ etiam tranquillæ mortis eventus. »

Dei providentiæ sua submittunt Christiani.

PRO EO UT DICATIS (refert hæc superius ad vers. 13 : « Ecce nunc qui dicitis : Hodie aut crastino ibimus in illam civitatem, » etc. *q. d.* Vos vestras actiones et lucra ita disponitis, quasi a nullo pendeatis, ideoque dicitis : Ibimus, mercabimur, lucrum faciemus; cum cogitare deberetis vitam, omnesque actus vestros pendere a nutu Dei, ideoque addere et dicere) : SI DOMINUS VOLUERIT; — ut hoc dicto Dei providentiam confiteamini, revereamini, invocetis, illique vos, vestraque omnia humili totoque corde subdatis et committatis. Ipse enim est vester Elohim, id est Dominus, creator, provisor, gubernator, conservator, protector, judex et vindex. Ita suis decretis et propositis addere solent : « Si Deus voluerit, » non tantum Christiani, sed et Judæi, Gentiles et Saraceni. Christiani ex doctrina S. Jacobi hic. Unde S. Augustinus in *Psal.* XXXII, conc. 1 : « Discite, ait, habere in corde, quod habet omnis homo in lingua : quod vult Deus. Ipsa lingua popularis plerumque est doctrina salutaris. » Ita S. Paulus, I *Corinth.* IV, 19 : « Veniam, inquit, ad vos cito, si Dominus voluerit; » et cap. XVI, vers. 7 : « Spero enim me aliquantulum temporis manere apud vos, si Dominus permiserit; » *Philip.* II, 19 : « Spero in Domino Jesu Timotheum me cito mittere ad vos. » Hæc ergo Christiana, hæc Paulina est vox : Faciam hoc Deo volente, si Dominus voluerit, permiserit, cum Dei ope, per gratiam Dei, etc.

Et Judæi.

Judæi. Ut Judas Machabæus initurus prælium ait : « Sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat, » I *Mach.* cap. III, vers. 60. Eadem est praxis et phrasis cæterorum Judæorum, ut aliquid facturi dicant : Si Deus voluerit; cujus originem ex Ben Syra narrat hic noster Serarius. Quidam, inquit, dicens : Cras inibo nuptias, monitus fuit ab amico, ut adderet : Si Deus voluerit. At ille : Sive, inquit, Deus velit, sive nolit, ego cras cum sponsa sedebo in thalamo meo : seditque cum ea tota die; nocte vero mortui sunt ambo. Quos cum mortuos invenissent, dixerunt : Vere dixit Ben Syra : Sponsa ascendit ad thalamum, neque novit quid acciderit sibi. Quicumque ergo cupit aliquid facere feliciter, dicat prius : Volente Deo; vel : Si Deus voluerit. Diserte Jeremias, cap. X, vers. 23 : « Scio, ait, Domine, quia non est hominis via ejus, nec viri est ut ambulet et dirigat gressus suos; » et cap. XVII, vers. 8 : « Benedictus vir qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus; » et vers. 14 : « Sana me, Domine, et sanabor : salvum me fac, et salvus ero : quoniam laus mea tu es. »

Et Gentiles.

Gentiles. Socrates suum Alcibiadem docuit ante opus dicere : « Si Deus voluerit, » ait Plato in *Alcibiade*. Vide Brissonium in *Formul.* lib. I, pag. 57, ubi ostendit has voces fuisse familiares Augusto, Ciceroni, Catoni, Ennio, etc. : Si Dii volent, Diis volentibus. Seneca, *epist.* 41 : « Prope, inquit, est a te Deus, tecum est, intus est. Ita dico, Lucili, sacer intra nos spiritus sedet, malorum bonorumque nostrorum observator et custos : hic prout a nobis tractatus est, ita nos tractat : bonus vir sine Deo nemo est. An potest aliquis supra fortunam, nisi ab illo adjutus, exurgere? Ille dat consilia magnifica et recta. » Et inferius : « Animum excellentem, moderatum, omnia tanquam minora transeuntem, quidquid timemus optamusque ridentem, cœlestis potentia agitat : non potest res tanta sine adminiculo numinis stare. » Idem, lib. IV *de Beneficiis*, cap. VI : « Unde tibi istum quem trahis spiritum? Unde istam, per quam actus vitæ tuæ disponis atque ordinas, lucem? Unde sanguinem, cujus cursu vitalis continetur calor? Unde ista palatum tuum saporibus

exquisitis ultra satietatem lacessentia? Unde hæc irritamenta jam lassæ voluptatis? Unde ista quies in qua putrescis ac marces? Nonne si gratus es, dices :

—— Deus nobis hæc otia fecit.
Namque erit ille mihi semper Deus : illius aram
Sæpe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus :
Ille meas errare boves (ut cernis), et ipsum
Ludere quæ vellem calamo permisit agresti. »

Et Turcæ. Saraceni et Turcæ toti a Dei voluntate quasi a fato pendent; ideoque in prælia et pericula præcipites cæcique ruunt. Aguntur enim hoc dilemmate : Aut Deus statuit me hoc prælio mori, hoc periculo obrui, aut non : si statuit, non possum evadere; si non statuit, ergo non moriar, non obruar. Nullum enim bonum, vel malum cuiquam evenire potest, nisi volente et immittente Deo. Sed paralogizant : Deus enim multa non statuit, nisi prævisa hominum libera dispositione, merito, vel demerito. Sic non statuit ut moriaris in prælio, nisi illi te ingesseris; non statuit ut periculo obruaris, nisi te sponte in illud conjeceris. Sed hanc argutiam Turcæ non capiunt. Quocirca Solymanus Imperator cum filium haberet refractarium et regimen turbantem, ac quidam e principibus consuleret, ut illum quasi perniciosum reipublicæ e medio tolleret, illico illi caput coram se præcidi jussit, eo quod non addidisset : « Si ita Deo placuerit; » nam postea ejus consilium secutus, filium interfecit. Ita refert P. Salmeron hic.

ET SI VIXERIMUS. — Agit contra superbos sibique præfidentes, nec Deo innitentes. His jubet addi : « Et si vixerimus; » ut memores fragilitatis suæ et mortalitatis, cristas ponant, ac a Deo se suaque pendere profiteantur. Nam alioqui fideles in omni sua deliberatione et proposito idipsum tacite subintelligunt : qui vero religiosiores sunt et modestiores, idipsum expresse addunt, exemplo angeli, qui ad Abraham ait : « Revertens veniam ad te tempore isto, vita comite, » *Genes.* cap. XVIII, vers. 10.

Parcæ symbolum fati. Idipsum monere et repræsentare voluerunt Gentiles, quando tres Parcas vitæ necisque nostræ præsides excogitarunt : quarum una colum gestabat lana obvolutum; altera fila sensim e lana deducebat, coloque agglomerabat; tertia denique cum fato præstitutum aderat temporis momentum, repente stamina secabat, vitamque præcidebat, juxta illud Poetæ :

Clotho colum retinet, Lachesis net, et Atropos occat.

Cicero, lib. III *De Natura Deorum*, Parcas Erebi et Noctis filias facit, et easdem fata esse existimat. Unde est illud Cleantis : « Ducunt volentem fata, nolentem trahunt. » Et Virgilius :

Concordes stabili fatorum numine Parcæ.

Huc subinde alludit Scriptura, ut Ezechias, *Isaiæ* cap. XXXVIII, vers. 12 : « Præcisa est velut a texente vita mea : dum adhuc ordirer, succidit me. » *Ezech.* cap. XXXVII, vers. 11 : « Periit fides nostra, et abscissi sumus. » Ubi nonnulli vertunt, « periit glomus noster, et succisi sumus. » Hinc prima dicta est Clotho, a circumvolvendi officio, eo quod contorta et coordinata omnia teneat : κλώθω enim Græcis idem est quod circumvolvo, glomero, contorqueo. Secunda dicta est Lachesis, id est sortitio, a λαγχάνειν, id est *sortiri*, quasi sortito vitæ spatia hominibus obtingant; hæc enim est quæ fila ducit. Martialis, lib. I, *epigram.* 89 :

Cum mihi supremos Lachesis perneverit annos.

Hujus item nominis vestigium in sacris monumentis reperimus. Nam ubi legitur in Hebraico textu, *Psalm.* XXX, 16 : « In manibus tuis tempora mea, » reddiderunt Septuaginta, *in manibus tuis sortes meæ*. Voluerunt nimirum sapientissimi viri (ut docte ibi observat Agellius) Parcarum fabulas corrigere, ad veramque sententiam traducere. Asserebant Poetæ spatia vitæ cuique, vel fato obtingere, aut sorte sua temere evenire; unde Parcarum unam Lachesim, hoc est sortitionem, appellabant. Hoc mendacium refutarunt Septuaginta, et sortitionem omnem in Dei manu esse dixerunt; ab eo vitæ spatia mortalibus tribui, ab eo propagari, ab eo denique pro æterno suo consilio arbitratuque finiri, licet sortito et quasi temere hominibus hæc accidere videantur, quia latentes in abdito deitatis pectore tantæ varietatis causas investigare non possumus. Tertia demum Parca vocabatur Atropos : ad verbum reddas *invertibilis*, aut, si latinius mavis, *inexorabilis*, implacabilis, inflexibilis; quia fatalis illa moriendi necessitas, ubi adest instans præstitutum, nullo modo flecti aut immutari potest. Unde Martialis, lib. III :

Lanificas nulli tres exorare puellas
Contigit : observant quem statuere diem.

Quocirca sapienter Seneca, *epist.* 61 : « Id ago, inquit, ut mihi instar totius vitæ sit dies : sic illum aspicio, tanquam esse vel ultimus possit. » Sapientius S. Gregorius, hom. 12 *in Evang.* : « Qui pœnitenti, ait, veniam spopondit, peccanti diem crastinum non promisit : semper ergo extremum diem debemus metuere, quem nunquam possumus prævidere, » juxta illud :

Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.

Præmonuit omnes Christus, dicens : « Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam, » *Matth.* cap. XXV, vers. 12.

16. NUNC AUTEM EXULTATIS IN SUPERBIIS VESTRIS. Vers. 16. — Græce ἀλαζονείαις, id est *jactantiis* et arrogantiis vestris, quibus jactatis vos hoc illove die hæc et ista facturos, tantas merces et lucra captaturos. *Secundo*, Glossa et Thomas Anglicus :

« In superbiis, » inquiunt, id est, in divitiis quæ faciunt superbos, et in quibus superbitis. « Vermis enim divitiarum est superbia, » ait S. Augustinus. Ἀλαζονεία enim est hominum plura quam præstare possint pollicentium, ait Ulpianus *in Demosthenem*. Hinc pro *exultatis* græce est καυχᾶσθε; vel, ut alii legunt, κατακαυχᾶσθε, id est *gloriamini* contra alium, puta Deum, quasi vestro marte tot vobis opes paretis. Facete Socrates irrisit Alcibiadem sua prædia jactantem, cum ei objecit tabulam cosmographicam Atticæ, petiitque illa sibi in ea ostendi : cum enim ea ostendere non posset : « Vide, inquit, quantula ea sunt, quæ in tantilla tabula ostendi nequeunt. » Ita Ælianus, lib. III *Variæ Histor.*

OMNIS EXULTATIO TALIS (græce καύχησις, id est *gloriatio*) MALIGNA EST, — suggesta a maligno spiritu, græce πονηρά, id est, *mala, improba est.*

Vers. 17. 17. SCIENTI IGITUR BONUM FACERE, ET NON FACIENTI, PECCATUM EST ILLI. — Tacite significat S. Jacobus fideles hæc sua monita scire, *q. d.* Credo vos hæc scire; quare moneo ut ea opere perficiatis. Sciens enim bonum quod Deus et lex præcipit, si illud non faciat, peccat, et ut reus a Deo punietur. Recte S. Ephrem ex hac sententia colligit, serm. *De Pœnitent.* : Si scienti bonum et non facienti, peccatum est illi; multo magis malum scienti et illud facienti, peccatum erit. S. Bernardus, serm. 36 *in Cant.*: « Scienti, ait, bonum et non facienti, peccatum est illi; ac si per similitudinem dicat : Sumenti cibum et non digerenti, perniciosum est ei. Cibus siquidem indigestus malos generat humores, et corrumpit corpus, non nutrit : ita et multa scientia ingesta stomacho animæ, quæ est memoria, si decocta igne charitatis non fuerit, et per quosdam artus animæ, mores scilicet atque actus, transfusa atque digesta, etc., reputabitur in peccatum, tanquam cibus conversus in noxios pravosque humores. Annon inflationes et torsiones in conscientia sustinebit, qui hujusmodi est, sciens videlicet bonum et non faciens ? »

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit perstringere divitum in pauperes sævitiam, insolentiam et luxum. Inde, vers. 7, pauperes et afflictos hortatur ad patientiam, exemplo Job et Prophetarum. Mox, vers. 12, vetat jurare, tristes jubet orare, lætos psallere, ægros ungi oleo, peccatores peccata sua confiteri. Denique, vers. 16, commendat studium orationis et salutis proximorum.

1. Agite nunc, divites, plorate ululantes in miseriis vestris, quæ advenient vobis. 2. Divitiæ vestræ putrefactæ sunt : et vestimenta vestra a tineis comesta sunt. 3. Aurum et argentum vestrum æruginavit : et ærugo eorum in testimonium vobis erit, et manducabit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus. 4. Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est a vobis, clamat : et clamor eorum in aures Domini sabaoth introivit. 5. Epulati estis super terram, et in luxuriis enutristis corda vestra in die occisionis. 6. Adduxistis, et occidistis justum, et non restitit vobis. 7. Patientes igitur estote, fratres, usque ad adventum Domini. Ecce agricola exspectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens donec accipiat temporaneum et serotinum. 8. Patientes igitur estote et vos, et confirmate corda vestra : quoniam adventus Domini appropinquavit. 9. Nolite ingemiscere, fratres, in alterutrum, ut non judicemini. Ecce judex ante januam assistit. 10. Exemplum accipite, fratres, exitus mali laboris et patientiæ, Prophetas qui locuti sunt in nomine Domini. 11. Ecce beatificamus eos, qui sustinuerunt. Sufferentiam Job audistis, et finem Domini vidistis, quoniam misericors Dominus est, et miserator. 12. Ante omnia autem, fratres mei, nolite jurare, neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum. Sit autem sermo vester, Est, est; Non, non : ut non sub judicio decidatis. 13. Tristatur aliquis vestrum? oret. Æquo animo est? psallet. 14. Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini. 15. Et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et, si in peccatis sit, remittentur ei. 16. Confitemini ergo alterutrum pec-

cata vestra, et orate pro invicem ut salvemini : multum enim valet deprecatio justi assidua. 17. Elias homo erat similis nobis passibilis : et oratione oravit ut non plueret super terram, et non pluit annos tres, et menses sex. 18. Et rursum oravit : et cœlum dedit pluviam, et terra dedit fructum suum. 19. Fratres mei, si quis ex vobis erraverit a veritate, et converterit quis eum : 20. scire debet quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum.

Vers. 1. 1. AGITE NUNC, DIVITES, PLORATE. — S. Jacobus, in fine cap. præced., taxavit divitum culpam, puta avaritiam et insolentem exultationem : hic eamdem reprimit assignando pœnam, puta miserias eis obventuras : unde quod cap. præced., vers. 3, hortatus est eos ad luctum et ploratum, hic perurget. Sicut enim faber insistit tonsioni ferri, donec illud ad arbitrium suum flectat et formet : ita et concionator diu multumque tundere debet dura et vitiosa hominum corda, ut ea ad pœnitentiam novamque vitam inflectat. Per divites accipe philodivites, id est, divitiarum cupidos et tenaces; sicut per sophos intelliguntur philosophi, id est, amatores sapientiæ. Qui enim cor non habent divitiis affixum, sed cœlo, ii divites licet sint censu, pauperes tamen sunt spiritu. Vocat tamen divites, quia divites solent esse philodivites : divitiæ enim sunt viscosæ, sibique cor possidentis illigant, ut sæpe eas cupiat per fas et nefas. Unde illud : « Dives, aut iniquus, aut iniqui hæres. » Hinc Thomas Anglicus divites explicat, in pecunia æque ac in peccatis. Nam, ut ait *Eccli.* XI, 11 : « Si dives fueris, non eris immundus a peccato. » Et Christus, *Luc.* VI, 24 : « Væ, ait, vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram. » Ubi ponderanda est particula causalis *quia*, juxta illud Epuloni dictum : « Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala : nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris. » Nam, ut ait S. Hieronymus, *epist.* 34, « difficile, imo impossibile est, ut præsentibus quis et futuris fruatur bonis; et hic ventrem, et ibi mentem expleat, ut de deliciis transeat ad delicias. »

Porro *væ* illud ploratum ciens, a Christo et Scriptura divitibus intentatum, non tantum est futuræ, sed et præsentis vitæ; quod explicans S. Cyprianus, lib. II, *epist.* 2, ait : « Hos inter divitias suas trepidos cogitationis incertæ sollicitudo discruciat : non cibus securo, somnusve contingit : suspirat ille in convivio, bibat licet gemma, et cum epulis marcidum corpus torus mollior alto sinu condiderit, vigilat in pluma : nec intelligit miser speciosa sibi esse supplicia, auro se alligatum teneri, et possideri magis quam possidere divitias. » Consentanee Ambrosius, lib. *De Nabuthe*, cap. XIV : « Bene, inquit, viros divitiarum appellavit David, *Psal.* LXXV, vers. 6, non divitias virorum, ut ostendat eos non possessores divitiarum esse, sed a suis divitiis possideri. » Recte item omnino Seneca, *epist.* 119 : « Sic divitias habent quomodo habere dicimur febrim, cum illa nos habeat. E contrario dicere debemus : Febris illum tenet. Eodem modo dicendum est : Divitiæ illum tenent, imo et torquent. » Acute observat S. Gregorius, expendens verba illius divitis, *Lucæ* XII, 17 : « Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos? » « O angustia, inquit Gregorius, lib. XV *Moralium*, XI, ex satietate nata! de ubertate agri angustiatur animus avari. »

Concludat S. Augustinus, tract. 9 *in Joan.* : « O homo, qui laboras, amando avaritiam, cum labore amatur quod amas : sine labore amatur Deus. Avaritia jussura est labores, pericula, tristitias, tribulationes; et obtemperaturus es. Quo fine? ut habeas quo impleas arcam et perdas securitatem. Securior forte eras antequam haberes, quam cum habere cœpisti. Ecce quid tibi jussit avaritia. Implesti domum, timentur latrones : acquisivisti aurum, perdidisti somnum. Deus sine labore cum amatur, acquiritur et tenetur. » Legendus omnino etiam ejusdem sermo vigesimus secundus *de verbis Apostoli*, ubi et de somno, quem capere tales nequeunt, plura ingerit.

PLORATE ULULANTES. — Syrus, *plorate et ululate.* Ululare proprie est luporum et canum cum rabida fame cruciantur : inde transfertur ad summas in extrema clade complorationes et ejulatus, quales solent esse feminarum cum hostis urbem capit, omniaque ferro et flamma vastat, *q. d.* O divites crudeles, more luporum fame rabidorum ululate; quia cum Titus vastabit Judæam, et magis cum Deus detrudet vos in tartara, extrema inopia, dolore et quasi lupina ac canina fame et siti cruciabimini, adeo ut in ardentissimis flammis cum divite Epulone postulantes vel guttam aquæ ad refrigerandam linguam, non sitis obtenturi, eo quod pauperibus fame et siti afflictis, panem et potum postulantibus negaveritis, imo mercedem operæ et labori ipsorum promissam debitamque fraudaveritis. Ita Hugo. Ita poetæ fingunt Tantalum quasi schema avari et avaritiæ, apud inferos siti torqueri et fame. « Mento summam aquam attingens siti enectus Tantalus, » ait Cicero, IV *Tuscul.*; et Virgilius, VI *Æneid.*, de Tantalo :

> Epulæque ante ora paratæ
> Regifico luxu; furiarum maxima juxta
> Accubat, et manibus prohibet contingere mensas.

Hinc Plato, in *Cratylo*, Tantalum dictum censet

quasi ταλαντατον, id est *infelicissimum*. *Secundo*, « ululate, o divites, » in tanta clade, sicut pueri et mulieres ululant in communi domus urbisve ruina, quia vixistis ut mulieres habentes cor affixum rebus vilissimis, puta terræ et luto. Unde S. Chrysostomus, hom. 25 *in Matth.* : « Nihil, ait, mulierosius quam vinci ab avaritia. » Quocirca Beda censet hic moneri divites, ut fletibus et eleemosynis inferorum supplicia redimant : « Divites enim qui pietatis et misericordiæ opera neglexerint, inquit, non modo visibilis gehennæ ignis cruciabit; sed etiam memoria inanium divitiarum, quibus suas culpas redimere potuerunt, et ante judicium animas eorum, et post resurrectionem etiam carnes exuret, cum sibi irasci cœperint, quare culpas eleemosynis non redemerint; unde dicitur diviti : Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua.»

IN MISERIIS (ἐπὶ, id est *super, propter* miserias) QUÆ ADVENIENT VOBIS — a vindice Deo, tum in hoc sæculo, tum in futuro. Miser dicitur qui omnem felicitatem amiserit, ait Isidorus, lib. X *Etymol.* Unde Œcumenius censet hic prædici excidium Hierosolymæ et Judææ, quo divites omnes tam Christiani quam Judæi bonis, libertate et vita spoliati sunt. Sic Prophetæ divitibus insolentibus sui ævi intentant cladem et captivitatem Babylonicam; ut Amos, VI, 1 : « Væ qui opulenti estis in Sion, et confiditis in monte Samariæ, optimates, capita populorum, ingredientes pompatice domum Israel. » Et Isaias V, 8 : « Væ qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis, etc. Numquid habitabitis vos soli in medio terræ? » Et Christus, *Lucæ* cap. VI, vers. 24 : « Væ vobis divitibus qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis. » Pathetice auctor serm. *ad Fratres in eremo*, tom. X. S. Augustinus, *serm.* 62 : « Cogitate, ait, fratres charissimi, ubi sint reges, ubi potentes, ubi amici, ubi parentes. Ecce quomodo de tanta potentia vel lætitia tanta provenit miseria et angustia : de tantis divitiis tot inopiæ; de tantis satietatibus tanta fames; de tam levi delectatione tam longa infirmitas; de tam brevi luce tam longæ tenebræ; de tam parva suavitate odoris vel luxuriæ, tanti dolores, ac fœtores damnationis perpetuæ; et de vestimentorum abundantia tanta nuditas. » Istas catastrophas sæpe Deus justus scelerum vindex facit in hac vita, uti oculis cernimus, et semper faciet in futura.

Miser quis?

Symbolice Hugo : Recte, ait, dicitur, *quæ advenient*; » quia miseria pœnæ veniet ad miseriam culpæ, ut simul conjungantur, et quamdiu durat culpa, duret et pœna; quia vero in inferno culpa perennis erit, sic etiam pœna. »

Vers. 2. 2. DIVITIÆ VESTRÆ PUTREFACTÆ SUNT. — Hæc est justa causa luctus et ploratus. Syrus, *opes vestræ corruptæ sunt, et fetuerunt*; ex corruptione enim oritur putredo, ex putredine fetor. Divites avari malunt sua frumenta, vina, panes, carnes, pisces, ova, etc., in arcis putrescere, quam ea dare pauperibus, iisque emere cœlestes et æternas opes, quæ sane ingens est stoliditas, æque ac crudelitas. S. Augustinus (vel quisquis est auctor), lib. *De Duodecim abusionibus*, tom. IX, inter duodecim hanc ponit quartam. *Prima* abusio, inquit, est sapiens, et prædicator sine bonis operibus; *secunda*, senex sine religione; *tertia*, adolescens sine obedientia; *quarta*, dives sine eleemosyna; *quinta*, femina sine pudicitia; *sexta*, dominus sine virtute; *septima*, Christianus contentiosus; *octava*, pauper superbus; *nona*, Rex iniquus; *decima*, Episcopus negligens; *undecima*, plebs sine disciplina; *duodecima*, populus sine lege. Hinc Seneca avaros vocat opum arcas, lib. *De Remed. fortuit.* : « Magnam, inquit, pecuniam habet, hominem illum judicas? arca est. Quis ærario, quis plenis loculis invidet? Et iste, quem dominum pecuniæ æstimas, pecuniæ loculus est. Multum habet : utrum avarus, an prodigus est? Si avarus, non habet; si prodigus, non habebit. Iste quem beatum credis, sæpe dolet, sæpe suspirat; multi illum comitantur : mel muscæ sequuntur, cadavera lupi, frumenta formicæ : prædam sequitur ista turba, non hominem. » Nam, ut ait Isocrates in *Æginetico* : « Multi pecuniæ, non hominis cognati sunt. »

Notat S. Chrysostomus, orat. *De Divit. et Pauper.*, pecunias græce dici χρήματα a χρῆσθαι, id est *uti*, quod iis utendum sit, illæque expendendæ in nostram et aliorum utilitatem : servi esse, asservare eas quasi in custodia; domini, eas expendere. Avaris ergo quasi servis χρήματα non sunt χρήματα, sed κτήματα ἀχρήσιμα, id est *possessiones inutiles*; imo χρία, id est *formicarum domicilium*. Quocirca idem Chrysostomus, hom. 15 *in Joannem*, prudenter monet, ut opes fugaces per manus pauperum in cœlum, quasi in asylum transmittamus, eas ibi post mortem reperturi. Et S. Augustinus, serm. 50 *De Tempore* : « Quid, ait, sunt pauperes, nisi laturarii nostri, id est bajuli? Das laturario tuo, ad cœlum portat quod das. » Et mox : « Perdes quod dedisti, sed sequeris quo misisti. Non sine thesauro remanebis, sed quos habebas in terra sollicitus, habebis in cœlo securus. » Et S. Ambrosius, lib. *De Nabuthe*, cap. XIV : « Custos, inquit, es, non dominus facultatum, qui aurum terræ infodis : minister utique ejus, non arbiter. Vende potius aurum, et eme salutem; vende lapidem, et eme regnum Dei; vende agrum, et eme tibi vitam æternam. » Et mox : « Nescis, o homo, struere divitias : si vis dives esse, esto pauper sæculo, ut sis dives Deo. Dives fidei, dives est Deo. Qui dives est in misericordia, hic dives est Deo. Dives in simplicitate, dives est Deo. Dives sapientiæ et scientiæ, dives est Deo. » Et cap. XV : « Quicumque igitur patrimonio suo tanquam possessione non utitur, qui largiri pauperi, et dispensare non novit, is suarum servulus est, non dominus facultatum : quia aliena custodit ut famulus, non tanquam dominus suis utitur. In

hujusmodi ergo affectu dicimus, quod vir divitiarum sit, non divitiæ viri. »

ET VESTIMENTA VESTRA A TINEIS COMESTA SUNT, — σητόβρωτα γέγονεν, id est, facta sunt tineosa, sive tineis obnoxia, puta talia ut a tineis rodantur, quibus pauperes nudos vestire debebatis, qui proinde in die judicii sceleratam vestram avaritiam accusabunt et damnabunt. Unde Œcumenius hæc referens ad sequentia : « Divitiæ, ait, vestræ, quas sicut ignem thesaurizastis, comedent carnes vestras : putredo autem divitiarum, et corrosio indumentorum a tineis, et ærugo auri et argenti contra vos testificabuntur, et avaritiam vestram arguent, quod nemini eas distribuere volueritis. Idcirco, inquit, in extremis diebus, adventus scilicet Domini, divitias vestras sicut ignem, in perniciem vestram reconditas et thesaurizatas reperietis. » Hinc avaris istis et tineosis Deus minatur se fore tineam eos corrodentem : « Et ego, inquit, quasi tinea Ephraim, et quasi putredo domui Juda, » *Oseæ* v, 12. Nota physice ex Plinio, lib. XI, cap. LIII : « Pulvis, inquit, in lanis et veste tineas creat, præcipue si araneus una includatur : sitit enim, ut omnem humorem absorbens, ariditatem ampliat. » Hinc Horatius, lib. II, *satyra 3* :

Cui stragula vestis,
Blattarum ac tinearum epulæ, putrescat in arca.

Quæ stultitia, quæ sævitia, dare vestes comedendas tineis, quibus in pauperes distributis, emisses cœlum? in quibus concilliasses tibi gratiam non tantum pauperum, sed et Dei cœlitumque omnium? Vere enim dicat fidelis illud M. Antonii : « Hoc habeo, quodcumque dedi, » teste Seneca, lib. VI *De Benef.*, cap. III.

Porro tineas a vestibus arcent herbæ odoriferæ iis oppositæ, ut lavandula, rosmarinus, mentha; aut amaræ, ut absinthium, teste Plinio, lib. XXVII, cap. VII; aut si olei amurca decocta cistam perlinas, teste Catone, lib. *De Re rustica*, cap. XCVIII. Ita mysticam tineam et cariem, id est, corruptionem animæ, quæ fit per otium et avaritiam, arcent odorata virtutum opera, et amara carnis mortificatio, et oleata charitatis et misericordiæ exercitia.

Moraliter, eleemosyna ditat, avaritia depauperat.

Moraliter nota : Sicut eleemosyna eleemosynarios efficit divites, uti patet ex Vita S. Joannis Eleemosynarii, et ex S. Chrysostomo, hom. 33 *ad Populum*, cujus hic est titulus : « Quod eleemosyna sit ars omnium quæstuosissima; » ita ex adverso immisericordia et avaritia avarum, licet divitem, depauperat, adeo ut opes ejus seipsas instar tineæ consumant : sicut feruntur pennæ aquilæ, si pennis aliarum avium misceantur, eas vorare et consumere. Solet enim Deus segetes, fruges et opes avarorum immissis locustis, tineis, aurugine, hostibus disperdere, juxta illud *Prov.* cap. XI, vers. 26 : « Qui abscondit frumenta, maledicetur; benedictio autem super caput vendentium. »

Ita Joannes Moschus in *Prato Spir.*, cap. LXXXV, narrat in monasterio abbatis Theodosii triticum omne fuisse corruptum, eo quod monachi consuetam et statutam a Theodosio eleemosynam, ob annonæ caritatem pauperibus subtraxissent, ac pro quingentis modiis, quos de more daturi erant pauperibus, quinque millia modiorum perdidisse. Unde abbas eos arguens : « Quantum, inquit, nobis ipsis nocuimus? Duo profecto mala egimus, unum, quia mandatum Patris nostri præterivimus; alterum, quia spem in Deum non habuimus, sed in horreo nostro. Vel ex hoc discamus, fratres, quia Deus est qui disponit omne genus humanum; quodque S. Theodosius invisibiliter pro nobis filiis suis curam sollicite gerit. » Noster Delrio, tom. II *Magic.*, lib. III, part. 1, Quæst. VII, ex Petro Bisaio narrat Suevum quemdam opulentum, instante annonæ caritate, coemisse omne frumentum, ut caro venderet : cumque pauperi illud solito pretio nollet vendere, pauperem ei diras imprecatum, atque illico visos fuisse nigros boves (utique dæmones erant specie boum) in horreo, qui omne frumentum absumpserunt. Idem de multis monasteriis legimus, imo vidimus, scilicet ea fuisse opulenta quamdiu liberales dederunt eleemosynas; at ubi eas restrinxerunt, Deum pariter restrinxisse suam manum, ac proventus annuos minuisse. Festive quidam cuidam hujus depauperationis causam perquirenti, hanc dedit : « Date, inquit, et dabitur vobis, » sunt sorores jugiter sibi associatæ a Christo, *Lucæ* VI, 38 : vos unam expulistis, nimirum « date; » sororem ergo expulsam secuta est soror altera, nimirum « dabitur vobis. »

S. Paulinus, Nolæ Episcopus, integram in mari perdidit navim frumento onustam, eo quod uxor ejus jussa dare pauperi panem qui unus domi erat reliquus, eum non dedisset; uti habet ejus Vita.

Memorabilius est quod scribit Sigebertus, et ex eo Baronius, anno Domini 605, omnia edulia navis cujusdam fuisse conversa in saxa, eo quod nauclerus pauperi petenti eleemosynam dixisset se in navi nil nisi lapides habere, ac pauper diras ei imprecatus, optasset omnia verti in lapides.

Exempla rara

Aliis prodigiis idipsum sæpe declaravit Deus, quibus opes et bona a se huic illive provinciæ data subtraxit, eo quod aliqui sibi solis tyrannice ea vindicarent, aut tributis ea onerarent. Audi tria talia recensentem Athenæum, lib. III. *Primum* : « Philarchus, inquit, scribit cum antea et nunquam et nusquam Ægyptia faba sereretur, aut sata cresceret, præterquam in Ægypto, Alexandro tamen, Pyrrhi filio regnante, in Epiri palude quadam enatam casu fuisse, ac toto biennio abunde fructus peperisse. Cum vero præsidium Alexander ibi collocasset, quo arcerentur, non ii tantum qui decerpere vellent, sed illi etiam qui eo commearent videndi gratia, exsiccatam fuisse paludem, et in posterum non solum ejus fabæ non genuisse plan-

tas, sed nec jam inde aquam in ea fuisse conspectam. »

Secundum accidit et in Epiro per miraculum. Nam procul a cæteris aquis rivulus, mari vicinus, gelidam aquam fundens emicuit, cujus potus ægris plurimum auxiliabatur, ideo confluentibus illo multis etiam e locis remotioribus, ut aquam biberent; Antigoni vero duces cum res principis administrare diligentius cuperent, et bibituros vectigalis nomine pendere quippiam jussissent, evanuit illa scatebra. »

Tertium: « In Troade cum antea cuivis permitteretur salem Tragasæum auferre gratis, mox ut Lysimachus inde salarium tributum exigi mandavit, illic postea nihil salis visum est. Admiratus id Lysimachus tributum remisit, continuoque sal rursum extitit. » Hæc Athenæus. Similia plura exstant in historiis. Avaritia ergo dona Dei aufert, et fontem divinæ liberalitatis exsiccat : quia non patitur Deus ut quæ ipse omnibus liberaliter erogat, a paucis usurpentur, onerentur aut restringantur.

Vers. 3. 3. AURUM ET ARGENTUM VESTRUM ÆRUGINAVIT, — custoditum in arca situm, et æruginem vel potius auruginem contraxit. Sicut enim æris vitium et corruptio dicitur ærugo, ac ferri ferrugo, sic auri dicitur aurugo. Verum sicut æs significat quamvis pecuniam, etiam auream et argenteam, quia prima veterum pecunia fuit ærea, teste Plinio, lib. XXXIII, cap. III, unde et ærarium vocatur gazophilacium; sic pariter ejus vitium vocatur ærugo. « Ferrum et æs, ait Philo, lib. *De Mundi opificio*, aliasque hujuscemodi naturas compertum habemus sua ipsa sponte exolescere, cum videlicet rubigo gliscens eas absumit instar morbi serpentis. » Sensus est, *q. d.* Vos, avari, aurum et argentum in arcis asservatis ut corrumpatur et æruginet; quare illud quasi idolum vestrum colitis, ac Deum verum spernitis, quia non vultis communicare ea quæ ipse voluit esse communia; sed pecuniam quasi numen quoddam custoditis et conditis in arca, adeo ut illam tangere et expendere non audeatis. Unde Apostolus avaritiam vocat « idolorum servitutem, » *Gal.* v, 20, et *Ephes.* v, 7 : vide ibi dicta. Hinc veteres pecuniam fecere deam, ac deos fecere Æsculanum et Argentinum, teste S. Augustino, lib. IV *De Civit.*, XXI. Unde Propertius, lib. III, *eleg.* 13.

Aurum omnes victa jam pietate colunt.

Hinc S. Basilius, hom. 7 *Contra divites avaros*, eos comparat gryphis et draconibus, qui generantur in locis ubi gignitur aurum, ut illud custodiant; uti narrant, vel potius fabulantur Poetæ.

Nota aurum et argentum vere æruginem contrahere. Id enim docet S. Jacobus hic, et Baruch, cap. VI, vers. 3 et 23, ac Sapiens, *Prov.* XXV, 4. Item experientia et ratio; quia sicut alia metalla, sic et aurum vetustate vitiatur, minuitur, consumitur : quod vitium vocat Jacobus æruginem; proprie tamen æruginem et rubiginem, id est, situm coloris icterici, sive viridis et humidi, contrahit æs et ferrum, non aurum et argentum, uti docet Plato apud Rhodiginum, lib. XIII, cap. XXI, et Sappho ita de auro canit : « Quia Jove prognatum aurum, ipsum neque tinea, neque cossus rodit; » et Plinius, lib. XXXIII, cap. III : « Super cætera, inquit, non rubigo ulla, non ærugo, non aliud ex ipso, quod consumat bonitatem, minuatve pondus, » scilicet tam facile et cito, ac fit in aliis metallis : ægre tamen et tarde consumitur quoque bonitas auri, et pondus minuitur. Rursum nota τὸ *ex ipso*, quia cætera metalla sensim ex se ejiciunt sordes et quasi fæces, uti oleum ejicit amurcam, quæ causant æruginem : aurum vero si purum sit, nihil sordium ejicit; aliunde tamen, puta ex terra locoque humido, viscoso, mucido, situm et mucorem æque ac quævis alia res contrahit; atque ex calce, vitriolo, aqua forti corrosionem et vitium quasi æruginem patitur, ut experientia constat. Denique aurum sæpe non est purum, sed aurichalco, aliaque re mistum, et tunc æruginem contrahere omnes consentiunt : imo qui cudunt monetam auream, auro miscent æs, ut illud colliget; idque ea proportione, ut undecim partes sint auri, duodecima sit æris. Hinc Festus censet aurum dici a custodiendo, quod scilicet se custodiat, aut custodiatur ab avaris : græce enim ὠρεῖν, *custodire* dicitur; unde et thesauri nomen. Alii aurum dici censent, quod mentes hominum avertat. Hippocrates ab inventore, quem vocatum dicit Auryon, putat dici aurum. Alii ab aurora, quod illi colore sit simile. Præclare Isidorus Pelusiota, lib. II, *epist.* 146 et 233, ostendit divitem dies noctesque tam dire cruciari, ut inferorum supplicium jam perpeti videatur. Jugi enim terrore agitatur dum latrones timet, potentiores veretur, famulis non credit; et aliquando a filiis non solum mortui, sed et vivi spoliantur. Auri etymon.

ET ÆRUGO EORUM IN TESTIMONIIS VOBIS (Syrus, *contra vos*) ERIT, — *q. d.* Ærugo in Dei tribunali testis erit vestræ crudelitatis et avaritiæ, taciteque vos accusabit et damnationis reos peraget, quod aurum vestrum malueritis corrumpi et perire potius, quam in pauperes expendere. Ita Cæsarius Arelatensis, *homil.* 2, agens de eleemosyna, ait se terreri hac Jacobi sententia : « Quia forte aliquoties, inquit, evenit, ut per negligentiam vestimenta mea, quæ debuerunt accipere pauperes, devorarentur a tineis : et timeo ne mihi ipsi panni ad testimonium proferantur in die judicii, secundum illud quod Jacobus Apostolus terribiliter increpat, dicens : Agite nunc, divites, plorate et ululate, » etc.

Præclare Seneca, lib. III *De Ira*, cap. XXXIII : « Avaritia, inquit, iterum sub terras refert quæ male egesserat. » Præclarius S. Basilius, hom. 7 *in divites avaros* : « Grandis profecto insania est, inquit, primum, in metallis aurum latitans omni diligentia in lucem proferre, ac ex humo reclu-

dere; deinde semel effossum rursus in terra occultare. Nam quicumque hoc facis, profecto et cor simul fodere videris; dicitur enim, *Matth.* VI, 21 : Ubi thesaurus tuus, ibi et cor tuum. » Congruenter S. Ambrosius, lib. II *De Jacob et Vita beata*, cap. VII : « Multi defosso auro incubant; aurum eorum sub terra, et cor eorum sub terra : cave ergo ne et tu cor tuum terræ vivus infodias.» Depingit hic S. Jacobus avarorum ingenium : quo plures corraserunt opes, eo illas amant ardentius, eo difficilius erogant in egenos, adeoque sibi putrescere malunt, quam aliis prodesse. Verissimum est illud S. Hieronymi *ad Paulinum* : « Avaro tam deest quod habet, quam quod non habet. » Et illud Senecæ, *epist.* 108 :

> Desunt inopiæ multa, avaritiæ omnia.
> In nullum avarus bonus est, in se pessimus.

Et illud P. Mimi : « Avarus nisi cum moritur, nihil recte facit; » moriens enim opes aliis iis usuris relinquit. Vere Horatius, lib. II *Carm.*, ode 2 :

> Crescit indulgens sibi dirus hydrops,
> Nec sitim pellit.

Quia nimirum, ut ait Ovidius, lib. I *Fastorum* :

> Creverunt et opes, et opum furiosa cupido :
> Et cum possideant plurima, plura petunt.

Sapienter itaque Seneca, lib. II *De Beneficiis*, cap. XXVII : « Eo majora cupimus, quo majora venerunt : multoque concitatior est avaritia in magnarum opum congestu collocata : ut flammæ infinito acrior vis est, quo ex majore incendio emicuit. »

MANDUCABIT CARNES VESTRAS SICUT IGNIS. — *q. d.* Quia vos ex avaritia permisistis æruginem manducare aurum; hinc pariter ærugo manducabit carnes vestras in gehenna : nam per quæ quis peccat, per hæc et torquetur, *Sapient.* XI, 17. Manducabit, inquam, non physice, sed moraliter; quia ejus demerito, ac propter illam ardebitis in igne gehennæ, ita tamen ut eo non consumamini, sed vivi semper ardeatis in æternum, uti ardet dives Epulo, *Lucæ* XVI, 24. Ærugo enim erit causa cur ignis gehennæ manducet, id est, urat et cruciet, carnes vestras. Hoc est quod ait Isaias, cap. L, vers. 11 : « Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis ambulate in lumine ignis vestri, et in flammis quas succendistis. »

Ita S. Gregorius Turonensis, *De Gloria Martyr.* CVI, narrat ex sepulcro cujusdam feminæ avaræ audita lamenta, et vocem dicentem se in igne aureo torqueri, eoque aperto Parochum vidisse aurum liquefactum cum sulfure in os defunctæ infundi.

Avari defuncti torquentur auro.

Et Jacobus de Vitriaco Cardinalis, in *Spec. exemp.*, dist. 9, cap. CCXVI, narrat quod, aperto sepulcro cujusdam usurarii, visi sunt bufones aureos ardentes per os ejus projicere, et de ventre iterum extrahere. Alii dicunt dæmones pecuniam in sartagine liquefecisse, et in os defuncti infudisse, dicentes cum clamore horribili : « Aurum sitisti, aurum bibe. » Notent hæc avari. Causa est, quod juste et congrue ignis avaritiæ punitur igne gehennæ, et ignis cupiditatis igne conflagrationis. « Avaritia enim, ait S. Basilius, hom. 15 *De avaritia*, malum est quod stare nescit aut quiescere, sed ignis naturæ simile. » Et mox : « Igne vehementior est, omnia continuando finibus suis occupat; ea quæ sunt vicini sibi aufert : mox ubi alium sortitur vicinum, et quæ illius sunt, ad se rapit. » Et S. Gregorius, lib. XV *Moral.*, cap. XII, alias X : « Avaritia, ait, desideratis rebus non extinguitur, sed augetur : nam mora ignis cum ligna quæ consumit acceperit, accrescit; et unde videtur ad momentum flamma comprimi, inde paulo post cernitur dilatari. »

Triplici ergo igne ardet avarus : *primo*, cupiditatis; *secundo*, curarum et sollicitudinum ardentium ad opes comparandas et augendas; *tertio*, gehennæ. Alludit S. Jacobus ad illud *Michææ* VI, 10 : « Adhuc ignis in domo impii thesauri iniquitatis, et mensura minor iræ plena. » Vide ibi dicta. Hinc et Syrus τὸ *sicut ignis* refert ad sequens, *thesaurizastis*; vertit enim, *ignem coacervastis vobis in dies extremos*. Quod Œcumenius sic explicat, *q. d.* Opes vestræ quas sicut ignem thesaurizastis, comedent carnes vestras, et in novissimis diebus, adventus scilicet Domini, reperietis opes vestras sicut ignem, in perniciem vestram reconditas et thesaurizatas.

Huc spectant exempla avarorum, qui auro suo puniti vel occisi sunt. Parthi, cæso Crasso, aurum in os occisi infuderunt, æque ac Tomyris, regina Scytharum, in os Cyri cæsi, dicens : « Aurum sitisti, aurum bibe. » Idem fecit Mithridates Aquilio Romano duci. Eodem supplicio avorum memoria Sigismundus Imperator mulctavit Philippum Florentinum, ducem suum contra Venetos, quod in Hungariam re infecta auro corruptus revertisset. Ita Sabellianus, *Enneade* IX, lib. IX.

Memorabile est quod scribit Haitonus Armenus in *Historia de Tartaria*, cap. XXVI. Anno Christi 1258, inquit, Caliphas, Babylonis rex, turrim habebat refertam auro, argento et variis lapidibus pretiosis : atque obsidione cinctus, ne thesauros attingeret suos, contempsit milites evocare. Verum expugnata demum urbe captus, et vinculis constrictus, in illam ipsam turrim, omni prorsus subducto cibo inclusus est : ea insuper objurgatione increpitus : « I nunc et famem depelle thesauris istis, quos tam avide sitisti. » Paulo post fame enectus, inter aurum et gemmas miserandum in modum expiravit.

THESAURIZATIS VOBIS (ad vestram damnationem) IRAM IN NOVISSIMIS DIEBUS, — *q. d.* Voluistis studiose coacervare aurum verum; at coacervastis non aurum, sed thesaurum iræ, et consequenter vindictæ Dei, puta thesaurum ignis inferni, ad quem ille vos damnabit in die judicii, ut eo ar-

datis per omnem æternitatem. Thesaurus notat tria : *primo,* ingentem copiam iræ et ignis; *secundo,* quod ea impiis reservetur in locis reconditis, puta in inferno, æque ac in mente et decreto Dei; *tertio,* quod ab olitano tempore, puta ab æterno, illa ipsis reservata et præparata sit : nam, ut ait Paulus Jurisconsultus, *de acquirendo rerum dominio,* L. *nunquam* : Thesaurus vocatur vetus quædam depositio pecuniæ, cujus non extat memoria, ut jam dominum non habeat; » thesaurus enim vox est Græca; dicitur enim quasi θέμενος εἰς αὔριον, id est, *repositus in crastinum,* id est, in futurum. Verum S. Bernardus, serm. *De Tripl. miseric.* : « Tibi, inquit (peccatorem alloquitur), thesauros iræ thesaurizas pro prorogatis thesauris misericordiæ, quos contemnis, et evacuas in misericordiam Dei; » imo vero pro denegatis thesauris misericordiæ, et exhibitis immisericordiæ, quibus pauperes vacuos a te abegisti. Denique vox thesauri significat avaros quotidie eum, contento et indefesso studio, per modicas additiones accumulare et augere, ita ut tandem in ingentem cumulum accrescat. « Tu minutatim imponis, sed postea cumulum invenies; attende minuta peccata quotidiana; de minutissimis enim guttis flumina implentur, » ait S. Augustinus, *Contra Advers. legis et Prophet.*, I. Idem, in *Psalm.* XLIX, docet justos omnia sua misericordiæ opera mittere in thesaurum cœlestem; impium vero opera mala, ut immisericordiæ, mittere in thesaurum gehennalem, qui eum post mortem exspectat.

Ita ex adverso Tiberius Imperator effusus erat in pauperes, ac Sophiæ Augustæ objicienti hac profusione minui fiscum, respondit : « Hic est magnus thesaurus, dicente Domino : Thesaurizate vobis thesauros in cœlo. Ergo de quo Deus dedit, congregemus per pauperes in cœlo, ut Dominus nobis augere dignetur in sæculo. » Ita factum : nam mox ingentem sub cruce defossum reperit thesaurum, uti narrat Gregorius Turonensis, lib. V *Histor.*, XIX.

Alludit Jacobus partim ad illud, *Deuter.* XXXII : « De vinea Sodomorum vinea eorum, et de suburbanis Gomorrhæ, etc.; fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile. Nonne hæc condita sunt apud me et signata in thesauris meis? » Partim ad illud, *Rom.* II, 5 : « Secundum duritiam tuam et impœnitens cor thesaurizas tibi iram, in die iræ et revelationis justi judicii Dei. » Illa enim Epistola ante hanc scripta est, imo hujus scribendæ fuit occasio, uti dixi in *Proœmio.* Sapientior fuit Job; qui libens pro Deo omnia sua perdidit, dixitque : « Nudus egressus sum de utero matris meæ, et nudus revertar illuc. » Quæ verba profunde expendens Origenes, lib. I *in Job* : « Non ridebit, inquit, de me diabolus. Nudus exivi de utero matris meæ, nudus ibo sub terram. Nihil habui cum venissem, nihil requiro cum iero. Nihil attuli natus, nihil hinc auferam sublatus. Nudus ibo, nudus peculio, sed et peccato; nudus divitiis, sed et impietatibus; nudus substantia, sed et injustitia : hæc enim substantiam consequitur. Non comitantur mecum neque malignitas, neque iracundia, neque superbia, neque cupiditas : nudus ero. Non sum ut illi de quibus dicitur : Quia non habuerunt tegumentum, inferno vestiti sunt : nudus malis omnibus ibo, bonis vero omnibus indutus, justitia vestitus, sanctitate circumdatus, charitate ornatus, misericordia et bonis operibus coronatus. Beati sunt, et beati erunt, o gloriose Job, qui te imitati fuerint, omnes qui post te cum fiducia potuerint dicere : Nudus exivi de utero, nudus et ibo in terram. Væ autem illis qui nudi venerunt, innumeris autem injustitiis et impietatibus prægravati ibunt in terram : tales vestientur calamitate et miseria, in die justi et personam non accipientis judicii Dei. »

Vers. 4. 4. ECCE MERCES OPERARIORUM, QUI MESSUERUNT REGIONES VESTRAS, QUÆ FRAUDATA EST A VOBIS, CLAMAT — in cœlum, poscens vindictam a Deo tam atrocis injuriæ : operarii enim pauperes sunt, et laborando per æstus et frigora exhauriunt suum succum et sanguinem : nec habent unde ea restaurent. Victitant enim ex mercede diurna : quare si ea illis negetur, fame, siti et nuditate perire debent tam ipsi, quam eorum conjuges et filii. Unde hoc peccatum comparatur homicidio *Eccli.* XXXIV, 27 : « Qui effundit sanguinem, inquit, et qui fraudem facit mercenario, fratres sunt. » Et VII, 22 : « Ne lædas servum in veritate operantem, neque mercenarium dantem animam suam. » Quocirca Deus Judæis præceperat, ut ante vesperam operariis egentibus debitam mercedem solverent : Non negabis, inquit, mercedem indigentis et pauperis fratris tui, sive advenæ qui tecum moratur in terra, et intra portas tuas est; sed eadem die reddes ei pretium laboris sui ante solis occasum, quia pauper est, et ex eo sustentat animam suam, ne clamet contra te ad Dominum, et reputetur tibi in peccatum. »

Idem refricat jubetque filio suo Tobias, cap. IV, 15; quin et Christus in parabola operariorum *Matthæi* XX, 8, jubet singulis vespere dari denarium diurnum.

Porro in voce *clamat* est catachresis et prosopopœia. Fingitur enim fraudatio mercedis esse persona tam crudelis, adeoque crudeliter in pauperes sæviens, ut ejus tyrannis et sævitia non tantum hominibus sit exosa, sed et Deo, atque fraudantes apud eum accuset, et contra illos ab eo postulet vindictam. Clamor ergo hic non est aliud quam enormitas et atrocitas sceleris, ut excusari vel occultari nequeat, quæ Dei aures et oculos verberat, eumque ad iram et vindictam impellit, adeo ut vincatur pietas Dei, ac punire cogatur, nec possit pœnam differre, ait Salvianus, lib. I *De Provid.*, cap. I et II. Sic terra oppressa dicitur clamare, *Job* XXXI, 38 : « Si adversum me terra mea clamat (petens vindictam pro justo suo domino,

quasi inique a me possessa, aut quasi non solverim operas mercenariis, justamque mercedem colonis), et cum ipsa sulci ejus deflent » hanc meam tyrannidem, qua colonis lacrymas fletumque excivi; «si fructus ejus comedi absque pecunia, et animam agricolarum ejus afflixi : pro frumento oriatur mihi tribulus, et pro hordeo spina. » Notent hoc principes, qui suos colonos vel subditos cogunt laborare gratis; item ministri principum, qui militibus non solvunt stipendia, itaque eos cogunt vel fame et ærumnis mori, vel furari et opprimere agricolas, vel rebellare; unde oritur periculum, et exitium reipublicæ, uti in Belgio sæpius oculis meis ingenti dolore conspexi.

Peccata quatuor in cœlum clamantia.

Porro quatuor sunt enormia peccata, quæ in Scriptura dicuntur clamare in cœlum. *Primum* est homicidium voluntarium, *Genes.* IV, 10 : « Vox sanguinis fratris tui (Abel, quem occidisti, o Cain) clamat ad me de terra. » *Secundum,* peccatum Sodomiticum, *Gen.* XVIII, 20 : « Clamor Sodomorum et Gomorrhæ multiplicatus est, » etc. *Tertium,* merces operariorum defraudata, ut patet hoc loco. *Quartum,* oppressio pauperum, *Exodi* II, 23 : « Ingemiscentes filii Israel propter opera vociferati sunt, ascenditque clamor eorum ad Deum ab operibus. » Et *Eccli.* XXXV, 18 : « Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt, et exclamatio ejus super deducentem eas? A maxilla enim ascendunt usque ad cœlum. » Sic Jeremias minatur Judæis captivitatem Babylonicam, eo quod servos suos oppresserint, cap. XXXIV, vers. 11; et Amos, cap. VI, vers. 6.

QUÆ FRAUDATA EST A VOBIS, — ἀπεστερημένος, id est, quæ ablata et erepta est a vobis sive per fraudem, sive per vim, sive per calumniam : quicumque enim damnum alteri injuste infert, quomodocumque id faciat, dicitur eum sua re defraudare. Syrus, *quam perverse denegastis.*

ET CLAMOR (græce αἱ βοαί, id est *clamores*) EORUM (qui messuerunt : hoc enim est Græcum θερισάντων) IN AURES DOMINI SABAOTH INTROIVIT, — *q. d.* Clamor eorum exauditus est a Deo, qui etiam eorum faciet vindictam. « Ingressio orationis acceptatio ejus est, » ait S. Augustinus in *Psal.* LXXXVII. Ex adverso : « Excommunicatur ab Ecclesia cœli oratio ejus qui ad pauperis clamorem obturat aurem, » ait Hugo Card. ibid. Porro τὸ *sabaoth* habet emphasim : Deus enim dicitur *sabaoth,* id est exercituum, puta angelorum, fulminum, grandinum, leonum, luporum, febrium, pestilentiarum omniumque creaturarum : hæ enim militant Deo, ut ad ejus nutum insiliant in ejus hostes, puta peccatores, eosque quasi carnifices plectant. Ita Deus sideravit Pharaonem et Ægyptios fulminibus et tonitruis in mari Rubro, eorumque opes et spolia dedit Hebræis, ut rependeret mercedem operum et laborum eis debitam, et injuste ab Ægyptiis negatam, juxta illud *Sapient.* X, 17 : « Reddidit Deus justis mercedem laborum suorum, etc.; inimicos autem illorum demersit in mare, et ab altitudine inferorum eduxit eos. Ideo justi tulerunt spolia impiorum, et decantaverunt : Domine, nomen sanctum tuum, et victricem manum tuam laudaverunt pariter. » Vide dicta *Exodi* XI, 2, et cap. XII, vers. 35.

5. EPULATI ESTIS, — ἐτρυφήσατε, id est, *deliciati estis.* Epulæ significant tum delicias et copiam ciborum, vinorum, odorum, florum, unguentorum; tum splendorem mensarum, lancium, scyphorum aureorum, argenteorum, etc., quibus irritatur gula, libido, ira, rixa omnisque cupiditas : unde epulas dictas volunt quasi edipulas, ab *edendo;* vel epulas quasi *epulentias* vel *opulentias,* quod non nisi opulentorum sint, ut patet in divite Epulone, *Lucæ* XVI, 19. Ita Isidorus, lib. II *Etymol.,* cap. I. Idipsum significat Græcum τρυφή, scilicet luxum et delicias. Unde *Sapient.* XIX, vers. 11 : « Postulaverunt, ait, escas epulationis, » græce τρυφῆς, id est cibos lautos, delicatos et exquisitos, quales habebat ille dives, *Lucæ* XII, 19, dicens animæ suæ : « Requiesce, comede, bibe, epulare. » In quæ verba scribens S. Basilius exclamat : « O verba stultissima! o dementiam singularem! Nam si porcinam habuisses animam, quid aliud enuntiare potuisses? Ita ne pecuinus es, ita bonorum animæ ignarus, ut eam exceptes carnalibus epulis? » Porro epulones sibi lauti et liberales, aliis parci et crudeles sunt, iisque non tantum eleemosynas, sed et mercedem labori debitam negant, ut corrogent opes quibus epulas instruant : unde apposite mercedi operariis negatæ Jacobus subjicit epulas, quasi causam et finem : comites ergo individuæ sunt epulatio et immisericordia, crapula et crudelitas. Audi Ezechielem, cap. XVI, 40 : « Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ : superbia, saturitas panis, et abundantia, et otium ipsius et filiarum ejus; et manum egeno et pauperi non porrigebant. » Et Jeremiam, cap. XXII, vers. 13, de Joakim rege Juda : « Væ, ait, qui ædificat domum suam in injustitia, et cœnacula sua non in judicio : amicum suum opprimet frustra, et mercedem ejus non reddet ei. » Et Amos, VI, 6 : « Bibentes vinum in phialis, et optimo unguento delibuti, et nihil patiebantur super contritione Joseph. »

Vers. 5.

Damna epularum. Primum.

Porro damna epularum sunt : *Primum,* hebetudo mentis : mens enim in epulis et ventre quasi sepelitur, unde ejus virtus et vigor enervatur. Quocirca Christus, *Lucæ* XXI, 34 : « Attendite, ait, vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate. » Et Osee, cap. IV, vers. 11 : « Fornicatio, et vinum, et ebrietas auferunt cor. » Vide ibi dicta. *Secundum,* quod capitis stomachique dolores, febres, paralyses, apoplexias et innumeros morbos concilient vitamque abbrevient. Unde illud vulgo tritum : « Plures occidit crapula, quam gladius. » Quocirca Antisthenes quodam prædicante lautitias : « Hostium, inquit, filiis contingat in deliciis vivere. » Ita Laertius, lib. VI, cap. I. Crates videns quemdam epulis impinguari : « O miser, inquit, desine adversus temet-

Secundum.

ipsum carcerem munire. » Ita Maximus, *serm.* 27. Rursum deliciæ gulam longa irritatione cruciant. Unde Cyrus Persa avo suo Astyagi lautam cœnam instruenti rogantique « annon cœna ista Medica melior esset Persica, » respondit : « Nequaquam, ave ; sed est multo simplicior et directior apud nos via ad satietatem, quam apud vos. Nam ad hanc nos deducit panis et caro : at vos eodem quidem quo nos, tenditis, sed per multas ambages sursum deorsum vagantes, vix tandem eo pertingitis, quo nos jamdudum perveneramus. » Ita Xenophon, lib. I. Huc spectat illud Dionysii, Siciliæ tyranni, apud Eusebium, lib. VIII *Præpar.*, cap. v : « Illis animalibus similes sumus, quibus comedendi bibendique non ad aliud, quam ad perniciem suam copia solet offerri. » Ardenter vero intonat S. Chrysostomus, hom. 54 *ad Populum Antiochen.* : « Tempus est belli, tempus certaminis ; tu vero sedes in deliciis ? Stat stridens dentibus adversarius, tu autem mensis vacas ? Christus fame tabescit, et tu voracitate temetipsum distendis ? Numquid mactandi sumus, quoniam nos ipsos saginamus ? » et Clemens Alexandrinus, lib. II *Pædagogi*, cap. I, circa medium : « Est autem valde a ratione alienum et inutile, et nequaquam humanum, pecudum more pinguefactum morti nutriri. »

Tertium. *Tertium*, quod epulonem ad paupertatem redigat. Hinc monet Sapiens, *Prov.* XXIII, 20 : « Noli esse in conviviis potatorum, nec in comessationibus eorum qui carnes ad vescendum conferunt : quia vacantes potibus, et dantes symbola, consumentur, et vestietur pannis dormitatio. » Heliogabalus, postea Imperator, cum deliciose viveret, reprehensus a quodam qui dicebat : « An non times ne post delicias pauper fias ? » respondit : « Quid melius, quam ut ipse mihi hæres sim, et uxori meæ ? » Ex epulis ergo oritur paupertas, ex paupertate furta, proditiones et eversiones urbium et rerum publicarum. Quocirca Lycurgus ex Sparta sustulit delicias omnemque luxum, teste Plutarcho in *Lacon.*

Quartum. *Quartum*, quod animi harmoniam dissolvat, faciatque protervum, procacem, litigiosum, rixosum, pugnacem. « Cui væ ? cujus patri væ ? cui rixæ ? cui foveæ ? cui sine causa vulnera ? cui suffusio oculorum ? Nonne his qui commorantur in vino et student calicibus epotandis ? Ne intuearis vinum quando flavescit, cum splenduerit in vitro color ejus : ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber, et sicut regulus venena diffundet, » *Proverb.* XXIII, 29. Quocirca vere S. Basilius, hom. *De Paradiso* : « Corpus, inquit ; abunde saginatum, et anima illi immersa, et ad peccandum proclivis facta, compendium quoddam est ad lasciviam et procacitatem, ac simul omnia ea quæ vetita sunt. » Ita Diogenes cognomento Cynicus, id est canis, vel caninus, roganti « qualis ipse esset canis, » respondit : « Esuriens, sum Melitæus ; satur, sum Molossus : » eo quod esuriens blandiretur, satur morderet, omnesque carperet. Ita Laertius, lib. VI.

Quintum. *Quintum*, quod hominem faciat ineptum ad vigilandum, laborandum, pugnandum, studendum, orandum, eumque reddat quasi bestiam et porcum, imo cadaver vivum, ut ait Sophocles in *Antigono* ; unde epulones et ebriosi incapaces sunt disciplinæ, monitionis, gratiæ divinæ, Sacramentorum et rerum salutis æternæ ; ut pene eorum salus sit desperata. Tota enim eorum mens, totus sensus est in palato et ore, non in corde. Deliciæ ergo non sunt aliud quam perditio sanitatis, temporis, honoris, castitatis, corporis et mentis. Deliciosi enim plus sapiunt palato quam cerebro, juxta illud :

Sunt quibus in solo est sapientia tota palato.

Quocirca Clemens Alexandrinus, lib. II *Stromat.*, cap. I : « Iis, inquit, qui ad luxum mensarum propensi sunt, et suos sibi morbos enutriunt, præest dæmon helluo maximus, quem ego non verebor appellare ventridæmonem, dæmonum autem pessimum et perniciosissimum. » Et inferius citat Platonem dicentem : « Mihi autem cum venissem, quæ illic beata vita dicitur, Italicis et Syracusanis mensis plena, nullo modo placuit, bis die saturum vivere, etc. Ex iis enim nullus homo, ex iis qui sunt sub cœlo, potest esse prudens, utpote qui mentem in ventre infoderit, similis pisci qui ὄνος, id est asinus, dicitur, quem dicit Aristoteles solum ex animalibus habere cor in ventre. Tales sunt ii qui in ventrem credidderunt, quorum Deus venter est, finis interitus, » ut ait Apostolus, *Philip.* III.

ET IN LUXURIIS ENUTRISTIS CORDA VESTRA. — « Luxuria » hic significat luxum epularum, vestium omniumque deliciarum : hisce enim enutriuntur et saginantur corda et corpora epulonum ; atque incitantur ad libidinem. Hoc enim significat vox Græca ἐσπαταλήσατε ; Syrus vertit, *sannas egistis*, per metalepsin, quia scilicet epulones ubi mero incaluerunt, solent lascivire, protervire, et in dicteria, scommata et sannas erumpere.

IN DIE OCCISIONIS (1). — Græca addunt ὡς, id est *sicut, q. d.* Continue epulati estis adeo splendide, quasi quotidie ageretis epulum solemne et diem festum, in quo solent Deo offerri et occidi victimæ, ex iisque convivium instrui, perinde ac si omnes dies essent festi et epulis destinati. *Secundo*, tollendo τὸ ὡς, id est *sicut*, uti tollit Noster, sensus est, *q. d.* Crebro instruxistis splendidissima convivia, in iisque vacastis ventri et veneri : ut taxet non tantum frequentiam, sed et nimium luxum conviviorum : dies enim occisionis est dies solemnis sacrificii et epuli, quo multæ mactantur pecudes, aves et pisces ad instruen-

(1) Allioli τὸ *in die occisionis* rectius interpretatur, *pecudibus mactandis similes*. Indicavit igitur Apostolus elegantissima hac locutione, quæ mala a divino numine imminerent, dum ii otio et luxu diffluerent.

dum magnificum convivium. Tales dies apud Gentiles erant Calendæ, Hilaria, Saturnalia, Charistia, Sponsalia, Repotia, Natalitia, ludi, triumphi aliique læti et celebres, quibus instruebant epulas sumptuosissimas.

Sic hodie nonnullis in locis ii qui de Magistratu sunt, perpetua quasi agitant convivia, eaque splendida, idque ex ærario non suo, sed communi populi, quod taxat hic Jacobus, tum quia excedunt in frequentia et splendore ferculorum; tum quia extruuntur ex labore et sudore pauperum; tum quia eos faciunt ineptos ad agitandum consilia et judicia, quæ illis ex officio incumbunt ad recte administrandam rempublicam; tum quia dant scandalum subditis, quibus prælucere debent exemplo modestiæ et sobrietatis. Sic alii privati festa Paschæ, Pentecostes, Nativitatis Christi celebrant pompa vestium et conviviorum, ad eaque se præparant multis diebus; ita ut negligant sacram confessionem, communionem et devotionem, etc., quia caro suffocat spiritum, in quos invehitur S. Bernardus, serm. 3 *De Adventu*.

Mystice, *q. d.* Epulamini et saginatis corpora vestra quasi hostias ad mortem, ut paretis epulum lumbricis et bufonibus, æque ac dæmonibus et gehennæ. Similes ergo estis porcis, qui saginantur ad mactationem, ait Theodorus Studita, *serm.* 37. Unde Syrus vertit : *In deliciis vixistis super terram, et sannas egistis, ac nutrivistis corpora vestra tanquam ad diem mactationis.* Sic ait Jeremias, cap. XII, 3 : « Sanctifica eos in die occisionis, » id est, destina et præpara eos ad occisionem, ut scilicet impii Judæi mactentur a Chaldæis : unde vers. 9, invitans bestias ad cadavera eorum devoranda quasi ad epulum solemne : « Venite, inquit, congregamini, omnes bestiæ terræ, properate ad devorandum. » Et *Psal.* XLIII, 22 : « Æstimati sumus sicut oves occisionis. » Et *Ezech.* XXXII, 4, de Pharaone : « Projiciam, inquit, te in terram, super faciem agri abjiciam te, et habitare faciam super te omnia volatilia cœli, et saturabo de te bestias universæ terræ. » Et cap. XXXIX, 3, de Gog et Magog : « Super montes Israel cades tu, et omnia agmina tua, et populi qui sunt tecum : feris, avibus, omnique volatili et bestiis terræ dedi te ad devorandum.

Alii permulti, τὸ *in die occisionis* referentes ad sequentia, explicant de Christo et Christianis, *q. d.* « In die occisionis, » id est Paschatis, quo occidere soletis agnum Paschalem, « addixistis et occidistis justum, » puta Christum verum agnum qui tollit peccata mundi. Ita Œcumenius, Beda, Hugo, Dionysius, Gagneius, Catharinus, Serarius, Salmeron et alii. Rursum simplicius : « Justum, » id est justos Christianos, occidistis in die publico et solemni, quem occisioni eorum destinastis, inquit Lyranus, ac denique me Jacobum cognomento Justum simili die mox occidetis.

Vers. 6. 6. ADDIXISTIS — morti : græce enim est κατεδικάσατε, id est *condemnastis*. Ita Syrus, unde sequitur *et occidistis*. Sic S. Gregorius, hom. 17 *in Evangel.* : « Ne apud justum judicem, ait, nostra nos taciturnitas addicat, » id est condemnet. Quin et Cicero *in Pisonem* : « Hujus ipsius domum evertisti, ait, cujus sanguinem addixeras, » effusioni scilicet, et morti. Perperam ergo Beda, Lyranus, Hugo, Dionysius et alii pro *addixistis* legunt *adduxistis*. Judæi enim ad Christum conversi (quibus directe hæc scribit Jacobus, ut patet cap. XI et seq.) per orbem sparsi multis in locis erant potentes, ut pecuniis testes et judices corrumpere possent ad condemnandos innocentes et justos, quin et ipsi in nonnullis urbibus suos habebant judices et magistratus.

ET OCCIDISTIS JUSTUM, — tum Christum, ut paulo ante dixi : unde græce est τὸν δίκαιον, *q. d.* illum justum, eximium scilicet, et antonomastice, qui est princeps et parens justorum omnium. Ita Œcumenius, Hugo et alii. Vel « justum, » scilicet S. Stephanum, qui fuit plenus fide et Spiritu Sancto, ac diaconus S. Jacobi; vel potius justum quemlibet. Est climax sive gradatio : crescit enim oratio, *q. d.* Vos, o divites, non tantum mercedem operariis negastis, sed et occidistis innocentes et justos per calumnias, falsos testes, corruptos judices, ut eorum bona invaderetis. Loquitur enim directe Christianis divitibus et avaris, ut patet ex præcedentibus, non Judæis Christicidis; nisi quis cum Beda dicat ad eos quoque indirecte extendi sermonem. Jacobus enim ita fideles instruit, ut infideles non negligat, sed eos satagat ad Christum convertere. Esto enim pontifices Hierosolymis agentes proprie occiderint Christum, tamen id fecerunt per plebem coram Pilato clamantem : « Crucifige, crucifige eum; » plebs autem hæc collecta erat ex Judæis toto orbe dispersis, ad quos scribit : hi enim convenerant Hierosolymam, ut ibi de more celebrarent Pascha.

Denique nonnulli pro *occidistis*, exponunt *expoliastis, deprædati estis*, ut ex ejus opibus et præda epulas vestras (de his enim egit paulo ante) instrueretis. Tam dira enim bonorum deprædatio, quæ pauperes sæpe fame et miseriis emori cogit, in Scriptura vocatur occisio, ut *Eccli.* XXXIV, 25 : « Panis egentium vita pauperum est : qui defraudat illum, homo sanguinis est; qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum. » Et *Jerem.* II, 34 : « In alis tuis inventus est sanguis animarum pauperum, » ubi de pauperum prædonibus loquitur. Similis locus est *Prov.* XXII, 22.

ET NON RESTITIT VOBIS, — exemplo Christi, de quo ait Isaias, cap. LIII : « Sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum. » Ita fecere Sancti patientes et Martyres. Unde Tertullianus, lib. *De Patientia*, cap. XIV, patientis os in adversis tacens, ait taciturnitatis honore signatum. Alludit Jacobus ad illud *Isaiæ* LVII, 1 : « Justus perit, et non est qui recogitet in corde suo. » Ita olim Je-

zabel per falsos testes occidit Naboth, ut ejus vineam occuparet, III *Regum*, XXI. Græce est ἀντιτάσσεται, in præsenti, *q. d.* Christus adhuc tacet, et non resistit vobis, o Judæi; sed post paucos annos resistet, rugietque ut leo, quando per Titum Hierosolymam et Judæam exscindet.

Martyr non resistit persecutori.

Christum ergo secuti sunt patientes et Martyres, qui tyrannis non restiterunt, etiam cum possent; imo ad rationem et lauream martyrii requiritur, ut non resistat, sed mortem pro Christo sponte acceptet, itaque voluntaria morte testimonium perhibeat fidei, eamque suo sanguine quasi obsignet, uti docet noster Lessius, lib. III *De Justitia*, cap. I, dub. 3. Hinc Theologorum est axioma : *Martyr non pugnat*. Milites ergo qui pro fide pugnantes occumbunt, agunt ut milites, et militum locum et coronam sortiuntur, non Martyrum. Hoc est quod de Martyribus canit Ecclesia :

> Cæduntur gladiis more bidentium :
> Non murmur resonat, non querimonia ;
> Sed corde tacito mens bene conscia
> Conservat patientiam.

Quocirco Thebæa legio duce Mauritio, cum posset resistere Maximiano Imperatori, noluit, sed depositis armis, ac positis genibus, jugulum ei præbuit. Idem fecerunt decem millia militum duce Zenone, ab eodem mactati Romæ ad Aquas Salvias : hi enim militibus non resistendo facti sunt Martyres.

Vers. 7. 7. PATIENTES IGITUR ESTOTE, — Græce μακροθυμήσατε, id est, *longanimes estote*. Convertit sermonem a divitibus affligentibus ad pauperes afflictos, *q. d.* Tolerate, o Christiani, cum videtis vos a divitibus avaris et superbis, etiam Christianis, opprimi, ac tam injusta et dira pati : licet enim diu videatur persistere eorum tyrannis et gloria, æque ac vestra oppressio et ærumna, durate tamen, quia brevi adveniet Christus justus judex, qui illorum tyrannidem acriter puniet, et vestram patientiam large remunerabitur.

USQUE AD ADVENTUM DOMINI. — *q. d.* Patientes estote per totam vitam usque ad mortem et judicium, tum particulare, tum universale : hoc enim alibi passim vocatur « adventus Domini. » Quare minus recte OEcumenius « adventum Domini » dici censet, quo Christus venit ad excidium Hierosolymæ per Titum et Vespasianum. Græce ἕως τῆς παρουσίας, id est, *usque ad præsentiam Domini*, *q. d.* Adveniet Dominus, seque præsentem vobis sistet, ac sua præsentia vos plane consolabitur.

ECCE AGRICOLA. — Exemplo agricolæ docet, quam debeant esse longanimes, simulque docet eos hac in re debere imitari agricolas, eorumque spe se solari, *q. d.* Sicut agricolæ multos magnosque subeunt labores arandi, serendi, sarriendi, occandi, etc., ob spem messis et fructuum, licet remotam et distantem, quam patienter et longanimiter exspectant, ideoque durant in continuis laboribus : ita et vos, o fideles, sustinete fortiter et longanimiter omnia adversa, præsertim quæ a divitibus et potentibus tot tantaque injuste patimini, spe mercedis et coronæ cœlestis quam dabit vobis Christus judex, ac licet ea differatur aliquantum, durate tamen in vestra tolerantia, quia veniens veniet, et non tardabit multum, *Habacuc* II, 3; juxta illud Christi promissum : « Ecce venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique juxta opera sua, » *Apocal.* XXII, 12. Vere Euripides apud Stobœum, *serm.* 55 :

> Agricolarum vita voluptatem capit,
> Dum tristitiam spe futurorum solatur.

Et Tibullus, *eleg.* 6, lib. II.

> Spes fovet agricolas, spes sulcis credit aratris
> Semina, quæ magno fœnore reddat ager.

Præclare S. Ambrosius in *Ps.* LXXII, quem inscribit : « De interpellatione David, » ad illud vers. 1, *Quam bonus Israel Deus*, etc. : « Bonus, ait, huic semper est Deus, qui novit, quo tempore metat : et ideo quasi bonus agricola, hic arat agrum suum quasi quodam rigidiore abstinentiæ vomere; hic stirpat quadam falce virtutum amputatrice vitiorum; hic stercorat humiliando se usque ad terram, sciens quia Deus de terra suscitat inopem, et de stercore erigit pauperem; hic custodit fructus suos, ut illic securius recondat. » Nec minus eleganter Chrysologus, *serm.* 103 : « Credamus quod crux nostri corporis sit aratrum; fides, semen; sulcus, sepulcrum; resolutio, germen; exspectatio, tempus : ut cum ver Dominici adventus arriserit, corporum nostrorum matura tunc viriditas vitalem resurgat in messem, nesciturum jam finem. » Quanta erit tunc et quam beata horum spiritualium agricolarum lætitia? O felices, inquient, labores, qui tam uberes nobis fructus protulerunt! *Isaiæ* IX, 3 : Lætabuntur coram te sicut qui lætantur in messe. *Psalm.* CXXV, 5 : « Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent, » etc. Stat nimirum fixa Apostoli sententia *ad Galat.* VI, 8 : « Quæ enim seminaverit homo, hæc et metet. » Et II *Cor.* IX, 6 : « Qui parce seminat, parce et metet : et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet. »

PRETIOSUM FRUCTUM TERRÆ. — « Pretiosum, » *primo*, quia fructus hic agricolis magni laboris et operarum stat pretio. *Secundo*, quia in se pretiosus est, utpote vitam hominis sustentans, roborans et recreans. *Tertio*, quia magno pretio venditur.

Notat Clemens Romanus, II *Const.* cap. ult., S. Jacobum et fratrem ejus Judam fuisse agricolas, ideoque sæpius exempla et similitudines mutuari ab agricultura. Sed hujus rei penes auctorem sit fides.

PATIENTER FERENS, — μακροθυμῶν, id est *longanimiter agens*, longanimiter laborans, longanimiter exspectans. Ita Tigurina, Pagninus et alii; unde

codices Græci addunt ἐπ' αὐτῷ, id est *in ipso*, id est, ipsum scilicet fructum exspectans; Syrus, *super ipsos*, scilicet fructus.

DONEC ACCIPIAT TEMPORANEUM ET SEROTINUM. — Græca addunt ὑετόν, id est *imbrem* et pluviam. Ita Syrus. Imber temporaneus, id est præproperus, est qui tempestive, puta in octobri, depluit jacta semente, ut eam faciat germinare; serotinus, qui sero, puta in aprili vel maio, ad maturandas fruges. Vide dicta *Jerem.* v, 24, et *Oseæ* vi, 4. Segetes enim suum habent diem, cujus quasi aurora et mane sunt germina, serum et vespera est messis. Porro omnis spes frugum omneque bonum agricolæ consistit in pluvia, sementi et messi opportuna, ut, cum hanc habet, videatur messem habere in manu. Unde Moses: « Aperiet, inquit, Dominus thesaurum suum optimum, cœlum, ut tribuat pluviam terræ in tempore suo, » *Deuter.* xxviii, 12. Quocirca nonnulli per temporaneum et serotinum accipiunt fructum de quo præcessit; ac per fructum temporaneum accipiunt præcocem et primum, per serotinum tardum et posteriorem. Sic sunt ficus præcoces in julio, et serœ in septembri. Sic in eadem arbore alia poma, pira, cerasa et pruna primo maturescunt, alia sero et tarde. Idem est in agris et segetibus. Ita Hugo, Thomas Anglicus, Salmeron, Fevardentius et alii.

Segetes suum habent mane et vesperam.

Unde mystice Beda hæc applicans patienti: Fructus, inquit, justi et patientis temporaneus est gloria animæ: hæc enim statim datur post mortem; fructus vero serotinus est gloria corporis: hæc enim dabitur sero, puta in fine mundi in die judicii. Rursus, temporaneus est augmentum gratiæ et justitiæ, quod illico datur in hac vita; serotinus, est corona cœlestis, quæ datur post vitam. Denique apposite ad priorem sensum de imbre: Imber temporaneus est gratia prævenians, serotinus est gratia subsequens, ait Hugo. Unde orat Ecclesia: « Tua nos, quæsumus, Domine, gratia præveniat et sequatur, ac bonis operibus jugiter faciat esse intentos. » Idem in tentatione, ariditate et desolatione orandum insinuat hic S. Jacobus.

Rursum, imber temporaneus est initium fidei et virtutis, puta inchoatio vitæ sanctæ; serotinus est ejusdem profectus et perfectio. Allegorice S. Hieronymus in *Jerem.* v, et Cyrillus in *Zachar.* cap. x, per « temporaneum » imbrem accipiunt vetus Testamentum, quia prius datum; per « serotinum, » novum Testamentum, quia serius datum, et quia nos ad perfectionem gratiæ et gloriæ perducit.

Vers. 8. 8. PATIENTES IGITUR ESTOTE ET VOS, — μακροθυμήσατε, id est, longanimes estote in patiendo injurias divitum et potentum, *q. d.* « Si agricolæ hæc patienter ferunt pro temporalibus fructibus, quanto magis vos pro æternis patientes esse debetis! Estote ergo patientes, et confirmate corda vestra, ut adveniente judice Christo læti et probati esse valeatis, » ait Anacletus Papa, *epist.* i. Simili comparatione athletæ, pugilis et stadiodromi Paulus incitat fideles ad constantiam in patiendo et certando: « Omnis, » inquit, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet; et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam, I *Corinth.* ix, 25. Sane si quis attente consideret dolores et labores quos subeunt agricolæ, athletæ, milites, opifices pro modico lucro, erubescet quod pro Deo et cœlo tam modica, tam frigide et ægre patiatur et agat.

ET CONFIRMATE CORDA VESTRA, — ut firmiter duretis in vestra tolerantia. Sic ait Apostolus: « Confortamini in Domino, et in potentia virtutis Dei. Induite armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli, » *Ephes.* vi, 10. Vide ibi dicta. Et David: « Exspecta Dominum, viriliter age; et confortetur cor tuum, et sustine Dominum, » *Psalm.* xxvi, 14. Antistropha huic Jacobi sententiæ est illa eodem ævo, iisdem fidelibus a S. Petro scripta *epist.* I, cap. v, 10: « Deus autem omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo Jesu, modicum passos ipse perficiet, confirmabit solidabitque. » Quæ sane miræ est consolationis; simulque docet *primo*, hanc confirmationem magis esse gratiæ Dei, quam nostrarum virium gratiæ Dei cooperantium; *secundo*, Deum post modicam tolerantiam, copiosam immittere consolationem et robur, quo nos in patientia et virtute perficit, confirmat et solidat, ut proinde in qualibet tribulatione et tentatione debeamus esse patientes et generosi, certo scientes, si id fecerimus, Deum illico affore, et omnem vim tribulationis elisurum, uti quilibet in seipso experitur.

QUONIAM ADVENTUS (παρουσία, id est *præsentia*) DOMINI APPROPINQUAVIT, — ut post brevem hanc vitam judicet et præmiet nostram patientiam. Sic Apostolus: « Ego, inquit, jam delibor, et tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex; non solum autem mihi, sed et iis qui diligunt adventum ejus, » II *Timoth.* iv, 6.

Vers. 9. 9. NOLITE INGEMISCERE, FRATRES, IN ALTERUTRUM, UT NON JUDICEMINI. — *q. d.* In injuriis et pressuris nolite nimis dolere et flere, impatientiam ostendere, murmurare et irasci vobis mutuo, ne propter impatientiam a Domino condemnemini: hoc enim significat græcum καταχριθῆτε, licet aliqui legant κριθήτε, id est *judicemini*, et ita legit Noster; sed *judicare* in Script. sæpe idem est quod condemnare per metalepsin.

Judicare idem quod condemnare.

Nota τὸ *in alterutrum*. Solent enim pauperes et afflicti, cum cor plenum habent dolore, erumpere in gemitus, ac queri nunc de divitum et fortunatorum nimia felicitate, potentia et tyrannide, nunc de sua injuria et afflictione, nunc de proximorum meliori sorte et conditione. Ingemiscendo

ergo divitibus obmurmurant, sibi sunt impatientes, proximis invident, itaque tandem de Deo queruntur, ejusque providentiam accusant, quod alios fortunet, se vero miseros efficiat et injuste opprimi sinat : quin et subinde injuriam passi ab uno, alteri innocenti similem inferunt iniqua talione, ut vel injuriam suam sarciant, aut socium in pœna sibi asciscant, itaque suum dolorem levigent; solatium enim est miseris in pœna habere socium, sed hoc manifesta est injustitia. Denique afflicti utrimque stimulante dolore subinde ingemiscunt, suasque injurias exponunt Deo, et apud eum se invicem accusant, postulantque vindictam : Deus autem non raro utrosque exaudit et punit. Hic ergo gemitus oritur ex impatientia : ejus auctor et choragus est diabolus. Nam, ut ait Tertullianus, lib. de *Patientia*, cap. v, « natales impatientiæ in ipso diabolo deprehendo jam tunc, cum Dominum Deum universa opera sua homini subjecisse impatienter tulit. Decepit homines, quia inviderat; inviderat autem, quia doluerat; doluerat, quia patienter utique non tulerat. » Ejus remedium assignat Apostolus, *Galat.* VI, 2 : « Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi. »

Gemitus est animi muliebris.

Porro gemitus signum est et effectus animi debilis, infirmi et feminei : « Omne enim invalidum natura est querulum, » ait Seneca. Veri enim fortes et generosi, quales fuere Martyres, in adversis et tormentis quibusque non gemunt, sed stant quasi incudes, imo exultant, triumphant, et tyrannos irrident, uti fecerunt Machabæi, II *Machab.* VII. Præclare S. Chrysostomus, hom. 5 *ad Popul.*, docet gemitum et tristitiam omnem esse inutilem, excepta ea quæ suscipitur propter peccatum : hujus enim ipsa proprium est remedium : « Pecunia, ait, quis mulctatus est; doluit, non emendavit. Filium amisit; doluit, non resuscitavit mortuum. Contumeliis affectus est; doluit, non revocavit contumeliam. Infirmatur; dolet, morbum non aufert, imo auget. At peccavit quis ; tristatus est, peccata delevit : nam quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur. Ergo tristitia tantum facta est propter peccatum, a quo nata est ; ideo ut tinea ipsum corrodit et absumit. »

ECCE JUDEX ANTE JANUAM ASSISTIT, — *q. d.* Christus judex e cœlo omnia vestra cominus intuetur, perinde ac si ante januam vestram apertam consistens, intueretur omnia quæ in domo vestra geruntur; nolite ergo ingemiscere in alterutrum, quia ipse uti videt vestras afflictiones et injurias, ut eas ulciscatur, ita pariter videt vestros gemitus et impatientiam, ut eam castiget. Sic dicimus litigantibus et pugnantibus : Quiescite ; nam prætor est ante ostium, qui vos comprehendet et in carcerem conjiciet. Hoc est quod ait Psaltes, *Psalm.* CI, 20 : « Dominus de cœlo in terram prospexit, ut audiret gemitus compeditorum, ut solveret filios interemptorum. »

Secundo, Christus « ante januam assistit, » id est imminet, brevique veniet ad judicium tum particulare, tum universale, quo vestram patientiam laudabit et coronabit, persequentium vero tyrannidem damnabit et puniet. Nam ex judicio particulari, quod cito adveniet, pendet sententia cujusque in judicio universali. Quidquid enim de me statuetur in morte, idipsum publice confirmabit Christus in die judicii, ut ratum et fixum sit per omnem æternitatem. Atque hac ratione verissimum est judicii diem prope esse respectu singulorum, adeoque illum cuilibet imminere. Ita S. Augustinus, epist. 80 *ad Hesichium* : « In quo, ait, quemque invenerit suus novissimus dies, in hoc eum comprehendet mundi novissimus dies : quoniam qualis in die isto quisque moritur, talis in die illo judicabitur. » Unde concludit : « Vigilare debet omnis Christianus, ne imparatum inveniat eum Domini adventus : imparatum autem inveniet ille dies, quem imparatum invenerit suæ vitæ hujus ultimus dies. »

Moraliter : Cum tentamur a concupiscentia ad peccatum, cogitemus : Ecce judex ante januam assistit : judex, inquam, qui acerrimus peccati est vindex. « Nobis magna est indita necessitas juste recteque vivendi, qui cuncta facimus ante oculos judicis, cuncta cernentis, » ait S. Augustinus in *Soliloq.*, cap. XIV, et Boetius, *De Consolat.*, lib. V, prosa 6. Addit S. Augustinus : « Sic gressus meos semitasque consideras, et die noctuque super custodiam meam vigilas, omnes semitas meas diligenter notans speculator perpetuus, velut si totius creaturæ tuæ cœli et terræ oblitus, tantum me solum consideres, et nihil sit tibi curæ de aliis : quia sicut unum totum simul perfecte consideras, sic singula quælibet; sic igitur super custodiam meam stas, sicut si omnium oblitus sis, et mihi soli intendere velis. »

10. EXEMPLUM ACCIPITE, FRATRES, EXITUS MALI LABORIS ET PATIENTIÆ. — « Exitum malum » vocat asperam Sanctorum mortem, ait Gagneius. Sic *Sapient.* III, 2, dicitur de Sanctis patientibus et Martyribus : « Visi sunt oculis insipientium mori, et æstimata est afflictio exitus illorum, et quod a nobis est iter exterminium, illi autem sunt in pace. » Sic Gentiles olim Christianos et Martyres vocabant βιοθανάτους, *biothanatos*, id est violenta morte morientes. Græce est κακοπαθεία, id est *malorum passio*, afflictio, dolorum perpessio, quæ summa est in violenta morte et martyrio, quod in veteri Testamento fortiter subierunt Abel, Isaias, Jeremias, Ezechiel, Zacharias, etc.; in novo Joannes Baptista, S. Stephanus, S. Jacobus Zebedæi, etc. Hortatur fideles ad patientiam et constantiam exemplo Martyrum tum veteris, tum novi Testamenti, ut illud velut speculum intueantur, et ad illud vitam suam conforment. Vers. 10.

Ita Alexander Magnus ad magna se incitabat legendo et considerando heroica facta Achillis, Alexandri Scipio, Scipionis et Alexandri Julius Cæ-

sar, teste Plutarcho in *Apoph. Rom.*, et lib. *De Profectu virtut.* Hoc est quod ait Paulus, *Hebr.* XIII, 7 : « Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem.» Et cap. XII, vers. 1 : « Ideoque et nos tantam habentes impositam nubem testium, deponentes omne pondus et circumstans nos peccatum, curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta.»

Quocirca recte ait S. Augustinus, serm. 47 *De Sanctis* : « Solemnitates Martyrum exhortationes martyriorum sunt, ut imitari non pigeat quod celebrare delectat.» Ita S. Justinus, *Apolog.* 1 et 2, testatur se fortitudine Martyrum conversum esse ad Christum. Vita enim et mors Sanctorum est quasi lex viva, quæ suis factis et moribus edicit quid facto opus, quid lex, quid Deus, quid religio velit. « In Sanctorum vita cognoscimus quid in Scriptura legere debeamus,» ait S. Gregorius, hom. 10 *in Ezech.* Hinc Philo, lib. *De Abraham,* ait leges scriptas esse commentarios vitæ Sanctorum. Vice versa S. Augustinus, lib. *De Mendacio,* cap. XV, docet vitam Sanctorum esse interpretationem Scripturarum. Vis exempl.

Rursum S. Gregorius, lib. XXV *Mor.*, VII, ait ignem olim jussum in altari ali lignis, ut significetur ignem charitatis nobis alendum per exempla Sanctorum. « Ignis enim iste, ait, in altari Domini, id est, in corde nostro citius extinguitur, nisi solerter adhibitis exemplis patrum et Dominicis testimoniis roboretur. » Et lib. XXVII, cap. V, vel VI, explicans illud *Psalm.* LXXV, 5, *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis* : « Ex æternis, ait, montibus Deus nos illuminat, quia per admiratam vitam Patrum præcedentium radio nos suæ claritatis illustrat. » Viderunt idipsum Gentiles : unde Æneas ad Ascanium filium, XII *Æneid.* :

> Te pater Æneas, et avunculus excitet Hector.

Et alius :

> Tunc bene fortis equus reserato carcere currit,
> Cum quos prætereat quosque sequatur, habet.

Nunquam Theseus nec Saronem, nec Procestem, nec Creontem tyrannum, nec bicorporem Minotaurum interfecisset, nisi sibi Herculis exemplum proposuisset, ejusque facinora factis exprimere decrevisset.

LABORIS. — Jam hæc vox non est in Græco, sed comprehenditur in præcedenti κακοπαθείᾳ, id est, *malorum passione.*

ET PATIENTIÆ, — μακροθυμίας, id est *longanimitatis.*

QUI LOCUTI SUNT IN NOMINE DOMINI, — dicentes : « Hæc dicit Dominus. » « Nomen » ergo significat personam, auctoritatem, jussum, voluntatem, instinctum Domini. Prophetæ enim inspirati a Deo promebant oracula et mandata Dei, non sua.

11. ECCE. — Hæc vox *primo* est nota admirationis, æque ac lætitiæ ingentis, quod per tantam miseriam perventum sit ad tantam gloriam, ait Thomas Anglicus. *Secundo,* est adhortantis ad imitandum Sanctorum patientiam, ut per eam eamdem cum illis coronam adipisci mereamur. Vers. 11

BEATIFICAMUS (beatos prædicamus ; Syrus, *damus illis* טוּבָא *tuba,* id est *bonum,* puta summum, hoc est beatitudinem) EOS QUI SUSTINUERUNT — exemplo Christi ; qui ait : « Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, » *Matth.* V.

Pro *qui sustinuerunt* græce est ὑπομένοντας, id est, *qui sustinent.* Ita Pagninus, Tigurina et alii ; sed Interpres legit ὑπομείναντας, in aoristo, id est, *qui sustinuerunt* : non enim quis in vita, sed duntaxat post mortem dicendus est beatus, uti aiebat Solon ad Crœsum. Hinc Ecclesia in Canone Missæ nullos Sanctos recolit et celebrat, nisi eos qui multa sustinuerunt martyresque obierunt, ut S. Petrum, Paulum, Jacobum, Andream, Laurentium, Cæciliam, etc. Jam enim patefacto per Christum cœlo, illico Martyres omnes e terra evolant in cœlum, ibique visione et gloria Dei beantur ; uti contra Calvinum, qui ait eos usque ad diem judicii dormire sub altari, docet Ecclesia catholica.

Martyres ergo fuere « feliciter infelices, » ait S. Augustinus in *Psalm.* CXXVII, quibus in passione martyrii tanquam vasculis fractis (ad instar militum Gedeonis, *Judic.* VII, 20) major eorum gloriæ fulgor emicuit, quæ impios Evangelicæ prædicationis inimicos, inopinata illis Christi claritate superavit, » ait idem Augustinus, Quæst. in lib. *Judicum,* cap. XX. Idem, lib. XIII *De Civit.*, VI : « Mors, inquit, cum sit pœna nascentis, si pro justitia pietateque pendatur, fit gloria renascentis. » Idem, serm. 26 *De Sanctis* : « Reddere, ait, debemus Martyribus honorificentiam, qui nobis salutem effusione sui sanguinis pepererunt, qui tam sacratam hostiam pro nostra propitiatione Domino se obtulerunt, præsertim cum dicat ad Sanctos suos omnipotens Deus : Qui vos honorat, me honorat ; et qui vos spernit, me spernit. Quisquis ergo honorat Martyres, honorat Christum ; et qui spernit Sanctos, spernit Christum Dominum nostrum. »

SUFFERENTIAM JOB AUDISTIS, — ὑπομονήν, id est *tolerantiam,* sustinentiam, patientiam. Producit e multis patientibus unum Job, quia ipse fuit speculum et exemplar singulare patientiæ, ut ait S. Hieronymus, *epist.* 103, quod Deus toti mundo omnibusque sæculis speculandum et imitandum proponere voluit. Unde Suidas, verbo *Job,* eum vocat « firmissimam columnam et incudem ; » S. Cyprianus, tract. *De Bono patientiæ,* « ad summum fastigium laudis patientiæ virtute provectum ; » S. Basilius, hom. 4 *De Gratiarum actione,* « adamantini cordis hominem, et ut scopulum in mari eminentem, et exemplum fortitudinis ; » S. Hilarius, in *Psalm.* LXVIII et CXVIII, « universa- Encomia S. Job.

rum passionum humanarum gloriosum et beatum victorem; » Tertullianus, lib. *De Patient.*, cap. XIV, « qui omnem patientiæ speciem adversus omnem diaboli vim expunxerit, » id est expresserit; « in quo Deus feretrum de diabolo extruxerit, vexillum de inimico gloriæ suæ extulerit; » S. Chrysostomus, homil. 25 *ad Popul.* : « Martyrem, imo multis Martyribus majorem. » Merito ergo beatificamus Job, qui tam multa generose et invicte sustinuit. S. Ambrosius, lib. II *De Interpell. Job*, II, 3 : « Job, ait, quasi athleta fortis in stercore sedens, in tantis vibicibus et sævis doloribus vulneris, totum corpus diris perfusus ulceribus, mysteria loquebatur : nec acquirendis propriæ remediis ægritudinis, sed sacris vacabat sermonibus. Fortiores itaque sermonis ægri hominis, quam illorum qui non ægrotabant. » Et mox : « Et quid dicam fortiorem inventum cæteris? fortior seipso inventus est. Fortior æger, quam cum sanus fuerat, secundum quod scriptum est : Virtus in infirmitate consummatur. Ergo et Job cum infirmaretur, tunc validior erat. Non enim ægrotabat animo, etsi doleret corpore : quia non erat in carne ejus anima, cujus passionibus non adhærebat; sed in spiritu, cujus virtute se texerat. Ideo ergo non carnis gemitus et corporis infirmitates, sed voces spiritus loquebatur, quibus urgeret, non quibus cederet. »

Quocirca exclamat S. Augustinus, serm. 103 *De Temp.* : « O virum putrem et integrum! o fœdum et pulchrum! o vulneratum et sanum! o in stercore sedentem et in cœlo regnantem! » Et S. Fulgentius, *epist.* II, cap. IX : « Beatus, inquit, fuit Job, cum in divitiis juste viveret; sed beatior, cum in paupertate justior extitisset. Beatus fuit, cum decem circumdaretur filiis; sed beatior, cum una cunctorum simul orbitate percussus, in Dei dilectione permansit immobilis. Beatus fuit in corporis sospitate, sed beatior factus est in vulnere : beatior etiam in acervo squaloribus pleno, quam in palatio marmoribus adornato. »

Job typus Christi. Allegorice : Job fuit expressus typus Christi patientis. Sicut enim Christus passus fuit in omnibus bonis corporis et animi, et a quovis hominum genere, ita et Job. *Primo* enim Job perdidit oves, boves, domum omnemque substantiam : Christus in passione bonis omnibus, quin et vestibus spoliatus nudus pependit in cruce. *Secundo*, Job septem filios perdidit : Christus omnes Apostolos et discipulos : hi enim, eo comprehenso, fugerunt. *Tertio*, Job percussus fuit ulcere a capite ad talos : Christus toto corpore, et in singulis membris acerbissimos dolores sustinuit. *Quarto*, Job ab amicis gravia probra sustinuit, vocatusque est impius, hypocrita, tyrannus, leo, tigris : Christus in cruce irrisus est quasi blasphemus, seditiosus, percussus a Deo. *Quinto*, Job ab uxore passus est maledicta : Christus passus est a matre non maledicta, sed compassionis tormenta. *Sexto*, Job passus est in animo mœrores, timores, scrupulos, anxietates : Christus in horto cœpit pavere, tædere, contristari et mœstus esse, adeoque in cruce exclamavit : « Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? » *Matth.* XXVII, 46. *Septimo*, in Job vexando et affligendo dæmon omnes suas vires exeruit : multo magis eas exeruit in Christum. *Octavo*, Job ab omnibus fuit derelictus, ita et Christus. *Nono*, Job hæc omnia sustinuit mira humilitate et constantia, cum esset princeps, imo rex Idumææ, uti docent Isidorus, Philippus, Beda et alii passim, Præfat. *in Job*, et satis colligitur ex eo, quod amici ejus fuerint reges, ut patet *Tobiæ* II, 43. Christus tanta passus est cum esset Rex regum, et Dominus dominantium. *Decimo*, Job omnes pene morborum et dolorum species sustinuit : ita et Christus vir fuit dolorum, quia vir amorum. Job enim laborasse plusquam triginta morbis, puta podagra, chiragra, ischiade, arthritide, dysenteria, incubo, marasmo, angina, fame canina, igne sacro, cancro, erysipelate, asthmate, phthiriasi, febri hectica, lepra, apostemate, tonsillis, pleuritide, gonorrhæa, satyriasmo, vigilia, dolore renum, vermibus, plagis Ægyptiacis, dolore costarum, visceribus putidis, ulcere pulmonum, scabie, lue venerea, animi deliquio, etc. (ex quibus nonnulli fuerunt desperati et mortiferi), ex ipsis Jobi verbis toto libro sparsis colligit noster Pineda in cap. II *Job*, vers. 7; sed de his ibidem tractandum erit.

Primo. Secundo. Tertio. Quarto. Quinto. Sexto. Septimo Octavo. Nono. Decimo. Jobi 30 morbi.

Quocirca apposite vocatus est איוב *Jiob*, latine et græce *Job*, id est dolens, gemens, ululans, ejulans, a rad. יבב *iabab*, quod Noster *Judic.* V, 27, vertit, *ejulare*, ut prima littera *aleph* non sit radicalis, sed hœmantica, id est ascitilia et formativa nominis, uti solet esse in nominibus Hebraicis, Syris et Arabicis (de quo vide nostrum Serarium in *Tobiæ* cap. II). Ita S. Gregorius, Chrysostomus, Hieronymus, Philippus Presbyter et alii in *Job* cap. I, vers. 1. Rursum *Job*, id est exosus, inimicitias patiens, a radice אהב *ahab*, id est inimicatus est, hostis fuit, adversatus est, quia scilicet tela omnia inimici, puta diaboli, in se excepit. Ita Origenes, hom. 14 in cap. XI *Josue*, et ex eo Pineda. *Tertio*, S. Cyprianus contra Judæos ait Job esse nomen Cyprium, et significare *charissimum Dei* : quia ejus amore constanter tanta sustinuit. Sic et hebraice אהב *ahab*, quo alludit איוב *Jiob*, significat *amare, diligere*. *Quarto*, alii deducunt a radice אוב *ob*, id est *pytho*, *divinus* : quia scilicet Job erat Propheta et oraculum Dei, ut littera *iod* sit inserta ex nomine tetragrammato *Jehova*, significans ipsius prophetiam esse ex Deo, non diabolo. Sic Abrahæ a Deo addita est littera *he* ex nomine tetragrammato, ac pro Abram vocatus est Abraham, ut significaretur Abrahæ cum Deo singularis conjunctio et amor, teste S. Hieronymo in *Quæst. Heb.* *Quinto*, איוב *Job*, per metathesin dicitur quasi אב *ab*, id est *pater*, prior, antiquus, doctor, inventor; יונה *iona*, id est *oppressionis*, passionis

Jobi etymon. Primum. Secundum Quintum.

et patientiæ. Rursum alludit ad אביון *ebion*, id est *pauper*, a radice *aba*, id est *voluit*, concupivit, desideravit; quia pauper, cum omnibus careat, omnia desiderat: a culmine enim opum et felicitatis Job dejectus est ad imam paupertatem et miseriam.

Porro tacite innuit hic S. Jacobus, afflictis et patientibus legendum esse librum Job, ut ex eo discant patientiam. Similis Jobo fuit Tobias, cæcitate percussus, « ut posteris daretur exemplum patientiæ ejus, » sicut et S. Job, *Tob.* II, 12. Præclare Prosper, I parte *Præd.*, cap. XXII : « Ex semine, ait, Esau Idumæa gens, in qua inter cæteros duces Job ille fortissimus athleta Dei enituit, in exemplum omnis patientiæ productus, ut agonistico certamine principem totius malitiæ diabolum superaret, fultus auxilio Dei. »

FINEM DOMINI VIDISTIS. — Syrus, *finem quem præstitit ei Dominus, vidistis.* « Finis » ergo hic est merces patientiæ, puta felicitas in quam desiit afflictio Jobi, dum paupertas transiit in opulentiam, infirmitas in sanitatem, ignominia in gloriam : reddidit enim Deus ei omnia duplicia, ac celebrem et gloriosum effecit toto orbe sæculisque omnibus, ut fontes suæ misericordiæ et liberalitatis in eum effudisse videatur. Ita Dionysius, Cajetanus, Catharinus, Salmeron, Serarius, Stevartius, Fevardentius et passim recentiores.

Tres filiæ Job quid significent?

Id significavit Job nominibus filiarum trium, quas sibi suisque restitutus genuit. Primam enim vocavit *Jemima*, id est diem; secundam, *Ketsia*, id est casiam; tertiam, *Kerenhapuch*, id est cornu stibii, *q. d.* Hæc omnia iis indo in monumentum utriusque fortunæ meæ, prosperæ et adversæ : quasi jam ex nocte et tenebris infelicitatis ad diem et lucem felicitatis, ex fœtore sterquilinii ad fragrantiam casiæ, ex sordibus ad nitorem et elegantiam quasi stibio depictus rediisset. Ita Olympiodorus, Vatablus et alii in *Job* cap. XLII. Unde pro *cornu stibii*, R. Abraham vertit, *cornu* vel *robur immutatum* (hoc enim Hebræis significat *Kerenhapuch*), scilicet ex infirmitate et adversitate commutatum in hanc fortitudinem et prosperitatem, pristina majorem. Septuaginta vero vertunt *cornu Amaltheæ*, id est cornu copiæ; fingunt enim Poetæ Amaltheam capram fuisse nutricem Jovis, e cujus proinde cornu Jupiter omnia bona in homines effunderet. Quare vere Prosper, I part. *De Promis.*, cap. XXII : « Job, inquit, dupla præmia victor accepit. Pugnantibus vero suis et sua gratia juvante vincentibus, centupla hic se daturum Dominus pollicetur, et vitam æternam in futuro sæculo largiturum. Quod in Valentiniano, Valentis fratre, vidimus impletum : qui dum pro Christo militiam tribunatus sprevit, hujus mundi regnum adeptus est, et verus Christi confessor vitam acquisivit æternam. »

Secundo, alii per *finem Domini* accipiunt mortem Christi in cruce, sive patientiam Christi usque ad mortem, et in morte perfectam consummatamque : quasi Jacobus jungat typum cum antitypo, puta Job cum Christo, duoque fidelibus afflictis contemplanda et imitanda proponat exemplaria patientiæ, Jobum et Christum; Christi enim patientia longe superavit patientiam Jobi : ut enim alia omittam, duravit usque ad finem vitæ ipsamque mortem, cum Jobi afflicti duraverit tantum septem annos, si credimus Olympiodoro et auctori *Catenæ Græcorum* in *Job* cap. XLII, vers. 19 (nam noster Pineda valde probabiliter censet, longe brevius fuisse calamitatis Jobi tempus : vide eum cap. II, vers. 7 et 8, sect. 12, num. 4); post eam enim successit felicitas usque ad mortem per annos 140, quibus fuit superstes, *Job* XLII, 16. Unde Guerricus abbas, serm. 3 *De Dominica Palmar.* : « Sufferentia namque Job, inquit, fuit usque ad reditum substantiæ; sufferentia Domini usque ad exitum vitæ. » Ita S. Augustinus, lib. *De Symbolo ad Catechum.*, cap. III, et *epist.* 120, cap. X : « Ut, ait, non talem remunerationem (qualem accepit Job) speraremus, quando mala temporalia pateremur, non ait : Sustinentiam et finem Job vidistis; sed ait : Sustinentiam Job audistis, et finem Domini vidistis; tanquam diceret : Mala temporalia sicut Job sustinete, sed pro hac sustinentia non temporalia bona sperate, quæ illi aucta redierunt, sed æterna potius quæ in Domino præcesserunt. »

Christus patientior Job? Cur?

Videre pro cognoscere.

Probat S. Augustinus hanc expositionem ex verbo *vidistis*; finem enim Christi multi illo ævo viderant; finem vero Jobi nemo. Sed ad hoc responderi potest, *videre* in Scriptura sæpe sumi pro cognoscere, sive id fiat visu, sive auditu, sive quo alio sensu, ut alibi ostendi. S. Augustinum de more sequitur Beda, Glossa, Hugo et alii. Hic sensus sublimis est, sed symbolicus : prior ergo litteralis videtur et genuinus, quem confirmat id quod sequitur : « Quoniam Dominus misericors est et miserator, » scilicet in Jobum, dum illi finem felicem tribulationum dedit. Idem enim est dum dicitur : « Finem Domini vidistis, » cum eo quod quasi causam reddens sui dicti, illico subdit : « Quoniam Dominus misericors est et miserator. »

Anagogice « finis Domini » est Christi resurrectio, ascensio, missio Spiritus Sancti, nominis exaltatio, gloria et cultus apud omnes gentes. Ita S. Augustinus verbis jam citatis, Serarius et alii. Rursum « finis Domini » est merces et corona gloriæ æternæ, quam Deus post mortem dedit Jobo, datque omnibus patientibus, de qua S. Cyprianus, lib. *De Mortalitate* : « Ad immortalitatem, ait, morte transgredimur, nec potest vita æterna succedere, nisi hinc contigerit emigrare : non est exitus iste, sed transitus. »

QUONIAM MISERICORS DOMINUS EST ET MISERATOR. — « Misericors » per habitum, « miserator » per actum quo continuo miseretur, adeo ut viscera misericordiæ suæ in Jobum et afflictos ad eos consolandos effundere videatur : unde pro *mise-*

ricors græce est πολύσπλαγχνος, id est *multum visceralis*, ex intimis visceribus commiserans, quem Hebraice vocant רחום *rachum* : σπλαγχνὰ enim sunt *viscera*.

Hæc verba significant de Jobo ad litteram hic agi, non de Christo, uti dixi, præsertim quia Christo homini ratione unionis hypostaticæ, et merito passionis, debita fuit resurrectio et gloria; licet misericorditer illi data dici possit hactenus, quod naturæ humanæ in Christo præcise spectatæ (seclusa scilicet unione cum Verbo) debita non esset, sed gratuito collata a Deo, æque ac ipsa unio hypostatica.

Cap. 12. 12. ANTE OMNIA AUTEM, FRATRES MEI, NOLITE JURARE, — *q. d.* Præ omnibus curate, ne temere juretis. Videntur enim multi fideles tunc æque ac nunc proclives fuisse ad juramenta, ac sibi induxisse habitum jurandi. Quare ut hanc proclivitatem et lapsum linguæ, ex vitiosa consuetudine contractum, emendet et corrigat Jacobus, monet ut majorem curam et custodiam adhibeant linguæ ne jurent, quam ulli alteri vitio : qui enim uni vitio valde addictus est, illi præ cæteris invigilare debet, si illud corrigere velit, ac circa illud facere examen particulare.

Minus ergo genuine explicat Lyranus, *q. d.* Ante omnia nolite jurare, hoc est, omnibus dictis vestris nolite, ut soletis, præponere juramentum; sunt enim nonnulli ita faciles ad jurandum, ut ante tertium quodlibet verbum jurent.

Juraro licet Christiano.

Alludit Jacobus, imo citat illud Christi *Matth.* cap. v, vers. 34 : « Ego autem dico vobis, non jurare omnino, neque per cœlum, » etc. Ex quibus verbis perperam colligunt et docent Anabaptistæ, Wiclef (cujus hac de re error damnatus est in Concilio Constantiensi, *sess.* VIII), et olim Waldenses, ac Pelagiani, teste S. Augustino, *epist.* 8, Quæst. V (ubi ridet eos, quod putarent se tantum jurare, si dicerent : « Per Deum, » non autem dicendo : « Testis est mihi Deus ») , nullum juramentum Christianis esse licitum. Favere videtur S. Chrysostomus et Theophylactus in *Matth.* v, et Œcumenius hic, qui dicunt juramentum omne Christianis vetari a Christo; Judæis vero ut imperfectis fuisse permissum, æque ac libellum repudii. Sed hi Patres benigne exponendi sunt, ut tantum velint dicere, Christianis a Christo severius prohiberi juramentum quam Judæis : illos enim ob consuetudinem jurandi non tam acriter fuisse castigatos et punitos a Deo, ut castigantur Christiani a Christo.

De fide ergo est, licere quandoque Christianis jurare. Sic enim juravit Paulus, II *Corinth.* I, 23 : « Testem Deum invoco in animam meam. » *Philip.* I, 8 : « Testis est mihi Deus. » Ac angelus *Apoc.* X, 6, jurat per viventem in sæcula sæculorum. Quin et Deus, juxta illud *Psalm.* CIX, 4 : « Juravit Dominus, et non pœnitebit eum. » Ratio est, quia juramento honoratur Deus tanquam prima et infallibilis veritas, quæ in testem vocatur. Est ergo juramentum actus religionis et latriæ, si, ut docet Jeremias, cap. IV, vers. 2, fiat « in veritate, » scilicet ne juretur falsum; « in justitia, » ne juretur injustum et malum; « in judicio, » ne juretur temere et sine magna utilitate, aut necessitate : « judicio enim caret juramentum incautum, veritate juramentum mendax, justitia juramentum iniquum, » ait S. Thomas, II II, *Quæst.* LXXXIX, art. 3.

Dices : Quomodo ergo Christus sancit : « Ego autem dico vobis non jurare omnino? » Respondet S. Bernardus, serm. 65 *in Cantic.*, non jurare omnino esse consilium, non præceptum. Alii fatentur esse præceptum, sed vetans tantum ne juretur per creaturas, idque ne decus primæ veritatis iis detur, et Deo adimatur : id innuit S. Hieronymus in cap. v *S. Matth.* Alii per *jurare* intelligunt pejerare. Verum hæc omnia aliena, aut contorta videntur, et refelluntur ex verbis quæ subdit Christus, *Matth.* v.

Quæ juramenta vetet Christus?

Pro responsione ergo nota duplicem a Christo perstringi errorem Pharisæorum. Prior erat *Exod.* cap. XX, vers. 7, ubi dicitur : « Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum, » tantum prohiberi perjurium, non juramentum leve et vanum : Hebræa enim vox שוא *scau*, quam Noster vertit *vanum*, significat etiam *mendacium* : mendacium autem in juramento est perjurium. Imo Rabbini censent ibi tantum vetari, ne quis pronuntiet nomen *Jehova*, præter summum pontificem; quod sane ridiculum est. Posterior, licitum esse per creaturas temere jurare et pejerare. Id enim Pharisæos sensisse patet, *Matth.* XXIII, 17. Christus utrique errori opponit vocem *omnino*, *q. d.* Ego autem dico vetoque non tantum jurari falsum, sed et verum, sive id fiat dicendo per Deum, sive per templum, sive per aliam creaturam : intellige ad mentem Pharisæorum, « leviter et temere, » uti fit in communi hominum sermone. Vult enim Christus docere, teste S. Augustino et Chrysostomo, malam esse propensionem ad jurandum; et juramentum, licet in se bonum sit, oriri tamen a malo (puta ex incredulitate hominum, qui non credunt nisi juretur), nec esse per se appetendum; itaque non jurandum omnino, nisi malum hoc cogat, idque *primo*, ne ex assuetudine jurandi labamur in perjurium, uti monet Ecclesiasticus, cap. XXIII, vers. 9 et 12. Ita S. Augustinus, *epist.* 154 : « Nolite, ait, jurare omnino, propterea mihi dictum videtur, non quia verum jurare peccatum est, sed quia pejerare immane peccatum est, a quo nos longe esse voluit, qui omnino ne juremus admonuit. » *Secundo*, quia reverentia nominis divini hoc postulat. *Tertio*, quia ea deberet esse fides et veritas Christianorum, ut injuratis credi posset, et de facto crederetur, inquit Clemens Alexandrinus, lib. VII *Strom.* Sic apud Romanos flamini Diali jurare non licebat, quod indignum videretur ei non credi, cui credita essent divina, ait Plutarchus in *Problem. Roman.* in XLIII, ubi est

addit : Juramentum homini libero pro tormento est. » Romani enim a servis veritatem per tormenta extorquebant, a cive per juramentum, a sacerdote per solum verbum.

S. Jacobus ergo exemplo Christi vetat « quodcumque juramentum. » *Primo,* quia, ut ait S. Augustinus, serm. 28 *De Verb. Apost.* : « Falsa juratio exitiosa est, vera juratio periculosa est, nulla juratio secura est. » *Secundo,* quia vult ut, quantum in te est, non affectes, non ames, nec quasi bonum cum aliqua delectatione appetas jusjurandum, ait S. Augustinus, cap. XV *De Mendacio. Tertio,* quia jurare in se est quasi malum morale ad irreverentiam erga Deum spectans, sed necessarium in hoc statu naturæ lapsæ et corruptæ, uti malum in se est hominem occidere; sed sicut hoc (occidere) subinde ubi adsunt debitæ circumstantiæ licet, imo est laudabile, sic et jurare, si fiat cum veritate, justitia et judicio, nimirum ut non fiat libenter et leviter, sed tantum quia illud extorquet alterius incredula diffidentia. Unde S. Thomas, *Opusc.* IV, ait « juramentum non aliter ac medicamentum, non nisi cogente necessitate usurpandum. » In paradiso ergo non licebat jurare, uti nec licet in cœlo. Tanta enim est majestas nominis Dei, ut illud in testem vocandum non sit, nisi cogat necessitas. Quare id facere ultro ob res parvas et viles, vile est, irreverens et injurium Deo, perinde ac injurium esset regi, si quis eum pro uno aureo citaret et vocaret in testem. Unde Aristoteles, I *Metaph.,* cap. III, ait « juramentum esse summo honore dignum. »

NEQUE PER COELUM. — Nam, ut jam dixi, Scribæ, Pharisæi et similes censebant juramentum per creaturas non esse juramentum, nec obligare. Audi Christum, *Matth.* XXIII, 16, increpantem Pharisæos : « Væ vobis, duces cæci, qui dicitis : Quicumque juraverit per templum, nihil est. » Sed iidem, avaritia excæcati, excipiebant ea quæ oblata Deo, ipsorum loculos implebant, quasi hæc sola sanctissima haberentur; ideoque si quis per ea jurasset, juramento suo obligaretur. Unde subdit Christus : « Qui autem juraverit in auro templi, debet. Stulti et cæci, quid enim majus est, aurum, an templum quod sanctificat aurum? Et quicumque juraverit in altari, nihil est; quicumque autem juraverit in dono quod est super illud, debet. Cæci, quid enim majus est, donum, an altare quod sanctificat donum? » Rationem deinde dat a priori, quod nimirum qui jurat per creaturam, tacite ex communi hominum sensu juret per Creatorem, qui est auctor et conservator creaturæ : « Qui ergo, ait, jurat in altari, jurat in eo et in omnibus quæ super illud sunt? Et quicumque juraverit in templo, jurat in illo et in eo qui habitat in ipso. Et qui jurat in cœlo, jurat in throno Dei et in eo qui sedet super eum, » ac proinde vere et proprie jurat Deumque in testem vocat, atque juramento suo obligatur, perinde ac si per Deum immediate jurasset. Et *Matth.* V, 34 : « Ego autem dico vobis non jurare omnino, neque per cœlum, quia thronus Dei est; neque per terram, quia scabellum est pedum ejus; neque per Hierosolymam, quia civitas est regis magni; neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum, » *q. d.* Ne putes licere jurare per caput tuum quasi illud sit tuum, tibique pleno dominio ad quemvis usum subditum; quia tuum non est, sed Dei : si ergo per caput tuum juras, juras per Deum qui illud tibi dedit. Alioqui enim qui per se caputque suum proprie juraret, nec intenderet jurare per Deum, sed per se solum, esset idololatra; quia seipsum faceret primam atque infallibilem veritatem, et consequenter Deum.

Jurans per creaturam jurat per Creatorem.

SIT AUTEM SERMO VESTER : EST, EST (græce ναί, ναί, id est, *certe, certe;* Pagninus, *etiam, etiam*), NON, NON. — *q. d.* Sermo vester sit simplex affirmatio aut negatio sine juramento, ut quod est, dicatis simpliciter esse; quod non est, non esse. Ita Œcumenius. Aut, *q. d.* Pro juramento utimini constanti et gemina asseveratione dicendo : « Est, est; » aut constanti et gemina negatione dicendo : « Non, non. » Vide de hac phrasi dicta II *Cor.* cap. I, vers. 17.

Religio juramenti quanta.

Sane ea deberet esse hominum, præsertim fidelium sinceritas, probitas et fides, ut eorum simplici assertioni aut negationi crederetur. Ita Isocrates ad Dæmonicum : « Decet, ait, bonos viros fideliores exhibere se juramento, tantumque jurandum est ut te crimine, vel amicum gravi periculo liberes, non autem ob pecuniam. »

Solon tantam aiebat hominibus inesse debere probitatem, ut non opus esset ligare eos juramento, teste Maximo, *serm.* 33. Socrates dicebat « bonos viros decere eos mores ostendere, qui essent juramento firmiores, » teste Antonio in *Melissa,* part. II, serm. 63.

Ita Clinias, familiaris Pythagoræ, maluit tria talenta pro mulcta solvere, quam jurando mulctam evadere, uti refert S. Basilius, serm. *De Utilit. ex lib. Gentil. capienda.* « Esseni (qui fuere primi e Judæis Christiani) omne quod dicunt, juramento fortius habent, » ait Josephus, lib. II *Belli,* cap. VII.

Ita S. Gregorius Nazianzenus legem sibi indixit nunquam jurare, idque usque ad mortem servavit, uti ipse refert in *Carm. de Vita sua.*

Vere Clemens Alexandrinus, lib. VII *Strom.* : « Ubinam, ait, ergo est amplius opus juramento ei, qui ita vivit, ut qui pervenerit ad summum veritatis? » Et S. Augustinus, lib. I *De Serm. Domini in monte* : « Christianus, ait, verum loquatur, neque jurationibus crebris, sed morum probitate commendet veritatem. » Quin et Philo, lib. I *De Speciali Lege* : « Quidquid, ait, vir bonus asseverat, perinde ac jurato credi debet, cum verbum ejus firmum sit ac rigidum, nullo mendacio flexibile,

veritate in qua fundatur subnixum. » S. Chrysostomus vero, hom. 26 *ad Popul.* : « Hoc, ait, interdum a nonnullis audivi : Nisi juravero, non credit. Tu es horum causa, qui facile juras : quia si id non faceres, sed omnibus constaret quod non jures, mihi crede dicenti, quod iis qui mille devorant juramenta, majorem ipse fidem solo nutu invenires. » Vide eumdem, *hom.* 17, ubi varia media assignat quibus facile corrigi potest jurandi consuetudo. Ita Carbone pollicente quippiam et jurante, populus Romanus vicissim juravit se illi non credere, nimirum probis viris etiam injuratis habenda est fides : levibus, ne juratis quidem. Nam, ut ait Menander, « suadet loquentis vita, non oratio. »

UT NON SUB JUDICIO DECIDATIS. — Sic et Syrus, *q. d.* Ut non incidatis in condemnationem, dum ex frequentia jurandi inciditis in perjurium jurando falsum. Græca jam habent ὑπό κρίσιν, hoc est, ut non incidatis in *simulationem*, uti vertit Pagninus, Tigurina, Cajetanus, Clarius, *q. d.* Ne ficte et simulate juretis, ore jurantes, non corde, ac dicentes : « Juravi lingua, mentem injuratam gero : » qua ratione Lysander tyrannus dicebat pueros tesseris, viros juramentis oportere circumvenire, teste Plutarcho in *Lacon.* Idem dicunt, imo faciunt, politici et athei, quibus cum nullum sit numen, nulla conscientia, nulla etiam est religio et fides juramenti, quod sane plusquam ethnicum est, fraudulentum, sacrilegum et barbarum. Verum alii codices habent κατὰ κρίσιν, id est *judicium* et condemnationem : quin et Œcumenius legens ὑπὸ κρίσιν, exponit κατὰ κρίσιν.

Vers. 13. Orationis vis.

13. TRISTATUR (κακοπαθεῖ, id est *patitur*, vexatur, affligitur) ALIQUIS VESTRUM, ORET. — Ita Christus, in horto tristis usque ad mortem, oravit : quia oratio impetrat a Deo auxilium, lætitiam et robur ad vincendam tristitiam : adeoque ipsum orare et colloqui cum Deo, orantem exhilarat et lætificat. Patet hæc disparata esse præcepta vel monita. Quid enim tristitia cum juramento, de quo præcessit? Porro fructus orationis patet in Anna, matre Samuelis, quæ cum esset amaro animo, et orasset, « vultus ejus non sunt amplius in diversa mutati, » I *Reg.* I, 18; et in Christo, qui agoniam oratione superavit, ac post eam intrepide procedens obviam Judæis, tradidit se in mortem. Dum ergo tristaris, noli captare solatia ab amicis, ab epulis, a musicis, a fabulis; sed ab oratione et colloquio cum Deo. Porro omni diabolica actione potentior ad nocendum est mœroris spiritus; dæmon enim quoscumque fere superat, per mœrorem superat : eum si auferas, nemo a dæmone lædi poterit, ait S. Chrysostomus, serm. 2 et 3 *De Provid.*

Tristitia est hamus dæmonis.

ÆQUO ANIMO EST? PSALLAT. — Syrus, *si lætatur, psallat.* Aliqui contrarie legunt ἀθυμεῖ, id est, *ægro est animo*, ut idem dicatur et inculcetur id quod præcessit, *q. d.* Dum tristis es, ora et psalle, ut tristitiam discutias. Verum legendum est εὐθυμεῖ, uti passim alii legunt, id est æquo, pacato, tranquillo, securo, læto, alacri est animo : licet enim utile sit tristi psallere, tamen id difficile est, juxta illud : « Musica in luctu importuna narratio, » *Eccli.* XXII, 6. Lætus vero et alacer gestit ad canendum et psallendum. Psalmodia ergo conservat augetque lætitiam, excitatque jubilum Deo.

Psalmodiæ fructus quatuor.

Hac de causa inducta est in Ecclesiam psalmodia. *Primo*, ut ea fideles ad Dei amorem excitentur. *Secundo*, ut, sicut variæ voces in unam harmoniam consentiunt, ita in unum fidelium animi conspirent, ait S. Athanasius, *De Interpret. Psal.* *Tertio*, ut suavitate cantus demulceantur animi, ut divinorum oraculorum vim et efficacitatem avidius excipiant, ait S. Basilius, Præfat. *in Psal.* *Quarto*, ut angelos æmulemur et Seraphinos, qui perpetuo Deo laudes canunt concinuntque : Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus sabaoth, *Isaiæ* VI, 3. Ita Cyrillus, *Catechesi* 13. Vide dicta *Ephes.* V, 19. « Psalmus, ait S. Augustinus, Præf. *in Psalmos*, est signifer pacis, spirituale thymiama, exercitium cœlestium : luxum reprimit, sobrietatem suggerit, lacrymas movet. » Et S. Basilius, Procœmio *in Psalmos* : « Psalmus, ait, est animarum tranquillitas, pacis arbiter, turbas et fluctus cogitationum compescens, iracundiam mollit. Psalmus amicitiæ conciliator, dissidentium conjunctio, inimicorum reconciliatio. Quis enim inimicum existimabit eum, cum quo unam ad Deum vocem emittit? » Et inferius : « Psalmus dæmones fugat, auxiliares angelos advocat, in nocturnis terroribus securitas, in diurnis laboribus requies est : infantibus tutela, junioribus decor, senioribus solatium, mulieribus honestissimus ornatus, solitudines celebres facit : elementum incipientibus, incrementum proficientibus, consummatio perfectorum. Psalmus est vox Ecclesiæ, ac dies festos agit. Psalmus est angelorum opus, cœlestis reipublicæ spirituale ornamentum. » S. Chrysostomus in *Psalm.* XIV : « Psalmus, ait, est animæ sanctificatio, est pulcher animi concentus, acutissimum telum contra dæmones; nec cervi ita tela fugiunt, ut psalmos David dæmones. Sumpsit David citharam et pulsavit, et a Saule recessit malus spiritus, et recedens dæmon cecidit, ut cervus sagitta percussus et in jecore sauciatus. »

Unde in Vitis Patrum legimus dæmonem nullam orationem æque horrere ac psalmodiam. Causam dat Sophronius in *Prato Spirit.*, cap. CLII, quod « in Psalmis partim nobis ipsis Deum laudando oramus et invocamus, partim maledictis insectamur dæmones. » Rursum S. Chrysostomus in *Psalm.* CXXXIV : « Psalmus, ait, habet voluptatem cum utilitate. Principale ejus lucrum est ad Deum hymnos dicere, animam expurgare, cogitationem in altum extollere, vera et accurata dogmata discere, de præsentibus et futuris philosophari. » Et mox : « Nam licet millies petulans sit is qui canit, dum psalmum reveretur, sopit tyran-

nidem suæ petulantiæ; licet oppressus sit malis innumeris et ab ægritudine animi occupetur, dum demulcetur a voluptate, levat animum, extollit cogitationem et mentem in sublime evehit. »

Vers. 14. 14. INFIRMATUR QUIS IN VOBIS. — Catholici hunc locum accipiunt de sacramento Extremæ Unctionis. Hoc Sacramentum negarunt olim Armeni, Waldenses, Albigenses, Wiclef, et hoc sæculo Lutherus et Calvinus. Cajetanus vero licet Sacramentum esse concedat, negat tamen de eo hic agi, sed de unctione miraculosa ad sanandum ægrotos, ad quam Christus discipulos, qui tum necdum erant sacerdotes, ac proinde ministri Sacramenti esse non poterant, misit, *Marci* VI, 13.

Extrema Unctio est sacramentum.

Verum de fide est tam Extremam Unctionem esse sacramentum, quam de ea hic agere Jacobum. Ita sentit Ecclesia, quæ in administratione hujus sacramenti, ita precatur : « Deus, qui per Apostolum tuum Jacobum locutus es, dicens : Infirmatur quis in vobis, » etc. Idem definivit Concilium Florentinum in *Decreto unionis*, et diserte Tridentinum, *sess.* XIV, ubi hunc Jacobi locum fuse explicat. Ait ergo, can. 1 *De Extrem. Unct.* : « Si quis dixerit Extremam Unctionem non esse vere et proprie Sacramentum, a Christo Domino nostro institutum, et a B. Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit. » Et *Can.* 2 : « Si quis dixerit sacram infirmorum unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos, sed jam cessasse quasi olim tantum fuerit gratia curationum, anathema sit. » Explicatius vero, cap. I : « Instituta est, ait, sacra hæc unctio infirmorum, tanquam vere et proprie Sacramentum novi Testamenti, a Christo Domino nostro, apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum autem Apostolum ac Domini fratrem fidelibus commendatum ac promulgatum. Infirmatur, ait, quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et, si in peccatis sit, dimittentur ei. Quibus verbis, ut ex Apostolica traditione per manus accepta Ecclesia didicit, docet materiam, formam, proprium ministrum et effectum hujus salutaris Sacramenti. Intellexit enim Ecclesia materiam esse oleum ab Episcopo benedictum; nam unctio aptissime Spiritus Sancti gratiam, qua invisibiliter anima ægrotantis ungitur, repræsentat; formam deinde esse illa verba : Per istam unctionem, » etc.

Negat Calvinum.

Errat ergo Calvinus, dum ait Innocentium I instituisse sacramentum Extremæ Unctionis, idque asserere Sigebertum in *Chronico*. Magis errat Kemnitius, dum id tribuit Felici IV, sub annum Domini 528, qui Innocentio centum annis fuit posterior; nil enim tale habet Sigebertus, vel quis alius Historicus. Idem docent et definiunt Pontifices Fabianus et Innocentius I et III, Calistus I, ac Concilia Meldense, Gangrense, Senonense, Cabilonense, Moguntinum, Wormatiense, Coloniense, Aquisgranense. Vide Bellárminum, tom. IV *de Extrem. Unct.* Ratio est *prima*, quia gratia curationum non fuit res permanens, sed tantum ad tempus a Christo data et demandata discipulis : Jacobus autem loquitur de hac unctione tanquam de re permanente, ordinaria et habente effectum infallibilem. Hæc enim epistola scripta est diu post mortem Christi, quando gratia curationum cessabat. *Secundo*, gratiam curationum habebant Apostoli et discipuli Christi, non autem omnes Presbyteri. Ergo cum Presbyteros induci jubet, significat eos esse ministros sacramenti Extremæ Unctionis. *Tertio*, quia ait : « Et si in peccatis fuerit, remittentur ei. » Unde liquet hanc non fuisse gratiam curationum; illa enim sanabat corpus a morbis, non animam a peccatis. Rursum, hanc unctionem esse Sacramentum, quia Sacramentum non est aliud quam signum visibile, conferens gratiam invisibilem, talis autem est Extrema Unctio; remissio enim peccatorum non fit nisi per infusionem gratiæ. *Quarto*, quia Jacobus hic omnia recenset ad Sacramentum necessaria, scilicet pro materia assignat oleum, pro forma orationem fidei, pro ministro Presbyterum, pro effectu remissionem peccatorum.

Primo. Secundo. Tertio. Quarto.

Nota : Quod ait « infirmatur, » intellige graviter et periculose ad mortem : hic enim ἀσθενεῖ, id est, viribus et robore plane destituitur, quem proinde mox vocat τὸν κάμνοντα, id est, « periculose laborantem. » Rursum talem, ait, ἐγερεῖ, id est, « excitabit » quasi a morte ad vitam Dominus : alioqui enim in levibus morbis advocari jussisset non Presbyteros, sed medicos, qui per pharmaca ægrum sanassent. Ita explicat Concilium Trident., *sess.* XIV, cap. III *De Extrem. Unct.*: « Declaratur etiam, ait, esse hanc unctionem infirmis adhibendam, illis vero præsertim qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur : unde et sacramentum exeuntium nuncupatur, æque ac Extrema Unctio. » Extrema enim est earum quæ homini fideli in vita adhibentur : fidelis enim *primo* ungitur in Baptismo, sed in vertice; *secundo*, in Confirmatione, sed in fronte; *tertio*, in Ordine, sed in manibus : extreme vero ungitur hac unctione æger extreme laborans, ad extremam luctam cum dæmone, mundo et carne fortiter ineundam et superandam. Unde Concilium Tridentinum, *sess.* XIV, ait eam esse pœnitentiæ et totius vitæ consummatricem, ac Christum voluisse ea finem vitæ quasi firmissimo præsidio munire contra diabolum, qui tunc omnes nervos suæ versutiæ intendit ad nos perdendos et a fiducia divinæ misericordiæ deturbandos. Quare quod legimus in Vita S. Hedwigis, eam imminente morbo, cum adhuc sana esset, petiisse inungi, ut devotius Sacramentum susciperet, ac fuisse inunctam, instinctu divino dispensatorie factum est, nec imitandum, uti monet Auctor Vitæ.

Refellitur.

Nota *secundo*: Τὸ *infirmatur* significat hanc unctionem non esse adhibendam sanis vitæ discrimen adeuntibus in prælio, naufragio, extremo capitis supplicio, etc., sed tantum iis qui ex morbo ita infirmantur, ut periclitentur de vita.

Nota *tertio*: Τὸ *infirmatur* significat hanc unctionem non esse adhibendam mortuis, uti fecerunt olim Valentiniani et Archontici hæretici, invocando nomina Principatuum, ut mortui fierent incomprehensibiles et redimerentur a potestate principatuum. Vide Theodoretum, lib. I *Hæretic. fabul.*; Irenæum, lib. I, cap. XVIII; S. Augustinum, *hæresi* 16.

INDUCAT. — Hoc verbum significat hanc unctionem non esse adhibendam, nisi ei qui compos est rationis et mentis, vel certe aliquando fuit: hic enim solus potest inducere, id est, evocare et jubere ut inducantur Presbyteri: græce enim est προσκαλεσάσθω, id est *advocet*. Quare ejus incapaces sunt amentes perpetuo, et pueri, etiamsi desperate ægrotent. Perperam ergo Nicolaus Cusanus, *epist.* 3, scribit infantibus olim datam fuisse Extremam Unctionem. Rursum τὸ *inducat* non tantum consilium, sed et præceptum significat, scilicet eum qui commode potest, debere hoc Sacramentum suscipere, ut suæ saluti æternæ in tanto periculo, et ultimo vitæ articulo securius consulat; quia non raro fit ut per Extremam Unctionem salvetur, qui sine ea periisset, fuissetque damnatus, v. g. si æger confiteri et absolvi nequeat, et tamen sit in peccato mortali, ungendus est, ac unctio delebit peccatum, et primam gratiam ac justitiam illi conferet.

Extrema Unctio præcipitur.

Quocirca legimus in Vita S. Malachiæ apud S. Bernardum eum cum evocatus esset ad inungendam quamdam mulierem, et nonnihil tardans, invenisset eam mortuam sine hoc Sacramento, ita indoluisse, ut diu cum suis orans mortuam suscitarit et inunxerit. Quare ubi alia Sacramenta adhiberi ægro non possunt, adhiberi debet Extrema Unctio, idque videtur esse præcepti; nemo enim tuto in tali articulo confidere potest suæ contritioni: ita docet Magister in IV, dist. XXII, Bonaventura et Major ibidem, ac Cajetanus in *Summula*. Si vero alia Sacramenta adhiberi possint, non videtur Extrema Unctio esse præcepti, sed consilii, quod tamen imprudenter negligitur, uti docet D. Thomas in IV, *dist.* XXIII, *Quæst.* I, art. 1, cap. III, quæstiunc. 3; Paludanus et Soto, ibidem; Sylvester, verbo *Extrema Unctio*, dub. IX; Navarus, *Ench.* cap. XXII, num. 16.

PRESBYTEROS, — non seniores laicos, præsertim medicos, uti fingit Aretius, Calvinus, Lutherus; sed sacerdotes, uti habet sensus et praxis totius Ecclesiæ. Audi Concilium Tridentinum, *sess.* XIV, can. 4: « Si quis dixerit Presbyteros Ecclesiæ, quos B. Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quavis communitate, ob idque proprium Extremæ Unctionis ministrum non esse solum sacerdotem, anathema sit. »

Perperam ergo Thomas Waldensis, part. II *De Sacram.*, cap. CXXXVI, censet in extrema necessitate a laico posse conferri Extremam Unctionem: nimirum deceptus fuit verbis Innocentii, quæ mox citabo.

Porro « Presbyteros, » id est, unum e Presbyteris Ecclesiæ; sed olim solebant eum comitari alii Presbyteri, ut orarent pro infirmo. Addit ex Ruardo Suarez, III *part.*, tom. IV, disp. XLIII, sect. 1, a pluribus valide confici hoc Sacramentum, si unus ungat aures, alius oculos, alius pedes, etc.; sed tamen id fieri non debere. Denique fuit olim nonnullis in locis consuetudo, ut infirmum septem sacerdotes adirent, ac totidem dies pro eo oraretur, ait Gabriel in IV, dist. XXIII.

Dices: Innocentius I, epist. 1 *ad Decentium*, VIII, et ex eo Concilium Wormatiense, cap. LXXII, ait oleo sancto uti posse non solum sacerdotes, sed etiam laicos in suis et suorum necessitatibus. Respondet D. Soto in IV, dist. XXIII, art. 1, Innocentium loqui de usu olei extra Sacramentum ad curandos infirmos: verum tunc non utuntur oleo sancto ab Episcopo benedicto, sed proprio a se benedicto, uti fecerunt Eremitæ. Dico ergo Innocentium loqui de recipiente, non de ministro, *q. d.* Licet omnibus Christianis uti oleo sancto in suis et suorum necessitatibus, nimirum advocando Presbyteros, et ab eis accipiendo Extremam Unctionem, non autem eam aliis ministrando. Ita Bellarminus, *De Extr. Unct.*, cap. IX.

ET ORENT SUPER EUM, — oratione tum communi, tum sacramentali, puta forma Extremæ Unctionis, quæ est deprecatoria, dicendo: « Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per visum, » etc. Nota τὸ *super eum*; hinc enim olim manus imponebatur infirmo, uti etiamnum imponitur, idque ordinat Rituale Romanum nuper jussu Pauli V recognitum et editum: quin et imponitur manus organis sensuum, dum illa unguntur. Idque apposite, quia infirmus agonizans patitur extremos tum in corpore dolores, infirmitates, defectus, deliquia; tum in animo tentationes, scrupulos, anxietates, quin et horribiles dæmonis visiones: quare oratur pro eo, manusque ei imponitur, ut Deus eum solari et roborare dignetur. Quocirca licet Mediolanensis Ecclesia ex Rituali S. Ambrosii utatur forma, non deprecatoria, sed absoluta, dicendo: « Ungo te oleo sanctificato in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, » tamen ex adjunctis deprecationem innuit et involvit. Unde Suarez, III *part.*, tom. IV, disp. XL, sect. 3, censet invalidum esse Sacramentum, nisi aliquid addatur quo significetur deprecatio.

UNGENTES EUM OLEO — olivarum (hoc enim proprie vocatur *oleum*) ab Episcopo benedicto, uti definit Innocentius I, epist. *ad Decent.* VIII, Concilium Tridentinum et Florentinum. Benedictio hæc est

Oleum est materia Extremæ Unctionis cur?

et cita oratio qua Episcopus nomine Ecclesiæ orat, ut Deus hoc oleum faciat salutare infirmis. Hinc praxis Ecclesiæ habet, ut Episcopus feria 5 Hebdomadæ sanctæ, puta in cœna Domini (quo die videtur Christus hoc Sacramentum instituisse), consecret oleum tum infirmorum, tum catechumenorum, tum confirmandorum, puta chrisma in quo oleo miscetur balsamum. Unde Suarez loco citato asserit validum esse Sacramentum, si infirmus ungatur chrismate. Hinc liquet materiam hujus Sacramenti esse oleum, idque accommode et congrue. *Primo*, quia oleum morbos lenit, et subinde sanat. *Secundo*, quia dat pabulum lumini, ut significetur ægrum qui in tenebris et in umbra mortis versatur, vi hujus Sacramenti illuminari et consolari a Deo. *Tertio*, quia oleo unguntur athletæ, ait S. Hieronymus in *Osee* cap. XIV, ad agonem; æger autem hic subit agonem mortis: oleo ergo hoc inungitur, ut a Deo ad luctam ultimam corroboretur. Quocirca hac unctione dæmonum vires et iras, quas alioqui totas in ultimo hoc articulo expromerent, infringi et frænari docent S. Gregorius, hom. 39 *in Evang.*; Climacus, *gradu.* 7; Emissenus, hom. 1 *ad Monachos*. *Quarto*, quia oleum exhilarat et lætificat: lætitia autem eget æger morbo et mœrore oppressus. Vere Theophylactus in cap. VI *Marci*, oleo sanatos infirmos tradit, « cum oleum ad labores utile sit, lucis fomentum et hilaritatis effectivum, significetque misericordiam Dei et gratiam spiritus, per quam a labore liberamur, et lucem, ac gaudium hilaritatemque spiritualem accipimus. » Hinc in Vitis Patrum legimus S. Hilarionem, S. Martinum, S. Macarium aliosque Anachoretas sanctos curasse morbos oleo a se benedicto.

Primo. Secundo. Tertio. Quarto.

IN NOMINE DOMINI. — Syrus, *Domini nostri*, puta *Jesu Christi*, ut habet S. Augustinus, *De Visit. infirm.*, cap. IV. Porro τὸ *in nomine Domini* significat, ait Beda, « oleum consecratum in nomine Domini (ab Episcopo), vel certe quia etiam cum ungunt infirmum, nomen Domini super eum invocare debent. »

Addunt aliqui, « in nomine Domini, » id est, vice Domini: Deus enim per Sacramenta quasi instrumenta operatur et sanat.

Symbolice, τὸ *in nomine Domini* significat ægros, præsertim moribundos, totos se debere commendare ac dare Domino, eum perpetuo habere in mente et invocare, ut, sicut ab eo vitam hauserunt, ita eamdem illi reddant: atque sicut a puero mox ut ratione uti cœperunt, ad Deum conversi sunt, imo illud in primo usus rationis instanti faciendum censet S. Thomas, III, *Quæst.* LXXXIX, art. 6: ita pariter deficientes eidem immoriantur, dicentes: « In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum. » Hoc est quod monet Apostolus, *Rom.* XIV, 8: « Sive vivimus, Domino vivimus: sive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus. »

Laudat Xenophon, lib. VIII. *Cyri pæd.*, Cyrum quod imperium a Deo inierit, et cum eo finierit: nam, ut idem ait, lib. I, Cyrus creatus Imperator primum omnium rem divinam fecit, et litatis sacris orsus est regere et negotia regni tractare. Lib. VIII vero ita mortem Cyri describit: « Videbatur ascendere ad ipsum (Cyrum) quidam specie humana augustior, et dicere: Vasa colligito, o Cyre: statim enim ad deos abiturus es. Statim ergo captis hostiis rem divinam fecit Jovi patrio et soli, dicens: Jupiter patric et sol, Deique omnes, magnas ago gratias, quod vestram de me curam intellexi, quodque nunquam rebus secundis super conditionem humanam animus elatus est, » etc.

Æger fortiter ferat ægritudinem.

Præclarius Nazianzenus Philagrium infirmum ad fortiter ferendos dolores cohortans, *epist.* 58: « Hoc, ait, Philagrium meum decebat, nempe non emolliri, nec doloribus frangi, sed lutum contemnere, ac corpus quidem sinere ea pati quæ ipsius natura fert, naturæ lege omnino, vel nunc, vel postea dilapsurum (interibit enim vel morbo, vel senectute confectum); sursum autem animam habere, ac per cogitationes cum Deo conjungi. » *Epist.* vero 60, ejus in doloribus constantiam laudat: « Nam manus, ait, in cœlum tendens, Orientem versus oculos habens clamare cœpisti: Gratias ago tibi, Pater, tuorumque hominum conditor, quod nos invitos et reluctantes beneficio afficis, ac per externum hominem internum purgas, et per contraria nos ad beatum finem, pro iis quas nosti rationibus, ducis. » Et *epist.* 64: « Hortor te, inquit, dolori resistere, vinculisque superiorem præbere, ac morbum nihil aliud esse ducere, quam utilem quamdam disciplinam, huc videlicet tendentem, ut et corpora omnia et quidquid fluxum ac turbulentum est, interituique obnoxium, contemnens ac pro nihilo putans, totum te cœlesti parti addicas, nec præsenti tempori, sed futuro ævo vivas. Denique tam veneranda est viva crux Christi, qualis est morbus, quam mortua, puta picta aut ficta, » ut quidam Sanctorum ait.

Salvianus, epist. *ad Catturam* sororem infirmam: « Corporis, ait, fortitudo semper menti inimica est, ut te jure nunc tanto fortiorem spiritu putem, quanto imbecillior carne esse cœpisti. » Caro enim, inquit Apostolus, concupiscit adversus spiritum, spiritus adversus carnem: hæc enim invicem sibi adversantur, ut non quæ vultis illa faciatis. Ergo si, repugnante corpore, quæ volumus facere non possumus, infirmandum carne est ut optata faciamus. Et verum est: imbecillitas enim carnis mentis vigorem exacuit, et affectis artubus vires corporum in virtutes transferuntur animorum; ut mihi genus quoddam sanitatis esse videatur, hominem interdum non esse sanum. Causam protinus subjicit: « Nulla enim admodum tum spiritui cum corpore, id est, nulla divinæ indoli cum terreno hoste luctatio est: non

turpibus flammis medullæ æstuant, non malesanam mentem latentia incentiva succendunt, non vagi sensus per varia oblectamenta lasciviunt, sed sola exultat anima læta corpore affecto, quasi adversario subjugato. Gaude ergo, alumna Christi, semper quidem simplicis et quietæ, sed nunc magis defæcatæ tuæ mentis et liberæ ostium aperi, et attrahe, ut legis, Spiritum Sanctum. Nunquam, ut puto, habitatore Deo dignior exstitisti; quanto imbecillior corpore, tanto purior sensu : vincentibus carnem tuam morbis, mente vicisti. Felix si hanc semper corporis mortem in vitam spiritus conservaveris, extinctis in te forsitan cunctis humanarum tentationum incentivis. »

Vers. 15. Oratio fidei quæ? Primo.

15. ORATIO FIDEI SALVABIT INFIRMUM, — τὸν κάμνοντα, id est, *graviter laborantem*, deficientem et morientem; unde mortui ab Homero, Platone et Aristotele vocantur κάμνοντες. « Oratio fidei » accipi potest tum communis, tum sacramentalis. Communis, qua sacerdos et astantes precantur pro salute infirmi. Hæc dicitur « fidei, » quia ex fide vim suam et efficaciam habet : quo enim major est fides et spes orantis, eo plus oratione sua impetrat a Deo, juxta illud *Matth.* cap. IX, vers. 29 : « Secundum fidem vestram fiat vobis; » et cap. XVII, vers. 19 : « Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic : Transi hinc illuc, et transibit. »

Secundo.

Secundo et potius, **« oratio fidei » vocatur** forma sacramenti **Extremæ Unctionis : hæc enim habet** speciem **orationis et deprecationis. Dicitur « fidei, »** *primo*, quia fides metonymice significat omnia charismata et Sacramenta quæ fide nituntur, et ex ea profluunt quasi ramus ex arbore. Sic Apostolus, *Rom.* III, 28, ait nos justificari per fidem : ubi sub fide comprehendit spem, pœnitentiam, charitatem cæterasque virtutes quæ ex fide quasi radice profluunt : sine his enim nemo justificatur. Sic *Rom.* XII, 3, ait : « Unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei, » id est, charismatum spiritualium, quæ Deus inter fideles distribuit.

Secundo dicitur, « fidei, » quia vis et efficacia Sacramenti consistit, non in physica vi materiæ, v. g. olei, sed in fide, id est, vi spirituali verborum, quæ fide comprehenditur. Hinc ait S. Augustinus, tract. 80 *in Joan.* : « Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum; non quia dicitur, sed quia creditur, id est, non ratione externi soni qui transit, sed ratione internæ virtutis quæ sola fide percipitur. Unde subdit : « Nam in ipso sono aliud est sonus transiens, aliud virtus manens, » quæ scilicet virtus est quasi anima Sacramenti, nec sensibus percipitur, sed fide creditur. Dicitur ergo hæc oratio « fidei, » quia a fide dictata est, et fide intelligitur.

Tertio.

Tertio, dicitur oratio « fidei, » quia requirit fidem in suscipiente Sacramentum, et sine hac fide invalida est et inefficax. Rursum, qui Sacramentum suscipit, hoc ipso publice profitetur se credere et amplecti doctrinam Christi, et vim hujus Sacramenti ab eo instituti.

Quarto, oratio « fidei, » id est fidelis, id est certa et indubitata, *q. d.* Hæc oratio, puta forma deprecatoria sacramenti Extremæ Unctionis, non est dubiæ et incertæ virtutis, sed fidelis et certa, quia certo impetrat quod orat; operatur enim per modum Sacramenti ex opere operato, non ex opere operantis, puta orantis. Sic Apostolus sæpe ait : « Fidelis sermo, » id est certus, indubitatus, verissimus sermo, I *Timoth.* I, 15, et cap. III, 1; *ad Titum* III, 8. Quarto.

Quinto, « fidei, » id est fidelium et Ecclesiæ : quia sacerdos inungens, nomine totius Ecclesiæ inungit et orat pro infirmo. Agit enim tanquam minister Ecclesiæ; unde debet habere intentionem faciendi id quod Ecclesia intendit, puta conferre infirmo sacramentum Extremæ Unctionis. Quinto.

SALVABIT. — *Primo*, Syrus, *sanabit corporaliter*. *Secundo*, Dionysius, *sanabit spiritualiter*, id est, cooperabitur ad ejus salutem æternam, nimirum, ut Fevardentius, conferendo ei gratiam et robur, quo mortis horrori et dæmonis tentationi resistat. *Tertio*, plenius Hugo, Thomas Anglicus et alii, salutem utramque accipiunt, scilicet tam corporis quam animæ, ut generalis sit hæc salus, quæ deinde explicetur aliquo modo particulatim, nimirum salus corporis per verbum *alleviabit*, salus animæ per τὸ *et si in peccatis fuerit, remittentur ei*. Pro *salvabit* enim græce est σώσει, id est *servabit*, quod est verbum generale, tamque animæ quam corporis salutem complectitur.

Sensus ergo est, *q. d.* « Oratio fidei, » id est Sacramentum et forma sacramentalis Extremæ Unctionis, « salvabit infirmum, » hoc est, conferet ei gratiam qua salvetur anima : gratiam, inquam, vel primam, si æger sit in peccato mortali, vel secundam, hoc est augmentum gratiæ, si æger jam erat in gratia. Ita per salutem intelligit gratiam Concilium Florentinum, dum effectum hujus Sacramenti ait esse animi sanationem; et Concilium Tridentinum, *sess.* XIV, cap. II; ait enim : « Res porro et effectus hujus Sacramenti illis verbis explicatur : Et oratio fidei salvabit infirmum, etc. Res etenim hæc est gratia Spiritus Sancti. » Alioqui Jacobus hic omisisset primarium et proprium effectum Sacramenti, qui est conferre vel augere gratiam justificantem, itaque facere justum vel justiorem. Rursum « salvabit, » vel, ut græce est, σώσει, id est, servabit eum, hoc est, conferet ei sanitatem corporalem, si ita saluti animæ expediat, ait Concilium Tridentinum loco citato. Posset insuper sic exponi : « Oratio fidei salvabit infirmum, » scilicet dando gratiam quæ ægrum, vel per mortem transmittat ad salutem æternam, vel eumdem ad vitam revocet, eique salutem et sanitatem corporalem restituat. Sic enim σώσει, id est, servabit eum in vita vel præsenti vel æterna. Proprius enim effectus Extremæ Unctionis est, ut quasi viaticum aut po-

tius pharmacum immortalitatis morientem conducat et transmittat ad alteram vitam meliorem et æternam.

Metus vanus moribundorum.

Porro hinc patet falsum et præposterum esse metum nonnullorum, qui putant se certo morituros, si hoc Sacramentum suscipiant, ideoque illud differunt usque ad ultimum vitæ halitum, imo subinde sine eo moriuntur : cum e contrario proprius effectus hujus Sacramenti sit reddere sanitatem, si id animæ saluti expediat, ut ait Tridentinum, cujus rei multa legimus et vidimus, ac indies videmus exempla.

ET ALLEVIABIT EUM DOMINUS. — S. Augustinus, tract. *De Restit. Cathol. convers.*, et Cassianus, *Collat.* XX, cap. VIII, legunt *allevabit*, græce ἐγερεῖ ; Syrus et Hebræum יקימנו *iekimennu*, id est *excitabit*, eriget, suscitabit, alleviabit eum, non tantum corporaliter alleviando morbum, sed etiam et magis spiritualiter conferendo ei robur, alacritatem et lætitiam, quo metus et scrupulos ob præterita peccata ac tentationes dæmonis (præsertim diffidentiæ, desperationis, mœroris) et morbi dolores, tædia, torporem atque mortis pavorem, anxietatemque ob instans judicium fortiter et alacriter superet, ut allevietur, id est, corpore et animo erigatur, exhilaretur et corroboretur. Ita Concilium Tridentinum, *sess.* XIV, cap. III : « Ægroti animam, inquit, alleviat et confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus et morbi incommoda ac labores levius fert, et tentationibus dæmonis calcaneo insidiantis facilius resistit. »

Sex fructus Extremæ Unctionis.

Præclare Joannes Eckius, debellator Lutheri, serm. 57 *De Sacrament.*, assignat sex olei proprietates, quibus significentur sex dona et effectus hujus Sacramenti, scilicet : *Primus*, sanatio sanitasque spiritalis. *Secundus*, nitor conscientiæ. *Tertius*, robur facultatum animæ. *Quartus*, pax et quies in misericordia Dei. *Quintus*, consecratio quædam quasi pugilis et athletæ Christi. *Sextus*, gaudium et lætitia. Hinc Rituale S. Ambrosii, quo utitur Ecclesia Mediolanensis, jubet ungi caput, in quo hæc sex dona excipiuntur. Hinc et Episcopus benedicens hoc oleum orat, ut sit omni hoc unguento cœlestis medicinæ peruncto tutamen mentis et corporis, ad evacuandos omnes dolores, omnes infirmitates omnemque ægritudinem mentis et corporis.

Exempla.

Vis exempla? Accipe illustria. « Sancta Maria Oigniacensis, cum Beata Virgine præmonente Extremam Unctionem susciperet, Apostoli omnes adfuere, et B. Petrus claves ostendens, pollicebatur se illi cœli januam patefacturum. Porro Christus signum crucis, vexillum victoriæ suæ, ad pedes ejus fixit. Cumque in diversis locis ungeretur, in ipsa Sacramenti ejus perceptione Sancti Spiritus operationem cum ingenti singulorum locorum illustratione persensit. Quidam etiam amici et noti ejus, qui jam pridem obierant, ejus consolandæ causa ad eam missi sunt, » ait Jacobus a Vitriaco Cardinalis, lib. II *Vitæ ejus*, cap. XII. Idem, cap. IV : « Cum præsente Maria Oigniacensi, ait, Unctionis Extremæ sacramentum ægroti perciperent, illa Christum cum Sanctorum multitudine adesse sentiebat, ægrotumque illum misericorditer corroborantem, dæmones expellentem, animam purgantem, seque dum membra ejus ungerentur, quasi in lumine per totum ejus corpus diffundentem. »

« Reginaldus, unus e S. Dominici discipulis, cum moneretur ut Extrema Unctione se ad luctam cum dæmone præpararet : Ego, ait, hanc luctam minime reformido ; quin potius lætus exspecto. Jam enim dudum Mater misericordiæ me inunxit, in qua plurimum confido, et ad quam cupide proficiscor. Quod autem se prius ab ea inunctum dicebat, id ita habuerat. Cum ante annos multos gravissime ægrotaret, vigilanti de nocte apparuit Regina cœli cum aliis duabus virginibus, ipsaque ad eum accedens, jacentis oculos, aures, os et manus unguento quod attulerat, propriis manibus linivit, denique et pedes in præparationem Evangelii, ut ipsamet quasi ex formula orans adjunxit. » Ita habet Vita S. Dominici, lib. II, cap. II.

S. Lydwina a Christo Domino, præsente B. Virgine, omnibus Apostolis, multisque Angelis et Sanctis, fuit inuncta in omnibus membris quæ morituris inungi solent. Rogavit illa ut se tot doloribus oneraret, quot opus esset ad redimendum Purgatorium. Cui Christus : « Ita fiet, filia ; ut petis : post biduum cantabis Alleluia cum aliis virginibus in regno Patris mei. » Ita habet Vita ejus apud Surium, 7 aprilis, *part.* III, cap. XI.

ET SI IN PECCATIS SIT, REMITTENTUR EI. — « Peccatis, » non tantum venialibus : hæc enim omnes habent ; sed et mortalibus, si quæ sint. Unde caute ait « si. » Sic et Concilium Tridentinum, *sess.* XIV, cap. III : « Unctio, ait, Spiritus Sancti (quam significat et confert Extrema Unctio) delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit. » Hinc unguntur quinque sensus, quia illi sunt quasi quinque ostia, per quæ peccata in animam intrant. Porro peccati reliquiæ sunt *primo*, peccata venialia. *Secundo*, pœnæ peccatis, etiam mortalibus jam remissis, debitæ. *Tertio*, infirmitas et languor virium animæ ad peccato et tentationibus, quibus moribundi a dæmone oppugnari solent, resistendum. *Quarto*, peccata mortalia, in quæ æger post confessionem incidit, et ignorat se iis teneri. Rursum cum confessio ob aliquem defectum, quem æger bona fide ignorat, fuit invalida, si ipse de peccatis omnibus in genere doleat, uti par est, Extrema Unctio omnia omnino remittit et abolet. Idem faciunt alia Sacramenta, sed per accidens ; et Extrema Unctio id facit per se et proprie, quia ad hoc peculiariter est instituta, et parata in finem vitæ ut amoveat omnia impedimenta, quæ animam evolantem e corpore ab ingressu cœli remorari pos-

Peccati reliquiæ quæ?

sunt. Quocirca nulli est negligenda; quia multi per eam salvantur, qui alioqui damnarentur; multi recta in cœlum evolant, aut breviter in Purgatorio expiantur, alioqui diu in eo expiandi. Ita passim Interpretes et Bellarminus, *De Extrem. Unct.*, cap. VIII, cujus rei exempla suppetunt.

An B. Virgo nuncta? Hinc nonnulli inferunt B. Virginem in fine vitæ non suscepisse Extremam Unctionem, nec ejus fuisse capacem, quia nullum in ea fuit peccatum, aut peccatorum reliquiæ. Unde in ea falsa fuisset forma, dicendo : « Indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per visum, auditum, » etc. Rursum ipsa non eguit confortatione in morbo et morte, imo sine morbo, ex amore et desiderio fruendi Christo suo filio creditur animam exhalasse. Ita Gabriel, Paludanus, Victoria et Eckius.

Respondetur affirmative. Verum contrarium, scilicet eam fuisse inunctam, docent Albertus, Sylvester, Canisius, quos citat et sequitur Suarez III *part.*, tom. II, dist. 18, sect. 3. Ratio est, quia proprius effectus Extremæ Unctionis est confortare hominem in ultima lucta contra insidias inimici, non vero peccatorum remissio, nisi sub hac conditione, si quæ habeat æger, ut ait Jacobus. Decuit ergo B. Virginem hoc Sacramentum uti et cætera (excepto Ordine, Pœnitentia et Matrimonio) suscipere, ut fidelibus præberet exemplum humilitatis et vitæ Christianæ. Ad argumentum respondet Suarez, formam intelligi conditionate, scilicet : « Si quid deliquisti per visum, » etc. Melius respondebimus, illam alia forma, v. g. Ambrosiana (quam superius recitavi) fuisse inunctam, quæ peccatorum non facit mentionem. Porro quod Albertus ait, eam usurpasse sacramentum Pœnitentiæ et confessam S. Joanni, passim alii redarguunt : propria enim materia pœnitentiæ sunt peccata propria, qualia nulla habuit sanctissima Virgo, idque ipsa optime sciebat, utpote lumine divino, æque ac gratia, plenissima.

Denique falsum est quod scribit Guilielmus Durandus, lib. I *Rational. divin. offic.*, cap. VIII, num. 25, et Eckius, hom. 56 et 58 *De Sacrament.*, scilicet quod infirmus debeat semel tantum in anno, licet sæpius ægrotet, ungi, aut non nisi post plures menses : nec enim Extrema Unctio imprimit characterem. Repeti ergo potest quoties is qui e morbo convaluit, in eum, vel alium rursus incidit, ac periculose ægrotat. Ex dictis patet S. Jacobum tres assignare effectus Extremæ Unctionis. *Primus* est, salus animæ et subinde corporis; *secundus*, alleviatio infirmi; *tertius*, peccatorum, si quæ sint reliqua, remissio.

Vers. 16. 16. CONFITEMINI ERGO ALTERUTRUM PECCATA VESTRA. — Pro *ergo* Syrus habet ܗܘ *den*, id est *autem*, Græci nonnulli (nam plures non habent) οὖν, id est *igitur*. Vocula *ergo*, vel *autem* connectit hæc præcedentibus, *q. d.* Dixi de Extrema Unctione : « Si in peccatis sit, remittentur eis, » scilicet si is qui ungitur ea ignoret, aut eorum sit oblitus : nam si eorum sit conscius, debet ea ante Extremam Unctionem confiteri, ut docet Innocentius I, epistola 1 *ad Decentium*, cap. VIII. Ut ergo eam rite suscipiatis, « confitemini alterutrum peccata vestra, » id est, confitemini homines hominibus vobis similibus, puta illis, quibus a Christo demandata est absolvendi cura et potestas, scilicet sacerdotibus, juxta illud I *Petri*, IV : « Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes. » Sic vulgo dicimus : Docete invicem, curate invicem, sustentate invicem, sacrificate pro invicem : nimirum ut qui docti sunt, doceant indoctos; qui medici sunt, curent ægrotos; qui divites sunt, sustentent pauperes; qui sacerdotes sunt, sacrificent pro laicis : illa enim verba exponenda sunt apposite ad subjectam materiam, gratiam et officium cujusque. Ita exponit Beda, S. Bernardus in lib. *Medit.*, cap. IX; Hugo Victorinus, lib. II *De Sacram.*, part. XIV, cap. I; Alcuinus, epist. 26 *apud Henricum Canisium*, tom. I *Antiquit. lect.*, et Concilium Senonense, *decret.* X, ac S. Augustinus, lib. II *De Visit. informorum*, cap. IV (licet Doctores Lovanienses dubitent an hic liber sit S. Augustini, et Erasmus neget). Accedunt S. Bonaventura et Alexander Alensis mox citandi. Hinc patet agi hic de confessione sacramentali : quod perperam negat Erasmizans Cajetanus.

Confitemini alterutrum, id est sacerdoti. Cur? Resp. Primo. Dices : Cur ergo ait S. Jacobus : « Confitemini alterutrum? » Cur non expresse dicit : Confitemini sacerdotibus? Respondeo *primo*, ad leniendum confessionis onus et verecundiam, *q. d.* Confiteri debetis, at non angelis, coram quibus, utpote purissimis et sanctissimis, nimis erubesceretis peccata vestra, præsertim carnalia denudare; sed hominibus, puta sacerdotibus, qui iisdem tentationibus et peccatis obnoxii sunt, vel fuerunt, aut esse possunt. « Alterutrum » ergo, id est, homo homini, similis simili, frater fratri confitemini, puta sacerdoti, qui licet officio sit superior, natura tamen est par, infirmitate similis, obligatione confitendi æqualis.

Secundo. *Secundo*, ut significet sacerdotes æque ac laicos sua peccata confiteri debere. Noluit ergo dicere : Confitemini presbyteris, ne presbyteri putarent se onere confitendi eximi, eo quod ipsorum sit laicorum confessiones excipere, eosque absolvere quasi judices; sed judicum personam debere deponere, seque facere reos cum peccata sua confitentur : quasi dicat : Confitemini alterutrum, presbyteris scilicet, ita ut, cum ipsi peccant, similiter aliis presbyteris confiteantur. Ita Serarius hic, et Turrianus in lib. II *Constit. S. Clement.*, cap. XVIII.

Tertio. *Tertio*, ut innuat Jacobus consilii esse, non præcepti, non tantum sacerdotibus, sed etiam laicis peccata confiteri, sive reconciliationis mutuæ causa, sive humilitatis studio, sive ad petendum consilium et auxilium, sive ad majus charitatis vinculum, præsertim imminente discessu et morte. Unde multos Sanctos id fecisse legimus, ut S. Gregorium toto cap. ultimo *Moralium*. Et in Religionibus viri religiosiores idipsum facere solent,

ac offensarum suarum et scandali quod sua tepiditate, vel impatientia, aut cholera sociis dederunt, ab eis veniam petere. Idipsum significat et monet hic S. Jacobus. Unde Beda : In hac, ait, Jacobi sententia debet esse discretio, ut quotidiana leviaque peccata alterutrum coæqualibus confiteamur, ut orent pro nobis; sed gravia juxta legem sacerdoti pandamus, ut ille ab eis nos absolvat, quod laici facere nequeunt. Et Simeon Thessalonicensis, lib. *De Divino templo*, ait hæc Jacobi verba ab Episcopo, dum preces populi prono capite postulat, et se peccatorem confitetur (uti facit sacerdos in introitu Missæ) impleri. Et S. Ephrem, tom. II, p. 72, in reprehensione sui et confessione implorans fratrum erga se commiserationem, citat hunc Jacobi locum.

Quarto. *Quarto*, ex hoc Jacobi loco nonnulli censuerunt, absente sacerdote, confitendum esse laico : unde Alcuinus, *epist.* 26, Scotis id persuadere volens : Jubetur, inquit, ut confiteamur alterutrum, id est homo homini, reus judici, ægrotus medico. Idem suis sancit S. Franciscus in *Regula*, cap. XX, citans hunc Jacobi locum. Idipsum fecit Baptista catechumenus, qui, tsete S. Augustino, uti refertur *De Consecrat.*, dist. 4, cap. *Sanctum est*, in navi orta tempestate a laico baptizatus est : ille enim ab hoc jam baptizato absolutionem petiit, et impetravit. Idem liquet ex Concilio Triburiensi, quod citatur in *Decretal.*, cap. *fures, de furtis*. Dicitque fures et latrones, si comprehensi aut vulnerati Presbytero vel Diacono confessi fuerint, communionem eis non esse negandam. Unde putarunt aliqui in articulo mortis, deficiente sacerdote, laico faciendam esse confessionem, idque a Jacobo hic præcipi, ac proinde laicum tunc posse confitentem absolvere. Id videtur innuere S. Thomas in *Supplem.*, Quæst. VIII, art. 2, ad 1, et Abulensis in *Levit*, cap. XVI, Quæst. XXIV. Quin et S. Franciscus in *Regula*, cap. XX, suis Religiosis ita præscribit : « Si Sacerdotem habere non poterunt, confiteantur fratri suo, sicut dicit Apostolus Jacobus : Confitemini alterutrum peccata vestra. » Sed illico subdit : « Non tamen ob hoc dimittant recurrere ad sacerdotes, quia potestas ligandi atque solvendi solis sacerdotibus est concessa. »

Confessio facta laico non est sacramentalis, nec præcepta. Verum dico, confessio facta laico nullo modo est sacramentalis, neque unquam fuit necessaria. Prior pars patet, quia laicus non habet potestatem clavium, confessio autem sacramentalis fit propter absolutionem. Secunda pars patet, quia nullum est præceptum, nec divinum, nec Ecclesiasticum, nisi de confessione facienda sacerdoti; deinde quia necessitas confessionis nascitur ex necessitate absolutionis, quam laicus non potest dare.

Dices : Cyprianus, lib. III, *epist.* 17, contendit ut lapsi in persecutione possint in articulo mortis, si sacerdos non adfuerit, apud Diaconum exomologesim facere, et manus impositionem in pœnitentiam accipere; et auctor lib. *De Vera et falsa pœnitentia*, cap. X : « Tanta vis, ait, est confessionis, ut si deest sacerdos, confiteatur laico. » Sic et Beda verbis paulo ante recitatis. Similia habet Glossa in cap. *pastoralis*, de officio judicis ordinato (tamen in quibusdam exemplaribus correctioribus sunt ista jam deleta). Respondeo, Cyprianus loquitur de confessione, quæ ab agentibus pœnitentiam publicam fieri solet in eum finem, ut absolvantur ab excommunicatione, et reconcilientur ab Ecclesia : quæ confessio potest fieri Diacono habenti jurisdictionem absolvendi ab excommunicatione. Conjectura autem D. Pammelii, qua dicit forte absente Episcopo, et presbyteris carceribus inclusis, ex privilegio quodam in necessitate Diaconis permissam et concessam fuisse pœnitentium reconciliationem, sicuti a S. Gregorio presbyteris concessam legimus sacramenti Confirmationis administrationem, nullo modo est probabilis, tum quia nemo hoc unquam dixit, tum quia Diaconus non habet sacerdotalem characterem, et longe major est distantia inter diaconum et presbyterum, quam presbyterum et Episcopum; tum denique quia Episcopus nullo modo potest concedere administrationem sacramenti Confirmationis, sed soli Christi vicario hoc concedunt : ergo multo minus potest concedere Diacono administrationem sacramenti Pœnitentiæ, sicut nec potest ei concedere consecrationem corporis Domini. Auctor vero lib. *De Pœnit.* et Beda commendant hanc confessionem non tamquam necessariam, sed tamquam utilem, tum quia homo excitat in se facilius dolorem peccatorum, dum ea alteri confitetur; tum etiam quia per illam verecundiam ex parte satisfacit pro peccatis; tum denique quia consilium et consolationem ab altero accipere potest. Unde etiam Magister sententiarum et Doctores in IV, dist. XVII, Quæst. XVII, laudant hanc confessionem in extrema necessitate laico factam, quod intellige, quando abest scandalum, et omne aliud periculum quod ex tali confessione posset provenire. Quod autem D. Thomas in *Supplem.*, Quæst. VIII, art. 2, ad 1, ait in necessitate pœnitentem debere confiteri cui potest, non est præceptum, sed consilium, ut intelligit Sotus : quod tempore D. Thomæ frequentius erat in usu quam modo. Quod autem addit defectum sacerdotis a summo sacerdote tunc suppleri, intellige, suppleri quoad consecutionem remissionis peccatorum, si alter est contritus, non autem si tantum est attritus, quia nulla extat hujus rei promissio : unde illa suppletio esset omnino præter legem ordinariam. Porro laicus audiens confessionem, non potest confitentem absolvere : sic enim usurparet officium sacerdotis, faceretque sacrilegium. Sed fieretne irregularis? Affirmat D. Soto : quia, inquit, cap. *si quis*, de Clerico non ordinato, imponitur pœna irregularitatis solemniter baptizanti, aut aliquod divinum officium exercenti sine Ordine : nomine autem officii divini continentur omnia Sacramenta. Verum me-

lius alii negant, quia nomine officii divini ex usu Canonum intelligitur solum sacrificium Missæ et solemnis decantatio Evangelii, aut Epistolæ. Ita Sylvester, verbo *Confessor.*; Ledesma in IV, dist. II, Quæst. VII, art. 3, et alii.

Denique errat Thomas Anglicus hic dum institutionem confessionis tribuit Ecclesiæ, Jacobo promulgationem, Christo tantum insinuationem, cum scilicet B. Petro dedit claves; imo Canon *Quidam Deo*, tit. *De Pœnit.*, dist. I, cum Glossa, videtur institutionem confessionis tribuere S. Jacobo : sed per institutionem intellige expressam denuntiationem, quam præ S. Petro, Paulo, Joanne et Juda facit hic S. Jacobus. De fide enim est hoc Sacramentum, æque ac cætera, a Christo Domino immediate esse instituta, uti definit Concilium Tridentinum, *sess.* XIV, cap. I *De Extrema Unct.* Unde S. Bonaventura, in IV, dist. XVII, art. 1, Quæst. III, et Alensis, ibid., num. 3, art. 2, docent confessionem a Christo institutam, sed a Jacobo hic promulgatam.

Porro quam peccatori necessaria sit confessio ad salutem, patet exemplo Severi, qui mortuum sine confessione defunctum, ideoque raptum ad tartara suscitavit, ut confiteri posset : ut narrat S. Gregorius, I *Dialog.*, cap. ult. De ejus utilitate plura dixi *Actor.* XIX, 18. Eamdem sæpe Deus declaravit miraculis, quæ recenset Beda, lib. V *Hist.*, cap. XIV; Petrus Cluniacensis, lib. I *De Mirac.*, cap. III, IV, V, VI; auctor Vitæ S. Bernardi, lib. I, cap. IX; S. Bonaventura in Vita S. Francisci, cap. X; Alanus Copus, lib. II *Dial.*, cap. ult.

Præclare S. Bernardus, *epist.* 113, explicans illud *Psalm.* XCV, *Confessio et pulchritudo in conspectu ejus* : « Revera, ait, ubi Confessio, ibi pulchritudo, ibi decor : si peccata sunt, in Confessione lavantur : si bona opera, mundantur. Cum mala tua confiteris, sacrificium est Deo spiritus contribulatus : cum Dei beneficia, immolas Deo sacrificium laudis. Ama Confessionem, si affectas decorem. Bonum animæ ornamentum Confessio, quæ peccatorem purgat, et justum reddit purgatiorem : absque Confessione justus judicatur ingratus, et peccator mortuus reputatur. Confessio igitur peccatoris est vita et justi gloria. »

Confessionis vis. Denique mira est vis confessionis, ut uno verbo impetret a Deo omnium peccatorum, etiam gravissimorum, indulgentiam, Deique reconciliationem, uti impetravit David; dicendo enim : « Peccavi Domino, » illico audivit a Nathan : « Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris, » II *Reg.*, cap. XII, vers. 13. Memorabilis est Glossa Hebræorum in illud *Cantic.* V, 2, *Aperi mihi, soror mea*, edita a Galatino, lib. VIII, cap. VIII : « Filii mei, ait, aperite mihi aperturam unam pœnitentiæ, sicut est foramen acus; et ego aperiam vobis aperturas misericordiæ, per quas intrabunt quadrigæ et currus. »

ORATE PRO INVICEM, — tum laici pro laicis, tum sacerdotes pro sacerdotibus, et laicis præsertim infirmis, quando eos inungunt; de illis enim hucusque egit, et sacerdotes a Deo et Ecclesia ordinati et deputati sunt, ut nomine Ecclesiæ orent pro fidelibus omnibus, sintque quasi publici legati et mediatores inter Deum et populum; unde et sequitur : « Ut salvemini, » græce, ἰαθῆτε, id est, *ut sanemini*, scilicet ab infirmitate quæ vos detinet. Respicit ad vers. 15 : « Oratio fidei salvabit infirmum. » Hinc ex usu Ecclesiæ pro infirmis inunctis leguntur Litaniæ, quasi communes omnium preces, ad implorandam iis in ultimo agone opem Sanctorum contra dæmonum phalanges. Generalis tamen hæc sententia ad omnes, etiam laicos, extendenda est : charitas enim dictat et instigat, ut pro invicem oremus, ut sanemur, id est, salvemur tam animo, quam corpore : pluris enim est sanitas animæ quam corporis. Idipsum confirmat exemplum Eliæ, quod subdit Jacobus. Nota : Jacobus præmisit monitum de confessione, quia post eam validior est oratio, utpote quæ ab anima pura et sancta, Deique amica et filia ad Deum patrem emittitur, qui voluntatem timentium se facit, *Ps.* CXLIV, 19. Sic Job, jussu Dei orans pro amicis, eis veniam impetravit, cap. ult., v. 8. Judith postulans preces civium, Holophernem occidit, cap. VIII. Jeremias pro populo orabat, Deoque irato quasi manus ligabat, cap. XIV, 11. Unde et post mortem visus est pro eodem supplicare, II *Machab.* XV, 14. Pro S. Petro incarcerato oravit tota Ecclesia, eique libertatem impetravit, *Act.* XII, 5. Paulus pro aliis oravit, et aliorum preces pro se postulavit, *Rom.* I, 9, et cap. XV, 30; *Coloss.* IV, 3. S. Joannes pro omnibus orat, *epist.* III, cap. II. Denique Christus orat pro apostolis omnibusque fidelibus, *Joan.* cap. XVII, vers. 11.

Utilius orare pro aliis quam pro se. Cur? Primo. Porro utilius est oranti orare pro aliis, quam pro se solo, *primo*, quia libentius sacrificium orationis accipitur, cum in conspectu misericordis judicis proximi dilectione conditur; « quare communibus et alternis plus agimus orationibus, quam singularibus aut privatis, » ait S. Augustinus, *epist.* 97. *Secundo*, « quia dum singuli orant pro omnibus, etiam omnes orant pro singulis, » ait S. Ambrosius, lib. *de Abel*, cap. IX, qui et addit : « Ita magna remuneratio est, ut orationibus singulorum acquirantur singulis totius plebis suffragia. » S. Chrysostomus, sermone 5 *Ne desperemus*, asserit optimum esse participem fieri orationum, quas fundunt sancti, adeoque Deum sæpe iis tribuere, quod nostris, quia indigni sumus, non tribuit. S. Gregorius, lib. I, *epist.* 24, creatus jam pontifex, postulat pro se orari : « Ne suscepta me pondera, ait, ultra vires premant. Memor vero quod scriptum est : Orate pro invicem ut salvemini, etiam impendo quod peto, sed recipiam quod impendo : dum enim nos vobis per orationis opem conjungimus, quasi ambulantes per lubricum, vicissim nobis manum tenemus; fitque ex magna provisione charitatis,

Secundo.

ut eo singulorum robustius charitas perfigatur, quo in alterutrum alter innititur. » Vere S. Augustinus : « Nisi Stephanus orasset, ait, Ecclesia Paulum non haberet. » Rursum S. Gregorius, lib. V *Registri,* epist. 119 : « Preces etenim nostræ, inquit, tanto celerius in Dominicæ pietatis aurem sublevantur, quanto eas vicissim pro nobis fusas charitatis ardor exacuit. »

[Oratio assidua. Primo.

MULTUM ENIM VALET DEPRECATIO (δέησις, id est *precatio,* quæ in indigentia et afflictione supplici-ter fit ad eam levandam; δέεσθαι enim est indigere) JUSTI ASSIDUA. — Ἐνεργουμένη, id est elaborata, strenua, efficax, vivida; Pagninus, *intenta,* quæ scilicet tota animi contentione ex fundo pectoris ardenti spiritu, certaque fide et spe formatur et emittitur. Hæc enim quasi cogit Deum dare quod petitur. « Assidua » ergo, id est, intenta et instans, ut assequatur quod petit. « Assiduus » enim latine proprie idem est quod jugis, continuus, et quasi assidens rei cui incumbit. Ita Festus. Inde

Secunde

secundo, « assiduus, » idem est quod intentus, diligens, sollicitus. Sic Cicero, lib. I *De Orat.,* scripturam diligentem et elaboratam vocat assiduam. Et lib. *De Senect.* : « Semper, ait, boni assiduique domini referta cella vinaria, olearia, et

Tertio.

penuaria est, villaque tota locuples est. » *Tertio* « assiduus » per metalepsin idem est quod locuples et probatissimus. Ita a Gellio, lib. XVIII, vocatur « classicus assiduusque scriptor, non proletarius. » Simili modo oratio assidua, *primo,* est intenta, elaborata, sollicita. *Secundo,* continua, donec obtineat quod tam sollicite petit. *Tertio,* probata et locuples, quia totam se dat Deo, omnesque corporis et animæ vires in oratione impendens Deo tradit : locuples ergo est in Deum, dum ei se suaque liberaliter offert, ut eum vicissim sibi obliget, et liberalem in dando id, quod petitur, esse suadeat et pene compellat. Sic Græcum ἐνεργός idem est quod ἐν ἔργῳ ὤν, id est in opere existens, operi intentus, sollicitus, strenuus, acer, continuus, donec opus suum conficiat. Talis ergo energia, efficacia, intentio et contentio requiritur in oratione, qualem in opere; v. g. in studio adhibet studiosus, in fabrica architectus, in prælio miles et dux ut victoriam obtineat : ut scilicet ab efficaci principio, puta ab animo et spiritu ardenti et vehementi incitata, et quasi animata ardens sit et vehemens, ac ardentia suspiria, quasi pilas e tormento bellico ignitas, in cœlum ejaculetur, quibus Deum feriat et quasi sauciet, cogatque dare quod flagitat. Talis erat oratio S. Catharinæ Senensis, quæ obsecrans dicebat : « Domine, non discedam, non te dimittam, donec mihi hanc illamve rem, puta animam dones. »

Hinc *secundo,* oratio justi multum valet, si sit ἐνεργουμένη, id est *agens,* operans, non desidiosa et torpens, sed bonis operibus intenta iisque comitata, alata et armata : opera enim tum orantis, tum ejus pro quo oratur, puta pœnitentia, vitæ emendatio, observatio mandatorum, et exercitium charitatis, patientiæ, humilitatis aliarumque virtutum faciunt orationem efficacem et quasi omnipotentem, ait Maximus, *centuria* III, cap. VIII et LXXXIV, et ex eo Theodorus Studita, *serm.* 107. Sic Paulus, *Galat.* V, 6, ait multum valere fidem quæ per dilectionem operatur, græce ἐνεργουμένη. Hoc est quod angelus docet Tobiam, cap. XII, 8 : « Bona est oratio cum jejunio et eleemosyna, magis quam thesauros auri recondere. »

Jejunium ergo, id est, afflictio corporis et spi- Orati cum la crymis potiss

ritus, ac præsertim animi contritio, gemitus et lacrymæ dant orationi vim Deumque quasi cogunt ut afflicto succurrat. Unde : « Quando orabas cum lacrymis, » ait Raphael Tobiæ, cap. XII, vers. 12, « exauditus es ; » et Judith, cap. VIII, 14 : « Indulgentiam ejus, inquit, fusis lacrymis postulemus, » et Magdalena veniam impetravit, cum « lacrymis cœpit rigare pedes ejus, » *Lucæ* VII, 38. Unde recte ait S. Nazianzenus, orat. 1 *Contra Julianum* : « Piorum lacrymæ peccati diluvium sunt, et mundi expiamentum. » Et Climacus, *gradu* 7 : « Major ac potentior baptismate, post baptisma est fons lacrymarum. » S. Maximus, hom. *De pœnit. S. Petri* : « Utiliores, ait, lacrymarum preces sunt, quam sermonum : quia sermo in precando forte fallit, lacryma omnino non fallit; sermo enim interdum non totum profert negotium, lacryma semper totum prodit affectum. » Chrysostomus, hom. 30 *in Genes.* : « Quidnam dic, oro, oculis illis formosius, perpetuo lacrymarum imbre, et quasi margaritarum decore ornatis? » S. Gregorius Nyssenus, orat. funebri *De Placilla* : « Vulnerum animi, inquit, tanquam sanguis lacrymæ sunt. » S. Leo, serm. 9 *De passione* : « Felices, inquit, S. Apostole, tuæ lacrymæ, quæ ad diluendam culpam negationis virtutem sacri habuere baptismatis. » Unde Petrus Cellensis, lib. *De Panibus,* cap. XII : « Diabolus, ait, tolerabilius sustinet flammam, quam lacrymam nostram. »

Expostulavit graviter Antipater cum Alexandro Magno per litteras de Olympia Alexandri ipsius matre, enixeque contendit a rege, ut illatæ sibi per summam insolentiam injuriæ quam primum resarcirentur. Legit sedate querelas Alexander, et nobili illo apophthegmate respondit : « Ignorare videtur Antipater, quod una matris lacryma multas delebit epistolas. » Una pariter peccatoris lacryma igne eliquata contritionis, multas easque gravissimas illatas Deo delebit injurias. Petrus Chrysologus, *serm.* 93 : « O quanta, ait, vis est in lacrymis peccatorum! rigant cœlum, terram diluunt, extinguunt gehennam, delent in omne facinus latam divina promulgatione sententiam. » Anselmus Laudunensis, sive Glossa interlinearis in illud *Tob.* III, 11, *In oratione persistens cum lacrymis deprecabatur Deum* : « Oratio Deum, ait, lenit, lacryma cogit; hæc ungit, illa pungit. » S. Bernardus, serm. 30 *in Cantic.* : La-

crymæ pœnitentium, inquit, vinum sunt angelorum, » imo Dei ipsius, quo ipse se oblectat et quasi sitim suam sedat, juxta illud *Ps.* LV, 9 : « Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo. » Ubi Tigurina vertit, *lacrymas meas repone in lagunculam tuam.* Merito ergo exclamat Justinianus, lib. *de Ligno vitæ,* cap. IX : « O lacryma humilis, tua est potentia, tuum est regnum. Tribunal judicis non vereris, amicorum tuorum accusatoribus silentium imponis, non est qui te ad Deum accedere vetet; si sola intres, vacua non redibis. Quid plura? vincis invincibilem, ligas omnipotentem, aperis cœlum, fugas diabolum. »

Nota τὸ *justi*, intellige cujuslibet, sed præsertim ejus qui est minister Ecclesiæ et presbyter, quem decet omnino esse justum, maxime cum Extremam Unctionem aliaque Sacramenta administrat. Rursum justi oratio debet esse ἐνεργουμένη, id est, *intenta,* operosa, efficax, assidua, qualis fuit S. Jacobi nostri, cognomento Justi; cujus genua ex continua oratione callum obduxerant, uti dixi in Procemio. Talis pariter fuit S. Benedicti, S. Francisci, S. Dominici, S. Thomæ Aquinatis, qui proinde asserebant se nihil petiisse unquam, præsertim per B. Virginem, a Deo, quod protinus non impetrassent. Sanctorum enim mentes sunt quasi altare thymiamatis, quod juge orationum et suspiriorum thymiama, Deo odoratissimum et gratissimum exhalat. Talis fuit Abrahæ orantis et impetrantis ut parceretur Sodomæ, si in ea invenirentur decem justi, *Gen.* XVIII, 32. Justus ergo unus pluris est apud Deum, quam omnes peccatores, quam cœlum et terra. « Sanctorum deprecatio est commune omnium morborum remedium, » ait Theodoretus in *Hist. Relig.* cap. XVI. Quid mirum? Augustus Cæsar, capta Alexandria, licet illi ob injurias sibi illatas indignans, pepercit in gratiam Arii philosophi Alexandrini, amici sui. At Deus longe clementior est Augusto, longe liberalior. Quocirca Deus per Jeremiam, cap. V, 1, vociferatur : « Circuite vias Jerusalem, et aspicite, et considerate, et quærite in plateis ejus, an inveniatis virum facientem judicium et quærentem fidem, et propitius ero ei. » Justi ergo sunt bases, fulcra et columnæ urbium, provinciarum et regnorum. « Quis dubitet mundum precibus stare Sanctorum? » ait Ruffinus, præfat. *in Vitas Patrum.* Peccatoris vero oratio parum valet, nisi is pœniteat et opem a Deo convertendi se petat, uti fecit S. Magdalena, Publicanus, S. Petrus, S. Paulus. Talis præ omnibus fuit oratio Mosis *Exodi* XXXII, 10. Nam, ut ait S. Basilius, orat. 2, quæ est *de Precatione* : « Magni ponderis eorum auxilium est, qui possunt precibus flectere Deum; et supplicationes mutuæ cum in hac vita salutares sunt, tum cum ex hac vita decedemus, copiosum nobis viaticum ad vitam futuram suppeditabunt. »

Quomodo oratio

Nota *secundo,* Cassianus, *Collat.* VIII, cap. XXXIII, multos modos et causas assignat, quibus oratio redditur efficax : « Habes, ait, in duorum consensione fructum exauditionis Dominica voce signatum, secundum illud : Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in cœlis est. Habes aliam in fidei plenitudine, quæ grano sinapis comparatur : Si enim, ait, habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic : Transi hinc, et transibit, et nihil impossibile erit vobis. Habes in assiduitate orationum, quam propter indefessam petitionum perseverantiam, importunitatem sermo Dominicus nominavit : Amen enim dico vobis, quia si non propter amicitiam, vel propter importunitatem ejus surget, et dabit ei quantum opus habuerit. Habes in eleemosynarum fructu : Conclude, ait, eleemosynam in corde pauperis, et ipsa orabit pro te in tempore tribulationis. Habes in emendatione vitæ et operibus misericordiæ, secundum illud : Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes. » Et post pauca, quibus infructuosa jejunii sterilitas castigatur. « Tunc, ait, invocabis, et Dominus exaudiet te; clamabis, et dicet : Ecce adsum : Nonnunquam sane exaudiri etiam tribulationum nimietas facit, secundum illud : Ad Dominum, cum tribularer, clamavi, et exaudivit me; et iterum : Ne afflixeris advenam, quia si clamaverit ad me, exaudiam eum, quia misericors sum. »

fia efficax? Primo. Secundo. Tertio. Quarto. Quinto.

Nota *tertio,* S. Thomas, serm. *in Rogationibus,* ostendit quantum oratio justi valeat, ex sex ejus effectibus. *Primo* enim, ait, iram Dei mitigat, ei sese opponens ut scutum, *Sapient.* XVIII, 21; impetrat omnia, *Matth.* XXI, 21; inclinat Deum, ut homini obediat, *Josue* X, 14. *Secundo,* angeli assistunt oranti, *Daniel.* IX, 21; orationes iidem offerunt Deo, referuntque exauditionem, *Job* XII, 12. *Tertio,* oratio justi hominem liberat a malis, et veniam impetrat, salutem præsentem et æternam, corporalem et spiritualem confert, hic vers. 15. *Quarto,* Dæmones fugat e corde et corpore, *Matth.* ult., vers. 17; eosdem obedientes facit, etiam ut in mare se præcipitent, *Matth.* XXI, 21. *Quinto,* omnibus elementis et creaturis dominatur; solem sistit, *Josue* X, 14; ignem cœlo evocat, IV *Reg.* I, 10; cœlum claudit, ut patet versu seq.; mare et aquas dividit, *Exodi* XIV, 15 et 21; *Josue* III, 16; mortuos e Purgatorio educit, *Eccli.* XLVIII, 5; bestias ferocissimas cicurat, curat lepram, febrim, pestem omnesque morbos; sedat tempestates, incendia, eluviones; omnes virtutes et gratias e cœlo accersit, adeoque Deum omnipotentem vincit et quasi ligat. Denique Origenes, hom. 9 *in Num.,* docet, Deum oranti plus concedere, quam postulet. Unde et orat Ecclesia : « Deus, qui abundantia pietatis tuæ, et merita supplicum excedis, et vota, effunde super nos misericordiam tuam, ut dimittas quæ conscientia metuit, et adjicias quod oratio non præsumit. »

Sex orationis fructus. Primus. Secundus. Tertius. Quartus. Quintus. Sextus.

Egregie auctor serm. *ad Fratres in eremo* apud

S. Augustinum, *serm.* 22, orationis efficaciam ostendit : « Orans Jeremias, inquit, confortatur in carcere, Daniel inter leones exultat, tres pueri in fornace tripudiant, Job in sterquilinio triumphat de diabolo, latro de cruce paradisum invenit, Susanna a senibus defenditur, Stephanus de torrente in cœlum suscipitur : non est igitur locus, in quo orare non debeamus. Orate igitur semper, et in omni loco, et pro invicem, ut salvemini. Oratio sancta est columna virtutum, deitatis scala, viduarum maritus, angelorum cognata, fundamentum fidei, monachorum corona, conjugatorum levamen. »

Vers. 17. 17. ELIAS HOMO ERAT SIMILIS NOBIS PASSIBILIS. — Glossa, *simili mentis et carnis fragilitate* ; Græce ὁμοιοπαθής, similibus affectionibus et passionibus obnoxius, quibus nos ; et tamen ejus oratio fuit reseratio cœli, illud ad libitum aperiens, et claudens ; terram humectans, et siccans ; fœcundans, et arefaciens. Probat orationem justi multum valere exemplo Eliæ, cujus justitia et sanctitas, æque ac orationis efficacia in patrandis miraculis et portentis, apud Judæos erat celeberrima. Elias enim erat homo similis nobis. Id dicit *primo,* quia Elias jam raptus in cœlum nobis est dissimilis et impassibilis. *Secundo,* quia vitæ fuit tam sublimis, adeoque thaumaturgus, ut angelus potius videri posset, quam homo. Unde et curru igneo raptus est in cœlum ; ut Elias, ait S. Chrysostomus, serm. *De ascensione Eliæ,* videatur fuisse ἥλιος, id est *sol,* e terra in cœlum conscendens. Sic enim Judæi Malachiam, Aggæum et Joannem Baptistam putarunt esse angelos incarnatos. Hinc et Elias dicitur quasi אֵלִיָּה *Eliia,* id est, *Dominus meus Deus,* teste Pagnino in *Nomin. Hebr.*, vel *fortis meus Deus.* Unde S. Athanasius, Apolog. *De Fuga sua,* ait Eliam nominatum esse Deum. Quocirca *Ecclesiasti.* XLVIII, 1 : « Surrexit, inquit, Elias propheta quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat ; » totus enim ardebat zelo Dei, idque prodigio significatum esse asserit Epiphanius, lib. *De Vita Prophet.*, in *Elia.* Ait enim : « Quem cum eniteretur parens ejus, talis sol ac patri visio apparuit : viri niveum quemdam præ se ferentes habitum pusionem salutabant, matrisque uberibus in ignem evellebant, quin et flammam ignis loco cibi ministrabant. Profectus est itaque genitor in Jerusalem, visaque ad sacerdotes retulit. Respondit autem illi chrematismus (id est, oraculum, sive responsor) : Cave manifestum facias : erit quippe lumen filii hujus domicilium, sermoque ejus demonstratio atque sententia brevis, et judicabit Israel cum in igne, tum rhomphæa. Hic est ille Elias qui ter ignem e cœlo deduxit, quique imbrem sua lingua gestavit, mortuos item suscitavit, et in cœlum denique nimbo, seu turbine ignis assumptus est. »

Eliæ etymon.

An Elias sit Phinees ? *Tertio,* quia Hebræi tradunt Eliam eumdem esse cum Phinees, filio Eleazari pontificis, qui ob zelum meruerit immortalitatem, vivere scilicet usque ad finem mundi. Quem errorem secutus est Petrus Damianus, epist. 11 *ad Nicolaum Pontificem.* Id tacite hic confutat Jacobus, dicens eum passibilem et mortalem. Hunc errorem pariter confutavi *Num.* XXV, 13. Sensus ergo est, *q. d.* Si Elias vir justus et sanctus tanta orando impetravit a Deo : ergo similiter oratio aliorum justorum magna impetrabit a Deo ; Elias enim non fuit angelus, nec alterius naturæ quam nos ; quin et per omnia nobis fuit similis ; sed habuit magnam in orando fiduciam, eaque impetravit quæ naturaliter erant impossibilia : eamdem per Dei gratiam induamus et nos, ac similia impetrabimus.

Sancti infirmi, cur ? Moraliter S. Gregorius, lib. XIX *Moral.,* V, notat Deum Eliæ et Sanctis per quos tanta operatur, relinquere innatam fragilitatem, ne ex Dei operibus superbiant, eaque sibi arrogent. « Cum, ait, Elias tot virtutibus in alta profecisset, tamen mulierculam (Jesabel) fugit, de manu Dei mortem petit, nec accipit, etc. In illis virtutibus Elias, quid de Deo acceperat ; in istis infirmitatibus, quid de se esse poterat, agnoscebat : illa potentia virtus fuit, ista infirmitas custos virtutis : in illis virtutibus ostendebat quid acceperat, in istis infirmitatibus hoc quod acceperat, custodiebat. In miraculis monstrabatur Elias, in infirmitatibus servabatur.

ET ORATIONE ORAVIT (id est ferventer oravit : hanc enim vim habet geminatio) UT NON PLUERET SUPER TERRAM, ET NON PLUIT ANNOS TRES. — Lib. III *Reg.* XVII, 1, dicitur tantum quod Elias hanc siccitatem prædixerit. Jacobus addit ipsum eamdem suis precibus conciliasse et impetrasse, idque ex ingenti honoris divini zelo, ut scilicet ostenderet se verum et efficacem Dei veri esse Prophetam ; utque Achab et Jezabel eorumque impios subditos, qui colebant Baal, hac pœna castigaret, et ad veri Dei hanc plagam immittentis cultum reduceret. Quocirca jure S. Chrysostomus, *hom.* 16, ex variis Matthæi locis : « Eliæ, inquit, lingua fuit quasi cœli clavis : factus est enim velut arbiter, cujus nutu et cohiberentur, et defluerent imbres. Ejus enim oratio, inquit Tertullianus, lib. *Advers. Psychicos,* cap. VI, jejunio atque abstinentia roborata vim habuit impetrandi ; » idque ad hoc « ut cœlum impiis clauderetur, qui terrena polluerant, » ait S. Ambrosius, lib. *De Elia,* cap. II. Fuit hic ingens Eliæ zelus ; non tamen nimius, uti videtur dicere S. Chrysostomus, qui serm. 1 *De Elia,* in fine, causam raptus Eliæ in cœlum dat nimium ejus zelum, ne eo orbis perderetur et periret. « Nam si diu tibi manendum in terris, ait, propediem humanum genus quod a te plectitur, absolveretur. Transi ergo in cœlos, o Elia : non potes ignis cohabitare calamo. Impeccabiles contubernales post hæc habiturus es, inter angelorum choros habitare te faciam. »

Eliæ zelus et efficacia

Idem, serm. *De Elia et Petro,* nominat Eliam terrestrem angelum, cœlestem hominem, qui per humum ingrediens cœlum clauderet, aquarum

custos esset : ejus enim lingua thesaurus erat aquarum, qui cœli nubes lingua contineret, non precans nec obsecrans ; sed statim ut verbum veritatis emisit, cœlum clausit, imo fecit quasi æneum : cujus sermo in terræ viscera quasi febris incubuit, et illico arefacta sunt omnia ; unde communis fuit ejulatus et comploratio puerorum et matrum, ac summa desperatio, emortuæ pecudes, jumenta, feræ, volucres, viri, fontes, flumina, lacus, et omnia in eis interierunt : universale naufragium terras obtinuit ex aquarum, non copia, sed inopia factum. Et tamen, inquit, nihil horum curæ erat Eliæ. Unde censet eum idcirco diu non fuisse exauditum a Deo, cum ejus opem imploraret fugiens Jesabelem per quadraginta dies, ut aliis compati et misereri disceret. Verum zelus Eliam excusat ; « zelus purgat facinus, » inquit ille. Quocirca oratione sua obtinuit tot prodigia quibus idololatras plecteret et unius Dei veri cultum stabiliret. Unde illis pœnitentibus illico prodigia stitit, et plagas revocavit. Hinc et ascendens in cœlum merito audiit ab Elisæo : « Pater mi, currus Israel et auriga ejus, » *q. d.* Tu, o Elia, eras totum robur Israelis, qui magis juvabas Israelem tua oratione et zelo, quam magna curruum et equitum multitudo. Ita Chaldæi, Procopius, Vatablus, Cajetanus et alii ibidem. Tropologice : « Doctor populi mores corrigens, qualis erat Elias, currus est, quia mores populi tolerando portat ; idem auriga est, quia eumdem exhortando agitat, » ait S. Gregorius, lib. II *in Ezech.*, hom. 21.

Vers. 18. 18. ET RURSUM ORAVIT, — pœnitente Achab et populo postulante pluviam, cujus clavem solus habet Deus, ut aiunt Hebræi. Elias typus fuit sacerdotis, qui cœlum peccatori aperit, pluviamque gratiæ ei conciliat, dum eum absolvit et peccata remittit. Ita noster Turrianus, cap. IV *De Dogm. charact.* Porro Elias orans, « pronus in terram posuit faciem inter genua sua, III *Reg.* XVIII, 42, ut hac difficili, attenta, humili, verecunda, fidenti corporis compositione et situ, Deum quasi cogeret ad dandum.

Rursum, septies oravit Elias ad impetrandam pluviam : septies enim misit puerum ut videret, num cœlum nubibus obduceretur et parturiret pluviam ; cumque ille nihil se videre diceret, Elias rediit ad orationem et intensius oravit, donec septima vice contentissime orans pluviam impetravit, III *Reg.* XVIII, 44. Ita Beda. Sic sæpe Deus initio orationis non concedit quod petimus, ut contentius et constantius oremus : quare tunc desperandum non est, sed spes excitanda et augenda, ac fidentius orandum. Qui id sciunt et advertunt, nunquam cadunt animo, sed semper animosius orationi instant, itaque votis suis potiuntur, aut certe melius quid obtinent.

ET COELUM DEDIT PLUVIAM. — Historia narratur III *Reg.* XVIII, 1 et 41. Sic orans S. Hilarion suis pluviam impetravit, de quo in ejus Vita ita scribit S. Hieronymus : « Porro jam triennium erat (a morte S. Antonii) quod clausum cœlum illas terras arefecerat, ut vulgo dicerent, Antonii mortem etiam elementa lugere. Accolæ ergo pluvias a servo Christi (S. Hilarione), id est, a B. Antonii successore deprecabantur : quos ille cernens, mire doluit, elevatisque in cœlum oculis, et utrasque in sublime erigens palmas, statim impetravit quod rogaverant. »

Sic nostro Eliæ homonymus **Elias**, Episcopus Hierosolymæ, sua sede inique pulsus ab impio Severo, Patriarcha Antiocheno, siccitatem, locustas et famem Palestinæ induxit, ut habet Vita S. Sabæ.

Sic S. Vilfridus Anglo-Saxones, suscepto Baptismo, a triennali siccitate liberavit, ait Beda, lib. IV *Hist. Angl.*, cap. XIII.

Idem in Hispania fecit S. Audoenus, teste Volaterrano, lib. XXI, ac in Bohemia S. Adalbertus, ut habet ejus Vita.

Oratio est clavis cœli tripliciter.

Oratio ergo est clavis cœli. Audi S. Augustinum, serm 226 *De Temp.* : « Oratio justi clavis est cœli : ascendit precatio, et descendit Dei miseratio. » Ipsa ergo clavis est cœli, *primo*, quia per illam Elias cœlum clausit et aperuit ; quinimo Josue, cap. X, vers. 13, cœlum totamque cœlestium orbium machinam vi orationis stitit ; Ezechias etiam reflexit et retroegit per decem gradus, *Isaiæ* cap. XXXVIII, vers. 9. *Secundo*, quia fortissimos Angelos cœlorum præsides oratio cœlo deducit, et in opem elicit. Nam « cum orasset Elisæus, etc., ecce mons plenus equorum et curruum igneorum in circuitu Elisæi, » IV *Reg.* VI, 17. *Tertio*, quia quod mirabilius est, Deum oratio alligat, et quasi devinctum e cœlo ad justos trahit, aut potius justos e terra in cœlum trahit, Deoque illigat, ut nulla res eis nocere possit. Docet id pulchre S. Dionysius, III *De Divin. Nomin.*, duobus exemplis, catenæ scilicet cœlitus demissæ, ibique fortiter affixæ ; et funis scopulo alligati, dum navis jactatur fluctibus : quæ qui manibus ad se traheret, potius ipse ab illis traheretur. Vincitur ergo quasi ab orante Deus, sed hoc arctissimo orationis modo magis ille trahitur ad Deum, quam Deus trahatur ad ipsum. Huc spectat illud Dei populo irati ad Mosen orantem : « Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, » *Exodi* XXXII, 10. « Cui enim dicitur, Dimitte me, ostenditur, quod tenendi abeat facultatem, » ait S. Hieronymus in cap. XIII *Ezech.*

Allegorice, S. Augustinus, serm 201 *De Temp.*, Elias, ait, fuit typus Christi. « Sicut ergo, orante Elia, post tres annos et sex menses pluvia de cœlo descendit, ita et in adventu Salvatoris tribus annis et sex mensibus, quibus prædicare dignatus est, pluvia verbi Dei totum mundum feliciter irrigavit, et sicut tunc in adventu Eliæ omnes sacerdotes idolorum interfecti sunt et deleti, ita in adventu veri Eliæ, id est, Domini nostri Jesu Christi, observatio sacrilega Paganorum destructa est. »

Terra

ET TERRA DEDIT FRUCTUM SUUM. — Hinc terra a

Ceres et Pandora.

Gentilibus culta quasi dea, dicta est *Ceres*, quasi *Geres*, a gerendis fructibus, sicut a Græcis dicta est δημήτηρ, quasi γημήτηρ, ait Cicero, lib. II *De Natura deorum*. Eadem dicta est et *Pandora*, quasi omne bonum donumque afferens et germinans. Hinc fabulati sunt Poetæ Pandoram fuisse mulierem speciosissimam et gratiosissimam, cui singuli Dei sua dona dederunt, scilicet Pallas sapientiam, Venus decorem, Apollo musicam, Mercurius eloquentiam. Unde dicitur græce *Pandora*, quasi omnium donum, vel ab omnibus donata, vel omnibus bonis dotata. Vera S. Trinitatis, angelorum et hominum Pandora, est B. Virgo. Ipsa scilicet est paradisus voluptatis et terra viventium. Vere enim Poeta Christum alloquens de ea ita cecinit :

Nec genitrice tua fœcundior ulla parentum,
Tot bona per partum quæ dedit una suum.

Verius Propheta ad ejus ortum suspirans : « Rorate, ait, cœli desuper, et nubes pluant justum; aperiatur terra, et germinet Salvatorem, *Isaiæ* cap. XLV.

Vers. 19.

19. FRATRIS MEI. — Disparata a præcedentibus est hæc gnome, iis tamen connecti potest. Respicit enim id quod dictum est vers. 16 : « Confitemini ergo invicem peccata vestra, et orate pro invicem ut salvemini. » Huic enim apte hic Jacobus subnectit docetque quanti momenti sit procurare peccatorum conversionem et salutem, sive pro iis orando, sive eos monendo, exhortando, etc. Magis enim convertuntur peccatores oratione impetrando eis gratiam Dei efficacem, quam concionando.

Veritas triplex : mentis, oris, operis.

SI QUIS EX VOBIS ERRAVERIT A VERITATE. — Duplex est veritas, speculativa et practica, sive fidei et morum. Veritas fidei est credere id quod fides orthodoxa docet; veritas morum est facere quod fides, lex et virtus faciendum dictant. Sicut enim veritas mentis est adæquatio et conformitas conceptus ad ipsum objectum, puta rem conceptam, dum scilicet mens ita concipit rem sicut in se est; et veritas oris est conformitas sermonis cum conceptu mentis, dum scilicet os loquitur id quod mens sentit : ita veritas fidei est conformitas actus fidei cum objecto, puta re credenda, dum scilicet credit id quod vere credendum est; ac veritas morum et vitæ est eorumdem conformitas cum sua regula, puta cum fide et lege Dei.

Pari modo duplex est error, nimirum fidei et morum. Error in fide est hæresis, vel infidelitas; error in moribus, est peccatum et scelus. Utraque veritas et uterque error hic accipi potest. Nam, ut ait Sapiens, *Proverb.* XXI, 16 : « Vir qui erraverit a via doctrinæ, in cœtu gigantum commorabitur : » *gigantum*, id est damnatorum : nam gigantes crudeles et superbi olim diluvio mersi, damnati ad inferos descenderunt; et dæmones inferni incolæ, mystici gigantes sunt, imo gigantum et superborum parentes. Hinc Scriptura infernum vocat locum giga ım, *Sapient.* XIV, 6; *Isaiæ* XXVI, 14; *Job* XXVI, 5. Quin et Gentiles, teste Macrobio, I *Saturn.* XX, censent gigantes et Titanes significare impiam gentem deos contemnentem et negantem, ideoque Poetas draconum pedes eis affinxisse, ut significarent nihil eos rectum cogitasse, totius vitæ eorum gressu atque processu in inferna vergente.

Vers. 20. Ratio lucrandi animas.

20. QUI CONVERTI FECERIT PECCATOREM AB ERRORE VIÆ SUÆ. — « Via » significat vitam, mores, actiones, modum vivendi. Convertit autem quis peccatorem orando, docendo, corripiendo, incitando, sanctæ vitæ exempla dando, eleemosynas largiendo, benefaciendo, laudando, etc. *Primum* ergo convertentis animas instrumentum sit oratio. *Secundum*, charitas qua se omnibus accommodet, ad omnia se demittat, et cum Paulo omnibus omnia fiat. Rationem dat Chrysostomus, hom. 33 in I *ad Corinth.* : « Magnus, inquit, doctor est charitas, satis idoneus qui et tollat errores, et mores formet, et ad philosophiam manu ducat, et e lapidibus homines reddat. Is proinde qui charitate præeminet, » aliis succurrere debet, et omnes quantumvis perditos lucrifacere. *Tertium*, mansuetudo, de qua S. Bernardus, serm. *De S. Magdalena* : « O quam leni, ait, et dulcissimo spiritu imbutus est spiritus illius, qui novit in spiritu lenitatis peccantem instruere, suspendere vindictam, et affectuosis visceribus inviscerare sibi peccatorem donec vitæ reddatur. » *Quartum*, prudentia, « ut quibus verbum suadens et admonens non medetur, minæ medeantur; quibus autem minæ non medentur, virga medeatur; quibus vero virga non medetur, eos ignis depascat, » ait Clemens, I *Pedag.*, cap. VII. Unde et sponsa, licet pulchra, nigram tamen se suis exhibuit, ut remissis et fugitantibusdisciplinam, non candorem serenitatis, sed obscurum severitatis zelum exhibeat, ait S. Bernardus, serm. 28 *in Cant.*

Prima. Secunda. Tertia. Quarta.

SALVABIT ANIMAM EJUS A MORTE — præsenti et æterna : in præsenti enim vita animæ per peccatum moritur, quia per illud privatur gratia Dei. Sicut enim vita corporis est anima, ita vita animæ est Deus, Deique gratia, ait S. Augustinus. In futura vero moritur in gehenna, quia patitur æternos dolores et agonias mortis, semperque moritur, et nunquam est mortua. Quanti ergo est convertere peccatorem? Tanti, quanti est animam salvare, liberare a peccato et gehenna, eique restituere gratiam et gloriam æternam.

Præclare S. Chrysostomus, hom. *De habenda cura salutis proximi*, tom. I : « Nautæ, ait, licet navis secundo vento feratur, cum tamen vident alios vel a longe naufragium facere, non ad propriam spectantes utilitatem illorum contemnunt calamitatem; sed sistunt navem, detrahunt vela, ejiciunt anchoram, proferunt funes, projiciunt tabulas, ut ille qui a fluctibus mergitur, forte aliquo illorum arrepto emergat. Imitare et tu nautas, cum videris navigantium aliquem natare in fluctibus, et jam submergi : relictis negotiis tuis, sta-

tim illius provide saluti. » Idem, hom. 3 in I *ad Corinth.* : « Nullius, ait, rei pretium est cum anima conferendum, ne totus quidem mundus. Quare etiamsi divitias innumeras dederis pauperibus, nihil tale efficies, quale is qui convertit animam.» Merito ergo luget S. Bernardus, lib. IV *De Consid.* : Cadit, ait, asina, et est qui sublevet eam : perit anima, et nemo est qui reputet. » Ita jacitur alea. Ita luditur tot animarum salus, et salus æterna. Quot millia animarum indies ad tartara descendunt, quæ salvarentur si haberent zelosum sui curatorem? O si earum cruciatus videres, si gemitus audires, querelas de suis confessariis, pastoribus, sacerdotibus cognosceres, quam te earum conversioni et saluti addiceres et impenderes! Semel periisse, æternum est : semel esse damnatum, irrevocabile est.

Si videres puerum ruere in ignem, accurreres, omnique conatu extraheres : vides ruentes animas in ignem æternum, in incendia gehennæ, et vix pedem moves ut eas eripias. O torpor! o stupor! virgo Israel « projecta est in terram suam, non est qui suscitet eam, » clamat Deus per Amos, cap. V, vers. 2.

Nota : Τὸ *ejus*, puta αὐτοῦ, jam non est in Græco; olim tamen fuit : unde aliqui legentes per spiritum asperum αὑτοῦ, vertunt *suam*. Ita Joannes VIII Pontifex, *epist.* 38, Beda, Glossa, Hugo, Dionysius et alii, *q. d.* Qui salvat animam alienam, salvabit et suam, quia si justus est, de condigno promerebitur opere tam pio gloriam cœlestem. Si injustus, de congruo merebitur gratiam et justitiam, uti mox ostendam. Rursum qui saluti alterius invigilat, saluti suæ consulit; quia mortem animæ incurreret, si salutem illius sibi creditam negligeret, juxta illud Pauli, I *Tim.* IV, 16 : « Attende tibi et doctrinæ : insta in illis; hoc enim faciens et teipsum salvum facies, et eos qui te audiunt. »

Moraliter : Disce hic eos qui student conversioni hominum, post Christum, esse eorum salvatores. Hoc est quod ait Abdias, vers. 21 : « Et ascendent salvatores in montem Sion judicare montem Esau : et erit Domino regnum. » Ubi S. Hieronymus : « Ipse, ait, Salvator Apostolos suos mundi esse voluit salvatores. » Quod quam gloriosum sit, *primo*, liquet ex pretio animæ; anima enim pluris valet quam totus mundus : anima enim est Dei imago, summaque Dei participatio. Unde S. Ignatius, fundator Societatis nostræ, ostensa sibi a Deo pulchritudine animæ sanguine Christi ablutæ, ita zelo animarum exarsit, ut totam vitam per immensos labores et dolores illi addixerit; quin et Societatem ad hoc instituerit, cum diceret tantam esse pulchritudinem animæ, ut omne pretium omneinque laborem superet. Ita Ribadeneira in ejus Vita, lib. V, cap. II.

Quam gloriosum convertere animas. Primo.

Secundo.

Secundo ex exemplo Christi, qui ad hoc e cœlis descendit ut animas salvaret, ideoque tota vita laboravit, sudavit et acerbissimos dolores, ipsamque crucem sponte subivit. Vis ergo scire quam pretiosa sit anima, æstima ex pretio quo empta est, puta e sanguine Christi : pretium ergo animæ est vita Christi, ipseque Christus. Quocirca qui student proximorum saluti, sunt de familia et societate Jesu. Si aurifex peritissimus adamantem emeret mille aureis, omnes lapillum magno æstimaremus. Christus sanguinem suum fudit, ut animam redimeret : quanti illa igitur æstimanda est! « Magna res anima, quæ Christi sanguine redempta est, » exclamat S. Bernardus, *epist.* 54.

Tertio, ex illo S. Dionysii, *Cœlest. Hier.* cap. III, ubi docet hoc esse opus non tantum angelorum (horum enim est purgare, et illuminare et perficere), sed Dei ipsius : quare omnium divinorum operum divinissimum esse, Deo cooperari in conversionem impiorum ad eum. « Dei » enim « adjutores sumus, » ait Paulus, I *Cor.* III, 9; et Deus ad Jeremiam, cap. XVI, vers. 19 : « Si separaveris, inquit, pretiosum a vili, quasi os meum eris. » Vide ibi dicta. Hi scilicet sunt angeli et legati Dei : angeli enim « sunt administratorii spiritus in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis, » *Heb.* I, 14. Rursum « nullum Deo tale sacrificium, quale zelus animarum, ait S. Gregorius, lib. XXXIV *Mor.*, cap. VII. Tertio.

Quarto, ex sensu Sanctorum. Animabus enim convertendis totum se impendit S. Paulus, tantaque passus est, quanta ipse recenset II *Corinth.* cap. XI. Idem fecerunt Apostoli omnes. Qui ergo lucro animarum student, obeunt munus Apostolicum, suntque viri Apostolici : quales fuere S. Athanasius, Basilius, Chrysostomus, Gregorius, Augustinus, Ambrosius, Bernardus, Dominicus, Franciscus, etc. Vere S. Leo, serm. *De S. Laurentio* : « Nullus bonus, inquit, sibi soli bonus est, nec cujusquam sapientis sibi tantum amica est sapientia; et hæc verarum natura virtutum est, ut multos a tenebroso abducant errore. » Quarto.

Quinto, quod in hoc opere consistat charitatis et virtutis perfectio, uti docet S. Cyrillus *Sophon.* cap. II, num. 14, et S. Augustinus *in epist.* I *S. Joan.*, hom. 6 : « Hæc est, ait, perfectio charitatis, et major omnino inveniri non potest, quam pro fratribus animam ponere. » Idem citatus hic a Dionysio Carthusiano asserit illum in charitate Dei esse perfectiorem, qui plures ad ejus amorem convertit; et sicut Christus graviorem pati nequit persecutionem, quam ut quis verbo aut exemplo animas suo sanguine redemptas ab ipso avertat : sic ampliorem honorem ei impendere nos non valere, quam animas deviantes convertendo ad ipsum. Quinto.

Sexto, ex præmio et aureola illustri. « Qui docti fuerint, fulgebunt ut splendor firmamenti; et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates, » ait *Dan.* XII, 3; et Christus : « Qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum, » *Matth.* V, 17. Odo Cluniacensis, serm. *De S. Benedicto*, asserit fidelem Sexto.

esse opinionem, quod quilibet resurget cum illis quos Domino acquisivit. Cum igitur, ait, universi hujusce ejus instituti oves sequaces in unum coacti fuerint, quale signum apostolatus S. Benedicto tunc copiosus ille exercitus exhibebit! Sic Apostolus fideles a se conversos vocat suam coronam, suam gloriam et gaudium in die Domini, *Philip.* IV, 1, et I *Thessal.* II, 19. Sic S. Amandus gloriosus apparuit S. Aldegundi, stipatus iis omnibus quos converterat, ut habet Vita S. Aldegundis. Et S. Gregorius, hom. 17 *in Evang.* : « Ibi, ait, Petrus cum Judæa conversa, quam post se traxit, apparebit. Ibi Paulus conversum, ut ita dixerim, mundum ducens. Ibi Andreas post se Achaiam, ibi Joannes Asiam, Thomas Indiam in conspectum sui judicis conversam ducet. Ibi omnes Dominici gregis arietes cum animarum lucris apparebunt, qui sanctis suis prædicationibus Deo post se subditum gregem trahunt. »

Porro qui animas convertere satagit, suam primus ipse convertat, seque in virtute consolidet et perficiat oportet, tum quia sanctitas plus valet ad convertendum peccatores, quam concio; tum ne sibi periculum creet : sicut enim qui naufragos e periculo eripere volunt, nisi ipsi in tuto sint, idem sæpe periculum adeunt ac cum illis merguntur : ita nonnulli fragiles, dum peccatores convertere moliuntur, ab iis pervertuntur, et in eamdem cum eis peccati et gehennæ Charybdim involvuntur. Unde sapienter monet Christus : « Quid prodest homini si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? » *Matth.* XVI, 26.

Convertens animam operit peccata. Primo

ET OPERIET (aliqui legunt, *operit*) MULTITUDINEM PECCATORUM, — tum ejus quem convertit, tum suorum. Alludit S. Jacobus ad illud *Proverb.* cap. X, vers. 12 : « Universa delicta operit charitas. » Primo ergo charitas est quasi pallium, calyptra, velum et tegmen, quo peccator conversus et pœnitens operit, id est, abolet omnia peccata præterita (unde græce est καλύψει, id est *obducet*, teget, operiet), sicuti lux tegit tenebras, eas abolendo; sicut pallium tegit nuditatem, eam tollendo; sicut fossa tegitur injecta terra, dum ea impletur; sicut color niger inductus albo eum tegit non abscondendo, sed abolendo; sicut aqua operit ignem, dum eam obruit et extinguit. Hoc est quod de Magdalena dicit Christus : « Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum, » *Luc.* VII, 47.

Secundo

Secundo, emendatio morum vitaque nova et sancta tegit peccata et probra vitæ præcedentis, ac pro illis se supponit et opponit oculis Dei, ut illa quasi tecta et abscondita amplius non videat, juxta illud *Psalm.* XXXI, 1 : « Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. »

Tertio, « operiet, » id est, restinguet grassans diluvium vel incendium peccatorum. Error enim in fide, puta hæresis, est fons et origo blasphemiæ, contentionis, superbiæ, gulæ, libidinis, fraudis omniumque peccatorum. Qui ergo errantem, puta hæreticum, convertit, hic omnia hæc peccata quæ facturus erat, operit et extinguit. Similiter peccator ex uno peccato trahitur ad aliud et aliud. Peccatum enim est quasi lues, pestis, gangræna et cancer, qui semper proserpit, donec totum corpus inficiat et peccatis impleat. Hæc omnia operit et incidit, qui peccatorem convertit.

Quarto, qui peccatorem convertit, operit omnia scandala et peccata aliorum, quæ scilicet alii ipsius exemplo perpetraturi essent. Sic sæpe unius viri potentis error et scelus, totam urbem et rempublicam sua contagione inficit et sceleribus contaminat. Qui ergo talem convertit, hæc omnia operit et tollit, ut non unum, sed millena peccata ac innumeras Dei optimi maximi offensas et injurias inhibeat et avertat. Annon hoc ingens est bonum ac insignis Dei honor et gloria? Quarto.

Quinto et magis genuine, « operiet » peccata non tantum aliena, sed et sua, uti communiter exponunt Interpretes, Beda, Thomas Anglicus, Dionysius, Titelmannus, Fevardentius et alii (citant aliqui Syrum, quasi verterit, *peccatorum suorum* : sed frustra; affixum enim Hebræum et Syrum *au*, tam *ejus*, quam *suorum* verti potest : Hebræis enim et Syris idem est pronomen reciprocum quod absolutum); si enim justus est, ut sæpe fit, operiet tam pio opere charitatis culpas veniales et magnam partem pœnæ restantis e peccatis mortalibus jam remissis; sin adhuc injustus est et in statu peccati mortalis, hoc ejus studium, sollicitudo et ardor convertendi proximum elicit et provocat, ac quasi de congruo emeretur Dei misericordiam, ut gratiam efficacem ei largiatur, qua excitatus et ipse pristina peccata detestetur, vitam mutet, ac justus sanctusque evadat. Nam, ut ait S. Gregorius, lib. XIX *Moral.*, cap. XII, alias XVI : « Benedictio perituri super eum venit, cum peccatoris interitum prævenit, et cum sanctis exhortationibus a culpæ fovea reducit. » Hic ergo ejus zelus est quasi pallium, quo velat sua peccata coram oculis Dei, ut in iis gratiam inveniat : zelus enim adeo gratus est Deo, ut ejus sit decus, ipseque eo quasi pallio vestiatur et ornetur, juxta illud *Isaiæ* LIX, 17 : « Opertus est quasi pallio zeli. » Denique si justus est, meretur in justitia conservari et roborari contra peccata futura, ut pericula et occasiones peccatorum sibi instantes vel evadat, vel superet, in quibus alioqui fuisset lapsurus. Hanc enim Dei gratiam et protectionem meretur, qui alios a peccato liberare et protegere satagit : quod valde ponderandum est, ut hoc præmio ad zelum animarum incitemur. Dum enim alienam salutem curamus, nostram curamus, et tantum nostram, quantum alienam. Scriptum est enim : « Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur, » *Matth.* V, 7. Unde Damascenus, lib. I *Parall.*, cap. Quinto.

XLVIII, ex his Jacobi verbis docet modum abolendi peccata propria, esse studium abolendi aliena.

Ita hunc locum explicat Zacharias Pontifex, epist. 1 *ad Bonifacium* : « Elabora, ait, sanctissime frater, in eis ; quia scriptum cognoscis : Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et suorum operit multitudinem peccatorum ; » idem habet Joannes VIII Pontifex, *epist.* 38, et Origenes, hom. 2 *in Levit.*, et Cassianus, *Collat.* XX, VIII. Ratio est, quia anima quam convertis, est quasi hostia pro peccato quam offers Deo, longe ei gratior quam hircus, aries, bos, quæ olim quasi hostias pro peccato sibi jussit offerri. Hic enim quasi ex lege talionis, Deo das animam proximi pro anima tua : tantumdem ergo das, quantum debes, animæ enim tuæ pretium quasi adæquatum est anima aliena : anima enim valet animam, sicut bos valet bovem, aureus aureum.

Quocirca sapienter S. Gregorius, lib. VI, *epist.* 27, Dominicam monasterii Præpositam monet, « ut quantas valet animas in creatoris sui servitium colligat, ut earum mentes per verbum ejus gratiam compunctionis accipiant, et tanto celerius ipsa ab omnibus peccatis suis absoluta sit, quanto per ejus vitam et linguam etiam aliarum animæ peccatorum suorum nexibus eruperint, etc. ; ut ergo Dominæ suæ, id est, æternæ Sapientiæ perfecte satisfaciat, quæ sola fugit, cum multis redeat. Aversionis enim suæ culpa nulli imputabitur, quæ revertens lucrum reportat. » Idem, lib. XIX *Moral.*, cap. VI : « Si enim, ait, magnæ mercedis est, a morte eripere carnem quandoque moriturum, quanti meriti erit, a morte animam liberare, in cœlesti patria sine fine victuram! »

COMMENTARIUS

IN PRIMAM

SANCTI PETRI

EPISTOLAM.

PROŒMIUM.

Tria hic de more præmittenda sunt : *primum*, de auctoritate et dignitate hujus Epistolæ ; *secundum*, de ejus argumento ; *tertium*, de auctore.

Hæc Epistola est Canonica.

Quoad *primum*. Hæc Epistola est legitima S. Petri, ac Scriptura Canonica, confessione omnium Catholicorum, nullusque unquam de eo dubitavit, teste Eusebio, lib. V *Hist.* cap. III ; quocirca concilia, Pontifices et Patres, qui catalogum librorum Canonicorum contexunt, in eo indubitate collocant hanc Epistolam. Citat eos exacte et fuse Jodocus Coccius in *Thesauro Cathol.*, tom. I, lib. VI, pag. 720.

Scripta anno Christi 45.

Scripta est Romæ (hanc enim tecte Babylonem vocat cap. V, vers. 13) (1) missa per Silam, sive Silvanum, cap. V, vers. 12, sub annum, ut videtur, a nativitate Christi 45 : quo anno Petrus Romam appulit, eoque ex Antiochia Cathedram Pontificiam transtulit. Id patet ex eo, quod in fine Epistolæ inducit S. Marcum salutantem fideles. S. Marcus autem Roma discessit missus a S. Petro Alexandriam, anno Christi 45, cum prius Romæ suum scripsisset Evangelium, uti dixi in Chronotaxi. Hic annus Christi 45, fuit Claudii Imperatoris tertius, Pauli a conversione decimus.

(1) Cf. Sepp, docte et rite id probantem, op. cit. tom. II, pag. 375. Haneberg, *Einleitung in's alte und neue Testament*, part. VIII, cap. III, § 36, arbitratur Petrum neque Romæ, neque Babyloni scripsisse, sed Antiochiæ. Petrus enim, ait, Antiochiæ sedit, regionesque vicinas Evangelium docuit ; Judas autem Taddæus apostolus fuit Mesopotamiæ seu Babyloniæ, cujus Ecclesiæ ab antiquo Patriarchis Antiochenis subjiciuntur. Usum igitur quemdam, imo consuetudinem exstitisse inter Petrum et Judam, demonstratur tum ex hac circumstantia, tum ex convenientia et similitudine quam inter Petri priorem, unicamque Judæ Epistolam deprehenderunt interpretes. Quibus positis, locus ille, quem objectant alterius sententiæ assertores, scilicet *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone*, nullam jam movet difficultatem. Quis enim miretur Petrum, Antiochiæ scribentem, suis hortationibus et documentis addidisse vicinæ Ecclesiæ salutationem, dicendo : « Salutat vos Ecclesia, *quæ est in Babylone ?* »

Quare scripta est hæc Epistola ante omnes Pauli Epistolas (2). Ita Baronius, qui et addit videri ex S. Hieronymo eam a S. Petro scriptam esse hebraice, sed conversam in Latinum a S. Marco ; verum S. Hieronymus tantum dicit S. Petrum variasse stylum : stylum enim secundæ Epistolæ diversum esse a stylo primæ ; quod verum est, etiamsi dicamus utramque eadem lingua Latina, vel Græca ab eo fuisse conscriptam. Passim Interpretes censent græce esse scriptam, utpote ad Græcos, scilicet Cappadoces, Asianos, Bithynios, Ponticos : unde et in dubiis ad textum Græcum, quasi originalem recurrunt.

Ad fideles dispersos.

Porro scripta est primario ad Christianos e Judæis ad Christum conversos, qui dispersi erant per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam et Bithyniam, ut patet ex titulo Epistolæ et cap. III, vers. 6. Ita S. Athanasius in *Synopsi* ; Eusebius, lib. III *Histor.*, cap. IV ; S. Hieronymus, *De Script. Eccl.*, in *Petro* ; Didymus, Œcumenius, Beda, Cajetanus et Titelmannus hic, et faciet cap. I, vers. 4, 8, 9, et *epist.* II, cap. III, vers. 15 et 16. Hi enim fuere primi Christiani, quos paulo ante prædicando converterat S. Petrus ; quorum proinde peculiarem ipse curam egit, ut patet *Galat.* Secundario tamen et consequenter scripta est quoque ad Christianos e gentilismo conversos. Horum enim æque ac illorum Pastor, Episcopus, et Pontifex universalis a Christo creatus erat S. Petrus, *Joannis* XXII, 15. Unde cap. II, vers. 10, Gentium vocationem ex *Oseæ*, cap. II, vers. 10, confirmat et celebrat. Idipsum insinuat cap. I, vers. 18, et cap. IV, vers. 3 ; *epist.* II, cap. I, vers. 1. Ita S. Augustinus, lib. XXII *Contra Faustum*, cap. LXXXIX ; S. Thomas, Beda, Glossa, Lyranus hic ; Ribera in *Oseæ* II, num. 4, et alii. S. Bonifacius,

(2) Communis hodiernorum interpretum sententia est, Petro suas scribenti epistolas notas fuisse epistolas Pauli plures. Juxta Sepp et Glaire, operib. cit., priorem scripsit ann. 64.

primus Moguntiæ Episcopus et Germaniæ Apostolus, qui martyr in Frisia occubuit, tanti fecit S. Petri Epistolas, ut eas petierit aureis litteris sibi describi ab Eadburga Abbatissa, uti patet ex epistola ejus apud Baronium, tom. IX, pag. 39. Olim circumferebantur quinque libri S. Petri, scilicet Acta, Prædicatio, Evangelium, Apocalypsis et Judicium, sed suspectæ fidei et adulterini, teste S. Hieronymo, lib. *De Script. Eccles.*, in *Petro*, et Ruffino in *Expositione Symboli*. Sic et *Itinerarium* S. Petri nomine S. Clementis editum, Gelasius inter apocrypha retulit cap. *Sancta Romana*, dist. 15.

Argumentum. Quoad *secundum*. Argumentum Epistolæ est duplex. *Primum* ad fidem spectat, *secundum* ad mores. *Primo* enim confirmat et celebrat admirabile Dei consilium et beneficium de Verbi incarnatione, passione, redemptione, vocatione Judæorum et Gentium ad Christi gratiam, salutem et gloriam æternam. Hanc enim esse orthodoxam doctrinam a Prophetis prædictam, ab Apostolis jussu Dei prædicatam, quam proinde constanter sequi et retinere debeant, ac pro ea tuenda dura omnia, ipsamque mortem et martyrium fortiter obire. Quocirca omnes Christi exemplo ad persecutionum tolerantiam et in fide constantiam exhortatur.

Secundo, a fide transit ad mores, eosque ad Christi normam et disciplinam efformat. Docet ergo Christianos debere obedire regibus, principibus et magistratibus licet ethnicis; servos dominis, uxores maritis, adolescentes senioribus, fideles pastoribus et doctoribus; ac vicissim quid viri uxoribus, pastores subditis debeant, edocet. Exhortatur ad prudentiam, vigilantiam in orationibus, charitatem mutuam, hospitalitatem, patientiam, humilitatem et temperantiam. Præ cæteris autem patientiam et Christi patientis exemplum refricat et inculcat, idque singulis capitibus, eo quod Christiani tunc novi, ob novam Christi religionem ubique multa a Judæis et Gentibus paterentur, non tantum verba et probra, sed et spolia, carceres, verbera, mortem et martyrium. Scripta est majestate et spiritu Apostolico, sublimi et exultanti. Profunde enim scrutatur et admiratur bona in Christo Christique cruce et redemptione latentia, cœlitus nobis impertita.

Nota : Eædem subinde sententiæ reperiuntur apud S. Petrum, S. Paulum, S. Jacobum et Joannem; cujus ratio est : *Prima*, quod omnes Apostoli eodem agebantur Spiritu Sancto, qui easdem veritates et sententias eis suggerebat, idque ad testimonium tum veritatis, tum concordiæ. *Secunda*, quod omnes eosdem de virtutibus Christianis haberent sensus et dictamina : ubi autem idem est conceptus et sensus, facile idem sequitur sermo et sententia : verbum enim oris respondet verbo mentis; ab eo enim gignitur et producitur. *Tertia*, quod, sicut ante separationem ediderunt commune Symbolum fidei, sic et verisimile sit eos in communi sermone, æque ac doctrina et concionibus usurpasse plures easdem gnomas et axiomata Christiana, ad formandos mores fidelium, quæ deinde scriptis mandarunt. Talia sunt : Christiano gaudendum esse in tribulatione; beatos esse qui persecutionem patiuntur; exultandum esse in adoptione filiorum Dei facta per Christum; sperandam esse immarcescibilem gloriæ coronam; Deum superbis resistere, humilibus autem dare gratiam; charitatem esse legis plenitudinem; charitatem operire multitudinem peccatorum; thesaurizandum esse in cœlis, non in terra; conversationem nostram debere esse in cœlis; semper orandum esse, vincendum in bono malum; gloriandum in spe vitæ æternæ; studendum esse eleemosynæ et saluti animarum.

Quoad *tertium*. Auctor Epistolæ est S. Petrus Apostolorum Princeps, qui Bethsaidæ in Galilæa natus, piscatuque victitans, a Christo vocatus, factus est ejus in terris vicarius, totiusque Ecclesiæ Pastor et Pontifex : de cujus admirabili sapientia, pœnitentia, austeritate, charitate, zelo, propagatione fidei per totum orbem (in quem ipse discipulos suos evangelizatum misit), passione, martyrio, privilegiis, miraculis, veneratione, fama et gloria, vide Baronium aliosque Historicos. Sane Dionysius Areopagita, *De Divin. Nomin.*, cap. III, S. Petrum vocat supremam gloriam, ornamentum cœleste, summum capitis verticem, basin et columnam Theologorum fortissimam et antiquissimam. Petrus enim Ecclesiæ non tantum est monarcha, sed et post Christum petra fundamentalis. Ideo enim Christus vocavit eum Petrum, cum prius vocaretur Simon, ut significaret eum fore petram Fidei et Ecclesiæ, quam nec tyranni, nec Philosophi, nec hæretici, nec scelerati, non dico evertere, sed nec concutere possent. Hoc est quod ei promisit Christus, qui est æterna Veritas, dicens : « Beatus es Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est. Et ego dico tibi : quia tu es Petrus, et super hanc petram (super te scilicet, quem voco facioque Cepham, id est, petram Ecclesiæ) ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum : et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis, » *Matth.* XVI, 17. Rursum uni inter omnes Apostolos Petro dixit, jussitque tertio Christus : « Pasce oves meas, » *Joan*, XXII. Et iturus ad crucem et mortem : « Simon, ait, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum, ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua : et tu aliquando conversus confirma fratres tuos, » *Lucæ* XXII, 32.

Auctor.

Duodecim privilegia S. Petri.

E quibus Christi promissis et donis collige, summam S. Petri auctoritatem, ac privilegia amplissima. Privilegia enim duodecim uni S. Petro respectu totius Ecclesiæ (privata enim omitto, vide ea apud Bellarminum, lib. I *De Rom. Pont.*, cap. XVII, et seq.) a Christo concessa sunt hæc.

Primum. *Primum*, quod a Christo creatus sit petra et fundamentum Ecclesiæ. « Cum ego (Christus) sim inviolabilis petra, etc., tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, ut quæ mihi potestate sunt propria, sint mihi tecum participatione communia, » ait S. Leo, serm. 3. *De Annivers. sui Pontif.* Cephas ergo est Cepha. Petrus est Petra, nimirum « Cephalon, et Capitoli immobile saxum. »

Secundum. *Secundum*, quod Petrus fuerit caput, superior, rector et judex omnium Apostolorum. Quocirca S. Hieronymus, in epist. 89 *ad S. Augustinum* : « Tantæ, ait, Petrus auctoritatis fuit, ut Paulus in Epistola sua scripserit : Deinde post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum. » Theodoretus, epist. *ad Leonem* : « Paulus, ait, præco veritatis, tuba Sanctissimi Spiritus, ad magnum Petrum cucurrit, ut iis qui Antiochiæ de legalibus institutis contendebant, ab ipso afferret solutionem. » Hinc et S. Evodius, successor S. Petri in sede Antiochena, *Epist.* quæ dicitur τὸ φῶς, docet Christum ex mulieribus solam baptizasse Virginem matrem suam, ex viris solum Petrum : a Petro vero baptizatos fuisse Andream, Jacobum et Joannem, et ab iis cæteros. Et S. Epiphanius, *hæres.* 51 : « Petrum, ait, elegit, ut dux esset discipulorum. »

Tertium. *Tertium*, quod S. Petrus fuerit hierarcha, quodque ab eo omnis ordo hierarchicus, puta omnium Episcoporum, sacerdotum cæterorumque Ecclesiæ ministrorum ordinatio, æque ac jurisdictio descendat. Unde Innocentius, epist. *ad Concilium Carthag.*, quæ est 91 inter epist. S. Augustini : « A quo (Petro) inquit, ipse episcopatus, et tota auctoritas nominis hujus emersit. » Julius I, epist. 1 *ad Orientales* : « B. Apostoli Petri sedes, ait, nobis sacerdotalis mater est dignitatis. » S. Leo, serm. 3 *De Assumpt. sua ad Pont.* : « Si quid, ait, cum eo (Petro) commune cæteris voluit esse principibus, nunquam, nisi per ipsum dedit, quidquid aliis non negavit. » Idem, *epist.* 89 : « Hujus, ait, muneris Sacramentum, ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in Beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret ; ut ab ipso quasi quodam capite, dona sua velut in corpus omne diffunderet. »

Quartum. *Quartum*, quod Christus S. Petro ejusque successoribus promiserit et dederit assistentiam Spiritus Sancti, ad regendam Ecclesiam et ad docendam veram fidem, ut in ea errare non possit, sed quod ille hæreseos damnat, tota Ecclesia pariter ut hæreticum damnet. Unde Innocentius I, epist. *ad Concilium Milevit.*, quæ est 93 apud S. Augustinum : « Quoties, ait, fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres et coepiscopos nostros non nisi ad Petrum, id est, sui nominis et honoris auctorem, deferre debere. » Id patet ex usu et praxi omnium sæculorum. Pontifices enim Romani omnia in fide dubia declararunt et resolverunt, omnesque hæreses condemnarunt.

Quintum, quod Petrus et Pontifex quilibet Christi personam et auctoritatem repræsentet; sicut prorex repræsentat regem. Hinc et Petrus Christo in vita, zelo, propagatione fidei, morte et martyrio fuit persimilis et conjunctissimus. Unde S. Gregorius in *psalm.* IV *Pœnit.* : « Petro, inquit, ait Christus : Venio Romam iterum crucifigi. Qui enim in seipso jam pridem crucifixus fuerat, in Petro iterum se crucifigendum dicebat. » Et Tertullianus, lib. *De Præscript.* : « Habes, ait, Romam unde nobis quoque auctoritas præsto est. Felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt, ubi Petrus passioni Dominicæ adæquatur, ubi Paulus Joannis exitu coronatur. » Et S. Maximus, sermone 5 *De Natali S. Apost.* : « Petrus, ait, et Paulus martyrium pertulerunt in urbe Roma, quæ principatum et caput obtinet nationum, ut scilicet ubi caput superstitionis erat, illic caput quiesceret sanctitatis. » Et S. Paulinus, *Natali* 3 *S. Felicis* :

> Ipsaque cœlestum sacris procerum monumentis
> Roma Petro Pauloque potens.

Sextum, quod S. Petrus ejusque successores Romani Pontifices toti Ecclesiæ præsint quasi monarchæ; ideoque Ecclesiam faciant unam, unumque Christi regnum et monarchiam. Sicut enim unum est imperium quod unum habet imperatorem, unum regnum quod ab uno regitur rege, unum universum quod unus condidit et moderatur Deus, unum cœlum quod unus illuminat sol : ita pariter Ecclesia non posset esse unum visibile Christi regnum, nisi haberet unum visibile caput, cui tota subesset, et a quo regeretur; quod aliud esse nequit quam S. Petrus ejusque successores : perinde ac corpus humanum sine capite uno consistere nequit; alioqui enim esset acephalum, carens ratione, regimine et rectore. Unde S. Ambrosius, *serm.* 11 : « Hanc, ait, solam Ecclesiæ navim ascendit Dominus, in qua Petrus magister est constitutus, dicente Domino : Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Sicut enim Noe arca, naufragante mundo, cunctos quos susceperat illæsos reservavit; ita et Petri Ecclesia, conflagrante sæculo, omnes quos amplectitur repræsentabit illæsos; et sicut tunc, transacto diluvio, ad arcam Noe columba signum pacis detulit : ita et, transacto judicio, ad Ecclesiam Petri Christus gaudium pacis referet. » Et S. Augustinus, serm. 124 *De Tempore*, agens de pœnitentia S. Petri : « Totius, ait, corporis morbum in ipso capite curat Ecclesiæ, in ipso vertice componit membrorum omnium sanitatem. » Et S. Leo, serm. 3 *De Assumpt. sua ad Pont.* : « De tanto mundo, ait, unus eligitur Petrus, qui et universarum gentium vocationi, et omnibus Apostolis cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur : ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint, multique pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus. » Sicut ergo mem-

Sextum.

brum corporis esse nequit quod a capite est divisum, quodque capitis vi et influxu non vegetatur et regitur : ita pariter membrum Ecclesiæ esse nequit, qui a Petro et Pontifice Rom. schismate vel hæresi est divisus; nec ad ovile Christi pertinet, qui ad gregem Petri non spectat : quos enim Christus curat et regit, per Petrum Pastorem suum curat et regit. Unde S. Hieronymus, epist. 1 *ad Damasum,* de nomine hypostasis : « Super illam, ait, petram (cathedræ Petri) ædificatam Ecclesiam scio : quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est : si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio. » Et infra : « Quicumque tecum (o Damase Pontifex) non colligit, spargit : hoc est, qui Christi non est, Antichristi est. » S. Cyprianus, lib. I, epist. 8 *ad Plebem* : « Deus, ait, unus est, et Christus unus, et una Ecclesia, et cathedra una super Petrum Domini voce fundata. Aliud altare constitui, aut sacerdotium novum fieri præter unum altare, et unum sacerdotium non potest. Quisquis alibi collegerit, spargit. » Idem, epist. 3 *ad Cornelium,* lib. I : « Neque enim, ait, aliunde ortæ sunt hæreses, aut nata sunt schismata, quam inde, quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus sacerdos, et ad tempus judex vice Christi cogitatur, cui si secundum magisteria divina obtemperaret fraternitas universa, nemo adversus collegium sacerdotum quidquam moveret. »

Septimum. *Septimum,* **quod jus et imperium Petri non tan**tum sublimius, sed et amplius sit quam quorumvis Regum et Imperatorum, tum quia ad fideles per totum orbem dispersos se extendit; tum quia pertinet quoque ad infideles, ut eos Christo et Ecclesiæ aggregari curet; tum quia exserit se ad anthropophagos, Indos et Barbaros, qui vivunt sine rege, sine lege, sine Deo. Unde S. Prosper in Carm. *de Ingratis* :

> Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris
> Facta caput mundo, quidquid non possidet armis,
> Religione tenet.

S. Cyrillus in *Thesauro* : « Petro, ait, omnes jure divino caput inclinant, et primates mundi tanquam ipsi Domino Jesu obediunt. » Et rursum : « Debemus nos, ut qui membra sumus, capiti nostro Romano Pontifici, et Apostolicæ sedi adhærere. » Quocirca veteres in litteris Canonicis (quas *formatas* vocabant), ut latorem earum testarentur esse orthodoxæ fidei et communionis Catholicæ, inscribebant nomen Petri. In Formatis enim ex decreto Concilii Nicæni, hæc nomina quasi veræ fidei tesseram, per primas eorum litteras inscribebant : « Pater, Filius, Spiritus Sanctus, Petrus. Amen, » ut significarent earum latorem habere communionem cum cathedra et successore S. Petri, Romano Pontifice, ideoque esse Catholicum. Unde Optatus Milevitanus, lib. II, ut se probet Catholicum, Donatistas vero esse schismaticos, enumerans Pontifices qui sederunt in cathedra Petri usque ad Siricium, addit : « Hic noster est socius, cum quo nobis totus orbis, commercio Formatarum, in unam communionis societatem concordat. » De Donatistis vero subjicit, eos procul abesse ut Formatis communicent cum cathedra S. Petri. Vide Baronium, anno Christi 325.

Octavum. *Octavum,* S. Petri jus et imperium non tantum in terram, sed et ad inferos et superos pertinet. Nam non tantum hominibus terrigenis, sed et animabus in Purgatorio cœlum pandit. Est enim ipse claviger cœli : ejus enim claves a Christo accepit, *Matth.* cap. XVI. Unde Arator in fine *Actor. Apostol.* :

> Dignaque materies Petri Paulique coronæ
> Cæsareas superare minas, et in arce tyranni
> Pandere jura poli, summumque in agone tribunal
> Vincere, ne titulos parvus contingeret hostis.

S. Bernardus, lib. II *De Consid. ad Eugenium* : « Tu, ait, Episcopo cœlum claudere, tu ipsum ab Episcopatu deponere, etiam et tradere Satanæ potes. » Et Optatus Milevitanus, lib. VII *Contra Parmen.* : « Bono unitatis, inquit, B. Petrus præferri omnibus Apostolis meruit, et claves regni cœlorum communicandas cæteris, solus accepit, etc. stant tot innocentes, et peccator accipit claves : ut unitatis negotium formaretur, provisum est, ut peccator aperiret innocentibus, ne innocentes clauderent contra peccatores, et quæ necessaria est unitas, esse non posset. Et Petrus Chrysologus, *serm.* 107 : « Petrus, ait, est custos fidei, petra Ecclesiæ janitorque cœlorum. »

Nonum. *Nonum,* S. Petri potestas propagatur in posteros, et cæteris Patriarchis deficientibus, inconcussa perdurat hucusque per annos 1600, et durabit usque ad finem mundi. Unde S. Cyprianus, lib. I, epist. 3 *ad Cornelium Pontificem* : « Navigare audent, inquit, ad Petri cathedram atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, a schismaticis et profanis litteras ferre : nec cogitare eos esse Romanos, ad quos perfidia habere non possit accessum. » Et S. Hieronymus, epist. 1 *ad Damasum,* de nomine hypostasis : « Cum successore, inquit, piscatoris et discipulo crucis loquor. Ego beatitudini tuæ, id est cathedræ Petri communione consocior. » Hinc in Concilio Ephesino I, tom. II, cap. XVI, Cœlestinus Romanus Pontifex vocatur « ordinarius successor et Vicarius B. Petri, Apostolorum Principis. » Et in Concilio Chalcedon., act. 2, lecta Epistola Leonis Pontificis, omnes acclamarunt : « Petrus per Leonem locutus est; » et in epist. *ad Leonem,* totum Concilium dicit : « Leonem vocis Petri interpretem fuisse, » id est, Petrum per Leonem esse locutum. Petrus, Episcopus Ravennæ, epist. *ad Eutychen.*, quæ habetur ante Concilium Chalcedon. : « Hortamur, ait, te, frater, ut his quæ a B. Papa Romanæ civitatis scripta sunt, obedienter attendas. Quo-

niam B. Petrus qui in propria sede et vivit et præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem.» S. Siricius Pontifex, epist. *ad Himericum Episcopum Taracon.*: «Portamus, ait, onera omnium qui gravantur. Quinimo hæc portat in nobis B. Apostolus Petrus, qui nos in omnibus, ut confidimus, administrationis suæ protegit et tuetur hæredes.»

Decimum. *Decimum*, S. Petri potestas et dignitas superat potestatem Abrahæ, Mosis, Aaronis, Melchisedech, omniumque veterum Pontificum, Patriarcharum et Prophetarum, iisque omnibus adumbrata et præfigurata fuit. Audi S. Bernardum ad Eugenium Pontificem, lib. II *De Consider.*: «Quis es? sacerdos magnus, summus Pontifex. Tu princeps Episcoporum, tu hæres Apostolorum. Tu primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moses, judicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus. Tu es cui claves traditæ, cui oves creditæ sunt, etc.; nec modo ovium, sed et Pastorum tu unus omnium pastor.»

Undecimum. *Undecimum*, S. Petrus per discipulos a se missos fundavit per totum orbem Ecclesias. Ita habuit a S. Petro institutos Episcopos, Sicilia Pancratium, Marcianum, Beryllum; Capua Priscum, Neapolis Aspren, Tarracina Epaphroditum, Equicolæ populi Marcum, Ptolemæum Nepe, Romulum Fesuli, Paulinum Luca, Ravenna Apollinarem, Verona Euprepium, Patavium Prosdocimum, Ticinum Syrum, Aquileia Hermagoram; in Galliis Lemovicenses, Burdigalenses et Tholosani Martialem; Tungrenses, Colonienses et Trevirenses Maternum; Rhemenses Sixtum, Arelatenses Trophimum, Senonenses Sabinianum, Cenomanenses Julianum, Vienna et Moguntia Crescentem, Catalaunum Menimium, Bituricenses Ursinum, Avernenses Austremonium, Sanctonenses Eutropium; Germania Eucharium, Egistum, Marcianum; Hispania Torquatum, Ctesiphontem, Secundum, Indalesium, Cæcilium, Hesychium, etc., ut patet ex *Martyrol.* S. Petrum Byzantinis quoque primum dedisse Episcopum docet Agapetus Pontifex in litteris, quæ recitantur in Synodo V, act. 2. Si Metaphrastæ credimus, 29 junii, Petrus, Roma pulsus a Claudio anno imperii ejus 9, navigavit in Africam, et Carthaginensem, erexit Ecclesiam, eique præfecit Crescentem discipulum; inde Alexandriam concessit, erectaque Ecclesia Alexandrina, ibique Marco instituto Episcopo, ac Thebis Rufo, Hierosolymam profectus est.

Tradunt Historici rerum Angliæ, S. Petrum misisse in Angliam evangelizandi causa Josephum ab Arimathia; alii ipsummet S. Petrum in Angliam profectum, Anglos convertisse. Sane ab olim mira fuit S. Petri erga Anglos pastoralis cura et vicissim Anglorum erga S. Petrum devotio. Ut alia omittam, memorabile est quod scribit Alredus, abbas Cisterciensis, qui floruit anno Domini 1164, in Vita S. Eduardi, regis Anglorum, nimirum, «cum Anglia a Danis vastata, regia stirpe extincta, proxima esset ruinæ et exitio, Episcopum quemdam ardenter pro ea cum suspiriis et gemitibus ad Deum preces effudisse, ac mox apparuisse ei S. Petrum, et dixisse, nascituram S. Eduardum, eumque fore regem justum, sanctum et fortem, qui omnibus hisce Angliæ malis mederetur. Regnum enim Anglorum esse regnum Christi, et suum. Ita factum: oraculi veritatem exitus comprobavit. Hac de causa S. Eduardus mire devotus fuit S. Petro, et S. Petrus vicissim in eum beneficus,» uti ostendi *Actor.* VII, 3. Audiant et legant hæc Angli, ut videant a quanto pastore desciverint, ac postliminio ad eum redeant, eumque in successore Romano Pontifice venerentur. Ita pristinam ejus curam et opem sentient. Audi Innocentium I Pontificem, *epist.* 1: «Manifestum est, ait, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam et Siciliam, insulasque interjacentes nullum hominum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus, aut ejus successores constituerunt sacerdotes.»

Duodecimum. Denique S. Chrysostomus, hom. 32 *in Epist. ad Rom.*: «Non ita, ait, cœlum splendescit, quando radios suos sol ex se demittit, sicut Romanorum urbs duas illas lampades ubique terrarum effundens. Hinc rapietur Paulus, hinc Petrus. Considerate et horrete quale spectaculum visura sit Roma, Paulum videlicet ex theca illa repente cum Petro resurgentem in occursum Domini sursum ferri.» Et Elpis uxor Boetii, hymno *De Apostolis*:

> O felix Roma, quæ tantorum principum
> Es purpurata pretioso sanguine!
> Non laude tua, sed ipsorum meritis,
> Excellis omnem mundi pulchritudinem.

Et S. Leo, serm. 2 *De Natali Apostol.*: «Non minuitur, ait, persecutionibus Ecclesia, sed augetur, et semper Dominicus ager segete ditiore vestitur, dum grana quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur. Unde duo ista præclara divini germina seminis in quantam sobolem germinarent, beatorum millia Martyrum protestantur, qui Apostolicorum æmuli triumphorum urbem nostram purpurarunt, et longe lateque rutilantibus populis ambierunt, et quasi ex multarum honore gemmarum conserto uno diademate coronarunt.»

Effigies S. Petri. Porro effigiem S. Petri ex antiquis imaginibus ita pingit Nicephorus, lib. II, cap. XXVII: «Petrus quidem haud crassa corporis statura fuit, sed quæ aliquanto esset erectior, facie sub pallida et alba admodum; capilli et capitis et barbæ crispi et densi, sed non admodum prominentes fuere; oculi quasi sanguine (quia assidue plorasse fertur) respersi, nigri; supercilia prope evulsa; nasus autem longior illius quidem, non tamen in acumen desinens, sed pressus simusque magis.» Uxorem S. Petri martyrio laureatam tradit Clemens Alexandrinus, lib. VII *Stromatum*: «Aiunt, inquit, B. Petrum cum vidisset uxorem duci ad mortem, lætatum quidem esse propter vocatio-

nem, et quod domum reverteretur, valde tamen exhortando et compellando eam proprio nomine dixisse : Heus tu, memento Domini. Tale erat beatorum matrimonium. » Traditur ex ea genuisse S. Petronillam, quæ ob speciem appetita in matrimonium a Flacco, mortem precibus a Deo impetravit, ne virginitatis decus perderet : cujus reliquias Romæ in basilica S. Petri veneramur.

Martyrium. S. Petrus cum S. Paulo gloriosum Romæ obiit martyrium, eo quod Simonem Magum (qui Neroni ob magicas artes erat in deliciis) prostravisset, crucifixus capite deorsum, pedibus sursum, uti petierat (ne Christo Domino æquaretur), in Vaticano, anno Domini 69, Neronis 13 et penultimo, die 29 junii, cum Romæ sedisset annos 24, menses 5, dies 11. Unde Tertullianus, lib. *De Præscript.*, cap. XXXVI : « Romæ, inquit, Petrus passioni Dominicæ adæquatur, quia crucifixus est uti Christus. » Et in *Scorpiaco*, cap. XIV : « Orientem fidem Romæ primus Nero cruentavit : tunc Petrus ab altero cingitur, cum cruci astringitur. » Et S. Chrysostomus, hom. *in Princ. Apost.* : « Gaudeas, inquit, Petre, qui ligno crucis fruitus es, et ad magistri similitudinem recta quidem figura, sicut Dominus noster crucifigi noluisti, sed magis inverso capite velut a terra ad cœlum iter parans. O clavos illos beatos, qui membra illa sanctissima pertransierunt! Sepultus est pariter in Vaticano juxta viam Triumphalem : locum sepulturæ Constantinus Magnus Imperator magnifica basilica exornavit, quam hoc sæculo Pontifices de novo a fundamentis, sed longe majorem per centum annos exædificarunt, adeo augustam et magnificam, ut urbis et orbis miraculum esse videatur. Solent Christiani ab omni ævo ex toto orbe eam religionis ergo visitare, ac ad ipsa ejus limina pronos se prosternere, sanctumque Petrum venerari et ejus opem suppliciter implorare. Audi S. Augustinum, serm. 28 *De Sanctis* : « Nunc ad memoriam Piscatoris flectuntur genua Imperatoris : ibi radiant gemmæ diadematis, ubi fulgent beneficia Piscatoris. » Et epist. 42 *ad Madaur.* : « Videtis, ait, imperii nobilissimi eminentissimum culmen, ad sepulcrum piscatoris Petri submisso diademate supplicare. » Et S. Chrysostomus, hom. *quod Christus sit Deus* : « Relictis omnibus, ad sepulcra piscatoris et pellionis (Pauli qui e pellibus faciebat tabernacula) currunt et reges, et præsides, et milites : et Constantinopoli reges nostri magnam gratiam putant, si non prope Apostolos, sed si vel extra eorum vestibula corpora sua sepeliantur, fiantque piscatorum ostiarii reges. » Romæ ergo ubi Petrus martyr occubuit, ibi et victor resurrexit, ac supplantato Nerone, Imperatoribus et idololatria, urbem orbemque triumphator occupat : e Vaticano Romam, fidemque et Ecclesiam Romanam, quasi omnium Ecclesiarum matrem, magistram et dominam tuetur, dirigit et propugnat; ut hucusque hæresis et perfidia eam convellere non potuerint, nec unquam convulsuræ sint; quia scilicet supra firmam petram ædificata est, ut portæ inferi contra eam prævalere nequeant. Aspice nos ex alto, S. Petre, et tuos cives, imo clientes et filios protege, ac per vitæ hujus turbines dirige in viam salutis æternæ, ut peracto peregrinationis hujus cursu, cœli ostia te pandente ingredi, ac tecum Christo Jesu Domino nostro frui in æternum mereamur. Amen.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prior hujus capitis pars, a vers. 1 *usque ad* 13, *est dogmatica; posterior, a vers.* 13 *usque ad finem, est ethica. Initio enim præmissa salutatione Deum benedicit, quod fideles per Christum regenerarit et destinarit ad hæreditatem æternam : in cujus spe docet Christiano exultandum esse in quibusvis tribulationibus; atque hæc omnia prædicta esse a Prophetis. Inde, vers.* 13, *incitat eos ad vitam puram et sanctam, qua Christum imitentur, ejusque hæreditatem et gloriam assequantur.*

1. Petrus Apostolus Jesu Christi, electis advenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ et Bithyniæ, 2. secundum præscientiam Dei Patris, in sanctificationem Spiritus, in obedientiam et aspersionem sanguinis Jesu Christi : Gratia vobis, et pax multiplicetur. 3. Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, 4. in hæreditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcescibilem, conservatam in cœlis in vobis, 5. qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem, paratam revelari in tempore novissimo. 6. In quo exultabitis, modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus : 7. ut probatio vestræ fidei multo pretiosior auro (quod per ignem probatur) inveniatur in laudem, et gloriam, et honorem in revelatione Jesu Christi. 8. Quem cum non videritis, diligitis : in quem nunc quoque non videntes creditis : credentes autem exultabitis lætitia inenarrabili, et glorificata : 9. reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum. 10. De qua salute exquisierunt, atque scrutati sunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetaverunt, 11. scrutantes in quod, vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi, prænuntians eas quæ in Christo sunt passiones, et posteriores glorias : 12. quibus revelatum est, quia non sibimetipsis, vobis autem ministrabant ea, quæ nunc nuntiata sunt vobis per eos, qui evangelizaverunt vobis, Spiritu Sancto misso de cœlo, in quem desiderant angeli prospicere. 13. Propter quod succincti lumbos mentis vestræ, sobrii perfecte sperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam, in revelationem Jesu Christi : 14. quasi filii obedientiæ, non configurati prioribus ignorantiæ vestræ desideriis : 15. sed secundum eum, qui vocavit vos, Sanctum : et ipsi in omni conversatione sancti sitis. 16. Quoniam scriptum est : Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum. 17. Et si Patrem invocatis eum, qui sine acceptione personarum judicat secundum uniuscujusque opus, in timore incolatus vestri tempore conversamini. 18. Scientes quod non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis : 19. sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, et incontaminati : 20. præcogniti quidem ante mundi constitutionem, manifestati autem novissimis temporibus propter vos; 21. qui per ipsum fideles estis in Deo, qui suscitavit eum a mortuis, et dedit ei gloriam, ut fides vestra et spes esset in Deo. 22. Animas vestras castificantes in obedientia charitatis, in fraternitatis amore, simplici ex corde invicem diligite attentius : 23. renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei vivi, et permanentis in æternum. 24. Quia omnis caro ut fœnum, et omnis gloria ejus tanquam flos fœni : exaruit fœnum, et flos ejus decidit. 25. Verbum autem Domini manet in æternum : hoc est autem verbum, quod evangelizatum est in vos.

Vers. 1. 1. PETRUS APOSTOLUS JESU CHRISTI. — Syrus, *Epistola Petri Apostoli Simonis Cephæ,* quia scilicet Syrus vertit ex Græco, in quo Cephas vocatur Petrus; unde Petri nomen ad Syros aliasque gentes et linguas transiit, quia usitatissimum erat in Ecclesiis Græcis et Latinis. Nota : Petrus primo vocatus est *Simon Bar Jona,* id est filius Jonæ; pater enim Petri vocabatur Joannes, hebraice Joanan, et per crasin *Jonan* et *Jona.* Unde Christus ait ei *Joann.* XXI, 25 : « Simon Joannis (scilicet fili), diligis me plus his? » Deinde a Christo syriace vocatus est *Kepha* (hebraice *Keph*), id est, ut Græci et Latini pronuntiant, *Cephas*, hoc est petra, vel Petrus : Πέτρος enim idem est quod petra : nam si esset diversum et derivatum tantum a petra, Petreus dicendus erat, non Petrus, uti retractans advertit S. Augustinus, lib. *Retract.*, XXIX, et serm. 16 et 29 *De Sanctis.* Porro nomen Cephas, id est Petrus, Simoni indidit Christus, quia destinabat eum facere suum in Ecclesia Vicarium, ideoque ei suum nomen (Christus enim vocatur petra et lapis angularis Ecclesiæ, juxta illud I *Corinth.* X, 4 : « Petra autem erat Chrstus) indidit, et juxta nomen fidei animique sui firmitatem et constantiam communicavit. Unde ejus typus fuit Joseph, qui *Genes.* XLIX, 24, vocatur *pastor et lapis Israel*, quia, ut explicat *Eccli.* XLIX, 17, « princeps fuit fratrum, firmamentum gentis, rector fratrum, et stabilimentum populi. »

Petrus idem quod petra, scilicet Ecclesiæ.

Petrus ergo idem est quod petra et fundamentum Ecclesiæ. « Petra enim dicitur, eo quod primus in nationibus fidei fundamenta posuerit, et tanquam saxum immobile totius operis Christiani compagem molemque contineat. Petra ergo pro devotione Petrus dicitur, et petra pro virtute Dominus nuncupatur. Recte consortium meretur nominis, qui consortium meretur et operis, » inquit S. Augustinus, serm. *De Cathedra Petri,* et S. Ambrosius, serm. 47; sic et S. Hilarius, can. 16 *in Matth.* : « O, inquit, in nuncupatione novi nominis felix Ecclesiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius petra, qua inferni leges, et tartari portas, et omnia mortis claustra dissolveret. » Et S. Chrysostomus in *Psalm.* L : « Petrus, inquit, appellatus, qui saxea fide præditus. » S. Leo, *epist.* 89, cap. I : « Tu, inquit, es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, ut æterni ædificatio templi, mirabili munere gratiæ Dei, in Petri soliditate consisteret. » S. Gregorius, lib. VI *Registri,* epist. 37 : « Quis nesciat, inquit, S. Ecclesiam in Apostolorum Principis soliditate firmatam? quia firmitatem mentis traxit in nomine, ut Petrus a petra vocaretur. » S. Germanus Constantinopol., in *Theoria vet. Eccles.* : « Vertex, inquit, ornatus et corona duodecim lapillorum Apostoli sunt : petra vero sanctissimus Apostolus, primus Hierarcharum Christi. » Idem docent Tertullianus, Origenes, S. Athanasius, S. Basilius, S. Epiphanius, S. Nazianzenus, S. Paulinus et alii, quos citat Bellarminus, lib. I *De Roman. Pont.*, cap X et XI.

Hinc apte Syrum *Kepha* alludit et consentit cum Græco κεφαλή, id est *caput*, quia Petrus est caput Ecclesiæ. Sic Hebræum Pascha consentit cum Græco πάσχειν, quia in Paschate passus est Christus. Et Hebræum Jesus cum Græco ἴασις, id est *medela*, sanitas : quia Jesus est medicus et sanator omnium infirmitatum. Unde Kepham κεφαλήν interpretantur S. Anacletus, *epist.* 3, et Optatus Milevitanus, lib. II *Contra Parmen.*, etsi hoc ejus non sit genuinum etymon, ut patet. Forte Christus indens Simoni nomen Cephas respexit ad scopulosum collem prealtum vicinum Hierosolymæ, ex quo tota urbs cerni poterat, qui vocabatur *Kepha*, et postea variata dialecto *Kipho*, de quo Josippus Gorionides, lib. II *Belli Judaici*, cap. XXV. Quod enim hic collis est Hierosolymæ, hoc Petrus est Ecclesiæ.

APOSTOLUS, — κατ' ἐξοχήν, quia Apostolorum princeps; sed hoc ex modestia et humilitate subticet Petrus : unde Pontifex Romanus S. Petro succedens vocatur *Apostolicus*, ejusque cathedra sedes Apostolica. Porro Apostolus idem est quod legatus Christi. Audi Clementem, lib. II *Recogn.* : « Nos, inquit, Apostoli illius qui nos misit, verba exponere missi sumus : proprium vero aliquid dicere non habemus in mandatis, sed verborum illius, ut dixi, aperire veritatem. »

ELECTIS, — supple, scribit hanc epistolam, precaturque omne bonum dicens : « Gratia vobis et pax multiplicetur. » *Electos* accipe ad fidem et gratiam, non ad gloriam : non enim voluit S. Petrus dicere omnes fideles efficaciter electos esse ad gloriam; multo minus voluit eos omnes de hac sui electione certos et securos facere, cum multi defecerint non tantum a gratia, sed et a fide, factique sint hæretici asseclæ Simonis Magi, Menandri, Cerinthi, etc. Id ita esse patet ex eo quod subdit S. Petrus : « In sanctificationem Spiritus, » *q. d.* Scribo electis non immediate ad gloriam, sed ad sanctitatem et gratiam; et *epist.* II, cap. II, vers. 12 : « Nos autem debemus gratias agere Deo semper pro vobis, fratres dilecti a Deo, quod elegerit vos Deus primitias in salutem, in sanctificatione Spiritus, et in fide veritatis. » Antistrophon S. Petro est illud Pauli, *Ephes.* I, 4 : « Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate. » Vide ibi dicta.

Electi qui?

Magna est hæc electio, quia ad magnum bonum, puta ad fidem et gratiam, quæ est semen gloriæ et felicitatis æternæ. Unde cap. II, vers. 9 : « Vos, inquit, genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum, » etc.

ADVENIS. — *Primo*, Lyranus : « advenis », inquit, hoc est proselytis, qui scilicet ex gentilismo conversi erant ad judaismum, et inde ad Christianismum. Verum græce non est προσελύτοις, sed παρεπιδήμοις. *Secundo*, Maldonatus, in cap. VII *S. Joan.*,

Advenæ qui?

vers. 35, per *advenas* accipit Gentiles; hi enim quia toto orbe erant sparsi, vocabantur dispersio, et dispersi, juxta illud S. Joannis ibidem: « Numquid in dispersionem Gentium iturus est, et docturus Gentes? » cum Judæi in Judæa viverent collecti et uniti. *Tertio*, S. Hieronymus, lib. *De Scriptor. Ecclesiast.*, in *Petro*; S. Athanasius in *Synopsi*; Didymus, Œcumenius, Catharinus, Cajetanus et alii hic per *advenas* accipiunt Judæos ad Christum advenientes et conversos. *Quarto* et genuine, « advenæ dispersionis Ponti, Galatiæ, » etc., vocantur Judæi Christiani, qui tum alias, tum recenter ob persecutionem a nece Stephani a Judæis excitatam, *Actor.* VIII, 1, e Judæa dispersi fugerant in Pontum, Galatiam, etc., ibique proinde erant hospites et advenæ, non incolæ et inquilini, esto ibi sedem et domum fixissent. Unde S. Jacobus iisdem scribens ait, cap. I, vers. 1 : « Duodecim tribubus quæ sunt in dispersione, salutem. » Hi enim vocantur græce παρεπίδημοι, id est *incolæ*, qui advenæ sunt, et domicilium habent in aliena terra : παρεπιδημέω enim idem est quod *peregre eo*, advenio, hospes sum.

Fidelis est civis cœli, hospes terræ.

Mystice, tacite monet et innuit S. Petrus fideles in hoc mundo, ubivis gentium sint, æstimare debere se esse hospites et peregrinos, ut nulli loco vel rei cor affigant; sed quasi advenæ pertranseant ad patriam cœlestem, dicantque cum David : « Advena ego sum apud te et peregrinus, sicut omnes patres mei, » *Psalm.* XXXVIII, 13; cogitentque illud Pauli : « Fratres, jam non estis hospites et advenæ, sed estis cives Sanctorum et domestici Dei, » *Ephes.* II, 19. Christiani ergo sunt cives cœli, hospites et advenæ terræ. Vere S. Augustinus, Quæst. XCI *in Levit.* : « Omnis homo, inquit, advena est nascendo, quoniam compellitur migrare moriendo. » Vide eumdem serm. 32 *De Verbis Domini*.

Ex dictis liquet hos advenas gente et genere fuisse Judæos, fide et religione Christianos : e Judæa enim erant exules et profugi; sed sub his omnes fideles Ponti, etiam cives et inquilinos e gentilismo ad Christum conversos intelligit, tum quia primi qui Christi fidem in Pontum, etc., invexerunt, fuerunt advenæ Judæi : hi enim Judæos et Gentiles in Ponto degentes converterunt. Jure ergo advenarum, quasi parentum suorum in Christo, nomine censentur, præsertim quia S. Petro peculiaris cura Judæorum incumbebat, sicut Paulo Gentium, *Galat.* II, 7; tum quia pauci Ponti cives hoc tempore ad Christum conversi erant. Scripta enim est hæc Epistola paulo post apertum per Cornelium fidei ostium Gentibus, anno Christi 45. Major ergo pars Christianorum in Ponto erat advenarum : quare omnes S. Petrus vocat *advenas* per synecdochen.

ADVENIS DISPERSIONIS PONTI. — Hoc est, advenis Ponti ex dispersione : proscriptio enim peperit dispersionem, dispersio fecit exules et advenas Ponti; vel, *q. d.* Advenis dispersis per Pontum; sæpe enim Hebræi abstracta usurpant pro concretis.

PONTI. — « Pontus » regio est Asiæ Minoris vicina Ponto Euxino : unde ab eo nomen accepit. Ponti rex fuit Mithridates. Ex Ponto oriundus fuit Marcion hæresiarcha; unde a Tertulliano, lib. I *Contra eum*, cap. I, « vocatur mus Ponticus qui Evangelia corrosit. » Ponticus quoque fuit Aquila, priscus Scripturarum interpres. Ponitur Pontus hic primo loco. Unde Tertullianus, Cyprianus, Hieronymus, Cassiodorus citantes hanc Epistolam, vocant Epistolam ad Ponticos, sicut primam S. Joannis vocant Epistolam ad Parthos. Porro S. Leo, serm. 1 *De S. Petro et Paulo*, asserit S. Petrum Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, Bithyniam, legibus Evangelicæ prædicationis implevisse. Prædicavit ergo in Ponto Petrus, Ponticosque ad fidem convertit. Ubi nota efficaciam Evangelii et prædicationis S. Petri, utpote qui homines feros et barbaros ad legem et sanctimoniam Christianam traduxerit.

Pontici mire barbari.

Quam enim Pontici fuerint barbari, docet Tertullianus, lib. I *Contra Marcionem*, cap. I : « Pontus, inquit, qui Euxinus natura negatur, nomine alluditur. Cæterum hospitalem Pontum nec de situ æstimes : ita ab humanioribus fretis nostris, quasi quodam barbariæ suo pudore secessit; gentes ferocissimæ inhabitant, si tamen habitatur in plaustro. Sedes incerta, vita cruda, libido promiscua et plurimum nuda, etiam cum abscondunt, suspensis de jugo pharetris indicibus, ne temere quis intercedat : ita nec armis suis erubescunt. Parentum cadavera cum pecudibus cæsa, convivio convorant. Qui non ita decesserint, ut escatiles fuerint, maledicta mors est. Nec feminæ sexu mitigantur secundum pudorem, ubera excludunt, pensum securibus faciunt, malunt militare quam nubere. Duritia de cœlo quoque : dies nunquam patens; sol nunquam liber; unus aer, nebula; totus annus, hibernum; omne quod flaverit, Aquilo est. Liquores ignibus redeunt, omnes glacie negantur, montes pruina exaggerantur. Omnia torpent, omnia rigent; nihil illic nisi feritas calet, illa scilicet quæ fabulas scenis dedit, de sacrificiis Taurorum, et amoribus Colchorum, et crucibus Caucasorum. Sed nihil tam barbarum ac triste apud Pontum, quam quod illic Marcion natus est, Scytha tetrior, Hamaxobio instabilior, Massageta inhumanior, Amazonia audacior, nubilo obscurior, hieme frigidior, gelu fragilior, Istro fallacior, Caucaso abruptior. » Rursum in Ponto Pluto et Proserpina, inferorum dii, humanis hostiis placabantur : ibi quoque antrum erat extracti Cerberi, et Herculis descensus ad inferos, urbsque ipsa Cerberion vocabatur, ac regno Pontico sive Bosphorano inferni nomen inditum. Accolæ vocabantur Tauri Cimmerii (unde Cimmeriæ tenebræ), sive Cimbri, seu Cerberei, Heniochi, Colchi, Cappadoces, Paphlagones. Nonne infernus erat Cimmeria regio diis inferorum sacra, ubi

striges, ubi Acherontis palus, ubi Cerberus? Vide Suidam, Strabonem et alios Cosmographos (1).

Vers. 2. 2. SECUNDUM PRÆSCIENTIAM DEI PATRIS. — « Præscientia » significat providentiam et prædestinationem Dei, qua Ponticos elegit ad fidem et gratiam Christi et Christianismi, providendo eis prædicatores aliaque opportuna media, quibus præsciebat eos auscultaturos et obedituros, ac oblatam Christi fidem et gratiam libere amplexuros. Unde præscientia hæc partim inchoata est et conditionata, partim perfecta et absoluta. Inchoata est, quatenus per eam præscit Deus quid quilibet homo hac vel illa conditione, v. g. vocatione et gratia, sit facturus et libere electurus. Perfecta est, quatenus posita per Dei prædestinationem et decretum conditione, puta tali vel tali vocatione, videt Deus absolute voluntatem hominis libere ei consentire, credere et obedire. Prior præscientia a Theologis vocatur simplicis intelligentiæ; posterior, visionis : hinc et electorum electio juxta priorem est inchoata tantum et conditionata, juxta posteriorem vero perfecta est et absoluta. Prior significatur per τὸ *in sanctificationem*, uti legunt Latina; posterior per τὸ *in sanctificatione*, uti legunt Græca, de quo mox.

Præscientia notat sex dotes.

Porro maluit Petrus dicere « præscientiam, » quam prædestinationem, quia præscientia latius patet et plura innuit : nimirum *primo*, prædestinationem hanc fidelium ad fidem et gratiam factam esse sapientissime, utpote ab æterna Dei omniscii præscientia et providentia. *Secundo*, eam esse arcanam et inscrutabilem, utpote factam arcano divinæ mentis consilio et præscientia. *Tertio*, eam esse suavem æque, ac efficacem et infallibilem. Suavem, quia liberum arbitrium non coegit, sed suaviter allexit ad fidem, providendo illa media quibus præsciebat et prævidebat liberum arbitrium libere consensurum, et usurum ad suam salutem; efficacem et infallibilem, quia providentia Dei cum omnia prospiciat et prævideat, quibus rationibus movenda sit voluntas hominis, dum eas illi suggerit, efficaciter et infallibiliter eam movet, flectitque ad libere consentiendum. Hoc est quod de æterna Dei Sapientia ait Sapiens, cap. VIII, vers. 1 : « Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter. » *Quarto*, eam prævenire nostra opera et merita, ac proinde esse liberalem et gratuitam, dignamque omni laude et gratiarum actione. Hoc enim significat τὸ *præ* et *pro* in præscientia et providentia. *Quinto*, hanc Dei in suos electos quasi filios providentiam esse paternam, summam et divinam : illam enim significat τὸ *Dei Patris*. *Sexto*, præscientiam hanc Dei non tantum esse speculativam, sed et practicam : includit enim Dei voluntatem, amorem et decretum dandi gratiam, qua ad fidem, justitiam et salutem perducamur.

Porro S. Cyrillus, lib. *De Recta fide ad Reginas*, et Œcumenius hic, « præscientiam » referunt ad Petrum Petrique apostolatum, quasi ille ipse collatus sit per Dei pæscientiam, id est providentiam; et proinde non dignitate, sed tempore duntaxat inferior sit Jeremia, qui cap. I, a Deo audivit : « Priusquam formarem te in utero, novi te. » Melius alii passim « præscientiam » referunt ad τὸ *electis*, *q. d.* Scribo electis, qui ad fidem a Deo electi et directi sunt per suavem ejus præscientiam et providentiam. Antistrophon Petri est illud Pauli : « Non repulit Deus plebem quam præscivit, » *Rom.* XI, 2. « Quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, » *Rom.* VIII, 29. « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? » *Rom.* XI, 34. Vide ibi dicta.

DEI PATRIS. — « Pater » hic accipi potest tum notionaliter, ut significet primam personam S. Trinitatis, quæ genuit Filium; tum essentialiter, ut significet Deum, qui tribus personis est communis. Hic enim est pater respectu hominum, angelorum et creaturarum omnium.

IN SANCTIFICATIONEM SPIRITUS. — Œcumenius hæc refert ad τὸ *Apostolus*. Unde omnia hæc sic contexit et explicat : « Petrus ex præcognitione Dei Patris missus Apostolus ad segregandos ipsi in Spiritu, et obedientes reddendos eos, qui aspersionem sanguinis Jesu expiatricem admiserunt, vobis electis peregrinis ex dispersione Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ et Bithyniæ, gratia et pax multiplicetur. » Alii melius referunt ad τὸ *electis*, *q. d.* Electi estis a Deo ad sanctificationem Spiritus, tum activam, ut scilicet Spiritus Sanctus vos per gratiam infusam sanctificet; tum consequenter passivam, ut scilicet anima et spiritus vester a Deo, misso in vos Spiritu Sancto, sanctificetur; τὸ ergo *Spiritus* significat *primo*, hanc sanctificationem esse proprium opus Spiritus Sancti, ita tamen ut reliquæ duæ personæ S. Trinitatis non excludantur, sed potius in eo per divinam περιχώρησιν, id est *circumincessionem*, ut ait Damascenus, includantur. Unde mysterium S. Trinitatis tresque ejus personas nominat hic S. Petrus : scilicet primam, dicens *Dei Patris*; secundam, dicens *Jesu Christi*; tertiam, dicens *Spiritus*. Rursum apposite Patri tribuit electionem, præscientiam et prædestinationem, Spiritui Sancto sanctificationem, Filio aspersionem sanguinis : eo enim nos redemit et abluit a peccatis nostris. *Secundo*, τὸ *Spiritus* significat hanc sanctificationem non esse carnis, uti erat illa legis veteris, sed spiritus. *Tertio*, in sanctificatione nobis infundi spiritum, puta habitum gratiæ, charitatis cæterarumque virtutum, quibus imbuta mens nostra

(1) Quum hic separatim nominatur *Asia*, ea intelligenda est pars Asiæ, quæ κατ' ἐξοχὴν sic dicitur, Romana provincia, sive Asia proconsularis, Phrygiam, Mysiam, Cariam, Lydiam, oramque omnino maritimam Asiæ Minoris complexa.

fiat spiritalis, imo spiritus; ut instar spirituum angelicorum, spirituali et angelica puritate et sanctitate placeat et serviat Deo. Porro hunc spiritum haurimus et participamus a Deo et Spiritu Sancto, per illumque ei similes efficimur, juxta illud : « Qui adhæret Domino, unus spiritus est, » I *Cor.* cap. VI, vers. 17.

Nota : Pro *in sanctificatione* græce est ἐν ἁγιασμῷ, id est *in sanctificatione*, vel etiam *in sanctificationem* : sæpe enim ἐν ponitur pro εἰς : utrumque verum, et huic loco congruum. Inchoate enim elegit nos Deus in sanctificationem, quando nos ab æterno destinavit, et in tempore vocavit ad sanctitatem; perfecte vero elegit nos in sanctitate, quando jam libere credentes baptizatos et sanctificatos amat, et elegit ad suam gratiam, amicitiam, filiationem et hæreditatem. Idem dicit Paulus, *Ephes.* cap. I, 4, et I *Thessalon.* V, 23 : « Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia, ut integer spiritus vester, et anima, et corpus, sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur. » Vide ibi dicta. Moraliter discant hic Christiani quanti facienda sit sanctitas, utpote ad quam ab æterno a Deo electi sint, qui ad hoc misit Christum in mundum, ut scilicet « serviamus illi in sanctitate et justitia coram ipso omnibus diebus nostris, » ut canit Zacharias, *Lucæ* I, 75. « Hæc est enim voluntas Dei sanctificatio vestra, » ait Paulus, I *Thessal.* IV, 3. Christiani ergo sibi a Deo et Christo dici putent illud Dei per Mosen : « Eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus, et separavi vos a cæteris populis, ut essetis mei, » *Levit.* XX, 26; et XXII, 32 : « Ego Dominus qui sanctifico vos. » Orent ergo assidue cum Davide : « Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis. Ne projicias me a facie tua, et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me. Redde mihi lætitiam salutaris tui, et Spiritu principali confirma me. »

IN OBEDIENTIAM ET ASPERSIONEM SANGUINIS JESU CHRISTI. — Præpositio *in* potest *primo*, significare causam meritoriam, ut sit idem, quod *per*, *q. d.* Electi sumus ad sanctitatem per obedientiam Christi usque ad mortem, et per sanguinem ejus in cruce effusum, quo in baptismo aspersi et lustrati sumus. Ita Lyranus et Cajetanus. Hebræum enim ב, id est *in*, sumitur pro *per*, *propter*, *ex*, adeoque omne genus causæ significat, ut ostendi *Can.* 25 in S. Paulum.

Secundo, τὸ *in* significat causam finalem, *q. d.* Fideles electi sunt a Deo ad sanctitatem, hoc fructu et fine, ut ejus jussis obediant, et indies fructum majorem (Hebraice enim ב, id est *in*, cum accusativo significat augmentum) effusionis sanguinis Christi, puta perseverantiam et vitam æternam, consequantur in cœlo : hoc enim per aspersionem sanguinis Christi nobis reseratur, ut ait Paulus, *Hebr.* IX, 11. Per metonymiam ergo et metalepsim ponitur sanguis Christi pro reseratione cœli et cœlesti gloria, sicut causa ponitur pro effectu, meritum pro mercede : ut S. Petrus tres effectus prædestinationis divinæ assignet, scilicet electionem, obedientiam et vitam æternam per merita sanguinis Christi, sicut S. Paulus eosdem assignat, dum eos nominat vocationem, justificationem et glorificationem, *Rom.* VIII, 30.

Tertio, *in* significare potest causam materialem, *q. d.* Electi sunt a Deo qui Christo obedientes se præstiterunt, et sanguinem Christi pro se effusum per fidem amplexi, eo se asperserunt et purificarunt. Ita S. Cyrillus, *De Fide ad Reginas*, et Œcumenius.

Secundus sensus profundus est, sed obscurus et novus : nusquam enim ita accipitur aspersio sanguinis. Primus ergo planus est et usitatus; si quis tamen secundum cum multis sequi malit, dicat aspersionem sanguinis Christi metonymice poni pro fructu aspersionis sanguinis Christi, hoc sensu, *q. d.* Vocati estis ad sanctitatem, hoc fine ut Christo obediendo, ejusque sancta præcepta et monita sequendo, ejusque redemptionem, sanguinem et mortem indies commemorando, magis magisque ejus fructum percipiatis; ut scilicet indies in omni virtute et sanctitate crescatis et proficiatis, usque ad finem vitæ, itaque cœlestis gloriæ thesauros consequamini.

Sanguis Christi est balneum animæ ægræ.

Nota : Sanguinem Christi hic fidelibus proponit S. Petrus, quasi balneum quoddam pretiosissimum ad sanctificationem, hoc est, ad sanandos omnes animi morbos, omnesque virtutes (quæ non aliud sunt quam sanitates animæ) conciliandas et augendas efficacissimum, quod proinde crebro omnique die et hora usurpare debeamus. Alludit ad aspersionem sanguinis victimarum veteris Testamenti, in qua omnis illius ævi purificatio et sanctimonia consistebat, uti ostendi *Levit.* I; maxime vero alludit ad aspersionem leprosi mundandi : hic enim die octavo aspergebatur sanguine victimæ, eoque mundabatur ab immunditia legali, quæ arcebat eum quasi irregularem a templo hominumque convictu, qua hucusque ob lepram irretitus fuerat, *Levit.* XIV. Leprosus enim typice figurabat peccatorem, qui a lepra peccati mundatur per aspersionem, id est, applicationem sanguinis Christi, quæ fit per baptismum aliaque Sacramenta, item per fidem, contritionem et bona opera. Hoc est quod prædixit Isaias, cap. LII, 15 : « Iste asperget gentes multas, » *q. d.* Christus suo sanguine per aquam baptismi multos abluet a peccatis, justificabit et sanctificabit. Hoc est quod orat David *Psalm.* L : « Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor, » *q. d.* Sicut olim leprosus typice mundabatur per aspersionem hyssopi sanguine victimæ tincti, ita aspersione sanguinis Christi, qui vere est hyssopus sanguineus Agni immaculati mundans peccata, elue et emunda meum reatum homicidii et adulterii. Orat enim per sanguinem et merita Christi venturi, per hyssopum, sanguinem et agnum præfigurati, sibi remitti peccata,

Ita S. Ambrosius, *De Apolog. David*, cap. XII. Sic Apostolus, *Hebr.* X, 22 : « Aspersi, ait, corda a conscientia mala, » id est, in cordibus sanguine Christi per baptismum lustrati et purgati a peccatis. Unde explicans subdit : « Et abluti corpus aqua munda » baptismi. Aspersio ergo sanguinis idem est quod lustratio et purificatio e peccatis, quæ fit per sanguinem Christi. Vide dicta *Hebr.* IX, 13.

Porro hæc aspersio, id est, applicatio sanguinis Christi, adhibetur animæ, *primo*, per baptismum aliaque Sacramenta, præsertim Eucharistiæ : in ea enim realiter comedimus corpus et bibimus sanguinem Christi. *Secundo*, per fidem et orationem, obsecrando scilicet ut Deus per merita sanguinis Christi nobis peccata remittat, gratiam donet, virtutes largiatur et augeat. Sic Ecclesia omnes orationes et collectas concludere solet dicendo : « Per Dominum nostrum Jesum Christum, » etc. *Tertio*, per rememorationem et meditationem passionis Christi; hac enim gratos nos exhibemus Christo, ejusque pretiosam redemptionem celebramus, ac per eam beneficia speramus, poscimus et impetramus. Atque hac de causa Christus sacrificium Missæ et Eucharistiæ instituit, ut in eo jugiter tantam passionis ejus dignationem recoleremus, et cum omni gratiarum actione celebraremus, juxta illud : « Hoc facite in meam commemorationem. » Et : « Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat, » I *Cor.* XI, 26. *Quarto*, uniendo operationes et passiones nostras actionibus et passionibus Christi : hoc enim Christo perhonorificum, Patri gratissimum, nobis utilissimum est : dum enim nostra exilia opera unita operibus divinis Christi, iisque quasi vestita et inaurata, ejusque sanguine purpurata Deo Patri offerimus, conciliamus ejus oculos (ut respiciat in faciem Christi sui) et gratiam, ac impetremus quod obsecramus. Unde viri pii et sapientes idipsum studiose factitant. Hoc est quod ait Paulus *Hebr.* XII, 24 : « Accessistis, etc., ad Testamenti novi mediatorem, et sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel, » quia sanguis Abel clamat vindictam, Christi misericordiam.

GRATIA VOBIS ET PAX MULTIPLICETUR. — Gratiam intellige tum increatam in Deo, tum creatam in nobis. Increata est, benevolentia, amor, favor, quo Deus suos prosequitur; creata, est gratia donaque quæ Deus ex amore gratis in animam infundit. Gratiæ effectus et comes est pax triplex, scilicet pax cum Deo, nobiscum et cum proximis. Itaque S. Petrus tam pacem quam gratiam in fidelibus augeri et perfici precatur, exemplo Christi, qui discipulos post resurrectionem salutans, ait : « Pax vobis, » præsertim quia ipse eam non tantum promisit, sed et dedit, dicens : « Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, » *Joan.* cap. XX; unde S. Cyrillus, lib. XII *in Joan.*, cap. LIII et LIV, et lib. X, cap. VII : Lex, ait, quædam Ecclesiæ tradita est : in sanctis enim congregationibus hæc sæpius ad invicem dicimus. Pacem enim et ad nos, et ad Deum habere, fons et origo omnium bonorum est. Quare Paulus quoque omne bonum fidelibus optans dicit : « Gratia vobis et pax. » Porro Cyrillus pacem, quam Christus optabat et relinquebat Apostolis, censet esse Spiritum Sanctum, quia scilicet ipse est pax causalis; causat enim pacem. Sic Christus dicitur esse pax nostra, *Ephes.* II, 14, id est, pacificator noster, qui pacem inter nos et Deum conciliavit.

3. BENEDICTUS DEUS. — Orditur a benedictione, gratiarum actione et laude Dei, quia celebrat ingens beneficium redemptionis Christi, nostræque per eum vocationis ad gratiam et gloriam æternam. Idem facit Paulus, toto cap. I *ad Ephesios*, quo mire hoc Dei beneficium extollit, scrutatur et admiratur. Quin et Gentiles nonnulli suas epistolas et libros a Deo inchoant. Ita Aratus sua *Phænomena* orditur : « A Jove principium, » etc., uti recensui *Actor.* XVII, 28. Porro hæc Dei laus et benedictio est vox angelica, et inchoatio vitæ beatæ. Beati enim in cœlis absorpti in mare divinitatis non nisi Deum laudant et glorificant, *Apoc.* IV, 8 et 10. Vide ibi dicta. Vers. 3.

Moraliter nota, corda et ora Sanctorum esse quasi altare thymiamatis, quod jugiter thymiama divinæ laudis exhalat, et quasi apiarium, imo favos, qui perenniter doxologiæ mella stillant, ut cum S. Job, tam in prosperis quam in adversis dicant : « Sit nomen Domini benedictum; » et cum Psalte *Psalm.* XXXIII : « Benedicam Dominum in omni tempore; » et cum tribus pueris in camino ignis : « Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate et superexaltate eum in sæcula, » *Daniel.* III; et cum Zacharia : « Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ, » *Luc.* cap. I; et cum B. Virgine : « Magnificat anima mea Dominum. » Ita Paulus omnes pene suas Epistolas orditur a gratiarum actione, vel benedictione Dei. Os Sanctorum est quasi altare thymiamatis.

PATER DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI, — tum quoad divinitatem, per generationem ei communicatam ab æterno; tum potius quoad humanitatem, quam per operationem Spiritus Sancti in tempore ipsi efformavit in utero B. Virginis, qua ratione tota S. Trinitas dicitur Pater Christi et Christianorum : nomen enim *Jesus* est nomen humanitatis Christi, non divinitatis. Passim quippe Apostoli celebrant mysterium incarnationis Christi, tum quia novum, tum quia per illud peracta est redemptio nostra : quia non nisi per ejus fidem et merita justificamur et salvamur.

QUI SECUNDUM MISERICORDIAM SUAM MAGNAM. — Causam cur Deum benedicat, dat magnam ejus misericordiam nobis per Christum exhibitam. Alludit ad illud *Psalm.* L, 1 : « Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam, et secundum multitudinem miserationum tuarum dele

iniquitatem meam.» Et *Psalm.* CXLIV, 9 : «Miserationes ejus super omnia opera ejus.» Et *Psalm.* CVII, 5 : «Magna est super cœlos misericordia tua.» S. Petro succinit Paulus, II *Cor.* I, 3 : «Benedictus Deus, etc., pater misericordiarum, et Deus totius consolationis.» Et *Ephes.* II, 4 : «Deus autem, qui dives est in misericordia, per nimiam suam charitatem qua dilexit nos.»

Misericordia Dei magna sextupliciter. Primo.

Porro misericordia Dei magna, id est maxima et immensa est, *primo,* ex causa efficiente, quia promanat a Deo, ejusque amore in nos immenso : tanta ergo est, quanta est deitas, cum qua unum est idemque. *Secundo,* ex objecto, quia scilicet

Secundo.

donavit nobis Filium suum unigenitum, ut in eo viscera sua in nos effudisse videatur, juxta illud Zachariæ : «Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus nos visitavit Oriens ex alto,» *Lucæ* I. Magna ergo est, quia Deus immensus se exinanivit usque ad mortem, mortem autem crucis, ut hominis sibi inimicissimi misereretur, eumque ab

Tertio.

æterna miseria liberaret. *Tertio,* ex subjecto, quia nos homines, quasi vermes vilissimos plenos peccatis, omnique miseria ad se evocavit, et evexit ad suam gratiam et gloriam, juxta illud : *Abyssus* humanæ miseriæ *abyssum* divinæ misericordiæ *in-*

Quarto.

vocat, Psalm. XLI, 8. *Quarto,* ex copia donorum, quia innumera beneficia, gratias et dona nobis contulit, et conferre non cessat. Unde S. Augustinus, conc. 2 *in Psalm.* LVIII : «Totum, ait, quidquid sum, Domine, de misericordia tua est : ut enim essem, quid feci? ut essem qui te invocarem, quid egi? Quia ergo nemo te in misericordia largior, a quo accepi ut essem, ab illo accepi ut bonus essem, Deus meus, misericordia mea.»

Quinto.

Quinto, magna est loco et tempore, quia ad omnes homines omnium locorum, temporum et sæculorum se extendit, juxta illud *Psalm.* XXXII, 5 : «Misericordia Domini plena est terra.» Rursum

Sexto.

in Sanctis durat in æternum. *Sexto,* ex fine, quia ducit nos ad magnum suum regnum, suæque hæreditatis et gloriæ immensæ nos participes facit et consortes, juxta illud Psaltis : «Clamavi ad te, Domine; dixi : Tu es spes mea, portio mea in terra viventium.» *Psalm.* CXLI, 6. Magna ergo est, *primo,* quia a magno manat Deo; *secundo,* quia per magnum datur Christum; *tertio,* quia magnam levat miseriam; *quarto,* quia magna dat dona; *quinto,* quia magnas ambit gentes, loca et tempora; *sexto,* quia magno nos beat Cœlo et Deo.

Regeneratio duplex. Prima.

REGENERAVIT NOS IN SPEM VIVAM. — Regeneratio est duplex : *Prima* est justificatio et sanctificatio, qua a morte peccati suscitamur et revocamur ad vitam gratiæ perditam in lapsu Adami; hæc dicitur regeneratio, id est, iterata et secunda generatio : quia prima generatio fuit in Adamo, qua Deus Adamum, et in eo posteros omnes creavit in gratia, per eamque filios suos effecit, ideoque in spiritu

Secunda.

genuit. *Secunda* generatio, hoc est regeneratio, est qua lapsi et mortui per Christum revocamur ad primævam vitam et gratiam quam habuimus in Adamo, ante lapsum. Regeneratio secunda est resurrectio : per illam enim a morte suscitamur, et in novam vitam quasi regeneramur, puta cœlestem, beatam et æternam; hæc dicitur regeneratio respectu primæ generationis, qua a parentibus nostris geniti sumus in vitam hanc naturalem et mortalem. Utroque modo hic accipi potest.

Juxta primam enim sensus erit, *q. d.* Deus per Christum, Christique baptismum et gratiam nos regeneravit, id est justificavit, et ad vitam gratiæ revocavit, «in spem vivam,» id est, hoc fine et fructu, ut scilicet per gratiam speremus consequi gloriam et vitam æternam.

Juxta secundam sensus erit, *q. d.* Christus nos suo sanguine aspergens, purificans, sanctificans et vivificans regeneravit, id est, resuscitavit nos ad gloriam et vitam beatam, «in,» id est, per spem vivam. «Spe enim salvi facti sumus;» hæc enim spes ex parte Dei promittentis ita est viva, certa et efficax, ac si rem speratam, puta vitam beatam, nobis reipsa daret, et in manus consignaret. Quo sensu ait Paulus : «Habemus per fidem accessum in gratiam istam, in qua stamus et gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei,» *Rom.* cap. V, vers. 2; et : «Conresuscitavit et consedere fecit in cœlestibus,» *Ephes.* II, 6, *q. d.* Christus resurgendo et ascendendo in cœlum nos secum evexit, sibique assidere fecit in cœlo : adeo enim certi sumus, si Christo inhæreamus, nos illi assessuros in cœlo, ac si jam ei assideremus : «quo enim præcessit gloria capitis, eo spes vocatur et corporis,» ait S. Leo. Unde S. Augustinus in *Meditat.* XV : «Hæc tota, ait, mihi est spes, omnisque fiducia est in ipso Jesu Christo, qui uniuscujusque nostrum portio est, caro et sanguis. Ubi ergo portio mea regnat, ibi me regnare credo : ubi caro mea glorificatur, ibi me gloriosum esse recognosco : ubi sanguis meus dominatur, ibi me dominari sentio.» Unde

Tertio, sic exponi potest, ut spes viva vocetur, ipsa regeneratio, *q. d.* Regeneravit, id est rursum generavit et vivificavit nos, dando nobis non rem, puta gloriam, sed ejus spem vivam : hæc enim spes viva est quasi anima et vita Christiani, qua vivit vigetque in laboribus et tribulationibus pro Christo, quia scilicet sperat ab eo vitam æternam : illam enim vitam per spem præcipit, ut videatur jam illam possidere, illaque vivere, ac proinde per spem jam videtur regeneratus et resuscitatus. Inde enim spem vocat «vivam,» quia scilicet fideles remunerat et vivificat; de quo mox plura. Ubi adverte τὸ *in* phrasi Hebræa significare augmentum spei vivæ, *q. d.* Regenerat nos Deus, indiesque magis in Christianismo vividos et vegetos facit per spem, quam indies majorem magisque vivam in nobis suscitat, per nova auxilia et robora gratiæ, per continuam opem, directionem et protectionem, per varias consolationes, quas in mediis tribulationibus et desolationibus

majores et copiosiores quotidie nobis suggerit et aspirat.

Spes viva septupliciter. Primo. IN SPEM VIVAM. — Dicitur *spes viva, primo,* quia sperat vitam æternam. Unde S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovinianum,* legit *in spem vitæ.* Alii, apud S. Augustinum, lib. I *De Peccat. merit.,* cap. XXVII, legunt *in spem vitæ æternæ.* Metonymice ergo «spes viva» ponitur pro vita sperata, sive pro re viva obtinenda per spem. Significanter vero ait, «vivam,» ut indicet vitam præsentem esse mortalem et mortuam, magisque esse mortem quam vitam. Nam, ut ait S. Gregorius, homil. 37 *in Evangel.* : «Temporalis vita æternæ vitæ comparata, mors est potius dicenda, quam vita Ipse enim quotidianus defectus corruptionis quid est aliud, quam quædam prolixitas mortis?»

Secundo. *Secundo,* quia spes hæc non est fallax et dubia, qualis est mundanorum sperantium opes et honores, sed verax et certa, ut, nisi per nos steterit, certo gloriam speratam simus adepturi, ait Beda.

Tertio. *Tertio,* quia hæc spes nunquam moritur, nec interit, sed semper vivit, donec ad rem speratam

Quarto. nos perducat. *Quarto,* spes dicitur «viva,» quia fidelium vitam sustentat, ut in mediis tribulationibus vivant læti, in viva spe gloriæ : spes ergo dat eis vitam et animos, facitque eos vivere et vigere in quibusvis adversitatibus. Unde Philo, lib. *Quod deterius potiori insidiatur* : «Quid enim, ait, homini magis potest esse proprium, quam spes et exspectatio possessionis bonorum accipiendorum a solo munificentissimo Deo? Quod genus hominum, si vera fateri volumus, proprie hominum est; tanquam hi qui non sperant in Deum, extra naturam rationalem censeantur.» Ita Paulus : «Quod autem nunc vivo in carne, inquit, in fide (et spe : hanc enim parit et includit fides) vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me,» *Galat.* II, 20. Homo enim desperans languet instar mortui, sperans vero vivit et valet, juxta illud Tibulli, lib. II :

—— Credula vitam
Spes fovet, et melius cras fore semper ait.
Spes alit agricolas, spes sulcis credit aratis
Semina.
Spes etiam valida solatur compede vinctum.

Vide S. Bernardum, serm. 7 in Psalm. *Qui habitat* : «In spe, ait, vivimus, fratres, nec deficimus in tribulatione, quod in exspectatione simus ineffabilium gaudiorum. Neque enim vana nobis hæc exspectatio, aut dubia spes videtur innixa æternæ promissionibus veritatis. Deinde etiam ex perceptione præsentium munerum, firma est exspectatio futurorum; et præsentis gratiæ virtus nimis credibiliter attestatur felicitatem promissæ gloriæ sine dubio secuturam. Nempe Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ, gratiam et gloriam dabit Dominus. Viriliter ergo sustineat in hoc sæculo pietas colluctationem, et persecutionem quamlibet æquanimiter patiatur.»

Quinto, spes dicitur «viva,» id est, vegeta et virens. Sicut enim Ezechiel, cap. XXXVII, 4, Judæorum in Babylone desperationem de liberatione et reditu in Jerusalem repræsentat per ossa arida, ita eorumdem spem excitat et vivificat per visionem, qua vidit hæc ossa reviviscere. Unde S. Gregorius, lib. XXXI *Moral.*, cap. XXXIV vel XVIII : «Arentia, ait, corda sunt hominum, quæ in hujus sæculi spe peritura plantata, æternitatis fiduciam non habent : virent autem, quæ illi hæreditati inhærent. Quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me,» *Psalm.* IV, 10, et : «In te, Domine, speravi, non confundar in æternum,» *Psalm.* XXX, 1. Quinto.

Sexto, sicut aquæ stantes et stagnantes dicuntur mortuæ, fontanæ vero et fluentes dicuntur vivæ, quia vita, id est, vitalis operatio, consistit in actione et motu : ita «spes viva» dicitur, quæ hominem excitat ad vivas et heroicas actiones virtutum, quibus gloriam speratam adipiscatur. Hinc ait S. Paulus : «Sancti per fidem (utique et spem) vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum, acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos : alii autem distenti sunt non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem, etc. Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt, circuierunt in melotis,» etc. Sexto.

Denique Clemens Alexandrinus, lib. I *Pædagog.* cap. VI, spem censet vocari «vivam,» eo quod spes fidei det vitam, ejusque quasi sit anima. «Ecclesia, inquit, constat corpore, scilicet fide, anima vero spe, uti Christus constat carne et sanguine (sanguinem enim veteres putarunt esse substantiam animæ). Revera enim sanguis fidei est spes, in qua continetur, sicut fides ab anima. Cum autem spes expiraverit, perinde ac si sanguis effluxerit, vitalis fidei facultas dissolvitur.» Septimo.

Hac spe viva excelluit S. Martinus, cum Juliano Apostatæ metum exprobranti respondit : «Ego signo crucis, non clypeo protectus aut galea, hostium cuneos penetrabo securus;» et cum a latronibus captus dixit se nihil prorsus timere : «Scio enim, inquit, Deum in majoribus periculis magis adesse suis in se confidentibus.» Et cum in morte diabolo dixit : «Quid hic astas, cruenta bestia? nihil in me funeste reperies;» et suis : «Sinite me cœlum potius quam terram aspicere, ut suo jam itinere iturus ad Dominum spiritus dirigatur.» Plura recensui *Jeremiæ* cap. I, 18, et XVII, 8.

PER RESURRECTIONEM JESU CHRISTI EX MORTUIS. — Refert hæc *primo* ad τὸ *in spem vivam, q.d.* Spes nostra est viva, sive sperans vitam æternam, quia in hanc præcessit Christus caput nostrum per resurrectionem, ut nos secum quasi membra in eamdem induceret. Spes enim viva dicit : Spero me resurrec-

turum, quia Christus redemptor meus resurrexit, non tantum pro se, sed et pro me, ut scilicet me a morte ad vitam et gloriam suscitaret. *Secundo*, refer ad τὸ *regeneravit, q. d.* Deus nos regeneravit, id est, suscitavit tam a peccato ad gratiam, quam a morte ad vitam æternam per resurrectionem Christi : hæc enim fuit causa non tantum exemplaris, sed et efficiens nostræ resurrectionis, idque *primo*, quia Christus sua passione et morte, cujus finis et terminus fuit resurrectio, meruit nobis utramque suscitationem.

Secundo, quia Christus resurgens mortem plane devicit, eamque non tantum in se, sed et in nobis quasi ejus domitor et triumphator profligavit. Unde ait Paulus *Roman.* IV, 25 : « Qui traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram. » Vide ibi dicta et cap. VI, vers. 4 : « Ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus : si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus. »

Tertio, quia Christus, qui resurrexit in die judicii, partim per se, partim per angelos, nos resuscitabit, juxta illud *Philip.* III, 20 : « Nostra autem conversatio in cœlis est ; unde etiam Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. »

Præclare S. Hieronymus *ad Heliodorum*, in Epitaphio Nepotiani : « Qui, inquit, per Osee quondam tibi rigidus minabatur : Ero mors tua, o mors, ero morsus tuus, inferne ; illius morte, tu mortua es, illius morte, nos vivimus : devorasti, et devorata es ; dumque assumpti corporis sollicitaris illecebra, et avidis faucibus prædam putas, interiora tua adunco dente confossa sunt. Gratias tibi, Christe Salvator, tua agimus creatura, quod tam potentem adversarium nostrum, dum occideris, occidisti. »

Spes ergo nostra, æque ac amor et jubilus cordis nostri, est Christus. Audi S. Bernardum, serm. 9. in Psalm. *Qui habitat* : « Quoniam tu es, Domine, spes mea. Quidquid igitur agendum sit, quidquid declinandum, quidquid tolerandum, quidquid optandum, tu es, Domine, spes mea. Hæc una mihi omnium promissionum causa, hæc tota ratio meæ exspectationis. Prætendat alter meritum, sustinere se jactet pondus diei et æstus, jejunare bis in sabbato dicat, se non esse sicut cæteros hominum glorietur : mihi adhærere Deo bonum, ponere in Domino spem meam. Sperent in aliis alii : forte hic in scientia litterarum, hic in astutia sæculi, ille in nobilitate, ille in dignitate, ille in alia qualibet vanitate confidat : propter te omnia detrimenta feci, et ut stercora arbitror, quoniam tu es, Domine, spes mea. Si mihi præmia promittuntur, per te obtinenda sperabo. Si insurgant adversum me prælia, si sæviat mundus, si fremat malignus, si ipsa caro adversus spiritum concupiscat, in te ego sperabo. Fratres, hoc sapere, ex fide vivere est ; nec alius ex sententia dicere potest : Quoniam tu es, Domine, spes mea, etc. Ut quid enim, si hæc sapimus, ut quid cunctamur abjicere omnes spes miseras, vanas, inutiles, seductorias, et huic uni tam solidæ, tam perfectæ, tam beatæ spei tota devotione animi, toto fervore spiritus inhærere ? »

EX MORTUIS, — ex numero, statu et loco mortuorum, puta ex sepulcro et inferno.

Vers. 4

4. IN HÆREDITATEM. — Refer ad *regeneravit, q. d.* Regeneravit nos Deus in baptismo, suosque filios effecit, ut hæreditatis suæ faceret participes et hæredes. Ideo enim parentes generant filios, ut eos habeant hæredes. Posset quoque referri ad τὸ *spem vivam, q. d.* Regeneravit nos in spem vivam, quæ sperando tendit in hæreditatem, sive quæ est spes hæreditatis incorruptibilis. Hebræi enim sæpe per ב *bet*, id est *in*, cum accusativo, significant regimen genitivi.

Hæreditas nostra est Deus et cœlum.

Porro hæreditas hæc, quam Deus filiis suis dilectis et electis dabit, est regnum cœlorum, ipseque Deus totus quantus quantus est. Beati enim videndo et contemplando Deum, eo fruuntur, gaudent et beantur in æternum. Ita S. Augustinus, serm. 19. *De Temp.* : « Unam, ait, cum sanctis angelis civitatem habemus, a Domino possidebimur, hæreditas ejus erimus, et ipse hæreditas nostra erit ; quoniam et modo dicimus : Dominus pars hæreditatis meæ. Et de nobis dictum est : Postula a me, et dabo tibi Gentes hæreditatem tuam. »

Est incorruptibilis quadrupliciter.

INCORRUPTIBILEM, — natura et substantia. Opponit hoc epithetum hæreditati, *primo*, Judæorum, quorum hæreditas in terra promissa lacte et melle manante, puta in Chanaan, fuit corruptibilis, quia caduca et modici temporis. *Secundo*, hæreditati Chiliastarum, sive Millenariorum, qui dicebant Sanctos mille annos duntaxat regnaturos in hac vita, quorum auctor fuit Cerinthus, S. Petro coævus et antagonista : de quo plura *Apocal.* cap. XX, vers. 4. *Tertio*, errori Origenis, qui ex Platone docebat, post annum magnum, puta post duodecim, vel, ut alii, 36 annorum millia, omnia revolvenda et reditura ad pristinum vel primævum statum ; ideoque Beatos in cœlo ad præsentem vitam redituros. Ita Didymus. *Quarto*, hæreditati terrenæ, quam parentes filiis corruptibilibus corruptibilem relinquunt ; Christiana enim hæreditas est immortalis, incorruptibilis, æterna, quæ nec morte, nec senio, nec tempore ullo mutatur, aut corrumpitur ; quia hæc hæreditas est cœlum empyreum, quod est incorruptibile, imo est ipse Deus immortalis, ut paulo ante dixi. Animæ enim immortali immortalis hæreditas et felicitas uti debetur, ita et adæquatur. Vere S. Augustinus, in *Ps.* CXLIX : Deus, ait, erit hæreditas nostra, « quæ nec minuitur copia possessorum, non fit angustior numerositate cohæredum : sed tanta est multis, quanta paucis ; tanta singulis, quanta omnibus, cum in creata hæreditate longe aliud eveniat.

Tunc pariter corpus hoc corruptibile induet incorruptionem, et mortale hoc immortalitatem, » ut ait Apostolus, I *Corinth.* XV, 53.

Et incontaminata. ET INCONTAMINATAM. — Opponit id errori Judæorum, Chiliastarum, Mahometi et Saracenorum, quia paradisum exspectant, in quo omni voluptate carnis fruantur, omnique luxu et libidine se contaminent. Rursum errori Origenis, qui dicebat animas Beatorum post annum magnum e cœlis et consortio angelorum redituras ad carnem hanc miseram et contaminatam. Contra hos ait Petrus cœlestem hæreditatem fore uti incorruptibilem, ita pariter puram semper et incontaminatam ab omni non solum culpa, sed et a qualibet sorde, vitio et nævo. Quocirca *Apocal.* XXI, 27, de ea dicitur : « Non intrabit in eam aliquod coinquinatum. » Et *Psalm.* XXIII, 3 : « Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus et mundo corde, qui non accepit in vano animam suam. »

Pro *incontaminatam* græce est ἀμίαντον, id est *impollutam*, defæcatam, incontaminatam, immaculatam, puram. Unde amiantus lapis vocatur, qui in Cypro nascitur, scissili alumini similis, quo utpote lento, telas conficiunt, quæ in ignem conjectæ accenduntur quidem, aguntque flammas, sed nulla amissa parte nitidiores evadunt, teste Dioscoro, lib. V, capite CXIII, et Plinio, lib. XXXVI, cap. XIX, qui ait : « Amiantus alumini similis, nihil igni deperdit. » Unde idem, lib. XIX, cap. I, eumdem linum vivum appellat, sed fallitur, dum censet vere esse linum, quod in India nascatur, cum sit lapis, vel alumen. Quare amiantus divinitatis, utpote purissimæ, est imago et symbolum; qua de causa Brachmanes ex amianto vestes sibi conficiebant, ut divinitatis de se specimen ederent : ex eo quoque funebres regum vestes texebantur, ut illis tecti corporum in rogum injectorum cineres a cinere lignorum secerni possent, ait Mathiol. in *Dioscor.* lib. I, cap. CXIII, et Plinius, lib. XIX, cap. I.

Nota *secundo*, « incontaminatam, » id est *incontaminabilem*, ut vertit Pagninus et Tigurina; hoc enim significat Græcum ἀμιάντον, æque ac ἀμάραντον significat *immarcescibilem*, potius quam *non marcescentem*. Hæreditas enim cœlestis non tantum actu est pura et incontaminata, sed et habitu ac potentia, quia contaminari nequit, nec ulla ullius rei labe infici potest. Sic *Aggæi* II, dicitur : « Veniet desideratus, » id est desiderabilis, « cunctis gentibus. » Hebræi enim sæpe participia passiva usurpant pro verbalibus in *bilis*, quibus carent, ut *Sophon.* II, 1 : « Gens non amabilis, » Hebr., *non amata*. II. *Reg.* I : « Saul et Jonathas amabiles, » Hebr. *amati*. *Psal.* CXXXVI : « Mirabilia opera tua, » Hebr. *mirata*. Idem imitantur Græci et Latini, ut *Gal.* II : « Quoniam reprehensibilis erat, » græce κατεγνωσμένος, id est *reprehensus erat*. Virg., VII *Æneid.*

Dives inaccessos ubi Solis filia lucos;

« inaccessos, » id est *inaccessibiles*. Idem, lib. VIII : « Hæret inexpletum lacrymans, » id est inexplebiliter.

Significat ergo τὸ *incontaminatam*, hæreditatem cœlestem fore plane puram : *primo*, ab omni peccato etiam levissimo, imo ab omni potestate peccandi; *secundo*, ab omni sorde sordisque periculo; *tertio*, ab omni carnali voluptate, imo ab omni concupiscentia, juxta illud Christi : « In resurrectione neque nubent, neque nubentur; sed erunt sicut angeli Dei, » *Matth.* XXII, 30.

Fidelium enim hæreditas et beatitudo in cœlis erit spiritualis, angelica, divina : quam proinde S. Joannes, *Apoc.* XXI, 19, vidit per aurum, smaragdum, beryllum, jaspidem aliasque gemmas purissimas, æque ac pretiosissimas repræsentari. Unde S. Augustinus in *Medit.* paradisum cœlestem describens :

Solis gemmis, ait, hæc structura nectitur;
Auro mundo tanquam vitro urbis via sternitur,
Abest limus, deest fimus, lues nulla cernitur.

Tropologice Beda : fideles, ait, ut assequantur hæreditatem cœlestem, in hac vita faciunt hæreditatem Dei « incorruptibilem, ne ullo lethali crimine corrumpantur; incontaminatam, ne mediocribus culpis inquinentur; immarcescibilem, ne levissimis et quotidianis culpis marcescant; denique conservatam in cœlis, quia hac sanctitate præditi Beatorum cœtui, citra ullam dubitationem, si perseveraverint usque in finem, aggregabuntur. »

Hanc incontaminatam et immortalem hæreditatem ambiebat S. Casimirus, Casimiri Poloniæ regis filius, qui in morbum incidens, cum a medicis audiret se eo levari non posse nisi uxorem duceret, ac parentes ad id eum urgerent, respondit generose : « Nullam aliam novi vitam, nisi cœlestem illam incontaminatam immortalitatem, ob quam eligo virgo mori, » instar armelini, qui luteo aggere circumlatus, eum transire et fugere non vult, ne luto se inquinet, sed sinit se a venatoribus capi, itaque tacite ait : « Malo mori quam fœdari. » Virgo ergo, et virginitatis victima occubuit anno ætatis 24, Christi 1484, jure cœlo, et cœliti Virginum Martyrumque mysticorum choro ascriptus. Ita habet ejus Vita.

IMMARCESCIBILEM, — ἀμάραντον, id est, quæ nequit μαραίνεσθαι, id est *marcescere*. Unde S. Augustinus, lib. I *De Peccat. merit.*, cap. XXVII, legit *florentem*. Est enim metaphora a floribus, foliis et fructibus, qui mox ut plane efflouerunt et maturuerunt, illico marcescunt, flaccescunt, putrescunt. Unde iis adversus « amarantus » flos nomen habet ab immortalitate, quoniam non marcescit : de quo Plinius, lib. XXI, cap. VIII : « Amaranto, inquit, non dubie vincimur. Est autem spica purpurea verius quam flos aliquis, et ipse sine odore : mirumque in eo gaudere decerpi, et lætius renasci. Provenit augusto mense, durat in

autumnum. Alexandrino palma, qui decerptus asservatur. Mirumque postquam defecere cuncti flores, madefactus aqua reviviscit, et hibernas coronas facit. » Verum Clemens Alexandrinus, lib. II, cap. VIII, docet plenum amarantum in cœlo duntaxat reperiri : « Pulchra, inquit, amaranti corona illi reposita est, qui recte se gesserit : hunc florem terra ferre non potest, cœlum solummodo eum ferre potest. » Juxta quod sensus B. Petri erit, *q. d.* In cœlo tandem amaranti coronam assequi licebit : nec enim tellus florem aliquem immarcescibilem parit. Sanctorum ergo hæreditas et corona erit amarantina et immarcescibilis, quia non tantum quoad substantiam erit incorruptibilis, sed et quoad qualitatem, speciem et voluptatem, semper in eodem flore, vigore et decore permanebit. Secus est in marmoribus et gemmis, quæ licet sint incorruptibiles, politæ tamen tantum ad tempus vigent et splendent ; nam cum tempore splendorem illum et speciem deperdunt, fuscantur et quasi senescunt. Ex adverso in cœlis Sanctorum gloria et felicitas semper erit recens, semper florens, semper virens : unde post centum annorum millia tam suavis, tam jucunda erit, tamque mentem Beatorum delectabit, quam oblectabat primo die, quo illum perceperunt. Cujus rei causa est, quod hæc gloria et delectatio quaquaversum sit constans, immutabilis, sui semper similis, immarcescibilis et infinita, quasi mare quoddam gaudiorum. Hoc est quod de ea canit S. Augustinus in *Medit.* :

Et immarcescibilis tum substantia.

Tum sapore et gustu.

Hiems horrens, æstas torrens illic nunquam sæviunt.
Flos perpetuus rosarum ver agit perpetuum.
Candent lilia, rubescit crocus, sudat balsamum ;
Virent prata, vernant sata, rivi mellis influunt,
Pigmentorum spirat odor, liquor et aromatum,
Pendent poma floridorum non lapsura nemorum.

Secus est in gaudiis terrenis, quæ omnia licet maxima videantur, longo tamen usu fastidiunt et nauseam pariunt, imo quo magis gustantur, eo minus sapiunt : in iis ergo sapere parit desipere, uti notat S. Gregorius, homil. 36 *in Evangel.* Hoc est quod ait Sapiens, *Eccli.* XXIV, 29 : « Qui edunt me, adhuc esurient, et qui bibunt me, adhuc sitient. » Et S. Petrus, cap. II, 12 : « In quem desiderant angeli prospicere. »

Beati ergo visione Dei ita satiantur, ut tamen æque semper ad eam anhelent, eumque jugiter intueri desiderent. In nullo ergo minuitur eorum felicitas, sive quoad rem possessam, sive quoad ejus speciem et pulchritudinem, sive quoad ejus sensum, gustum et voluptatem ; tanto enim sui sensu, gustu et voluptate afficit Beatos post mille annos, atque affecit primo die. Immarcescibilis ergo est. *Primo,* quia ætate non senescit. *Secundo,* quia tempore non deflorescit. *Tertio,* quia specie non flaccescit. *Quarto,* quia sapore non marcescit. *Quinto,* quia maturitate non putrescit. *Sexto,* quia rugositate non decrescit. *Septimo,* quia æstimatione non vilescit. Ex adverso omnis hujus vitæ voluptas, ait Seneca, lib. *De Vita beata,* VI, « tunc cum maxime delectat, extinguitur, nec multum loci habet : itaque cito implet, et tædio est, et post primum impetum marcet : nec id unquam certum est, cujus in motu natura est : ita non potest quidem ulla esse substantia, quod venit transitive, celerrime in ipso usu sui periturum : eo enim pervenit, ubi desinit ; et dum incipit, spectat ad finem. »

CONSERVATAM IN COELIS IN VOBIS, — εἰς ὑμᾶς, id est, *in vos,* id est, *vobis.* Unde Syrus, *quæ parata est vobis.* S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovinianum,* « quæ servatur in cœlis in vobis, id est vobis. » Hinc Paulus ait eam « absconditam in Deo, » *Coloss.* cap. III, vers. 3. Hinc et Christus electis dicet in die judicii : « Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi, » *Matth.* cap. XXV, 34. Hæc ergo hæreditas nobis quasi filiis a Deo certo paratur et servatur, ut de ea dubitare non debeamus, si tamen ejus filiationem, gratiam et amicitiam constanter usque ad mortem retineamus ; idque significari putat Glossa voce *conservatam,* quasi ea significetur cooperatio nostra, nostrique liberi arbitrii. Verum minus recte : nam græce est τετηρημένην, id est *servatam.*

Nota : Hæreditatem cœlestem explicat S. Petrus per quatuor prædicamenta, Substantiæ, Qualitatis, Quando et Ubi, sive temporis et loci. Substantia enim ait eam esse incorruptibilem, qualitate incontaminatam, tempore immarcescibilem, situ et loco cœlestem : in cœlis enim eam nobis asservari. Porro inter hæc quatuor est apta connexio et ordo ; nam ex primo cætera ordine consequuntur. Quia enim hæreditas est ἄφθαρτος, id est *incorruptibilis,* natura sua, hinc qualitate est ἀμίαντος, id est *incontaminata* : quæ enim per essentiam sunt incorruptibilia, illa pariter sunt immixta, incomposita ; ideoque pura, simplicia et incontaminata, ut Deus, cœlum, angeli, anima rationalis ; quæ vero sunt corruptibilia, eadem pariter sunt mixta, composita, ideoque impura et contaminata, uti sunt omnia corpora ex elementis conflata. Rursum, quia hæc hæreditas est ἀμίαντος et incontaminata, idcirco est et ἀμάραντος et immarcescibilis : quæ enim marcescunt, aliquid in se labis, fæcis, sordis et impuritatis habent, quod dum sensim egerunt et quasi evomunt, marcoris est causa ; quæ vero plane sunt pura, hæc nihil in se habent, quod marcorem egerere aut ebullire possit. Denique quia ipsa est ἀμάραντος et immarcescibilis, ideo et ἀγαῖος καὶ οὐράνιος, id est, *expers terræ et cœlestis* : terra enim et terrena, quia fœculenta, marcescunt ; cœlum vero, quia purum et nitidum, est immarcescibile, ac consequenter talia pariter sunt cœlestia omnia.

Merito ergo S. Augustinus, sermone 2 *De omnibus Sanctis* : « Tanta, ait, est pulchritudo justitiæ, tanta jucunditas lucis æternæ, hoc est, incommu-

tabilis veritatis atque sapientiæ, ut, etiamsi non liceret in ea amplius manere quam unius diei mora, propter hoc solum innumerabiles anni hujus vitæ pleni deliciis et circumfluentia temporalium bonorum, recte meritoque contemnerentur. » Vere enim dixit Psaltes : « Quoniam melior est dies una in atriis tuis super millia, » *Psalm.* LXXXIII, 11. At vero jam non uno die, sed millenis, imo infinitis, adeoque in æternum, in ea manebimus ejusque deliciis perfruemur. Quam ergo illa ambienda, cæteraque omnia despicienda sunt! Quam ad illam anhelandum, dicendumque cum nostro S. Ignatio : « Quomodo sordet mihi terra, cum cœlum aspicio! »

Vers. 5. 5. QUI IN VIRTUTE DEI (græce δυνάμει, id est *potentia, robore*) CUSTODIMINI PER FIDEM IN SALUTEM. — Sensus est, *q. d.* Quibusnam Deus optim. max. hæreditatem illam immarcescibilem conservat? vobis, quos quasi filios, velut pater non tantum genuit, sed et robusta potentique manu contra omnes infidelium, dæmonis, mundi et carnis insultus custodit, educat, ducitque per fidem ad salutem æternam, quæ est hæreditas illa immarcescibilis. Unde pro *custodimini* græce est φρουρουμένους, quæ vox proprie ad castrenses excubias, et arcium urbiumque custodias pertinet : has enim suis præstat Deus, uti præstitit Ezechiæ et Hierosolymæ obsessæ a Sennacherib, juxta promissum Isaiæ, cap. XXXVIII, vers. 6 : « De manu regis Assyriorum eruam te et civitatem istam, et protegam eam. » Et Zachariæ, II, 5 : « Ego ero ei (Hierosolymæ), ait Dominus, murus ignis in circuitu, et in gloria ero in medio ejus. » Et *Psalm.* XXVI, 1 : « Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidado? Si consurgant adversum me castra, non timebit cor meum. » Et *Psal.* XXXIII : « Immittet angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos. » *Immittet,* scilicet se et suum præsidium, suas acies et castra, suas angelorum sibi subditorum legiones, sua tela et fulmina. Unde Hebraice est חוֹנֶה *chone*, id est *castrametabitur*; S. Hieronymus, *circumdat*; Chaldæus, *immoratur*. Ubi recte notat S. Basilius angelum ob magnitudinem comparari integro exercitui, ob robur et fortitudinem muro, qui in circuitu nos tuetur et protegit. Talia fuere castra angelorum tutelarium Jacobi patriarchæ, qui proinde locum ubi illa sibi apparuerunt, vocavit *Mahanaim*, id est *gemina castra*, *Gen.* XXXII, 2. Talis fuit « mons plenus equorum et curruum igneorum in circuitu Elisæi, » angelorum utique, ut Elisæum contra Syrorum acies defenderent, IV *Reg.* VI, 17. Similes excubias et custodias Deus benignissimus cæteris suis fidelibus et sanctis exhibet, ut merito de iis cecinerit Psaltes : « Custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur, » *Psalm.* XXXIII, 21. Unde et easdem sibi precatur : « A resistentibus dexteræ tuæ, ait, custodi me ut pupillam oculi, » *Psalm.* XVI, 8. Custodit ergo suos Deus tum per se, tum per suos angelos. Unde discimus neminem sibi suæque custodiæ debere confidere, sed eam tribuere Deo. Ipse enim est custos Ecclesiæ et gregis sui. « Nisi enim Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam, » *Psalm.* CXXVI, 1. Hoc est quod ait Dominus per Isaiam, XLIII, 2 : « Si transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te; cum ambulaveris in igne, non combureris, et flamma non ardebit in te. » Et *Psalm.* XC : « Scuto circumdabit te veritas ejus, non timebis a timore nocturno, a sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incursu et dæmonio meridiano. » Et mox : « Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, et glorificabo eum. »

Custodia Dei erga nos mira.

PER FIDEM. — Fides ergo est fidelium custodia; fides, inquam, non nuda et mortua, sed viva et gratia ac charitate animata, uti dixi *Jacobi* II, 14. Unde S. Chrysostomus et Beda per fidem accipiunt Christianam religionem, Christique gratiam, quæ nos justificat. Fides ergo et gratia est instrumentum, et quasi custodia militaris, qua Deus fideles custodit, tum ne in pristinum gentilismum et errores relabantur; tum ut tentationibus carnis et diaboli resistant; tum ut persecutiones pro Christo et veritate fortiter sustineant; tum ut Christiana et heroica fidei et virtutum opera edant, qualia recenset Paulus a priscis fidei heroibus patrata, *Hebr.* XI. Fides enim qua quis credit se, si Deo serviat, pro eoque laboret et patiatur, ab eo æternis maximisque præmiis donandum, excitat fidelem ad omnia audendum et tolerandum. Fideles ergo per fidem resistunt diabolo, I *Petri* V, 9; ejusque ignea tela extinguunt scuto fidei, *Ephes.* cap. VI, vers. 16. Unde : « Hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra, » ait S. Joannes, I *epist.* V, 4. Quo simul monet novellos fideles ut fidem gratiamque Christi nuper receptam, integram et illibatam constanter teneant, in eaque perseverent, si hos fidei fructus, si Dei opem et salutem, et cœlestem hæreditatem assequi cupiant. Ita Œcumenius; Christus enim fideles in fide sua constantes protegit e cœlo, uti pro eisdem oravit vivens in terra : « Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi ut sint unum sicut et nos. » Et mox : « Cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo; quos dedisti mihi, custodivi, et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, » *Joan.* XVII, 11.

IN SALUTEM. — Salus est æterna vita et gloria Beatorum; vox *in* significat finem, fructum et præmium fidei, quasi dicat : Fides tendit et ducit ad salutem, salusque est fidei terminus, fructus et præmium. Fides enim et gratia est salus inchoata, gloria vero est salus consummata.

PARATAM REVELARI (quæ parata est ut reveletur) : ita Pagninus) IN TEMPORE NOVISSIMO. — Salus hæc animæ cujusque fidelis plene expiatæ statim a morte revelatur, secreto in judicio particulari; sed in tempore novissimo, puta in die judicii,

publice coram toto mundo revelabitur, non solum in anima, sed et in corpore cujusque beati : tunc enim corpus cum anima resurget ad gloriam immortalem. Nimirum hæc salus est hæreditas incorruptibilis, incontaminata et immarcescibilis, ad quam Deus Sanctos ab æterno destinavit et elegit, quamque eis paravit et conservat in cœlis.

Nota : Τὸ *revelari* significat salutem et gloriam cœlestem nobis obscuram esse, et per fidem quasi per umbram et ænigma tantum a nobis conspici; in die vero judicii fore revelandam, cum fides vertetur in speciem, spes in rem, promissio in donationem, exspectatio in possessionem. Hoc est quod ait S. Joannes, *epist.* I, cap. III, vers. 2 : « Nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus : scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus. » Et ex Isaia S. Paulus : « Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum, » I *Corinth.* II, 9.

Vers. 6. 6. In quo exultabitis. — Pronomen *quo* nonnulli censent referre tempus novissimum, quod proxime præcessit, *q. d.* In tempore novissimo, puta in die judicii, exultabitis, dum videbitis vos pro modica tentatione, quam in hac vita sustinetis, beari et donari gloria æterna. Unde Syrus vertit, *lætabimini in æternum.*

Melius alii τὸ *in quo* censent referre omnia præcedentia, *q. d.* « In quo, » id est, qua in re, si videlicet recogitetis, quod Deus vos regeneravit in spem vivam hæreditatis æternæ, revelandæ in tempore novissimo, utique exultabitis in hac regeneratione et spe viva hæreditatis cœlestis, etiam in mediis tentationibus; quia hæ cum sint modicæ et breves, hæreditatem illam merentur, eoque recto tramite vos ducunt. Ita Œcumenius. Potest quoque futurum *exultabitis* more Hebræo accipi pro imperativo *exultate,* aut pro indicativo *exultare debetis,* aut pro conjunctivo *æquum est ut exultetis.* Unde græce est ἀγαλλιᾶσθε, quod partim est indicativi modi, significans *exultatis,* ut vertit Pagninus et Tigurina; partim imperativi, significans *exultate.* Ita Christus « proposito sibi gaudio sustinuit crucem, » *Hebr.* XII, 2. Sic et S. Agatha et Martyres ibant ad ignes, equuleos et tormenta, quasi ad epulas, nuptias et triumphos. Christiani ergo est gaudere in omni tribulatione, tentatione et tristitia. Licet enim tribulatio affligat corpus, sensum et portionem inferiorem animæ, in eaque causet dolorem et tristitiam, tamen eadem causat lætitiam, eamque ingentem in portione superiore animæ, puta in ratione, mente et spiritu, dum cogitat tribulationem sibi parituram coronam æternam. In spe ergo et merito hujus coronæ gaudet, dum est in tribulatione et tristitia; atque hæc spes tristitiam commutat in lætitiam, uti Christus in Cana commutavit aquam in vinum, adeo ut in ea præ gaudio exiliat et exultet, nolitque ea carere, imo durare et augeri eam optat. Græcum ἀγαλλίασθαι, id est *exultare,* dicitur quasi ἄγαν ἅλλεσθαι, id est, *valde saltare;* sicut S. Joannes Baptista præ gaudio ob Christum incarnatum, exiliit in utero matris, *Lucæ* I.

Consonat S. Petro S. Paulus; dicens II *Corinth.* VII, 4 : « Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. » Et S. Jacobus, cap. I, vers. 1 : « Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in varias tentationes incideritis; » ubi multas hujus gaudii causas recensui.

Modicum nunc si oportet contristari. — Pagninus, *nunc ad breve tempus afflicti, si opus sit, q. d.* Exultabitis nunc modico tempore afflicti et contristati, si necesse sit, si videlicet afflictio et tristitia ingruat et irruat, uti in hac vita omnibus, præsertim fidelibus; sæpe contingit. Vita enim nostra circumsessa est molestiis, persecutionibus et tentationibus, quæ necessario pariunt tristitiam, ideoque in ea contristari est unum *oportet,* ut vulgo dicitur, quod evitari nequit; sed ferendum est, juxta illud :

Quidquid id est, superanda omnis fortuna ferendo est.

Alludit ad id quod Christus abiturus suos præmonuit, dicens : « Modicum, et non videbitis me, et iterum modicum, et videbitis me. Amen, amen dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit; vos vero contristabimini : sed tristitia vestra vertetur in gaudium, » *Joan.* XVI, 19. Omnes enim dolores et mœrores, æque ac gaudia hujus vitæ, sunt modicum nunc, id est, exiguum quid, tum quantitate, tum duratione, instar puncti et momenti, juxta illud Pauli : « Id quod in præsenti momentaneum est et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, » II *Corinth.* IV, 17.

Nota *primo :* Singula verba habent emphasin; novamque rationem tolerantiæ et exultationis suggerunt, *q. d.* Exultate in tentationibus. *Primo,* quia illæ modicæ sunt respectu immensæ gloriæ et coronæ, quam eis in cœlo adornat Christus, juxta illud *Sapient.* III, 5 : « In paucis vexati, in multis bene disponentur. » *Secundo,* quia breves; durant enim unum nunc, id est momentum. Hæc enim « vita est momentum unde pendet æternitas. » *Tertio,* quia oportet et necesse est eas tolerari. Quis non subdat se necessitati? quis contra fatum pugnet? *Quarto,* addit *si,* dicens *si oportet, q. d.* Tribulationes non semper, nec omnibus, sed aliquando nunc his, nunc illis ingruunt : sponte ergo capessite vestram aleam, vestram vicem et sortem. Ita Œcumenius. *Quinto,* quia sunt tentationes, id est exercitationes et explorationes, quibus Deus exercet et explorat vestram patientiam et virtutem.

Nota *secundo,* τὸ *si* quadrupliciter posse accipi. *Primo,* proprie, ut notet conditionem, *q. d.* Non dico absolute vos oportere contristari, sed conditionate, ut si oporteat vos contristari, idipsum patienter toleretis. *Secundo,* causaliter, ut idem sit quod *quia, q. d.* Quia oportet vos in vita hac tot

ærumnis vallata sæpe contristari, idcirco idipsum tolerate, et ex necessitate facite virtutem. *Tertio,* comitanter, ut sit idem quod *cum, q. d.* Non dico oportere vos semper contristari, sed si, id est, *cum oportet,* cum scilicet illa ingruit. *Quarto,* per concessionem pro *esto, q. d.* Exultabitis in spe gloriæ, esto modicum nunc oporteat vos contristari.

Moraliter de brevitate tribulationis.

Moraliter modicum hoc passionum, cui debetur æternum præmiorum, excitare nos debet ad præstandam in iis omnem animi alacritatem, fortitudinem et constantiam. Nam, ut ait S. Eucherius *ad Valer.* : « Nihil est magnum re, quod parvum tempore; nec longis dilatatur gaudiis, quidquid arcto fine concluditur. » S. Basilius, lib. *De Leg. Gentil.*, laudat Biantem dicentem se studere virtuti, ut illam quasi viaticum senectutis possideret. At tu, inquit, o Christiane, ad futuri sæculi, cujus non est finis, possessionem, compara viaticum, puta virtutes : illi enim comparata omnia tempora, nihil sunt.

S. Augustinus in *Psal.* XXXVI : « Pro æterna, ait, requie æternus labor subeundus erat. Æternam felicitatem accepturus, æternas passiones sustinere deberes : nam etsi mille annorum esset, appende mille annos contra æternitatem, quid appendis cum infinito quantumcumque finitum? Decem millia annorum, decies centena millia, et millia millium, quæ finem habent, cum æternitate comparari non possunt. Paucorum dierum est tota vita hominis : etiamsi læta duris non miscerentur, quæ plura et longiora sunt certe, quam dura; et ideo breviora et pauciora sunt dura, ut durare possimus. Si ergo per totam vitam suam homo in laboribus et in ærumnis esset, in doloribus et in tormentis, in carcere et in plagis, in fame et siti, omnibus diebus, horis omnibus per totam vitam suam usque ad ætatem senectutis, pauci dies sunt tota vita hominis : quo labore transacto veniet regnum æternum, veniet sine fine felicitas, veniet æqualitas angelorum, veniet hæreditas Christi, veniet cohæres Christus : pro quanto labore quantam mercedem accipimus? Veterani homines, qui laborant in militia, et versantur inter vulnera tot annos, incipiunt militare a juventute, exeunt senes, ut habeant paucos dies quietos senectutis suæ, quando eos jam ipsa ætas incipit gravare : quos bella non gravant, quanta dura tolerant, quæ itinera, quæ frigora, quos soles, quantas necessitates, quæ vulnera, quæ pericula? et non attendunt patientes hæc omnia, nisi paucos dies quietos illos senectutis, ad quos utrum perveniant nesciunt. » Et S. Chrysostomus, hom. *De Lazaro* : « Si quis, ait, in centum annis vidisset per unam noctem suave somnium, multisque deliciis per somnium fruitus centum deinde annis cruciaretur, num is vellet unam noctem quam somniavit, centum annis æquiparare? Hoc de futura vita cogita. Nam quod est somnium unum ad centum annos, hoc est præsens vita ad futuram, imo multo minus : quod est exigua gutta ad pelagus immensum, hoc sunt mille anni ad futuram illam fruitionem; quantumque interest inter somnia et res veras, tantum interest inter hujus vitæ statum et illius. »

Ita brevitatis passionum et æternitatis præmiorum cogitationem, quasi stimulum acrem ad profectum suis discipulis commendabat S. Antonius. Audi eum apud S. Athanasium : « Hoc sit primum cunctis in commune mandatum, nullum in arrepti propositi vigore lassescere, sed quasi incipientem augere semper debere quod cœperit, præsertim cum humanæ vitæ spatia æternitati comparata brevissima sint. » Et mox : « Promissio vitæ sempiternæ vili pretio comparatur. Scriptum est enim : Dies vitæ nostræ septuaginta anni : si autem in potentatibus, octoginta. Quando ergo octoginta aut centum annos laborantes in Dei opere vixerimus, non pari tempore regnaturi sumus in futuro, sed pro annis prædictis omnium nobis sæculorum regna tribuentur. Non terram hæreditabimus, sed cœlum; corpus quoque corruptum relinquentes, idipsum cum incorruptione recipiemus. Ergo, filioli, non vos aut tædium defatiget, aut vanæ gloriæ delectet ambitio. Nemo cum aspexerit mundum, reliquisse se arbitretur ingentia : quia omnis terra ad infinitatem comparata cœlorum, brevis ac parva est. » Et rursum subdens opes omniaque hujus vitæ bona necessario esse relinquenda in morte : « Cur ergo, inquit, non facimus de necessitate virtutem? Cur non ad lucrandum regna cœlestia ultro relinquimus, quod lucis istius fine perdendum est? » Et infra : « Ad inertiam calcandam Apostoli præcepta replicemus, quibus se mori quotidie testabatur. Cum enim excitati a somno, ad vesperam nos pervenire dubitemus, et quieti corpora concedentes, de lucis non confidamus adventu, non delinquemus, aut aliqua fragili cupiditate raptabimur; sed nec irascemur quidem adversus aliquem, nec terrenos congregare thesauros ambiemus : quin potius metu quotidiani recessus, et sejungendi corporis jugi meditatione omnia caduca calcabimus. »

CONTRISTARI. — Gagneius et Hesselius censent legendum *contristati* : græce enim est λυπηθέντες, id est *afflicti,* contristati : sed eodem redit sensus, et clarius molliusque vertas, si cum Nostro sententiam sic evolvas et revolvas : « Si oportet contristari, » *q. d.* Non dico absolute, nec jubeo semper vos contristari, sed si oportet vos contristari, patienter fertote. Rursum, *q. d.* Exultabitis in spe gloriæ, si (esto) oporteat vos modicum nunc contristari : quo insinuat non accersendam, nec quærendam esse persecutionem et tribulationem, sed potius infirmis declinandam et fugiendam : si tamen ingruat, patienter et fortiter esse sustinendam. « Quid necesse est, ait Seneca, *epist.* 24, mala accersere, et satis cito patienda cum venerint, præsumere, ac præsens tempus futuri metu

perdere? Est sine dubio stultum, quia quanquam futurus sis miser, esse jam miserum. »

IN VARIIS TENTATIONIBUS, — πειρασμοῖς, id est *tentationibus* et *experimentis*, ut vertit Tigurina, *q. d.* Tribulationes variæ, quibus quis nunc morbo, nunc paupertate, nunc calumnia, nunc persecutione, nunc cupiditate appetitur, cum iisque conflictatur, sunt tentationes et experimenta, quibus Deus explorat quanta in nobis sit virtus et constantia, eamque excitat, acuit, roborat et indurat : omnes ergo generose sustinere oportet. Sapiens, inquit Seneca, præbet se fato, sicut silex ferienti. « Duritia silicis, inquit ipse *De Vita beata*, XXVII, nulli magis quam ferientibus nota est. Præbeo me non aliter quam rupes aliqua in vadosa mari destituta, quam fluctus non desinunt, undecumque moti sunt, verberare, nec ideo aut loco eam movent, aut per tot ætates crebro incursu suo consumunt. »

Vers. 7. 7. UT PROBATIO VESTRÆ FIDEI MULTO PRETIOSIOR AURO. — Vox *ut* explicat τὸ *oportet* : dat enim causam cur oporteat nos affligi et contristari in variis tentationibus. Causa enim est ut fides et constantia nostra probetur, roboretur, celebretur et coronetur. Unde pro *probatio* græce est δοκίμιον, id est *exploramentum*, experimentum, proba fidei, hoc est, fides probata et explorata : hæc enim laudatur, non ipsa probatio fidei, quæ fit a dæmone et tyranno, ac multos sæpe in lapsum et ruinam adigit. Rursum hæc est pretiosior auro per ignem probato et a scoriis defæcato. Sicut enim aurum non tantum tactu Lydii lapidis, sed multo magis et certius probatur per ignem in fornace, ignis enim aurum purum separat a scoria : ita Christiani fides probatur igne tribulationis, qui fideles et constantes separat ab infidelibus et inconstantibus ; rursum fideles a suis nævis et cupidinibus avellit, purosque Deo exhibet. Porro hæc fides non est sola et nuda, ut patet, sed charitate formata et constantia armata : quia enim charitate solida Deum et Christum amat, hinc constanter ejus amore tentationem sustinet, alioqui enim illi succumberet. Hæc autem charitas fidelis et constans longe est pretiosior auro; Græca addunt ἀπολλυμένου, id est *pereunte* et *perdente*; si enim aurum quod perit multosque perdit (multis enim est perniciosum, causaque mortis animæ et corporis, præsentis et æternæ) per ignem probatur, multo magis fides charitate formata, quæ in omne ævum perennabit, ac fideles servabit et salvabit in æternum, tribulatione probanda et exploranda est. Quod ergo ignis est auro, hoc tribulatio est justo : ignis aurum non perdit, sed servat, purumque et splendidum efficit; sic et tribulatio justum non perdit, sed roborat et illustrat.

Auri dotes septem. Audi Plinium auri dotes recensentem, lib. XXXIII, cap. III : « Nec pondere, ait, aut facilitate materiæ prælatum est cæteris metallis, cum cedat per utrumque plumbo ; sed quia rerum uni nihil igne deperit, tuto etiam in incendiis rogisque durante materia. Quinimo quo sæpius arsit, proficit ad bonitatem. Aurique experimento ignis est, ut simili colore rubeat quo ignis. Atque ipsum obrysum vocant. Primum autem bonitatis argumentum est, quam difficillime accendi. *Secundo* : Mirum, ait, prunæ violentissimæ igni indomitum, palea citissime ardescere ; atque ut purgetur, cum plumbo coqui. *Tertio*, altera causa pretii major, quod quam minimum usus deterit ; cum argento, ære, plumbo, lineæ producantur manusque sordescant decidua materia. *Quarto*, nec aliud laxius dilatatur, aut numerosius dividitur, utpote cujus unciæ in septuagenas et quinquagenas, pluresque bracteas, quaternum utroque digitorum spargantur. *Quinto*, super cætera non rubigo ulla, non ærugo, non aliud ex ipso quod consumat bonitatem, minuatve pondus. *Sexto*, contra salis et aceti succos domitores rerum constantia. *Septimo*, super omnia netur ac texitur lanæ modo, et sine lana. Tunica aurea triumphasse Tarquinium Priscum Verrius tradit. Attalicis vero jam pridem intexitur invento regum Asiæ. »

Eadem adaptantur justo. Hæc facile est applicare justo : nam *primo*, igne, id est tribulatione, nihil virtutis in eo deperit, sed potius accrescit. *Secundo*, mirum est quod justus igni tribulationis resistat, et palea humanæ miseriæ per commiserationem inardescat. *Tertio*, nihil virtutis ex eo conversatio cum sæcularibus deterit, sed suam ipse vim et spiritum in eos affricando exerit. *Quarto*, dilatat sua charitatis viscera in omnes latissime et minutissime. *Quinto*, nulla ex eo prodit invidiæ aut tristitiæ ærugo, quæ ejus bonitatem minuat. *Sexto*, constanter resistit sali et aceto, id est, iræ et mordacitati. *Septimo*, flexilis est, sinitque se quibusvis rebus, licet vilibus et molestis inseri, ut aliis prosit eosque ornet. Ita S. Job, cap. XXV, vers. 10 : « Ipse (Deus), inquit, scit viam meam, et probavit me quasi aurum quod per ignem transit. » Et David Rex : « Probasti nos, Deus, igne nos examinasti : sicut examinatur argentum, etc. Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium, » *Psalm.* LXV, 10. Ita S. Laurentius assatus in craticula : « Probasti, ait, cor meum, et visitasti nocte : igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas, » puta infidelitas, quia in medio igne fideliter et constanter tibi adhæsi, *Psalm.* XVI, 3. Ita de Martyribus et patientibus dicitur, *Sapient.* III, 6 : « Tanquam aurum in fornace probavit illos, et quasi holocausti hostiam accepit illos. » Et *Eccli.* XXVII, 6 : « Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis. » Sic tres pueri Danielis socii probati sunt an essent fideles Deo suo, in igne fornacis Babylonicæ, *Daniel.* III. Ita Machabæi ab Antiocho in sartagine frixi probarunt suam fidem Deo, II *Machab.* VII. Ita Sancti in fine mundi affligentur igne acerrimæ persecutionis ab Antichristo, « ut conflentur, et eligantur, et dealbentur, » *Daniel.* XI, 36. Dura itaque est

hæc probatio, durum examen, durum tentamen, sed modicum et breve respectu æternæ coronæ, quam eis in cœlo adornat Deus. Ita S. Sebastianus, SS. Marcum et Marcellianum acriter tentatos et afflictos, ut a Christi fide deficerent, hac ratione animavit, et ad martyrium confirmavit: « Tormenta, inquit, vel levia sunt, vel gravia et acria. Si levia, tolerabilia sunt; si acria, non durant, sed patientem ad mortem adigunt, et per mortem ad immortalitatem transmittunt. Tolerate ergo tam acria quam levia, quia illa brevia, hæc modica sunt; illa cito extinguent, hæc brevi extinguentur. » Ut fias Laurentius, ignem subeas oportet; ut Vincentius, equuleum hilariter patiare necesse est; Jobum finxit omnigena calamitas, Tobiam formavit cæcitas, Josephum calumnia, Davidem persecutio, Danielem leones, Machabæos sartagines.

INVENIATUR IN LAUDEM ET GLORIAM ET HONOREM, IN REVELATIONE JESU CHRISTI. — « Inveniatur, » scilicet fuisse et cessisse vobis in laudem, etc., quia scilicet vestra fides tot tentationibus probata vos laudabiles et gloriosos effecit in cœlo et terra. Spectarunt enim eam angeli, et laudarunt: viderunt et audierunt homines, eamque celebrarunt et admirati sunt. *Secundo*, « inveniatur, » id est *sit*, vel *cedat*, *q. d.* Ut fides vestra ita probata, sit vobis laudi, cedatque vobis in gloriam et honorem in die judicii, quando Christus judex eam toti mundo declarabit, laudabit et corona æterna donabit. *Inveniri* enim sæpe per metalepsin ponitur pro *esse*, quia quod est, inveniri potest; quod non est, inveniri nequit. Sic de angelis e cœlo cum Lucifero ruentibus dicitur, *Apoc.* XII, 8: « Neque locus inventus est eorum amplius in cœlo, » id est, nullus fuit eis amplius locus in cœlo, sed in tartaro. Sic *Eccli.* XXXI, dicitur: « Beatus vir qui inventus est sine macula; » inventus est, id est, fuit immaculatus, ut talis inveniri posset. Unde explicans subdit: « Qui post aurum non abiit, » etc.

Laus Christi ambienda.

Nota: Christus in die judicii laudabit fidem et virtutem justorum: quæ sane laus erit maxima, tum quia fiet coram omnibus angelis et hominibus, qui unquam fuerunt, sunt, vel erunt; tum quia fiet a Christo, qui est æterna veritas ac majestas: ipse enim est Rex regum et Dominus dominantium; tum quia hæc laus durabit per omnem æternitatem in præmio et laurea æterna, quam pro meritis cuique dabit Christus. « Dicet ergo: Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare, etc. Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui, » *Matth.* XXV, 21. Veni, Petre, qui Romanam Ecclesiam tuo labore et sanguine fundasti: accipe coronam tui laboris et sudoris. Veni, Paule, qui omnes gentes docuisti: accipe coronam tui doctoratus et apostolatus. Veni, Stephane, qui lapides mei amore excepisti, et dulces æstimasti: accipe coronam martyrio tuo debitam. Veni, Francisce, qui summe te humiliasti: accipe summum gloriæ thronum. Veni, Thecla, quæ tot tantaque supplicia pro me tam generose sustinuisti. Veni, Agnes, quæ pro castitate supra annos et vires decertasti. Veni, Cæcilia; veni, Agatha; veni, Catharina, quæ hæc et illa sigillatim tam heroice egistis et tolerastis: accipite singulæ lauream castitatis, lauream martyrii, quisque suam suoque agoni et victoriæ adæquatam. Tunc itaque fiet illud *Jerem.* XXX, 19: « Egredietur de eis laus voxque ludentium; et multiplicabo eos, et non minuentur; et glorificabo eos, et non attenuabuntur. » Laudem enim Christi communi voce et acclamatione approbabunt et celebrabunt omnes angeli et Sancti. Et illud *Isaiæ* LXI, 3: « Reddet eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris: et vocabuntur in ea fortes justitiæ, plantatio Domini ad glorificandum. » Id repræsentatum est per laudem Davidis, quia triginta viros sui exercitus fortissimos sibi selegit, laudavit et juxta se gloriose collocavit in domo fortium, II *Reg.* XXIII, 8. Similiter enim Christus suos fortes laudabit et glorificabit in cœlo, quod est civitas fortium.

Cœlum est urbs fortium.

Porro hæc Christi laus non tantum pro meritis præmium cuique dabit, sed et honorem, juxta illud *Joan.* XII, 26: « Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus, » vocando eum suum fidelem servum, amicum, filium, hæredem, exaltando illum e terra in cœlum, dando ei sedem honoratam et sublimem juxta se, secundum id quod promisit Apostolis et viris Apostolicis: « Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel, » *Matth.* XIX, 28.

Gloria Beatorum qualis?

Rursum hæc laus dabit gloriam non tantum beatificam, quæ in visione Dei consistit, sed et eam quæ in claritate nominis et famæ sita est, facitque homines celebres et gloriosos, ut scilicet omnes angeli et homines gloriosa cujusque sancti facinora deprædicent et glorificent. « Gloria, inquit Quintilianus, est consentiens laus bonorum. » Et Cicero *pro Marcel.*: « Gloria, ait, est illustris ac pervagata multorum et magnorum vel in suos cives, vel in patriam, vel in omne genus hominum fama meritorum. » Quid majus, quid numerosius angelis et Beatis, qui sanctos quoslibet, eorumque virtutes celebrabunt. Hic ergo discamus illud Statii, lib. I:

> Tu sola animum mentemque peruris,
> Gloria.

Et illud Mutii Scævolæ manum urentis: « Tam vile est corpus gloriam spectantibus. » Rursum hæc gloria non tantum verbalis erit, sed et realis; quia consistet et perdurabit in regno glorioso,

quod eis dabit Christus, juxta illud *Sapient.* v, 16 : « Accipient regnum decoris et diadema speciei de manu Domini. » Honorabit ergo et glorificabit electos Christus, cum eos creabit reges, donabitque regno cœlesti et æterno, juxta illud *Apocal.* v, 10 : « Fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes, et regnabimus super terram. » O quam gloriosum est regnum, in quo cum Christo regnant omnes Sancti hic afflicti et abjecti! amicti stolis albis sequuntur Agnum quocumque ierit.

Dies revelationis quis? IN REVELATIONE JESU CHRISTI, — puta in die judicii : hæc enim vocatur dies revelationis, tum quia in eo revelabitur Christus, qui jam nobis est absconditus et invisibilis ; tum quia in eo revelabuntur cujusque opera et merita, quæ hic absconduntur, imo sæpe a malevolis per calumniam denigrantur, obscurantur et infamantur. Impii enim pios hic traducunt quasi hypocritas, quod pietatem simulent, ejusque inanem umbram et laudem hominum captent. Christus ergo justus judex eorum pietatem, virtutem, integritatem et sinceritatem revelabit, totique mundo patefaciet et celebrabit.

Vers. 8. 8. QUEM CUM NON VIDERITIS DILIGITIS. — Esto enim aliqui proficiscentes in Judæam, poterant ibi Christum vidisse, multi tamen domi manentes eum non viderant : hi ergo credebant in Christum non visum, sed auditum, eumque summe diligebant. Hæc scilicet est natura fidei et dilectionis eam consequentis. « Quid est enim fides, nisi credere quod non vides? » ait S. Augustinus, tract. 40 *in Joann.* « Fidei *autem* opus est dilectio, » ait idem in *Psal.* XXXI. Œcumenius censet hæc referri ad excitandam fidelium spem et robur in adversis. « Si enim, ait, oculis carnis ipsum non intuiti, ex sola auditione amatis, considerate quantum amorem ubi eum videritis, præ vobis feretis, præsertim cum in gloria vobis revelabitur. Si enim passio ejus ita vos attraxit, quando vobis in splendore insuperabili apparebit, quem in modum animum vestrum affecturus est. » Unde S. Augustinus, lib. I *De Pecc. merit.*, XXVII, sic legit : « Quem ignorabatis, in quem modo non videntes creditis, quem cum videritis exultabitis gaudio inenarrabili. »

Porro mira fuit primorum fidelium erga Christum affectus et dilectio, ut pro eo gauderent non tantum bonis spoliari, probris affici, verberari, fustigari, sed et morte mulctari. Unde illud Ignatii, epist. *ad Rom.* : « Amor meus crucifixus est. » Et quis cogitans Jesum, id est, Deum pro se incarnatum, passum, crucifixum, non eum totis viscerib

Christi amabilitas. Primo. ribus diligat? Quis non amet amorem? quis non diligat dilectionem? Jesus enim *primo*, qua Deus, est summa bonitas, summa sapientia, summa potentia, summa clementia, summa majestas; ergo summe diligibilis, juxta illud *Matth.* XXII : « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. »

Secundo. *Secundo*, qua homo plenus est gratia, veritate et virtute, adeoque in eo omnes thesauri sapientiæ et gratiæ sunt reconditi, atque ex eo quasi capite in nos velut membra derivantur. Ergo ipsum ut caput nostrum, omnisque boni fontem et parentem diligere debemus. *Tertio*, per humanitatem Tertio. nostram a se assumptam, nos sibi et Deo arctissime copulavit, nosque sibi cognatos et fratres effecit : descendendo enim ad nostram naturam, eamdem ad Deitatis thronum ascendere fecit. Præclare B. Petrus Chrysologus, *serm.* 150 : « Christus, ait, venit suscipere infirmitates nostras, et suas nobis conferre virtutes; humana quærere, præstare divina; accipere injurias, reddere dignitates ; ferre tædia, referre sanitates : quia medicus qui non fert infirmitates, curare nescit; et qui non fuerit cum infirmo infirmatus, infirmo non potest conferre sanitatem. » Quis talem tantumque medicum infirmus non diligat? *Quarto*, summis bene- Quarto. ficiis nos sibi devinxit, quando ut redemptor, salvator, doctor et legislator noster annuntiavit nobis voluntatem Dei Patris, ejus fidem edocuit, spem confirmavit, miraculis probavit, accendit charitatem sanctissimæ vitæ exemplis, mores formavit, sanguine suo peccata nostra eluit et expiavit, tormentis suis plurimis et acerbissimis pro nobis Patri satisfecit, propria morte mortem nostram superavit, resurrectione denique et ascensione sua in cœlos æternæ vitæ aditum nobis reseravit. *Quinto*, his adde particularia beneficia, Quinto. gratias et dona, quæ cuique fideli elargitus est et in dies singulis multa et magna elargitur. Quis hæc mente revolvens, æstimans et ponderans amore Jesu non accendatur, liquefiat et diffluat? Ut cum sponsa dicat in *Cant.* : « Dilectus meus mihi et ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies et inclinentur umbræ. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi : inter ubera mea commorabitur; omnia poma, dilecte mi, nova et vetera servavi tibi. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. » Quocirca Clemens Alexandrinus, lib. IV *Strom.*, cap. VII, docet virum perfectum maximo repleri gaudio, cum pro Christo suo, quem non videt, multa patitur.

IN QUEM NUNC QUOQUE NON VIDENTES CREDITIS : CREDENTES AUTEM EXULTABITIS. — Τὸ *creditis* non est in Græco, sed includitur in τὸ *credentes*, *q. d.* « Quem cum non videatis, creditis tamen. » Noster Turrianus, tract. II *De Euchar.*, XVI et seq., atque ex eo Salmeron, hæc ad litteram accipiunt de Eucharistia, *q. d.* In Eucharistia, quam post baptismum sumitis, non videtis Christum; creditis tamen eum realiter esse præsentem, ideoque eum manducantes exultatis lætitia inenarrabili, uti in sacra ejus communione exultavit S. Monica, dicens : « Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum, » ac S. Franciscus, S. Catharina Senensis aliique Sancti, juxta illud *Psal.* XXXIII, 9 : « Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus. » Unde et sequitur : « In quem desiderant angeli prospicere; » et : « Propter quod succinti lumbos men-

tis vestræ; » etc. Hisce enim verbis videtur alludere ad Agnum typicum, quem comedebant succincti ad iter in terram promissam, qui erat typus Eucharistiæ, quæ est cibus et viaticum proficiscentium in cœlum. Eidem hæc adaptat S. Thomas, opusc. LVIII *De Sacram. Altar.*, cap. XV. Verum hic sensus potius accommodatitius est aut mysticus, quam litteralis. Loquitur enim Petrus absolute de fide in Christum, quem oculis non vidimus, sed fide credimus esse nostrum Redemptorem. Nam, ut ait S. Gregorius, homil. 26 *in Evang.*: « Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. »

EXULTABITIS — non tantùm in futura beata vita, sed etiam in præsenti, plena molestiis et tribulationibus. Unde Græca habent ἀγαλλιᾶσθε, id est *exultatis*, juxta illud Pauli Petro concinentis: « Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete, » *Philip.* IV, 4. Vide dicta ibidem, et *Jacobi* cap. I, vers. 1. Porro perperam hinc infert Catharinus, Sanctos certos esse se esse in statu gratiæ: exultatio enim Sanctorum in hac vita non est limpida, sed mixta cum timore et tremore, *Psalm.* cap. II, vers. 11.

LÆTITIA INENARRABILI, — tum ob spem futuræ gloriæ fidelibus a Christo promissæ, quæ est inenarrabilis, juxta illud *Psalm.* XXXV, 9: « Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos; » *torrente*, non vitro, non calice, non poculo; *torrente*, quo eos inebriabis, imo obrues et sepelies, quasi in oceano gaudiorum: talis enim est divinitas, cujus visione et fruitione beabimur. Ita S. Ephrem, lib. I *De Resurrect. et Jud.*, cap. II: « Has, inquit, promissiones habentes ineffabiles, exultemus exultatione inenarrabili et gloriosa. » Tantum enim in cœlis est Beatorum gaudium, ut de eo suis dicat Christus *Matth.* XXV, 23: « Intra in gaudium Domini tui, » *q. d.* Gaudium hoc tantum est, ut corde tuo capi nequeat, ac proinde non illud in te, sed tu in illud intraturus es, tum quia per fidem et gratiam possidemus Christum, cujus suavitas est inenarrabilis; tum quia Christus cordi suorum consolationes et gaudia ineffabilia, quasi prægustum quemdam cœlestis beatitudinis suggerit et instillat, ut cum S. Xaverio dicant: « Satis est, Domine, satis est. Nec enim vasculi cordis mei angustia tanta capit gaudia. » Et cum Psalte: « Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus, » *Psalm.* CXXI, 1. Et cum S. Francisco: « Tanta est gloria quæ me expectat, quod omnis pœna me delectat. » Rursum: « In sola cruce est perfecta lætitia. » Porro idem sui Ordinis fratribus dicebat: « Quod si Dei servus studeat lætitiam spiritalem interius exteriusque semper conservare, quæ ex cordis munditia oritur, ac per devotionis exercitia fovetur, nihil ei dæmones nocere poterunt, imo confusi dicent: Siquidem homo iste tam in adversis, quam prosperis lætitia vallatur, non inveniemus aditum ad ipsum. Tunc autem exultant dæmones, quando lætitiam hanc spiritalem extinguere vel impedire possunt. » Rursum: « Beatus ille religiosus qui non haurit jucunditatem et lætitiam, nisi in sanctis eloquiis et operibus Domini; et per hæc ipsa alios provocat ad amorem Dei cum gaudio et lætitia. Væ autem religioso, qui delectatur verbis inanibus et otiosis alios ad risum provocantibus. Ex lætitia ergo externa percipiebat fervorem, et sollicitudinem, dispositionem quoque et promptitudinem animi ad bonum libenter amplectendum, » ait Auctor *Speculi vitæ ejus*, part. I, cap. LXII et LXIII. Denique hoc est « manna absconditum, quod meno scit nisi qui accipit. Non illud eruditio, sed unctio docet: nec scientia, sed conscientia comprehendit; sapientia est cujus pretium nescit homo: de occultis trahitur, nec in terra suaviter viventium invenitur ista suavitas. Nimirum suavitas Domini est, » ait S. Bernardus, *De Convers. ad Cleric.* cap. XXI.

Lætitia spiritualis prægustus cœli.

GLORIFICATA, — id est gloriosa, tum ob rem, tum ob spem gloriæ cœlestis. Hinc dicitur « glorificata, » *q. d.* Lætitia hæc vestra vestita et perfusa est gloria, quia ob gloriam cœlestem, quam speratis, lætamini, adeoque hæc lætitia est prægustus illius gloriæ. Unde Cajetanus: «glorificata, » inquit, dicitur, tum ex parte materiæ, quia est de glorificato Jesu, quem diligitis, et in quem creditis; tum ex parte formæ, quia participatio quædam est gloriosæ lætitiæ Beatorum. Aliter Hugo: « Glorificata, » inquit, id est, gloriosa reputata a Christo, aut ab eo nobis gloriose data. Et Thomas Anglicus: « Glorificata, » inquit, id est, a Deo laudata. *q. d.* Impii rident lætitiam fidelium ob spem futuræ gloriæ, at vero Deus in judicio eam laudabit et glorificabit.

9. REPORTANTES FINEM (puta mercedem) FIDEI VESTRÆ, SALUTEM ANIMARUM VESTRARUM. — « Reportantes, » tum in præsenti, tum potius in futuro, id est reportaturi, cum scilicet exultabitis in cœlo, uti præcessit: in præsenti enim reportamus salutem animarum inchoatam per gratiam et justitiam; in futuro reportabimus salutem plenam, per felicitatem et gloriam, *q. d.* Ex fide qua creditis in Christum quem non videtis, eumque summe diligitis, partim consecuti estis, partim consequemini finem fidei, qui est salus animarum vestrarum: salutem enim inchoatam consecuti estis per gratiam, quæ vos effecit filios et hæredes Dei, ideoque certam dat spem, imo jus ad beatitudinem regnumque cœleste, salutem vero consummatam per gloriam consequemini post mortem in cœlis. State ergo in fide, pro eaque adversa quælibet constanter tolerate, scientes quia fides et tolerantia vestra non erit inanis in Domino, sed ad finem optatissimum et beatissimum felicitatis æternæ vos perducet. Merito ergo S. Augustinus, lib. I *Confess.*, cap. I: « Fecisti, inquit, nos Deus ad te, et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te. » Et in *Soliloq.* cap. XIII: Vers. 9.

Solus Deus implet animam.

« Omnis copia quæ Deus meus non est, egestas est. » Nam, ut idem ait cap. XXX : « Nihil est quod animam impleat, nisi tu, Deus, ad cujus imaginem est creata. » Et lib. XIII *Confess.*, cap. VIII : « Satis ostendis quam magnam creaturam rationabilem feceris, cui nullo modo sufficit ad beatam requiem quidquid te minus est, ac per hoc non ipsa sibi. »

10. DE QUA SALUTE EXQUISIERUNT ATQUE SCRUTATI SUNT. — Ἐξεζήτησαν καὶ ἐξηρεύνησαν, id est accurate, diligenter, sollicite, magna contentione et studio perquisiverunt et perscrutati sunt. Probat fidem et gratiam Christi et Christianismi non esse nuperum hominis inventum, sed priscum Dei decretum Prophetis omnibus revelatum, qui studiose illud indagarunt, serio prædixerunt et avidissime exspectarunt, ut Jacob, *Genes.* XLIX, 18 : « Salutare (salvatorem Jesum) tuum exspectabo, Domine; » et mox vocat eum « desiderium collium æternorum. » Moses, *Exod.* IV, 13 : « Obsecro, Domine, mitte quem missurus es. » *Isaiæ* XLV, 8 : « Rorate cœli desuper, et nubes pluant justum. » *Habac.* II, 1 : « Super custodiam meam stabo, ut videam quid dicatur mihi. » Daniel, toto cap. IX, etc. Hinc Irenæus, lib. IV, XIII; Eusebius, lib. I *Histor.*, cap. IV, et fuse S. Augustinus, lib. XII, XIII et XIX *Contra Faustum*, cap. XIII, XVI et XVII, docent omnes Patriarchas, Prophetas, veteresque Sanctos ab Adamo usque ad Christum fuisse Christianos, non nomine, sed fide et professione, quia credebant in Christum venturum, uti nos credimus in præteritum, scilicet natum jam et crucifixum, hacque fide justificati et salvati sunt, ideoque magna spe et amore ad eum anhelabant, juxta illud Christi : « Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum : vidit et gavisus est, » *Joan.* cap. VIII, 56. Ubi recte notat S. Thomas, quo quisque Sanctorum, sive ante, sive post Christum, illi fuit vicinior et proximior, eo magis ab illo radiis fidei et gratiæ fuisse collustratum : unde Apostoli et primi fideles a Christo primitias spiritus accepisse dicuntur, *Roman.* VIII, 23. Sic ante Christum B. Virgo, Joannes Baptista, Zacharias, Anna, Simeon, Joachim et Anna, parentes B. Virginis, etc., Christi fide, gratia et sanctitate cæteris remotioribus præcelluerunt : quo enim quis vicinior est soli et igni, eo magis eo illustratur et calefit. Loquor ordinarie et communiter. Nam aliquos, ut Abrahamum, Mosem, Davidem et Isaiam multis vicinioribus Christo ejus fide et spiritu magis afflatos fuisse ex Genesi, Psalmis et vaticiniis eorum liquet.

Vers. 11. 11. SCRUTANTES IN QUOD VEL QUALE TEMPUS SIGNIFICARET (ἐδήλου, id est declararet, demonstraret venturam istam gratiam Christi et Christianismi) IN EIS SPIRITUS CHRISTI, — τὸ ἐν αὐτοῖς πνεῦμα Χριστοῦ, id est, *Spiritus Christi qui erat in eis*, tum inhærendo per gratiam, tum inspirando per prophetiam. Nam « Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines, » ait S. Petrus, *epist.* II, cap. I, vers. 21. Ita Daniel, cap. IX, intellexit in medio 70 hebdomadæ, id est, anno 487, occidendum esse Christum; Jacob, post ablatum sceptrum a Juda, *Gen.* XLIX, 10; Malachias, cap. III, vers. 1, mox post adventum et prædicationem S. Joannis Baptistæ (1).

PRÆNUNTIANS EAS QUÆ IN CHRISTO SUNT PASSIONES. — Græce τὰ εἰς Χριστὸν παθήματα, id est *in Christum*, vel *Christo obventuras et infligendas passiones* et plagas. Unde quidam Latini codices legunt, *quæ in Christo futuræ erant.*

Pro *prænuntians* græce significantius est προμαρτυρόμενον, id est *prætestificans*, sive testificans antequam eveniret, *q. d.* Deus Christo testes dedit Prophetas, et ne quis eos ab eo subornatos diceret, præmisit ante Christum, ut suis oraculis quasi testimoniis divinis Christo venturo viam sternerent, fidemque certam conciliarent.

ET POSTERIORES GLORIAS. — « Posteriores, » id est quæ post passionem secuturæ erant quasi passionum merces et præmium, quales fuerunt resurrectio, ascensio in cœlum, missio Spiritus Sancti, conversio Gentium : Christus enim « propter passionem mortis gloria et honore coronatus est, » *Hebr.* II, 9. Dicit hoc Petrus, ut scandalum crucis tollat : multi enim tunc ridebant, quin et nunc Pagani et Turcæ rident Christianos, quod credant in Deum crucifixum. Hisce respondet Petrus dupliciter : *Primo*, passiones has crucis a Deo decretas in lytrum scelerum nostrorum, et ne cui scandalo essent, per Prophetas ab olim fuisse prænuntiatas. *Secundo*, has passiones Christi desiisse et compensatas fuisse ingenti et æterna gloria, tum in cœlis apud Deum et angelos, tum in terris apud omnes gentes, quæ Christum crucifixum crediderunt, susceperunt et adorarunt. Hoc est quod ait Christus discipulis incredulis : « Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam? » *Lucæ* cap. XXIV, vers. 26. Hoc est quod plena voce buccinat Paulus : « Judæi signa petunt, et Græci sapientiam quærunt : nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis Christum Dei virtutem et Dei sapientiam, » I *Corinth.* cap. I, vers. 23. Pulchre hanc Christi gloriam explicat S. Cyrillus, *De Fide ad Reginas* : « Humilitas, ait, passionis meritum est exaltationis. » Et S. Augustinus, tract. 104 *in Joan.* : « Humilitas claritatis est meritum, claritas humilitatis est præmium. » Christianus ergo cum Christo patiatur et humilietur, ut cum eodem glorificetur et exaltetur. « Si enim compatimur, et conglorificabimur, » *Rom.* cap. VIII, 17. Christus « favos post fella gustavit, » ait Tertullianus, lib. II *De Corona milit.*, cap. XIV : sic et Christiani cogitent se

(1) « Vel quale, » scilicet, libero populo, an serviente, an semilibero. Possunt tamen *quod* et *quale* pro synonymis hic haberi.

post fella gustaturos mella; impii vero post gutta mellis, oceanum fellis in gehenna se potaturos.

Vers. 12. 12. QUIBUS REVELATUM EST, QUIA NON SIBIMETIPSIS, VOBIS AUTEM MINISTRABANT EA. — *q. d.* Prophetæ non sibi prophetarunt, sed posteris: puta non Judæis, sed Christianis; prædixerunt enim Christi adventum, vocationem, gratiam et salutem obventuram Christianis, non Judæis. Unde Syrus vertit, *nostra nobis vaticinabantur*, hoc est quod ait Paulus: « Hæc autem omnia in figura contingebant illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt, » I *Corinth.* X, 11, *q. d.* Ergo par est, ut ea quasi ingentia Dei beneficia nobis ab olim collata, cum ingenti gratiarum actione et devotione complectamur, utque vos, o Judæi, credatis et obediatis Apostolis, sicut credidistis et obedivistis Prophetis: utrique enim idem eodem spiritu de Christo prædicant, et quod Apostoli annuntiarunt, Prophetæ prænuntiarunt. Ita Œcumenius. Prævidit S. Petrus Marcionem hæresiarcham, qui doceret alium fuisse Deum auctorem veteris Testamenti, alium novi, eumque perstringit (æque ac postea Tertullianus libris quinque *contra Marcionem* scriptis), *q. d.* ait Beda: « Idem spiritus Christi erat in Prophetis prius, qui postmodum in Apostolis; ideoque eamdem fidem utrique populis prædicaverunt, illi Christum adhuc venturum, isti jam venisse; ac per hoc unam Ecclesiam, cujus pars carnalem Domini adventum præcesserit, pars altera sit secuta. »

MINISTRABANT EA. — Hesselius τὸ *ministrabant* neutraliter accipit, *q. d.* Vobis serviebant, vobis commodabant, vestræ utilitati ministrabant ea quæ de Christo prædixere Prophetæ. Verum melius alii active accipiunt, *q. d.* Prophetæ subministrarunt vobis sua oracula. Unde ipsi tum Apostolorum, tum Christianorum fuere quasi ministri et diaconi: hoc enim significat Græcum διακόνουν; *ministrabant* ergo idem est quod prophetabant: prophetia enim sua ministrarunt nobis. Diaconi ergo Christi et Christianorum fuere Prophetæ, Apostoli vero eorumdem sunt Evangelistæ, quia eis evangelizarunt Evangelium, id est, lætissimum nuntium de Messiæ adventu, redemptione et salute. Vide II *Corinth.* III, ubi Apostolus Mosen et Prophetas vocat ministros mortis et damnationis, quia promulgarunt legem veterem, quæ prævaricatores Judæos mortis reos efficiebat, et condemnabat; Apostolos vero vocat ministros vitæ, gratiæ et gloriæ: hanc enim attulere per Christi Evangelium.

PER EOS QUI EVANGELIZAVERUNT, — puta Apostolos, quorum unus, imo princeps sum ego. Quare minus recte putant aliqui S. Petrum hic se excludere, nec evangelizasse Ponticis, Galatis, Cappadocibus, etc., cum potius modeste cæteris se jungat et includat.

SPIRITU SANCTO MISSO DE COELO. — Refer ad *evangelizaverunt*, *q. d.* Sicut Prophetæ per spiritum Christi de quo vers. 11, prædixerunt Christum venturum, ita Apostoli evangelizaverunt vobis eumdem jam præsentem, inspiratione Spiritus Sancti quem receperunt in Penteco te specie linguarum ignearum, ut ipse per eorum linguas ardentes sermones, quasi sagittas ignitas mitteret, quibus corda audientium Dei et Christi cognitione et amore accenderet. Ita Œcumenius.

IN QUEM DESIDERANT ANGELI PROSPICERE. — Pro *in quem* græce est εἰς ἃ, id est *in quæ*, scilicet mysteria Christi, præsertim salutis et gloriæ beatificæ desiderant angeli prospicere, ut scilicet ea videant perfecta et completa. Ita Syrus, Didymus, Œcumenius, Gagneius, Cajetanus, Catharinus, Vatablus hic et Irenæus, lib. IV, cap. LXVII, et lib. II, cap. XXIX; S. Ephrem, tract. *De Armat. spirituali*, cap. I; Cyrillus, lib. *De Incarn. Unigen.*, cap. XXVIII. Ubi adverte: Pronomen ἃ proprie refert Christi παθήματα, id est *passiones*, et posteriores glorias, quæ proxime præcesserunt. Unde colligas, angelos mire delectari visione humanitatis Christi, ejusque plagarum et stigmatum sacrorum, ac gloria tum corporis, tum animi, qua longe angelos omnes transcendit. Unde Sophronius, Patriarcha Constant., orat. I *De Natura Christi*, quæ exstat tom. II *Biblioth. SS. Patrum*, per *in quæ* accipit Christi nativitatem, Bethlehem et præsepe, in quæ desiderant angeli prospicere. Unde et Christo nato « ex abundanti gaudio cecinerunt: « Gloria in altissimis Deo, » ait Œcumenius. Simili modo incredibiliter delectantur angeli aventque spectare martyrium, agones et fidelium passiones quaslibet, dum eas generose Christi amore sustinent eorumque coronam et gloriam, ut sedes ex quibus ruerunt dæmones, inter angelos impleant. Unde Apostolus: « Spectaculum, ait, facti sumus mundo, et angelis, et hominibus, » I *Corinth.* IV, 9. Et S. Cyprianus, epist. *ad Tibaritanos*: « Prælientes, ait, nos et fidei congressione pugnantes spectat Deus, spectant angeli, spectat et Christus. Quanta est gloriæ dignitas, quanta felicitas præsente Deo congredi et Christo judice coronari! » Ita Catharinus et Salmeron τὸ *in quæ* referunt ad omnia gerenda in Ecclesia Christi militante, præsertim certamina et victorias Martyrum, aliorumque fidelium in tribulatione et persecutione; Didymus et Cajetanus ad statum Ecclesiæ qui erit in fine mundi.

Christus homo deliciæ angelorum.

Verum noster Interpres legit εἰς ὅ, scilicet πνεῦμα, id est *spiritum*, qui proxime; vel εἰς ὅν, scilicet Christum, qui remotius præcessit. *Primo* ergo ad Spiritum Sanctum hæc referunt S. Thomas, I *p. Quæst.* LVIII, art. 1, ad 2; Isidorus, lib. I *Sentent.* XII, sent. 22; Petrus Damianus, serm. 11, qui est *De Annuntiatione*; quin et S. Basilius et Didymus, lib. *De Spiritu Sancto*, et Athanasius, Epiphanius et Cyrillus Alexandrinus mox citandi.

Secundo, ad Christum hæc referunt Beda, Glossa, Auctor libri *De Spiritu et Anima*, apud S. Augus-

tinum, tom. III, cap. LIX; S. Bernardus, serm. 1 et 4 *De omnibus Sanctis*, ubi Christum vocat angelorum delicias; Hugo, Thomas Anglicus, Titelmannus. Videtur enim S. Petrus alludere ad Cherubim Mosis, qui jugiter intuebantur propitiatorium, quod repræsentabat propitiatorem Christum, *Exodi* XXV, 20. Porro angelos mire desiderasse Christum natum, patientem et resurgentem videre, patet *Isaiæ* LIII, *Psalm.* XXIII, et alibi. Christus enim, qua homo, est caput non tantum hominum, sed et angelorum, *Coloss.* I, 16. Unde nonnulli Theologi cum Clemente Alexandrino, lib. VII *Strom.*, et Origene, hom. 1 et 2 *in Levit.*, censent non tantum homines, sed et angelos suam gratiam et gloriam Christo Christique meritis acceptam ferre. Hinc S. Bernardus, serm. 22 *in Cantic.* : « Qui erexit, inquit, hominem lapsum, dedit angelo stanti ne caderet, sic illum de captivitate eruens, sicut hunc de captivitate defendens; et hac ratione fuit utrique redemptio, solvens illum, et servans istum. »

An angeli desiderent unionem hypostaticam Christi ?

Porro nova est expositio Philippi Solitarii, lib. III *Dioptræ*, cap. III, quæ talis est : Angeli desiderant Christum videre, non tantum humanatum, sed, ut ita dicam, angelisatum : desiderant enim ut Christus assumat naturam angelicam, sicut assumpsit humanam per unionem hypostaticam, ut ipsorum natura perinde ac nostra adoretur in Christo, et glorificetur in throno Cherubico sedens ad dexteram Patris, ac proinde ut ipsi quoque haberent claves cœlorum, sintque judices cum Christo judicantes duodecim tribus Israel, æque ac futuri sunt Apostoli et Sancti, *Matth.* XIX, 28. Verum hoc desiderium efficax et absolutum esse nequit; sciunt enim angeli unionem suæ naturæ cum Verbo ex Dei ordinatione non esse possibilem, nec unquam futuram; unde eam efficaciter desiderare nequeunt voluntate absoluta, sed tantum conditionata, si videlicet id Deo placeret, quæ velleitas tantum est, ostendens quanti faciant assumptionem humanæ naturæ factam a Verbo.

Prior expositio de Spiritu Sancto videtur verisimilior, tum quia ille proxime præcessit, tum quia facilis fuit lapsus ex δ, scilicet πνεῦμα, in ἁ, quomodo legunt Græci et Græca. Porro desiderant angeli prospicere, *primo*, in ipsum Spiritum Sanctum : eum enim videndo, vident pariter Patrem et Filium, omnium enim una est essentia, hacque visione beantur. *Secundo*, in opera et dona Spiritus Sancti, quibus fideles et Ecclesiam ornat; hæc enim deferunt, procurant, promovent et dirigunt angeli, utpote administratorii Spiritus Sancti circa regimen Ecclesiæ et salutem fidelium. Ita Cyrillus Alexandrinus, serm. *quod Verbum Dei factum sit homo*; S. Basilius et Didymus, lib. *De Spiritu Sancto*; S. Athanasius, epist. *ad Serapionem*; S. Ambrosius, lib. *De Isaac*, cap. V; S. Epiphanius, *hæres.* 74, et alii, qui ex hoc loco contra Macedonium probant divinitatem Spiritus Sancti. Hinc patet beatitudinem angelorum, æque ac hominum, consistere in visione Dei et Spiritus Sancti : hæc enim omne eorum desiderium satiat et explet. Unde hæreditatem incorruptibilem ad quam nos per Christum vocatos dixit S. Petrus, vers. 3, hic explicat, asseritque sitam esse in prospectione et visione Spiritus Sancti, id est Dei. Poterat dicere S. Petrus, Angeli desiderant prospicere in Deum, sed maluit dicere, in Spiritum Sanctum, eo quod paulo ante dixisset Spiritum Sanctum prænuntiasse per Prophetas, et annuntiasse per Apostolos Christi passiones et glorias; et quia totum hoc opus œconomiæ Christi, nostræque redemptionis, vocationis, sanctificationis et salutis, quod hic celebrat Petrus, fuit opus summæ gratiæ et amoris divini, qui appropriatur Spiritui Sancto. Addit hoc S. Petrus, ut acuat desiderium fidelium ad avide audienda et amplectenda Christi mysteria, utpote quæ prædicta et evangelizata sunt per Spiritum Sanctum, in quem desiderant angeli prospicere, ut hæc mysteria in ipso, quasi in sui fonte intueantur. Si enim angeli ea videre desiderant in Spiritu Sancto quasi omnis bonitatis auctore, multo magis homines, quorum saluti destinata sunt, magnum desiderium eadem videndi et complectendi in se acuere et excitare debent. Quare sive legas *in quæ*, sive *in quem*, et sive intelligas Spiritum Sanctum, sive Christum, eodem omnia redeunt. Sensus enim est, quod angeli in Spiritu Sancto intueri desiderent Christum Christique redemptionem et mysteria. Hoc est quod ait Paulus : « Manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria, » I *Timoth.* III, 16.

Porro angeli in Spiritum Sanctum prospicere desiderant, id est desideranter et cupide prospiciunt, desiderando satiantur, et satiando desiderant. Audi S. Gregorium, XVIII *Moral.*, cap. XXVIII : « Deum, ait, angeli vident, et videre desiderant, et sitiunt intueri, et intuentur. Ne autem sit in desiderio anxietas, desiderantes satiantur; et ne sit in satietate fastidium, satiati desiderant. Et desiderant sine labore, quia desiderium satietas comitatur; et satiantur sine fastidio, quia ipsa satietas ex desiderio semper accenditur. » Et Beda : « Contemplatio divinæ præsentiæ ita angelos beatificat, ut ejus semper visa gloria satientur, et semper ejus dulcedinem quasi novam insatiabiliter esuriant. » Id significat Græcum παρακύψαι, id est, inclinato pronoque capite, studiose et exacte prospicere et introspicere. Beati enim totos mentis oculos, totam aciem, totam mentem in Deo contemplando defigunt, adeoque quasi extra se exeunt, ut toti in Deum abeant et transeant. Causam hujus desiderii dedi vers. 4, explicans τὸ *immarcescibilem*.

Mystice de Eucharistia.

Mystice noster Turrianus, tract. 2 *De Eucharistia*, cap. XVI, XVII et XVIII, et ex eo Salmeron (imo ipsi censent hunc esse sensum litteralem) : « in

quem,» scilicet Christum in Eucharistia, inquiunt. In ea enim non videmus Christum, sed tamen realiter præsentem credimus, atque in eum ibidem desiderant angeli παρακύπτειν, id est studiose, accurate, sollicite, fixis oculis introspicere, tum ut ipsum, tum ut modum essendi (qui est angelicus, ut totum Christi corpus sit in quolibet hostiæ puncto totum et integrum), tum ut ejus dignationem et gratiam, quam astantibus et communicantibus copiose elargitur, introspiciant. Huc respexit S. Marcus in *Liturgia,* dicens : « Post consecrationem in animo beneficia confers, et eis qui in te fiduciam collocant illa tribuis, quæ in se angeli prospicere desiderant. » Quocirca angelorum chori sacerdoti celebranti assistunt, ut tanta mysteria venerabundi aspiciant, honorent et venerentur. « Quis enim fidelium, ait S. Gregorius, lib. IV *Dialog.*, cap. LVIII, habere dubium possit, in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Jesu Christi mysterio angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cœlestibus jungi, unum quoque ex visibilibus atque invisibilibus fieri? » Et S. Ambrosius, in capite I *Luc.* : « Non dubites, ait, assistere angelum quando Christus assistit, quando Christus immolatur. » Quin et S. Jacobus in *Liturgia* : « Taceant, ait, mortales, et stent cum metu et tremore, nihil terrenum cogitantes. Rex enim regum, Christus Dominus Deus noster, exit ut mactetur, et detur in cibum fidelibus, eum vero chori angelorum antecedunt. » Quare exclamat S. Chrysostomus, hom. *De Sacra et Divina mensa* : « O miraculum, mensa tam magnifice instructa, in qua Agnus Dei pro te mactatur, ad quam assistunt Cherubini, descendunt Seraphini, qui senis præditi alis vultus demittunt, ubi omnes angeli cum sacerdote pro te legationem obeunt! »

Angeli assistunt Missæ.

13. PROPTER QUOD SUCCINCTI LUMBOS. — Est hic altera capitis pars, ethica scilicet (prior enim fuit dogmatica), qua fidelium mores, ut Christo et Christiano sint digni, efformat. Vox *propter quod,* hæc præcedentibus connectit et ex iis quasi principiis congruam conclusionem educit, *q. d.* Cum hæreditas incorruptibilis, et cœlestia bona a me et Apostolis prædicata, per Christum vobis, o Christiani, parata sint, eaque tanta sint, ut non tantum Prophetæ, sed et angeli ea videre desiderent, quid restat, nisi ut, terrenis cogitationibus calcatis, quasi succincti lumbos mentis totis animi affectibus, quasi plenis passibus tendatis ad cœlum? Sectentur avari quasi talpæ opes terrenas, ambiant superbi quasi chamæleontes auram honoris, gulosi quasi porci inhient escis : vos vero cives, imo reges cœli a Deo scripti et destinati, longe ardentiori studio quærite, et accincti, id est expediti, contendite ad regnum æternum, ut contemptis omnibus mundi illecebris, opibus, minis, odiis, persecutionibus, speretis et assequamini gratiam, id est, gloriam istam revelandam in die judicii.

Succingere lumbos mentis quid?

Nota *primo* : Lumbos succingimus ad quatuor usus : *primo,* ad iter; *secundo,* ad opus; *tertio,* ad bellum; *quarto,* ad ministerium. Unde S. Augustinus in *Psalm.* XCII : « Succingi, inquit, est iter aggressuri; cingi, operis quippiam facturi; accingi, præliaturi; præcingi, ministraturi. » Christianis hæc omnia competunt; nam *primo,* quasi peregrini iter faciunt in cœlum; *secundo,* quasi operarii opus Dei peragunt; *tertio,* quasi milites Christi præliantur cum mundo, carne et dæmone; *quarto,* quasi famuli ministrant Christo : debent ergo esse succincti lumbos mentis, id est, debent esse mente et animo non impedito, sed prompto, libero et expedito ad quatuor jam exposita. Est *primo,* catachresis : lumborum enim succinctio facit hominem expeditum, ideoque eum significat. *Secundo,* est metaphora, eaque duplex, prior sumpta ex vestitu Judæorum et veterum : hi enim prælongis vestibus et tunicis utebantur; unde opus, vel iter facturi eas succingebant. Hinc fidelibus in morte sibi occursuris, ait Christus *Lucæ* XII : « Sint lumbi vestri præcincti. » « Qui enim discinctus est, ait Haymo, ipsis suis vestimentis impeditur, ne libere ambulet; qui vero præcinctus est, quaquaversus discurrere potest. » Posterior, quod lumbos menti tribuit, quo significat Christianos mentem, sublatis omnibus impedimentis, debere exhibere paratam, alacrem et acrem ad opus et iter hoc ingrediendum. Succingit ergo lumbos mentis, qui e mente errores, præsertim prava principia practica, ac noxias cogitationes et cupiditates pellit. Ita Œcumenius, Gagneius et Thomas Anglicus, qui pulchre ait hominem interiorem, id est animam, suo modo exteriori homini proportionari. Dicitur enim habere pedem, id est affectionem; oculum, id est rationem; manum, id est operationem; narem, id est discretionem; lumbos et renes, id est delectationes. Sic *Lucæ* XVI, animarum Lazari et Epulonis spiritales operationes per oculos, digitos, linguam et membra corporea significantur.

S. Petrus ergo per lumbos mentis, mentis vires, facultates, affectiones, amores et cupiditates intelligit, easque cingi et restringi jubet, ne libere fluant, et propositum in cœlum ad Deum cursum remorentur. *Secundo,* ut expediti Deo ad evangelizandum, multa cum eo patiendum, et quidlibet aliud vocanti respondere possint : « Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum, » *Psalm.* LVI, vers. 8. *Tertio,* ut mens suis lumbis, id est, viribus et affectibus imperet, eosque ad libitum evagari non sinat, sed regat et dirigat tum ad suam salutem, tum ad Dei obsequium et gloriam. Mens enim sibi suisque affectibus imperans, est regina plene lateque dominans, magis quam Rex vel Imperator orbis, juxta illud Horatii :

> Latius regnes avidum domando
> Spiritum, quam si Libyam remotis
> Gadibus jungas, et uterque Pœnus
> Serviat uni.

Talis ergo succingit lumbos mentis, quia omnibus mentis affectibus, amoribus et timoribus dominatur, ut eos stringere et laxare ad libitum possit, velut venator canem, auceps accipitrem.

Cingulum symbolum, primo, fortitudinis.

Nota *secundo* : Cingulum *primo,* symbolum et causa est fortitudinis et constantiæ : quocirca Gentiles cingulum dicabant Marti. Et Cicero oratori hoc dat præceptum : « Arctiori cingulo latera cingat, ut ea ad dicendum sint firmiora et fortiora. » Sic *Proverb.* XXXI, 17, de muliere forti dicitur : « Accinxit fortitudine lumbos suos, roboravit brachium suum. » Et Deus dicitur « accinctus potentia, » *Psalm.* LXIV, 7, aliosque præcingere. Unde David ait : « Præcinxisti me virtute ad bellum, » *Psalm.* XVII, 13. Significat ergo Petrus Christianis non segniter agendum, sed eos debere intendere animum, ac fortiter et constanter incumbere Christo, Christianismo, ac saluti et gloriæ æternæ, ad quam a Christo vocantur. Ita Œcumenius. Hinc apud Græcos εὔζωνος, id est *bene cinctus*, idem est, ac fortis et strenuus. Contra vero discinctus apud Latinos sonat dissolutum et imbellem : quia summo ducebatur probro, si militem ignavum juberet Imperator diem transigere discinctum, ait Suetonius in *Augusto,* cap. XXIV. Huc facit illud, III *Reg.* cap. XX, vers. 11 : « Ne glorietur accinctus æque ut discinctus, » id est pugnaturus, æque ac jam a pugna quiescens, parta scilicet victoria.

Secundo, castitatis.

Secundo, cingulum symbolum est castitatis, tum quia ipsum restringit lumbos, ac consequenter libidinem, quæ in lumbis habet originem ; tum quia castitatem tueri est actus magnæ fortitudinis. Hinc illud Christi : « Sint lumbi vestri præcincti, » multi exponunt sic, *q. d.* Mortificate luxuriam, studete castitati. Ita S. Augustinus, hom. 23 *in Evang.*; S. Basilius, in cap. XV *Isaiæ*; S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovinianum,* et alii. Sic et S. Petri verba hic exponunt nonnulli. Unde et sequitur : « Sobrii perfecte sperate, » sobrietas enim est comes, imo mater castitatis. Ita Beda : « Succingit, inquit, lumbos mentis, qui hanc ab impura cogitatione restringit. Et qui mente et corpore castus Domini adventum exspectat, merito quando revelatur, sperat. » Et S. Gregorius, XXXII *Moral.*, cap. II : « Lumbos carnis, inquit, succingere, est luxuriam ab effectu refrænare ; lumbos vero mentis succingere, est hanc etiam a cogitatione restringere. » Et Petrus Chrysologus : « Cincti, inquit, castitatis balteo, quod est insigne militiæ Christianæ, fluxæ carnis detruncemus ignaviam, etc. Dominus lumbos nostros astringi jubet balteo castitatis, et totum carnis nostræ pendulum, fluidum, resolutum, constringi mandat continua zona virtutis, ut carne succincta ad Domini occursum liber, velox, expeditus nostræ mentis reddatur incessus. »

Tertio, modestiæ.

Tertio, cingulum signum est animi honesti, modesti et compositi ; qualis enim est homo exterior, puta vestis et vestitus, talis est et interior. Unde Sylla fuit notatus, quod male præcinctus incederet, quasi id signum esset animi incompositi et intemperantis. Sic et de Julio Cæsare adhuc puero omen fuit, « Syllæ optimates admonentis, ut male præcinctum puerum caverent. Eum enim optimatum partibus exitio futurum : nam Cæsari multos Marios inesse, » ait Suetonius in *Vita Julii Cæsaris,* cap. I et XLV.

Quarto, fidelitatis.

Quarto, cingulum signum est fidelitatis : conjuges enim cinguntur cingulo conjugali, ut moneantur mutuo servare fidem conjugalem.

Quinto, continentiæ.

Quinto, continentiæ et mortificationis appetituum erga res sæculares et fluxas. Ita S. Augustinus, serm. 39 *De Verbis Domini,* et S. Gregorius, XXXIV *Moral.*, cap. XXXV. Lumbos et mamillas, inquit, succingit, « qui cunctos mutabilium cogitationum motus, per solius amoris vincula restringit, » ut dicat cum Psalte : « Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum, » *Psalm.* LXXII, 25.

Cingulum mentis est veritas.

Quæres, quo cingulo cingendi sunt lumbi mentis? Respondeo, veritate. Hoc enim veritatis cingulum assignat Paulus, *Ephes.* VI, 14. Vide ibi dicta : quibus adde expositionem S. Gregorii Nazianzeni, *orat.* 42 : « Quæro, inquit, quid lumbis, cum veritate commune sit, et quæ Pauli mens fuerit cum diceret : State igitur succincti lumbos vestros in veritate ; num forte quod speculatio concupiscentiam coerceat, nec aliorsum ferri sinat? Nec enim fieri potest, ut qui cujuspiam rei amore flagrat, parem ad alias voluptates vim habeat ; » hoc est, ut explicat Nicetas : « Christi contemplatio lumbum nostrum et concupiscentiam constringit, eamque totam ad rerum divinarum amorem transfusam et derivatam diffundi ac dispergi non sinit. » Christus enim est veritas, I *Joan.* cap. V, vers. 6. Oratio ergo et contemplatio Christi rerumque cœlestium minuit et infringit concupiscentiam omnem quæ in lumbis residet. Quocirca oratio est mater mortificationis, continentiæ, castitatis. Et vicissim mortificatio orationem purificat et accendit. Idem Nazianzenus, *orat.* 40 : « Quid lumbi, inquit, quid renes? sint lumbi vestri succincti, ac per continentiam restricti, sicut Israeli olim ex legis præscripto pascha comedenti : nemo enim pure ac perfecte ex Ægypto excedit, nec exterminationem fugit, nisi hæc domuerit ac frænaverit. Renes autem laudabilem immutationem sentiant, vim totam cupiditatis ad Deum transferentes, ut dicere queamus : Domine, ante te omne desiderium meum ; et : Diem hominis non concupivi. Viros enim spiritualium desideriorum nos esse convenit. Nam ita demum draconem illum, cujus vires maximæ in umbilico et lumbis sitæ sunt, oppresserimus, extincta videlicet eversaque ea potentia, quam in his partibus obtinet. » Ratio est, quia anima in homine est una et eadem ; quare cum illa sit limitatæ virtutis, si ipsa vim suam totam exerat et expendat in speculatione et amore rerum cœlestium ; non habet ultra quid-

quam quod expendat in amore et speculatione rerum carnalium. Unde videmus homines meditationi et orationi addictos, vix sentire stimulos carnis.

Ita noster B. Aloysius Gonzaga adeo orationi et meditationi perpetim erat intentus, ut nullam in ea mentis evagationem, vel distractionem sentiret, ac miraretur quod homo colloquens cum Deo in præsentia tantæ majestatis distrahi, aliove mentem flectere posset; indeque eximium castitatis donum est assecutus, ut instar S. Thomæ Aquinatis nullos impuros carnis animive motus sentiret, et ad eos videretur insensibilis, quasi angelus foret, non natura, sed virtute.

Moralitar, de ebrietate.

SOBRII. — *Primo, q. d.* Non ebrii, nec indulgentes vino, gulæ et ventri. Nam « vina parant animos veneri, » et vice versa, « sine Cerere et Baccho friget Venus. » Unde S. Hieronymus, epist. 83 *ad Oceanum* : « Vinolentia, ait, scurrarum est et comessatorum, venterque mero æstuans facile despumat in libidinem. » Vide dicta *Ephes.* v, 18, ad illud : « Nolite inebriari vino in quo est luxuria. » Sicut enim ebrietas, venterque satur et plenus ineptus est ad iter, ad opus, ad prælium, ad obsequium : ita ad hæc omnia paratus est sobrius, paratque sobrietas. Vere Origenes, hom. 3 *in Levit.* : « Sobrietas, inquit, omnium virtutum mater est, sicut e contrario ebrietas omnium vitiorum. » Et mox : « In ebrietatis ægritudine corpus simul et anima corrumpitur, spiritus pariter cum carne vitiatur, omnia membra debilitat, pedem, manum, linguam resolvit, oculos tenebrat, mentem velat oblivio : ita ut hominem se esse nesciat, nec sentiat. » Et S. Basilius, *hom.* 14 : « Ebriorum animæ vino submersæ sunt. » Et mox : « Mentis lumine per ebrietatem te privas, inter bestias ratione carentes annumerari potes. » Et S. Chrysostomus, hom. 58 *in Matth.* : « Diabolo, ait, nemo magis amicus est, quam qui deliciis et ebrietate maculatur, » etc. Mox ebrium comparat possesso a dæmone : ebrius enim non videtur esse homo, sed dæmon incarnatus, ita furit, rixatur, pugnat, insanit. « Deliciis vacans, ait, nullo discrimine a dæmoniaco separatur : impudens enim et furiosus pariter est; et dæmoniacum omnes miseremur, hunc vero aversamur : quia sponte furorem sibi attrahit; et os, oculos, nares et cætera sensuum instrumenta amarissimas voluptatis facit cloacas. »

Secundo, Œcumenius et Syrus τὸ *sobrii* nectunt cum *perfecte*; quasi S. Petrus non semiplenam, qualis fuit Judæorum, sed plenam et perfectam sobrietatem a Christianis requirat, quæ mentem eorum faciat succinctam et paratam ad iter cœleste : plena autem sobrietas est abstinentia non tantum carnis, sed et mentis, puta continentia animique moderatio, qua cupiditatibus omnibus dominatur. De qua Seneca, *epistola* 39 : « Magni animi, inquit, est magna contemnere, ac mediocria malle quam nimia : illa enim utilia vitaliaque sunt, at hæc, eo quo superfluunt, nocent. Sic segetem nimia sternit ubertas, sic rami onere franguntur, sic ad maturitatem non pervenit nimia fœcunditas. Idem animis quoque evenit, quos nimia felicitas rumpit. » Et Plutarchus, *De Virtut. moral.* : « Temperatus animus, ait, est æqualis et pacatus, inferiore animæ nostræ portione cum superiore consentiente admirabili quiete, ornatus et compositus, in quem intuens dicas :

> Conciderant venti jam, et tranquillus sine vento
> Pontus erat, namque ipse Deus sedaverat undas :

vehementes, insanos rabidosque motus cupiditatum restinguente ratione, et quibus natura indiget, eos sibi consentientes obedientesque reddente, ut nec rationem præcurrant, nec terga vertant, nec ordinem turbent, nec dicto non sint audientes; sed ut omnis motus quocumque velit ratio ducere, paratus sequi, seu lactens pullus cum equa simul currat. » Verum hæc mystica est sobrietas, atque τὸ *perfecte* aptius referas ad sequens *sperate.*

Tertio, Græcum νήφοντες verti potest *vigilantes*, uti vertit Vatablus et S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovinianum*; unde et Syrus vertit, *excitamini perfecte.* Sobrietas enim est mater vigilantiæ, æque ac ebrietas somni et ignaviæ. Quocirca S. Petrus hæc duo quasi individuos comites jungit cap. v, vers. 8, dicens : « Sobrii estote et vigilate. » Vita enim fidelium est vigilia : excubare enim debent inter tot hostes, quibus undique cinguntur. Rursum Christi doctrina sublimis, æque ac gratia et gloria, poscit mentem vigilantem, attentam, acrem, studiosam, operosam.

PERFECTE (Glossa, Hugo, Dionysius et alii legunt *perfecti*, sed Græca habent τελείως, id est *perfecte* : ita et Romana) SPERATE IN EAM, QUÆ VOBIS OFFERTUR, GRATIAM. — Requirit S. Petrus a fidelibus non qualem qualem, sed perfectam spem, eamque innuit parari sobrietate : abstinentia enim a voluptatibus carnalibus facit nos sperare cœlestes, ad easque capiendas et prælibandas mentem habilem, acrem et alacrem facit. Pro *offertur* græce est φερομένην, quod S. Hieronymus et alii vertunt, *defertur* : quia scilicet Deus hanc gratiam non tantum promittit, sed et offert, defert, et quasi in manum sinumque dat; ita tamen ut non cogat, sed liberum relinquat voluntati eam acceptare, vel respuere, uti definit Concilium Tridentinum, *sess.* VI, cap. v.

Pro *gratiam* græce χάριν, alii legunt χαράν, id est *gaudium.* Ita Syrus; gratia enim hic licet proprie accipi possit, *q. d.* Sperate in fidem et gratiam, quod illa vos perducet ad salutem; melius tamen « gratiam » accipias pro gloria, hanc enim fideles et justi sperant; et hæc plenum affert gaudium, juxta illud Christi : « Intra in gaudium Domini tui, » *Matth.* XXV, 26. Hæc etiam est gratia, quæ licet ipsa sit merces bonorum operum, tamen hæc ortum habent a gratia. Unde *Rom.* VI, 23, dicitur : « Gratia Dei vita æterna. »

Spes heroica Martyrum.

Hæc plena spes adegit et excitavit S. Petrum, S. Andream, Philippum et Simonem, ad exultanter conscendendum crucem, Jacobum et Paulum ad gladios et secures complectendum, S. Laurentium ad calcandam craticulam, Sebastianum ad sagittas, Stephanum ad lapides, Ignatium ad leonem, Clementem ad naufragium, Polycarpum ad ignem, Theclam ad serpentes, tauros, equuleos, omniaque genera tormentorum fortiter et alacriter superanda. Vere Tertullianus, lib. *De Resurrect. carnis* : « Fiducia Christianorum, inquit, resurrectio est mortuorum. »

Nota *primo* : Spes, cum sit virtus Theologica, pro objecto habet Deum, uti et fides et charitas : sperat ergo primario in Deum, non in creaturam qualis est gratia ; secundario tamen sperat quoque media quibus Deus nos ad se, quasi finem ultimum et beatum ducit, qualia sunt gratia, fides, charitas cæteræque virtutes. Sic fides credit multa de Christo, rebusque creatis, quatenus ea a Deo revelata sunt. Sic charitas amat non tantum Deum, sed et proximum propter Deum.

Nota *secundo* hebraismum : *sperare in gratiam*, id est, sperare gratiam, hoc est gloriam ; hæc enim est gratia consummata : sic credere in Deum, est credere Deum, et credere Deo.

Eucharistia gratiarum gratia.

Mystice, Turrianus noster, lib. III *Dogmat. Charact.*, per *gratiam* accipit Eucharistiam, quæ idem græce sonat quod bona gratia : quia ipsa gratiarum est summa, et gratia οὐσιώδης, id est *substantialis* ; in ea enim Christus se et suam substantiam, puta totam deitatem et humanitatem, quasi eximium donum et gratiam nobis impertit, ac proinde proprie speramus in hanc gratiam, quia speramus in Christum, qui realiter præsens est in Eucharistia, imo est ipsamet Eucharistia et gratiarum gratia.

IN REVELATIONEM. — Ita Romana, *q. d.* Sperate hanc gratiam, id est gloriam, usque in diem revelationis Christi, donec scilicet veniat dies judicii : tunc enim a Christo judice illa, quasi merces laborum et patientiæ vobis dabitur. Aut sperate in revelationem Jesu Christi, id est, in Jesum Christum, quod in revelatione suæ gloriæ et potestatis judiciariæ, puta in die judicii, hanc gratiam, id est gloriam, vobis consignabit. Aut sperate in diem revelationis Christi, quia ille dies vobis hanc gratiam afferet. Græca habent ἐν ἀποκαλύψει, id est, *in revelatione*, *q. d.* Sperate in hanc gratiam nunc, quando ea per meam et Apostolorum prædicationem vobis revelatur. Aut potius, *q. d.* Sperate hanc gratiam vobis datam iri in revelatione Christi, puta in die judicii.

Nota : Τὸ *revelationem* significat nos hanc vitam agere in fide, id est, in ænigmate et obscuritate, qua res a nobis creditæ et speratæ non apparent, non cernuntur, sed quasi arcanæ et absconditæ sunt apud Deum : nam hæ omnes eorumque dignitas et majestas revelabitur in die judicii, ut tunc facie ad faciem eas contemplemur, iisque fruamur. Sic Paulus ait : « Mortui estis, et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo. Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum illo in gloria, » *Coloss.* III, 3. Vide ibi dicta.

Vers. 14. Filii obedientia triplicem.

14. QUASI FILII OBEDIENTIÆ. — Hæc pendent a præcedentibus, *q. d.* State succincti lumbos, id est expediti et constantes, ac sobrii sperate futuram gloriam, uti decet filios obedientiæ, id est, obedientes præceptis Christi, meis et Apostolorum, quales vos estis. Decet enim filios obedire parentibus. S. Petrus ergo requirit a fidelibus obedientiam, non qualem qualem, sed filialem ex filiali amore et reverentia. Rursum « filii obedientiæ » vocantur dediti et plane addicti obedientiæ, ut ex ea quasi matre progeniti, planeque obedientiæ indolem et naturam hausisse et imbibisse videantur. Insuper « filii obedientiæ, » quasi devoti et consecrati obedientiæ ; quomodo Religiosi vocantur filii obedientiæ, quia ei se devoverunt, ejusque votum Deo nuncuparunt. Et tales fuere primi Christiani, nimirum obedientissimi Christo et Apostolis, adeoque votum vel professionem obedientiæ Apostolis ediderunt, uti ostendi *Actor.* V, 1. Sic vocantur filii perditionis, incredulitatis, diffidentiæ, id est, plane perditi, increduli, diffidentes. Item filii iræ, mortis, gehennæ, id est, addicti vindictæ, morti et gehennæ.

Moraliter significat S. Petrus Christianos debere esse obedientissimos quasi filios obedientiæ, filios Christi et primorum Christianorum, qui fuerunt obedientissimi. Christus enim « factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, » *Philipp.* cap. II, 8. Item quasi fratres angelorum : angeli enim sunt « potentes virtute, facientes verbum illius ad audiendam vocem sermonum ejus, » *Psal.* CII, 20. Hinc alati pinguntur et ignei, quia celerrime et efficacissime Dei jussa exequuntur, juxta illud : « Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis, » *Psal.* CIII, 4.

NON CONFIGURATI PRIORIBUS IGNORANTIÆ VESTRÆ DESIDERIIS. — Ostendit qualem obedientiam a fidelibus quasi filiis requirat, scilicet non fidei tantum, ut credant in Christum, ut volunt hæretici ; sed operum quoque, ut non sectentur pristina desideria et cupiditates, quæ sectati sunt in gentilismo, sed studeant sanctitati, ut in omni conversatione sancti sint. Unde Syrus vertit, *non communicetis amplius concupiscentiis primis, quibus concupiscebatis sine scientia.* Nota *configurati*, id est conformati ; qui enim sequitur cupiditates, iis se conformat et configurat, ut earum formam et figuram induere videatur. Vides ebrium ? vides formam, mores et gestus ebrietatis. Vides gulosum ? vides figuram, hiatum et voracitatem gulæ et veneris. Vides ambitiosum ? vides figuram, tumorem et gestus ambitionis. Ex adverso qui se configurant et conformant Christo ejusque

virtutibus, ipsius formam, mores et actus induunt. Sicut enim charta prælo appressa, et configurata laminæ in qua incisa et sculpta est effigies Christi, illi configuratur, ejusque imaginem induit, ut referat et exprimat Christi formam et habitum : ita prorsus qui Christo quasi normæ, regulæ et exemplari mentem et voluntatem plane applicat, ei se configurat, ejusque formam, mores et virtutes in se exprimit. Hoc est quod jubet Paulus, *Ephes.* IV, 22 : « Deponere vos secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. » Pro quo S. Petrus ait, « ignorantiæ, » ut significet eos in gentilismo fuisse in profunda caligine et nocte infidelitatis, gulæ, libidinis, superbiæ, etc., quæ honesta, recta et pulchra putabant Gentiles, adeoque iis gloriabantur : jam vero per Christianismum traductos esse ad claram diem et lucem fidei, cognitionis Dei, sobrietatis, castitatis, omnisque virtutis. Subdit S. Paulus : « Renovamini autem spiritu mentis vestræ; et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis. » Vide ibi dicta.

Vers. 15. 15. SED SECUNDUM EUM QUI VOCAVIT VOS (ad fidem, gratiam et salutem) SANCTUM (Deum et Christum, qui est « Sanctus sanctorum et justitia sempiterna, » *Daniel.* IX, 24), ET IPSI IN OMNI CONVERSATIONE SANCTI SITIS. — Vetus unius septem Sapientum dictum fuit : « Sequere Deum; » vetustius Dei per Mosem : « Sancti eritis, quia ego sanctus sum, » *Levit.* XI, 45. Recentius, sed plenius est Christi : « Estote ergo perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est, » *Matth.* V, 48; et Pauli, *Ephes.* V, 1 : « Estote imitatores Dei, sicut filii charissimi. »

Porro sanctitatem opponit desideriis, id est concupiscentiis; quo significat sanctitatem consistere in puritate, quæ acquiritur fugiendo et mortificando carnales et terrenas cupiditates, ut sicut Deus sanctus, id est, segregatus est a terra terræque fœcibus, ita pariter sit et fidelis sanc-
Sanctus quis? tus. Unde Origenes, hom. 11 *in Levit.* : « Sanctus, inquit, græce dicitur ἅγιος, quod eum quasi extra terram esse significat; quicumque enim se consecraverit Deo, merito extra terram et extra mundum esse videbitur. » Clare vero S. Dionysius, cap. XII *De Divin. Nomin.* : « Sanctitas, ait, est ab omni scelere libera, perfectaque ac omni ex parte incontaminata puritas : quæ ita in Deo eminet, ut merito Sanctus sanctorum nuncupetur, et celeberrimo illo hymno trisagio a beatis mentibus in cœlo celebretur. » Et S. Basilius, *De Spiritu Sancto*, cap. IX : « Anima, inquit, purgata a probro quod eam per malitiam contaminarat, et ad nativam pulchritudinem reversa, ac veluti imagine regia veterem formam puritate reddens, hoc uno demum modo potest ad Paracletum appropinquare. Ille vero veluti sol purum nactus oculum, ostendet tibi in seipso imaginem illius, qui videri non potest. » Et mox : « Ille (Paracletus) eis qui a tumultu cupiditatum purgati sunt illucescens, per communionem quam cum ipso habent, spiritales reddit. Et sicut corpora illustria perlucidaque, contacta radio solis, fiunt et ipsa supra modum splendida, et alium fulgorem ex sese profundunt : sic et animæ spiritu afflatæ, ac spiritu illustratæ fiunt et ipsæ spiritales, et in alios gratiam emittunt. »

Porro S. Petrus plenam et universalem a fidelibus sanctitatem requirit; ait enim : « In omni conversatione sancti sitis. » Aliqui enim in templo videntur angeli, sed in domo sunt diaboli. Requirit ergo continuum exercitium non unius, sed omnium virtutum, utque earum habitus solidos et intensos sibi comparent. Habitus enim virtuti dat non solum facilitatem, sed et constantiam, ut ea præditus contra quaslibet tentationes sibi similis, fortis firmusque consistat, ac virtutem in omni conversatione exerat, ex eaque omnia agenda agat. Sensus ergo est, *q. d.* Omnis conversatio vestra, o Christiani, in gentilismo fuit impura, maculata, et sæpe bestialis. Multi enim vestrum in templo fuere superstitiosi, in curia contentiosi, in foro ambitiosi, in platea contumeliosi, in officina fraudulenti, in agro rapaces, in domo rixosi; multi in mensa fuere lupi, in cubiculo vulpes, in opere asini, domi pavones, foris accipitres, in lecto porci, in tribunali tigrides, in circulis canes, in plateis leones. At nunc in Christianismo oportet, ut omnis conversatio vestra in agendo, loquendo, ambulando, comedendo, studendo, disputando, dormiendo, operando, regendo, etc., sit pura, Christiana, sancta, angelica; ut in templo sitis ardentes in oratione ut Seraphini; in schola et cubiculo speculantes ut Cherubini; in judicio placidi et æqui ut Throni; in cupiditatibus frænandis excelsi ut Dominationes; in regimine prudentes ut Principatus; in tentatione mundi calcanda generosi ut Potestates; in luctu cum dæmone fortes ut Virtutes; in officio et opere publico fideles ut Archangeli; in mensa, platea, foro, lecto, etc., honesti, pudici, compositi, sancti ut Angeli. Vide S. Bernardum, tract. *De modo bene vivendi*, ad sororem, ubi ostendit qualis debeat ejus esse conversatio in templo, cubiculo, mensa, colloquio, lectione, somno, etc.

Christianorum primorum mira sanctitas.

Id præstiterunt primi Christiani, qui proinde proprio nomine vulgo vocabantur Sancti, uti passim eos vocat S. Paulus. Audi S. Justinum philosophum et martyrem, Christianorum sui ævi, id est, anno Christi 150, vitam et mores graphice depingentem, epist. *ad Diognetum*, I : « Patrias, inquit, habitant proprias, sed tanquam inquilini. Omnium participes sunt, ut cives; et omnia patiuntur, ut peregrini. Omnis peregrina regio patria eorum est, et omnis patria est peregrina. Uxores ducunt ut alii omnes; et liberos procreant, sed non abjiciunt fœtus. Mensam communem apponunt, sed non impuris communem. In carne sunt; sed non secundum carnem vivunt.

In terra degunt; sed in cœlo conversantur. Sanctis obsequuntur legibus, et suo vitæ genere leges superant. Amant omnes, et ab omnibus infestantur. Ignorantur, et condemnantur. Morte afficiuntur, et vivificantur. Pauperes sunt, et multos ditant. Omnibus indigent, et omnibus abundant. Ignominia afficiuntur, et in ignominiis celebrantur. Blasphemantur, et justificantur. Maledicuntur, et benedicunt. Contumeliis lacessuntur, et honorant. Benefaciunt, et tanquam improbi puniuntur. Puniti gaudent, tanquam vivificati. A Judæis tanquam alienigenæ oppugnantur, et ab infidelibus persecutionem patiuntur : nec possunt tamen qui eos oderunt, ullam odii causam adferre. »

Essæi quales?

Tales fuere Essæi, primi scilicet Christiani Alexandriæ sub S. Marco, qui Essæi dicti sunt quasi ὅσιοι, id est *sancti,* aut potius quasi חסידי *chaside,* id est *pii.* Quam enim Essæi in omni conversatione fuerint sancti, ex Porphyrio jurato licet Christi et Christianorum hoste et obtrectatore disce, mirare et imitare. Sic enim ipse eos depingit apud Eusebium, lib. IX *De Præparat. Evang.,* cap. I : « Essæi Judæi genere sunt : hi alter alterum magis diligunt quam cæteri homines faciant ; et voluptatem omnem quasi vitiosam aspernantur, continentiam et integritatem animi ab omni perturbatione remotam, præcipuam putantes virtutem. Uxores non ducunt ; alienos autem liberos teneros adhuc, et ad omnem aptos doctrinam adoptantes, pro suis educare, ac moribus suis stabilire solent, quod faciunt, non quia matrimonium abominentur, sed quia mulierum mores cavendos putant. Divitias omnes adeo spernunt, ut mirabilis quædam in eis communitas sit. Nullus eorum præter cæteros aliquid possidet, omnia eis communia sunt. Nemo alio ditior aut pauperior. Una omnibus quasi fratribus facultas est. Ungi oleo non patiuntur : quod si quis forte oleo tactus fuerit, diligenter quasi a magna macula corpus illi abstergitur : non enim molles, sed aridi atque duri esse corpore cupiunt ; alba semper induuntur ; electione communi quæstores et gubernatores sibi creant, et indivisæ in omnibus res sunt. Non habitant urbem unam, sed hinc illo facile migrant, semperque ad sequentes hæresim (id est, sectam, puta religionem) suam proficiscuntur ; a quibus ita suscipiuntur, ut una eos semper vixisse diceres : unde fit ut proficiscentes nihil impensæ secum ferant. Vestem et calceos antequam omnino tempore dirumpantur, non mutant ; nec emunt aliquid, nec vendunt ; sed commutatione rerum utuntur, cum egeant. Nam inter eos communia quæcumque volunt, etiam nihil afferentes. »

Deinde eorum preces, opera et prandia ita describit : « Erga Deum maxima pietate utuntur. Nam antequam sol oriatur nihil eis profanum dicitur, sed patria oratione utuntur, qua solem oriri precantur, deinde a præfectis singuli ad artes operaque sua mittuntur : et posteaquam horis quinque laboraverint, ad unum rursus locum congregantur : et aqua frigida perloti, in domum veniunt, quo nemini nisi ejusdem sectæ introire licet. Ita mundi quasi in templum ad cœnaculum veniunt, ubi magna tranquillitate sedentibus ordine omnibus panis apponitur, et ferculum unum unicuique. Primus autem omnium sacerdos, facta oratione, comedere incipit ; nefasque omnino putant ante orationem quidquam gustare. Cumque pransi fuerint, multo diligentius orant. Ita incipientes et desinentes laudes Dei diligenter concinunt. Post hæc vestibus, quibus prandentes quasi sacris utuntur, depositis, ad opera rursus exeunt : nocturnoque reversi crepusculo similiter cœnant, hospitibus etiam considentibus, si qui forte affuerint ; clamor aut tumultus nunquam apud eos auditur, sed ordine ita colloquuntur, ut tanto eos inter se uti ordine atque silentio mirabile videatur, cujus causa perpetua continentia est. Cibus et potus vitæ necessitate mensuratur. »

Deinde recensito eorum juramento, quo jurant se modestiam, justitiam, veritatem, pietatem et secretum culturos, subdit : « Tanta vero tenuitate paucitateque utuntur rerum, ut raro plus quam semel in septem diebus alvi purgatione indigeant. Qua quidem ex continentia in tantam perveniunt patientiam, animique robur, ut nec equuleo, nec igne, nec alio quæstionum genere impelli possint, ut aut verbis legislatorem vituperent, aut illicitum quidquam comedant, quod maxime in bello, quod sibi a Romanis illatum fuit, ostenderunt : nulla enim adulatione ad torquentes unquam sunt usi, nullas lacrymas torti emiserunt ; sed suaviter in doloribus ridentes, et eis illudentes a quibus torquebantur, sic expirabant jucundissime, ut ad patriam redire viderentur. Firma enim hæc opinio apud eos est, corpora quidem morti esse subjecta, animas vero tanquam immortales semper vivere : cumque a subtilissimo æthere dimittantur, naturali quodam delatos impetu corporis conjungi : cum vero a vinculis corporum quasi a longa servitute liberati sint, tunc summo cum gaudio altiora petere. Qua quidem vita et pietate facile fit, ut multi apud eos futura provideant, præcipue qui a sacris voluminibus et varia carnis castigatione, et Prophetarum dictis exercentur. Hæc Porphyrius de pietate ac philosophia Essæorum testatus est. » Hucusque Eusebius.

In hoc speculo intuere te tuosque mores, o Christiane, et si te ab eis longe abesse deprehenderis, conare eos insequi et assequi ; ne illud Salviani, lib. IV *De Providentia,* in te tuique similes quadret : « Frustra nobis de prærogativa et nomine christianitatis blandimur, qui ita agimus ac vivimus, ut hoc ipsum quod Christianus populus esse dicimur, opprobrium Christi esse videatur. » Et mox : « Ubi est lex Catholica, quam credunt ? Ubi sunt pietatis et castitatis præcepta, quæ dis-

cunt? Evangelia legunt, et impudici sunt; Apostolos audiunt, et inebriantur; Christum sequuntur, et rapiunt; vitam improbam agunt, et probatam legem habere se dicunt, etc. In nobis Christus patitur opprobrium, in nobis patitur lex Christiana maledictum, dum dicitur: Ecce quales sunt qui Christum colunt: falsum plane est quod inquiunt se bona discere. Si enim bona discerent, boni essent. Talis profecto secta est, quales et sectatores: hoc sunt absque dubio quod docentur: sancta a Christianis fierent, si Christus sancta docuisset. Æstimari itaque de cultoribus suis potest ille qui colitur. Quomodo enim bonus magister est, cujus tam malos videmus esse discipulos? Ex ipso enim Christiani sunt, ipsum audiunt, ipsum legunt. »

Vers. 16. 16. QUONIAM SCRIPTUM EST: SANCTI ERITIS, QUONIAM EGO SANCTUS SUM. — Id scriptum est *Levit.* XX, 26. Vide ibi dicta, et *Levit.* XXVII, 28. Sensus est, ait Didymus, *q. d.* « Sicut ego fons sanctitatis sum, per substantiam sanctus existens, ita vos studete participare sanctitatem quos diligo, ut sitis, sicut et ego. » Quare præclare Nazianzenus, *Iambico* 15: « Quid, ait, est sanctitas? Cum Deo consuescere. » Sic Noe et Henoch ambulantes cum Deo sancti effecti sunt, *Genes.* V, 24, et VI, 9.

Vers. 17. 17. ET SI PATREM INVOCATIS EUM, QUI SINE ACCEPTIONE PERSONARUM JUDICAT SECUNDUM UNIUSCUJUSQUE OPUS, IN TIMORE INCOLATUS VESTRI TEMPORE CONVERSAMINI. — Pergit S. Petrus urgere fideles, ut in omni conversatione sancti sint, ac jugiter in sancto timore Dei conversentur, variis rationibus et stimulis (1). *Prima* est hoc versu, scilicet quod ille ipse Sanctus, qui eos vocavit, sit ipsorum Deus, pater et judex quem adorant et invocant, *q. d.* Ergo eum ut Deum sancte colite; ut patri velut morigeri filii, sancte obedite; ut judicem, sancte timete: ipse enim judicat sine personarum acceptione, nec respicit divitem præ paupere, herum præ servo, nobilem præ ignobili, sed quemque pro meritis secundum opera cujusque judicat. Quapropter dum hanc vitam, carnem et terram quasi advenæ et peregrini incolitis, in sancto timore conversamini, ac Deum quasi patrem filiali amore, vel certe ut judicem servili timore timete et reveremini, ut omnes ejus offensas et peccata declinetis, faciatisque omne quod ei placitum, ab eoque jussum et lege sancitum est, itaque gehennam evitetis, et æternam in cœlis hæreditatem ab eo, velut timorati servi et morigeri filii nanciscamini. Hoc est quod ait *Malach.* cap. I, vers. 6: « Filius honorat patrem, et servus dominum suum. Si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? Et si Dominus ego sum, ubi est timor meus? dicit Dominus exercituum. »

Nota: « Patrem » vocat Deum, qui communis est tribus personis, Patri, Filio et Spiritui Sancto. Hic enim est pater, id est, creator, conservator, provisor, gubernator angelorum, hominum omniumque creaturarum. Sic Christus in oratione Dominica nos ita orare et ordiri jussit: « Pater noster, qui es in cœlis, » *Matth.* VI, 9. Ex quo loco perperam contendit Calvinus et Calvinistæ, Deum á nobis invocandum esse duntaxat nomine Patris, non vero S. Trinitatis, dicendo: « S. Trinitas unus Deus, miserere nobis. » Unde ipsi nomen S. Trinitatis e suis Calendariis, precibus, litaniis expunxerunt. *Perperam*, inquam: nam Christus jussit nos baptizare invocando S. Trinitatem, dicendo: « Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. » Hinc S. Trinitatem invocat S. Dionysius, *De Mystica Theolog.*, cap. I; S. Augustinus, lib. ultim. *De Trinit.*, cap. ult., et alii passim; imo tota Ecclesia in Festo S. Trinitatis, et alias sæpe. Vide Fevardentium, dialog. 1 *Contra Calvinum*. Non sine causa viri sapientes Calvinum insimularunt arianismi et judaismi, ut Hunius scripserit librum hoc titulo, *Calvinus Judaizans*. Si enim non licet invocare Filium, Spiritum Sanctum; S. Trinitatem; ergo Filius non est Deus, nec Spiritus Sanctus, nec S. Trinitas. Quicumque enim est verus Deus, hunc uti adorare, ita et invocare non tantum possumus, sed et debemus.

Nota *secundo*: Solus Filius, qua homo, erit personalis judex judicans omnes homines; Pater tamen et Spiritus Sanctus erunt quoque judices, quia judicabunt per Christum hominem, sicut rex judicat per suum prætorem. Ita S. Augustinus, tract. 21 *in Joan.* Vide Franciscum Suarez, III *part.*, *Quæst.* LVII, art. 1.

Timor judicii quam utilis.

Magnus stimulus ad conversationem sanctam est timor Dei omnia cernentis, judicantis et vindicantis. Unde Apostoli jugiter eum inculcarunt, et prædicatores crebro inculcare debent. Refert S. Clemens S. Petrum dictitasse: « Quis peccare poterit, si semper ante oculos suos Dei judicium ponat? » S. Paulus vehementer idipsum timuit: « Ne forte, inquit, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar, » I *Corinth.* IX, 27; et: « Cum metu et tremore vestram salutem operamini, » *Philipp.* I, 12; et: « Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum, » II *Corinth.* V, 10, etc. « Serviamus placentes Deo cum metu et reverentia: etenim Deus noster ignis consumens est, » *Hebr.* XII, 28. Vide ibi dicta, et *Joel.* III, 2, et *Apocal* VI, in fine, et cap. XXII, vers. 12, ubi Christus ait: « Ecce venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua. » Merito ergo regius Propheta: « Servite, ait, Domino in timore, et exultate ei cum tremore, » *Psalm.* II, 11. Quis non tremat coram Deo, coram summo judice, coram rigido vindice, qui potest animam et corpus perdere in gehennam, in cujus manibus sunt sortes nostræ, vita et mors; cœlum et infernus, æterna nostra salus et damnatio? « Verebar omnia opera mea,

(1) « Et si, » id est, imo quum.

sciens quod non parceres delinquenti,» ait S. Job cap. IX, 28. Hieronymus, *epist.* 5 : « Ego, ait, peccatorum sordibus inquinatus diebus ac noctibus operor cum timore reddere novissimum quadrantem, et quod mihi dicatur : Hieronyme, veni foras. » Et ad Eustochium recensens suas in eremo lacrymas, jejunia et pœnitentias : « Ego, inquit, ob gehennæ metum tali me carcere ipse damnaveram. » Idem ad suam eremum invitans Heliodorum, ait, eum omnes remoras superaturum, «si amor Dei et gehennæ timor animum occupet.»

Nota *tertio* : Per *incolatum* intelligit peregrinationem hujus vitæ. Unde græce est παροικίας χρόνον, id est, tempore modico, quo in hac vita et terra quasi hospites et advenæ peregrinamur, *q. d.* In terra estis peregrini, et per eam quasi hospites transitis ad cœlum; nolite ergo terræ illecebris capi et inhærere, sed iis contemptis ad patriam pergite, et pertransite. Hinc parœci dicti sunt incolæ, parœcia incolarum vicinia, sive cœtus fidelium, qui ad unum idemque templum pertinent; et Parochus dictus est, qui iis præest, vel qui iis Sacramenta et panem Eucharistiæ administrat. Parochus enim Romanis erat, qui hospitibus panem cæteraque ad victum necessaria suppeditabat, teste Cicerone, lib. III *ad Atticum*, epist. 2.

Sic incolatus sui semper erat memor David, dicens *Psalm.* CXIX, 5 : « Hei mihi quia incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cædar, multum incola fuit anima mea! » Sic Abraham, Isaac, Jacob, omnesque Patriarchæ et Prophetæ in terra promissionis morati sunt tanquam in aliena, « confitentes quia peregrini et hospites sunt super terram, » *Hebr.* XI, 9 et 11. Vide ibi dicta. « Quotidie, ait S. Hieronymus *ad Heliodorum*, morimur, quotidie commutamur, et tamen æternos nos esse credimus. » Seneca, lib. VI *Natur., Quæst.* cap. XXXII : « Fluit tempus, inquit, et avidissimos sui deserit, nec quod futurum est meum est, nec cum fuit; in puncto fugientis temporis pendeo, et magni est modicum fuisse. Eleganter ille Lælius sapiens dicenti cuidam, Sexaginta annos habeo : Hos, inquit, dices sexaginta, quos non habes? »

Vers. 18. 18. SCIENTES QUOD NON CORRUPTIBILIBUS. — Secundum hic stimulum Petrus adhibet fidelibus, ut in omni conversatione sancti sint, scilicet quod ad eam empti, redempti et a vana et impura in gentilismo conversatione traducti sint pretio inæstimabili, scilicet sanguine et morte Christi, Filii Dei unigeniti. Videant ergo ut in ea permaneant, ne, si ad pristina vitia redeant, sanguinem Christi proculcent, illius iram et vindictam provocent, qui hunc sui sanguinis contemptum et injuriam acerrime puniet et ulciscetur. Ita Beda : « Quanto majus, inquit, est pretium quo redempti estis a corruptione vitæ carnalis, tanto amplius timere debetis, ne revertendo ad corruptelam vitiorum, animum vestri redemptoris offendatis. »

DE VANA VESTRA CONVERSATIONE PATERNÆ TRADITIONIS. — Græce πατροπαραδότου, id est *a patribus tradita*, scilicet de conversatione in lege Mosis, item in gentilismo : Judæis enim æque ac Gentibus ad Christum conversis loquitur. Judaismi traditio et conversatio vana erat, quia purificationem et sanctitatem ponebat in victimis et lustrationibus corporalibus; et quia excludebat Christi fidem et gratiam, qui sanctitatem in interna virtute constituit; et quia promulgata jam lege Christi inutilis erat, imo mortifera. Ita Cajetanus et Gagneius. Gentilium traditio vana erat, quia adorabant idola lignea et lapidea, ab eisque salutem et bonum omne postulabant et exspectabant, et quia sectabantur vanas et impuras carnis mundique illecebras.

19. SED PRETIOSO SANGUINE QUASI AGNI IMMACULATI CHRISTI. — Sanguinis Christi, utpote Dei, pretium est infinitum, infinito ergo pretio redempti sumus. « Empti estis pretio magno, glorificate et portate Deum in corpore vestro, » ait Paulus I *Corinth.* cap. VI, 20. Vide eumdem *Hebr.* IX, 13. Hoc pretium magnum est « ipse Christus, totus nobis datus, totus in nostros usus expensus, ait S. Bernardus, serm. 3 *De Circumcis.* Porro Christum vocat « quasi agnum, » id est, similem agno in puritate, innocentia, castitate, mansuetudine, obedientia : qua quasi agnus immolatus est pro peccatis nostris. Alludit ad agnum a Judæis immolari solitum in Paschate, qui erat typus Christi immolandi pariter in Paschate. Hic enim debebat esse ἄμωμος, id est, *irreprehensibilis* et immaculatus, *Exodi* XII, 5. Agni hujus Paschalis lana designat exemplum, lac doctrinam, caro Eucharistiam, sanguis redemptionem, ait Thomas Anglicus. Præclare S. Paulinus, epist. *ad Florentium* : « Idem, inquit, agnus et pastor reget nos in sæcula, qui nos de lupis oves fecit, earumque nunc ovium pastor est ad custodiam, pro quibus fuit agnus in victimam. » Rursum alludit ad *Isaiæ* LIII, 7 : « Sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum. » Et *Jerem.* XI, 19 : « Et ego quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam, et non cognovi. » Proximius vero alludit ad testimonium Joannis Baptistæ de Christo : « Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi, » *Joan.* I, 29. Hac voce Agni gaudet alter S. Joannes Apostolus, itaque passim vocat Christum, *Apocal.* V et sequent., quibus omnibus significat, a Christo Agno Christianos omnes debere esse agnos, et agninos mores imitari, uti fecit et re et nomine S. Agnes : Agnes enim dicitur quasi agna, ait S. Augustinus, serm. 101 *De Diversis.* Vere S. Ambrosius, lib. VII *in Lucæ*, XII : « Bene pretiosus, inquit, dicitur sanguis Christi, quia immaculati corporis sanguis est, quia sanguis est Filii Dei, qui non solum de maledicto legis, sed etiam de impietatis morte perpetua nos redemit.

Vers. 19.

Redemit autem non tantum solvens lytrum pro peccatis commissis, sed et a vitiis statuque pravæ

vitæ nos transferendo ad virtutes statumque vitæ sanctæ, mutando mentem, eamque imbuendo sua gratia, quæ nos agat et impellat ad omne bonum. Hoc est quod ait Paulus, *Galat.* III, 13 : « Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum. » Et I *Corinth.* I, 30 : Christus « factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio. » Unde eleganter pieque S. Ambrosius, lib. III *De Fide,* cap. III, ostendens quantum Christiani Christo debeant : « Sapientia mea, inquit, crux Domini est : redemptio mea mors Domini est : sanguine enim pretioso redempti sumus, ut Apostolus Petrus dixit, sanguine suo quasi homo Dominus nos redemit, idemque quasi Deus peccata donavit. » Præclare S. Leo, serm. 3 *De Pass.* : « Inter omnia, ait, opera misericordiæ Dei nihil est mirabilius, nihilque sublimius, quam quod pro mundo crucifixus est Christus. »

Sanguis Christi effusus mansit unitus deitati.

Hinc docent Theologi sanguinem Christi in passione effusum non fuisse separatum a divinitate, uti censuit Franciscus Mayronis in IV, dist. XLIII, *Quæst.* I; sed hanc mansisse cum eo, æque ac cum corpore hypostatice conjunctum; sanguis enim Christi fuit pretium justum et sufficiens peccatorum nostrorum, eo quod esset sanguis personæ divinæ, puta Verbi, quod est infinitæ dignitatis. Mansit ergo sanguis Verbi; ergo Verbo hypostatice mansit conjunctus. Si enim ab ea per effusionem fuisset separatus, desiisset esse pretium condignum pro peccatis nostris : jam enim fuisset sanguis puræ creaturæ, ideoque limitatæ et exiguæ dignitatis, ac proinde insufficiens ad satisfaciendum pro peccatis, quæ immensam immensi Dei continent offensam. Huc facit axioma Theologorum ex Damasceno, lib. III, cap. XXVII : « Quod Deus assumpsit, nunquam dimisit. » Ergo sanguinem semel assumptum non dimisit. Adde, si in triduo mortis Christi S. Petrus consecrasset calicem Eucharistiæ, fuisset in eo sub speciebus vini ex vi verborum consecrationis sanguis Christi : ergo fuisset in eo divinitas per concomitantiam; quia sicut caro Christi non est in Eucharistia nisi ut caro vivifica, atque adeo ut caro Verbi (ut ait Concilium Ephesinum, epist. *ad Nestorium*) : ita pariter sanguis ille est vivificus, atque adeo divinus et unitus Verbo. Denique idipsum definivisse Clemens VI, dicitur in *Inquisitorio*, II part., Quæst. X, et Pius II, uti refert Sylvester in *Rosa aurea,* Quæst. XXX. Plura vide apud Suarez, III *part.*, tom. II, disput. XLVII, sect. 3.

Quam Christo servire teneamur.

Moraliter, S. Ambrosius, lib. *De Isaac,* cap. III, pulchre docet quantam servitutem Christo emptori et hero nostro debeamus. « Nescis, inquit, quod redemerit te Christus, non emerit auro, non argento, sed pretioso sanguine agni. Ergo redemptus a Domino es, servus es qui creatus es, servus es qui redemptus es : et quasi domino servitutem debes, et quasi redemptori. » Fuit enim non qualis qualis, sed copiosa Christi redemptio, *Psalm.* CXXIX, 7. Unde Urbanus VI, in Extravag. *Unigenitus,* agens de pretio et thesauro sanguinis Christi, ex quo hauriuntur Indulgentiæ et Jubilæa, sic ait : « Agni immaculati pretioso sanguine nos redemit, qui in ara crucis innocens immolatus, non guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter unionem ad Verbum, pro redemptione totius generis humani suffecisset, sed copiose velut quoddam profluvium noscitur effudisse. » Erat enim Christi sanguis, sanguis personæ divinæ, puta Verbi, hanc carnem et sanguinem hypostatice sustentantis. Toti ergo sumus et esse debemus Christi, non tantum titulo creationis, sed multo magis redemptionis. Itaque « nos nostri juris non sumus, sed Christi, qui nos emit et servavit, » ait Cyrillus, lib. IV in cap. XLV *Isaiæ.* Ipse enim « nos emit non ære, sed sanguine, » ait S. Ambrosius, lib. VII in cap. XII *Lucæ.* Sicut ergo Lusitani emunt mancipia Æthiopica, Itali Turcica, illaque tota sunt heri, ac quidquid agunt et operantur, id totum cedit hero : sic Christus nos emit non auro, sed sanguine suo, ideoque sumus mancipia Christi, et quidquid habemus et possumus, id omne ejus est ejusque obsequio impendendum. « Christus se totum tibi, tu te totum da Christo. » Christus omnes suas opes, vires, labores, spiritus pro te expendit; tu eadem tua pro illo expende. « Felix qui Christum fortunis omnibus emit, » ait S. Nazianzenus, in *Carm.* Ita S. Paulus passim se vocat servum Christi. Ita S. Magdalena totam se Christo mancipavit. Ita S. Franciscus totus in Christo crucifixo habitabat, et Christus in eo. Ita S. Elzearius uxori eum requirenti per litteras rescripsit : « Habito, inquit, in latere Christi crucifixi, ibi me reperies, frustra alibi quæsitura. »

Animæ valor est Christus.

Rursum disce hic, quam anima sit pretiosa : ejus enim pretium est sanguis, anima et vita Christi Filii Dei; illo enim quasi pretio eam emit : quam ergo animarum, quasi gemmarum præstantissimarum, quas tanti Christus appretiavit, piscationi et saluti studere debemus? utpote pro quibus Christus e cœlo descendit, laboravit, sudavit per 34 annos, mortuus et crucifixus est; pro quibus corpus, animam, labores omnes et seipsum totum impendit. Vis videre quanti pretii sit anima tua, et cujusvis hominis etiam mendici, Indi, Æthiopis? Christum valet, Deum valet : vita enim Christi, quasi pretio, in bilance divinæ justitiæ appretiata et appensa est. Nec enim Angelus, nec Archangelus, nec Seraphini, nec Cherubini, nec ipsa B. Virgo potuit pro hoc animæ tuæ debito satisfacere, sed solus Christus; solius enim Christi sanguis sufficiens fuit lytrum et condignum pretium ad solvenda nostra debita et peccata. Ite nunc, stolidi mortales, ite, infelices, animam vestram tam pretiosam vendite dæmoni pro scutella pultis, instar profani Esau, pro vento honoris, pro venere unius horæ, pro gutta voluptatis; dicite cum Theotimo (ut refert S. Ambrosius, lib. IV *in Lucam*), qui maluit privari

oculis perpetuo, quam momentanea venere : Vale amicum lumen, vale anima, vale cœlum, vale Deus, valete angeli, in æternum vobis valedico ; in æternum dæmoni me associo, gehennæ me trado, ut gutta mellis ad momentum fruar.

Sanius et sapientius S. Chrysostomus, homil. 11 in II *ad Corinth.* : « Cum, inquit, per Jesum Christum mortuum vivamus, ei utique ob quem vivimus, vivere debemus. » Et S. Ambrosius, *De Elia et jejunio*, cap. XX : « Dicito, si forte vides pugnare adversum te diaboli tentamenta : Quid mihi et tibi est Belial? Ego Christi servus sum, illius redemptus sanguine, illi me totum mancipavi. Quid mihi et tibi est? Non novi opera tua : nihil tuum quæro, nihil tuum possideo, nihil tuum desidero. » Et S. Bernardus, tractat. *De diligendo Deo* : « Si totum, inquit, me debeo pro me facto, quid addam jam pro me refecto, et refecto hoc modo? Nec enim tam facile refectus quam factus. Nam qui me semel et tantum dicendo fecit, in reficiendo profecto et dixit multa, et gessit mira, et pertulit dura, nec tantum dura, sed et indigna. Quid retribuam Deo pro se? Nam etiamsi me millies rependere possem, quid sum ego ad Deum? » Idem, serm. *De Quadruplici debito* : « O si cognovisses et tu quam multa, et quam multis debeas : videres quam nihil sit quod facis, quam nec inter minima numerandum ad comparationem debitorum tuorum. Vis scire quæ et quibus debeas? Primo, Christo Jesu debes omnem vitam tuam, quia ipse vitam suam posuit pro vita tua : et cruciatus amaros sustinuit, ne tu perpetuos sustineres. Quid tibi dirum, vel durum esse poterit, cum recordatus fueris, quia ille in forma Dei in die æternitatis suæ, in splendoribus Sanctorum ante luciferum genitus, splendor et figura substantiæ Dei, venit ad carcerem tuum, ad limum tuum, infixus (ut dicitur) usque ad cubitos in limo profundi. Quid non suave tibi, cum tibi collegeris omnes amaritudines Domini tui, et rememoraberis primum quidem illarum infantilium necessitatum; deinde laborum quos pertulit in prædicando, fatigationum in discurrendo, tentationum in jejunando, vigiliarum in orando, lacrymarum in compatiendo, insidiarum in colloquendo, postremo periculorum in falsis fratribus, convitiorum, sputorum, colaphorum, flagellorum, irrisionum, subsannationum, exprobrationum, clavorum, horumque similium : quæ in salutem nostri generis triginta et tribus annis operatus et passus est in medio terræ? O quam indebita miseratio! quam gratuita et sic probata dilectio! quam inopinata dignatio! quam stupenda dulcedo! quam invicta mansuetudo, regem gloriæ, pro despicatissimo vernaculo, imo vermiculo crucifigi! Quis autem unquam tale, aut quis vidit huic simile? » Et paulo inferius : « Sicut nihil ad aliquid nullam habet comparationem, ita et vita nostra nullam habet ad vitam illius proportionem ; cum illa dignior, ista miserior esse non possit. Nec me putes rem exaggerare sermonibus : quia hic deficit omnis lingua, nec sufficit oculus vel ad intuendum tantæ dignationis arcanum. Cum ergo ei donavero quidquid sum, quidquid possum : nonne istud sic est sicut stella ad solem, gutta ad fluvium, lapis ad montem, granum ad acervum? Non habeo nisi minuta duo, imo minutissima, corpus et animam; vel potius unum minutum, voluntatem meam : et non dabo illam ad voluntatem illius, qui tantus tantillum tantis beneficiis prævenit, qui toto se totum me comparavit? Alioquin si illam retinuero, qua fronte, quibus oculis, qua mente, qua conscientia vado ad viscera misericordiæ Dei nostri, et audeo perfodere illud fortissimum propugnaculum quod custodit Israel, et istius sanguinis non guttas, sed undas a quinque partibus corporis in meum pretium detorquere? O generatio perversa, et infideles filii, quid facietis in die calamitatis de longe venientis? ad cujus fugietis auxilium? »

AGNI IMMACULATI. — Respicit ad agnum paschalem, qui debebat esse sine macula, non coloris, sed vitii, puta esse integer et perfectus, non claudus, non cæcus, non mancus, non mutilus, ut significaret Christum quaquaversum in sapientia et virtute fore integrum et perfectum, sine ullo erroris defectu, aut peccati labe et macula : hanc enim significat Hebr. מוּם *mum* : unde Græcum ἄμωμος, id est *immaculatus*, innocens, inviolatus, inculpatus, irreprehensus, omni reprehensione major.

ET INCONTAMINATI. — Aliqui censent Christum dici « immaculatum, » quia purus fuit a macula peccati originalis ; « incontaminatum, » quia purus ab omni labe peccati actualis. Verum hæc duo synonyma esse videntur, quæ conglomerat S. Petrus ad auxesin, ut ostendat Christum plane et per omnia fuisse immaculatum et purum. Si tamen ea distinguere quis velit, dicat Christum « immaculatum » fuisse in se et actibus internis ; « incontaminatum » vero in habitu, conversatione et vestibus externis. Macula enim qua carere debebat agnus paschalis, consistebat in vitio interno corporis, uti jam dixi ; σπῖλος vero, unde dicitur ἄσπιλος, id est *incontaminatus*, proprie est macula coloris in veste e vino aut unguine. Unde Marcellus, in *Dioscor.* lib. I, cap. XXXIX : σπῖλοι, ait, « sunt notæ quæ in vestibus hærentes eas discolorant, quarum similitudine aliquando in humano vultu et reliquo corpore maculæ oriuntur, nullo aut exiguo vitio summam tantum cutem variantes ; » quas Plinius videtur vocare furunculos. Quocirca Christus longe purior fuit agno paschali : hic enim erat ἄμωμος, at non ἄσπιλος, poterat enim habere maculas coloris albi, nigri, rufi; Christus vero fuit tam ἄσπιλος, quam ἄμωμος, id est, plane purus, carens omni macula tam coloris, quam corporis; tam externa, quam interna; tam morum, quam mentis; tam actionum, quam cogitationum.

Vers. 20. 20. PRÆCOGNITI QUIDEM ANTE MUNDI CONSTITUTIONEM. — « Prægnoti, » id est *prædestinati*, ut vertit Syrus et Tigurina. Cognitio enim Dei hic, uti et apud S. Paulum, sæpe intelligitur practica, scilicet conjuncta cum Dei voluntate, decreto et prædestinatione. Dicit hoc Petrus, tum ut sternat supercilium Judæorum, qui, ut inquit S. Cyrillus, lib. 11 *in Joannem*, cap. XXVIII : « Legi Mosis semper inhærent, et virtutem nostri mysterii recenti Patris consilio excogitatam arbitrantur ; » tum ut declaret antiquitatem et magnitudinem amoris Dei in homines, *q. d.* Deus pater non ab heri, non ab initio mundi, sed ante ejus creationem ab omni æternitate cogitavit de nobis, dilexit nos, voluit nos beare, ideoque prædestinavit Christi incarnationem et mortem, ut per eam nos sibi reconciliaret et salvaret.

Aliqui hæc Petri verba extendunt ad illam Scoti, et ejus asseclarum sententiam, quæ censet Christum incarnandum fuisse, etiamsi Adam non peccasset, ut scilicet Deus divitias bonitatis, sapientiæ et potentiæ suæ per Christum angelis et hominibus ostenderet; sed Christum tunc futurum fuisse impassibilem : crux enim et mors Christi decreta fuit a Deo post prævisum Adæ peccatum, ad ejus remedium. Ratio eorum est, quia alioqui, inquiunt, si Christus præcise propter nos prædestinatus et incarnatus esset, deberet utique nobis agere gratias, nosque essemus priores Christo apud Deum in ejus mente et prædestinatione, ac consequenter Christus esset gloria nostra, sicut mulier est gloria viri, uti argumentatur S. Cyrillus, lib. III *Thesauri*, cap. II. Verum hæc hoc loco parerga videntur. S. Petrus enim tantum ait Christum prædestinatum esse ante mundi constitutionem, non autem ante prævisionem peccati Adæ, vel ante prævisionem et prædestinationem constitutionis sive creationis mundi, quia hoc falsum est. Deus enim prædestinavit Christum ad ornatum universi; non ergo prius prædestinavit Christum, quam universum, sed posterius, aut potius simul cum mutua quadam contradependentia : decrevit enim Deus creare mundum talem, in quo labente Adamo nasceretur Christus qui eum erigeret, itaque Dei gloriam toto mundo celebraret ; ita ut noluisset creare mundum, nisi cum Christo et propter Christum, ac vicissim noluisset incarnari Christum, nisi cum mundo et in mundo. Ubi enim incarnatus fuisset Christus, nisi in mundo? ubi suam gloriam per Christum patefecisset, nisi in mundo, angelis et hominibus? S. Petro succinit S. Joannes, qui *Apocal.* XIII, 8. Christum vocat agnum « qui occisus est ab origine mundi. » Et S. Paulus, qui hoc Christi mysterium vocat temporibus æternis tacitum, et prædestinatum ante tempora sæcularia, « quod nunc patefactum est per scripturas Prophetarum, secundum præceptum æterni Dei, ad obeditionem fidei, » *Roman.* XVI, 26, et *ad Titum* I, 2.

MANIFESTATI AUTEM, — per Christi incarnationem, crucifixionem, resurrectionem, ascensionem in cœlum, missionem Spiritus Sancti et prædicationem Apostolorum.

NOVISSIMIS TEMPORIBUS, — puta post quatuor fere annorum millia elapsa a creatione mundi. Causæ hujus Christi tarditatis fuere variæ. *Prima* est, dignitas et majestas Christi, quam præire et præfigurare debebant Abraham, Moses omnesque Patriarchæ, Prophetæ, ac legis cæremoniæ. *Secunda*, ut quo tardius, eo avidius exciperetur. *Tertia*, ut per tot annorum millia morbus et corruptio humanæ naturæ omne peccatorum virus evomeret, itaque liqueret quanta esset Christi necessitas, qui omne hoc malum curaret. Vide Barradium, lib. V *Harmon.* cap. XXXI; unde S. Paulus ait Christum venisse in plenitudine temporum, id est, cum tempora ejus incarnationi a Deo præfinita, essent evoluta et adimpleta, *Galat.* IV, 4. Cur tam sero venit Christus?

PROPTER VOS, — propter omnes prædestinatus et natus est Christus, sed primo, ob primitivos fideles : hi enim primi Christi fructum et gratiam participarunt. Pungit S. Petrus fideles sui ævi, ut Deum et Christum adeo se amantem, sibique vicinum ardenter redament : ipse enim ex tot sæculis, et ex centenis millibus illius sæculi paucos Judæos et Gentiles credentes elegit, quibus hoc novum et recens Christi Salvatoris beneficium, puta gratiam et salutem, contulit. Unde Paulus delicias amoris sui in Christum exprimens, *Galat.* cap. II, 20 : « In fide, inquit, vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me. » Perinde ac si pro solo Paulo traditus et crucifixus fuisset Christus. Tantum enim Paulo profuit mors Christi, quantum profuisset si pro eo solo mortuus esset. Pie et vere S. Augustinus, lib. III *Confessionum*, cap. II : « O tu bone, ait, Omnipotens, qui sic curas unumquemque nostrum tanquam solum cures, et sic omnes tanquam singulos. »

Vers. 21. 21. QUI PER IPSUM (agnum immaculatum Christum, puta per Christi passionem, merita, vocationem, prædicationem et gratiam) FIDELES ESTIS IN DEO. — Græcum πιστεύοντας εἰς Θεόν, *creditis in Deum* (ita Syrus), vivum scilicet et verum, cum antea credidissetis in deos falsos Gentium, puta in idola et dæmones (unde S. Prosper, lib. I *de Vocatione Gent.*, cap. XXIII, legit : « Qui per ipsum fideles estis in Deum, » id est, fide creditis in Deum) : declarat quod dixit « propter vos, » scilicet manifestatus est Christus, quia nimirum vos fecit fideles et cultores veri Dei. Hinc patet fidem non esse ex nobis nostrique ingenii et naturæ viribus, sed esse opus et donum gratiæ Christi : uti post Concilium Arausicanum et Milevitanum definit Tridentinum, *sess.* VI, can. 3. Christus enim est auctor et parens totius œconomiæ gratiæ, quæ complectitur fidem quasi principium, spem, charitatem cæterasque virtutes, ac omnia dona quibus perducimur ad salutem et gloriam æternam, quasi ad finem et terminum redemptionis Christi.

QUI SUSCITAVIT EUM A MORTUIS. — *q. d.* Ne quis Christum respuat quasi suspensum, occisum et crucifixum pro peccatis nostris, ecce ipse mox a Deo suscitatus est ad gloriam, factusque dominus cœli et terræ, angelorum et hominum, imo per eum Deus omnes ejus fideles ad eamdem gloriam suscitabit. Hoc est quod ait Paulus : « Propter quod (quia humiliavit se usque ad mortem crucis) et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum, » *Philip.* II, 9.

Hoc est quod iturus ad passionem Christus oravit Patrem, et impetravit : « Clarifica me tu, Pater, apud temetipsum claritate, quam habui, priusquam mundus esset, apud te, » *Joan.* XVII, 5.

UT FIDES VESTRA ET SPES ESSET IN DEO. — *q. d.* Deus hoc fructu et fine suscitavit Christum ad gloriam, ut vos videntes et audientes eum quasi caput vestrum resurrexisse, mortem superasse suisque iter a morte ad vitam præivisse, fide firma crederetis, et certa spe speraretis vos quoque quasi membra Christi, per ipsum eamdem gloriam adepturos, et ad eam resurrecturos, ideoque per eamdem gratiam, dona, omniaque media ad gloriam necessaria vel opportuna consecuturos. Vere S. Leo, serm. 8 *De Passione* : « Crux tua, ait, omnium fons est benedictionum, omnium est causa gratiarum, per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte. » Et nonnullis interjectis : « Cum ergo Dominus lignum portaret crucis ; quod in sceptrum sibi converteret potestatis, erat quidem hoc apud impiorum oculos grande ludibrium, sed manifestabatur fidelibus grande mysterium : quia gloriosissimus diaboli victor, et inimicarum virtutum potentissimus debellator, pulchra specie triumphi sui portabat trophæum, et invictæ patientiæ humeris signum salutis adorandum regnis omnibus inferebat. » Et serm. 1 *De Resurrect.* : « Ex hoc initium nobis factum est resurrectionis in Christo, ex quo in eo qui pro omnibus mortuus est, totius spei nostræ forma præcessit, » præsertim quia Christus vi divinitatis suæ seipsum suscitavit : « Quoniam deitas, ait idem ibidem, quæ ab utraque suscepti hominis substantia non recessit, quod potestate divisit, potestate conjunxit. » Et S. Athanasius, *De Incarn. Verbi* : « Revixit, ait, per suam quæ in ipso erat vitam. »

Virtus crucis Christi.

Vers. 22. 22. ANIMAS VESTRAS CASTIFICANTES IN OBEDIENTIA CHARITATIS, IN FRATERNITATIS AMORE SIMPLICI EX CORDE INVICEM DILIGITE ATTENTIUS. — Omnibus hisce verbis non aliud dicit, quam casto, id est puro, amore fraterno invicem impense diligite, servite et obedite : sed hujus dilectionis puritatem multis verbis exaggerat et repræsentat. Singula ergo pondus habent, quare singula expendamus. Suppono omnia hæc pendere ab illo *propter quod*, vers. 13 : ibi enim incipit altera capitis pars, scilicet ethica, quæ hucusque, imo ad finem capitis protenditur, qua S. Petrus de more varia dat virtutum præcepta, vel monita, *q. d.* « Propter quod, » vel *itaque*, ut hæreditatem incorruptibilem, de qua disserui, assequamini, succingite lumbos mentis, et animas vestras castificantes invicem diligite, etc.

Primo, « castificantes, » græce ἡγνικότες, quod alludit ad vocem agni, *q. d.* A Christo agno immaculato progeniti, estote agni immaculati, et agnizate, id est, castificate et purificate animas vestras. Hinc Christus ait S. Petro : « Pasce agnos meos, » *Joan.* XXII, 15. Rursum ἡγνικότες est præteritum, *q. d.* « Cum castificaveritis. » Sed Hebræi sæpe commutant tempora, vel ampliant : sub « castificaveritis » ergo intellige castificetis, vel castificate, *q. d.* In baptismo cœpistis vos castificare et purificare; at pergite, et continuo magis et magis per obedientiam charitatis vos castificate et purificate. Porro castitas hæc a multis proprie capitur pro virtute castitatis, quæ comprimit luxuriam. Hinc sanctimoniales ob professionem castitatis vocantur « Castimoniales » a S. Augustino in *Psalm.* LXXIII. *Secundo* et genuine, castificatio hæc est purificatio affectionum animæ, præsertim amoris, quæ fit per charitatem, sive amorem divinum. Castitas ergo hic vocatur puritas affectionis, intentionis et amoris, ut patet ex sequentibus, *q. d.* Castificate, id est, castigate et purificate vestrum amorem et affectum ab omni impuritate, facite ut amor vester purus sit et sincerus, non quærens sua, sed Dei et proximi commoda. Hoc est quod ait Joannes, *epistola* I, cap. III, vers. 3 : « Omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se sicut et ille sanctus est; » ubi græce idem est verbum quod hic, scilicet ἁγνίζει. Unde S. Augustinus, tract. 5 *in epist. S. Joannis*, vertit, *castificat semetipsum, sicut et ipse castus est* (1).

Castificatio amoris

Secundo, « obedientia charitatis, » græce ἀληθείας, id est *veritatis*, *primo*, accipi potest fides et obedientia qua credimus et obedimus Evangelio quasi legi veritatis et charitatis. Unde Vatablus vertit, *qui animas vestras purificastis obediendo veritati*; et Syrus, *cum sanctificaveritis animas vestras per obedientiam veritatis, et fueritis pleni charitate.* Sic Paulus ait, *Galat.* III, 1 : « O insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati? »

Obedientia charitatis quæ? Resp. Primo.

Secundo, « obedientia charitatis » est obedientia filialis ex amore, non servilis ex timore : « Hæc enim est necessitatis, illa charitatis, ait S. Bernardus, tract. *De Præcepto et dispens.*, cap. IX, quæ non certis astricta limitibus, » voti et professionis, fertur largiori voluntate in latitudinem charitatis, et ad omne quod injungitur spontaneo vigore liberalis alacrisque animi, modum non considerans, in infinitam libertatem extenditur.

Secundo.

(1) Desumpta videtur similitudo a lustrationibus lege Mosaica præscriptis, quæ fiebant ablutione corporis et vestium. De Christianis autem Petrus ait : Puræ et sanctæ redditæ sunt animæ vestræ, non observatione lustrationum Mosaicarum, sed *in obedientia charitatis.*

dem, serm. *De S. Andrea* : « Sola est charitas, inquit, quæ obedientiam gratam facit, et acceptabilem Deo commendat. » Porro hæc obedientia castificat animam, quia dum anima per humilem obedientiam subdit se Deo et legi, meretur ut ei vicissim subdatur corpus. Ita S. Augustinus in *Psalm.* CXLIII : « Tu Deo, inquit, tibi caro. Quid justius? quid pulchrius? Tu majori, minor tibi : servi tu ei qui fecit te, ut tibi serviat quod factum est propter te : si autem contemnis tu Deum, numquid subjicietur tibi caro? Qui non obtemperas Domino, torqueris a servo. » Ita Ascetæ docent efficax medium ad conservandam castitatem esse humilitatem et obedientiam, qua quis suo superiori plene obediat. Sic enim pro congrua mercede accipiet a Deo obedientiam carnis, ut illa pariter subjiciatur menti et spiritui : obedientia ergo carnis, puta castitas, est filia obedientiæ mentis.

Tertio. *Tertio*, « obedientia charitatis » magis proprie et pertinenter ad propositum S. Petri, est obedientia et subjectio qua fidelis in omnibus subdit se legi, dictamini et impulsui charitatis, ut quidquid facit, faciat ex dicto et ductu charitatis, ac præsertim qua quis per fraternam charitatem fratri se subjicit, ei se accommodat, ei consulere satagit, ejus nutus sequitur, ejus commoda captat, ut idem sit, obedire charitati, quod « per charitatem spiritus servire invicem, » *Galat.* V, 23, et : « Subjecti invicem in timore Christi, » *Ephes.* V, 21. Ita se explicat S. Petrus, cap. II, vers. 13, dicens : « Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum. » Huic enim legi charitatis, utpote legi Christi, subdidit se quivis christianus in baptismo, dum amplexus est christianismum : hic enim est lex et professio charitatis. Quare si quis roget : Quid est religio Christiana? recte respondebis : Est religio et obedientia charitatis, in qua omnes profitentur se studere et obedire charitati. Huc ergo spectat tota sententia S. Petri, nimirum ut inculcet fidelibus charitatem fraternam, qua alter alteri serviat, se subjiciat et obediat, ut ejus commodis et saluti consulat.

Christianismus est professio charitatis. Hinc patet quod charitas sit castratio, puta castificatio omnium amorum et appetituum, veraque et plena castitas animæ : charitas enim castrat et resecat amorem proprium, et amorem carnis et mundi, puta amorem proprii honoris, lucri, voluptatis, quæ est animæ impuritas, quia eam multis vitiis maculat et conspurcat. Rursum charitas omnia metitur amore Dei, omnia ordinat et operatur ex amore Dei : quare omnis ejus actio pura est, sancta, spiritalis et deiformis, utpote manans ex amore Dei, eoque directa et regulata. Quocirca Græca addunt διὰ πνεύματος, id est, *per Spiritum*, quia charitas diffusa in cordibus nostris per Spiritum Sanctum facit hominem spiritualem et purum, omniaque ejus opera spiritualia et pura, *q. d.* Jubeo vos castificare animas vestras ; at, ne putetis vos vestris viribus id posse præstare, addo « per Spiritum, » ut doceam vos nihil vobis arrogare, sed omnia Spiritui Sancto tribuere, ejusque opem implorare. Aliqui « spiritum » jungentes « fraternitati, » quæ sequitur, vertunt « per spiritum fraternitatis : » quia spiritus amoris fraterni castificat et purificat omnia nostra opera circa proximum, omniumque cum eo conversationem. Merito ergo S. Leo, serm. 8 *De Quadrag.* : « Charitas, inquit, robur est fidei, fides fortitudo est charitatis; » fides enim roborat charitatem, et charitas fidem, una alteri jungi debet, nec separari.

Denique S. Basilius in *Regul. brevior.*, interrogatione 115 : « Quomodo, inquit, alii aliis obedientiam inter nos præstabimus? » Respondeo : « Tanquam servi adversus dominos, convenienter illi præcepto Domini : Qui vult in vobis esse magnus, sit omnium ultimus, et servus omnium, *Marci* cap. X. Quibus verbis adjungit quod nos efficacius etiam possit permovere : Sicut Filius hominis non venit ut ministretur ei, sed ut ministraret. »

Tertio, « in fraternitatis amore, » græce ἐν φιλαδελφίᾳ, id est, *in charitate fraterna*, quia Christiani sese invicem quasi filios Christi et fratres inter sese fraterno amore diligere debent, et olim diligebant, adeo ut se merito passim vocarent fratres : hanc φιλαδελφίαν suis reliquit Christus, *Joan.* cap. XIII, vers. 34. Unde eam impense fidelibus commendant S. Petrus, S. Paulus, S. Joannes et S. Jacobus. Græce est εἰς φιλαδελφίαν ἀνυπόκριτον, id est, *in amorem fraternum non hypocriticum*, non fictum et simulatum, sed a simulatione alienum, simplicem, verum et sincerum. Sensus est, *q. d.* Cum castificaveritis, id est purificaveritis animas vestras, obediendo charitate per sincerum amorem fraternum. Hic enim sincerus amor defricabit ab anima omnem hypocrisim, omnem simulationem, omnem avaritiam, omnem amorem proprium, omnem cupiditatem, omnem ambitionem, ac pure quæret id quod placitum est Deo, et proximo utile ac salutare.

Ubi nota : Τὸ *in fraternitatis amore* potest referri tam ad *castificantes* (et eo videntur referre Græca, *q. d.* Castificantes animas per fraternitatis amorem, quasi per sal et nitrum animarum : ita Vatablus), quam ad *invicem diligite*, *q. d.* Diligite invicem φιλαδελφίᾳ, id est amore fraternitatis, id est fraterne, diligite invicem quasi fratres et filios Christi. Vere Isidorus : « Qui a fraterna, inquit, dilectione secernitur, a divina participatione privatur. » Et S. Ambrosius (vel potius S. Maximus), *serm.* 9 : « Major, ait, est fraternitas Christi, quam sanguinis : sanguinis enim fraternitas similitudinem tantummodo corporis refert, Christi autem fraternitas unanimitatem cordis animæque demonstrat, sicut scriptum est : Erat credentium cor unum et anima una. Vere ergo frater ille est, qui tam corpore, quam unanimitate germanus est. Verus, inquam, frater est, cujus idem spiritus et voluntas in fratre est. Melior est igitur fraternitate

sanguinis fraternitas Christi : quoniam interdum illa sibi inimica est, Christi autem fraternitas sine intermissione pacifica est. Illa inter se communia cum æmulatione dividit, hæc etiam cum gratulatione communicat. Illa in consortio sæpe despicit germanum, hæc assumit frequenter alienum. » Hic ergo fraternitatis amor est centrum, basis, columen Ecclesiæ, et quasi anima christianismi ; ejus vero odium et invidia, est utriusque clades et ruina. Quocirca vere Christophus Varsevicius scripsit hoc paradoxon : « Christianorum de Christianis parta cadit victoria victa, » in quo ostendit Turcam ad tantum imperium excrevisse non alia ratione, quam per Christianorum dissidia, idque per ætates et regna singula ex historiis ad oculum demonstrat.

Quarto, « simplici : » multi τὸ *simplici* referunt ad *corde,* ut respondeat Græco καθαρᾶς, id est *puro;* unde sic vertunt, *ex corde invicem diligite.* Verum ex Græco liquet referendum esse ad τὸ *in amore fraternitatis.* Itaque sententia tota sic dispungenda est, « animas castificantes, etc., in fraternitatis amore simplici, ex corde invicem diligite ; » τὸ enim *simplici* respondet Græco ἀνυπόκριτον, id est, *non ficto,* non fucato, sed simplici et sincero amore, ac consequenter ex corde imo et toto (unde Græca addunt καθαρᾶς, id est *puro*) invicem diligite. Simplici ergo amore diligit, *primo,* is qui diligit sine hypocrisi, non ficte, sed vere et ex corde. Simplex enim dicitur quod caret compositione, partitione et mixtione. *Simplex* ergo cor est, quod amorem quem lingua præfert, corde gerit et refert; qui enim verbis amorem ostentat, corde odium fovet, complicatum et quasi duplex habet cor, unum in ore, alterum et contrarium in pectore. *Secundo,* qui non accipit personas : ita Syrus; qui scilicet non præfert divitem pauperi, familiarem extraneo, nobilem ignobili, sed æqualiter diligit omnes, juxta legem tamen et ordinem charitatis. *Tertio,* qui non suum, sed fratris commodum quærit : simplex enim amor recta tendit in amatum, nec reflectitur aut retorquetur in seipsum. Id enim facere « negotiatio est, non amicitia, » ait Seneca, *epist.* 9. *Quarto,* qui candidus est et apertus, non fucatus, ut si quid in fratre displiceat aperte dicat, et candide eum moneat. *Quinto,* qui fratrem diligit ad bonum, et in bono, non in malo, qui scilicet non favet, nec fovet illius vitia, sed virtutes; qui non adulatur ejus cupidinibus, sed eas redarguit, eisque resistit, ac strenue proximi salutem et perfectionem in omnibus procurat, puta qui diligit fratrem in spiritu, non in carne, in Domino, non in dæmone, in charitate, non in voluptate. *Sexto,* qui quod verbis dicit, rebus exhibet, juxta illud S. Joannis I, cap. III, vers. 18 : « Filioli, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate. » Veritas enim simplex est, mendacium duplex. *Septimo,* qui non tantum caret invidia, sed omnia sua liberaliter communicat, juxta illud Pauli : « Qui tribuit in simplicitate, » *Rom.* XII, 8; et : « Ut in omnibus locupletati abundetis in omnem simplicitatem, » II *Corinth.* IX, 11. Vide ibi dicta. Nam, ut ait S. Leo, serm. 10 *De Quadrag.* : « Incremento ditescunt proprio, qui profectu lætantur alieno. » Simplici ergo amore præditus in bonis proximi gaudet et hilarescit, quasi in suis; non dolet, non tristatur, non rugat frontem, sed exporrigit, eaque augeri optat et promovere satagit.

Simplex cor. Primo. Secundo. Tertio. Quarto. Quinto. Sexto. Septimo.

Audi S. Bernardum simplicitatem varie definientem, tract. *De Vita solitaria* : « Animalitas ad Deum conversa, inquit, fit sancta simplicitas, hoc est eadem semper circa idem voluntas, sicut fuit in Job, qui dictus est simplex et rectus, ac timens Deum. Proprie enim simplicitas est perfecte ad Deum conversa voluntas, unam petens a Domino, hanc requirens, non ambiens multiplicari in sæculo. Vel est simplicitas in conversatione, vera humilitas, scilicet virtutis magis conscientiam amplectens, quam famam, cum non refugit vir simplex videri stultus in sæculo, ut sit sapiens in Deo. Vel simplicitas est sola ad Deum conversa voluntas, sed nondum ratione formata, ut amor sit, id est, formata voluntas; nondum illuminata, ut sit charitas, hoc est, amoris jucunditas. Simplicitas ergo initium aliquod in seipsa habens creaturæ Dei, hoc est, voluntatem simplicem et bonam, quasi futuri boni hominis informem materiam, in primordio conversionis suæ offert auctori suo eam formandam, etc. Jam timore Dei incipientes operari in eo omnem virtutum plenitudinem, dum per justitiam defert majori, per prudentiam non credit se sibi, per temperantiam refugit discernere, per fortitudinem totum se obedientiæ subjicit, non discernendæ, sed adimplendæ. »

Quinto, « diligite attentius ; » græce ἐκτενῶς ; Vatablus, *impense;* Clarius, *intense;* alii, *continenter;* alii cum Syro, *vehementer,* quod Hebræi dicunt במאד *bimod.* Turrianus, lib. IV *De Dogmat. Charact.* : « extense, » inquit, scilicet ut dilectio nostra se extendat ad aliud sæculum, puta ad animas in Purgatorio, ut eas suffragiis juvemus. Rursum, ut extendat se ad quamvis hominum conditionem et sortem, utque tam diligat proximum in rebus adversis, quam prosperis ; imo magis ei tunc opituletur, cum magis ope indiget; ἐκτενῶς græce valde significans est : idem enim valet quod ὁλοψύχως, προθύμως, id est, *omnibus viribus,* impense, vehementer, toto animo, prolixe, liberaliter, profuse. Talem ergo charitatem erga fratres poscit S. Petrus.

Vere S. Leo, serm. 1 *De Jejunio X mensis* : « Dedit, ait, nobis majores diligendi proximum causas Christianæ gratiæ latitudo, quæ se per omnes partes totius orbis extendens neminem despectat, dum docet neminem negligendum, etc., sive illi hostes sint, sive socii, sive liberi, sive servi. Unus enim nos conditor finxit, unus nos creator ani-

mavit, eodem cuncti cœlo et aere, iisdem utimur diebus et noctibus. » Ratio est, quia cor simplex et purum Christiana charitate dotatum, in proximo unum Deum Deique imaginem spectat, eumque diligit quasi aliquid Dei, quasi Dei opus et peculium, quasi Dei filium et hæredem ad cernendam cœlestem ejus hæreditatem secum ab æterno prædestinatum, et in tempore vocatum, electum et adoptatum.

Attentius pro intensius.

Diligite ergo invicem « attentius, » id est, intensius et impensius, hoc est, intense et impense. Latini enim sæpe sumunt comparativum pro positivo, ut significent auxesim. Sic latine dicitur attentus ad rem, qui diligens est, sedulus, sollicitus ut opes suas servet et augeat. Ita Cicero, act. 3 *in Verrem* : « Qui in re, inquit, adventitia atque hæreditaria tam diligens, tam attentus esset. » Et Horatius, II *Serm.*, satyr. 1 :

Verba per attentam (*intentam*) non ibunt Cæsaris aurem.

Quintilianus, lib. V, cap. XIV : « Erit judex circa jus nostrum spe modestiæ attentior. » Attendo enim idem est quod mente in rem tendo, eique intendo. Terentius, *Heaut.* I : « Ita attente illorum officio fungere. » Denique « attenta vita » a Cicerone, *pro Roscio Amer.*, vocatur vita diligens, curiosa, operosa. Vide ergo quam interpres Noster non tantum sit fidelis, sed et latinus, imo elegans. Perperam itaque nonnulli eum barbariei insimulant.

Sensus ergo totius hujus versus est, *q. d.* « Castificantes, » id est, partim castificastis, hoc est purificastis, animas vestras in baptismo, partim in dies eas magis castificare debetis obediendo charitati, ejusque legi, dictamini et impulsui per amorem fraternum, eumque simplicem, id est, purum et sincerum, non simulatum et fictum, atque ita ex vero imoque corde invicem diligite impense, intense et extense.

Vers. 23.

23. RENATI NON EX SEMINE CORRUPTIBILI. — Dat causam cur Christiani debeant fraterno amore invicem diligere, uti dixi versu præcedenti, quia scilicet omnes fratres sunt, renati ex eodem semine verbi Dei et Evangelii Christi, ac consequenter quasi filii Christi omnes hæreditatem ejus incorruptibilem, de qua dixit initio capitis, sperant, ad eamque aspirant; ac reipsa assequentur, si filiationem hanc et amorem fraternitatis conservent, *q. d.* Mementote, o Christiani, vos in baptismo Christi regeneratos, ac per novam mysticam et spiritualem nativitatem renatos esse factosque filios Dei : ergo vivite digne tanta nativitate et filiatione divina, ac impense invicem velut fratres in Christo, fide, Ecclesia, gratia et gloria diligite. Renati itaque estis non ex semine humano et corruptibili, « sed » divino et « incorruptibili, » puta « per verbum Dei vivi. »

Verbum Dei triplex. Primo.

Semen ergo hoc incorruptibile est verbum Dei, puta Evangelium ejusque prædicatio; aut magis præcise, semen hoc est inspiratio divina, sive gratia prævenians, qua Deus mentem, dum per aurem verbum Dei audit, excitat ad fidem, pœnitentiam et novam vitam : hisce enim actibus quasi dispositionibus in anima positis illico Deus infundit gratiam sanctificantem, qua regeneramur, fimusque filii Dei, sicut positis in embryone dispositionibus requisitis, illico Deus infundit animam rationalem, qua generatur et nascitur homo. Sic *Matth.* cap. XIII, Christus multis parabolis docet verbum Dei esse semen. Porro verbum Dei est incorruptibile, tum respectu causæ efficientis, puta loquentis, quia Deus et Christus qui illud proloquitur, est incorruptibilis; tum ratione subjecti, quia scilicet hominem quem regenerat facit incorruptibilem, ut scilicet quasi filius Dei adeat hæreditatem ejus incorruptibilem, juxta illud Christi, *Joan.* cap. III, vers. 5 : « Quod natum est ex carne, caro est : quod natum est ex spiritu, spiritus est. » Significat ergo Christus, æque ac Petrus hic, duplicem esse hominis nativitatem, unam ex carne carneam et corruptibilem, alteram ex Spiritu spiritualem et incorruptibilem.

Secunda.

Secundo, nonnulli per « verbum Dei vivi » accipiunt verbum sive formam sacramenti Baptismi : « Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, » et aliorum Sacramentorum. In baptismo enim aqua est materia quasi mater, verbum est forma quasi pater, quæ regenerant baptizatum in Filium Dei. Unde baptismus vocatur « lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti, » *ad Titum* III, 5; et *Ephes.* V, 26 : « Lavacrum aquæ in verbo vitæ, » id est per verbum, puta formam baptismi vivificantem, vitamque gratiæ baptizato aspirantem. Et S. Dionysius, *Eccles. Hier.*, cap III, baptisterium vocat μητέρα υἱοθεσίας, id est, « matrem adoptionis et filiationis. » Hoc est quod ait Christus, *Joan.* III, 5 : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. » Unde S. Chrysostomus, hom. 25 *in Joan.* : « Quod matrix, ait, est embryoni, hoc fideli est aqua, siquidem in aqua fingitur et formatur. » Et hom. 6 *ad Coloss.* : « In baptismo, ait, homo a Spiritu Sancto fingitur et componitur, sicut Christus in utero Virginis. » Præclare vero S. Leo, serm. 5 *De Nativit.* : « Factus est homo, inquit, nostri generis, ut nos divinæ naturæ possemus esse consortes. Originem quam sumpsit in utero Virginis, posuit in fonte baptismatis. Dedit aquæ quod dedit matri : virtus enim Altissimi et obumbratio Spiritus Sancti quæ fecit ut Maria pareret Salvatorem, eadem facit ut regeneret unda credentem. » Verum prior sensus germanior est. Nam verbum Dei absolute positum significat Evangelium; verbum vero lavacri vel baptismi, significat formam baptismi, juxta illud S. Augustini, tract. 80 *in Joannem* : « Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum; non quia dicitur, sed quia creditur. »

Tertio.

Tertio, nonnulli per « verbum Dei » accipiunt Christum, qui est Verbum Patris permanens in æternum; per Christum enim Christique gratiam et

baptismum regeneramur in filios Dei: sed hæc regeneratio fit mediante prædicatione et fide. Quare hic sensus in primo includitur, estque genuinus et sublimis, præsertim quia in regeneratione et adoptione hac cœlesti non tantum datur nobis gratia Christi, sed et personaliter ipse Christus, æque ac Pater et Spiritus Sanctus, ut vere simus « divinæ consortes naturæ » per ipsam deitatem, quæ nobis communicatur, et in anima nostra quasi in templo inhabitat, de quo plura II *Petri* I, 4.

Dignitas regenerationis divinæ.

Moraliter nota quanta sit dignitas hujus regenerationis qua renascimur filii Dei. Audi Christum, *Joan.* cap. I, vers. 12 : « Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. » Audi S. Chrysostomum in cap. VI *ad Galatas* : « Natura nostra quæ senio peccati inveteraverat, repente baptismi lavacro renovata est, non aliter quam si denuo esset condita. » Audi S. Cyrillum Alexandrinum, lib. II *in Joan.*, cap. XLIII : « Natum ex Spiritu spiritum hominis dicimus, non quia ex eo secundum naturam est, sed quia per ipsum ad Deum reformati ac proprio ejus charactere insigniti, ad suam, ut sic dixerim, qualitatem animo transformamur. » Audi S. Basilium, hom. *De Baptismo* : « Sicut quod secundum carnem natum est ex aliquo, tale est quale id ex quo natum est : ita et nos ex Spiritu nati spiritus fimus. »

Quocirca Christiani jam baptismo renati et filii Dei effecti, cogitent se mortuos peccatis, vivere debere Deo secundum spiritum instar angelorum. « Per baptismi operationem, ait S. Ambrosius in cap. XXIII *Numer.*, moriuntur homines culpæ veteri et iniquorum operibus, ut in novitatem vitæ in consortio justorum transfigurati, in eorum mores resurgant. » Et Optatus Milevitanus, lib. V *Contra Parmenium* : « Est, ait, baptismus virtutum vita, criminum mors, nativitas immortalis, cœlestis regni comparatio, innocentiæ portus, peccatorum naufragium. » S. Cyprianus, lib. II, epist. *ad Donat.* : « Postquam, ait, undæ genitalis auxilio superioris ævi labe detersa, in expiatum pectus ac purum desuper se lumen infudit, postquam cœlitus spiritu hausto in novum me hominem nativitas secunda reparavit, mirum in modum protinus confirmare se dubia, patere clausa, lucere tenebrosa; facultatem dare, quod prius difficile videbatur; geri posse, quod impossibile putabatur ut esset; agnoscere terrenum fuisse, quod prius carnaliter natum delictis obnoxium viveret; Dei esse cœpisse, quod jam Spiritus Sanctus animaret. Scis ipse quid detraxerit nobis, quidve contulerit ista mors criminum, vita virtutum, etc., ut quis expiatius et purius nulla incusantis inimici labe capiatur, ut in omnem grassantis adversarii exercitum imperioso jure dominetur. » Et sub finem : « Una igitur placida et fida tranquillitas, una solida et firma securitas, si quis ab iniquitatis sæculi turbinibus extractus, salutaris portus statione fundatus ad cœlum oculos tollat a terris, et ad Domini manus admissus, ac Deo suo jam mente proximus, quidquid apud cæteros in rebus humanis sublime ac magnum videtur, infra suam jacere conscientiam glorietur. Nihil appetere de sæculo potest, qui sæculo major est. »

ET PERMANENTIS IN ÆTERNUM. — *q. d.* Sicut Deus est æternus, et permanet in æternum, ita et verbum Dei, ex eoque nostra regeneratio, adoptio et filiatio est æterna, permanetque in æternum. Unde S. Paulinus, *Natali* 2 *S. Felicis*, Christum alloquens ait :

In te compositæ mihi fixa sit anchora vitæ.

Et Nazianzenus in *Distichis* :

Ut statua in medio tibi pectore corporis expers
Sit Deus, huic templum construe mente tua.

Vers. 24 et 25.

24. QUIA OMNIS CARO UT FOENUM, etc., VERBUM AUTEM DOMINI MANET IN ÆTERNUM.—Probat id quod dixit, scilicet verbum Dei esse incorruptibile et permanere cum Deo et in Deo in æternum, ex Isaia, qui cap. XL, vers. 6, ait, omnem carnem omnemque hominem instar fœni exarescere et mori, verbum autem Domini manere in æternum. Locum hunc explicui in Isaia, quare ibi dicta hic non repetam, nec actum agam. Dicit hoc Petrus, ut fideles avocet ab amore carnis et mundi, omniumque rerum terrenarum, itaque traducat ad simplicem amorem Dei et proximi. Stimulus ejus est, quod res terrenæ perpetuo fluant, illicoque transeant, juxta illud *Psal.* CI, vers. 12 : « Dies mei sicut umbra declinaverunt, et ego sicut fœnum arui; tu autem, Domine, in æternum permanes. » Vere S. Augustinus, tract. 7 *in Joan.*, ait : « Lætitia sæculi vanitas est; cum magna exspectatione speratur ut veniat, et non potest teneri cum venerit. Iste dies qui lætus est, cras utique non erit. Transeunt omnia, evolant omnia, et sicut fumus evanescunt. Væ qui amant talia! Omnis quippe caro fœnum, et omnis gloria ejus ut flos fœni. Filii ergo hominum, ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? » Vidit hoc per umbram, sed tenuem et obscuram, Plinius secundus, qui lib. II, *epistola* 1, deflens mortem Virginii Rufi consulis : « Si tamen, ait, fas est aut flere, aut mortem vocare, qua tanti viri mortalitas magis finitur, quam vita est. Vivit enim, vivetque semper in memoria hominum : » utinam Dei, si salutis sit capax !

Vers. 25.

25. HOC EST VERBUM QUOD EVANGELIZATUM EST IN VOS,—id est, *vobis*. Ita Syrus, *q. d.* Hoc Isaiæ verbum est verbum Evangelii de Christo, ejusque redemptione, vocatione, fide, gratia, salute et gloria quam vobis attulit. Vere de hujus verbi fide crediti efficacia S. Leo, serm. 2 *De Ascens.* : « Hanc fidem, ait, Domini ascensione auctam, et Spiritus Sancti munere roboratam, non vincula, non carceres,

non exilia, non fames, non ignis, non laniatus ferarum, non exquisita persequentium crudelitatibus supplicia terruerunt. Pro hac fide per universum mundum non solum viri, sed etiam feminæ; nec tantum impuberes pueri, sed etiam teneræ virgines, usque ad effusionem sui sanguinis decertarunt. Hæc fides dæmonia ejecit, ægritudines depulit, mortuos suscitavit. »

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Post catechesin dogmaticam mysteriorum et doctrinæ Christi, pergit ad ethicam virtutum et morum Christianorum, instruendo fideles jam per baptismum renatos, quibus virtutibus, quasi cibis, ali et crescere debeant in virum perfectum in Christo : nimirum primo, ut sicut modo geniti infantes rationabile, sine dolo lac concupiscant. Secundo, ut magnitudinem vocationis suæ æstiment, et juxta eam condigne vivant, offerendo Deo spiritales hostias, quasi genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, *vers. 4 et sequent. Tertio, vers. 11, ut quasi peregrini abstineant a carnalibus desideriis. Quarto, vers. 13, ut suis principibus et heris, licet Ethnicis et discolis, obedientiam debitam exhibeant. Quinto, vers. 19, ut patienter sustineant persecutiones et afflictiones quaslibet exemplo Christi, qui quasi agnus tradidit se Judæis ad crucem et mortem.*

1. Deponentes igitur omnem malitiam, et omnem dolum, et simulationes, et invidias, et omnes detractiones, 2. sicut modo geniti infantes, rationabile, sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem. 3. Si tamen gustastis quoniam dulcis est Dominus. 4. Ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum et honorificatum : 5. et ipsi tanquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum. 6. Propter quod continet Scriptura : Ecce pono in Sion lapidem summum angularem, electum, pretiosum : et qui crediderit in eum, non confundetur. 7. Vobis igitur honor credentibus, non credentibus autem lapis, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, 8. et lapis offensionis et petra scandali his, qui offendunt verbo, nec credunt in quo et positi sunt. 9. Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis : ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum. 10. Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei, qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti. 11. Charissimi, obsecro vos tanquam advenas et peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam. 12. Conversationem vestram inter Gentes habentes bonam : ut in eo, quod detrectant de vobis, tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum in die visitationis. 13. Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum : sive regi quasi præcellenti : 14. sive ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum : 15. quia sic est voluntas Dei, ut benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam : 16. quasi liberi, et non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut servi Dei. 17. Omnes honorate : fraternitatem diligite, Deum timete : Regem honorificate. 18. Servi subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam discolis. 19. Hæc enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens injuste. 20. Quæ enim est gloria, si peccantes, et colaphizati suffertis? Sed si benefacientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum. 21. In hoc enim vocati estis : quia et Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus. 22. Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus : 23. qui cum malediceretur, non maledicebat : cum pate-

retur, non comminabatur, tradebat autem judicanti se injuste. 24. Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, justitiæ vivamus : cujus livore sanati estis. 25. Eratis enim sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad pastorem et episcopum animarum vestrarum.

Vers. 1. 1. DEPONENTES IGITUR. — Vox *igitur* connectit hæc præcedentibus, ex iisque quasi principiis conclusionem elicit, *q. d.* Dixi cap. præced., vers. 23, vos renatos esse in baptismo ex semine incorruptibili per verbum Dei vivi, ita ut jam novi homines esse cœperitis, puta fideles, Christiani et sancti in Christo : igitur studiose satagite, ut depositis gentilismi moribus et vitiis, infantiam et innocentiam Christianam, quam in cœlesti hac regeneratione et nativitate inchoastis, constanter retineatis, in eaque quotidie adolescatis et crescatis, ut nihil nisi Deum et Christum quem induistis, sapiatis; gustetis, spiretis. Pro *deponentes* græce est ἀποθέμενοι in aoristo, id est, *cum deposueritis* : quia scilicet in baptismo jam deposuerant omne peccatum et culpam, at non omne vitium, quia remanebant in eis pristini mali habitus. Jubet ergo Petrus, ut sicut jam deposuerunt omne peccatum, ita et satagant omnes ejus radices et habitus pravos exuere et deponere : nec enim posse contraria virtute simplicitatis et innocentiæ potiri, nisi prius omnem malitiam exuerint. Unde Noster apte vertit, *deponentes*; Syrus, *cessare facite*, *q. d.* Cum deposueritis culpam, deponite pariter et extirpate omnem ad eam inclinationem et habitum; prius enim hic deponendus est, quam contraria virtutis vestis plene assumi induique possit. Unde et Pagninus et Tigurina vertunt, *deposita igitur omni malitia*, etc., *rationabile sine dolo lac concupiscite*. Quocirca antistropha huic Petri sententiæ est illa Pauli, *Ephes.* IV, 22 : « Deponere vos secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris; renovamini autem spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis, » etc. Et S. Jacobi, cap. I, vers. 21 : « Propter quod abjicientes immunditiam et abundantiam malitiæ, in mansuetudine suscipite insitum verbum (quasi rationabile lac), quod potest salvare animas vestras. » Vide utrobique dicta. Præclare S. Cyprianus, *De Zelo et livore*, citans illud I *Corinth.*, cap. XV, vers. 47, *Sicut portavimus imaginem terreni* (Adæ), *portemus et imaginem cœlestis* (Christi) : « Imaginem, ait, cœlestem portare non possumus, nisi in eo quod esse nunc cœpimus, Christi similitudinem præbeamus. Hoc est enim mutasse quod fueras, et cœpisse quod non eras, ut in te divina nativitas luceat, ut ad Patrem Deum deifica disciplina respondeat, ut honore et laude vivendi Deus in homine clarescat. »

Malitia quintuplex. Prima. MALITIAM. — « Malitia, » græce κακία, *primo*, est malignitas, quæ in tergiversatione et calliditate sentitur, ait S. Hieronymus in capite IV *ad Ephes.* Secunda. *Secundo*, « est nocendi amor, et cum quis malo delectatur alieno, » ait S. Augustinus, *hom.* 20 inter 50. A quo famosus ille latro apud Poetas dictus est Cacus. Nam, ut ait S. Augustinus, lib. XIX *De Civit.*, XII : « Cacus tam erat malitiæ singularis, ut ex hac ei nomen inventum sit, nam *malus* græce κακὸς dicitur, quod ille vocabatur, et propter insatiabilem feritatem semihominem quam hominem dicere maluerunt. Tertia. *Tertio*, « malitia » est interna perversitas, ex qua quis data opera male agit : ex malitia enim oritur maleficentia, sicut ex bonitate beneficentia. Malitia ergo est animi pravitas, odium, invidia, machinatio doli, fraudis omnisque mali. Quarta. *Quarto*, κακία sumi potest pro κακώσει, id est, *malitia*, pro maledicentia et maleficentia, puta pro obtrectatione; criminatione, noxa : κακίζω enim idem est quod aggravo, improbo, accuso, maledico. Inde Callimachus pictor dictus est *cakizotechnos*, quia sui operis et picturæ jugis erat calumniator, ait Plinius, lib. XXXIV, cap. IX. Sic ex adverso bonitas subinde vocatur ipsa benignitas et beneficentia, ut cum dicimus bonus Deus, bonus pater, bonus dominus, id est, benignus et clemens. Justitiam enim dividunt in duas partes : justitiam, quæ est severitas, et benignitatem seu beneficentiam. Quinta. *Quinto*, « malitia » est omne vitium et peccatum, ait Aristoteles, lib. VII *Ethicor.*, sicut e contrario bonitas vocatur quælibet virtus et honestas, etiam justitiæ, ut cum dicimus, bonus vir, bonus judex, bonus servus, id est, justus et exequens officii sui debitum. Omnibus his modis hic accipi potest, aptius tamen secundo. Agit enim S. Petrus de malitia quæ opponitur charitati fraternitatis, de qua proxime sermo præcessit, quæque generat dolum, simulationes, invidias, detractiones, ut sequitur : hæc autem est improba adversus proximum cogitatio, eique nocendi amor.

Dolus quid? ET OMNEM DOLUM. — « Dolus » est machinatio fraudis ad circumveniendum aliquem, quæ proinde hominum societatem evertit. Quocirca Donatus censet dolum dici a dolando, id est lædendo et minuendo : nam et græce δόλος *læsio* dicitur. Verum dolus fraudem potius, fucum et simulationem significat quam læsionem. Unde et tinctores, cum lanæ alium colorem inducunt, dicuntur δολοῦν, et δόλωνες vocantur pugiones et sicæ, quibus quis alium ferit fraudulenter et dolose. Hinc etiam vocatur *dolus malus*, cui opponitur bona fides. Est enim dolus bonus, quo usus est Paulus dicens : « Cum essem astutus dolo vos cepi, » II *Corinth.* XII, 16. Audi Ulpianum, lib. I, ff. *De Dolo malo* : « Dolum malum Servius ita definit, machinationem quamdam alterius decipiendi

causa, cum aliud agitur et aliud simulatur. » Et inferius : «Labeo sic definit, dolum esse omnem calliditatem, fallaciam; machinationem ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibitam. Labeonis definitio vera est : malum dolum adjecit : veteres enim bonum dolum dicebant, et pro solertia hoc nomen accipiebant, maxime si adversus hostem latronemve quis machinetur. » Sic et Cicero, lib. III *Offic.* : « Cum ex eo (Aquilio), inquit, quærerem quid esset dolus malus? respondebat, cum esset aliud simulatum, aliud actum. » Et lib. III *De Natura Deorum* : « Inde everriculum malitiarum omnium, judicium de dolo malo, quod Aquilius protulit : quem dolum idem Aquilius familiaris noster tum teneri putat, cum aliud sit simulatum, aliud actum.» Quare dolosus videtur habere «duplex cor, unum in quo videas veritatem, alterum in quo conspicias mendacium,» ait S. Augustinus, tract. 7 *in Joan.* Hinc Nathanaelem laudat Christus, dicens : « Ecce vere Israelita in quo dolus non est, » *Joan.* I, 47.

Tales sint Christiani, ut idem de iis dicat Christus. Deus enim est « Deus veritatis, » *Galat.* II, 11. Diabolus vero est « pater mendacii, » et consequenter doli, *Joannis* VIII, 44.

ET SIMULTATIONES.— Græce ὑποκρίσεις; Christiana enim veritas, sinceritas et simplicitas est columbina, ovina et agnina, quæque abominatur omnem hypocrisim et simulationem, ait Œcumenius. Et, ut ait S. Augustinus in *Psalm.* LXIII : «Simulata æquitas non est æquitas, sed duplex iniquitas. » Veritas enim est virtus, « qua quis et vita et sermone talem se demonstrat, qualis revera est, » ait Aristoteles, IV *Ethic.*, cap. VII. Unde et Plato apud Plutarchum, lib. *Num inter pocula philosophandum sit?* ait summæ perversitatis esse, cum quis malus et perversus ad hoc conatur, ut videatur esse bonus. Hinc Diogenes Cynicus videns quemdam mollem leonis exuviis amictum, quasi alterum Herculem incedere : « Non tu desines, inquit, virtutis stragula pudefacere? » Ita Laertius, lib. VI, cap. II. Quocirca sapienter Alfonsus, Aragonum rex, dicebat, propterea Deum tantopere in hypocritas sævire, quod dum homines decipiunt, interponant Deum ipsum tanquam sceleris mediatorem; ideoque ut plurimum viventes adhuc plecti in oculis hominum quos Dei nomine fefellissent, ut intelligant homines, a talibus monstris maxime cavendum esse. Ita Panormitanus et Æneas Sylvius in *Gestis et Dictis Alfonsi.* Hoc est quod dicitur *Job* XXXVI, 13 : « Simulatores et callidi provocant iram Dei. » S. Augustinus, *homil.* 2 inter 50, ὑποκρίσεις vertit *adulationes*, scilicet pro genere ponens speciem maxime insignem; adulatores enim sunt summi et nocentissimi hypocritæ.

INVIDIAS. — « Invidia proprium est diaboli peccatum, » ait S. Basilius, hom. *De Ira, Invidia et Avaritia*, et S. Augustinus, lib. *De Discipl. Christi*, cap. I. Diabolus enim in cœlo invidit humanitati Christi unionem hypostaticam sibi a Deo revelatam, in terra vero invidit Adæ et posteris gloriam cœlestem, e qua ipse per peccatum exciderat. Unde « invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum : imitantur autem illum omnes qui sunt ex parte illius, » *Sap.* II, 25. Rursum S. Augustinus, serm. 18 *De Temp.*, invidiæ damna recensens : « Hæc, ait, est quæ angelum de cœlo projecit, hominem de paradiso exulavit, Abelem occidit, contra Joseph fratres armavit, Danielem in lacum leonum misit, caput nostrum cruci affixit, et Judam suspendio sustulit. Fratres mei, super tecta prædicate, quod invidia est illa fera pessima quæ fidem tollit, concordiam dissipat, justitiam disperdit, et omnia mala generat. Hæc muros Jerusalem evertit, Romam depopulavit, Carthaginem destruxit, Trojam devastavit. » Invidiam paucis ita describit Pindarus in *Nemeis*, ode 8 : « Opsonium invidis sunt sermones; attingit vero probos semper invidia, et cum deterioribus non contendit. » invidia damna.

Sed eamdem egregie pingit S. Basilius, *Admonit. ad filium spiritualem*, cum hasce invidi et pacifici antitheses assignat. *Prima*, « qui amplectitur pacem in mentis suæ hospitio, mansionem præparat Christo, quia Christus pax est, et in pace requiescere cupit : vir autem invidus omnibus modis execratur. *Secunda*, vir pacificus in tranquillitate est semper cor ejus : invidus autem similis navi cum jactatur a fluctibus maris. *Tertia*, homo pacificus securam possidet mentem : invidus autem in perturbatione est semper : qui autem sectatur pacem, tutus est semper undique ac munitus. Nam invidus, ut lupus rapax, insanit inaniter. *Quarta*, pacificus est ut vinea honesta abundans fructu copioso : invidi autem opus indigentia ac miseria detinetur; et quantum pacificus gaudens in Domino delectatur, tantum invidus tabescens ad nihilum redigitur. *Quinta*, ex abundantia lætitiæ pacificus homo dignoscitur : ex vultu marcido et furore pleno invidus demonstratur. *Sexta*, pacificus homo consortium angelorum merebitur, invidus homo particeps dæmoniorum efficitur. *Septima*, sicut pax secreta mentis illuminat : ita invidia oculta cordis obcæcat. *Octava*, pax effugat et perturbat omnem discordiam : invidia autem iracundiam cumulat; a splendore autem pacis effugatur omnis caligo : et ubi obsederit invidia, ibi obscuritas et exteriores tenebræ. Sectare ergo, fili, desiderabile nomen pacis, ut fructus pacis possis acquirere, et execrare invidiam, ne malorum fructibus replearis. » Antitheses invidi et pacifici. Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta. Sexta. Septima. Octava.

Idem, hom. *De Invidia*, ejus indolem, habitum et mores per hæc epitheta et similitudines describit : « Fugiemus, ait, fratres, intolerabile malum. Serpentis id est præceptum, diaboli inventum, inimici satio, punitionis arrhabo, pietatis impedimentum, via ad gehennam, regni cœlorum pri- Invidia epitheta.

vatio. Nam et ipso fatentur ore hoc vitium invidi : aspectus illis est aridus et obscurus, gena subtristis, supercilium demissum, anima ipsa morbo suffusa, prudentiam in dignoscenda veritate ac rebus agendis minime habens. Apud eos enim nec actio secundum virtutem ulla est, nec vis orationis gravitate ornata, non gratia comitata, non denique aliquid aliud honestum aut circumspectum conspicitur. Sicut autem vultures per multa quidem prata, multa etiam amœna et odorata loca circumvolantes, ad tabida et fœculenta loca feruntur, muscæ quoque salubre, si quod offendunt, prætereunt, ad ulcera vero properant : sic et invidi vitæ splendorem, ac rerum bene gestarum magnitudinem minime quidem respiciunt; manca vero et fragilia, et si quid erratum (ut quandoque rebus accidit humanis) tantum observant, hæc divulgant, et per hoc tantum homines cognosci volunt. Quemadmodum maligni pictores, qui hominis imaginem, vel ex contorta nare, vel tubere, aut membri cujuspiam mutilatione, natura seu casu insita, corpori effingunt, notabilemque reddunt. Iniquum profecto, id quod laudabile potissimum fuerit, alicujus pejoris gratia manifeste occultare, et virtutem ex vicinitate vitii (si quod forte reperitur) calumniari. Fortitudinem, audaciam potius appellat : modestum vero, sine sensu hominem; justum, immitem et nimium severum; prudentem, astutum; magnificum, vastum; liberalem, ut prodigum taxant; domestice frugalem, avarum dicunt. Denique omnes virtutis species in vicina vitiorum nomina convertunt, nusquam calumnia rebus laudatis deficiente. » Additque, « invidiæ remedium esse, nil æstimare magnum in rebus humanis, » non gloriam, non opes, sed cogitare ad sempiternorum et verorum bonorum participationem se esse vocatum.

Invidiæ remedium.

Præclare S. Athanasius (vel quisquis est auctor : stylus enim arguit fuisse Latinum, non Græcum) *Exhort. ad Monach.* : « Esto, inquit, ab aliquibus frater tuus propensus honoretur, nec illos quasi minus amicos habeas, nec hunc quasi æmulum prælatæ venerationis attendas. Quinimo judica circa te augmentum illius honoris accrescere, sciens scriptum : Si enim gloriatur unum membrum congaudent omnia membra : vos autem estis corpus Christi, et membra. Nam quicumque aliquem vestrum diligit, omnem dignitatem Deo, in quo vos coitis, ascribit. » Plura de invidia dixi *Genes.* cap. XXXVII, 3.

ET OMNES DETRACTIONES. — Multiplex enim et pene infinitum est detractionum genus, quod omnem fraternam charitatem, quam impense hic commendat S. Petrus, lædit et interimit. Vide dicta Jacobi III, 6. Audi S. Augustinum, *hom.* 20 inter 50, hæc omnia paucis enucleantem : « Quid, ait, est malitia, nisi nocendi amor? Quid dolus, nisi aliud agere, aliud simulare? Quid adulatio, nisi fallaci laude seductio? Quid invidia, nisi odium felicitatis alienæ? Quid detractio, nisi mordacior, quam veracior reprehensio? Malitia malo delectatur alieno. Dolus duplicat cor, adulatio linguam, detractio vulnerat famam. »

2. SICUT MODO GENITI INFANTES. — Syrus, *estote sicut infantes simplices.* Commendat fidelibus jam renatis in Christo, etiam veteranis et canis, ut infantium innocentiam, puritatem, humilitatem, obedientiam, docilitatem, facilitatem, simplicitatem et sinceritatem imitentur : esto enim hæ in infantibus, utpote ratione carentibus, non sint virtutes, sed virtutum duntaxat imagines; in baptizatis tamen sunt veræ virtutes, quia per baptismum eis induntur. Unde Lactantius in Carmine *De Resurrectione Domini* de iis ita canit : Vers. 2.

Rex sacer, ecce tui radiat pars magna trophæi,
Cum puras animas sacra lavacra beant.
Candidus egreditur nitidis exercitus undis,
Atque vetus vitium purgat in amne novo.

Et S. Paulinus :

Inde parens sacro ducit de fonte sacerdos
Infantes niveos corpore, corde, habitu.

Baptizati enim vestiuntur candida, ut illa internum candorem baptismo receptum repræsentent : idque factitatum a tempore Apostolorum, ut patet ex S. Dionysio, *Cœlest. Hier.*, cap. II et V. Hinc Clemens Alexandrinus scripsit librum *Pædagogi*, in quo cap. V et VI, docet omnes Christianos in Scriptura vocari pueros, puellos et pullos, eo quod debeant æmulari puerilem sinceritatem, humilitatem et puritatem. Christus enim edixit : « Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum, » *Matth.* cap. XVIII, vers. 3. Sic S. Paulus : « Facti, ait, sumus sicut parvuli in medio vestri, tanquam si nutrix foveat filios suos, » I *Thess.* II, 7. Rursum, in hac vita omnes fideles in gratia et sanctitate sunt infantes; in futura vero resurrectione erunt viri. Hinc cucullis (quæ est vestis infantium tegens eorum capita) ab olim utuntur monachi, ut habitu profiteantur infantilem simplicitatem et innocentiam. Audi Cassianum, lib. I *De Habitu Monachi*, cap. IV : « Cucullis namque perparvis usque ad cervicis humerorumque demissis confinia, quibus tantum capita contegant, indesinenter diebus utuntur ac noctibus, scilicet ut innocentiam et simplicitatem parvulorum jugiter custodire, etiam imitatione ipsius velaminis commoneantur; qui reversi ad infantiam Christi, cunctis horis cum affectu et virtute decantant : Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei; neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me. Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam : sicut ablactatus est super matrem suam. » Denique in Dominica in albis, quando baptizati olim deponebant vestes albas in baptismo acceptas, solent legi hæc verba loco epistolæ, ut iis moneantur fideles candorem

vestium mutare et conservare in candore animorum. Atque in hujus rei symbolum et mnemosynon dabatur eis agni effigies; hæcque est origo cerearum imaginum, quas vulgo Agnos Dei vocant, uti demonstrat Josephus Vicecomes in *Observ. Eccles.*, lib. V, cap. LI *De ritibus Baptismi*.

Quæ rationabile quod? Resp. Primo.

RATIONABILE. — Ita Romana : græce enim est λογικόν. Perperam ergo nonnulli legunt, *rationabiles*. Jubet itaque S. Petrus concupisci lac « rationabile. » *Primo, q. d.* Humanum, non materiale, sed rationabile, quod ex rectæ rationis dictamine, quasi mentis ubere manat. *Secundo*, « rationabile, » *q. d.* Prudens, moderatum, discretum; sic enim jubet Paulus rationabile esse obsequium nostrum, *Rom.* XII, 1. *Tertio*, Clemens Alexandrinus, I *Pædag.* cap. VI, Vatablus et alii λογικὸν vertunt, *verbale* : verbum enim doctrinæ et oris manat ex mente, ejusque verbo, quasi lac ex ubere. *Quarto*, Syrus λογικὸν vertit, רוחנא *ruchana*, id est *spiritale, q. d.* Lac hoc non est carnale, sed spirituale; pascit mentem, non ventrem; esca est spiritus, non corporis; impinguat rationem et spiritum, non adipem et carnem (1).

Secundo. Tertio. Quarto.

SINE DOLO, — ἄδολον, id est *sincerum*, ut vertit Syrus. S. Augustinus, *hom.* 20 inter 50, legit, *lac innocens*. Hæretici enim *gypsum lacte miscent*, id est, venenum erroris doctrinæ orthodoxæ inspergunt, ut ait Irenæus, lib. III, cap. XIX. Solet enim, uti vino, ita et lacti misceri ac propinari venenum; unde et *lactare* a *lacio*, id est illicio, significat fallere et in fraudem inducere.

Lac quod? Resp. Primo.

LAC CONCUPISCITE. — Quæres, quodnam hoc lac? Respondeo *primo*, est doctrina Evangelica, de qua paulo ante dixit : « Hoc est verbum quod evangelizatum est in vos; » illaque tam rudior quæ rudibus, quam sublimior quæ provectioribus traditur. Hæc vocatur « lac, » *primo*, ob ejus suavitatem et dulcedinem, cum lex vetus fuerit severa instar austeri vini, vel aceti, juxta illud *Cant.* cap. I, vers. 1 : « Meliora sunt ubera (dantia lac) tua vino; » sic *Psal.* XVIII, vers. 11, eloquia Dei dicuntur « dulciora super mel et favum. » *Secundo*, quod animam nutriat, uti lac corpus; nec tantum nutriat, sed et impinguet (lacti enim inest pinguedo butyri et casei), delectet, ac miris consolationibus mulceat; lac enim non tantum est cibus, sed et potus infantium : ita Clemens loco citato. *Tertio*, quod animam faciat nitidam, speciosam et fulgidam instar lactis. Unde de Nazareis dicitur *Thren.* cap. IV, 7 : « Nitidiores lacte. » *Quarto*, quia pura est et sincera, sicut in lacte nihil est mixtum, nihil alienum, nihil fucatum, imo lac nullam rei objectæ recipit refertque speciem, uti referunt vinum, oleum, aqua, quæ rerum objectarum sunt specula. Hinc, *Cant.* V, 12, oculi sponsæ vocantur columbini, loti lacte, quia nullis falsis deluduntur imaginibus, ut explicat ibidem Nyssenus. *Quinto*, quia sicut lac est puerorum deliciæ, eisque somnium conciliat, ac aliarum rerum sensum aufert : sic et doctrina Christi mentem dulcorat, sopit, tranquillat, inebriat. Hinc Pindarus hymnorum suavitatem et elegantiam per lac melle mixtum significat, cum, ode 3 in *Nemeis*, ait : « Ego tibi hoc mitto mel mixtum cum albo lacte. » Jubet ergo S. Petrus ut fideles hoc lac doctrinæ Evangelicæ assidue hauriant ab uberibus matris Ecclesiæ, eoque se saginent, adolescant et crescant, juxta illam vivendo, illamque in actus et mores conferendo et convertendo, uti infantes concoquendo et convertendo lac in suam substantiam, crescunt et adolescunt. Et hoc significat, « concupiscite : » fames enim et concupiscentia lactis facit illud optime concoqui, et converti in sanguinem purum (2).

Secundo, lac symbolum est candoris, sinceritatis, benevolentiæ. Hoc enim lac opponit Petrus dolo, simulationi, invidiæ. Per illud ergo significat se velle, ut Christiani in sua conversatione non sint acidi, asperi et fellei, sed mellei et lactei, id est candidi, amabiles, suaves, benigni, benefici, fraterne invicem diligentes, juvantes et promoventes. Hinc et Homerus, ait Clemens, viros justos vocat γαλακτοφάγους, id est *lacte vescentes*. Alludit S. Petrus ad illud *Cant.*, cap. V, 1 : « Comedi favum cum melle meo, bibi vinum cum lacte meo; comedite amici, et bibite, et inebriamini, charissimi. » Rursum alludit ad escam quam Emmanueli, id est, puero Jesu, assignat Isaias, VII, 15, dicens : « Butyrum et mel comedet; » ac Christianis, cap. VII, vers. 1 : « Venite, emite, etc., vinum et lac : » vide utrobique dicta. Hujus rei symbolo olim recens baptizatis dabatur lac et mel (quin et etiamnum iisdem dant Æthiopes, ut patet ex eorum *Rituali*, tom. IV *Bibl. S. Patrum*) ut significaretur, *primo*, eorum infantia in Christo; *secundo*, vitæ Christianæ suavitas; *tertio*, humilitas et mansuetudo infantilis. Unde Tertullianus, lib. I *Contra Marcionem*, cap. XIV : « Mellis, inquit, et lactis societate suos infantat Deus. » Et lib. *De Corona militis*, cap. III : « Inde suscepti lactis et mellis concordiam prægustamus. » Hoc est quod aiebat S. Agnes : « Mel et lac suscepi ex ore ejus. » Plura de hoc prisco ritu vide apud Josephum Vicecomitem in *Observat. Eccles.*, lib. V *De Baptismo*, cap. XLI et XLII.

Secundo.

Tertio, Clemens Alexandrinus, *Pædag.* cap. VI, per *lac verbale* (sic enim ipse vertit) accipit Verbum incarnatum, puta Christum, de quo explicans subdit : « Si tamen gustastis quoniam dulcis est Dominus, » idque *primo*, quia, sicut lac ab ubere manat, ita Christus, qua Deus a patre, qua homo a matre procedit tanquam puer lacteus et lactens. *Secundo*, quia per Christum quasi lac ad mamillam Patris confugimus, ut ex ea gratiam,

Tertio.

(1) Hic sensus est genuinus.

(2) *Sexto*, quia Apostolus pergit in metaphora supra cap. I, 23, cœpta. Recens nati, Christiani scil. admodum nuper Evangelio adscripti, nutriendi et alendi erant doctrina pura, quæ esset lactis instar quo infantes nutriuntur.

omneque bonum sugamus. *Tertio*, quia verba Christi erant lactea, id est suavia et gratiosa. *Quarto*, lacte notatur Christi humilitas. Unde S. Augustinus, tract. 3 *in epist. S. Joannis* : « Lac nostrum, ait, Christus humilis est. » *Quinto*, quia Christus est lac, id est, alimentum parvulorum et humilium, ait Clemens loco citato : imo ipse omnium fidelium est lac, mel et vinum, id est deliciæ, dulcedo, exultatio et gaudium, uti docet Richardus de S. Victore, lib. II *De Emman.*, XXI. *Sexto*, quia Christus sanguine constat : sanguis autem concoctus fit lac. Audi Aristotelem, lib. IV *De Generat. animal.*, cap. VIII : « Eadem materia est quæ alit, et ex qua generationem natura constituit : eaque sanguineus humor in sanguinem habentibus est. Lac enim sanguis concoctus est, non corruptus. » Unde Empedoclem reprehendit quod lac vocaverit pus album : pus enim putredo est. Hinc Ægypti uti carne et sanguine, ita et ovis ac lacte abstinebant, quod dicerent ova esse carnes liquidas, lac esse sanguinem colore tantum mutato, ait Pierius, *Hier.* 57.

Quarto. *Quarto*, per « lac rationabile » nonnulli accipiunt Eucharistiam, quæ olim baptizatis, etiam infantibus, dabatur mox a baptismo, idque ex Apostolica traditione, uti docet S. Dionysius, *Eccles. Hierarch.*, cap. V; unde et Græci etiamnum pueris dant Eucharistiam. Ita Salmeron hic, Turrianus, lib. II *De Eucharistia*, cap. XX et XXI, et innuit Clemens Alexandrinus, lib. I *Pædag.* VI.

Sic S. Petrus, cum in carcere Mamertino Romæ convertisset et baptizasset S. Processum et Martinianum cum familia, « participes eos fecit corporis et sanguinis Domini. » Idem factitatum SS. Getulio, Cereali, Amantio, Primitivo et Procopio aliisque martyribus recens baptizatis, tradunt eorum Acta. Porro pueros sub una scilicet vini duntaxat specie, adultos vero sub utraque Eucharistiam sumpsisse, docet Hugo Victorinus, lib. I *De Sacram.*, cap. XX, et ex eo Josephus Vicecomes in *Observ. Eccles.* lib. V, cap. XXXVI. Pueri enim, præsertim infantes recens nati, facilius sumunt speciem vini, quam panis : illaque apposite vocatur lac, quia sicut vinum dicitur esse lac senum, sic vice versa lac dicitur esse vinum puerorum.

Per *lac* ergo Eucharistiam hic accipi probant. *Primo*, quia lac hoc non est mortuum, nec brutum, sed vivum et rationale, puta homo rationalis, scilicet Christus in Eucharistia. *Secundo*, quia Eucharistia quoad species habet lactis colorem, videtur enim hostia lactea; quoad saporem dulcissima est, ut lac; quoad vim nutriendi, summe animas pascit et roborat. Unde subdit Petrus : « Ut in eo crescatis in salutem, » quo alludens S. Dionysius, *Eccles. Hierarch.*, cap. V : « Tribuit, ait, sacerdos Sacramentum infanti, ut in eo nutriatur et crescat sacris augmentis. » *Tertio*, quia ante Eucharistiam debemus deponere omnem dolum, simulationem, invidiam : imo reconciliari fratri, si cum offendimus, non vero ante auditionem doctrinæ Evangelicæ, imo ex ejus auditu illa deponimus. *Quarto*, quia lac est sanguis Christi, quo nutrimur in Eucharistia : lac enim non est aliud quam sanguis plane concoctus, ideoque albus. « Si enim, ait Clemens, in Christo regenerati sumus, qui nos regeneravit, proprio lacte nutrit, nempe verbo. Quidquid generavit, ei quod generatur protinus alimentum præbere est consentaneum. Omni ergo ratione nos in omnibus Christo conjungimur, et familiares reddimur, et in cognitione per sanguinem ejus quo redimimur, et in consensione per nutritionem quæ ex verbo efficitur, et in incorruptione per ejus ipsius institutionem et vitæ agendæ rationem. » *Quinto*, quia Eucharistiæ competit τὸ *concupiscite* : ipsa enim quasi cibus et vita mentium summa aviditate sumi debet, tanta scilicet quanta infantes papillas matris sugunt, imo majori, ait S. Chrysostomus, homil. 60 *ad Popul. Sexto*, quia subdit S. Petrus : « Si tamen gustastis, quoniam dulcis est Dominus; » quæ verba sumpta sunt ex *Psal.* XXXIII, vers. 9 : « Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus, » *q. d.* Gustate suavitatem carnis Christi in Eucharistia, inquit S. Basilius et Augustinus; unde et psalmus ille inscribitur : « Davidi, cum immutavit vultum suum coram Achimelech, et dimisit eum et abiit, » cum scilicet finxit se missum alio a Saule, ut impetraret ab Achimelech panes propositionis, qui erant typus Eucharistiæ. Quocirca idem psalmus allegorice tribuitur Eucharistiæ a S. Jacobo in *Liturgia*, S. Dionysio, lib. *De Ecclesiæ Hierarch.*, cap. *De communione*, et S. Cyrillo Alexandrino, hom. *De Cœna Domini*; atque ab Apostolis apud S. Clementem, lib. VIII *Constit.*, cap. XX, mandatur legi in Missa cum fit S. Synaxis.

Hic sensus appositus videtur (renatorum enim in Christo lac, id est esca, est Eucharistia), sed partialis. Per *lac* ergo adæquate accipe omnem cibum spiritualem, quem suis fidelibus præstat Christus, nimirum doctrinam, gratiam, virtutes (præcipue candoris, sinceritatis et charitatis), Sacramenta, præsertim Eucharistiam. Hisce enim eos alit in vitam æternam, facitque crescere in virum perfectum, *Ephes.* IV, 13.

Tropologice lac hoc doctrinæ vitæque Christianæ comedunt fideles, ut idem aliis communicent in eosque transfundant, itaque lac passivum fit activum. Unde in feminis lac signum est fœcunditatis et maternitatis. Quocirca S. Pauli doctoris Gentium caput recisum pro sanguine dedit lac, ac triplici saltu ternos fontes dulces et quasi lacteos e terra elicuit, ut hoc miraculo doctrinæ suæ puritatem et copiam repræsentaret. Tropologice

Hinc et S. Basilius, homil. *in S. Julittam Martyrem*, docet eamdem euntem ad martyrium lac suis propinasse, tum spirituale exhortationis, qua omnes etiam feminas hortabatur ad martyrium; tum corporale, quo aquarum copiam, in-

deque fœcunditatem illi loco in quo sepulta est, conciliavit. Sed audi S. Basilium : « Ad destinatam sibi flammam concita perrexit facie, habitu, ipsis quæ depromebat verbis, alacritate insuper efflorescente, palam indicans quod in animo delitescebat, profusissimum gaudium. Mulieres quotquot astabant proxime obsecrabat, nec ad tolerandos pro tuenda Christiana religione labores animos sinerint remollescere; neu causificarentur, aut prætexerent infirmam feminæ naturæ conditionem : Eadem quippe massa qua et viri et ipsæ constamus, dicebat. Ad imaginem Dei perinde ac isti, et nos conditæ sumus : est sane mulier ab opifice creata, peræque ac vir, capax virtutis. Quid enim miri est ? An non consanguineæ et ipsæ sumus viris per omnia? Non enim ad constituendam mulierem sola est assumpta caro, sed et os ex ossibus : quo fit ut et ipsæ Domino nihil minus ac viri, redhibere debeamus firmitatem fidei atque constantiam, nec non in adversis patientiam. His dictis in lignorum struem accensam insiliit, quæ perinde ac thalamus splendore coruscus, corpus S. Julittæ circumplexa, animam quidem in cœlestem illam destinavit regionem, et quæ illius meritis congruebat requiem; corpus autem honore præcipuo venerabile asservavit affinibus, et cognatis incolume, nec ulla sui parte læsum, quod sane in ornatissimo primarii templi urbis totius vestibulo conditum, loco quidem adfert venerabilem sanctimoniam, nec minus qui eo loci conveniunt efficit sanctiores. Terra porro istius beatæ adventu aquam emisit, quæ suapte natura nulli non nostrum gratiosissima esse debeat. Adeo ut Martyr hæc imaginem pientissimæ referat matris, dum nutricis in morem totius incolas urbis alit suaviter, perinde ac lacte quopiam in communes usus affatim scaturiente. Hanc ipsam in nos benigne contulit Martyr gratiam, quam olim suis Jerichuntinis Elisæus impertivit, dum salsilaginem naturæ communis aquaram loci istius circumquaque finitimi, benedictione permutavit in saporem dulcem plane deliciosum et perquam suavem. »

UT IN EO (scilicet lacte Evangelii) CRESCATIS, — adolescatis et proficiatis in virtute et perfectione Christiana. Alludit ad lactis usum et fructum : lac enim non tantum nutrit pueros, sed et facit eos crescere in justam staturam. Significat ergo « lac, » fideles per doctrinam et gratiam Christi debere quotidie proficere et crescere in sanctitate, juxta illud Christi : « Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam. » Vide S. Gregorium, lib. XXII *Mor.*, cap. XX, et S. Bernardum, epist. 253 *ad Guarinum*, ubi inter alia ait : « Vera virtus finem nescit, tempore non clauditur, etc. Nunquam justus arbitratur se comprehendisse, nunquam dicit : Satis est; sed semper esurit sititque justitiam : ita ut si semper viveret, semper quantum in se est justior esse contenderet, semper se bono in melius proficere totis viribus conaretur. Non enim ad annum; vel ad tempus instar mercenarii, sed in æternum divino se mancipat famulatui. Audi vocem justi : In æternum non obliviscar justificationes tuas, quia in ipsis vivificasti me. » Et inferius : « O monache, non vis proficere? Non. Vis ergo deficere? Nequaquam. Quid ergo? Sic, inquis, mihi vivere volo et manere in quo perveni : nec pejor fieri patior, nec melior cupio. Hoc ergo vis, quod esse non potes. Quid enim stat in hoc sæculo? » Illustrat id exemplo Christi, qui pertransiit benefaciendo et sanando omnes, *Act.* X, et Jacob, qui in scala vidit angelos, vel descendentes vel ascendentes, nullos subsistentes, ut significaretur « inter profectum et defectum in hoc statu mortalis vitæ nihil medium inveniri; sed quomodo ipsum corpus nostrum continue aut crescere constat, aut decrescere : sic necesse sit et spiritum aut proficere semper aut deficere. »

Christus est proficere.

S. Augustinus, sermone 15 *De verbis Apostoli*, hunc modum crescendi assignat dicens : « Semper tibi displiceat quod es, si vis pervenire ad id quod nondum es. Nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti. Si autem dixeris : Sufficit, et peristi. Semper adde, semper ambula, semper profice; noli in via remanere, noli retro redire, noli deviare. Remanet, qui non proficit; retro redit, qui ad ea revolvitur unde jam abscesserat; deviat, qui apostatat. Melius it claudus in via, quam cursor præter viam. » Alium assignat in *Psalm.* LX, sub initium, dicens : « Vita nostra in hac peregrinatione non potest esse sine tentatione, quia profectus noster per tentationem nostram fit, nec sibi quisquam innotescit nisi tentatus, nec potest coronari nisi vicerit; nec potest vincere nisi certaverit, nec potest certare nisi inimicum et tentationes habuerit. » Signum vero profectus idem assignat in Proœmio *Psalm.* CXIX : « Cum, inquit, homo cœperit disponere ascensum, hoc dico apertius, cum cœperit homo Christianus cogitare proficere, incipit pati linguas adversantium. Quicumque illas nondum passus est, nondum proficit; quicumque illas non patitur, nec conatur proficere. »

IN SALUTEM. — Syrus, *ad vitam*. Vita enim gratiæ actu crescit per operum merita, vita vero gloriæ per eamdem crescit in spe et jure : majora enim merita majus dant jus ad gloriam, eamque majorem. Indicat S. Petrus Christianos in virtutibus crescere debere tota vita usque ad mortem, per quam ibunt ad salutem et vitam æternam : sicut puer crescit usque ad virilem ætatem. Unde Paulus jubet nos tota vita crescere in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, *Ephes.* IV, 13. Virtus enim et vita Christiana non patitur senium, sed semper vivida et vegeta perdurat, imo crescit semper et intenditur. Nam, ut ait Sapiens : « Justorum semita quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectum diem, » *Prov.* IV, 18.

Præclare Fernandus Diaconus, qui S. Fulgentio Ruspensi Episcopo coævus et familiaris, magna

sanctitate vixit anno Christi 480, Regino Comiti poscenti regulam rectæ vitæ ad salutem, hanc dat septem legibus comprehensam. Extat in *Appendice Biblioth. SS. Patrum. Prima*, « Gratiæ Dei adjutorium tibi necessarium per actus singulos crede, dicens cum Apostolo : Gratia Dei sum id quod sum. *Secunda*, Vita tua speculum sit, ubi milites tui videant, quid agere debeant. *Tertia*, Non præesse appetas, sed prodesse. *Quarta*, Dilige rempublicam sicut teipsum. *Quinta*, Humanis divina præpone. *Sexta*, Noli esse multum justus. *Septima* et ultima, Memento te esse christianum. » Quæ deinde singula fuse explicat et pertractat.

Regulæ septem vitæ.

Vers. 3. 3. SI TAMEN. — Græce εἴπερ, id est, *siquidem*; potest quoque εἴπερ accipi pro ἐπειδήπερ, id est *quandoquidem*, ut sit causale, tumque sententia erit efficacior.

GUSTASTIS (aliqui codices habent *gustatis* : certe sub *gustastis* intelligit *gustatis* more Hebræo. S. Hieronymus, in cap. XL *Ezech.*, pro *gustastis* legit, *credidistis*, quia gustus hic fit per fidem; plus tamen significat *gustastis*, scilicet effectum, fructum et gustum deliciarum et consolationum ex fide manantium, quas fidelibus infundit Deus) QUONIAM (quod) DULCIS EST DOMINUS, — Christus; unde pro *dulcis* græce est χρηστός, id est, ut S. Hieronymus, in cap. XVIII *Ezechiel. suavis*; Pagninus et Vatablus, *benignus*; Clarius, *bonus*; alii, *utilis*, probus, humanus, fructuosus, facilis ad gratificandum, indulgens, commodus, clemens. Hæc enim omnia significat χρηστός, et talis fuit Christus, talesque fuerunt primi Christiani, ac debent esse eorum sequaces et posteri, ait S. Justinus, *Apolog.* II. Χριστὸς ergo, id est *Christus*, per *iota*, id est *unctus*, fuit χρηστὸς, per *eta*, id est *benignus, suavis, officiosus omnibus*. Unde Gentiles olim Christum vocabant Chrestum, et Christianos Chrestianos, teste Lactantio, lib. IV, cap. VII, et Tertulliano, *Apol.* III. Alludit S. Petrus, imo citat *Psalm.* XXXIII, vers. 9 : « Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus » (1).

Porro hanc Domini dulcedinem gustarunt, et etiamnum gustant fideles, cum doctrina Christiana quasi lacte divino imbuuntur, ac baptismo et vita Christiana initiantur, in eaque constantes progrediuntur. Dulcedinem hanc parit puritas et securitas conscientiæ, fiducia in Deum, spes gloriæ, ac consolationes spiritales, quas novitiis in fide et religione infundere solet Deus, iisque quasi lacte eos ad se allicere et alere. Cujus rei figura fuit manna, quo Hebræos ex Ægypto in desertum Deum sequentes aluit. Manna, inquam, « quod in se habebat omne delectamentum et omnem saporis suavitatem, » *Sapient.* XVI, 20.

Hanc Dei dulcedinem gustarat S. Petrus, cum visa humanitatis Christi gloria in monte Thabor quasi ebrius exclamavit : « Domine, bonum est nos hic esse : faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Mosi unum, et Eliæ unum, » *Matth.* XVII, 4; et Psaltes : « Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te! » *Psal.* XXX, vers. 20; et Sponsa : « Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo, » *Cantic.* cap. II, vers. 5, ubi vide S. Bernardum; et S. Paulus : « Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, » II *Corinth.* I, vers. 3. Vide dicta *Actor.* V, vers. 41; et Sapiens cap. XII, vers. 1 : « O quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus! » et Isaias, cap. LXVI, vers. 11 : « Ut sugatis et repleamini ab ubere consolationis ejus, ut mulgeatis et deliciis affluatis ab omnimoda gloria ejus; » et S. Hieronymus, epist. *ad Ctesiphontem* : « Omne, ait, quod habemus bonum, gustus est Domini : quanto plus bibo, tanto plus sitio fontem vitæ. » Vide S. Augustinum in *Soliloquiis*, cap. XXI et XXII.

Dulcedo Dei quanta?

Vers. 4. 4. AD QUEM (Dominum, puta Christum) ACCEDENTES LAPIDEM VIVUM. — S. Petrus a metaphora novæ nativitatis et lactis spiritalis, quod fidelibus assignavit, transit ad aliam apud Hebræos similem, fabricæ scilicet, et lapidum ejus. Hebræi enim filios vocant בנים *banim*, quasi אבנים *abanim*, id est *lapides*, ex quibus Christus בנה *bana*, id est *ædificat*, suum בנין *binian*, id est *fabricam* et domum, puta Ecclesiam. Sic ait Poeta, φύλοι οἴκων παῖδες εἰσὶν ἄρσενες, id est, columnæ domorum (familiarum), filii sunt masculi : sicut enim ex lapidibus ædificantur domus, sic ex filiis masculis familiæ (2).

Porro ad Christum accedimus non ambulando, sed per fidem, spem et charitatem ei credendo, in eum sperando, eum amando; Deus autem tam benignus est, ut quandocumque etiam media nocte ad eum accedimus, aures et manus nobis præbeat, nosque amantissime excipiat. Vide S. Chrysostomum in *Psalm.* IV. Ita S. Augustinus, in *Psalm.* LXXXVI : « Erigeris, ait, in hanc fabricam affectu pio, religione sincera, fide, spe, charitate : et ipsum ædificare ambulare est. »

Nota *primo* : Petrus quia petra, delectatur nomine et metaphora petræ et lapidis, simulque modeste significat se factum esse petram precario et gratis a Christo, qui est vera et prima Ecclesiæ

(1) Pergit in cœpta translatione. Infantes qui degustaverunt lac maternum, magis illud appetunt, et desiderant matrem. Ita etiam Christiani experientia edocti quam suave sit et salubre lac doctrinæ, magno amore feruntur in Christum.

(2) « Sensus (vers. 4 et 5) propriis verbis expressus : A quo tempore Jesum a primoribus Judæorum reprobatum, Deo autem carissimum, pro Messia agnovistis, eumque coluistis, ab eo tempore ipsi quoque Deo estis cari; estis pars societatis selectissimorum hominum, Deum secundum præcepta Christi colentium. Inest igitur descriptio dignitatis et excellentiæ Christianorum. » Hæc Rosenmullerus.

petra, a quo Petrus et cæteri fideles fiunt petræ; Christus ergo est primus Petrus, id est, petra et lapis. *Primo*, quia ipse est lapis angularis et fundamentalis Ecclesiæ. *Secundo*, quia uti lapis suo pondere ex alto ruit in præceps, ita Christus amoris sui erga nos pondere de cœlis descendit in terram. *Tertio*, quia fortis est et constans, ut petra; lapis ergo significat fortitudinem, humilitatem et charitatem Christi. *Quarto*, quia uti lapis Davidis percussit et occidit Goliath, ita Christus percussit et enervavit dæmonem. *Quinto*, quia Christus est petra refugii fidelibus in se sperantibus, juxta illud *Psalm.* CIII : « Petra refugium herinaciis. » Hinc David jubilans ait : « In petra exaltavit me. » Et : « Statuit super petram pedes meos, *Psalm.* XXXIX, 3, et *Psalm.* XXVI, 5.

Christus petra ob quinque analogias.

Hisce de causis Christus multoties in Scripturis adumbratus est per lapidem. *Primo*, *Zachar.* III, cum ait : « Super lapidem unum septem oculi sunt : ecce ego cælabo sculpturam ejus, ait Dominus, et auferam iniquitatem terræ in die una. » *Secundo*, per lapidem super quo dormiens Jacob vidit scalam in cœlos porrectam, per quam ascendebant et descendebant angeli, *Gen.* XXVIII, ut ibi dixi. *Tertio*, per lapidem super quo orans et lassa brachia sustentans Moses, victoriam impetravit Josue et Hebræis contra Amalec, *Exodi* XVII. *Quarto*, per lapidem qui percussus a Mose dedit aquam populo sitienti, *Num.* XX. *Quinto*, per lapidem speluncæ, in quo positus Moses vidit gloriam Dei transeuntis, *Exodi* XXXIV. *Sexto*, per lapidem, quo David interemit Goliath, I *Regum* XVII. *Septimo*, per lapidem tabularum, cui Deus digito suo Decalogum inscripsit, *Deuter.* XXVII, 2. *Octavo*, per lapidem quem Josue in testimonium erexit, *Josue* XXIV, 26. *Nono*, per lapidem cui imposita est arca testamenti, I *Regum* VI, 25. *Decimo*, per lapidem adjutorii, I *Regum* VII, 12. Hæc omnia congessit S. Cyprianus, lib. II *Contra Judæos*, cap. XVI. Porro Christus est lapis non qualis qualis, sed pretiosus, uti dicitur vers. 6, puta marmoreus, gemmeus, adamantinus : unde eidem inædificata sunt duodecim fundamenta gemmea, puta duodecim Apostoli. Tota enim fabrica cœlestis Jerusalem, id est Ecclesiæ, est aurea et gemmea, *Apocal.* XXI, 19.

Nota *secundo* : S. Petrus Christum vocat lapidem non inanimem, sed animatum et vivum, græce ζῶντα, id est *viventem*, quia ipse est Deus et homo vivus. Nam *primo*, qua Deus, est vivus, imo ipsa vita essentialis et increata, ac vita causalis omnium viventium, puta angelorum, hominum et animalium : est enim ipse causa vitæ, *primo*, naturalis, puta vegetativæ, sensitivæ et rationalis. *Secundo*, est causa vitæ spiritalis animæ per gratiam. *Tertio*, est causa vitæ beatæ per gloriam. Hoc est quod ait S. Joannes, *Evangel.* I, 4 : « In ipso vita erat, et vita erat lux hominum; » et epist. I S. *Joan.* I, 2 : « Vita manifestata est, et vidimus, et testamur, et annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, et apparuit nobis. » *Secundo*, Christus qua homo, est vivus, quia a morte resurrexit ad vitam immortalem et gloriosam. *Tertio*, Christus est vivus, id est, vivificans omnes per sua merita et mortem, scilicet animas per gratiam, corpora per resurrectionem, juxta illud *Joannis*, cap. VI, vers. 58 : « Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem, et qui manducat me, et ipse vivet propter me; » et *Joan.* V, 25 : « Venit hora, et nunc est quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint, vivent. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso. » Super Christum ergo quasi lapidem vivum ædificatur Ecclesia, quasi corpus Christi vivum et ab eo vivificatum.

Porro grammatice ad litteram « lapis vivus » vocatur, qui in sua rupe aut vena nascitur, indeque exciditur aut eruitur (unde Christus vocatur lapis excisus de monte, *Daniel.* II, 24). Sicut enim sunt venæ argenti, auri, ferri, æris, etc., sic sunt et venæ lapidum ac gemmarum, uti docet Anselmus Boethius lib. *De Gemmis*. Unde Plinius, lib. XXXVI, cap. XVIII : « Theophrastus, inquit, et Mutianus esse aliquos lapides qui pariant, credunt. » Idem, lib. XXXV, cap. XIII, asserit « terræ pulverem in Puteolanis collibus opponi maris fluctibus, mersumque protinus fieri lapidem unum inexpugnabilem undis, et fortiorem quotidie. » Additque pari modo terram Cyzicenam lapidescere, æque ac Cnidiam : « Quin et ab Orapo, inquit, Aulidem usque quidquid terræ attingitur mari, mutatur in saxa. » Lapis vivus quis?

Simili modo aqua viva dicitur, quæ e sua scaturigine aut vena (uti sanguis ab hepate) ebullit, et quasi vitaliter scaturit ac fluit; ex adverso aqua mortua est stagnans, quæ in lacubus et paludibus immota consistit.

Rursum « lapis vivus » est magnes, quia ferrum movet et trahit. Vitam enim habent quæ se movent; anima enim est principium motus. Item pyrites, qui plurimum habet ignis, vivus appellatur, ait Plinius, lib. XXXVI, cap. XIX. Huc pertinet lapis fugitivus, ita dictus a fuga, de quo Plinius, lib. XXXVI, 15 : « Eodem, ait, in oppido (Cyzico) est lapis fugitivus appellatus. Argonautæ eo pro anchora usi, ibi reliquerunt. Hunc e Prytaneo sæpe profugum fixere plumbo. » Idem lapis in statua Memnonis, « quem quotidiano soli ortu contactum crepare dicunt, » ait Plinius, lib. XXXVI, cap. VII, quorum penes Plinium sit fides. Hæc omnia facile est adaptare Christo.

AB HOMINIBUS QUIDEM REPROBATUM. — Judæi enim, Scribæ, Pharisæi et Pontifices spreverunt Christum, eumque quasi lapidem inutilem, imo noxium reprobarunt et rejecerunt a fabrica suæ Synagogæ.

A DEO AUTEM ELECTUM — in fundamentum Ecclesiæ, per resurrectionem, ascensionem in cœlum, missionem Spiritus Sancti, et nominis cele-

britatem in toto orbe illi subjecto. Græcum ἔντιμον et *pretiosum*, ut vertit Tigurina, et *honorabilem* significat.

Vers. 5. 5. ET IPSI TANQUAM LAPIDES VIVI SUPERÆDIFICAMINI. — Id est, superædificate vos Christo per charitatem, ejusque opera quæ fidem vivificant. Beda ait quosdam legere *sursum ædificamini*, ut scilicet tendatis in cœlum, ibique sit mens, cogitatio et conversatio vestra. Lapides vivos vocat « viros robore firmatos, » ait S. Ambrosius in cap. III S. *Lucæ*.

Analogiæ lapidis et fidelis. Prima. Nota analogias lapidis in fabrica, et fidelis in Ecclesia. *Primo* enim, sicut lapis poliri et quadrari debet, ut sit aptus ad fabricam, ita et fidelis poliri et quadrari debet per tribulationes et tentationes, ut sit aptus ad fabricam Christi, juxta illud S. Ambrosii et Officii divini in dedicatione Ecclesiæ : « Tunsionibus, pressuris expoliti lapides suis coaptantur locis, per manus artificis disponuntur permansuri sacris ædificiis. »

Secunda. *Secundo*, sicut lapis et fabrica suas habet dimensiones, sic et fidelis, quas dimetitur Spiritus Sanctus quasi perpendiculum. Audi S. Ignatium, epistola *ad Ephesios* : « Jesus Christus, inquit, fundavit vos super petram ut lapides electos, aptos ad divinum ædificium Patris, sublatos in altum per Christum, qui pro nobis crucifixus est, perpendiculo usos Spiritu Sancto ; fide vero subductos, et charitate elevatos a terra in cœlum. » Plura de virtutis dimensionibus dixi *Ephes.* III, 18.

Tertia. *Tertio*, lapis ut collocetur in domo, debet esse durus et fortis, ut et molem sibi incumbentem, et insultus tempestatum ac hostium sustineat : ita fortis pariter et constans debet esse fidelis ; hanc autem fortitudinem haurit a Christo, quasi a petra cui incumbit. Ita S. Bernardus, serm. 61 *in Cant.* : « In petra, ait, exaltatus, in petra securus, in petra firmiter sto, securus ab hoste, tutus a casu ; tremit mundus, premit corpus, diabolus insidiatur, non cado : fundatus enim sum supra firmam petram. » Et inferius : « Stat Martyr tripudians et triumphans toto licet lacero corpore, et rimante latera ferro, non modo fortiter, sed et alacriter sacrum e carne sua circumspicit ebullire cruorem. Ubi ergo tunc anima Martyris ? nempe in tuto, nempe in petra, nempe in visceribus Jesu, vulneribus nimirum patentibus ad introeundum. Si in suis esset visceribus, scrutans ea ferrum profecto sentiret, dolorem non ferret, succumberet et negaret ; nunc autem in petra habitans, quid mirum, si in modum petræ duruerit ? sed neque hoc mirum, si exul a corpore, dolores non sentiat corporis ; neque hoc facit stupor, sed amor : submittitur enim sensus, non amittitur : nec deest dolor, sed superatur, sed contemnitur.

Quarta. *Quarto*, lapis inferior portat superiorem, et hic inferiorem, ac collateralem : ita « in S. Ecclesia unusquisque et portat alterum, et portatur ab altero, » ait S. Gregorius, hom. 13 *in Ezech.*, juxta monitum S. Pauli, *Galat.* cap. VI, 2 : « Alter alterius onera portate. » Rursum faber murarius ad perpendiculum ædificat lapides, ut si quis extet, eum introrsum retrudat ; si quis nimis sit retrusus, foras educat. Ita et Superiores humiles educunt, superbos recondunt ; nimis amantes solitudinis, exercent in operibus Marthæ ; nimis amantes externam conversationem, addicunt cellæ et silentio.

Quinta. *Quinto*, lapis unus alteri calce conglutinatur, itaque se et socium, totamque fabricam firmat : sic et fidelis unus alteri charitate compaginatur, qua se et proximum, totamque Ecclesiam firmo et corroborat. Plures analogias recensui in fin Comment. *in Aggæum*.

Antistropha huic S. Petri sententiæ est illa Pauli, *Ephes.* II, 19 : « Ergo jam non estis hospites et advenæ, sed estis cives sanctorum et domestici Dei superædificati supra fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino : in quo et vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu. » Vide ibi dicta. Alludit S. Petrus, æque ac S. Paulus, ad *Isaiæ* LIV, 11 : « Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, et fundabo te in saphiris, et ponam jaspidem propugnacula tua, et portas tuas in lapides sculptos, et omnes terminos tuos in lapides desiderabiles, universos filios tuos doctos a Domino. » Et ad illud Christi : « Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, » *Matth.* XVI, 18.

DOMUS SPIRITUALIS. — S. Augustinus in *Psalm.* LXXXVI, et alii legunt, *in domum spiritualem, q. d.* Super Christum ædificamini ; ut sitis domus Dei, non materialis, lignea scilicet, vel lapidea ; sed mystica et spiritalis per fidem, spem, charitatem, religionem Dei et Christi. Porro hæc domus sive templum spirituale Dei, partim est universale, puta Ecclesia ; partim particulare et singulare, puta anima cujusque fidelis et sancti : de utroque hic accipi potest. Singuli enim fideles, quasi lapides vivi, coagmentant fabricam Ecclesiæ quasi unius domus et templi universalis : unde nonnulli, teste Beda, legunt, *sursum ædificamini in domum spiritualem*. Idem in hac fabrica Ecclesiæ quasi templi ampli, sunt quasi templa particularia, puta sacella et cameræ Dei, juxta illud I *Corinth.* III, 16 : « Nescitis quia templum Dei estis, et spiritus Dei habitat in vobis ? » et II *Corinth.* VI, 16 : « Vos enim estis templum Dei vivi, » etc. Unde S. Hieronymus in cap. XXVIII *Ezech.*, 3 ; Leo, serm. 3 *in Assumpt.*, et S. Ambrosius in cap. III et XII *Lucæ*, legunt, *domos spiritales*, in plurali, cum scilicet « libidinum volutabrum commutatur in Dei templum, diversoriumque vitiorum sacrarium incipit esse virtutum, » ait S. Ambrosius, ibid. cap. XII.

Hoc sensu et Syrus vertit, *estote templa spiritalia*. Sed prior sensus, ut scilicet « domus spiritualis » intelligatur Ecclesia, est congruentior, tum quia domus singularis est numeri, non pluralis : unam

ergo significat, non multas : unde et Græca in singulari habent οἶκος πνευματικός; tum quia S. Petrus fideles vocat lapides : lapides autem non sunt ipsa domus, sed partes ex quibus assurgit et conflatur domus; tum quia eadem phrasi S. Paulus, *Ephes.* II, 19, ait fideles ædificare unam domum, puta Ecclesiam.

Objiciunt hæretici : Ecclesia est domus Dei spiritalis; ergo non est visibilis, sed invisibilis. Respondeo negando consequentiam : domus spiritalis enim hic opponitur domui materiali, quæ ex lignis et lapidibus constat, non visibili. Id patet : nam homines Christianos vocat lapides conflantes hanc domum : homines autem Christiani sunt visibiles, non invisibiles. Rursum « spiritualis » vocatur, quia spirituali fide, religione et cultu colit Deum : ille autem spiritualis cultus, licet sit invisibilis, quatenus internus est, et in anima absconditus, idem tamen visibilis est, quatenus se prodit et videndum exhibet per externam fidei et cultus sui professionem, qua fideles in eadem Ecclesia, concione, Eucharistia, Sacramentis, precibus, etc., visibiliter communicant, suamque fidem et religionem manifestant.

SACERDOTIUM SANCTUM. — S. Hieronymus et Ambrosius locis jam citatis legunt, *in sacerdotium sanctum, q. d.* Super Christum ædificamini, ut sitis sacerdotium, non impurum, profanum et sacrilegum, quale est idololatrarum et hæreticorum; sed purum, sacrum et sanctum. Jam « sacerdotium » hic dupliciter accipi potest, *primo*, proprie. Ecclesia enim sicut est regnum quod regit, et in quo regnat Christus, sic est et sacerdotium, in quo, et per quod Christus sacrificat et sacrificia offert Deo Patri. Ecclesia enim per veros sacerdotes vera et propria offert sacrificia Deo; per singulos vero fideles offert sacrificia impropria et mystica laudum, precum et bonorum operum. *Secundo*, metonymice, idque dupliciter : *primo*, ut sacerdotium sit idem quod cœtus sacerdotum, quo modo cœtus clericorum vocatur clerus, quia ipse est sors, pars et hæreditas Domini. *Secundo*, ut abstractum more Hebræo ponatur pro concreto, « sacerdotium » pro sacerdotibus. Unde Syrus vertit, *estote sacerdotes sancti*. Sic rursum clerus vocantur clerici. Porro in Ecclesia proprii sacerdotes sunt Apostoli, et ab eis ordinati; improprii et mystici, sunt laici. Unde S. Ambrosius, lib. IV *De Sacrament.*, cap. I, « Unusquisque, inquit, ungitur (in Baptismo et Confirmatione) in sacerdotium, ungitur in regnum, » ut sit mysticus sacerdos, sicut mysticus est Rex. Unde subdit : « Sed spirituale regnum est, et sacerdotium spirituale. » Sic et Origenes, hom. 9 *in Levit.*, ait laicos fieri sacerdotes per sacramentum Confirmationis : in illo enim unguntur in fronte quasi athletæ, ut pro fide usque ad mortem decertent, et si opus sit, seipsos per martyrium Deo in sacrificium offerant.

Fidelis ergo laicus dicitur estque sacerdos, sed mysticus, *primo*, quia membrum est Ecclesiæ, quæ veros habet sacerdotes; et Christi, qui est summus Sacerdos : ita S. Didymus et S. Augustinus, lib. XX *De Civit.* X, et alii. *Secundo*, quia per veros sacerdotes eis assistendo, serviendo, alendo, cooperando, verum in Missa Deo offert sacrificium. *Tertio*, quia offert Deo vitulos labiorum, puta hostias laudis, pœnitentiæ, mortificationis, charitatis, aliarumque virtutum. Ita explicant S. Athanasius, hom. *De Semente*; S. Hilarius, in *Psalm.* CXVIII; Clemens Alexandrinus, orat. *ad Gentes*; S. Ambrosius, in *Psal.* CXVIII, octon. 6. Vide Origenem, hom. 9 *in Levit.* Hoc sensu S. Augustinus, lib. X *De Civit.* VI, ait : « Sacrificium verum (id est insigne, dignum, præstans et Deo gratum, non autem proprie dictum) est omne opus quod agitur, ut sancta societate inhæreatur Deo, relatum ad illum finem, quo beati esse possimus. » Unde S. Leo, serm. 3 *in die anniversario assumptionis suæ ad pontificatum* : « Omnes, inquit, in Christo regeneratos, crucis signum efficit reges : Sancti vero Spiritus unctio consecrat sacerdotes. » Et statim declarat, qua in re hoc regnum et sacerdotium consistat : « Quid enim, inquit, tam regium, quam subditum Deo animum, corporis sui esse rectorem? Et quid tam sacerdotale, quam vovere Domino conscientiam puram, et immaculatas pietatis hostias de altari cordis offerre? » *Quarto*, quia offert Deo passionem et mortem Christi, qui vivam in cruce se fecit victimam Deo, præsertim dum sumit S. Synaxin. Tunc enim reipsa repræsentat et annuntiat mortem Domini, ut ait Christus, *Lucæ* XXII, 19, et Paulus, I *Corinth.* XI, 16. *Quinto*, quia in cœlo seipsum totum ad perpetuam Dei laudem quasi in sacrificium offeret, *Apocal.* V, 10. *Sexto*, quia fideles sancti Deo sunt conjunctissimi, quasi ejus amici, domestici, filii et hæredes. Sic enim principes Davidi regi conjunctissimi, vocantur sacerdotes, II *Regum* VIII, ult.

Laicus fidelis est Sacerdos. Primo. Secundo. Tertio. Quarto. Quinto. Sexto.

Hæc tamen non probant laicos esse veros et proprie dictos sacerdotes, aut in Ecclesia non esse sacerdotes proprie dictos : hos enim habuit omnis respublica, omnis lex, omnis gens, uti efficaciter demonstrat Bellarminus, lib. I *De Missa*, II et XV. Vide et S. Basilium, lib. II *De Baptismo*, cap. VIII; imo idipsum ex hoc loco colligitur. Proprie enim loquitur S. Petrus, non de quovis fideli, sed de toto fidelium cœtu, sive Ecclesia, ut patet ex eo quod ait : « Vos genus electum, gens sancta, populus acquisitionis. » Loquitur ergo toti genti et populo fidelium : ille autem cœtus et populus verum habet sacerdotium verosque sacerdotes ad id deputatos, ut pro populo sacrificia proprie dicta Deo offerant, uti habuerunt et habent omnes aliæ gentes et populi; alioqui respublica christiana manca esset et mutila, longeque inferior aliis omnibus rebuspublicis, imo profana et laica. Deesset enim ei nobilissima dos et munus, quod rempublicam Deo conjungit et subordinat : tale enim est sacerdotium.

OFFERRE (ad offerendum, ut offeratis) SPIRITUALES HOSTIAS DEO, — in spirituali domo et templo, puta in Ecclesia. Τὸ *spirituales* partim opponitur carnalibus hostiis sacerdotum Aaronicorum : Christiani enim sacerdotes non offerunt hostias carnales eas mactando, excoriando, cremando, etc., sed hostiam mysticam, puta Eucharistiam, in qua Christi caro sub speciebus panis et vini absconditur, ac integra offertur, immolatur et sumitur; partim opponitur hostiis veris, ut « spirituales » idem sit quod impropriæ et figuratæ, quales offerunt fideles laici, uti jam dixi; de qualibus ait Paulus, *Rom.* XII, 1 : « Obsecro vos, fratres, etc., ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem; » et Lactantius, lib. VI *Instit.*, cap XXIV et XXV : « Quisquis inquit, omnibus præceptis cœlestibus obtemperat, hic est vere Dei cultor, cujus sacrificia sunt mansuetudo animi, et vita innocens, et actus boni : quæ omnia qui exhibet, toties sacrificat, quoties bonum aliquid et pium fecerit; » præsertim si id Deo in sacrificium mysticum offerat, eoque magis quo opus in se est difficilius, et majoris mortificationis, patientiæ, obedientiæ, martyrii, etc.

ACCEPTABILES DEO PER JESUM CHRISTUM. — Ipse enim est redemptor et mediator noster a Deo constitutus, per quem omnia nostra Patri offerre debemus, ut ei accepta, grata, meritoria et impetratoria sint. Quocirca Ecclesia omnes orationes terminat, dicendo : « Per Dominum nostrum Jesum Christum, » etc. Hoc est quod ait Apostolus, *Rom.* cap. V, vers. 2 : « Per ipsum habemus accessum per fidem. » Et ad *Hebr.* VII, 25, ait Christum semper Deo assistere, « ad interpellandum pro nobis. »

Vers. 6. 6. PROPTER QUOD CONTINET SCRIPTURA : — *Isaiæ* cap. XXVIII, vers. 16, ubi æque ac *Ephes.* II, 20, hunc versum explicui : quare ibi dicta hic non repetam.

Vers. 7. 7. VOBIS IGITUR HONOR CREDENTIBUS, — *q. d.* Vos, o credentes in Christum, non confundemini, sed honorabimini a Christo in die judicii, quando ab eo accipietis gloriam et coronam regni cœlestis, juxta illud *Psalm.* CXXXVIII, 17 : « Nimis honorificati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum. »

NON CREDENTIBUS. — Legit interpres ἀπιστοῦσι; jam legunt ἀπειθοῦσι, id est *inobedientibus*, qui scilicet noluerunt Christo obedire, sive ut in eum crederent, sive ut legi ejus parerent.

FACTUS EST IN CAPUT ANGULI. — Factus est lapis capitalis, angularis, primarius et fundamentalis domus Dei, puta Ecclesiæ.

Vers. 8. 8. ET LAPIS OFFENSIONIS ET PETRA SCANDALI. — Citat *Isaiæ* cap. VIII, vers. 14. Vide ibi dicta. Hoc est quod canit Simeon : « Positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel, » *Lucæ* II, 34.

HIS QUI OFFENDUNT VERBO. — Multi explicant, *q. d.* Qui peccant per verbum, puta verbis suis contradicendo et resistendo Christo, eumque blasphemando. Ita Hugo, Lyranus, Thomas Anglicus et Dionysius. Verum græce est προσκόπτουσι τῷ λόγῳ, id est, *qui impingunt in verbum*, qui scilicet ad verbum Evangelii offenduntur et scandalizantur. Unde Syrus vertit, *qui offendunt ad petram, eo quod non aquiescant sermoni.* Hinc explicans subdit Petrus : « Nec credunt in quo et positi sunt; » Judæis enim prædicatio Christi crucifixi erat scandalum, Gentibus stultitia, I *Corinth.* I, 23.

NEC CREDUNT IN QUO ET POSITI SUNT. — *Primo,* Beza ex hoc loco contendit, reprobos ante prævisionem operum et peccatorum a Deo positos, id est, destinatos esse ad inobedientiam et rebellionem, sicut electi a Deo solo ante prævisionem meritorum destinati sunt ad fidem, obedientiam et salutem. Additque : Hoc enim ait hic S. Petrus, scilicet eos positos esse, utique a Deo, ad hoc, ut non credant. Dices : Ergo crudelis est Deus. Respondet Beza : Imo misericors, qui vel unum salvet. Ad hæc, inter decretum Dei et decreti executionem intercedit causa damnationis, eorum scilicet improbitas, ita ut nullos nisi seipsos possint accusare. Hæc ille, sed impie et imperite : nam *primo,* si Deus destinat illos ad inobedientiam et rebellionem, ergo primus ipse peccati, puta inobedientiæ et rebellionis est auctor, quod est blasphemum. *Secundo,* ergo destinati ad hoc a Deo non peccant rebellando, tum quia parent ejus decreto et destinationi, tum quia illi, utpote divino et inevitabili, resistere nequeunt. Quis enim hominum resistere queat Deo? « Voluntati enim ejus quis resistit? » *Rom.* IX, 19. *Tertio,* si Deus decernit inobedientiam, ergo eamdem exequitur et operatur : decretum enim Dei est efficax, et quod decernit hoc efficit. Quare improbitas inobedientium non aliunde manabit, quam a Deo, Deique decreto, eique erit adscribenda, non ipsis hominibus improbis et inobedientibus, utpote qui ad inobedientiam a Deo efficaciter aguntur et impelluntur, imo determinantur, juxta Calvinum et Bezam, qui negant liberum hominis arbitrium, omniaque in homine censent fieri agique a Deo, quæ omnia sunt stolida, æque ac blasphema. Beza error.

Secundo, Catholici nonnulli sic explicant, *q. d.* Infideles positi, id est, destinati sunt ad non credendum a se, suaque voluntate et malitia, deinde a Deo positi sunt in ordine reproborum. Rursum et potius, infideles ob priora sua scelera merentur relinqui a Deo, excæcari et obdurari, ut non credant Evangelio, esto gratiam sufficientem eis non deneget : ita Didymus, Œcumenius, Gagneius, Salmeron et alii (1).

Tertio, Erasmus, Vatablus, Cajetanus et Titelmannus, sic explicant, *q. d.* « Nec credunt, » scilicet in fundamentum, vel lapidem angularem, in quo

(1) Ita et Allioli. Hæc igitur phrasis accipenda est ex usu vitæ communis, quo ea quæ permittente Deo fiunt, referuntur ad actionem affectionemque Dei.

positi et collocati fuerant, puta in Christum : judaismus enim et Synagoga tanquam vera Dei Ecclesia in Christo posita et fundata erat, ejusque meritis innitebatur.

Quarto et genuine, pro «in quo» græce est εἰς ὅ, id est, *in quod, ad quod,* scilicet ad credendum, sive ut credant Christo et Evangelio, *q. d.* Positi sunt ad credendum in Christum, nec tamen credunt, quia credere nolunt. Omnes enim homines, et maxime Judæi, positi, id est, creati sunt et ordinati per legem et Prophetas ad hoc, ut in Christum lege et Prophetis præsignatum credant. Ita Bed. et Lyranus. Deus enim creavit et ordinavit homines ad bonum, puta ad credendum ut salutem assequantur, non autem ad malum, puta ad non credendum et rebellandum, ut eant in gehennam. Hoc enim tyrannicum et plusquam tyrannicum est : nemo enim tyrannorum hoc fecit, aut facere voluit, vel potuit.

Vers. 9. 9. Vos autem. — Pronomen *vos, primo,* potest accipi collective, *q. d.* Vos, o fideles, in unum cœtum collecti, vos, o congregatio Christianorum, vos, o Ecclesia Christi, estis regale sacerdotium, gens sancta, etc. *Secundo,* distributive, *q. d.* Vos, o singuli fideles, estis genus electum, etc., quos scilicet Deus sibi elegit, et qui vicissim Deum elegistis, electioni et vocationi ejus consentiendo et cooperando, uti docet Moses, *Deuter.* XXVI, 17 et 18. Sicut ergo Deus olim Judæos, ita nunc Christianos elegit in suum populum et Ecclesiam, ac per eos toti mundo benedicit et benefacit. Unde pulchre S. Justinus, epistola *ad Diognetum,* docet Christianos esse in mundo quasi animam in corpore : «Sparsa est anima, inquit, per omnia corporis membra, et Christiani per omnes mundi urbes. Habitat quidem in corpore anima, non est tamen de corpore : et Christiani in mundo habitant, non sunt tamen e mundo. Inaspectabilis anima in corpore aspectabili tanquam in præsidio collocata est : et Christiani in mundo manere cognoscuntur, sed eorum pietas manet inaspectabilis. Odit oppugnatque animam caro nihil læsa, propterea quod frui voluptatibus prohibetur : odit et Christianos mundus nulla in re violatus, quia voluptatibus resistunt. Infensam sibi carnem et membra amat anima, et Christiani odio ipsos prosequentes amant. Anima corpore inclusa est, et ipsa corpus conservat : et Christiani continentur in mundo tanquam in custodia, et ipsi conservant mundum. Immortalis anima in mortali tabernaculo habitat; et Christiani caduca ut inquilini incolunt, immortalitatem in cœlis præstantes. Anima dum cibis et potionibus male tractatur, fit melior; et Christiani dum quotidie suppliciis mulctantur, magis multiplicantur. »

Fidelis in urbe est quasi anima in corpore.

Moraliter hinc docet S. Hilarius, in *Psal.* CXVIII, et Clemens Alexandrinus, orat. *ad Gentes,* Christianos debere fugere omnem umbram luxuriæ, superbiæ, etc., quia omnes sumus genus electum, imo reges et sacerdotes, in quibus eligendis summa adhibetur ratio et discretio.

Regale sacerdotium. — Citat *Exodi* XIX, 6, ubi Moses Synagogam Judæorum vocat «regnum sacerdotale, » vel, ut Hebr. est, *regnum sacerdotum* : simili enim modo Petrus et Septuaginta verba Mosis eleganter et prudenter invertens, vocat « regale sacerdotium. » Causam hujus inversionis dedi *Exodi* XXIX, 6, quia scilicet in Synagoga Judæorum regnum eminebat sacerdotio, in Ecclesia vero Christi sacerdotium eminet regno, et regnum refertur ad sacerdotium quasi temporale ad spirituale. Unde Syrus vertit, *vos estis sacerdotium ad regnum.* Ecclesia ergo est regnum Christi, non temporale, laicum et profanum, sed cœleste, sacerdotale et sacrum. Eadem, vice versa et potius, est Christi sacerdotium non legale, non gentilitium, non plebeium, sed regale, eximium, illustre, magnificum, cœleste et divinum : idque *primo,* quia primus ejus sacerdos et conditor, puta Christus, fuit summus Pontifex et Rex, imo Deus et Dei Filius. Unde ejus typus fuit Melchisedech rex et pontifex, ad quem hic alludit S. Petrus, *Hebr.* VII, 1. *Secundo,* quia victima ejus est regalis, eximia et divina, puta Christus, qui in ara crucis quasi regalem hostiam pro nobis obtulit se, atque indies in altari Eucharistiæ per sacerdotes se offert Deo, uti docet Concilium Tridentinum, *sess.* XXIII, cap. II. *Tertio,* quia modus offerendi est regalis, tum quia non mactando et laniando, uti faciebat Aaron et cæteri, sed sublimi et arcana operatione Spiritus Sancti consecrando et transsubstantiando panem in corpus Christi, peragitur; tum quia regali, liberali, munifico animo, plenoque amore et cultu, quasi regium donum regi Deo offertur : est ergo hoc βασιλικὸν δῶρον. Simili de causa S. Jacobus legem charitatis vocat regalem, ut dixi cap. II, vers. 8. *Quarto,* quia fructus ejus est regalis : nam peccata abolet, Deum placat, gratias et virtutes omnes conciliat, denique meretur et ducit ad regnum cœlorum, tamque sacerdotes quam fideles pro quibus offertur, reges cœli efficit. Meminerint ergo sacerdotes cum celebrant, se obire regale sacerdotium, illudque regali animo, amore et religione Deo offerant. Hoc est quod ait Paulus, *Hebr.* cap. IX, 11 : «Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, etc., neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa. » Hinc sacerdotes gestant in capite coronam, tum alias ob causas, tum ob regale sacerdotium novi Testamenti, quod omnium rerum est perfectio, cujus index est circulus et corona.

Ecclesia est regale sacerdotium.

Primo.

Secundo.

Tertio.

Secundo, non solum Ecclesia, sed et singuli fideles sunt sacerdotale regnum, et regale sacerdotium, sive, ut vertit Chaldaica, *Exodi* XIX, 6, *reges et sacerdotes.* Reges, tum quia regunt suos sensus, membra, potentias, passiones, iisque dominantur. Ita S. Gregorius, lib. XXVI *Moral.,* XXVI; tum quia familiares, imo filii sunt Jesu Christi,

Fideles sunt reges.

Regis regum, et Domini dominantium, qui in nobis regnat cum Patre et Spiritu Sancto, ait S. Ambrosius in *Apocal.* cap. I, vers. 6, et cap. V, vers. 10: unde aliqui exponunt, *sacerdotium regale*, id est, præstans et proprium regis Dei; tum quia vocati sunt ad regnum cœleste. Hinc baptizatorum capiti olim imponebatur corona, quasi reges essent ad Dei familiam et rerum omnium perfectionem evecti : perinde ac fascia, qua frontes fidelium chrismate unctæ in sacramento Confirmationis religantur, diadema regium repræsentat. Id ita esse diserte docet Severus Alexandrinus, lib. *De Baptismo* : « Elevant, inquit, baptizatos ad altare, eisque dant mysteria, Eucharistiam, et sertis eos coronat sacerdos. » Et paulo post : « Fratres mei, psallite hymnum Filio dominatoris omnium, qui regum corona vos coronavit, peroptate eam, immutate vestimenta vestra, et candidi estote in modum nivis, ac in similitudine angelorum splendores vestros illuminate. » Et in precatione : « Deus dignos vos efficiat cœlesti regno suo, ac pro hac dissolubili corona, coronet vos coronis justitiæ et operibus bonis. » Et S. Chrysostomus, hom. *ad Baptizat.* : « Mementote mei, ait, quando coronam solis radiis splendidiorem sentietis in capite. » Et Cyrillus Hierosolymitanus in sua *Procatech.* : « Jam, ait, spirituales colligitis flores ad plectendas cœlestes coronas, jam circa porticum regalis palatii fuistis : utinam vero et ab ipso rege introducamini ! » S. Gregorius Nazianzenus, *oratione* 23, invitans Heronem Philosophum ad cito suscipiendum baptisma : « Adesdum, ait, coronis nostris te devinciam, ac clara voce, non in media Olympia, nec in exiguo Græciæ theatro, sed coram Deo et angelis, atque universo Ecclesiæ cœtu, victorem proclamabo. » Idem, *orat.* 40 : « Baptismo consignare : hic tibi et vitam et verba moderetur, omnia membra, omnes animi motus, omnes sensus; honore eum complectere, ut te ornet, capitique tuo gratiarum coronam nectat, et corona deliciarum te protegat. » Porro solebat corona hæc ab Episcopo benedici. Benedictionis forma extat in Ritu baptismi Æthiopum apud Severum, lib. *De Baptismo*, estque hæc : « Domine Pater bone et sancte, qui coronasti Sanctos tuos corona quæ non corrumpitur, benedic eis, qui dignos nos fecisti, qui eas imponeremus capitibus famulorum tuorum, ut sint eis coronæ honoris et gloriæ, coronæ benedictionis et salutis. Amen. » Rursum hoc regnum et sacerdotium repræsentat unctio, qua fideles unguntur in Baptismo et Confirmatione. Audi Clementem, lib. III *Constit. Apost.*, cap. XV : « Episcopus, ait, in baptismo caput ejus unget, sicut prius ungebantur reges et sacerdotes; non quidem quod qui nunc baptizantur, etiam sacerdotes ordinentur; sed quod fiant a Christo Christiani, regale sacerdotium, gens sancta, Ecclesia Dei, columna et firmamentum præsentis luminis, qui aliquando non populus, nunc autem dilecti et electi, super quos invocatum est novum nomen ejus, ut testatur Isaias dicens : Et vocabunt populum novo ejus nomine, quo Dominus nominabit eum. » Idem significat Prudentius, cum ita canit in *Psychomacho* :

Hinc in baptismo coronantur.

> Post inscripta oleo frontis signacula, per quæ
> Unguentum regale datur, et chrisma perenne.

Pari modo fideles sunt sacerdotes, quia Dei cultui addicti, mysticas et metaphoricas laudum et virtutum hostias illi offerunt, uti dixi vers. 5. Perperam ergo hæretici hinc colligunt, omnes Christianos esse proprie sacerdotes : nam tales sunt sacerdotes, quales et reges (utrumque enim ait S. Petrus). Atqui reges sunt mystici et metaphorici, non veri et proprii. Ergo et tales sunt sacerdotes. Adde Judæos omnes, quibus primitus hos titulos regum et sacerdotum dedit Moses, *Exod.* XIX, 6, non fuisse veros sacerdotes (sed solos posteros Aaronis), ne quidem in Paschate : tunc enim soli primogeniti familiarum erant ex prisco jure sacerdotes, immolabantque agnum paschalem, quisque pro tota sua familia, uti dixi *Exod.* XII, 3. Ergo multo magis idem dicendum est de Christianis.

Et sacerdotes.

Alludit tam Petrus quam Moses ad priscam gentium consuetudinem, qua sacerdotium junctum erat regno, uti fuit in Machabæis qui simul fuerunt pontifices et principes. Primogeniti enim familiarum, earumdem erant sacerdotes, æque ac principes et reges, si illæ magnæ essent et amplæ. Vide Pinedam in cap. I *Job.* V, num. 18. Addunt *tertio*, Cajetanus, Catharinus et Salmeron, Christianorum sacerdotium esse regale, quia reges dirigit, iisque imperat; Pontifices enim esse reges spirituales, ac regibus præesse, quia eorum potestatem temporalem dirigunt ad finem spiritalem. Et hac ratione potestas laica subjici debet potestati sacerdotali. Itaque sacerdotale regnum Ecclesiæ imprimis cernitur in Episcopis et episcopatu. Hoc enim « sacerdotium summa est omnium bonorum quæ in hominibus consistunt, » ait S. Ignatius, epist. *ad Smyrnenses*. Idem, epist. *ad Philadelph.*, ait : « Cæsares ipsi episcopo pareant. » Fuse idipsum ostendit S. Chrysostomus, libris sex quos *De Sacerdotio* conscripsit. Maxime vero idipsum cernitur in Summo Pontifice et Pontificatu, cujus summa et amplissima quaquaversum est potestas, per totum orbem sese extendens, qua etiam regibus imperat (unde et reges se ei supplices prosternunt, suaque sceptra substernunt), ac reges Ecclesiæ rebelles regno privari potest, uti sæpe privavit. Hujus regni sacerdotalis insigne est cidaris, sive tiara, quam triplici corona redimitam capite gestat (unde vulgus *regnum* vocat); hæc enim significat regnum Christi plenum et summum, quod Pontifex quasi Christi vicarius administrat. Triplex ergo corona significat eum triplici dominatu, id est summa potestate, præditum. Rursum hac triade indicatur omnis potestatis consummatio, plenaque Ecclesiastici mu-

Triplex corona Pontificum cur?

neris perfectio, ut jure hic illud Prudentii περὶ στεφάνων exclamare liceat :

> O triplex honor! o triforme culmen!
> Quo nostri caput excitatur orbis,
> Orbis Christiani decus perenne.

Hæc est illa majestas, sublimitas, efficacitas triverticis, trini, inquam, illius et incomparabilis diadematis, de quo plura Carolus Paschalius, lib. X *De Coronis*, cap. XIV. Non ergo mirentur hæretici, si Pontifex regalem habeat purpuram, diadema, satellitium, opes, honorem, adorationem : habet enim regale sacerdotium. Hinc regalis illa Pontificum libertas et auctoritas, qua regum scelera imperterrite castigarunt. Regalis utique fuit S. Vigilii vox, cum a Justiniano Imperatore sollicitatus ad Eutychianam hæresim, intrepide ei in faciem restitit, dixitque : « Ego ad Justinianum Christianissimum Imperatorem venire optavi, sed Diocletianum inveni. » Similis fuit S. Martini ad Constantem Imperatorem Monothelitam, cum ab eo captus : « Potius, ait, sinam me discerpi in mille partes, quam tuæ hæresi vel in puncto subscribam. Dixit et fecit, nam in Chersonam relegatus frigore, fame et pædore consumptus gloriosum obiit martyrium. » Ita Acta ejusdem. Similis fuit S. Athanasii, qui *Apolog.* ad Constantium Imperatorem eum vocat Antiochum, Herodem, imo Antichristum. Porro in tanto fastigio servat Pontifex decus humilitatis, vocans se servum servorum, singulisque reipsa ubi opus est serviens, et commodis tam animæ, quam corporis cujusque consulens. Quare prodigii est instar illud : « Servus servorum, dominans dominis dominantium. »

Libertas Pontificum.

Denique Ecclesia sive cœtus fidelium (illi enim proprie hos titulos assignat Petrus) est regale sacerdotium, quia uti habet veros reges, ita habet et veros sacerdotes, et illis his conjuncti et subordinati sunt; et quia ipse est regnum Dei sacrum, in quo scilicet Deus per gratiam regnat, regnaturus deinde per gloriam, cum illam regni sui cœlestis participem et hæredem efficiet. Quamobrem ipsa in Evangeliis sæpe vocatur regnum Dei et regnum cœlorum. Unde S. Epiphanius, *hæresi* 29 : « Thronus David, ait, et regia sedes est sacerdotium in S. Ecclesia, quam dignitatem regiam simulque pontificiam conjunctim largitus est Dominus sanctæ Ecclesiæ suæ, translato in ipsam throno David non deficiente in æternum. »

Hinc colligant reges, quales debeat eorum esse regnum, scilicet non Ethnicum, non profanum, sed sacerdotale et sacrum, quod Ecclesiæ subserviat, et fideles dirigat ad salutem æternam. Rursum sacerdotes colligant, quale debeat esse eorum sacerdotium, scilicet non commune et plebeium, sed eximium et regale. Audi Decretum, distinct. XL, cap. fin., ex Auctore Imperfecti, hom. 43 *in Matth.* : « Multi sacerdotes, inquit, pauci sacerdotes; multi in nomine, et pauci in opere. Videte ergo, fratres, quomodo sedeatis super cathedram : quia non cathedra facit sacerdotem, sed sacerdos cathedram; non locus sanctificat hominem, sed homo locum. Non omnis sacerdos sanctus, sed omnis sanctus est sacerdos. Qui bene sederit super cathedram, honorem accipit cathedræ; qui male sederit, injuriam facit cathedræ. Ideoque malus sacerdos de sacerdotio suo crimen acquirit, non dignitatem : in judicio enim tuo sedes. Si quidem bene vixeris, et bene docueris, populum instruis; si bene docueris, et male vixeris, tui solius condemnator eris, etc., quia Deum instruis quomodo te debeat condemnare; » et distinct. XCIII, cap. *Sacerdotes*, ex S. Clemente : « Sacerdotes, inquit, docebat B. Petrus sal terræ, et mundi lumen : docens eos in splendore bonorum operum glorificare Deum Patrem. »

Moraliter, contemplentur hic fideles dignitatem suæ vocationis ad regnum et sacerdotium Christi, eique condigne vivant, omnia faciendo et ordinando ad gloriam Dei, ut ipsi soli placeant, ipsum colant, honorent, et toto orbe glorificent, itaque regnum Dei cœleste consequantur. « Omnes, ait S. Ambrosius, filii Ecclesiæ sacerdotes sunt : ungimur enim in sacerdotium sanctum, offerentes nosmetipsos Deo hostias spiritales. » S. Augustinus autem : « Immolamus, ait, hostiam jubilationis, hostiam lætitiæ, hostiam gratulationis, hostiam gratiarum actionis in sancta Ecclesia; » et alibi : « Sicut omnes Christianos dicimus propter mysticum chrisma, sic omnes sacerdotes, quoniam sunt membra unius sacerdotis. » Elegantissime vero Leo : « Omnes enim, inquit, in Christo regeneratos crucis signum efficit reges, Sancti vero Spiritus unctio consecrat sacerdotes, ut præter istam specialem nostri mysterii servitutem, universi spiritales et rationales Christiani agnoscant se regii generis, et sacerdotalis officii esse consortes. Quid enim tam regium, quam subditum Deo animum corporis sui esse rectorem? Et quid tam sacerdotale, quam vovere Domino conscientiam puram et immaculatas pietatis hostias de altari cordis offerre? » Simili modo ait Seneca, *epist.* 37 : « Si vis tibi omnia subjicere, subjice te rationi : multos reges, si ratio te rexerit. » Et Claudianus :

Moraliter de dignitate vitæ Christianæ.

> Si metuis, si prava cupis, si duceris ira,
> Servitii patiere jugum, tolerabis iniquas
> Interius leges : tunc omnia jure tenebis,
> Cum poteris rex esse tui.

Audi Origenem, hom. 9 *in Num.* : « Ego, ait, si renuntiem omnibus quæ possideo, et tollam crucem meam, et sequar Christum, holocaustum obtuli ad altare Dei; aut, si tradidero corpus meum ut ardeam, habens charitatem, et gloriam martyrii consequar, holocaustum meipsum obtuli ad altare Dei; si diligam fratres meos, ita ut animam meam ponam pro fratribus meis; si pro justitia, pro veritate usque ad mortem certavero, holocaustum obtuli ad altare Dei; si membra

mea ab omni concupiscentia carnis mortificavero, si mundus mihi crucifixus sit, et ego mundo, holocaustum obtuli ad altare Dei, et ipse meæ hostiæ sacerdos efficior : hoc ergo modo sacrificium geritur. »

Præ reliquis autem martyrium est regale sacerdotium, quia Martyr regali animo, ardenti charitate se suaque omnia, vitam et mortem Deo in holocaustum offert. Dicebat Heliogabalus, teste Lampridio et aliis in ejus Vita : « Imperatori et regi basilice, » id est regaliter, « esse moriendum, » æque ac vivendum. Dixit, at non fecit : Martyres et dicunt et faciunt. Rursum Religio est regale sacerdotium, quia in ea Religiosi se totos quasi victimas spontaneas, imo quasi holocausta, Deo offerunt. « Ipse homo Dei nomine consecratus ac devotus, in quantum mundo moritur ut Deo vivat, sacrificium est, » ait S. Augustinus, lib. X *De Civit.* cap. VI; et S. Gregorius, lib. IX *Moral.*, XXXI : « Nos quippe ipsos, inquit, sacrificium Deo offerimus, cum vitam nostram divino cultui dedicamus. » Idem, hom. 12 *in Ezechiel.* : « Qui, ait, sic operantur ea quæ Dei sunt, ut tamen et quædam quæ sunt sæculi non relinquant, nimirum sacrificium et non holocaustum offerunt. Qui autem cuncta quæ mundi sunt deserunt, et totam mentem igne divini amoris incendunt, hi nimirum omnipotenti Domino sacrificium et holocaustum fiunt. » Sic et D. Thomas, II II, *Quæst.* CLXXXVI, art. 7, docet Religiosos esse holocausta, quia omnia sua Deo tradunt, nimirum opes per votum paupertatis, corpus per votum castitatis, voluntatem et judicium per votum obedientiæ. Plura vide apud Hieronymum Platum, lib. II *De Bono status Religiosi*, cap. XV.

Ecclesia Sancta. Primo. GENS SANCTA. — *Primo,* quia uti Synagoga Judæorum olim, ita nunc Ecclesia Christianorum ex omnibus gentibus Deo est segregata, dicata et

Secundo. sanctificata. *Secundo,* quia plurimos habuit et habet Sanctos, Apostolos, Martyres, Confessores, Virgines. Sunt viri eruditi qui numerum Martyrum accurate ineunt, asseruntque facile esse undecim milliones, ita ut cuique diei per annum assignari queant triginta millia Martyrum, uti ostendam

Tertio. *Apoc.* VII, 9. *Tertio,* quia omnes ad sanctitatem vocati sunt, juxta illud *Hebr.* XII, 22 : « Accessistis ad Sion montem et civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem, et multorum millium angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis, et judicem omnium, Deum, et spiritus justorum, perfectorum, et Tes-

Quarto. tamenti novi mediatorem Jesum. » *Quarto,* quia sancta est Christianorum religio, fides, doctrina,

Quinto. Sacramenta, sacrificia. *Quinto,* quia ejus auctor Christus est Sanctus Sanctorum, *Daniel.* IX, 24,

Sexto. ejusque rector est Spiritus Sanctus. *Sexto,* quia nullibi nisi in Ecclesia invenitur vera sanctitas.

Septimo. *Septimo,* quia eorum lex, et vita legi conformis est sancta.

Audi S. Basilium in *Moralibus*, regula LXXX, cap. XXI : « Quid proprium, ait, Christiani? Fides quæ per charitatem operatur. Quid proprium ejus quæ in proximum est charitatis? utilitatem propriam non quærere, sed utilitatem ejus qui diligitur, cum animæ, tum corporis. Quid proprium Christiani? ut per baptismum denuo ex aqua et spiritu generetur, ut unus fiat spiritus cum Christo, ut quemadmodum Christus peccato semel mortuus est, ita etiam ipse mortuus sit, et ad omne peccatum immobilis, sicut scriptum est *Rom.* VI : Quicumque in Christum Jesum baptizati sumus, in mortem illius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, hoc scientes quod vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato. Quid proprium Christiani? mundari ab omni inquinamento carnis et spiritus, et perficere sanctitatem in timore Dei et charitate Christi, et nullam habere maculam, neque rugam. Quid proprium Christiani? providere Dominum in conspectu suo semper. Quid proprium Christiani? quotidie ac singulis horis vigilare, et assidue paratum esse ad eam perfectionem per quam placeat Deo, illud scientem, venturum esse Dominum hora illa qua non sperat. »

POPULUS ACQUISITIONIS, — id est, acquisitus. Syrus, *congregatio redempta,* quam scilicet Christus suo sanguine acquisivit, redemit et emit. Minus recte Vatablus et Erasmus vertunt, *qui Christo in lucrum accessit.* Esto enim id verum sit, tamen id præcise non significat περιποίησις, sed acquisitionem et emptionem, ex qua non tam Christo quam ipsismet emptis ingens lucrum gratiæ, gloriæ et hæreditatis cœlestis accessit. Hinc Paulus fideles ait positos in acquisitionem salutis per Christum, ipsosque vocat filios fidei in acquisitionem animæ, *Hebr.* X, 59, et I *Thessal.* V, 9. Christo tamen ex eadem accessit ingens gloria. Nam, ut ait S. Bernardus in *Sententiis* : « Hæc pars Christi quam tulit de manu Amorrhæi (qui amarum ac rebellem significat, puta diabolum) in gladio prædicationis et arcu incarnationis. » Idcirco Christus nos summe amat, quia caro ei constitimus : emit enim nos sanguine suo.

S. Augustinus, lib. I *De Peccat. mor.*, cap. XXVII, et S. Ambrosius *in Psal.* CXVIII, octon. 6, legunt, *populus in adoptione,* rem reddentes, non verba : περιποίησις enim non significat adoptionem, sed vindicias, sive vindicationem in libertatem, acquisitionem, possessionem, conservationem, salutem : περιποιεῖσθαι enim est asserere in libertatem, acquirere, servare; περιποίησις respondet Hebræo סְגֻלָּה *segulla*, id est, pars eximia, selecta et dilecta, uti est thesausus et gemmæ pretiosæ. Vide dicta *Exodi* XIX, 6. Sensus est, *q. d.* Christiani sunt populus peculiaris, hoc est possessio, peculium et cymelium Dei. Unde et Œcumenius acquisitionem interpretatur possessionem et hæreditatem. « Omnes *enim*, ait, κτίσμα, id est crea-

tura Dei sunt : κτῆμα vero, id est possessio, soli illi qui per bonam suam operationem dignati ea re fuerint. Propterea, inquit, electi fuistis, ut per obedientiam et bona opera vestra præcones virtutis ejus qui vos vocavit, dicamini. » Pulchre S. Augustinus, *De Verbis Domini secund. Lucam*, serm. 35, in fine : « Magna res, inquit, fratres : et hæreditas ipsius sumus, et hæreditas nostra est ; quia et colimus eum, et colit nos. Nulla est injuria illi quia colit nos. Quia si nos colimus illum ut Deum nostrum, ille colit nos ut agrum suum. Ego sum, inquit Christus, vitis, vos estis palmites, Pater meus agricola est, *Joan.* cap. XV. Ergo colit nos ; sed, si fructum reddamus, parat horreum. »

Hinc S. Basilius in *Moralibus*, regula 80, cap. I et sequent., docet fideles esse oves, palmites, sponsas, templa, victimas, filios Christi, ideoque debere ita vivere, ut sint lux mundi et sal terræ.

Christiani discipuli Christi. « Cujusmodi Christianos esse, inquit, ratio vult? *Primo*, tanquam discipulos Christi, qui ad ea se tantummodo conforment quæ videant in ipso, vel quæ audiant ab ipso. Tollite jugum meum super vos, et discite a me. Vos vocatis me magister et Domine, et bene dicitis, sum etenim. Si ergo ego lavi pedes vestros Dominus et magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis. »

Oves. *Secundo*, « tanquam oves Christi, qui solam audiant vocem Pastoris sui, et ipsum sequuntur. Oves meæ vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur me. Alienum autem non sequentur, sed fugient ab eo. »

Palmites. *Tertio*, « tanquam palmites Christi in ipso radicatos, et ipsi fructum ferentes, et omnia quæ illo digna sunt, et ipsius voluntati consentanea, facientes et habentes. Ego sum vitis et vos palmites. »

Membra. *Quarto*, « tanquam membra Christi in omni executione mandatorum Domini, aut donorum Spiritus Sancti absolute perfectos, ad dignitatem capitis ipsorum, qui est Christus. Nescitis quod corpora vestra membra sunt Christi? veritatem autem facientes in charitate crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem junctura subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate. »

Sponsa. *Quinto*, « tanquam sponsam Christi servantem castitatem, in eo quod in solis sponsi sui voluntatibus ambulet. Qui habet sponsam sponsus est : despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo. »

Templum. *Sexto*, « tanquam templum Dei sanctos ac mundos, et iis repletos solum quæ ad Dei cultum pertineant. Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. Vos enim estis templum Dei vivi ; sicut dicit Deus : Inhabitabo in illis, et ambulabo inter eos, et ero illorum Deus. »

Victima. *Septimo*, « tanquam victimam immaculatam, omnibusque suis membris et partibus absolutam, vere in Deum pietatis integritatem conservantes. Obsecro itaque vos, fratres, per miserationes Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. »

Filii. *Octavo*, « tanquam filios Dei formatos ad imaginem Dei, secundum mensuram quæ donata est hominibus. Filioli, adhuc modicum vobiscum sum, filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. »

Lux. *Nono*, « tanquam lucem in mundo : ut et ipsi videlicet puri sint ab omni vitio, et eos qui ad ipsos accedunt, illuminent ad agnitionem veritatis, ut vel tales fiant quales convenit, vel declarent quid sint. Vos estis lux mundi. Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo. »

Sal terræ. *Decimo*, « tanquam sal in terra : ut videlicet qui communionem cum ipsis habuerint, spiritu renoventur ad incorruptionem. Vos estis sal terræ. »

Virtutes Christi. Prima. UT VIRTUTES ANNUNTIETIS EJUS. — Quas virtutes ? *primo, q. d.* Ut vos quasi regales sacerdotes Christi narretis, prædicetis et celebretis immensam ejus in nos clementiam, sapientiam, patientiam, humilitatem, charitatem, justitiam cæterasque virtutes, quas in vita et morte pro nobis redimendis exhibuit Christus. Alludit ad Hebræos, qui transito mari Rubro Deo gratias agentes, celebrarunt ejus magnalia dicentes : « Cantemus Domino : gloriose enim magnificatus est, equum et ascensorem dejecit in mare, » *Exod.* XV, 1.

Secunda. *Secundo*, ἀρετή, id est *virtus*, significat industriam (unde ab ἀρετὴ deductum est nomen artis, ait ex Donato S. Augustinus, lib. IV *De Civit.*, XXI) : Christus enim magna industria assumpsit carnem passibilem, in eaque crucifixus est, ut diabolum falleret, et per lignum quo cecideramus, nos redimeret. Hinc canit Ecclesia in hymno Dominicæ Passionis : « De parentis protoplasti fraude Factor condolens, ipse lignum tunc notavit, damna ligni ut solveret. Hoc opus nostræ salutis ordo depoposcerat, multiformis proditoris ars ut artem falleret, et medelam ferret inde, hostis unde læserat. »

Tertia. *Tertio*, ἀρετὴ significat virtutem et fortitudinem bellicam ; deducitur enim ab ἄρης, id est *Mars*. Sic virtutes ; id est, heroica prælia et victoriæ Judæ et fratrum Machabæorum celebrantur in libris Machabæis. Christus enim ingenti fortitudine vicit diabolum, mundum, carnem, omnesque tyrannos et Gentes non ferro, sed ligno ; non feriendo, sed moriendo. Unde Petrus Damianus, serm. 10 *De Cœna Domini*, pro *virtutes* legit *virtutem* in singulari.

Quarto, virtus significat opus eximium et mag-

nificum, quod insignem parit laudem et decus : unde Syrus vertit תשבחתה *tesbechate*, id est, laudem et gloriam ejus. Sic vice versa *laus* sumitur pro virtute per metonymiam, qua effectus pro causa ponitur ; ut cum Poeta ait : « Sunt sua præmia laudi, » id est virtuti : virtutis enim individua comes est laus et gloria, nimirum,

Ardua per præceps gloria vadit iter.

Hinc Romani templum Honoris ædificarunt contiguum templo Virtutis, cujus vestigia etiamnum Romæ cernimus.

Quinta. *Quinto*, « virtutes » Christi accipi possunt non passive, sed active, quas scilicet ipse agit et operatur in nobis, scilicet miram, imo divinam humilitatem, charitatem, patientiam, castitatem, constantiam, etc., nobis aspirando, quæ longe superant virtutes omnium Pharisæorum et Judæorum, uti ostendit Christus *Matth.* v toto capite. Hæ enim nostræ virtutes mire commendant gloriam Christi, quia ab ipso nobis sunt inditæ. Alludit ad oraculum Davidis, *Psal.* XXI, vers. 32 : « Annuntiabitur Domino generatio ventura, et annuntiabunt cœli justitiam ejus populo qui nascetur, quem fecit Dominus. » Et illud *Isaiæ*, cap. XLIII, vers. 21 : « Populum istum formavi mihi ; laudem meam narrabis. » Huic expositioni favet id quod subdit S. Petrus.

QUI DE TENEBRIS (infidelitatis, ignorantiæ Dei et salutis, errorum et peccatorum) VOS VOCAVIT IN ADMIRABILE LUMEN SUUM, — fidei scilicet, cognitionis Dei, prudentiæ et virtutum : quibus verbis S. Petrus alludit ad *Isaiæ* IX, 2 : « Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam ; habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis ; » et cap. LX, vers. 1 : « Surge, illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est. Quia ecce tenebræ operient terram, et caligo populos : super te autem orietur Dominus, et gloria ejus in te videbitur. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui. »

Hac sententia tacite monet fideles S. Petrus, ut lumen hoc et solem justitiæ qui eis cœlitus affulsit, sequantur, in ejusque luce ambulent et vivant, juxta illud Pauli, *Ephes.* v, 8 : « Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino : ut filii lucis ambulate ; fructus enim lucis est in omni bonitate et justitia et veritate, probantes quid sit beneplacitum Deo. » Et *Rom.* XIII, 12 : « Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis. » Et *Philipp.* cap. II, 15 : « Ut sitis sine querela, et simplices filii Dei sine reprehensione in medio nationis pravæ et perversæ, inter quos lucetis (Syrus *spectamini*) sicut luminaria in mundo. »

Admirabile lumen Porro hoc lumen vocat « admirabile, » tum quia mira de Deo, de S. Trinitate, de Christo, de prædestinatione, de vocatione Gentium, etc., mysteria revelat et ostendit ; tum quia mira docet de virtutum officiis, de perfectione castitatis, patientiæ, charitatis, obedientiæ, religionis, contemptus mundi, aliarumque virtutum, ex quibus omnibus claresci gloria Christi ; tum quia Sancti per illud heroica et mira virtutum opera patrarunt, uti ostendit Paulus, *Hebr.* XI. Ita mirus fuit amor Christi in S. Petro, mirus amor crucis in S. Andrea, mira vis prædicandi in S. Paulo, mira puritas in S. Joanne, mira fortitudo in S. Stephano, mira constantia in S. Athanasio, mira pœnitentia in S. Magdalena, mira contemplatio in S. Antonio, mira religio in S. Basilio, mira humilitas in S. Francisco, mirus fervor in S. Dominico, mirus candor in S. Bernardo, mirus ardor in S. Laurentio, etc. Hæc omnia ostendunt et prædicant virtutes, et gloriam Christi : nam ab eo quasi capite et fonte dimanarunt in Sanctos : unde necesse est ea omnia longe perfectiora fuisse in Christo. Ut ergo metiaris virtutes Christi, metire et considera vitas et virtutes Sanctorum singulorum. Hæ enim a Christo quasi radii a sole profluxerunt. Idque patebit in die judicii, « cum venerit glorificari in Sanctis suis, et admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt, » ait S. Paulus, II *Thessal.* I, 10.

fidei, etc.?

Jam vero quantum hoc lumen et virtutes Christi, et ex eo Christianorum, superent omne lumen omnesque virtutes Philosophorum, præter alios pulchre docet S. Eucherius, epist. *ad Valerianum*, ubi multa Christi et Christianorum axiomata recenset, quæ Philosophis videntur paradoxa : « In illis namque eorum præceptis, inquit, vel adumbrata virtus, vel falsa sapientia : in his vero consummata justitia, solida virtus continetur, etc. Ibi (in schola et philosophia Christi) tibi istud insinuabitur : Si amas te, proximum dilige : quia nihil magis commodis tuis dabis, quam quod contuleris alienis. Ibi tibi præcipietur : Nullam esse causam tam dignam putes, qua tibi justa fiat mors hominis. Illic adversus illicita moneberis : Libidini resiste tanquam hosti acerbissimo, qui insultare victis etiam contumelia corporis gaudeat. Illic, ne concupiscas, istud edoceberis : Melius est nolle quæ non habeas, quam habere quæ velis. Illic, ne irascaris, hoc ingeretur : Qui provocatus irascitur, tunc solum non irascitur cum non provocatur. Ibi etiam de inimicis audies : Amato non amantem : quia amantem vix ullus non amat. Illic sæpius id tibi iterabitur : Thesaurum hic bene recondit, qui indigentibus dividit. Perdere enim jam non poterit, quod largiendo collocavit. Illic etiam feliciora suadeberis, cum dicetur : Fidelium conjugiorum fructus est continentia. Ibi tu discernenda cognosces, cum audies : Mala sæculi hujus justis injustisque communia sunt. Ibi tibi istud audiendum offeretur : Major ægritudo est languere animam vitiis, quam corpus morbis. Ibi tibi ad commendandam pacem istud pronuntiabitur : Impatientibus similitudo morum causa discordiæ.

Axiomata Christi Philosophis paradoxa.

Ibi, ne sequaris malos, istud audies : Prudentem et sapiens informat, et stultus : ille quid imitandum sit docet, iste quid vitandum. Illic et ista proferentur : Multa prosunt nescientibus : ideo non minor est Dei in operto quam in aperto benignitas. Illic admoneberis : Gratias Deo non magis in prosperis agas, quam in adversis; et cum prospera sint, te non meruisse fatearis. Illic tibi etiam remotiora patefient, cum ista prædicabuntur : Fatum non esse : interrogent gentes vel leges suas, quæ utique non puniunt nisi factorum voluntatem. Illic audies ad custodiendam puritatem, et ista præcipi : Si vis esse verax, non eris suspicax : non enim suspicamur, nisi quod nescimus. Et istud : Deo mente defixus, a passionibus cum titillatur, a cœlo in terram devolvitur. Illic tibi suggeretur : Etiam in secretis tuis, quod velis homines nescire, ne feceris; quod Deum, ne cogitaveris. Et illud contra fraudem : Infelicius est decipere quam decipi. Et istud contra jactantiam : Vanitatem tanto magis fuge, quanto melior efficeris : cætera enim vitia crescunt vitiis, vanitas virtutibus. » Ac tandem concludens ait : « Proinde omnia dicta factaque tua ad Deum, vel propter Deum dirige. Unus hic portus est, in quem nos ab omni fluctuantis sæculi jactatione referamur; hic statio fidelissima, et quies certa; hic blanda tranquillitas serenum renidet. Huc cum fueris delatus, tuto navis tua post inanes labores hic ad crucis anchoram fundata retinebitur. » Annon hæ virtutes, hæc Christi dictamina et lumina, hæc Christianæ legis dogmata sunt admirabilia et mundo paradoxa?

Vers. 10. 10. QUI ALIQUANDO NON POPULUS, NUNC AUTEM POPULUS DEI. — Citat *Oseæ* I, 6. Vide ibi dicta.

Vers. 11. 11. CHARISSIMI, — ἀγαπητοί, id est *diligibiles*, amabiles, digni dilectione, chari, dilecti. Hinc Agapetæ, id est charæ, olim vocabantur virgines et feminæ devotionis speciem præ se ferentes, quæ viris Ecclesiasticis, aut laicis in speciem spiritalibus adhærebant, cum iisque commorabantur, ut eis vel servirent, vel ab eis instruerentur; sed sub hoc pallio latebant sordes, et charitas fiebat carnalitas, « ut quæ venerat Penelope, abiret Helene; » quod de Lævina scribit Martialis, lib. I, *epigramm.* 63 : unde in eas et earum amasios præsertim Ecclesiasticos, acriter invehitur Nazianzenus, S. Hieronymus, S. Basilius, lib. *De Virg.*; S. Cyprianus, lib. *De Singularitate Clericorum*, et alii veteres passim.

OBSECRO, — παρακαλῶ, id est *hortor*, vel obsecro. Nota modestiam S. Petri summi Pontificis, dum subditis non præcipit, sed *obsecrat*. Hoc subinde imitandum Prælatis, ut docet S. Bonaventura, tract. *De Sex alis Seraphim*.

TANQUAM ADVENAS (S. Cyprianus, lib. I, *epist.* 5, legit *hospites*) ET PEREGRINOS. — Anima enim nostra cœlestis et a Deo creata venit in terram, et corpus hoc mortale, ibique est advena, indeque quasi peregrina tendit et cupit redire ad cœlum. Rursum Jerusalem cœlestis, cujus conscripti sumus cives, descendit de cœlo, ut inde fideles suos secum rapiat ascendens in cœlum, *Apoc.* XXI, 1. Insuper positi fuimus a Deo in paradiso quasi ejus inquilini, inde ob peccatum expulsi, exules et peregrini vagamur in terra. Ita S. Augustinus in *Psalm.* CXVIII, conc. 8, sub initium. Quocirca Christus ut nos ab hoc exilio revocaret in patriam paradisi, descendens in terram, natus est in diversorio, vixit in hospitio, mortuus est in patibulo. Quid est ergo Christianus? est instar Christi peregrinus terræ et civis cœli. Porro, « peregrini officium est, aiebat S. Franciscus, colligi sub alieno tecto, pacifice pertransire et anhelare ad patriam. » Unde S. Basilius in *Ascetic.* : « Oculos, ait, habeto ad terram dejectos, animum ad cœlum erectum. »

Christianus hic est peregrinus.

Prima dos peregrini.

Prima ergo conditio, dos et virtus peregrini est, ut sciat se esse peregrinum. Multi enim peregrini deliciis viarum inescati, iis inhærent et obliviscuntur patriæ, quia hospitium, imo stabulum pro domo et patria adamant, ait S. Gregorius : qui sane imprudenter agunt et stolide. Quot quantique mortales hic domos, prædia, hortos, palatia construunt; aurum, argentum et census sine fine coacervant; servos, equos, officia, beneficia accumulant, quasi hic perpetuo mansuri, iisque fruituri? Cogitantne illi se esse advenas et peregrinos? Vere vilem eorum sortem et mentem miserans Poeta exclamat : « O curvæ in terras animæ et cœlestium inanes? » Et Seneca, *epist.* 99, tales ridens : « Cæterum, ait, tam improbi sunt, tamque obliti quo eant, ut mirentur aliquid ipsos amittere, amissuri uno die omnia. Quidquid est cui dominus inscriberis, apud te est, tuum non est. Nihil firmum infirmo, nihil fragili æternum, invictum est. » Idem, lib. II *De Natur. Quæst.* cap. LIX : « Omnes, ait, reservamur ad mortem : totum hunc quem vides populum, quousque cogitas esse? Cito natura revocabit et condet, nec de re, sed de die quæritur : eodem citiusve tardiusve veniendum est. »

Brevius vero, clarius et acutius S. Augustinus, Quæst. XCI *in Levit.* : « Omnis homo, ait, advena est nascendo, quoniam compellitur migrare moriendo. »

Secunda. *Secundo*, peregrinus omnia quasi peregre videt, a se aliena et peregrina æstimat : unde eis cor non affigit, sed et obiter ea quasi ad se non pertinentia aspicit et pertransit. Ita et Christianus omnia in hoc mundo æstimat sibi peregrino esse aliena et peregrina. « Peregrini enim sumus coram te et advenæ, sicut omnes patres nostri : dies nostri quasi umbra super terram, et nulla est mora, » ait David I *Paralip.* XXIX, 15. Præclare S. Eucherius, epist. *ad Valerianum* : « Vera, ait, beatitudo est sæculi beatitudinem spernere, neglectisque terrenis ad divina flagrare. Abrumpatur illa interminabilis sæcularium negotiorum cura; nihil est magnum re, quod parvum est

tempore; nec longis dilatatur gaudiis, quidquid arcto fine concluditur. »

Tertia. *Tertio*, hospes una nocte versatus in hospitio abit, illudque aliis hospitibus venturis relinquit: ita facit et homo. Audi S. Augustinum serm. 32 *De Verb. Dom.* : « Unusquisque, ait, hic et in domo sua hospes est; si non est hospes, non inde transeat; si transiturus est, velit, nolit, hospes est. Nam dimittit illam filiis suis, hospes hospitibus: cessit tibi locum pater tuus, cessurus es locum filiis tuis: nec mansurus manes, nec mansurus relinquis. » Quocirca S. Gregorius Nazianzenus in Carm. *De hominis vilitate*, ita eam pingit:

Quæ vita hæc? tumulum a tumulo (a ventre matris) peto rursus, et ignis
Post tumulum rursus me tumulabit edax.
Idque ipsum est quod vivo velut rapidissimus amnis,
Qui sursum exoriens semper ad ima fluit, etc.
Ast ego complectar mansura in sæcula Christum,
Cum fuerint vitæ vincula rupta meæ.

Quarta. *Quarto*, S. Bernardus, serm. 7 *De Quadrag.*: Peregrinus, ait, recta pergit per viam, contentus victu ac vestitu, sine sarcinis supervacaneis; unum iter suum curat, non aliena negotia. Ita faciat et Christianus. Vere ait S. Augustinus, *De Consolat. mortuor.*, serm. 1: « Peregrinatio est omne quod vivimus. Nam sicut peregrini in sæculo sedes habemus incertas, laboramus, desudamus vias ambulantes difficiles, periculis plenas; undique insidiæ a corporalibus, a spiritualibus inimicis; ubique errorum calliculi sunt præparati. Et cum tantis periculis urgeamur, num solum ipsi non cupimus liberari, sed etiam liberatos tanquam pereuntes lugemus et plangimus. » Idem, *De Verbis Apost.* serm. 26: « Nos, ait, irridetis, quia speramus æterna, quæ cum venerint non transibunt, sed semper manent: nos autem ad illa veniemus, cum per viam Dominicam ista quæ transierunt transierimus. A vobis vero temporalia nec sperari aliquando desinunt, et tamen crebro sperata vos fallunt: nec cessant vos inflammare ventura, corrumpere venientia, torquere transeuntia. Nonne ipsa sunt quæ concupita inardescunt, adepta vilescunt, amissa vanescunt? Utimur eis et nos secundum peregrinationis nostræ necessitatem, sed non in eis gaudia nostra figimus, ne illis labentibus subruamur. Utimur autem hoc mundo tanquam non utentes, ut veniamus ad eum qui fecit hunc mundum, et in eo maneamus ejus æternitate perfruentes. »

Quinta. *Quinto*, peregrinus anhelat ad patriam. Idem faciat Christianus. Audi S. Cyprianum, tract. *De Mortal.* : « Patriam nostram paradisum computamus: magnus nos illic charorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum copiosa turba desiderat, jam de sua incolumitate secura, et adhuc de nostra salute sollicita. Quid igitur non properamus, ut patriam nostram videre, et parentes salutare possimus? Ad hos properemus, ut cum his cito esse, ut cito ad Christum venire contingat, optemus. » Et S. Augustinus in *Psalm.* CXLVIII : « Qui, ait, non gemit peregrinus, non gaudebit civis, quia desiderium non est in illo. » Idem, in *Psalm.* CXLV, initio : « Fideli homini, ait, et peregrino in sæculo nulla est jucundior recordatio, quam civitatis illius unde peregrinatur. Sed recordatio civitatis in peregrinatione non est sine dolore atque suspirio; spes tamen reditus nostri certe etiam peregrinando tristes consolatur et exhortatur. »

Sexta. *Sexto*, peregrinus fortiter et constanter fert labores itineris, æstus, frigora, famem, sitim omniaque viarum et hospitiorum incommoda. Ita Christianus fortiter ferat omnes hujus vitæ et peregrinationis ærumnas, cogitando illas esse breves et modicas, ac per eas perveniri ad quietem et gloriam cœlestem. Talis fuit Abel, primus mundi peregrinus, sed civis cœli, quem occidit Cain, primus mundi civis et cœli exul. Unde ab Abel cœpit civitas Dei, a Cain civitas mundi et diaboli, ait S. Augustinus, lib. XV *De Civit.*, 1 : « Prior, ait, est natus civis hujus sæculi (Cain), posterior autem isto peregrinus in sæculo (Abel) et pertinens ad civitatem Dei, gratia prædestinatus, gratia electus, gratia peregrinus deorsum, gratia civis sursum. » Idem, in *Psalm.* CXXXVII : « Vita ista, ait, parva tribulatio est : si non est tribulatio, non est peregrinatio. Si autem peregrinatio est, aut parum patriam diligis, aut sine dubio tribularis. Quis enim non tribuletur, non se esse cum eo quod desideret? »

Septima. *Septimo*, peregrinus decore, honeste et juste se gerit, nulli est injurius, caute se habet in omnibus, cavetque ne quod periculum incurrat, vel ad judices et tribunalia trahatur. Quocirca S. Paulus, cujus verba S. Petri antistropha sunt : « Apparuit, ait, gratia Dei et Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem et sæcularia desideria, sobrie, et juste, et pie vivamus in hoc sæculo, exspectantes beatam spem et adventum gloriæ magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. » Unde Poeta hominem Christianum quasi peregrinum ita pingit:

Beatus ille qui procul negotiis,
In Christo opes ponit suas :
A sæculo rebusque sæculi omnibus,
Ipsique mortuus sibi,
Uni Deo jam deditus, soli Deo,
Suoque vivit proximo;
Quidam quasi in terris obambulans Deus,
Et sanctus in carne angelus,
In regeneratione similis futurus Dei Filio,
Suaque mensura Deus.

Octava. *Octavo*, peregrinus homines quoslibet sive indigenas, sive obvios quos videt et audit, quasi peregrinos æstimat : cor ejus est in patria, mens cum parentibus, filiis et cognatis. Ita tia-

nus homines et feminas omnes hujus sæculi peregrinos æstimat, cor habet apud Deum, angelos et Sanctos. Unde S. Basilius, admonitione *ad filium spiritalem* : « Aviditate cœlesti anima flagrans, ait, Christi amori copulatur cum in terris agens de cœlestibus jugiter meditatur : calcat sæculi voluptates, nec ulla sæculi cura eam segregat ab amore Christi; sed ut figura (nota hoc) quædam inter homines versari videtur, et tota conversatio ejus in cœlis est. Mors illi præsens, tanquam vita ipsa est dulcis : cupit dissolvi et esse cum Christo, quem in carne vivens intra suum portaverit templum. » Idem, *Regul. fusius disp.*, interr. 5, quærit : « Quomodo cohibenda sit mentis ad futiles cogitationes evagatio? » ac re-
Nona. spondet : « Qui vere Deum sequi destinat, is a vinculis affectionum hujus vitæ solutus sit : id quod facile assequimur, si et a superioris vitæ nos consuetudine penitus abducimus, eamque oblivioni funditus mandamus. Nisi enim ab ea quæ ex sanguinis necessitudine nobiscum intercedit conjunctione, nos alienaverimus, et familiari congressu sæcularium, ac mentis habitu in alium veluti mundum commigraverimus, juxta illud Apostoli : Nostra conversatio in cœlis est; nullo modo scopum attingemus, Deo videlicet ut placeamus, cum præcise Dominus dixerit : Sic omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. » Addit deinde : « Hæc autem ubi præstiterimus, omni custodia custodiendum fuerit cor nostrum, neque patiendum, ut assidua de Deo cogitatio ex animis nostris elabatur, neve eorum quæ mirabiliter ab eo facta sunt, memoria contaminetur per futiles et evanidas cogitationes : contraque illud agendum assidue, ut ex assidua et purissima recordatione impressam in animis nostris piam de Deo cogitationem, velut indelebile aliquod signum circumferamus. Si quidem hæc est ratio per quam erga Deum acquiri charitas consuevit. » Hinc S. Bernardus, *De Modo bene vivendi*, VII : « Omnia, ait, quæ in hoc mundo sunt, servis Dei contraria sunt, ut dum ista adversa sentiunt, ad cœleste regnum cum summo desiderio suspirent. Magna
Nota. apud Deum refulget gratia, qui huic mundo contemptibilis est. Nam revera necesse est, ut quæ mundus odit, diligantur a Deo. Sancti viri peregrini sunt et hospites in sæculo : unde reprehenditur Petrus, quod tabernaculum in monte fieri voluerit; quia sanctis in hoc mundo tabernaculum non est, quibus in cœlo patria et domus est. Cuncta temporalia quasi herbæ marcentes siccantur et transeunt; sancti viri qui perfecte sæculum contemnunt, ita huic mundo moriuntur, ut soli Deo vivere delectentur. Et quanto se a conversatione hujus sæculi subtrahunt, tanto magis oculis mentis præsentiam Dei et angelicæ societatis frequentiam contemplantur. »

Nono, peregrinus parat et munit se ad iter per calceos, pallium et vestes ceratas, quæ pluviam arceant, baculum cui innitatur, etc. : ita fidelis contra omnes difficultates et tentationes se muniat solida humilitate, patientia, oratione, ac præsertim Christo, ejusque cruce et morte. Hinc agrum qui emptus est pretio sanguinis Christi in sepulturam peregrinorum, ita mystice interpretatur S. Augustinus, serm. 128 *De Tempore* : « Quibus, ait, non est in mundo possessio, his in Christo fit sepultura. Istos peregrinos quos esse dicimus, nisi devotissimos Christianos, qui renuntiantes sæculo, et nihil possidentes in mundo, in Christi sanguine requiescunt? Christianus enim qui mundum non possidet, hic totum possidet Salvatorem. Ideo autem peregrinis sepultura Christi promittitur, ut qui se a carnalibus viis tanquam peregrinum et alienum custodierit, is Christi requiem mereatur. Sepultura enim Christi quid est aliud nisi requies Christiani? Nos ergo peregrini in hoc mundo sumus, et tanquam hospites in hac luce versamur, sicut Apostolus ait : Etenim dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino : peregrini, inquam, sumus, et nobis Salvatoris empta est sepultura. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem. » Rursum peregrinus viaticum sibi parat ad iter necessarium : ita fidelis S. Eucharistia pro viatico utitur. Præclare S. Basilius, *De Leg. Gentil.* : « Ad futuri sæculi, inquit, cujus non est finis, possessionem, viaticum tibi para, » puta S. Sacramenta, virtutes et merita, ex quibus vivas in æternum.

Decimo, peregrinus ridetur ab indigenis, præsertim pueris, quasi barbarus ob novum habitum, loquelam, gestum; sed contemnit et pertransit, ac ridentes ipse pariter ridet. Ita et Christianus ridetur a mundo et mundanis; sed pariter eos ridet, aitque cum Apostolo : « Tanquam purgamenta hujus mundi æstimati sumus : omnium Decima.
peripsema usque adhuc, » I *Cor.* IV, 13; et illud : « Jam non estis hospites et advenæ, sed estis cives sanctorum et domestici Dei, » *Ephes.* II, 19; et illud I *Cor.* IV, 3 : « Mihi pro minimo est, ut a vobis judicer aut ab humano die. » Prima ergo « virtus Christiani est, contemnere et contemni, » ait S. Hieronymus.

Ita Sancti æstimarunt se peregrinos. Eorum exempla et gnomas recensui *Hebr.* XI, 13. Denique præclare S. Gregorius Nazianzenus, in *Præceptis ad Virgin.* :

> Quocirca, inquit, nec te præsentis commoda vitæ
> Immodice oblectent, nec rursus tristia frangant :
> Tristia quippe tibi, simul et jucunda necesse est
> Linquere cuncta brevi.
> Hospes es in misera peregrinus et incola terra;
> Post vero ad patriam divina potentia sedem
> Te vehet, in fragili postquam certaveris ævo :
> Præmia sunt porro longe majora labore.

Hæc est ergo vocatio Christiani, ut quasi peregrinus, cor avocet a cognatis, deliciis, opibus, totusque quasi a mundo abstractus ad cœlum contendat per aspera quæque, uti fecit S. Cæci-

lia, S. Agnes, S. Catharina, omnesque Martyres.

PEREGRINOS ABSTINERE A CARNALIBUS DESIDERIIS.— *Primo,* quia peregrinus iis abstinet; non enim se gravat et opplet cibo et potu, sed leviter et moderate eum sumit, ut sit expeditus et agilis ad iter. Peregrinis enim congruit illa Epicteti gnome: « Sustine et abstine. » *Secundo,* quia fidelis sibi peregrinam esse æstimat non tantum terram, sed multo magis carnalem concupiscentiam, quia concupiscit delicias spirituales et æternas. *Tertio,* quia concupiscentia carnalis ei non tantum est impedimento ad viam, sed et veneno ad vitam : occidit enim animam peregrinantis in cœlum truditque eam in tartara.

Porro *carnalia desideria* intellige non tantum gulæ et libidinis, sed et iræ, invidiæ, superbiæ, etc. Hæc enim omnia sunt opera carnis, id est, concupiscentiæ, quæ non tantum in carne, sed et in anima ac mente residet, uti docet Apostolus *Galat.* v, 19. Vide ibi dicta.

Exempla continentiæ.

Per *abstinere* ergo intellige continere et continentiam. Hæc enim omnem concupiscentiam domat et refrænat : atque hæc Gentilibus erat amori et venerationi, ideoque fideles continentes eis faciebat amabiles et admirabiles, longe magis quam suum Catonem, quem illi miris laudibus in cœlum evehebant, et tantum non ut numen colebant, dictitantes Catonem et continentiam ex eodem utero prognatos videri; aut Anarcharsin, qui suis imaginibus inscribi jussit : « Linguæ, ventri et Veneri temperandum; » quod lingua petulans causa sit gravium malorum, et luxu nihil turpius, et libido ex homine faciat pecudem : ita Laertius, lib. II, cap. IX; et Alexandrum Magnum, qui Darii filias in prælio captas videre noluit, dicens « turpe fore si qui viros vicerat, a mulieribus vinceretur; » et : « Indignum est ut, qui aliorum incontinentiam castigamus, ipsi incontinentiæ servire ab exteris deprehendamur : » ita S. Basilius, *De Legend.* lib. *Gentil.*, et Maximus, serm. 3; et Menedemum, qui dicenti : « Magnum est quæ concupiscas assequi : Multo majus est, ait, nihil eorum quæ non decent concupiscere : » ibidem; et Archidamum, qui promittenti vinum suavissimum : « Quorsum, ait, opus est? quia quo melius est, eo plus absumetur, et quæ fortes viros decent, ea reddet inutiliora. » Ita Plutarchus in *Lacon.*

Eminuerunt prisci Christiani in continentia. Nota est continentia S. Jacobi Alphæi, qui vino, carne, balneis, cæterisque deliciis abstinens, austeram egit vitam, uti fusius dixi in Prœmio Epistolæ ipsius. Similis fuit S. Petri, S. Pauli et cæterorum Apostolorum.

Joannes Eremita, qui Theodosio Imperatori victoriam de Eugenio tyranno prædixit et præstitit, tantæ fuit continentiæ, ut per 40 annos feminam non viderit, adeoque cum Tribuni uxor eum devotionis causa videre percuperet, eam non admiserit, sed per visionem absenti apparens ejus voto satisfecerit, admonens ne deinceps faciem corporalem servorum Dei aspicere desideraret, sed gesta eorum et actus per spiritum contemplaretur. Ita Ruffinus, Palladius et alii in ejus Vita.

S. Antonius abbati Pambo poscenti monitum salutis et perfectionis, hoc dedit : « Noli esse in tua justitia confidens, nec pœniteat te rei transactæ, ac continens esto linguæ tuæ et ventris. » Ita Vitæ Patrum, lib. V, cap. IV.

Eusebius, teste Theodoreto in *Philotheo,* cap. IV, ita continens fuit oculorum, ut ferreum collare cervici imposuerit, ut hoc pondere inclinatus, cogeretur assidue in terram despicere.

S. Arsenius mulieri quæ clam ad eum irrepserat, poscenti ejus preces, ut in iis sui recordaretur, respondit : « Oro Deum meum ut deleat tuam ex corde meo memoriam. » Ita Vitæ Patrum, lib. III, n. 65.

Celebris est gnome abbatis Pastoris ibidem lib. V, cap. IV *De Continentia,* n. 29 : « Nisi Nabuzardan archimagirus venisset, non concrematum esset templum Domini igne : ita et nisi quies, gula et venter venerit in animam, nequaquam mens corruit pugnans contra inimicum. »

Et n. 45, abbatis Hyperichii : « Sicut leo terribilis est onagris, sic monachus probatus cogitationibus concupiscentiæ. Jejunium frænum est adversus peccatum. Qui autem abjicit jejunium, velut equus fervens desiderio feminæ rapitur. Siccatum jejunio corpus animam de profundo elevat, et siccat fistulas delectationum. »

Et n. 60, celebratur continentia Religiosi, qui matrem jam senem per torrentem translaturus manus suas pallio involvit, ne eam contingeret. Rogatus a matre cur id faceret, respondit : « Quia corpus mulieris ignis est, et ex eo ipso quo te contingebam, veniebat mihi commemoratio aliarum feminarum in animo. »

Porro prudenter monet S. Gregorius, XXX *Mor.*, cap. XIV : « Sic, ait, necesse est ut artem quisque continentiæ teneat, quatenus non carnem, sed vitia occidat. Nam plerumque dum plus justo caro restringitur, etiam ab exercitatione boni operis enervatur, ut ad orationem quoque vel prædicationem non sufficiat, dum incentiva vitiorum in se funditus suffocare festinat. »

Plura de concupiscentia, continentia, voluptatum fuga, dixi *Jacobi* I, 14; *Jerem.* II, 24; *Daniel.* I, 17.

QUÆ MILITANT ADVERSUS ANIMAM. — Caro enim « concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem, » *Galat.* V, 17; unde : « Militia est vita hominis super terram, » ait Job, cap. XIV, vers. 4. Hanc militiam et luctam egregie in seipso depingit S. Augustinus, lib. VIII *Confess.*, VIII, et serm. 105 *De Temp.*, et lib. *De Conflictu virtutum et vitiorum,* ac S. Ephrem, lib. *De Armatura spirituali,* et S. Bernardus, tribus serm. *De Pugna spirituali,* et Prudentius in *Psychomachia,* ubi gra-

phice describit duellum humilitatis et superbiæ, patientiæ et impatientiæ, castitatis et libidinis, etc. Nervose Tertullianus, *ad Martyr.*, cap. III : « Stat, ait, conflictus et victoriæ suorum Agonothetes Deus vivus; Xystarches, Spiritus Sanctus; Epistates, Christus Jesus; corona, æternitatis; bravium, angelicæ in cœlis substantiæ politia; gloria, in sæcula sæculorum. » Et S. Hilarius in *Psal.* CXVIII, littera *nun* : « Aliæ, ait, sunt sæculi leges, alia Dei munera. Diabolus cum Deum tentare ausus est, suum esse sæculum gloriatur : Dominus verò mori nos sæculo jubet, ut vivamus ipsi. Cum Domino opum contemptus, opulentia est. Cum Domino terreni honoris despectus, cœlorum regnum est. Cum Domino humilitas cordis, generosæ et regiæ nativitatis ornatus est. »

Vers. 12. 12. CONVERSATIONEM VESTRAM INTER GENTES (Syrus, *coram omnibus filiis hominum*) HABENTES BONAM. — « Spectaculum enim facti sumus mundo, angelis et hominibus, » I *Cor.* IV, 9. Et : « Proximo famam, Deo debemus et providemus conscientiam, » ait S. Bernardus, serm. 71 *in Cant.* Notent hic Christiani se ita conversari debere, ut et fideles et infideles, ac hæreticos sua sancta conversatione ad Deum, fidem et sanctitatem traducant. Vis exempli major quam verbi. Major enim est vis exempli quam verbi, vitæ quam vocis, morum quam verborum. Quocirca S. Paulus coram Agrippa rege : « In hoc, inquit, et ipse studeo sine offendiculo conscientiam habere ad Deum, et ad homines semper, » *Actor.* XXIV, 16. Et Job, I, 1, laudatur quod inter infideles et impios fuerit vir simplex et rectus. Quin et Cicero apud *Lactant.*, lib. III, cap. XV et XVI : « Male, ait, mecum agitur, si me oratio magis quam vita purgat. » Et Aristippus rogatus quid in hoc orbe esset admirandum, respondit : « Vir probus et moderatus : quia licet inter multos impios degat, non tamen pervertitur. » Ita Stobæus, *serm.* 35. Præclare S. Chrysostomus, orat. *De S. Babyla* : « Convincunt, ait, magis opera virtutis, quam miracula; hæc namque vel ficte fieri possunt, vel si vere, etiam ab improbis per gratiam gratis datam. » Vide Lactantium, lib. III, cap. XV, ubi inter multa ait, eos qui docent et non faciunt, præceptis suis detrahere pondus, ac verbo veritatem, opere mendacium exhibere.

UT IN EO QUOD DETRECTANT (detrahunt, obtrectant, calumniantur) DE VOBIS TANQUAM DE MALEFACTORIBUS. — Dicebant enim Christianos esse contemptores principum, numinis et deorum, voluptuarios, usurpare promiscuos concubitus (quia id faciebant Gnostici hæretici, ex Christianis prognati), vesci carnibus humanis (scilicet carne Christi in Eucharistia, cujus rumorem inaudierant Gentiles, sed modum et mysterium non intellexerant), etc., adeo ut omnes orbis plagas et clades tribuerent impietati Christianorum, ideoque per trecentos annos eos atrocissime persecuti sunt omnes pene Imperatores usque ad Constantinum. « Si Tiberis, ait Tertullianus, *Apolog.* XL, ascendit in mœnia, si Nilus non ascendit in arva, si terra movet, si fames, si lues, statim Christianos ad leonem. » Quocirca pro innocentia Christianorum graves et doctas Apologias scripserunt S. Justinus, Athenagoras, Clemens Alexandrinus, Cyprianus, Tertullianus, Arnobius et alii.

EX BONIS OPERIBUS VOS CONSIDERANTES (ἐποπτεύοντες, id est introspicientes, plane et penitus inspicientes; Clemens Alexandrinus, II *Pædag.*, XI, *suspicientes*; Vatablus, *æstimantes*) GLORIFICENT DEUM. — Ita S. Blandina atrociter torta, ut Christianis objecta crimina jam dicta confiteretur, constanter et alacriter proclamando : « Christiana sum, et nihil apud nos mali geritur, » obstupefecit tortores. Eadem revocata ad tormenta, et in mortis confinio posita : « Multum, ait, erratis, o viri, quod putatis infantium visceribus vesci eos, qui ne multorum quidem animalium carnibus utuntur. » Et S. Diaconus de iisdem in tormentis interrogatus, nihil aliud respondit quam : « Aliud nihil sum quam Christianus. Hoc mihi nomen, hoc genus, hoc patria est. Cumque ei laminas candentes æris et ferri adhiberent, ita ut carnes ejus adustæ igni defluerent, ipse permanebat immobilis, inconcussus, intrepidus, cœlestibus æternisque fontibus, qui procedunt de ventre Jesu, humanas in se temperans flammas. Verumtamen membris omnibus martyr erat, et toto corpore unum vulnus hærebat. Perit in eo humanæ formæ agnitio, et non solum quis esset, sed et quid esset, tormentorum crudelitas, ne agnosci posset, abstulerat. Christus tamen in eo solus per martyrii gloriam recognoscebatur, qui per ejus patientiam destruebat adversarias potestates, et suos milites per tolerantiæ roborabat exemplum, ostendens omnibus quia nihil terribile est, ubi diligitur Pater; nihil doloris est, ubi fides Christi, » aiunt Lugdunenses Christiani apud Eusebium, lib. IV *Hist.*, cap. I, in epist. encyclica. Quocirca Plinius Secundus, Proconsul Asiæ, inquisitione facta de vita Christianorum, scripsit *ad Trajanum*, lib. X, epist. 97, nihil se in eis criminis deprehendisse, nisi quod hymnos antelucanos Christo canerent, rogans quid de eis fieri juberet : cui Trajanus rescripsit, inquirendos quidem non esse, oblatos vero puniri oportere. Unde exclamat Tertullianus, *Apolog.* II : « O sententiam necessitate confusam! negat inquirendos ut innocentes, et mandat puniendos ut nocentes. » Antonius vero Imperator, Trajani filius adoptivus et successor, in epist. quam recitat Eusebius, lib. III *Hist.*, XII, Christianos palam laudat et propugnat, aitque Gentiles suis tormentis magis confirmare eorum religionem : « Illis enim, ait, magis in optatis est, ut in crimen adducti mortem pro Deo suo oppetant, quam ut vita fruantur : unde vita ipsorum hoc pacto prodita multo majorem clarioremque reportant victoriam, quam si imperata quæ vos ab ipsis fieri postulatis, obirent. » Unde concludens decernit : « Quod si quispiam igitur cuiquam

Christianorum primorum sanctitas.

Christiano, quia Christianus sit, pergat molestiæ quidquam aut criminis inferre, ille cui crimen illatum fuerit, etiamsi reipsa Christianus deprehensus sit, absolvatur; qui autem illum accusaverit, justum debitumque supplicium subeat. »

Hac sanctitate Christianorum perspecta conversus est Justinus Philosophus et Martyr, ut ipse narrat, Dialog. *Contra Tryphonem*. Multi quoque judices et tortores conversi fuere, ut patet ex Vita S. Jacobi, Alexandri, Luciani, Tryphonis, aliorumque Martyrum. Eadem victus Porphyrius, licet juratus Christi hostis, scripsit librum *De Essæis*, in quo eorum mores angelicos describit et dilaudat. Tam potens est virtus, ut ab hostibus non tantum testimonium, sed et elogium, ac præconium extorqueat. Quamobrem Jacobus Laynez, primus a S. Ignatio Societatis Jesu Præpositus Generalis, et ex eo P. Canisius (teste P. Sacchino, lib. II *Vitæ ejus*) censebant « optimam rationem refutandi maledicta esse, illustrem recte factorum constantiam. »

Dies visitationis. Primo. IN DIE VISITATIONIS. — *Primo*, per *visitationem*, Œcumenius et Arias accipiunt vestigationem et inquisitionem, *q. d.* Ut cum Plinius, aliique Præsides et Gentiles de vobis inquirunt, vestraque visitant, videntes vestra omnia esse sancta, glorificent Deum. Unde Tertullianus, *Apolog.* cap. ult.: « Cruciate, ait, torquete, damnate, atterite nos: probatio est enim innocentiæ nostræ iniquitas vestra: exquisitior quæque iniquitas vestra illecebra est magis sectæ. Plures efficimur, quoties metimur a vobis. Semen est sanguis Christianorum. »

Secundo. *Secundo* alii, « visitationem, » græce ἐπισκοπήν, id est *inspectionem*, curam, correctionem accipiunt mysticam per illuminationem et gratiam, *q. d.* Ut Gentiles glorificent Deum, tunc quando Deus eos visitavit lumine gratiæ suæ, ut videant veritatem et sanctitatem Christi et Christianismi, eamque amplectantur, *q. d.* Vestra bona conversatio acer erit eis stimulus ad conversionem et fidem. Ita Glossa, Dionysius, Gagneius, Catharinus, Vatablus, Salmeron et alii.

Tertio. *Tertio*, Hugo et Thomas Anglicus accipiunt de visitatione, qua Deus visitat et flagellat fideles, ut ex eorum patientia extorqueat laudem ab infidelibus eis detrahentibus : quo fideles monet S. Petrus, ut cum persecutionem aliamve quamvis tribulationem patiuntur, sciant eam non casu accidere, nec tam ab hominibus, quam a Deo proficisci, ad purgandam, explorandam et perficiendam eorum virtutem. Hac enim de causa instituuntur visitatores et visitationes in Ecclesiis et monasteriis.

Quarto. *Quarto*, Beda per *diem visitationis* accipit diem judicii. Tunc enim improbi, præsertim judices et persecutores, videntes gloriam Martyrum et Sanctorum, Deum glorificabunt, dicentes : « Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, etc. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter Sanctos sors illorum est. » *Sap.* V.

Verum hæc tarda nimis et sera, ac alterius sæculi est visitatio : ideoque invita infidelium glorificatio. Quare secundus et tertius sensus magis genuini sunt.

13. SUBJECTI IGITUR ESTOTE. — Vox *igitur* hanc quasi conclusionem educit ex iis quæ dixit de bona conversatione, *q. d.* Jussi vobis bonam conversationem, ergo pariter jubeo subjectionem et obedientiam : in hac enim illa vel maxime consistit et cernitur, præsertim primo illo Ecclesiæ et S. Petri ævo. Male enim audiebat apud nonnullos Christiana religio, quasi doceret Christianos utpote Christi filios, et designatos hæredes regni cœlorum, non debere subjici principibus, præsertim Ethnicis et infidelibus, inquit Œcumenius. Accedebat, quod primi Christiani origine erant Judæi, qui sub hoc tempus rebellare cœperunt Romanis, imo Apostoli erant Galilæi : tunc autem orta fuit secta Galilæorum a Juda Galilæo, qui docebat Judæos, utpote populum Dei, liberos esse debere a vectigalibus, nec subjicere se Imperatori Romano, utpote Gentili et infideli. Quocirca hujus erroris insimulati sunt Apostoli et Christiani, ideoque studiose contrarium scribunt et jubent, uti dixi *Act.* V, 37. Sic etiamnum Anabaptistæ ex adverso dicunt, omnes Christianos esse pares, et liberos, ac proinde unum Christianum alteri non debere dominari, ac consequenter nullos inter eos debere esse magistratus, nulla tribunalia, nulla judicia, nullum jus plectendi sontes. Contra hos omnes scribit Paulus, cap. XIII *ad Roman.*, ubi multis rationibus ostendit Christianos debere non tantum in foro externo, sed et interno, puta in conscientia, obedire suis magistratibus. Illas ibidem ordine recensui. Vere S. Basilius, serm. *De abdicatione rerum* : « Animi, inquit, in virtute progressus, in humilitate progressus est, contraque in postremis relinqui, non aliunde, quam ex elatione progignitur. Pietatis enim cognitio, humilitatis et mansuetudinis cognitio est, quando se animo scire submittere, Christum est scire imitari; contra autem arrogantia efferri, est diabolo se similem facere. »

Vers. 13.

OMNI HUMANÆ CREATURÆ. — *Primo*, Syrus vertit, *omnibus filiis hominum*, quasi Petrus velit Christianos summe esse humiles, ita ut se cuivis homini substernant. *Primus* enim gradus humilitatis est, subjicere se superiori; *secundus*, æquali; *tertius*, inferiori, juxta illud Pauli *Galat.* V, 13 : « Per charitatem spiritus servite invicem; » et *Philipp.* cap. II, vers. 3 : « In humilitate superiores sibi invicem arbitrantes. » Ita Dionysius Carthusianus. Verum hoc consilii est et perfectionis, non præcepti.

Secundo et genuine, « omnem humanam creaturam » vocat Petrus omnem hominem, scilicet superiorem, cui subjectio debetur. Dicit *omnem*, ne quis infideles et impios excipiat, *q. d.* Qualis qualis sit, etiamsi infidelis, impius, imprudens, raptor, etc., si superior est; hoc solo nomine ei

subjecti estote. « Creaturam ergo humanam » vocat principes et magistratus ab hominibus creatos, puta reges et duces, uti explicans subdit. Ita Œcumenius. Græcum enim κτίσις, id est *creatura*, ponitur pro τάξει καὶ πολιτείᾳ, id est pro ordinatione, politia et civilis gubernationis dispositione. Sic Latinum *creare* subinde capitur pro ordinare; et creatura vel creatio pro ordinatione, gubernatione, potestate, puta pro magistratu potestate prædito. Sic dicimus creari Pontificem, Cardinales, reges, principes, consules, cum scilicet per suffragia tales eliguntur et constituuntur : imo Cardinales vocantur creaturæ Pontificis, quia ab eo creantur principes Ecclesiæ. Sicut enim in creatione Deus ex non esse facit rem esse pulchram et magnam : ita principes, præsertim qui ex imo ad summum, puta e plebe ad principatum, evehuntur, recte dicuntur creari; quia ingens novum esse morale accipiunt, quod eos facit spectabiles et illustres apud homines. Porro hi dicuntur « humana creatura, » vel quia creati ab hominibus, vel potius quia ipsi sunt humanæ creaturæ, id est homines creati principes a Deo; sunt ergo creaturæ Dei, quia ex hominibus ad hanc dignitatem a Deo electi et evecti sunt, et quia præ cæteris ipsi sunt viva imago creatoris Dei, in quibus scilicet Deus suam majestatem, jus et imperium repræsentat.

Loquitur directe S. Petrus de principibus civilibus, iisque jubet subjici fideles, ne per Christum se ab eorum dominio exemptos putent; argumento tamen a pari vel minori, idem de principibus Ecclesiasticis, puta Episcopis et Prælatis, scilicet iis subjici debere laicos quoslibet in rebus spiritualibus, ex hoc loco concludit S. Basilius, *Const. monast.* cap. XXIII; imo Christus *Matth.* XIX, 40 : « Qui vos audit, inquit, me audit; qui vos spernit, me spernit. » Et S. Paulus, *Heb.* XIII, 17 : « Obedite Præpositis vestris, et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes. » Et S. Pauli discipulus S. Ignatius, epist. 9 *ad Philadelph.* : « Principes, ait, obediant Cæsari, milites principibus, Diaconi Presbyteris sacrorum præfectis : Presbyteri, Diaconi et reliquus Clerus una cum populo universo, militibus, principibus, et Cæsare » (alii legunt, *sed et Cæsares*), « ipsi Episcopo pareant, Episcopus Christo, ut Christus Patri obedivit, et hac ratione per omnia conservabitur unitas. » Idem, epist. *ad Smyrnenses* : « Honora, inquit, fili, Deum et regem. Ego autem dico : Honorate quidem Deum ut auctorem omnium et dominum, Episcopum autem tanquam principem sacerdotum imaginem Dei ferentem : principatum quidem secundum Deum : sacerdotium vero secundum Christum : et post hunc honorare opertet etiam regem. Nemo enim potior est Deo, neque similis ei, neque Episcopo honorabilior in Ecclesia sacerdotium Dei gerente pro salute mundi, etc.; sacerdotium enim summa est omnium honorum, quæ in hominibus consistunt. »

Quocirca apposite S. Bernardus, epist. 183 *ad Conradum Imperatorem* : « Legi, ait : Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; quam sententiam cupio vos custodire in exhibenda reverentia Petri vicario, sicut ipsam vobis vultis ab universo servari Imperio. » Et Innocentius III Pontifex, cap. *Solitæ*, De major. et obedient., Imperatorem Constantinopolitanum, qui ex hisce Petri verbis mandabat Patriarchæ Constantinopolitano sedere ad pedes suos, confutat, dicens : « Sequeretur quod etiam servus quilibet in sacerdotes imperium accepisset, cum dicatur, omni humanæ creaturæ. » Aptius quis inferat, principes debere subesse Episcopis in rebus Ecclesiasticis, quia Episcopi sunt creaturæ Dei, id est Prælati a Deo dati toti Ecclesiæ, non solum plebeiis, sed et principibus. Sunt enim Episcopi tam regum, quam plebeiorum. Vide Bellarminum, toto lib. III *De Laicis*.

Politice hic disce, signum et effectum veræ fidei esse humilitatem, subjectionem, obedientiam subditorum erga magistratus; infidelitatis vero et hæresis effectum esse superbiam, inobedientiam, rebellionem, uti vidimus et videmus factitari a Lutheranis, et magis a Calvinistis in Scotia, Anglia, Germania, etc. Sane Lutherus horum omnium parens sua rebellione et hæresi per suos discipulos centum millia rusticorum armavit contra principes, bellumque rusticanum excitavit, quod tantas Germaniæ clades edidit. Hæreticorum enim axioma, imo primum principium est; suam sectam et hæresim omnibus modis et artibus, ac præsertim armis, tuendam et propagandam esse, ac consequenter principi orthodoxo, si obsistat, omnibus viribus obsistendum. Ex adverso Catholici per primos trecentos annos obediverunt Imperatoribus Ethnicis, etiam persecutoribus, in omnibus, excepta fide et religione; nec quisquam necem aut rebellionem contra eos machinatus est fidei prætextu, etiamsi sæpe id facere potuissent si voluissent. Sane potuisset tota legio Thebæorum fortissima, duce S. Mauritio, Maximiano resistere, armisque fidem et vitam tueri, aut certe non inulta occumbere; sed noluit, totaque positis armis, genibus nixa fidei causa obtruncari se permisit. Pluribus idipsum demonstrat Thomas Bozius in *Signis Ecclesiæ*, signo 53 et 90.

Obedientia est tessera fidei.

Id etiamnum experiuntur et sentiunt multi principes Ethnici apud Indos, Japones et Sinas, qui Christianos et Christianam religionem amant et fovent, eo quod videant Christianos magis sibi obedire quam Ethnicos. Sane ante annos triginta cum degerem Lovanii, Alexander Farnesius, dux Parmensis, Belgii gubernator, qui, invicta sua fortitudine et prudentia, longe majorem Belgii partem ad regis sui Philippi II obedientiam revocavit, cum rex juberet in urbibus a se captis arces exstrui, quæ cives in officio continerent, ne quis rebellionem novam ordiretur, rescripsit

Regi Alexandr, arces munitissimas et securissimas fore Collegia Societatis nostræ. Illa ergo loco arcium curaret in urbibus majoribus et periculosioribus exstrui. Rationem dabat : Religiosi Societatis per scholas, conciones et alia ministeria docebunt cives, eisque instillabunt veram fidem, obedientiam et amorem, quem debent non tantum Deo, sed et suo principi, quem Deus eis præfecit, suumque vicarium constituit, ut eum quasi talem colant et ament. Validior autem obedientiæ et principatus custos est amor, quam timor, qui cum sit violentus, diu durare nequit, sed data occasione erumpit, jugumque excutit, et arces sibi impositas (quas Græci dicebant esse *tyrannorum nidos*) evertit. Persuasit hæc ratio Regi, qui consilium Ducis secutus, mandavit ei ut locis opportunis Collegia Societatis fundaret; quod ipse accurate præstitit, magno et Belgarum et Regis bono.

Orthodoxa ergo fides est columen reipublicæ æque ac Ecclesiæ, cujus pestis est infidelitas et hæresis. Columen enim reipublicæ est obedientia civium, quam præstat fides, negat hæresis. Unde Solon legislator Atheniensium rogatus, «qua ratione consistere possit civitas?» respondit: «Si cives obtemperent suis magistratibus; magistratus autem legibus. » Ita Stobæus, *serm.* 41. Laconum eruditio erat « parere magistratibus, patientem esse laborum, et in prælio vincere aut mori,» ait Plutarchus in *Lacon.* Scipio cum in Africa bellum gereret, ostendit milites suos et turrim excelsam in mari, aitque : «Nullus horum est, qui non conscensa turri semet in mare præcipitaturus sit, si ego jussero. » Ita Plutarchus in *Scipione.*

Propter Deum quid ? Resp. Primo.

PROPTER DEUM. — *Primo,* quia Deus sanxit magistratus jussitque eis obediri. « Non est enim potestas nisi a Deo; quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt, » *Rom.* XIII, 1. Unde hanc causam illico subdit S. Petrus, dicens : « Quia sic est voluntas Dei. » Hac de causa Numa, Lycurgus et alii legislatores finxerunt se cum diis colloqui, ab iisque leges accipere, ut iis auctoritatem adderent, teste Platone in *Minoe.* Legislatores autem fidelium, ut Christus, Moses, Petrus et Paulus cum Deo et Christo collocuti sunt, ab eoque suas leges acceperunt.

Secundo, quia rex et princeps est viva Dei in terris imago, estque quasi vicarius Dei, imo Deus quidam terrestris. Quocirca qui eum violat, Deum violat. « Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt, » ait Paulus *Rom.* XIII, 2. Hinc Plutarchus in *Themistocle* regem vocat εἰκόνα ἔμψυχον Θεοῦ πάντα σώζοντος, id est, *imaginem vivam Dei cuncta servantis.*

Tertio,

Tertio, quia Deus singulos reges et principes vel per se, ut Saulem, Davidem, vel per suos constituit, juxta illud *Prov.* VIII, 15 : « Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt. » Unde Tertullianus *ad Scapulam,* cap. II : « Christianus, ait, nullius est hostis, nedum Imperatoris, quem sciens a Deo suo constitui, necesse est ut et ipsum diligat, et revereatur, et honoret, et salvum velit cum toto Romano Imperio quousque sæculum stabit : tamdiu enim stabit. »

Quarto, Didymus et Œcumenius : « propter Deum, » inquiunt, id est, eo modo quo Deus præcipit; nimirum ut eis obediatur, quando nihil contra Deum Deique legem præcipiunt : si enim id faciant, dicendum est cum S. Petro : « Obedire oportet Deo magis quam hominibus, » *Act.* IV, 19; et cum Machabæo : « Non obedio præcepto regis, sed præcepto legis, » II *Machab.* VII, 30. Nam et rex ipse Deo subditus est, ejusque legi parere debet : « Reges in ipsos imperium est Jovis, » ait Horatius, lib. III, *ode* I. Hoc est quod sanxit Christus : « Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo, » *Matth.* XIII, 7. Ubi S. Chrysostomus, homil. 71 *in Matth.* : « Tu, ait, cum audis reddenda esse Cæsari quæ sua sunt, illa solum dici non dubita, quæ pietati ac religioni nihil officiunt : nam quod fidei aut virtuti obest, non Cæsaris, sed diaboli tributum ac vectigal est. » Quarto.

Quinto, « propter Deum, » id est, ex Dei amore et reverentia subjecti estote magistratibus, *q. d.* Obedite iis non quasi coacti metu gladii et vindictæ ipsorum, sed propter Deum, id est sponte et liberaliter ex Dei amore, ne scilicet eum offendatis (quod Paulus ait « propter conscientiam, » *Rom.* XIII, 5), sed eum in suis vicariis honeretis et revereamini. Hoc est quod servis (et cuilibet subdito) præcipit Paulus *Ephes.* VI, 7, dicens : « Servi, obedite dominis carnalibus cum timore et tremore in simplicitate cordis vestri, sicut Christo, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate servientes sicut Domino, et non hominibus, scientes quoniam unusquisque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino. » Quinto.

Sexto, « propter Deum, » ut scilicet Gentiles videntes vestram obedientiam Deum vestrum glorificent, ut dixit vers. 12, ac ad Dei fidem et cultum alliciantur. Ita Iberos Hispaniæ populos obedientia, patientia, devotione et virtute captivæ cujusdam Christianæ ad Christum esse conversos, fuse narrat Eusebius, lib. X, cap. X, et Ruffinus, lib. I *Hist.*, cap. X. Sexto.

Septimo, « propter Deum, » ut reges et principes meminerint se Deo esse subditos, ac propter ipsum imperare et præcipere. Sapienter S. Fulgentius, lib. *De Prædestinat. et Gratia Christi* : « Clementissimus Imperator, ait, non ideo est vas præparatum in gloriam, quia apicem terreni principatus accepit, sed in imperiali culmine recta fide vivat, et vera cordis humilitate præditus, culmen regiæ dignitatis sanctæ religioni subjiciat, etc., si præ omnibus ita se sanctæ matris Ecclesiæ Catholicæ meminerit filium, ut ejus paci atque tranquillitati per universum mundum prodesse suum faciat principatum. » Talis fuit Con- Septimo.

stantinus, Theodosius, Carolus Magnus, S. Ludovicus in Gallia, S. Stephanus in Hungaria, S. Leopoldus in Austria, S. Wenceslaus in Bohemia, S. Hermenigildus in Hispania, S. Henricus in Germania, S. Casimirus in Polonia, qui impense Ecclesiam et Pontificem Romanum coluerunt ac propugnarunt, ejusque filii esse et nominari ambierunt, ac id ipsum filiis suis testamento reliquerunt.

SIVE REGI QUASI PRÆCELLENTI. — Syrus, *regibus propter imperium ipsorum.* Præcellentia ergo regis est ejus imperium et potestas regia : quare sub rege accipe Imperatorem, qualis tunc erat Romæ, duces et principes absolutos, qui nulli subsunt (1). Rex enim dignitate et potestate subditis longe præcellit, iisdemque sapientia, beneficentia et virtute præcellere debet. Ipse enim est quasi sol in regno, uti multis analogiis ostendi *Isaiæ* cap. XLV, vers. 1. Id animadvertit Athalaricus, Gothorum rex, qui apud Cassiodorum, lib. VIII, *epist.* 24, ita loquitur : « Tanto divinitati plura debemus, quanto a cæteris mortalibus majora suscepimus; nam quid simile rependat Deo, qui potitur imperio? Sed licet pro tanto munere nihil compensari possit idonee, ipsi tamen gratia redditur, dum in servientibus honoratur. »

Vers. 14. 14. SIVE DUCIBUS. — Tigurina, *sive præsidibus*; Syrus, *judicibus.* Græce enim ἡγεμόνες vocantur præfecti, præsides cæterique magistratus, qui a majori pendent, ejusque quasi sunt vicarii.

Punitio improborum salus est probo-rum. AD VINDICTAM MALEFACTORUM (Tigurina, *nocentium*), LAUDEM VERO BONORUM, — ἀγαθοποιῶν, id est, *recte agentium.* Hic enim est finis potestatis regalis et magistratus cujusque, nimirum ut improbos puniendo, probos tueantur; itaque civilem hominum societatem conservent, quod fit per justitiam, qua bonis præmium, malis pœna irrogatur. Unde Socrates aiebat : « Optime gubernari civitates cum injusti dant pœnas, » ait Plato lib. II *De Philos.* Cicero *ad Brutum* laudat sententiam Solonis, qui rogatus, « qua ratione optime gubernaretur Respublica, » respondit : « Si boni præmiis invitentur, mali pœnis coerceantur. » Theophrastus interrogatus : « Quidnam vitam humanam conservaret? » respondit : « Beneficentia, honor et pœna. » Ita Stobæus, *serm.* 41. Lycurgus censuit rempublicam diabus rebus contineri, præmio et pœna; et Pythagoras « civitatem optimam esse » dixit, « quæ posteaquam malos pœnis coerceret, viros tantum bonos admitteret. » Ita Stobæus, ibid. Cato dicebat : « Injuriam, etiamsi facienti nihil inferat periculi, universis tamen periculosam esse. Quocirca magistratus qui maleficos non coercent, lapidibus esse obruendos, ne pœnæ neglectus salutem Reipublicæ labefactaret. » Ita Plutarchus in *Apophth. Rom.* Hinc Architas philosophus, lib. III *Rhetor.*, dixit magistratus esse instar aræ, ad quam injuria affecti confugiant. Porro recte apud Ægyptios Pontifex publice pro rege orans, hoc ei inter alia precabatur : « Ut leviores pœnas infligeret quam delicta mererentur, et majores gratias rependeret quam beneficia exposcerent. » Ita Diodorus, lib. I *Biblioth.*

(1) Βασιλεὺς hoc loco est *Cæsar Romanus.* Romani eos vocabant Imperatores, non *Reges*, religione jurisjurandi veteri, ut ait S. Cyprianus. At Græci non dubitabant eos appellare Βασιλέας, et Judæi similiter מלכים, nimirum quia plane regia, id est, liberrima, utebantur potestate.

15. QUIA SIC EST VOLUNTAS DEI, UT BENEFACIENTES (ἀγαθοποιοῦντες, quod paulo ante Noster vertit, *bonos*, dicens : « Laudem vero bonorum, » id est, bene agentium. Idem *secundo*, verti potest *beneficiis afficientes*) OBMUTESCERE FACIATIS (φιμοῦν, id est *obturetis*, obstruatis, oppiletis) IMPRUDENTIUM (ἀφρόνων, id est *insipientium*; nam, ut ait S. Hieronymus in *Epitaph. Nepotiani*, « sine notitia Creatoris omnis homo pecus est) HOMINUM IGNORANTIAM. — Syrus, *ut per bona vestra obturetis os stultorum illorum, qui non norunt Deum.* « Cum enim, ait Œcumenius, de nobis quasi arrogantes, insolentes et inobedientes simus, obloquantur, si et humiles et obedientes in quibus oportet, nos esse videant, magis erubescunt et obmutescunt. » Vers. 15.

Pro ἀγνωσίαν, id est *ignorantiam*, Clemens Alexandrinus, lib. III *Stromat.*, cap. VI, legit ἐργασίαν, quod inter alia, teste Budæo, significat « sycophantiam, » id est calumniam, fraudulentiam, qua scilicet subdolis artibus et verbis vestram innocentiam traducere, calumniari et in odium adducere satagunt. Sycophanta enim est mendax et cavillator subdolus, ita dictus a servo, qui furtum ficorum a se commissum in socium innocentem artificiose conjecit : sycophanta enim dicitur a σῦκα φαίνειν, id est, ab indicando eum qui ficos comederat. Sapienter monet S. Athanasius (vel quisquis est auctor), *Exhort. ad Monach.* : « Sic omne quod fingi potest, tanquam possit et credi, caveamus, ne in ullo famæ nostræ vulnere serpat nata ab occasione suspicio. Ipsa famæ semina priusquam linguis nutriantur, intereant. Non tantum nobis fides facti, sed possibilitas etiam relegenda mendacii. Beata enim vita est præclara, de qua nihil licet falsitati. » Et inferius : « Utatur mundus natura, dum nihil in nostra inveniat disciplina. Falsitas ex more jactetur, dum nec verisimile quidem possit esse quod dicitur. » Sycophantæ etymon.

16. QUASI LIBERI, ET NON QUASI VELAMEN HABENTES MALITIÆ LIBERTATEM. — Vox *quasi* non est assimilantis, sed asseverantis, *q. d.* Obedite principibus libere et liberaliter quasi liberi et ingenui Christi et obedientiæ filii. Est occupatio : occurrit enim objectioni : Christus nos fecit liberos : ergo nulli principi subjici et servire debemus. Rursum, ergo licet nobis facere quidquid lubet. Ita olim Gnostici (et nunc Libertini) hac libertate Christiana abutebantur ad omne dedecus et nefas (1). Vers. 16.

(1) Præsertim Judæo-Christiani, qui regem politicum et regnum Christi visibile in his terris exspectantes, Christianos ab omnibus publicis legibus dicebant esse liberos.

Respondet S. Petrus : Facti estis liberi a Christo, sed a peccato, non a lege Dei, nec ab obedientia principum : nolite ergo inobedientiæ, turpitudini et malitiæ vestræ prætexere libertatem Christi : hæc enim non est libertas, sed nequitiæ servitus. Idem monuit S. Paulus Galatas, cap. V, vers. 13, dicens : « Vos in libertatem vocati estis, tantum ne libertatem in occasionem detis carnis. » Nam, ut idem ait II *Corinth.* III, 17 : « Ubi Spiritus Domini, ibi libertas. » Vide ibi dicta. Porro, ut ait Œcumenius : « Si peccamus, libertate perdita servi efficimur inobedientiæ » et peccati; et S. Augustinus, lib. *De Quantitate animæ,* cap. XXXIV : « Ille (Deus) ab omnibus liberat, cui servire omnibus utilissimum est, et in cujus servitio placere perfecte sola libertas est. » Idem, tractatu 21 *in Joan.* : « Hæc, ait, spes nostra est, fratres, ut a libero liberemur, et liberando servos nos faciat. Servi enim eramus cupiditatis, liberati servi efficimur charitatis. » Scripsit de libertate Christiana libros quindecim Joannes Lensæus Belliolanus, Doctor Lovaniensis, et breviter Bellarminus, lib. IV *De Justificatione,* cap. V et VI.

Vox *velamen* alludit ad velum sive vestem candidam, quam baptizati accipiebant in baptismo, tum ut memores essent candorem animæ baptismo acceptum, usque ad extremum vitæ spiritum sibi esse servandum; tum ut lætitiam spiritalem ac spem resurrectionis et vitæ beatæ habitu ostenderent; tum ad indicandam libertatem per Christum adeptam, « ut anima libertate novæ vitæ induta, adversus diabolum cum adjutorio divino valeat fortiter dimicare, » ait S. Augustinus, lib. IV *De Symbol. ad cathecum.,* IX; et Tertullianus, lib. V *Contra Marcionem* : « Ipsum quod ait, qua libertate Christus nos manumisit, nonne eum constituet manumissorem qui fuit Dominus? alienos enim servos nec Alba manumisit; » servis enim, cum manumittebantur et libertate donabantur, dabatur vestis alba. Hac de causa olim fideles statim a baptismo calceabantur calceis albis, eosque deferebant per septem dies, æque ac vestem candidam; idque *primo,* ut significaretur eos libertate Christiana donari : servi enim incedebant nudipedes, liberi, calceati. *Secundo,* ut calcei signum essent eos in Ecclesiæ et filiorum Dei possessionem mitti. *Tertio,* ut memores essent mortis Christi : calcei enim de mortuis animalibus fiunt. Ita Rupertus, lib. VII, cap. I. *Quarto,* ut memores essent « vestigia a peccati vulnere custodire, » ait S. Gregorius, hom. 22 *in Evang. Quinto,* ut veterum patrum, qui impollutum incontaminatumque spiritum Deo reddiderunt, mores et instituta sequerentur, itaque tenderent ad cœlum. Huc alludit S. Paulus, *Ephes.* cap. VI, vers. 15, dicens : « Calceati pedes in præparatione Evangelii pacis. » Ita Anselmus ibidem. Vide Josephum Vicecomitem *De Ritibus baptismi,* lib. V, cap. XVIII. Vide pariter dicta *Ezech.* XVI, 10, ad illud, *Calceavi te ianthino.*

Baptizati induebant calceos albos quinque de causis.

SED SICUT SERVI DEI, — qui libere et liberaliter serviunt et obediunt non tantum Deo, sed et omnibus magistratibus, quos Deus sibi vicarios nostrosque superiores ordinavit : servire enim Deo regnare est.

17. OMNES HONORATE, — juxta statum cujusque, et honorem ei debitum. Hoc est quod ait Paulus, *Rom.* XII, 10 : « Honore invicem prævenientes. » *Secundo,* « honorate, » id est, charitatis officiis et beneficiis omnes prosequimini. Honor enim non tantum reverentiam et obedientiam, sed et amorem, alimoniam omnemque opitulationem includit, ut cum dicitur : « Honora patrem et matrem. » *Exodi.* XX, 12. Vers. 17

FRATERNITATEM (id est fratres, puta Christianos; vel potius, « fraternitatem, » hoc est fratrum, id est Christianorum, cœtum et conjunctionem) DILIGITE. — Jubet enim non tantum ut unionem, sed et cœtum fidelium ac conventum ad communes preces, conciones, synaxes diligant et frequentent, juxta illud Pauli *Hebr.* X, 25 : « Non deserentes collectionem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam. »

DEUM TIMETE, — non servili; sed filiali timore, quo filii ex amore timent offendere patrem, caventque sedulo ne quid faciant quod ei displiceat. Deo ergo proprium quasi tributum et debitum est hic timor, juxta illud *Psalm.* II, 11 : « Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore. » Et *Malach.* I, 6 : « Si Dominus ego sum, ubi est timor meus? » Et *Psalm.* XXXIII, 10 : « Timete Dominum, omnes Sancti ejus, quoniam nihil deest timentibus eum. » Accedit quod, ut ait Poeta : « Primus in orbe deos fecit timor. » Hinc Clemens Romanus, *epist.* 1 : θεός, inquit dicitur quasi δέος, id est *timor,* quia summe timendus, colendus et amandus; licet alii alia dent etyma. Sic Jacob Deum vocat timorem patris sui Isaac, id est quem timuit et coluit Isaac, *Gen.* XXXI, 42.

REGEM HONORIFICATE, — honore eo qui regi, id est summæ potestati civili, debetur. Honor hic includit obedientiam et orationem, ut scilicet subditi pro regibus orent, uti jubet S. Paulus I *Timoth.* II; utilissimum enim est orare pro principibus, tum civilibus quam Ecclesiasticis : ab illis enim pendet salus reipublicæ, ab his Ecclesiæ. Qui ergo pro iis orat, erat pro tota republica et Ecclesia. Prudenter Tertullianus in *Scorpiaco,* XIV : « Honorandus, ait, est Rex cum suis rebus insistit, cum a divinis honoribus longe est, » cum scilicet eos aversatur, quos multi reges ambierunt.

18. SERVI, SUBDITI ESTOTE IN OMNI TIMORE DOMINIS. — *Primo,* Lyranus et Hugo : « omni, » id est, in quiunt, toto, pleno et perfecto timore, qui inclu dit amorem. *Secundo,* « omni, » quia multiplex est timor, scilicet *primo,* pœnæ, ne ab heris, si inobedientes sint, puniantur. *Secundo,* culpæ, ne Deum per inobedientiam offendant. Ita Œcumenius. *Tertio,* scandali, ne sua inobedientia provocent heros ad odium fidei; « sed in omnibus bo- Vers. 18

nam fidem ostendentes, ut doctrinam Salvatoris nostri Dei ornent in omnibus, » ait Paulus ad *Titum*, cap. II, vers. 9. Idem servis præcipit Paulus fuse *Ephes.* VI, 5. Vide ibi dicta. Idque congrue : vulgo enim jactabatur, et etiamnum jactatur subinde hoc proverbium, « totidem nobis hostes esse quot servos; » et Plato, lib. VI *De Legibus*, ait, « Jovem dimidium mentis servis ademisse. »

NON TANTUM BONIS ET MODESTIS (ἐπιεικέσιν, id est *æquis*, modestis, benignis, probis, clementibus), SED ETIAM DYSCOLIS, — id est fastidiosis, græce σκολιοῖς, id est *pravis*, obliquis, tortuosis, asperis, morosis, difficilibus, severis et sævis. Augustinus Marloratus apostata et hæreticus hoc loco falso asserit, Sorbonicos et Catholicos per *dyscolos* accipere dissolutos, atque hinc docere Papæ et cornutis ejus bestiis (sic nebulo vocat Cardinales et Episcopos) obediendum esse etiam cum tyrannidem exercent; tyrannidem ipse vocat disciplinam Ecclesiasticam, hæc enim hæreticis tyrannis est; sed vipercæ suæ linguæ meritas pœnas dedit, cum ob seditiones in Gallia suscitatas a Parlamento ad laqueum damnatus, infelicem animam exhalavit.

Perperam Hugo et Glossa : dyscolos, inquiunt, vocatur agrestis, rudis, indoctus, ita dictus quasi alienus a schola et studiis, quæ homines reddunt civiles, politos, benignos : δύσκολος enim græce dicitur, non δύσχολος, ac significat morosum et difficilem, qui sibi et aliis tædium et fastidium creat.

Perfectio obedientiæ est patientia.

Moraliter docet hic S. Petrus, obedientiam se extendere debere ad patientiam, eamque complecti, sicut Christus eam extendit, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; perfectio ergo obedientiæ est patientia, si videlicet patiatur humiliter et hilariter Superiorum suorum asperitatem, reprehensiones, jurgia, quin et minas ac verbera. Patientia enim et humilitas, humilisque obedientia sunt duæ alæ, quibus evolalatur in cœlum, ut ait quidam Sanctorum.

Cassianus, *Collat.* XIX, cap. I, celebrat obedientiam et patientiam cujusdam religiosi, qui in conventu fratrum publice ab abbate Paulo palma percussus, ita ut sonitus longius etiam in consdentium auribus resultaret, nullum dedit signum commotionis, multo minus murmuris; sed os habens taciturnitate signatum, eamdem vultus modestiam et tranquillitatem ostendit, ita ut ne colorem quidem vel in minimo mutaret.

S. Stephanus, ait S. Gregorius, homil. 35 *in Evang.*, ad tantam patientiam excreverat, « ut eum amicum diceret, qui sibi aliquid molestiæ irrogasset. Reddebat contumeliis gratias, damnum sibi illatum maximum lucrum putabat, omnes suos adversarios nihil aliud quam adjutores æstimabat. »

Idem, lib. I *Dial.*, II, laudat Libertinum, qui a suo Abbate irato, scabello in vultum impacto, eum gerebat tumentem et lividum, dicebatque id suæ esse culpæ, non illius sævitiæ : itaque Abbatem ad magnam mansuetudinem perduxit, et « humilitas discipuli magistra facta est magistri. »

Similis fuit obedientia et patientia S. Joannis Damasceni, qui ob carmen a se compositum rejectus a suo seniore, jussusque cloacas et latrinas purgare, hilariter id præstitit.

Sic S. Monica ab ancilla vocata meribibula, omnem vini cupidinem a se abdicavit, et « ancillæ injuria facta est dominæ medicina, » ait S. Augustinus, lib. IX *Confess.*, VIII.

Catharina Aragonia, uxor Henrici VIII regis Anglorum, ab eo repudiata, constanter repudium tulit, dicens, malle se fortunam tristissimam, quam blandissimam : quod in illa non desit consolatio, hæc fortunatis mentem eripiat. Ita Sanderus, lib. I *De Schismate Angliæ*.

Thomas Cantipratensis, lib. I *Apum*, XXIV, p. 5, narrat captivum quemdam dixisse hero Gentili : « Ego stigmata Christi in corde meo porto. » Iratus herus eum occidit martyremque fecit, ac in corde ejus Christi crucifixi imaginem reperit : quare compunctus cum omnibus suis in Christum credidit.

Vers. 19. 19. HÆC EST ENIM GRATIA. — *q. d.* Hic est gratiæ divinæ effectus illustris, vel hoc valde gratum est Deo. Unde Syrus vertit, *illis enim est gratia apud Deum*. Aut *tertio*, et nervosius, *q. d.* Hæc est gratia, id est, gloria vestra. Unde explicans subdit : « Quæ est enim gloria. » Sic Paulus gloriam suam esse ait, non evangelizare : ad hoc enim necessitas præcepti Dei eum obligabat; sed evangelizare sine sumptu, id est gratis : hoc enim erat opus liberale et illustre supererogationis et consilii, non præcepti, I *Corinth.* IX, 16. Sensus ergo est, *q. d.* Hæc est gratia, id est hæc est gloria Christiani, in hoc consistit eximia virtus et perfectio Christiana, hoc est illustre discipulorum Christi officium, laus et decus, si propter Deum multa tristia patiantur.

Conscientia Dei quæ? Resp. Primo.

SI PROPTER DEI CONSCIENTIAM SUSTINET QUIS TRISTITIAS. — Quæres, quænam est Dei conscientia? Respondeo *primo*, est conscientia secundum Deum, qua quis uni Deo placere studet et satagit, etiam cum offensa hominum, ideoque ut Deo placeat, patienter sustinet asperos heri mores ejusque duris imperiis obedit. Id enim facit, ut suæ conscientiæ et Deo satisfaciat : conscientia enim dictat talibus esse obediendum propter Deum, qui præcepit ut subditi suis dominis obsecundent. Hæc conscientia vocatur Dei, tum quia Deo maxime probatur et placet, tum quia propter Deum, ut ei placeat, suscipitur : loquitur enim S. Petrus de servis, quos jussit parere heris, etiam *dyscolis*. Ita Catharinus et Salmeron.

Secundo.

Secundo, Gagneius : « propter Dei conscientiam, » ait, id est, propter Deum qui tuæ patientiæ, et herorum sævitiæ ac nequitiæ est conscius, ac utriusque erit judex et vindex, ut tuam obedientiam et patientiam præmiis cœlestibus coronet, heri sævitiam flammis gehennæ puniat. Conscien-

tia ergo Dei est, quæ uni Deo patet, « cui, ut ait Seneca, *epistola* VIII, nihil clausum est. Interest enim animis nostris, et cogitationibus mediis intervenit. » Conscientia ergo Dei est innocentia coram Deo, ut Christi exemplo explicat S. Petrus, vers. 22, quæ in duris est murus aheneus, quando scilicet servi innocentes, qui nihil peccarunt, puniuntur ab heris perversis. Hi enim cum non puniantur propter culpam quam non admiserunt, utique puniuntur propter innocentiam : in innocente enim innocentia punitur, non culpa, puta factum aliquod innocens, et sæpe pium ac sanctum. Ita Œcumenius. Summum enim solatium et gloria est, testimonium bonæ conscientiæ, ait Apostolus, II *Cor.* I, 8 et seq.

Tertio. *Tertio,* « Dei conscientia » est, quæ unius Dei honorem et gloriam spectat. Rursum, quæ omni culpa vacans, totam sese Deo addicit et mancipat. Servi ergo qui dies festos cessando a laboribus observant, omnesque Ecclesiæ et Dei leges studiose custodiunt, ideoque ab heris avaris et perversis male tractantur aut vapulant, patiuntur propter Dei conscientiam, sive, ut Christus ait, « propter justitiam. Beati, ait, qui patiuntur propter justitiam, » *Matth.* cap. V, 10. Unde et subdit S. Petrus : « Patiens injuste. » Hinc et Syrus vertit, *illi gratiam habent coram Deo, qui propter bonam conscientiam perferunt.*

Quarto. *Quarto* et perfectissime : multi olim servi facti Christiani, ab heris infidelibus in odium Christi et fidei mulctabantur verberibus, plagis, vinculis, fame, et sæpe morte ac martyrio : hi plane et plene patiebantur propter Dei conscientiam, id est, propter Deum, Deique fidem et cultum, quem in conscientia gerebant, ideoque erant Confessores, vel Martyres (1).

SUSTINET TRISTITIAS, — id est tristia, acerba : Græce λύπας, id est *molestias,* dolores, tristitias, mœrores; omnis enim molestia et dolor parit tristitiam. Tristitia enim est ægritudo et contractio animi ob præsens malum, in quo scilicet demitti contrahique animo rectum esse videatur. Unde Chrysippus λύπην, quasi χύσιν, id est, solutionem totius hominis appellatam putat, ait Cicero, III et IV *Tusculan.* Nihil enim ita animos viresque hominis dissolvit et labefactat, ac tristitia. Occasione servorum a duris heris afflictorum, hæc dicit S. Petrus, sed sermo ejus generalis est, ideoque ad omnes qui quomodolibet innocentes patiuntur, pertinet, eosque ad fortiter tolerandum animat et consolatur.

PATIENS INJUSTE, — quia est innocens, et multo magis si patiatur pro justitia.

Vers. 20. 20. QUÆ EST ENIM GLORIA ? — Ποῖον κλέος, id est, *quale decus,* qualis laus, quid illustre, quid magnum, Tertullianus in *Scorpiac.,* cap. XII : « Quanta est gloria ? » *q. d.* Exigua, vel nulla est gloria sufferre colaphos et plagas pro scelere ; at magna est, eos sufferre pro innocentia et justitia.

COLAPHIZATI. — Hæc propria est pœna servorum : hisce enim heri alapas sive colaphos vel in faciem, vel in dorsum impingunt. Unde ille apud Terentium in *Adelph.* : « Homini misero, ait, plus quingentos colaphos infregit mihi. » Hinc Martyribus, etiam nobilibus, v. g. S. Symphorosæ, S. Torpeti, aulico Neronis, S. Marcellino et aliis colaphi impacti sunt, tum ad pœnam, tum magis ad contumeliam, ut quasi servi servili pœna castigarentur.

SED SI BENEFACIENTES. — Græca addunt, καὶ πάσχοντες, id est, *et patientes,* quod noster Interpres per adverbium, sed eodem sensu, reddidit, vertens, « patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum. » Syrus, *tunc crescit gloria vestra apud Deum.* Vide dicta vers. 13, initio.

Vers. 2. 21. IN HOC ENIM VOCATI ESTIS. — « In hoc, » ad hoc, *q. d.* Christianorum vocatio est ad crucem et patientiam, juxta illud *Thren.* III, 12 : « Posuit me quasi signum ad sagittam, misit in renibus meis filias pharetræ suæ. » Ubi ostendi Christianum quemlibet esse quasi alterum S. Sebastianum, positum scilicet in scopum sagittariorum, in quem omnes suæ maledicentiæ et maleficentiæ tela colliment et jaculentur.

QUIA ET CHRISTUS PASSUS EST PRO NOBIS. — Est ratio ab exemplo Christi, *q. d.* Non miremini, o Christiani, vos vocatos ad crucem : nam et Christus dux et antesignanus vester ad eamdem vocatus, illam propriis humeris bajulavit, in eaque suspensus et enecatus est. Agite ergo, Christum ducem sequimini alacriter et intrepide : per crucem enim cum eo intrabitis in gloriam.

VOBIS, — o servi. Loquitur directe servis, sed per hos quibuslibet aliis. Christum ergo servis in ducem proponit, quia Christus formam servi assumpsit, et quasi servus ac vile mancipium ad furcam damnatus est. « Inspice et fac secundum exemplar quod tibi in monte » Calvariæ a Christo « monstratum est, » *Exodi* XXV, 40. Præclare S. Cyprianus, tract. *De Passione* : « Christus, ait, postposito timore quasi utens potentiori auctoritate, inter sputamenta et colaphos, et reliqua ludibria, patientia et mansuetudine vesanas persecutorum mentes conturbat, et in eo quod inter injurias et convicia se malitia Judaica sentit contemptum, vehementius exacerbatur, et de impietate et malitia suavitas pietasque Christi triumphat; » et inferius : « Ascendisti, Domine, palmam : quia illud crucis tuæ lignum portendebat triumphum de diabolo, vel de principatibus et potestatibus et nequitiis spiritualibus victoriam : erantque in manibus tuis duo cornua, in quibus erant fortitudo tua abscondita, et imperium tuum super humerum tuum : tu ipse patibuli tui bajulus hærebas ligno quod tuleras, evectionis et passionis anxietates sustinens et labores. Consideravi opera tua et expavi; » et paulo post : « Considero opera tua.

(1) Sensus igitur genuinus est : Hoc enim gratum est Deo, si quis ex conscientia ejus quod Deo debet, etc.

et admiror te cruci inter damnatos affixum, jam nec tristem, nec pavidum; sed suppliciorum victorem elevatis manibus triumphantem de Amalec, et quasi sanctificantem de excelso plebem, et elevatum in sublimi, et quasi cœlo proximum superioribus inferentem consummati agonis vexillum, et inferioribus erexisse scalam in Patris occursum.» Et mox : « In tantum infirmis compateris, ut nec crucifigi, nec mori, dum illi vivant, et te patrocinante non pereant, nec erubescas, nec formides, altitudinem tuam derelinquens, ad tempus gloriæ tuæ majestatem evacuans, ut redeant dispersi et respirent derelicti. Hæc est causa quare derelictus sis, ut colligeret et revocaret inanitio tua eos qui fuerunt derelicti, et qui sine Deo fuerant dum dominaretur eis peccatum, reducti ad justitiam, conformes Christi, et Christi efficerentur et dii. Unde scriptum est : Ego dixi, Dii estis. Considero, Domine, te in illo patibulo ubi videbaris sine adjutorio, quomodo imperatoria potestate latronem præmittis ad regnum : et in cujus assumptione jam manifeste constat quantum apud derelictos profeceris, quorum primus iste gloria et honore coronatus, ipsa die paradisi civis et domesticus curiæ cœlestis efficitur. »

RELINQUENS EXEMPLUM. — Christus enim tribus de causis venit in mundum : *primo*, ut sua morte nos redimeret; *secundo*, ut sua prædicatione doceret; *tertio*, ut sua vita sanctæ vitæ daret exemplum, imo exemplar perfectissimum. Hoc nimirum est principis et superioris, vitam suam subditis proponere quasi pictam virtutis tabulam, quam imitando sequantur et exprimant, uti Josephum fecisse, ait Philo, lib. de eo. Hinc S. Basilius, *Constitut. Monast.*, cap. II et V, Christum vocat nostrum exemplar, typum, archetypum et programma : quod quo magis intuemur, vitaque et moribus exprimimus, eo Christo similiores, sanctiores, Deoque gratiores evadimus.

Præclare S. Augustinus, *De Verbis Apostoli*, serm. 26 : « Docuit, ait, nos exemplo passionis, cum quanta patientia in illo ambulemus, et firmavit nos exemplo suæ resurrectionis, quid ab illa patienter sperare debeamus. Si enim quod non videmus speramus, per patientiam speramus, per patientiam exspectamus. Quod non videmus quidem speramus, sed corpus sumus illius capitis, in quo jam perfectum est quod speramus.» Sapienter quoque S. Athanasius (vel quisquis est auctor), *Exhortat. ad Monachos* : « Vita nostra, ait, jubeat, lingua persuadeat, quia plus auctoritatis gestat exemplum, et ingerit appetentiam sui morum lenis formatio. »

Pathetice vero S. Cyprianus, tractatu *De Passione*, in fine : « Tu, Domine, ait, sacerdos sancte, qui in tempore iracundiæ factus es reconciliatio, sancti hujus sanguinis permanentem plenitudinem reliquisti, et beneficium hujus sancti liquoris in perpetuum tradidisti et constituisti nobis inconsumptibiliter potum vivificum, crucis signum, et mortificationis exemplum. Tu, consummatis omnibus, vade ad Patrem, et trahe nos post te : da nobis in vita præsenti, ut simus sine angaria bajuli crucis tuæ, et comprehendamus cum omnibus sanctis, quid latitudo, quid longitudo, quid sublimitas, quid profundum hujus ligni significet : quo conspecto non noceat nobis, neque mordeat coluber solitudinis, sed incolumes per omnia sequamur te, tecum parvuli simus, tecum circumcidamur, tecum baptizemur, tecum jejunemus, tecum lotis pedibus panem angelorum edamus, tecum crucifixi mundo vivamus, tecum Spiritu Sancto repleti, et corpore et spiritu in æternum maneamus : qui vivis, et non ultra morieris in sæcula sæculorum. » Et S. Leo, serm. 2 *De Passione* : « Amplectamur, ait, salutaris paschæ mirabile Sacramentum, et ad ejus imaginem, qui deformitati nostræ conformis factus est, renovemur. Erigamur ad eum, qui pulverem abjectionis nostræ, corpus fecit gloriæ suæ; et ut resurrectionis ejus mereamur esse consortes, humilitati et patientiæ ipsius per omnia congruamus. »

UT SEQUAMINI (Tertullianus, *Scorpiaci* cap. XII; legit *obsequamini*) VESTIGIA EJUS — sanguine ejus signata, ideoque inventu facilia, obvia et certa. Sic S. Stephanus secutus est Christi vestigia patiendo et pro lapidantibus orando, ait S. Augustinus, serm. 2 *De S. Stephano*.

Notent hoc molles hæretici, qui fidem Christi sequi volunt, non passionis vestigia, dicentes solam fidem in Christum sufficere ad salutem, Christum enim pro nobis plane satisfecisse : quare nulla esse bonorum operum nostrorum merita, satisfactiones nullas. Audiant hi quod intonat hic S. Petrus et ex eo S. Gregorius in I *Regum* IX, 24 : « Remansit, ait, quia non omnia nostra Christus explevit : per crucem quidem suam omnes redemit; sed remansit, ut qui redimi et regnare cum eo nititur, crucifigatur. Hoc profecto residuum viderat, qui dicebat : Si compatimur, et conregnabimus,» II *Timoth.* II, 12; et : « Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea,» *Coloss.* I, 24. Esto enim Christus patiendo solverit plenum redemptionis nostræ pretium, vult tamen nos quoque pati, tum quia Deus vult nos Christum ducem nostrum a se datum sequi; tum quia non decet sub capite spinis coronato membra esse delicata, ait S. Hieronymus, sed potius decet membra capiti configurari, « ut conformes simus imagini Filii Dei, » ait Paulus *ad Romanos* VIII, 29; tum quia ipse sanxit ut hoc passionis suæ pretium per passiones nostras nobis applicemus : non enim otiosis et desidibus, sed laboriosis et studiosis hoc offert; sicut ergo sol et homo generant hominem, et sicut Deus non solus, sed cum creaturis operatur : sic et Christus non solus, sed nobiscum salutem nostram operatur; tum quia ad cœlum non alia est via quam crucis a Deo statuta.

Christianorum stadium est patientia.

Scripsit S. Chrysostomus, tom. III, homiliam hoc titulo, *Ut benedicamus maledicentibus Christi et Sanctorum exemplo*, in qua inter cætera ait : « Velle alios male agendo superare, non divinæ id legis esse, quin dæmoniacæ constat. Siquidem in Olympicis certaminibus inferis dedicatis hoc pacto victoria comparatur : sed in Christi stadio vincendi modus est longe diversus. Sancitum namque est percussorem, corona donari oportere. » Additque : « Hic non solum ipsa victoria, sed et vincendi modus admirationis habet plurimum : siquidem qui succubuisse videntur, palmam retulisse creduntur : hæc est potentia Dei, tale cœleste studium, hoc angelorum spectaculum. » Et mox : « Nam si mansuetudinem ac benignitatem prætuleritis, inoffensi omnium manus estis evasuri. » Confirmat exemplo Abelis, qui occisus a Cain in tranquillissimum cœli portum recessit : Cain vero toto orbe factus est vagus et profugus; ac Josephi, qui invidiam fratrum sustinens, per eam factus est princeps Ægypti.

Via Christi in cœlum est crux.

Hoc est quod de se et suis profitetur Christus *Joan.* XIV, 6 : « Ego sum via, et veritas, et vita; » ubi S. Cyrillus : « Christus, ait, nobis est via per vitæ actionem, veritas per fidei rectitudinem, vita per sanctificationem. » S. Leo, sermone 2 *De Resurrect.* : « Christus, ait, est via sanctæ conversationis, veritas doctrinæ divinæ, vita beatitudinis sempiternæ. » S. Cyprianus, lib. *De Bono patientiæ* : « Si ipse, ait, est salutis nostræ via, qui Christum vestigiis salutaribus sequimur, per Christi exempla gradiamur. » S. Bernardus, serm. 2 *De Ascensione* : « Sequamur, ait, Domine, te, per te, ad te, quia tu es via, veritas et vita : via in exemplo, veritas in promisso, vita in præmio. »

Denique tuba hic intonat S. Paulus, *Hebr.* XII, 1 : « Ideoque et nos tantam habentes impositam nubem testium, deponentes omne pondus et circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet. Recogitate enim eum qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes : nondum enim usque ad sanguinem restitistis. » Quocirca S. Athanasius, lib. *De Virg.*, Christianum hisce virtutibus quasi coloribus pingit et ornat : « Mansuetus et quietus sit et tolerans malorum, nulli malum pro malo reddens; sicut ipse (Christus) a Judæis contumeliis affectus est et sustinuit, verbera et torturas ferat. » Et S. Augustinus in *Psal.* XXXVI : « Christianus, ait, est qui non aspernatur viam Christi, sed vult viam Christi sequi per passiones ipsius. Noli per aliam viam velle ire, quam per illam qua ipse ivit. Dura videtur, sed ipsa est tuta via. Alia forte delicias habet, sed latronibus plena est. » Et paulo anterius : « Per dura ambulavit, sed magna promisit. Sequere. Noli tantum attendere qua iturus es, sed et quo venturus sis. Tolerabis dura temporalia, sed ad lætitiam pervenies sempiternam. »

22. QUI PECCATUM NON FECIT — eo quod humanitas ejus hypostatice conjuncta Verbo, ab eo ita custodiebatur, et dirigebatur, ut peccare non posset. Ejus enim custodia commissa erat Verbo, quasi hypostasi. Si enim hic homo (puta Christus) peccasset, peccasset et Verbum, quod erat ejus hypostasis et suppositum. Actiones enim sunt suppositorum, et originaliter a suppositis procedunt. Ita Theologi et ex iis Suarez, III *part.*, *Quæst.* XV, art. 1. Vers. 22

Quare horrenda est blasphemia Calvini dicentis, Christum fuisse vere peccatorem et damnationis reum, ex metu passionis calicem fugisse, ac in cruce desperasse. Quam multis confutavi, *Hebr.* V, 7. Longe aliter Paulus Christum vocat, « Pontificem innocentem, impollutum, segregatum a peccatoribus, » *Hebr.* VII, 26; et : « Eum, ait, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso, » II *Cor.* V, 21.

Hic declarat S. Petrus, quid vocarit, vers. 19, pati propter Dei conscientiam, nimirum pati propter innocentiam, pati scilicet propter causam falso æstimatam et imputatam, quæ non est culpa, sed innocentia, hoc est, pati innocentem. Sic enim Christus, qui peccatum non fecit, innocens passus est, quia scilicet dicebat se esse Filium Dei, quæ non erat falsitas nec culpa blasphemiæ, sed confessio veritatis et innocentiæ.

NEC INVENTUS EST DOLUS IN ORE EJUS, — etiam a Scribis et Pharisæis, qui satagebant eum capere in sermone, ut accusare et occidere possent, *Matth.* XXII, 15. Citat S. Petrus Isaiam, cap. LIII, vers. 8, quod totum caput est de Christi passione, agnina patientia, obedientia et innocentia. « Sicut ovis, ait, ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum. » Vide ibi dicta.

23. QUI CUM MALEDICERETUR (vocaretur potator vini; Samaritanus, possessus a diabolo, seditiosus, hostis Cæsaris, subversor gentis, etc.), NON MALEDICEBAT, — οὐκ ἀντελοιδόρει, *non remaledicebat*, uti legit S. Hieronymus, lib. II *Contra Jovinianum*; Augustinus, tract. 21 *in Joannem*; Ambrosius, in *Psal.* XXXVII, et alii, *q. d.* Christus non reddebat talionem, maledictum non pensabat maledicto, maledicentibus vicissim non maledicebat, sed altissimum servabat silentium, ita ut Pilatus miraretur. Quod signum erat animi non tantum innocentis, sed et excelsi. Imo sanxit discipulis suis : « Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos. Benedicite maledicentibus vobis, et orate pro calumniantibus vos. » Et : « Qui te percutit in maxillam, præbe et alteram, » *Luc.* VI, 28. Quanta hic in Christo innocentia, patientia, charitas, animi celsitudo! Græca addunt : « Cum percuteretur non repercutiebat, cum Vers. 23.

malediceretur non remaledicebat, cum pateretur non comminabatur : » et ita legit Canon 28 *Apostol.* S. Prosper ad Demetriadem legit, *percutienti se non comminabatur*. Licet enim Judæis et Scribis sæpe væ maledictionis æternæ, Deique judicium tam in vita quam in morte intentarit, ut *Matth.* XXIII, toto capite, et cap. XXVI, vers. 64 ; tamen id non fecit propter se, nec ex impatientia vel appetitu vindictæ, ut scilicet se de iis vindicaret, sed propter ipsos et ex charitate, ut scilicet denuntiando sceleratis iras divinas et ignes æternos, eos avocaret a scelere et gehenna.

Hinc apte S. Ambrosius Christianum ita pingit in *Psalm.* XXXVII : « Ad ejus (Christi) similitudinem atque imaginem justus suæ vitæ cupiens instituta formare, accusatus tacet, læsus remittit, dissimulat lacessitus, et non aperit os suum, ut illum imitemur, qui sicut agnus ad victimam ductus non aperuit os suum ; ut cum possit habere quod referat, magis vult silere quam dicere. » Illustre hujus virtutis nuper dedit exemplum Illustrissimus Cardinalis Bellarminus, qui cum a quodam æmulo in omnibus pene sententiis suis carperetur et refutaretur, idque assidue, continuo tacebat ; mirantibus aliis ac rogantibus, cur se suaque dicta et honorem Cardinalium non tueretur, respondit : « Melior est uncia charitatis et pacis libra victoriæ. »

TRADEBAT AUTEM JUDICANTI (Pilato ; aliqui apud Franciscum Lucam legunt *judicari*, id est, ut judicaretur) SE INJUSTE, — tum quia innocens ab eo condemnatus est, hancque innocentiam agnovit Pilatus, cum lavans manus dixit : « Innocens ego sum a sanguine justi hujus, vos videritis, » *Matth.* XXVII, 24. Itaque ut placeret Judæis sceleratus judex, Christum innocentem injuste ad crucem condemnavit. Unde S. Leo, serm. 3 *De Passione* : « Lotis manibus, ait, et ore polluto, iisdem labiis Jesum misit ad crucem, quibus eum pronuntiavit innocentem. » Tum quia Christus etiam qua homo, utpote hypostatice unitus Verbo, nec Pilato, nec ulli principi vel judici suberat, sed ipse omnium erat judex et princeps. Porro idipsum facile scire poterat Pilatus inquirendo in vitam, acta et miracula Christi. Ex iis enim cognovisset ipsum non esse purum hominem, sed hominem Deum, ac proinde sibi non subditum, sed superiorem. Ita S. Athanasius, serm. *De Passione et cruce*. Græci codices contrarie legunt, nimirum : « Tradidit autem judicanti juste. » Unde Syrus, *tradebat judicium suum judici justitiæ*, scilicet « Deo Verbo inhabitanti in semetipso, » ait Œcumenius, aut potius Deo Patri. Ita Didymus et S. Augustinus, tractatu 21 *in Joan.*, idque vario sensu. *Primo*, *q. d.* Christus suam causam et injuriam non vindicavit, sed ejus vindictam reliquit Deo Patri, juxta illud : « Mihi vindicta : ego retribuam, dicit Dominus, » *Rom.* cap. XII, 19 ; unde Græcum παρεδίδου, non tantum significat *tradidit*, sed et *commisit*, ac commendavit. *Secundo*, *q. d.* Christus suos persecutores, tortores et carnifices commendavit Deo Patri, pro eis orando ac dicendo : « Pater, dimitte illis : non enim sciunt quid faciunt, » *Lucæ* XXIII, 34. Ita Didymus. *Tertio*, et magis apposite ac genuine, *q. d.* Christus quasi agnus ultro et liberaliter tradidit se Deo Patri ad mortem et crucem, ut ei obediret, utque obediendo, patiendo et moriendo satisfaceret pro peccatis omnium hominum, eosque illi reconciliaret : itaque nobis exemplum dedit, ut cum ab hominibus injuste affligimur, non ad eorum injustitiam respiciamus, illisque irascamur, sed de manu Dei juste judicantis illa accipiamus, dicentes cum S. Job : « Dominus dedit, Dominus abstulit ; sit nomen Domini benedictum. » Verum nostra Latina lectio est verior magisque apposita, quam et e Græcis habet vetus auctor Clemens Alexandrinus in *Comment.* Unde verisimile est pro δικαίως, id est *juste*, olim lectum fuisse ἀδίκως, id est *injuste*. Hoc est quod ait Christus, *Jerem.* XI, 19 : « Et ego quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam ; et non cognovi quia cogitaverunt super me consilia, dicentes : Mittamus lignum in panem ejus, et eradamus eum de terra viventium. » Et *Isaiæ* L, 6 : « Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus. » Vide utrobique dicta. Sic S. Eusebius Vercellensis, epist. *ad Eccles. Vercellens.*, scribit se corpus suum Arianis dedisse in prædam. Hinc patet Christum in se suaque passione dedisse et proposuisse singulis imitandum perfectissimum exemplar patientiæ, innocentiæ, humilitatis, charitatis, fortitudinis omniumque virtutum. Harum enim omnium ipse fuit prodigium et portentum, ut ipse ait, *Isaiæ* VIII, 18 : « Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum et in portentum Israel ; » ubi multa hac de re dixi.

Passio Christi omnium dolorum remedium.

Quocirca ad tolerandas quaslibet injurias, calumnias, probra, irrisiones, contradictiones, vilipensiones, molestias, dolores, ærumnas, efficacissimum est remedium, « et singulare refugium, » inquit S. Bernardus, serm. 22 *in Cantic.*, Christi passio, si illa attente ruminetur et invocetur. Ita faciebat S. Elzearius, comes Ariani. Rogatus enim quomodo ad tantam animi mansuetudinem et patientiam pervenisset, respondit : Per meditationem passionis Christi. « Quoties, ait, aliquam animi commotionem ad iram vel impatientiam sentio, cogito de Christi passione et patientia, nec ab ea cogitanda et ruminanda cesso, donec per eam detumescat et subsidat omnis animi æstus et commotio. » Quocirca idem degens in Monte Pessulano, cum Delphina ejus uxor, sed virgo (vivebant enim in conjugio continentes et cælibes), ad eum misisset famulum cum litteris, scire cupiens ubi et quid ageret, respondit : « Sanus sum corpore et sospes. Quod si me videre cupis, quære in vulnere lateris Christi : illic enim habito, et ibi me poteris invenire, frustra

Elzear
pla

alibi quæsitura. » Ita habet Vita ejus, cap. XXX.

Hac de causa S. Franciscus Xaverius quotidie per dimidiam horam ad minimum meditabatur de passione Christi, idemque nostris omnibus cæterisque ut facerent consulebat, uti legimus in ejus Vita. Abbas Stephanus in *Prato Spirit.* LXIV : « Ego, ait, die noctuque nihil aliud aspicio, nisi Dominum nostrum Jesum Christum in ligno pendentem. » Idem fecit S. Augustinus. Sic enim in *Manuali* (quod ex eo quispiam collegit) ait, cap. XXI : « Tuta et firma requies est infirmis et peccatoribus in vulneribus Salvatoris; securus illic habito, patent mihi viscera per vulnera. Quidquid ex me mihi deest, usurpo mihi ex visceribus Domini mei, quoniam misericordia affluunt, nec desunt foramina per quæ effluant. Per has rimas licet mihi gustare quam suavis est Dominus Deus meus. Copiosa redemptio data est nobis in vulneribus Jesu Christi Salvatoris nostri, magna multitudo dulcedinis, plenitudo gratiæ et perfectio virtutum. Cum me pulsat aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Christi. Cum me premit caro mea, recordatione vulnerum Domini mei resurgo. Cum diabolus mihi parat insidias, fugio ad viscera misericordiæ Domini mei, et recedit a me : in omnibus adversitatibus non inveni tam efficax remedium, quam vulnera Christi; in illis dormio securus, et requiesco intrepidus : Christus mortuus est pro nobis. Nihil tam ad mortem amarum, quod morte Christi non sanetur. Tota spes mea est in morte Domini mei. Mors ejus meritum meum, refugium meum, salus, vita et resurrectio mea. Quanto ille potentior est ad salvandum, tanto ego sum securior. »

S. Leo, serm. 8 *De Quadragesima,* cap. IV : « Pia, ait, vita sanctorum nunquam aliena est crucis Christi, dum continentiæ clavis desideria carnis configit, et corporeas cupiditates virtute spiritus in se habitantis interficit. » Idem, sermone 2 *De Resurrectione* : « Sive ergo, ait, contra ambitionem sæculi, sive contra concupiscentias carnis, sive contra hæreticorum jacula dimicemus, Dominica cruce semper armemur. » Et S. Bernardus, serm. 43 *in Cantica,* agens de doloribus et vulneribus Christi, ait se ex iis haurire omnem gratiam et virtutem. « Hæc, inquit, meditari dixi sapientiam, in his justitiæ mihi perfectionem constitui, in his plenitudinem scientiæ, in his divitias salutis, in his copias meritorum. Ex his mihi interdum potus salutaris amaritudinis, ex his rursum suavis unctio consolationis : hæc me erigunt in adversis, in prosperis reprimunt, et inter læta tristiaque vitæ præsentis, via regia incedenti tutum præbent utrobique ducatum, hinc inde mala imminentia propulsando. Hæc mihi conciliant mundi judicem, dum tremendum potestatibus, mitem humilemque figurant; dum non solum placabilem, sed et imitabilem præsentant eum qui inaccessibilis est principatibus, terribilis apud reges terræ. »

24. QUI PECCATA NOSTRA IPSE PERTULIT IN CORPORE Vers. 24.
SUO SUPER LIGNUM — crucis, quasi hircus emissarius, cui Hebræi omnia peccata sua imponebant, *Levit.* XVI, 21. Syrus, *bajulavit omnia peccata nostra, eaque sustulit in corpore suo ad crucem.* Athanasius, orat. 4 *Contra Arian.* : « Efferens peccata nostra in crucem una cum corpore suo. » Alludit ad *Isaiæ* LIII, 4 : « Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit; » ubi Septuaginta vertunt, *peccata nostra portat, et pro nobis dolet;* Chaldæus, *deprecabitur pro peccatis nostris, et delicta nostra propter eum dimittentur.*

PECCATA, NOSTRA — id est, pœnas peccatis nostris debitas : est metonymia. Culpa enim ponitur pro pœna culpæ debita, velut merces pro merito. Hoc est quod ait Paulus *Colossens.* II, 14 : « Delens quod adversus nos erat chirographum decreti, etc., affigens illud cruci. » « Hoc enim chirographum, inquit Origenes, hom. 13 *in Genesim,* peccatorum nostrorum cautio fuit. Unusquisque enim nostrum in his quæ delinquit, debitor efficitur, et peccati sui litteras scribit. » Rursum significat hic S. Petrus, Christum peccata nostra secum affixisse cruci et crucifixisse, ut iis mortui justitiæ vivamus. Unde Clemens Alexandrinus, lib. III *Pædag.,* cap. XII : « Limitem, ait, (peccati et quasi peccandi terminum) habemus crucem Domini, cui crucifigimur, et a prioribus peccatis reprimimur. » Et Origenes, hom. 8 *in Josue* : « Visibiliter quidem, ait, Filius Dei in carne crucifixus est, invisibiliter vero in ea cruce diabolus cum principatibus suis et potestatibus affixus est cruci, etc. Crux illa trophæum diaboli fuit, in quo et crucifixus est et triumphatus. » In cruce enim Christus « expolians principatus et potestates, » ut ait Paulus, *Coloss.* II, 14, « traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso. » Origenes, hom. 8 *in Josue,* legit, in *cruce,* quia pro αὐτῷ legit per spiritum lenem αὑτῷ, id est, *in ipso,* scilicet ξαυρῷ, id est *cruce,* ut præcessit.

Hinc *tertio,* « a ligno regnavit Deus, » *Psal.* XCV, 10, juxta Septuaginta, ut citat S. Justinus *Contra Tryphonem.* Victoriam enim et regnum totius mundi peperit sibi Christus per crucem. « Factus enim est principatus super humerum ejus, » *Isaiæ* IX, 6. « Nam principatus Domini et regnum ejus est crux, » ait Theophylactus in *Lucæ* cap. XXIII. Crux ergo fuit currus triumphalis Christi : unde admirans S. Augustinus, tractatu 117 *in Joann.* : « Grande, ait, spectaculum, sed si spectet impietas, grande ludibrium; si spectet pietas, grande mysterium. Si spectet impietas, videt regem pro virga regni lignum sui portare supplicii; si pietas spectet, videt regem bajulantem lignum, quod fixurus erat etiam in frontibus regum : in eo spernendus oculis impiorum, in quo erant gloriatura corda Sanctorum. » Quia, ut ait S. Leo, serm. 8 *De Passione,* « gloriosissimus diaboli victor pulchra specie triumphi sui portabat trophæum, et invictæ patientiæ humeris signum

salutis adorandum regnis omnibus inferebat. »

JUSTITIÆ VIVAMUS. — Quocirca exclamat S. Ambrosius : «O divinum crucis illius sacramentum, in qua hæret infirmitas, virtus libera est, affiguntur vitia, eriguntur trophæa! » Unde concludit : « Ergo et tu crucifige peccatum, ut moriare peccato. Qui enim peccato moritur, Deo vivit. Vivamus ei, qui Filio proprio non pepercit, ut in illius corpore nostras crucifigeret passiones. Pro nobis enim mortuus est Christus, ut nos in illius corpore redivivo viveremus. Mortua est ergo in illo non vita nostra, sed culpa. » Et S. Bernardus, epist. 105 *ad Romanum* : « Moritur, inquit, justus, sed secure : quippe cujus mors ut præsentis est exitus vitæ, ita introitus melioris. Bona mors, si moriaris peccato, ut justitiæ vivas. Hæc mors necesse est ut præcurrat, ut sequatur illa secura. Dum vivis in carne, morere mundo, ut post mortem carnis Deo vivere incipias. »

CUJUS LIVORE — græce μώλωπι, id est *vulnere*, vibice, plaga (hoc enim apud Isaiam est hebr. חבורה *chabbera*, id est *livor*, sic dictus a sanguine qui in eo aggregatur : radix enim חבר *chabar* significat *conjungere* : ita Pagninus) SANATI ESTIS. — Christi enim corpus in passione ita flagellis et plagis fuit contusum, conscissum et lividum, ut totum videretur esse livor, imo lepra, ut ait Isaias, cap. LIII. Porro S. Petrus citat *Isaiæ*, LIII, 5. Vide ibi dicta. Pie S. Ambrosius citans hunc locum, lib. *De Spiritu Sancto*, VIII : « Plaga, ait, Christi nostra medicina est. » Idem in cap. XXII *Lucæ* : « Doles ergo, Domine, non tua, sed mea vulnera; non tuam mortem, sed nostram infirmitatem; et nos æstimavimus te esse in doloribus, cum tu non pro te, sed pro me doleres, etc., et livore tuo vulnera nostra sanares. » Sicut ergo avis dicta *icterus* ictericos sanat, quia morbum in se trahit, eoque emoritur. « Avis icterus, ait Plinius, lib. XXX, cap. XI, vocatur a colore, quæ si spectetur, sanari id malum (icteri sive morbi regii) tradunt, et avem mori. Hanc puto latine vocari galgulum. » Sic Christus morbos animæ nostræ in se trahens iis enectus est, et nos vivificati sumus.

Crux sanctitatis magistra sanctis.

Ita S. Elisabeth, Hungarorum regis filia, intensius intuens in imaginem Christi crucifixi, ita compuncta fuit, ut in lacrymas prorumpens sibi diceret : « En creator et redemptor meus nudo corpore, mea causa ignominiosam in cruce oppetit mortem : ego vero misera gemmis, auro, bysso et purpura contecta, vitam cœlestibus indignam beneficiis perdo magis quam ago. Illud caput spinea corona dispunxit, Judæorum vallarunt opprobria : me numerosa circumdatam familia, aurea corona redimitam cuncti mirantur, suspiciunt, honorant. Me miseram, me infelicem! Sic illius obedio præceptis, beneficia revolvo, vestigia sequor, qui me cum non essem creavit, perditamque suo sanguine redemit? » Quare vehementia compunctionis quasi exanimis in terram concidit; ad se reversa, totum vitæ statum mutavit, totamque sese dedit pietati, simplicitati, humilitati, sui contemptui, obedientiæ, charitati et obsequio pauperum : ita habet ejus Vita, cap. VII.

S. Clara, exemplo sui magistri S. Francisci, assidue intuebatur oculis mentis Christum crucifixum, itaque ad mundi contemptum, desiderium crucis, paupertatem, amorem divinum omnemque perfectionem incendebatur. Docebat novitias plangere Christum crucifixum. Inter horas diei, sexta et nona (quibus in cruce pependit Christus) majori compunctione afficiebatur, ut cum immolato Domino immolaretur. Chordam tredecim nodorum ad carnem cingebat in memoriam vulnerum Christi : ita habet Vita ejus, cap. XX.

Notum est quod scribit S. Bonaventura *De stigmatibus S. Francisci*, ei de Christi passione meditanti a Christo impressis.

S. Coleta adeo frequens et intenta erat in meditatione passionis Christi, ut extra se raperetur, et in Deum transformaretur ardentissimo desiderio et amore, præsertim feriis sextis, quibus sæpe præ doloris vehementia in manibus, pedibus et latere sibi revera videbatur clavis et lancea configi. Quare apparuit ei Christus, modumque quo passus esset, et ut singulis membris singulares nostri amore pertulisset cruciatus, revelavit. Quamobrem ipsa incidebat in deliquium, nil nisi Christum sentiens, et in ipsum transformata : ita habet Vita ejus apud Surium, tomo II.

Similis fuit Lyduvina, quæ versans assidue in viridario passionis, imo ex corde trahebat suspiria, ex oculis lacrymarum fundebat imbres, ac per triginta tres annos continuis morbis et doloribus acribus afflicta, summa patientia se Christo patienti conformavit : ita habet Vita ejus, cap. VII.

Ludovicus Blosius, Abbas Lætiensis, vir doctus et sanctus, cap. II *Monilis spirit.*, narrat Christum sæpe revelasse charissimis suis sponsis Brigittæ, Gertrudi, Mechtildi, Catharinæ mire sibi gratum esse devote recolere passionem et amorem nobis in ea ostensum. Quare eas illam tam profunde visceribus animarum suarum infixisse, et tam ardenti suavique affectu ruminasse, ut illa eis esset mel in ore, melos in aure, jubilus in corde. Harum omnium dux et antesignana fuit S. Magdalena, quæ Christo patienti sola, pene cæteris metu diffugientibus, inter carnifices, Scribas et Pharisæos constanter adstitit usque ad mortem, imo usque ad resurrectionem. Pathetice et graphice animi ejus amorisque sensa exprimit Origenes *De S. Magdalena*, ubi inter cætera ait eam sibi dixisse : « Stabo, et hic moriar, ut saltem juxta sepulcrum Domini mei sepeliar. O quam beatum corpus meum, si fuerit sepultum prope magistrum meum. Vivens juxta illud manebo, moriens illi adhærebo; nec viva, nec mortua ab eo separabor. » Et inferius : « Joseph posuit corpus tuum (o Christe) in monumento. Maria sepe-

S. Magdalenæ spiritus in corpore Christi defuncto.

livit ibi pariter spiritum suum, et ita indissolubiliter junxit et quodammodo univit cum corpore tuo, ut facilius posset separare animam se vivificantem a vivificato corpore suo, quam spiritum suum te diligentem a defuncto corpore tuo. Spiritus enim Mariæ magis erat in corpore tuo, quam in corpore suo, cumque requirebat corpus tuum, requirebat pariter spiritum suum : et ubi perdidit corpus tuum, perdidit cum eo spiritum suum. Quid mirum ergo si sensum non habebat (ut Christum videns non videret, sed hortulanum putaret), quæ spiritum amiserat? quid mirum si te nesciebat, quæ non habebat spiritum quo scire debebat? Redde ei itaque spiritum suum quem habet in se corpus tuum, et mox recuperabit sensum suum, et relinquet errorem suum, » etc.

Vers. 25. 25. ERATIS ENIM SICUT OVES ERRANTES. — Excitat fideles ad humilitatem et gratitudinem, ut scilicet cogitent se fuisse oves a Deo, virtute, salute et cœlo aberrantes, ac ad diabolum, scelera, damnationem et gehennam ruentes, sed a Christo pastore revocatas, reductas, et in recta ad salutem via positas. Immensas ergo agant gratias Christo suo pastori. Alludit ad *Isaiæ* LIII, 6 : « Omnes quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit. » Et *Psal.* CXVIII, vers. ult. : « Erravi sicut ovis quæ periit : quære servum tuum, Domine. » Et ad parabolam pastoris, qui relictis nonagintanovem ovibus centesimam aberrantem requisivit, et inventam imposuit in humeros, ac ad ovile reduxit, *Luc.* XV, 4. Hinc Romæ in Basilica Lateranensi (quæ antiquissima est, et prima in toto orbe a Constantino Magno fabricata) et aliis ecclesiis crebro pingitur Christus quasi pastor inter oves, qui ovem perditam humeris impositam gestat et reducit ad caulam. Unde S. Leo, serm. 18 *De Passione*, Adamo opponens Christum : « Ille, ait, per superbiæ cupiditatem iter fecit ad miseriam, hic per humilitatis fortitudinem viam paravit ad gloriam. »

Analogiæ ovis et hominis. Nota : Apte homines peccantes comparantur ovibus errantibus : *Primo*, quia ovis est animal simplex et mansuetum : sic et homo. Unde oves nonnullis in locis, uti in Chalcide Euboica, prorsus carent felle, uti et homines nonnulli, inquit Aristoteles, lib. IV *De Partibus animal.*, cap. II.

Prima. Secunda. *Secundo*, idem alibi scribit oves infestari tot morbis, quot homines.

Tertia. *Tertio*, oves ruminant et somniant æque ut homines, teste Aristotele, lib. IV

Quarta. *De Historia animal.*, cap. X. *Quarto*, ovis sociale est animal tam ovibus quam hominibus : sic et

Quinta. homo. *Quinto*, oves brevi tempore vivunt : sic et homines sunt brevis ævi. « Vita capris ad octonos cumplurimum annos, ovibus ad denos, sed magna ex parte ad pauciores : duces pecoris tamen vel ad quindenos protrahunt vitam, » ait Aristo-

Sexta. teles, lib. VI *Histor. anim.*, cap. XIX. *Sexto*, idem ibidem : « Singulis, ait, ovilibus singuli duces constituuntur, qui quoties suo nomine a pastore vocantur, antecedunt : quod ab ineunte ætate facere assuescunt; » sic singulæ Respublicæ, urbes et cœtus hominum suos habent rectores. « Capris autem nullum ducem pastores constituunt, quia earum natura non stabilis, sed lubrica est et mobilis. » *Septimo*, ovis est animal gregale : sic Septima. et homo. « Docent pastores suas oves gregari facto strepitu. Nam si cum tonuerit, aliqua relinquatur quæ non concurrerit, abortum, si est gravida, facit. Unde fit ut si quem domi strepitum commoveris, omnes concurrant propter consuetudinem, » inquit Aristoteles, lib. IX *Hist. animal.*, cap. III. *Octavo*, ovis facile deviat et aberrat : sic Octava. et homo. Rationem dat Aristoteles, loco jam citato : « Genus ovile, inquit, amens, et moribus, uti dici solet, stultissimis est; quippe quod omnium quadrupedum ineptissimum sit : repit in deserta sine causa : hieme obstante, ipsum sæpe egreditur stabulo : occupatum a nive, nisi pastor compulerit, abire non vult, sed perit desistens, nisi mares a pastore ducantur; ita enim reliquus grex consequitur. » *Nono*, ovis sæpe parit mon- Nona. strum : sic et homo. Causam dat Aristoteles, lib. IV *De Gener. animal.*, cap. IV : « Homini locis quibus mulieres perfecundæ sunt magis id (generare monstrum) evenit, ut in terra Ægypti; capris vero et ovibus magis, ut fecundioribus, accidit, atque etiam magis multifidis : multipara enim id genus animalia sunt, nec partum perficiunt. » Oves pariunt monstra agnorum; homines edunt monstra amorum, morum et vitiorum. *Decimo*, Decima. ovis errans præda fit lupo : ita homo peccans diabolo; lupum arcent canes : ita diabolum concionatores.

SED CONVERSI ESTIS NUNC, — non a vobis, sed a Christo per gratiam suam vocante et trahente ad se, juxta illud *Joan.* VI, 44 : « Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum; » et illud Pauli : « Deus est qui operatur in vobis et velle et perficere, » *Philip.* II, 13; et illud Psaltis, *Psal.* LVIII, 11 : « Misericordia ejus præveniet me; » et illud : « Converte nos, Domine, ad te, et convertemur, » *Thren.* cap. V, vers. 21; et illud *Jerem.* XXXI, 18 : « Castigasti me, et eruditus sum quasi juvenculus indomitus : converte me, et convertar, quia tu Dominus Deus meus. Postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam. »

AD PASTOREM ET EPISCOPUM ANIMARUM VESTRARUM, — Christum scilicet, juxta illud Christi : « Ego sum pastor bonus, » *Joan.* X, 11; et illud *Isai.* XL, 11 : « Sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos, in sinu suo levabit, fœtas ipse portabit; » et *Ezech.* XXXIV, 23 : « Suscitabo super eos Pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David : ipse pascet eas, et ipse erit eis in Pastorem, » etc.: totum enim hoc Ezechielis caput est de Pastoribus. Vide ibi dicta, et dotes veri Pastoris quas assignavi ibidem, et *Zachar.* XI, 7. Nonnulli per « Pastorem » accipiunt regem. Sic enim ab Homero Agamemnon rex vocatur Pastor populorum, et David ab Ezechiele vocatur Pastor : quod

enim est pastor in grege, hoc debet esse rex in plebe. Christus ergo est pastor, id est rex animarum, quia in eis regnat per fidem et gratiam, easque regit et dirigit ad gloriam et regnum æternum, juxta illud *Psal.* XXII, 1 : « Dominus regit me (hebraice *Dominus Pastor meus*, vel *pascit me*), et (id est, idcirco) nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit. » Sic Christus, *Apocal.* XIX, 16, vocatur « Rex regum, et Dominus dominantium. » Hinc Christus veniens in mundum, primo ad suum præsepe per angelos vocavit pastores ovium, et Magos reges, qui erant pastores populorum, per stellam. Hinc et in Echinadis insulis audita est vox, Christo moriente, *Pana magnum mortuum.* Pan enim erat Deus Pastorum. Talis autem erat Christus : ita Eusebius, lib. V *De Præpar.*, cap. IX.

ET EPISCOPUM ANIMARUM VESTRARUM. — Est ipse episcopus et corporum, quatenus salus corporum dirigitur ad salutem animarum : alioqui enim salus corporum per se spectat ad medicum, non ad episcopum. Christus ergo est episcopus, speculator, superintendens, regens, custodiens, dirigens animas quasi oves suas in vitam æternam. Unde discant Episcopi, suum munus esse non suis commodis et honoribus, sed animarum saluti incumbere, ut docet S. Bernardus, lib. II *ad Eugen.*, cap. VI : « Blanditur, ait, cathedra? specula est : inde denique superintendis, sonante tibi Episcopi nomine, non dominum, sed officium. » Præclare S. Epiphanius, *hæresi* 55, ostendit Christum esse Pastorem et Episcopum. « Qui, ait, pro toto mundo obtulit se, ipse victima, ipse sacrificium, ipse sacerdos, ipse altare, ipse Deus, ipse homo, ipse rex, ipse pontifex, ipse ovis, ipse agnus omnia in omnibus pro nobis factus, ut nobis vita omnibus modis fieret, et sacerdotii sui immutabile firmamentum in sæcula efficeret. » Nimirum ipse ita est Pastor, ut nos oves suas propria carne pascat, et proprio sanguine potet in Eucharistia. Quare merito S. Eucherius, epist. *ad Valerianum* : « Imprudentissimum est, ait, cum pro nobis tam multa fecerit Deus, nihil nosmetipsos fecisse pro nobis. »

Ei ergo quasi Pastori animæ nostræ amantissimo, vigilantissimo, potentissimo canamus jugiter cum S. Thoma totaque Ecclesia in festo Corporis Christi :

Bone Pastor, panis vere,
Jesu, nostri miserere :
Tu nos pasce, nos tuere
Tu nos bona fac videre
In terra viventium.

Tu qui cuncta scis et vales,
Qui nos pascis hic mortales,
Tuos ibi commensales,
Cohæredes et sodales
Fac sanctorum civium.

Jesu bone, animam meam unicam, quasi oviculam tuam, ex toto corde tibi committo : tua est, quia tuo sanguine empta : tu eam rege et custodi : tu eam rectis itineribus, quæ peccati non habeant scandalum, dirige ad portum salutis æternæ. Dico cum S. Nazianzeno, carm. 9 : « Soli tibi solus ego sum, Christe, relictus. In te mihi robur omne situm est; in te fiducia tota salutis. »

Christum ergo quasi principem Pastorum jugiter intueantur Episcopi et Pastores, in eo et ex eo cognoscant quantam animarum curam gerere debeant, ut Christo assimilentur : illius enim onus et officium, quasi ejus vicarii in se susceperunt. Ita suorum curam gessit S. Gregorius Thaumaturgus, Episcopus Neocæsareensis, qui omnes pene suos cives ab infidelitate ad fidem Christi traduxit. Unde moriens cum quæsisset quot in civitate reliqui essent infideles, responsumque esset tantum superesse septemdecim, Deo gratias agens : « Totidem, inquit, erant fideles cum cepi episcopatum. » Idem singulos erudiebat ad virtutem suo statui congruam : juvenes hortabatur ad modestiam, senes ad patientiam, servos ad obedientiam, ut erga dominos fideles et morigeri essent; dominos ad clementiam, ut erga subditos se humanos exhiberent; pauperes ad contemptum opum, ut veras divitias censerent esse virtutes; divites ad beneficentiam, ut eleemosynas egenis facerent, cogitantes se opum non esse dominos, sed dispensatores; mulieribus pudicitiam, pueris obedientiam, parentibus disciplinam inculcabat; mœrentibus consolationem, dubiis consilium, afflictis opem afferebat, omnibus omnia factus, ait Nyssenus in ejus Vita. Similis et homonymus illi fuit S. Gregorius Magnus pontifex, in quo quantus fuerit animarum zelus, liquet ex tot tamque assiduis ejus epistolis, homiliis, curis et gestis. Unde ipse, lib. II, epist. 25 *ad Joannem Episcopum Squilatinum* : « Admonemus, ait, fraternitatem tuam, ut in commissis sibi animabus solerter invigilet, et animarum magis lucris, quam commodis vitæ præsentis intendat. In continendis aut disponendis rebus Ecclesiæ diligens insistat, ut omni ex parte susceptum digne te gessisse Pastoris officium venturus judex, cum ad judicandum venerit, debeat approbare. »

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jubet uxores fideles subesse viris, etiam infidelibus, eaque occasione uxoris æque ac viri utrimque officia persequitur. Secundo, vers. 8, fideles omnes hortatur ad concordiam, charitatem, modestiam, humilitatem, patientiam. Tertio, vers. 18, proponit eis exemplum Christi, cui per baptismum incorporati sunt, ut ejus puritatem et mores imitantes cum eo conscendant in cœlum, vitaque æterna donentur.

1. Similiter et mulieres subditæ sint viris suis : ut et si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant, 2. considerantes in timore castam conversationem vestram. 3. Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus : 4. sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti et modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples. 5. Sic enim aliquando et sanctæ mulieres, sperantes in Deo, ornabant se subjectæ propriis viris. 6. Sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans : cujus estis filiæ benefacientes, et non pertimentes ullam perturbationem. 7. Viri similiter cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impertientes honorem, tanquam et cohæredibus gratiæ vitæ : ut non impediantur orationes vestræ. 8. In fide autem omnes unanimes, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles : 9. non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed e contrario benedicentes : quia in hoc vocati estis, ut benedictionem hæreditate possideatis. 10. Qui enim vult vitam diligere, et dies videre bonos, coerceat linguam suam a malo, et labia ejus ne loquantur dolum. 11. Declinet a malo, et faciat bonum : inquirat pacem, et sequatur eam : 12. quia oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum : vultus autem Domini super facientes mala. 13. Et quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis? 14. Sed et si quid patimini propter justitiam, beati. Timorem autem eorum ne timueritis, et non conturbemini. 15. Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe. 16. Sed cum modestia et timore, conscientiam habentes bonam : ut in eo, quod detrahunt vobis, confundantur, qui calumniantur vestram bonam in Christo conversationem. 17. Melius est enim benefacientes (si voluntas Dei velit) pati, quam malefacientes. 18. Quia et Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu. 19. In quo et his, qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicavit : 20. qui increduli fuerant aliquando, quando exspectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur arca, in qua pauci, id est, octo animæ salvæ factæ sunt per aquam. 21. Quod et vos nunc similis formæ salvos facit baptisma : non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum per resurrectionem Jesu Christi, 22. qui est in dextera Dei, deglutiens mortem, ut vitæ æternæ hæredes efficeremur : profectus in cœlum subjectis sibi angelis, et potestatibus, et virtutibus.

1. SIMILITER ET MULIERES SUBDITÆ SINT VIRIS SUIS. — Vox *similiter* respicit sudditos et servos, de quibus egit capite præcedenti, vers. 13 et 18, *q. d.* Jussi subditos subesse principibus, servos heris; nunc similiter jubeo uxores subesse maritis; hoc enim jubet lex naturæ, divina et humana, tam Gentilis quam Christiana. Sancit hoc S. Petrus tam diserte, eo quod per Gentiles spargeretur rumor, sed falsus, Christianos quasi Christi filios velle se eximere ab omni servitute et subjectione, ac præsertim uxores a consortio conjugum; idque partim ex eo, quod luxuriosi Gentiles uxoribus præpostere contra naturam abutebantur : hoc autem uxoribus ne permitterent vetabant Apostoli,

ideoque nonnullæ a maritis, quibus legitimum conjugii usum persuadere non poterant, faciebant divortium, uti faciebat matrona illa, de qua Eusebius, lib. IV *Histor.*, XVII, et aliæ de quibus S. Linus in passione S. Petri; partim ex eo, quod multæ virgines a parentibus desponsatæ viris infidelibus, ante consummatum matrimonium a sponsalibus et sponsis resilirent ob amorem vel votum virginitatis, quam adeo ab Apostolis celebrari audiebant. Sic enim S. Flavia Domitilla desponsata Aureliano, ante connubium conversa a suis eunuchis, Nereo et Achilleo, velum virginitatis a S. Clemente Papa accipiens, nuptias sponsumque respuit: eaque de causa tam ipsa, quam S. Clemens, Nereus et Achilleus martyrium subierunt. Sic S. Thecla conversa a S. Paulo, resiliit a nuptiis Tamyridis cui desponsata erat, eaque de causa multa et atrocia sustinuit. Sic S. Iphigenia hortatu S. Matthæi refutavit connubium Hyrtaci regis: qui ea de causa S. Matthæum morte et martyrio affecit. Sic et Susanna neptis Diocletiani Imperatoris respuit nuptias Maximiani Imperatoris, qui proinde eam occidit, martyremque effecit. Sic S. Agnes, S. Felicula, et pleræque aliæ virgines, eo quod nuptias et sponsos rejicerent, martyrio coronatæ sunt. Inde ergo calumnia conflata est in Christum et Christianismum quasi nuptiis contrarium et sponsorum jura evertentem, adeo ut mariti vetarent uxores fieri Christianas, ne jus et imperium in illas perderent. Huic calumniæ ut occurrat Petrus, jubet uxoribus ut subsint viris, in iis scilicet quæ conjugale jus exigit, aut permittit. Causam dat S. Augustinus in Quæst. super *Gen.* CLIII: «Est ordo, inquit, naturalis in hominibus, ut serviant feminæ viris: quia et illic justitia est hæc, ut infirmior ratio serviat fortiori: et hæc in dominationibus et servitutibus clara justitia est, ut qui excellunt ratione, excellant dominatione.» Unde Euripides in *Iphigenia*:

Apostoli prædicones castitatis.

Præstat, *ait*, unicus vir, estque lucis hujus munere
Dignior, quam multa sane feminarum millia.

Mas dignior femina triliciter.

Hinc Christus assumpsit humanam naturam in sexu virili, qui dignior est, perfectior et honorabilior, ait S. Augustinus, lib. LXXXVIII *Quæst.*, et ex eo S. Bonaventura, in III, dist. XII, art. 3, quæst. 1. Excellit enim, inquit, sexus virilis muliebrem, *primo*, quantum ad dignitatem in principiando, quia omnes tam viri quam mulieres ex uno viro Adamo prodierunt. *Secundo*, quantum ad virtutem in agendo: vir enim magis robustus et industrius est quam femina. *Tertio*, quantum ad auctoritatem in præsidendo. Quin et Pythagoras asseruit marem in omni genere animalium esse naturæ et virtutis principium. Et Ælianus, lib. XI, cap. XXVI: «Sexus, ait, masculus etiam inter bruta videtur a natura præferri: siquidem draco mas insignis est crista et barba hirsutus: gallinaceus et ipse cristatus, paleas insuper velut barbam gerit: cervus cornutus, leo jubatus, cicada mas canorus est.»

Simili modo S. Paulus multis docet uxores debere subesse viris, et in signum hujus subjectionis gestare in capite velamen, I *Cor.* XI, 10. Vide ibi dicta. Citat Clemens Alexandrinus, lib. IV *Strom.*, hanc Euripidis sententiam: « Quævis pudica mulier est viri serva: quæ autem non est pudica, eum qui una versatur, superat amentia.»

Nam melius nec præstantius ullum est,
Concordes quam ut cum in tecto versantur eodem
Vir simul et mulier.

Monstrum femina dominans viro.

Quocirca monstrum est uxor viro imperans, et vir uxoris imperium patiens. Judæis id summo probro vertit Isaias, cap. III, vers. IV, dicens: « Effeminati dominabuntur eis; » et Aristoteles, II *Polit.*, III, taxat Spartanas viris imperantes. Nam, ut ait Philo apud Antonium in *Melissa*, tom. II, serm. 34: « A muliere dominari summum est viro dedecus. » Quocirca Assuerus uxorem volentem dominari, regisque jussa respuentem repudiavit, *Esther* II, 20. Vere S. Augustinus, *De Catech. rud.*: « Cum femina, ait, dominatur in virum, perversa et misera domus est. » Plutarchus, in *Præcept. connub.* cap. V, asserit uxores quæ malunt stolidis viris imperare quam parere sapientibus, similes esse illis quæ ducere potius volunt cæcos, quam intelligentia visuque præditos sequi. Viros vero effeminatos ridet Jeremias cap. LI, vers. 30, dicens: « Devoratum est robur eorum, facti sunt quasi mulieres; » et Homerus *Iliad.* II: « O imbelles, mala vituperia, Achivæ, neque amplius Achivi; » et Homerum secutus Virgilius, IX *Æneid.*:

O veræ Phrygiæ, neque enim Phryges.

Et Turnus, *Æneid.* XII, per contemptum Æneam vocat semivirum Phrygem.

UT ET SI QUI (mariti) NON CREDUNT VERBO (Christi et Evangelii, puta prædicationi Evangelicæ), PER MULIERUM CONVERSATIONEM SINE VERBO (sine sermone; Syrus, *per bonos mores absque labore*) LUCRIFIANT — ut earum anima et salus quasi ingens lucrum acquiratur, et accedat Christo et Ecclesiæ. Hinc jubet Paulus I *Cor.* VII, 13, mulieres conversas ad fidem non facere divortium a maritis infidelibus, sed eis cohabitare, ut sua sancta conversatione tam eos quam filios ad Christum traducant, uti traduxit S. Natalia S. Adrianum, Clotildis Clodovæum, S. Cæcilia S. Valerianum, S. Martha S. Marium, S. Monica Patricium et S. Augustinum, S. Gorgonia Vitalianum. Mulier enim cum sit gratiosa et ametur a viro, eique jugiter adsit, in ejus animum sicut aqua in spongiam sensim sine sensu illabitur, illumque occupat et flectit quo vult, inquit S. Chrysostomus, hom. 60 *in Joannem*, præsertim cum accedit pia et sancta conversatio. Nam, ut ait S. Chrysostomus, hom. 19 in epist. *ad Hebr.* « Facere majorem vim habet ad docendum, quam docere. »

2. CONSIDERANTES (scilicet viri, non mulieres, ut vult Hugo et Lyranus, ἐποπτεύσαντες enim cum Vers. 2.

sit masculinum, viros respicit) IN TIMORE CASTAM CONVERSATIONEM VESTRAM. — « Timor » hic idem est quod reverentia qua mulieres Christum, et amore viceque Christi maritum, reverentur, caventque studiose ne eum etiam in re minima offendant, ac præsertim ut integram et omnimodam ei fidem et castitatem conjugalem servent. Posset vicissim accipi timor maritorum, quo scilicet mariti considerantes castam conversationem uxoris, eam reverentur et amant : indeque ad eam æmulandam et ad christianismum alliciuntur.

Prima uxoris dos castitas, cur?

Notat hic S. Petrus primam uxoris dotem esse fidem et castitatem : femina enim et natura, et fragilitate, et complexione (utpote calida et humida) in venerem valde est propensa. Propria feminarum passio est libido, ait S. Chrysostomus, hom. 40 *in Matth.*, ejusque causam dat otium quo abundat : amor enim est animi cura vacantis passio. Hinc illud Ovidii, lib. I *De Remedio amoris* :

> Otia si tollas, periere Cupidinis arcus.
> Quæritur, Ægistus quare sit factus adulter?
> In promptu causa est, desidiosus erat.

Idipsum docet Salomon, *Prov.* XXX, 15, ubi inter quatuor insaturabilia secundum ponit os vulvæ. Et *Eccli.* XXXVI, 23 : « Omnem, inquit, masculum excipiet mulier. » Et Aristoteles, lib. IV *Problem.*, cap. XXVII, scribit mulieres in venere esse insatiabiles. Nota est Messalinæ Claudii Imperatoris uxoris portentosa libido. Narrat Diodorus, lib. II, et Herodotus, lib. II, quod cum Pheron, Sesostris filius, rex Ægypti, captus oculis fuisset, ideoque deorum opem per varia sacra implorasset, responsum et remedium acceperit, ut placato Deo qui in Heliopoli coleretur, faciem mulieris inspiceret, quæ nullum nisi sibi proprium virum novisset, ab uxore propria incipiens multas expertus est, nullam tamen reperit incorruptam præter hortulani cujusdam, quam restituto visu uxorem accepit; reliquas omnes vivas combussit. Æschines Satyricus omnes feminas Ionicas μοιχάδας, id est *adulteras*, appellare est ausus. Josephus, lib. II *Belli*, cap. VII, scribit Essæos non ducere uxorem, eo quod nullam uni viro fidem servare credant : licet alia potior fuerit ratio, nimirum studium pietatis et contemplationis. Porro, inter Christianos scimus multas mulieres fuisse et esse castissimas, imo virgines : habet enim Ecclesia innumera sanctarum virginum agmina, in eoque insignis elucet gratia Christi et christianismi, quæ naturam fragilem ita corrigit, consolidat, evehit et perficit. Plutarchus, in *Problem.*, ait olim novæ nuptæ præferri solitum ignem et aquam, ut significaretur eam castam et puram esse debere : ignis enim purgat, aqua lustrat.

Vers. 3.

3. QUARUM NON SIT EXTRINSECUS CAPILLATURA. — S. Fulgentius, lib. II cap. XI, *capillorum implicatio*; Tigurina, *quarum ornatus sit non externus, qui situs est in plicatura capillorum*; Syrus, *in cincinnis capillorum*; S. Ambrosius, *Exhort. ad Virgin.*, *in plicatu capillorum*; græce enim aliqui legunt ἐμπλοκῆς τριχῶν, id est *implicationis capillorum*. Alii per diastolen, ἐν πλοκῇ τριχῶν, id est *in plicatura capillorum*. Sed eodem redit sensus. Intelligit enim capillorum πλέγματα quælibet, sive ea fiant eos crispando, sive retorquendo, sive innodando, sive in cirros et cornua calamistris discriminando, sive alienos accersendo. Hoc est quod ait Paulus, I *Timoth.* II, 9 : « Ornantes se non in tortis crinibus. » Solent enim feminæ studere compositioni et ornatui capillorum; unde Terentius in *Heaut.*, act. 2 : « Dum poliuntur et comuntur, annus est. » « Imo alienis capillis verticem struunt, » ait S. Hieronymus *ad Marcell.*, ut videantur in fronte erigere crinium fastigia et turres; quas incusans Juvenalis, *satyr.* 6, ait :

> —— Tot adhuc compagibus altum
> Ædificat caput.

Et Tertullianus, *De Cultu femin.*, cap. VII : « Quid, ait, tanta ornandi capitis onerositas salutem subministrat? » Et S. Hieronymus ad Lætam, *De Instit. filiæ* : « Nec caput, ait, gemmis oneres, nec capillum irrufes, et ei aliquid de gehennæ ignibus auspiceris; » solebant enim crines et vultum cerussa, stibio aliisque pigmentis colorare : et qui hæc parabant a cinere fucorum vocabantur Cinerarii et Ciniflones, ait Tiraquellus, leg. II *Connub.*, num. 27. Præclare Esther, cap. XIV, 16, Deum alloquens : « Tu scis, ait, necessitatem meam, quod abominer signum superbiæ et gloriæ meæ, quod est super caput meum in diebus ostentationis meæ, et detester illud quasi pannum menstruatæ, et non portem in diebus silentii mei. » Si id culpabile in feminis, multo magis in viris, qui se effeminant « apertam professi mulierositatem, » ait Tertullianus *De Veland. virg.* Jure S. Gregorius, hom. 6 *in Evang.* : « Pensate, ait, quæ culpa sit hoc etiam viros appetere, quo curavit Pastor Ecclesiæ et feminas prohibere. » S. Tiburtius asseruit Torquatum Christiani nomen mentiri, eo quod capillos crisparet : ita habet ejus Vita.

Ciniflones.

Porro totus hic versus græce sic clare habet : « Quarum cultus (ornatus) sit non exterius implicationis capillorum, aut circumpositionis auri, aut amictus vestimentorum, sed absconditus est cordis homo (qui consistit) in incorruptione mansueti et quieti spiritus, » *q. d.* Cultus feminarum sit non externus, sed internus, puta interior homo spiritalis, nimirum incorruptus animi placidi et quieti spiritus. Secunda est hæc dos et virtus mulieris, nimirum modestus et honestus corporis cultus : prima enim est castitas, ut dixi.

Secunda dos feminæ, modestiæ cultus.

AUT CIRCUMDATIO AURI. — Tigurina, *aut in circumpositione auri*, quomodocumque ea fiat, sive aureas gestando vestes, catenas, bullas; sive capillos aureis filis vittisque colligando; sive vestes limbis et fimbriis aureis distinguendo. Porro non vetat S. Petrus omnem capillaturæ et auri usum, sed tantum immodicum, et qui statum superet.

Hoc responsum sit Cajetano, qui censet hæc ad fideles ævi S. Petri sanctissimos pertinere, non ad matronas nostri sæculi. Quis autem modus sit adhibendus, docet S. Basilius in *Isaiæ* cap. III. Quare merito S. Hieronymus, lib. I *Contra Pelagium*, Pelagium refellit, quod diceret omnem omnino ornatum a S. Petro prohiberi.

AUT INDUMENTI VESTIMENTORUM CULTUS. — Tigurina, *aut in amictu palliorum*. Solent enim tot induere vestes, totque tunicis, peplis, velis, palliis, etc., iisque sericis et pretiosis se amicire et ornare mulieres cultus studiosæ, ut Isaias eas enumerando multos versus impleat cap. III, vers. 18, et Tiraquellus in *Connub.* lege III, num. 27 et seq. multa alphabeta, multasque paginas. Imo nonnullæ in vestitu suo omnes viri opes exhauriunt, juxta illud Propertii :

Matrona incedit census induta nepotum,

quod detestans Ovidius, lib. III *De Arte aman.*, exclamat :

Quis pudor est census corpore ferre suos?

Et Seneca, lib. VII *De Benefic.*, cap. IX, ait insanis quibusdam bina ex auribus pendere gemmarum patrimonia.

4. SED QUI ABSCONDITUS EST CORDIS HOMO (hoc est, mens et animus, supple et repete, hic sit mulierum cultus et ornatus, ut præcessit : hic autem situs est) IN INCORRUPTIBILITATE QUIETI ET MODESTI SPIRITUS, — *q. d.* « Absconditus » cordis homo est incorruptus animi mansueti et modesti spiritus : hicque verus et unicus est feminarum cultus. De duplici homine, interiore scilicet et exteriore, vide S. Augustinum, lib. I *De Nuptiis et Concup.*, cap. XXX, et S. Ambrosium, *De Instit. virg.*, II, et ea quæ dixi *Rom.* II, 29, et *Ephes.* IV, 24. Philosophice Cajetanus absconditum hominem censet vocari animam immortalem in corpore absconditam, cujus cor est voluntas. Melius S. Ambrosius, *epist.* 27 : « Exterior homo, ait, plurima in se membra habet; interior autem cordis homo totus sapientiæ est, plenus gratiæ, plenus decoris. » Dicitur cordis, non quod in corde resideat (anima enim potius residet in capite), sed quia cordi, id est appetitui, præest, eumque regit et moderatur. Tigurina vertit, *sed occultus sit ornatus, qui est in corde homo, si is careat omni corruptela, ita ut spiritus placidus sit ac quietus, q. d.* Optimus ornatus mulieris est mansuetudo, modestia et pax animi; hæc enim omnes animi potentias, passiones et motus componit, ornat, ditat. Hic enim est « decor occultus et tecta venustas, » ait Nazianzenus in *Præcept. ad virg.*, et Psaltes *Psalm.* XLIV, 14 : « Omnis, ait, gloria filiæ regis ab intus. » Tritum est illud : « Mulieri ornamentum mores, et non aurum. » Ornamentum, ait Crates, est quod ornat; ornat autem quod honestiorem mulierem facit : talem vero præstat non aurum, non smaragdus, non coccus, sed gravitas, moderatio, pudor : ita Plutarchus in *Lacon.* Plinius in *Panegyr. Trajani* laudat ejus uxorem, quod in cultu esset modesta. Pythagoras Crotoniensibus matronis persuasit ut auratas vestes, aliaque ornamenta velut instrumenta luxuriæ deponerent, eaque omnia in Junonis æde deæ consecrarent : vera enim ornamenta matronæ esse pudicitiam, non vestes, uti refert Justinus, lib. XX. Sic et Aristoteles in *Œconom.* ait, ornatum mulieris non esse cultum, sed modestiam, ac studium honeste et decore vivendi. Clemens Alexandrinus, lib. II *Pædagog.*, cap. XII, docet verum mulieris ornamentum esse verecundiam; et eas quæ se auro ornant, imitari barbaros, qui maleficos auro vinciunt. « An non enim, ait, colli vinculum est torques aureus moniliaque, et quæ catenarum locum obtinent? Hinc et ἁλύσεις, id est catenæ, appellantur. Unde Philemon pellucidas vestes vocat compedem auream. »

Honestas et verecundia.

Ac recensitis plurimis mulierum ornamentis : Miror, ait, eas non enecari, dum tantum onus bajulant : vide eumdem, lib. III, cap. I et II. S. Chrysostomus, hom. 21 *ad Popul.* : « Vis, ait, ornare faciem? orna non margaritis, sed modestia et honestate : sicque vir gratiorem cernet aspectum. Ille nempe ornatus et zelotypiæ suspicionem injicere sæpe solet, et inimicitias, et contentiones, et pugnas, etc.; modestia autem ornatus omnem quidem improbam suspicionem expellit : omni autem vinculo firmius conjugium conciliat. Non enim tam decorum facit formæ natura fieri aspectum, quam eam spectantis affectus. Affectum vero nihil sic ut modestia et honestas inducere solet, etc. Circa margaritarum cultum insania, est pompa satanica. Aurum enim cepisti non ut corpus vincias, sed ut pauperes salves et enutrias. » Idem, hom. 41 *in Genes.* « A cultu, ait, corporis innumera fiunt mala : arrogantia quæ intrinsecus nascitur, despectus proximi, fastus spiritus, animæ corruptio, voluptatum illicitarum fomes, » etc. S. Gregorius Nazianzenus scripsit orationem contra mulieres ambitiosius se ornantes, in qua sic orditur : « Cavete, o mulieres, ne caput vestrum nothis et adulterinis crinibus, tanquam turribus quibusdam, muniatis, mollia colla e scapulis delicate ostentantes : neu Dei formas fœdis coloribus inungatis, sic ut jam non facies, sed larvas gestetis. » Et post nonnulla : « Verendum est, ne Deus iratus sic te alloquatur : Dic, age, o aliena mulier, ecquis tandem, et undenam est tuus fictor et procreator? Non te depinxi canis, sed imaginem mei finxi. Qui fit igitur, ut pro chara imagine idolum habeam? » Additque externi cultus studiosas internum negligere, ideoque interne Hecubam, externe Helenam repræsentare. S. Cyprianus, *De Habitu Virgin.*, affirmat deteriorem esse ornatum superfluum ipso adulterio : quia, ut ait S. Augustinus, lib. I *De Serm. Domini in monte*, « ibi pudicitia, hic natura adulteratur. » Idem, *epist.* 73 *ad Possidon.* : « Verus, ait, ornatus Christianorum et Christianarum, non tantum nullus fucus men-

dax, verum ne auri quidem vestisque pompa, sed mores boni sunt. » Eleganter Propertius, lib. I *Elegiar.*, 1 :

> Quid juvat ornato procedere vitta capillo?
> Teque peregrinis vendere muneribus?
> Naturæque decus mercato perdere cultu?
> Nec sinere in propriis membra nitere bonis?

Salse, sed vere S. Cyprianus *De Habitu Virg.* : « Ornamentorum, ait, et vestium insignia, et lenocinia formarum, non nisi prostitutis et impudicis feminis congruunt : et nullarum fere pretiosior cultus est, quam quarum pudor vilis est, etc. Sericum et purpuram indutæ Christum induere non possunt : auro et margaritis et monilibus adornatæ, ornamenta cordis ac pectoris perdiderunt. » Plura citavi *Isaiæ* III, 18.

IN INCORRUPTIBILITATE QUIETI ET MODESTI SPITITUS. — S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovin.*, « in incorruptione mitis et silentis spiritus, » Declarat quis sit absconditus; id est, interior homo, puta homo cordis, id est, mentis et animi; ac in quo consistat, aitque consistere, « in incorruptibilitate, » græce ἐν ἀφθάρτῳ, id est, *in incorruptione*, hoc est, in integritate, « quieti, » græce πραέος, id est *mitis*, mansueti, placidi, « et modesti (mansuetudinis enim comes, imo filia est tranquillitas et modestia) spiritus. » Incorruptionem « quieti spiritus » vocat *primo*, castitatem et puritatem spiritus, eamque opponit corruptioni corporis, quam uxores passæ sunt in conjugio, *q. d.*, ait S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovinianum* : « Quoniam exterior vester homo (corpus) corruptus est, et beatitudinem incorruptionis quæ proprie virginum est, habere desiistis : imitamini incorruptionem spiritus, saltem per seram abstinentiam, et quod corpore non potestis, mente præstate. Has enim Christus divitias et hos vestræ conjunctionis quærit ornatus. » Sic et alii per incorruptionem accipiunt castitatem conjugalem. Ubi nota, mansuetudinem, humilitatem et modestiam parere incorruptionem, id est castitatem, uti *Rom.* I, 24, ostendi : idque docet S. Gregorius, XXVI *Moral.*, XII, vol. 13; et S. Bernardus, serm. 1 *In festo omnium Sanctorum*, ita explicat illud Christi *Matth.* V : « Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram, » id est, inquit, carnem suam. « Incorruptio autem facit proximum esse Deo, » *Sap.* VI, 20. Casti ergo, humiles et modesti sunt, quasi dii quidam terrestres, juxta illud : « Ego dixi, dii estis, et filii Excelsi omnes; » *Psalm.* LXXXI, 6. Hinc et Poetæ, ait Clemens Alexandrinus, lib. IV *Strom.*, in fine, « electos appellarunt θεοειδέας, id est *deiformes*; et δίους, id est, *divos*, et ἀντιθέους, id est, *diis æquales*; et Διὶ μῆτιν ἀταλάντους, id est, *consilio Jovis pares*; et θεοῖς ἐναλίγκια μήδ' ἔχοντες, id est *prudentia divis similes*; et θεοεικέλους, id est, *Deo similes*. Euripides itaque : In meo, inquit, tergo sunt pennæ aureæ, et aptantur grata Sirenum talaria, iboque in immensum sublatus æthera, Jovem conventurus. Ego autem Christi spiritum optaverim, ut me in meam sustollat Jerusalem. » S. Hilarius scripsit epistolam ad Abram filiam suam, in qua promittit ei margaritam pretiosissimam, si margaritas vulgares contemnat : « Margarita hæc, ait, virtutis ejus est, ut, si quis eam induitur non ægrotet, non senescat, non moriatur. » Rursum, ut eam habere non possit, si quis margaritam aliam habuerit, nam speciosa est, pretiosa, incomparabilis et cœlestis, præstans salutem et æternitatem, nec dignatur ibi esse, ubi aliæ sunt : nimirum margarita hæc est virginitatis status, quam S. Hilarius filiæ optavit et persuasit. Sic et S. Agnes dixit se a Christo ornatam esse inæstimabilibus margaritis.

Incorruptio spiritus primo, est castitas.

Secundo, incorruptio spiritus est integritas animi mansueti et tranquilli, qui nullis exagitatur cupiditatum procellis, nullis passionum ægritudinibus, nulla ira, superbia, invidia, etc., corrumpitur, sed illæsus, integer et incorruptus consistit. Hanc enim parit mansuetudo et modestia : hisce ergo ornari vult mulieres; ac mansuetudinem quidem opponit invidiæ, iracundiæ, superbiæ : modestiam vero levitati, petulantiæ, inconstantiæ, garrulitati, murmurationi, in quæ vitia naturaliter propendent mulieres ornatum externum sectantes, internum negligentes, ait S. Chrysostomus, hom. 74 *in Matth.* « Nam si, inquit, conscientiam singulorum cernere possemus, multos ibi vermes, multam saniem et incomparabilem reperirem fœtorem : cupiditates dico improbas, quæ vermes spurcitia mirum in modum excedunt, impii enim quasi mare fervens, quod quiescere non potest, et redundant fluctus ejus in conculcationem et lutum, *Isaiæ*, » LVII, 20.

Secundo, integritas et pax animi.

Tertia hæc est virtus mulieris; nimirum mansuetudo, pax et modestia, cujus fructus est incorruptio, ut scilicet faciat hominem a vitiis omnibus incorruptum, integrum, imperturbabilem.

Tertia dos mulieris, mansuetudo.

MODESTI (græce ἡσυχίου, id est tranquilli, silentis, pacifici, et consequenter modesti) SPIRITUS. — S. Ambrosius, lib. I *Offic.*, cap. XVIII : « Modestia, ait, quam a modo scientiæ quid deceret appellatam arbitror, » etc. S. Augustinus, lib. *De Vita beata*, sub finem : « Modestia utique dicta est, inquit, a modo, et a temporis temperantia. Ubi autem modus est atque temperies, nec plus est quicquam, nec minus. » Addit S. Ambrosius : « Oremus in incorruptione quieti et modesti spiritus, qui est ante Deum locuples, » ut ait Petrus, I *Epist.* cap. III, vers. 4. « Magna igitur modestia, quæ cum sit etiam juris sui remissior nihil sibi usurpans, nihil vindicans, et quodammodo intra vires suas contractior, dives est apud Deum, apud quem nemo dives. Dives est modestia, quia portio Dei est. » Deus enim est ipsa increata et essentialis modestia tam ad intra, quam ad extra; adeo ut in toto mundo intelligi; at non sentiri possit. « Habitus enim mentis in corporis statu cernitur. » Sic et S. Maria, audita angeli salutatione, « præ verecundia non resalutavit, nec ullum re-

sponsum retulit, nisi ubi de suscipienda Domini generatione cognovit, ut qualitatem effectus disceret, non ut sermonem refelleret, » ait idem lib. I *in Lucam*. Et lib. II *De Virg.* eam ita pingit : « Nihil torvum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum, non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior, ut ipsa corporis species simulacrum fuerit mentis, figura probitatis. »

Modestiæ præstantia.

Narrat Dionysius Carthusianus in cap. III *De Divin. Nom. S. Dionysii Areopagitæ*, S. Dionysium cum e Græcia in Judæam venisset, et B. Virginem convenisset, tanta charitate fulgentem ejus vultum conspexisse, ut præ nimio stupore deficiens in terram ceciderit, dixeritque, nisi ratione naturali et fide cognovisset aliam esse divinitatem, se hanc ipsam Virginem loco Deæ habiturum fuisse. Sed audi ipsum S. Dionysium hæc de se narrantem epistola ad S. Paulum (licet Bellarminus, *De Script. Eccles.*, et alii negent illam esse S. Dionysii) quam recitat noster Christophorus a Castro in *Historia Deiparæ*, cap. XIX, num. 10 : « Fateor, inquit, coram omnipotentia Dei, et clementia Salvatoris, et gloria majestatis Virginis matris ejus, quoniam cum a Joanne, etc., ductus fui ad deiformem præsentiam altissimæ Virginis, tantus me divinus splendor circumfulsit exterius, et plenius irradiavit interius; tanta etiam in me omnium odoramentorum superabundavit fragrantia, ut nec corpus infelix, neque spiritus posset totius ac tantæ æternæ felicitatis insignia sustinere. Defecit cor meum, defecit et spiritus tantæ gloria majestatis oppressus. Testor qui aderat in Virgine Deum, si tua divina concepta mente non me docuissent, hanc ego verum Deum esse credidissem. » Unde non mirum quod B. Virgo solo aspectu et præsentia, « his quos viseret, integritatis insigne conferret, » uti ait S. Ambrosius *De Institut. Virg.* cap. VII. S. Hieronymus, in cap. IX *Matthæi*, dans causam, cur Matthæus Christum vocantem illico sit secutus : « Certe, inquit, fulgor ipse et majestas divinitatis occultæ, quæ etiam in humana Christi facie relucebat, ex primo ad se videntes trahere poterat aspectu. » Et in cap. XXI, dans causam, cur Christo per flagellum exigente nummularios e templo, mensasque subvertente, etc., quæ magnus non fecisset exercitus, nemo restiterit : « Igneum enim, ait, atque sidereum radiabat ex oculis ejus, et divinitatis majestas lucebat in facie. » Unde Nazianzenus, epist. 193 *ad Dioclem* : « Unum, ait, bonorum est, ut Christus nuptiis intersit (porro ubi Christus est, modestia quoque est), operæ pretium est, ut, sicut cætera omnia, sic et Christianorum matrimonia modesta et composita sint. Modestia porro in gravitate sita est. » Idem, in Carm. *De Vita sua*, ait se propter æmulos sponte renuntiasse patriarchatui Constantinopolitano duabus de causis : « Hinc namque redibat, ait, commodum duplex mihi, modestus ipsos dum traho ad modestiam, simulque amorem colligo et clarum decus. »

Laudat Nebridium S. Hieronymus, epistola *ad Salvinam*, ejus uxorem jam viduam, « quod de sorore generatus Augustæ, et in materteræ nutritus sinu, in palatio, contubernalis et condiscipulus Augustorum, quorum mensæ ministrat orbis, et terræ ac maria serviunt, inter rerum omnium abundantiam, in primo ætatis flore tantæ verecundiæ fuit, ut virginalem pudorem vinceret, et ne levem quidem obsceni rumoris in se fabulam daret. Deinde purpuratorum propinquus, socius, consobrinus, non est inflatus superbia, sed cunctis amabilis, ipsos principes amabat ut fratres, venerabatur ut dominos : ministros autem et universum ordinem palatii, quo regalis frequentatur ambitio, sic sibi charitate sociarat, ut qui merito inferiores essent, officiis se pares arbitrarentur. Difficile factu est gloriam virtute superare, et ab his diligi quos præcedas. » S. Gregorius, IV *Dialog.* XVII, narrat Musam puellam jussu B. Virginis mores leviores commutasse in modestos, itaque ab eadem evocatam in cœlum.

SPIRITUS. — S. Athanasius, epist. *ad Serapionem*, accipit Spiritum Sanctum; hic enim dives est apud Deum, quia divinitatis consors est et particeps, *q. d.* Qui se puros et incorruptos custodiunt, in se excipiunt Spiritum Sanctum, qui quietus et modestus, eos facit pariter quietos et modestos. Modestia enim est fructus Spiritus Sancti, *Galat.* V, 22.

Verum ad litteram hic spiritum humanum accipe cum S. Ambrosio, lib. I *Officior.*, cap. XVIII; hic enim modestus et quietus, est vestis et ornatus mulierum : manat tamen a Spiritu Sancto, estque ejus donum.

Dives apud Deum quis?

QUI (spiritus incorruptus, quietus et modestus) EST IN CONSPECTU DEI LOCUPLES. — Quia super terrena omnia se elevans Deum possidet, hæresque est cœli et regni æterni. Nam, ut ait Seneca, *epist.* 67, « ratio nihil est aliud, quam in corpus humanum pars divini spiritus mersa. » Audi S. Ambrosium, lib. IV, *epist.* 27 : « Vere dives, qui in conspectu Dei potest dives videri, in cujus conspectu terra exigua, mundus ipse angustus est. Sed solum illum Deus divitem novit, qui sit dives æternitati, qui non opum, sed virtutum fructus recondat. Quis autem ante Deum dives, nisi quietus et modestus spiritu, qui nunquam corrumpitur? Nonne tibi videtur dives, qui habet pacem animi, tranquillitatem quietis, ut nihil concupiscat, nullis exagitetur cupiditatum procellis, nec vetera fastidiat et nova quærat, et semper desiderando fiat in summis divitiis inops? Ea est pax vere dives, quæ superat omnem mentem. Dives pax, dives modestia, dives fides (fideli enim totus mundus possessio est), dives simplicitas : sunt enim et divitiæ simplicitatis, quæ nihil discutit, nihil contractum, nihil suspectum aut fraudulentum putat, sed puro se effundit affectu. Dives bonitas : quam si quis servaverit, pascitur in divitiis cœlestis hæreditatis. Merito justus semper fœnerat, iniquus indiget. Ille justitias fœnerat mandato Dei paupe-

ribus et egenis : at vero insipiens et quod putat se habere, nequaquam possidet. An putas illum possidere, qui thesauro suo die ac nocte incubans avara et misera torquetur sollicitudine. Ille vero eget, etsi alii dives videtur : sibi pauper est, qui non utitur eo quod habet, qui adhuc alia rapit, alia desiderat. Ubi enim nullus cupiditati modus, qui fructus divitiarum? Nemo est dives, qui quod habet, secum auferre non potest. Quod enim hic relinquitur, non nostrum, sed alienum est.» Subdit exempla : « Dives Henoch, qui quod habuit secum transtulit, et omnem illum bonitatis suæ sensum cœlestibus intulit receptaculis : qui ideo raptus est, ne cor ejus malitia mutaret. Dives Elias, qui virtutum suarum thesauros curru igneo sublimis sedibus æthereis invexit. Et tamen iste non mediocres divitias hæredi reliquit, quas ipse non amitteret. Quis hunc pauperem vel tunc dixerit, cum victus quotidiani indigens alimonia mitteretur ad viduam, ut pasceretur ab ea; quando ad ejus vocem cœlum claudebatur et aperiebatur; quando ad ejus verbum hydria farinæ, et vas olei non deficiebat per triennium, sed abundabat, nec minuebatur usu, sed replebatur? Quis illum pauperem dixerit, ad cujus voluntatem descendebat ignis, quem invia flumina non concludebant; sed in suum fontem recurrebant, ut sicco Propheta transiret pede? Duos finitimos vetus historia describit, regem Achab et pauperem Nabuthen : quem horum pauperiorem, quem ditiorem credimus? Alter regali fulcro divitiarum præditus, inexplebilis insatiabilisque opibus suis exiguam pauperis vineam desideravit. Alter despiciens animo βασιλέων τὰς πολυχρύσους τύχας, imperialesque gazas, suo erat contentus palmite. Nonne videtur hic magis dives, hic magis rex, qui sibi abundabat, suas regebat cupiditates, ut nihil alienum concupisceret? Ille autem egentissimus, cui aurum suum vile, alienus palmes pretiosissimus æstimabatur.» Deinde idipsum hoc sorite demonstrat : « Quid est divitem esse, nisi abundare? Quis autem abundat, qui sit animo contractior. Qui autem animo contractior, utique angustior. Quæ igitur in angustiis abundantia? Non ergo dives, qui non abundat.» Unde pulchre David : « Divites, ait, eguerunt et esurierunt. Nihil ergo affectu sapientis ditius, nihil insipientis egentius; ibi abundantia, ubi satietas : ubi autem fames cupiditatum, ubi inexplebilis appetentia, ibi utique paupertas, etc. Secundum hæc Petrus Apostolus definivit, non in auro et argento et indumentis feminarum esse ornamentum, sed in occulto cordis homine atque abscondito : unde nulla se exuat cultum pietatis, ornatum gratiæ, vitæ æternæ hæreditatem.» Idem per umbram vidit Socrates, cujus hæc vox et oratio exstat apud Clementem Alexandrinum, lib. V *Strom.* : « O Pan et dii alii, date mihi, ut intus sim pulcher et honestus : siquidem est pulcherrimum id quod est sapientissimum. Dicebat enim virtutem esse animæ pulchritudinem, contra autem vitium animæ turpitudinem.»

5. SIC ENIM ALIQUANDO ET SANCTÆ MULIERES SPERANTES IN DEO (et consequenter credentes et amantes Deum) ORNABANT SE. — Τὸ *sperantes in Deo* partim refert ad *sanctæ*, *q. d.* Quia sanctæ, ideo sperabant in Deo : Sancti enim cor per spem quasi anchoram defixerunt in Deo; partim ad « ornabant se, » *q. d.* Quia sperabant in Deo, ideo modeste ornabant se, non capillatura, auro et vestibus pretiosis, sed obedientia, subdendo se maritis, castitate, ac spiritu quieto et modesto. Nota, « sperantes, » id est timentes, amantes, colentes, *q. d.* Deum colebant, ideo ornabant se obedientia, castitate, modestia; quia scilicet sciebant hunc ornatum Deo placere, ab eoque præcipi, ac per eum sperabant se in matrimonio a Deo omni fructu et gratia benedicendas et cumulandas. Spes enim hic per synecdochen omnem Dei cultum complectitur, æque ac ei conjunctus timor alibi omnem Dei cultum comprehendit, ut cum dicitur : « Timete Dominum, omnes Sancti ejus : » *timete*, id est reveremini, et colite. « Nihil deest timentibus eum. Timor Domini plenitudo sapientiæ, » etc. Qui enim Deum timet et sperat, per hunc timorem et spem impellitur, et quasi cogitur ad ei obediendum et serviendum. Ita de Josaphat rege veri Dei cultore dicitur II *Paral.* XVII, 3 : « Non speravit in Baalim, sed in Deo patris sui, » id est non coluit Baalim, sed Deum patris sui. Unde subdit : « Et perrexit in præceptis illius et non juxta peccata Israel, » qui coluit Baalim, id est idola. *Psal.* IV, 6 : « Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino, » id est sacrificate et colite Dominum; *Psal.* XXXIII, 9 : « Gustate et videte quoniam suavis est Dominus; » hinc : « Beatus vir qui sperat in eo, » id est eum colit et amat, itaque ejus dulcedinem gustat. Unde subdit : «Timete, » id est *colite*, «Dominum omnes sancti ejus, quoniam non est inopia timentibus eum. » *Psalm.* XXXVI, 3 : « Spera in Domino, et fac bonitatem.» Similia sunt *Psalm.* LXXXIII, 13; *Psalm.* CXIII, 9; *Thren.* III, 25. Ita Rebecca, viso Isaac sponso suo, modeste pallio se velavit, ac ex camelo desiliens ei honorem, reverentiam, submissionem et obsequium obtulit, atque tota vita præstitit, *Genes.* XXIV, 64. Rebeccam socrum secutæ sunt nurus Rachel et Lia, ex eisque progenitæ Noemi, Anna, Abigail, Esther, Judith et Ruth Moabitis. Sic mulieris fortis ornatum pingens Sapiens, *Proverb.* cap. XXXI, vers. 25 : « Fortitudo, ait, et decor indumentum ejus. » Vers. 5

Ita S. Gorgoniam sororem suam laudat S. Gregorius Nazianzenus, *orat.* 11 : « Non illam, ait, aurum ornavit, non flavæ comæ, non crinium nodi et imposturæ, pretiosum caput summa cum insania scenam efficientium, non circumfluæ et pellucidæ vestis magnificentia, non lapidum splendores propinquum aerem colorantes, non pictorum artes et præstigiæ, terrenusque fictor in con-

trarium fabricans, insidiosisque coloribus Dei figmentum obducens, et per honorem infamiam inurens, ac divinam formam meretricum procacibus oculis idolum proponens, ut adulterina pulchritudo naturalem imaginem, quæ Deo futuro ævo servatur, surripiat. Verum cum externos multos et varios mulierum ornatus cognitos haberet, nullum tamen moribus suis, atque intus condito splendore præstantiorem agnoscebat. Unus illi rubor placebat, quem pudor affert; unus candor, quem parit abstinentia. Nam pigmenta et fucos, ac fluxam formæ venustatem, scenicis et trivialibus relinquebat, quibusque probrum ac dedecus est erubescere.» Unde post plura mortificationis ejus, austeritatis, pietatis et devotionis heroica opera recensita exclamat : « O femineam naturam, quæ propter omne salutis certamen virilem naturam superasti; atque illud conspicuum fecisti, masculum et feminam, corporis, non item animæ discrimen esse! O ingentem post baptismum castitatem, et sponsam Christi animam in puro corporis thalamo! O Christi exinanitionem, et servi formam, et passiones ipsius mortificatione honoratas! »

Vers. 6. 6. SICUT SARA OBEDIEBAT ABRAHÆ, — adeo ut eum ex patria Chaldæa abeuntem, relictis parentibus et cognatis, secuta sit, et cum eo continuo peregrinata per Chananæam, ibique periculis etiam castitatis pro eo se objecerit. Vide dicta *Gen.* XII, 13 et seq.

Saræ tria dominæ. DOMINUM EUM VOCANS, — dicens, *Gen.* XVIII, 12 : « Postquam consenui, et dominus meus (maritus meus Abraham) vetulus est, voluptati operam dabo? » Sara proprio nomine vocabatur *Jescha*, uti dixi *Genes.* XI, in fine; postea dicta est *Sarai*, id est, domina vel princeps mea, idque ut videtur, ab Abraham, qui videns se ab ea honorari vocarique dominum, vicissim eam honorare voluit, ideoque vocavit eam *Sarai* : ita noster Lorinus. Cujus rei magnum indicium est quod primitus vocata sit Sarai, id est domina mea, quomodo a nullo alio congrue vocari potuit quam ab Abraham marito. Deinde a Deo promittente ei filium Isaac, ex quo nasciturus erat Christus, vocata est absolute *Sara*, id est domina : quia per Christum Filium suum dominatura erat toti orbi, *Genes.* XVII, 15. Discant ergo uxores a Sara honorare maritos, sic vicissim ab eis honorabuntur; discant eis parere, quia parendo imperabunt, et obtinebunt ab eis quidquid volent. Ita hodie videmus viros graves uxores suas vocare dominas. Numirum, verum est illud Senecæ : « Casta ad virum matrona parendo imperat. » Unde mystice Origenes, hom. 6 *in Gen.* : « Sara, ait, quæ interpretatur princeps, vel principatum agens, formam tenet ἀρετῆς, quod est animi virtus. Hæc ergo virtus conjuncta est et cohæret sapienti et fideli viro, sicut et ille sapiens qui dicebat de sapientia : Hanc quæsivi adducere sponsam mihi; ideo ergo dicitur ad Abraham : Omnia quæcumque dixerit tibi Sara, audi vocem ejus. Si quis ergo ascivit sibi in conjugio virtutem, audiat vocem ejus in omnibus. Et postquam eam habuerit uxorem, perfectus effectus faciat et sororem, ut eamdem aliis communicet, » uti Abraham dixit Saram esse suam sororem. Porro S. Nazianzenus, orat. 11 *De S. Gorgonia* sorore sua, asserit Saram hac obedientia et honore quem detulit marito, promeritam esse non tantum justitiæ laudem, sed et ut ex eo conciperet et pareret filium sanctum et illustrem Patriarcham, scilicet Isaac. Vide S. Chrysostomum, hom. 32 *in Genes.*, ubi mire Saræ obedientiam et amorem erga maritum celebrat.

S. Ignatius, epist. 12 *ad Antioch.*, monet uxores ita revereri viros, ut illos ne quidem ex nomine compellare audeant.

Clemens Alexandrinus, lib. IV *Stromat.* : « Mulierem, inquit, quæ cum honestate amat maritum, describit Euripides sic monens :

> Bonisque verbis prosequi oportet, si quid conjux dixerit;
> Si haud dixerit, laborare ut ad gratiam dicat mariti.
> Dulce est conjugem, mali si quid evenerit,
> Cum viro tristarier, doloris et gaudii esse participem.

Sic morum mansuetudinem ostendens, et benevolentiam, vel in calamitatibus. » Deinde subjungit uxoris dignam esse vocem :

> Ægrotus et si sis, ægra simul feram,
> Tuaque patiar mala; et certe mihi
> Non quidquam acerbi. Una cum amicis nam decet
> Fieri beatos : quid nisi hoc amicitia est?

Idem Clemens, lib. III *Pædagogi*, cap. XI : « Res, ait, est pulcherrima mulier domus custos, quæ et se et maritum propriis ornamentis induit, per quæ omnes exultant : filii quidem propter matrem, maritus propter uxorem, ipsa propter eos, omnes autem propter Deum. Ut paucis igitur dicam, virtutis penus est fortis mulier. » S. Ambrosius in cap. XXXI *Proverb.*, cap. III : « Bona, ait, conjux virum suum dominum vocat, sicut Sara obediebat Abrahæ, dicebat Petrus Apostolus, dominum eum vocans. Bona, inquam, conjux non solum vocat virum dominum suum, sed hoc sapit, hoc sonat, hoc gestat corde, hoc profitetur ore, tabulas matrimoniales instrumenta emptionis suæ deputat (solebat enim olim uxor a maritis coemi, et per coemptionem duci); est ergo ancilla dans opera ancillis. » Sic S. Natalia maritum suum Adrianum vocabat dominum. Sic S. Monica Patricio viro suo serviebat quasi domino, ait S. Augustinus, IX *Confess.*, IX. Vide sex præcepta quæ uxori ex Aristotele dedi, *Ephes.* V, 22, et vers. ult., in fine capitis. Vide et exempla honoris et amoris conjugum, quæ recensui *Gen.* cap. II, vers. 24.

Denique S. Hieronymus scribens *ad Celantiam*, hoc ei et uxoribus præceptum dat : « Præcipue in conjugio venerabili et immaculato Apostolicæ

regulæ ordo teneatur : servetur in primis viro auctoritas sua, totaque a te discat domus quantum illi honoris debeat; tu dominum illum obsequio tuo, tu magnum illum tua humilitate demonstra : tanto ipsa honoratior futura, quanto illum amplius honoraveris. Caput enim (ut ait Apostolus) mulieris est vir : nec alibunde magis reliquum corpus ornatur, quam ex capitis dignitate. » Uxor enim transit in domum, stirpem et familiam mariti, ab eoque omne suum decus, nobilitatem et dignitatem accipit. Porro hac de causa ducendam esse uxorem in statu parem, non superiorem, ne marito superbe præesse velit, monent sapientes Chilon et Pittacus. Audi Ausonium *De septem Sapientibus,* in *Solone* : « Par pari, inquit, jugato conjux : quod impar est, dissidet. » Et Ovidius, in epist. *De Amore,* ad Herculem :

Uxor par ducenda.

Si qua voles apte nubere, nube pari.

Unde illud vulgo tritum : « Tu tibi sume parem. »

CUJUS ESTIS FILIÆ. — Hinc liquet S. Petrum proprie et directe hæc scribere Judæis : hi enim erant filii et filiæ Saræ ad litteram; consequenter tamen scribit et Gentibus : hi enim erant filii et filiæ Saræ et Abrahæ secundum spiritum, quia ejus fidem, pietatem et opera sancta imitabantur, *Rom.* IX, 8. Ita Didymus. Unde subdit Petrus *benefacientes;* Syrus *in operibus bonis,* scilicet imitando Saræ eleemosynas et beneficentiam. Hanc enim significat græcum ἀγαθοποιοῦντες, licet idem verbum ad honorem et benevolentiam marito exhibendam, ac quævis alia bona opera extendi possit. Porro uxoris officia et opera bona egregie depingit Sapiens, *Proverbiorum* XXXI, et *Tobiæ* cap. X, vers. 13, et S. Paulus *ad Titum* II, 4 et 5.

NON PERTIMENTES ULLAM PERTURBATIONEM, — quasi, si vos subdatis maritis, eisque benevolæ, beneficæ et obsequentes sitis, imperiosius ab iis tractandæ sitis; quin potius obsequium vestrum conciliabit vobis maritorum amorem, pacem, honorem; magnes enim amoris est amor : ita Œcumenius. Rursum, *q. d.* Nolite timere perturbationes, id est, molestias conjugii : si enim benefaciatis; digneque conjugio vivatis : Deus sua gratia eas vobis faciet faciles. Hæc enim gratia est effectus sacramenti matrimonii, conjugibus a Deo præparata, ut matrimonii onera fortiter sustineant, sibique bene consciæ nihil timeant. *Tertio* et nervose, *q. d.* Si qua domi oriatur perturbatio, uti sæpe fit; si maritus irascatur, si proles litigent, si inter ancillas, famulos, cognatos, vicinos oriatur lis et contentio, nolite timere, nolite percelli; sed fortiter omnia quasi viragines sustinete, ac vestra prudentia et gratia sopite et conciliate. Estote imperturbabiles; ita omnes domus perturbationes sedabitis, facietisque ut tota familia instar vestri sit tranquilla et pacifica.

Minus caste aliqui « perturbationem » accipiunt libidinis (hanc enim significat Græcum πτόησις apud Aristotelem *De Gener. animal.,* cap. V), *q. d.* Ne timeatis per obsequia erga maritum inflammandam in vobis libidinem, quia illa charitatem pariunt, non cupiditatem.

7. VIRI SIMILITER COHABITANTES — mulieri, ut sequitur. « Cohabitantes, » id est cohabitent, scilicet ut utantur eodem tecto et lecto, ne ab uxoribus faciant divortium vel domus, vel thori, neve ad alias divertant aut foris pernoctent. Est hebraismus. Hebræi enim utuntur participio pro indicativo, quo carent; cujus rei multa sunt exempla, *Rom.* XII, 10 et seq. Vers. 7.

SECUNDUM SCIENTIAM. — « Scientia » hic significat prudentiam et discretionem, quæ dictat viro, ut infirmitati uxoris se accommodet, eique honorem deferat, ut eam tractet quasi sociam, non quasi ancillam : ita Lyranus, Dionysius et alii. Est enim vir in domo id quod rex in regno, ait Aristoteles in *Œconom.* Sicut ergo rex debet esse præditus prudentia politica, qua regnum regat congrue pro subditorum capacitate et dispositione, ita vir præditus sit oportet prudentia œconomica, qua uxorem, filios et familiam ita regat, ut inter omnes constet unio, pax et amor. Rursum, ut omnes doceat Dei legem et voluntatem, quid scilicet in quavis re agere vel cavere debeant ut Deo placeant, ejusque gratiam et gloriam consequantur. Est enim vir in domo quasi oculus, lucerna et sol totam domum docens et illuminans : ita Beda (1).

QUASI INFIRMIORI VASCULO MULIEBRI (S. Ambrosius, *De Paradiso,* cap. IV, legit : « Tanquam infirmiori vasi mulieri ») IMPERTIENTES HONOREM. — Infirmæ sunt mulieres tum sexu et complexione, tum animo et judicio, tum arte, industria et sapientia ad res gerendas; unde viri est externa, mulieris domestica curare. Hæc infirmitas facit eam pronam, ut facile æstimet se despici et contemni : jubet ergo S. Petrus ei occurri, eamque sublevari per honorem, ut uxores videntes se honorari a maritis, suo statu contentæ vivant, maritumque ament, et cum eo pacifice vivant quasi una caro, id est, una persona civilis et œconomica, *Genes.* II, 24.

Per *honorem* S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovin.,* et Hesselius accipiunt abstinentiam ab usu matrimonii, ut statis temporibus vacent orationi, ut sequitur. « Si abstinemus nos, ait, a coitu, honorem tribuimus uxoribus : si non abstinemus, perspicuum est honori contrariam esse contumeliam; » quo indicat usum matrimonii esse contumeliam, id est, esse vile quid, carnale et pudendum; qua de causa hic actus turpis vulgo vocatur, et a Scriptura ignominiæ et turpitudinis revelatio, *Levit.* XVIII, 7.

Secundo, Œcumenius per *honorem* accipit lenitatem, ut, ait, viri leniter cum quadam reveren-

(1) Aliis *scientia* hic est ea notitia divinæ voluntatis, quam per Evangeliumadipiscuntur, id est, ut Christianos decet.

tia persuadeant uxoribus in voluptatem pronis, ut abstinentiam a conjugio tempore orationis admittant. *Tertio*, alii ex adverso per « honorem » accipiunt debitum conjugale, quasi jubeat illud uxoribus reddi; sed honeste, non petulanter et inhoneste instar equi et asini. Hoc est quod ait Paulus, I *Thessal.* IV, 3 : « Ut abstineatis a fornicatione, ut sciat unusquisque vas suum (uxorem suam) possidere in sanctificatione et honore, non in passione desiderii, sicut et Gentes quæ Deum ignorant; » ita ex Turriano noster Lorinus. *Quarto*, melius et plenius, Œcumenius rursum « honorem » generaliter et proprie ut sonat accipit, ac præsertim ut mitem, inquit, se vir uxori et placibilem exhibeat, neque domesticarum rerum quæ ipsius fidei creditæ sunt, nimis severam aut accuratam ab ea rationem exigat. Rursum, ut honorifice eam tractet et compellet, dicendo, v. g. cum Abraham, Sarai, id est domina mea, quid cupis, quid a me postulas? Mulier enim natura sua est timida, verecunda et pusillanimis : timoris hujus, pudoris et pusillanimitatis pharmacum est honor, si videat scilicet se a marito honorari. Sic Claudius Imperator Messalinam uxorem, licet impuram, vocabat *dominam*. Nestor apud Homerum, *Odyss.* III, conjugem vocat *dominam*; sic quoque S. Adrianus compellavit suam S. Nataliam. Hinc Itali, Hispani et Galli permulti uxores vocant *dames*, Græci δέσποινας, id est *dominas*. Huc spectat illud Martialis, lib. XI, *in Paulam* epigram. 8 :

Vir honoret uxorem, cur?

Hærebit dominæ vir comes ipse suæ.

Et Virgilius, *Æneid.* VI :

Hi dominam Ditis thalamo deducere adorti,

Et Catullus in *Epithal. Juliæ* :

Ad domum dominam voca.

Præclare S. Basilius, hom. 7 *Hexaem.* : « Vos, ait, o viri, conjuges vestras diligite, etiamsi locis longinquis in conjugii societatem convenistis, naturæ vinculum legibus ac benedictione obstrictum, unio ac jugum distantium esto. » Et inferius, cum exemplo viperæ et murenæ docuisset, uxori mores viri asperos ferendos esse, subdit : « Audiat et ipse vir accommodatam seque decentem admonitionem : vipera virus ob nuptiarum venerationem evomit, tu duritiam animi, tu feritatem, tu crudelitatem ob unionis reverentiam non deponis? »

Et S. Chrysostomus, hom. 26 in I *ad Corinth.* : « Considera mulierem debile vas esse. Tu autem, vir, propterea princeps factus et capitis loco datus, ut subditæ feras imbecillitatem : velis igitur tuum illustrare principatum; quod facies, si subditæ non insultaveris; et quemadmodum rex tanto clarior apparet, quanto præfectum suum clariorem ostendit; quem si inhonoraret, et contumelia illius dignitatis magnitudinem afficeret, non parvam gloriæ suæ partem auferret : itidem et tu si illam quæ secundum post te locum obtinet, contumelia afficis, non parum tui principatus honori derogas. Quotiescumque aliquid molesti domi contigerit, si quid uxor peccaverit, consolare, et noli mœrorem augere. Licet enim omnia projicias, nihil molestius continget, quam non habere benevolam domi uxorem : licet quodcumque dixeris peccatum, nullum magis dolendum inveneris, quam cum uxore seditionem habere. Itaque propterea omnium maximo in honore habenda est hujusmodi dilectio. Quod si invicem onera ferenda sunt, multo magis uxoris, et si pauper sit, noli exprobrare; et si stulta, noli ei insultare, sed esto modestior : etenim tuum membrum est, et caro una facti estis. Sed stulta est, ebria, iracunda : igitur dolendum est, non irascendum; et Deo supplicandum est, et ipsa admonenda et adjuvanda consilio, et omni conatu adnitendum ut illis liberetur affectibus. Quod si verberaveris, exasperabis morbum : asperitas enim mansuetudine, non alia asperitate dissolvitur. » Subdit exemplum Socratis, qui rogatus quomodo mores uxoris pravæ et temulentæ toleraret, respondit, « ut gymnasium et palæstram philosophiæ (patientiæ) domi habeam. Ero enim, inquit, cum aliis mansuetus, cum in ea quotidie toleranda erudiar. »

TANQUAM COHÆREDIBUS GRATIÆ VITÆ. — Dat causam cur viri honorare debeant uxores, quia scilicet, esto natura et sexu sint infirmæ et impares, tamen gratia et vocatione viris sunt pares; vocatæ enim sunt ad eamdem cum viris gratiam et gloriam. Honorent ergo illas, quasi sibi cohæredes in Ecclesia tam militante, quam triumphante. Nota : Gratia vocatur « vitæ, » id est, *primo*, vitalis, quia scilicet gratia dat animæ vitam spiritualem, ut vivat spiritu Dei. *Secundo*, quia gratia ducit ad vitam æternam : gratia enim est semen gloriæ, quocirca a Christo vocatur fons aquæ salientis in vitam æternam, *Joan.* IV, 14. Unde pro ζωῆς, id est *vitæ*, Græca Regia habent ζώσης, id est *vivæ*, vivificantis, et vitam æternam conferentis. S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovin.*, legit, *tanquam cohæredibus multiplicis gratiæ*. Gratia enim Christi et Christianismi multiplex est, multasque virtutes et dona complectitur. Porro τὸ *cohæredibus*, scilicet mulieribus : has enim intellexit « in vasculo muliebri. » Sic enim Hebræi sæpe per enallagen commutant numeros, æque ac personas et genera, præsertim cum in uno alterum includitur, ut hic fit. Græca habent συγκληρόνομοι, id est *cohæredes*, in nominativo, ut referatur ad viros. Sed eodem redit sensus. Si enim vir est cohæres uxori, ergo et uxor viro : cohæres enim cohæredis est cohæres : hæc enim sunt correlativa.

UT NON IMPEDIANTUR ORATIONES VESTRÆ. — Græce ἐγκόπτεσθαι, id est, *refringantur*, intercipiantur, abrogentur, extirpentur. Tigurina, *ne interrum-*

pantur preces vestræ, ut significet assidue, id est crebro esse orandum etiam conjugibus. Sensus est, *q. d.* Si vir uxori honorem non deferat, sed illam viliter, dure et indigne tractet, si illi irascatur, indignetur, objurget, verberet, illa vicissim viro indignabitur, cum eo jurgabitur et rixabitur, ac plaustra conviciorum et maledictorum in illum regeret. Itaque impedietur utriusque pietas et oratio : huic enim nil tam contrarium, quam ira et rixa! animusque turbatus, ini satiens et vindictæ avidus. Unde Christus jubet nos reconciliari fratri, antequam munus nostrum Deo offeramus, *Matth.* v, 23. Ita Hugo, Lyranus, Dionysius et alii. *Secundo*, alii, *q. d.* Impertite honorem, id est, debitum conjugale uxori, ita tamen ut non impediantur orationes vestræ, sed cum sumenda est Eucharistia, aut alias orationi vacandum, ab usu conjugii abstineatis, uti monet Paulus, I *Corinth.* VII, 5. Unde S. Hieronymus, Glossa et Beda per *honorem* accipiunt abstinentiam a conjugio, uti paulo ante dixi. Verum hæc expositio supplet τὸ *ita tamen*, quod non est in Græco, imo a Græco excluditur, habet enim sic : εἰς τὸ μὴ ἐγκόπτεσθαι τὰς προσευχὰς ὑμῶν, id est, *ad non infringendum orationes vestras*, quod ad omnia præcedentia, quæ dicta sunt tam de mulieris officiis erga virum, quam de viri erga mulierem, referendum est, *q. d.* Vos, o mulieres, subjectæ estote viris, eis obedite, ac tollite omnem perturbationem. Vos similiter, o viri, mulieribus impertite honorem, ne interrumpantur preces vestræ, ut vel vir offensus a muliere, vel mulier offensa a viro, vel uterque amarum ergo alterum gestans cor, pie, tranquille et fructuose orare non possit, sed uterque alteri obsequens, concordans et quasi concinens, concordem cum altero Deo offerat orationem. Hanc enim concordiam mire amat poscitque Deus, præsertim a conjugibus et confœderatis, juxta illud *Eccli.* XXV, 1 : « In tribus placitum est spiritui meo, quæ probata coram Deo et hominibus : concordia fratrum, et amor proximorum, et vir et mulier bene sibi consentientes. » Quare oratio viri et mulieris concordium est alata duabus alis, quibus facile evolat ad Deum, ibique suavem edit harmoniam et concentum. Oratio vero discordium, si videlicet unus ab altero discordet, vel una, vel utraque caret ala (ala enim est concordia), ac proinde ad Deum evolare nequit, estque velut harmonia hiulca et dissonans; vim enim orationis unius impedit et elidit alter consors et conjux, qui offensus tacite et sæpe actu et explicite petit vindictam, ut Deus vocem consortis non audiat. Et hoc significat Græcum ἐγκόπτεσθαι, *q. d.* Ne incidatur, vel excidatur et enervetur vis orationis vestræ. Inciditur enim et eliditur per dissidium et discordiam; coalescit vero et cor roboratur per concordiam, juxta illud Christi : « Dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quacumque petierint, fiet illis a Patre meo, » *Matth.* XVIII, 19.

Concordium oratio est alata.

8. IN FINE. — Perperam Beda, Lyranus, Glossa et Hugo legunt *in fide*. Græce enim est τὸ δὲ τέλος, hoc est, ut Syrus, *finis vero*, *q. d.* Finaliter, postremo, ad extremum; Tigurina, *in summa*; quod ex Seneca, *epist.* 40, dicimus, *summa summarum*, dum rem vel orationem concludere volumus. Vide Franciscum Lucam. S. Petrus enim postquam dedit præcepta propria servis, uxoribus, maritis, concludit dando præcepta fidelibus omnibus communia, ne prolixe et cum tædio singula singulis hominum statibus assignare cogatur. Vers. 8.

OMNES UNANIMES. — Pingit hic S. Petrus Christianum, perfectum, et virtutibus quasi dotibus suis omnibus adornatum. Requirit ergo ab eo novem virtutes : *primo*, unanimitatem; *secundo*, compassionem; *tertio*, fraternum amorem; *quarto*, misericordiam; *quinto*, modestiam; *sexto*, humilitatem; *septimo*, charitatem, qua bonum pro malo reddat; *octavo*, patientiam et constantiam in persecutionibus; *nono*, sanctimoniam, ut Christum in corde sanctificet : hæ sunt novem virtutes Christianorum, quasi novem chori angelorum, adeoque ad eos fideles transmittunt; et sicut omnes chori angelorum inter se connexi et consociati sunt, ita et hæ virtutes. Una enim alterius, imo cæterarum omnium individua est comes, ut soror esse videatur, imo sæpe vel mater, vel filia. Unanimitas enim parit compassionem, compassio fraternum amorem, amor misericordiam, misericordia modestiam, modestia humilitatem, humilitas charitatem, charitas patientiam, patientia sanctimoniam. Novem virtutes perfecti Christiani.

Pro *unanimes* græce est ὁμόφρονες, id est ejusdem mentis et animi, idem sentientes, consentientes. Jubet Petrus ut fideles mente et voluntate sibi invicem consentiant, ut quod unus vult, velit et alter; quod S. Paulus clare et crebro suis inculcat, dicens : « Idipsum invicem sentientes, » *Rom.* XII, 16. Et : « Implete gaudium meum ut idem sapiatis, eamdem habentes charitatem, unanimes idipsum sentientes, » *Philipp.* II, 2. Et : « Deus autem patientiæ et solatii det vobis idipsum sapere in alterutrum secundum Jesum Christum, ut unanimes uno ore honorificetis Deum et Patrem Domini nostri Jesu Christi. » Aliqui addunt, « unanimes in oratione; » sed hoc est glossema ipsorum, quod textum Scripturæ explicat, at non plane nec adæquate : Petrus enim exigit ut fideles sint unanimes non tantum in oratione, sed et in rebus omnibus.

Porro S. Petrus primam fidelium et Ecclesiæ virtutem assignat unanimitatem, quia ipsa est vinculum indissolubile eorumdem, quod eos contra omnes hostes facit invictos et insuperabiles. Est hæc communis Philosophorum omniumque gentium vox et sententia. Antisthenes, inquit Laertius, lib. VI, cap. I, « dixit fratrum inter se concordiam quovis muro firmius esse munimentum. » Agisilaus, rex Lacedæmonum, ro- Primo unanimitas invicta.

E gnom

gatus cur Lacedæmon mœnibus non cingeretur? ostendens cives armatos et unanimes : « Hi, inquit, sunt Spartæ mœnia, » significans unanimitatem civium quibusvis mœnibus esse fortiorem, juxta illud Homeri :

Scutum hæsit scuto, galeæ galea, atque viro vir.

Civibus ergo quos jungit concordia, nullus potest esse murus inexpugnabilior. Ita Plutarchus in *Lacon.*, qui et addit : Lycurgus rediens Lacedæmonem, videns civium manipulorum acervos in messe ordine positos, ridens dixit : « Ut tota Lacedæmon videretur multorum esse fratrum, qui inter se diviserunt hæreditatem. » Idem rogatus a civibus, quo pacto contra hostes tuti esse possent? respondit : «Si pauperes manseritis, et contentiones mutuas deponetis, » significans immodicas opes et discordiam duas esse urbis exitiales pestes.

Scipio Africanus, capta Numantia, Tyresium principem rogavit, qua ratione Numantia prius invicta jam manus hosti dedisset? cui ille : « Concordia victoriam, discordia exitium præbuit. »

Micipsa apud Sallustium, in *Jugurtha*, jam moriturus filios suos ad concordiam exhortans, auream de ea edidit gnomen : « Concordia enim res parvæ crescunt, discordia autem maximæ dilabuntur. »

Severus Romanus Imperator moriens vocavit M. Antonium et Getam filios, aitque : « Facite ut conveniat inter vos, locupletate milites, cæteros omnes contemnite. » Ita Dion et Xiphilinus in Vita Severi.

Scilurus octoginta habens filios, moriturus fasciculum telorum singulis porrexit, jussitque rumpere. Id cum singuli recusassent quasi impossibile, ipse singula exemit, itaque sigillatim facile confregit omnia, addiditque : « Si concordes fueritis, validi invictique manebitis : contra, si dissidiis et seditione distrahamini, imbecilles eritis, et expugnatu faciles. » Ita Plutarchus in *Apoph. regum.*

Clarius et particularius idipsum docet *Eccles.* cap. IV, vers. 9 : « Melius est, ait, duos esse simul quam unum; habent enim emolumentum societatis suæ. Si unus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem se, et si dormierint duo, fovebuntur mutuo : unus quomodo calefiet? Et si quispiam prævaluerit contra unum, duo resistent ei : funiculus triplex difficile rumpitur. »

Fis concordiæ unde?

Ratio a priori hujus rei est, quod origo concordiæ sit ipsa SS. Trinitas : hæc enim est prima essentialis et increata concordia, eaque tanta, ut tribus personis divinis non tantum sit una eademque mens et voluntas, sed una eademque singularis et individua essentia, quæ proinde creaturis quo magis sibi vicinæ sunt, eo majorem ex se impertit concordiam. Quocirca inter tot milliones angelorum summa est concordia, æque ac in orbibus omnibus cœlestibus, astris et stellis, licet plurimos et contrarios motus habentibus. Unde illud *Job* XXV, 2 : « Qui facit concordiam in sublimibus. » Et cap. XXXVIII, 37 : « Concentum cœli quis dormire faciet? »

Ex adverso in inferno summa est discordia. Quocirca homines in terra concordes æmulantur vitam cœlitum et angelorum : discordes vero sequuntur vitam infernalium et dæmonum, inter quos perpetua est lis et rixa. Rursum, Christus ut concordiam inter homines et angelos, inter cœlum et terram, inter Deum et Adami posteros sanciret, descendit in terram, carnemque assumpsit, ut existens Deus homo in se uniret Deum et homines. Insuper Spiritus Sanctus est personalis amor et concordia Patris et Filii : qui ergo concordes sunt, templum sunt Spiritus Sancti æque ac Christi, juxta illud ipsius promissum : « Ubicumque sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum, » *Matth.* cap. XVIII, vers. 20.

Hac de causa primitivi Christiani obtemperantes huic præcepto S. Petri, impense studuerunt unanimitati, ut patet ex Apologiis Tertulliani, Justini, Athenagoræ et aliorum, imo ex S. Luca, *Actor.* IV, 32 : « Multitudinis, ait, credentium erat cor unum, et anima una. » Celebrat S. Cyprianus, epist. I *ad Cornelium*, concordiam populi Romani, quod omnes unanimiter cum suo Pontifice Cornelio obtulerint se martyrio : « Virtus, inquit, illic Episcopi præcedentis publice comprobata est, adunatio sequentis fraternitatis ostensa est; dum apud vos unus animus et una vox est, Ecclesia omnis Romana confessa est, etc. Docuistis granditer Deum timere, Christo firmiter adhærere, plebem sacerdotibus in periculo jungi, in persecutione fratres a fratribus non separari, concordiam simul junctam vinci omnino non posse; quidquid simul petitur a cunctis, Deum pacis pacificis exhibere. » Et mox : « Quale fuit illud sub oculis Dei spectaculum gloriosum? quale in conspectu Christi ejus, Ecclesiæ suæ gaudium, ad pugnam quam tentaverat hostis inferre, non singulos milites, sed tota simul castra prodisse? »

Memorabile est quod in Vita S. Macarii legimus, nimirum ipsi revelatum esse, quod omni sua oratione, jejunio et studio virtutum necdum pervenisset ad mensuram meriti duarum mulierum, quæ cum maritis in eadem domo per quindecim annos vixerant in pace et concordia, adeo ut nunquam una alteri verbum asperius dixerit.

Præclare S. Antiochus, homil. 80 *De Concordia* : « Quemadmodum, inquit, examen apum favum sibi conficit mellis, ita fratrum congregatio regnum repræsentat Dei; sicut tubarum clangor bellantium promovet et excitat alacritatem, ita et practicæ virtutis doctrina studia discipulorum mire exacuit. » Et S. Maximus, serm. 6 *De Fraterna dilect.* : « Nihil, inquit, est concordiæ com-

parandum : per illam enim unus multiplicatur et fit decuplex, inveniesque in decem unum, et in uno decem. Quod si hostes illi aliqui sint, qui in unum impetum fecerit, is quasi in decem irruerit, sic capitur. Eget unus, at non premitur egestate, nam majore parte et numero inopia obumbratur : illorum unusquisque viginti habet manus, ac viginti oculos, totidem pedes, animas item decem : non enim suis tantum, sed illorum etiam membris quisque utitur in omnibus ac si centum forent. »

COMPATIENTES. — Syrus, *patientes cum iis qui patiuntur*. Græcum συμπάθεις valde est significans. Tigurina vertit, *similiter affecti*; Vatablus, *mutuo affectu tangamini*; Pagninus, *iisdem afflictionibus affecti*; συμπαθεία enim est naturalis consensus et convenientia, ac quasi concentus membrorum, vel rerum similium, qua passionem unius membri sentit et patitur aliud membrum, quasi illi commembrum. Unde a Plinio vocatur consensus membrorum, et collegium naturæ, cui antipathiam sive naturæ repugnantiam opposuit. Jubet ergo S. Petrus ut fideles invicem compatiantur, mutuasque afflictiones sentiant, et sentiendo ac condolendo sublevent, perinde ac anima per naturalem unionem et sympathiam sentit molestias corporis, eique condolet : vel perinde ac caput per sympathiam sentit dolores stomachi, et cujuslibet membri, eique condolet et succurrit. Hoc est quod ait Paulus, *Rom.* XII, 4 : « Gaudere cum gaudentibus, et flere cum flentibus. » Et I *Cor.* cap. XII, vers. 26 : «Si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra. » Sympathia enim hæc membrorum tam est in bono, quam in malo : in bono enim congaudent, in malo condolent. Et *Galat.* VI, 2 : « Alter alterius onera portate; et sic adimplebitis legem Christi. » Vide ibi dicta.

Compassio fidelium quanta?

Præclare S. Maximus, *De Charitate*, lib. III, num. 78 : « Ille, ait, germanus est amicus, qui ingruente infortunio tribulationes, et difficultates, et calamitates in tempore tentationis una cum proximo perinde ut suas, sine animi consternatione et perturbatione tolerat. »

Et S. Chrysostomus apud Antonium, in *Meliss.*, parte II, cap. LV : « Quanto fortior fueris, tanto æquius est te imbecilliorem ferre. Non enim sibi soli fortis esse debet qui robore præditus est, sed etiam aliis. Quod si dicis te fortem esse, et illius imbecillitatem contemnis, duplicem dabis pœnam : nam quisque de salute proximi sollicitus esse debet. »

FRATERNITATIS AMATORES. — Tigurina, *fraterna præditi charitate*. Hæc est philadelphia fidelium, qua invicem, id est, totum fidelium cœtum amant ut fratres, ut sicut frater impense amat totam suam fraternitatem, id est, totum cœtum fratrum, puta omnes et singulos fratres : ita fidelis fraterne amet omnes et singulos fideles, totamque eorum congregationem et Ecclesiam. Vide dicta cap. I, vers. 22, et cap. II, vers. 17.

MISERICORDES, — ex intimis animi visceribus; hoc enim significat εὔσπλαγχνοι. Misericordia, ait S. Augustinus, lib. IX *De Civitate*, cap. V, « est alienæ miseriæ quædam in corde nostro compassio, qua utique, si possumus, subvenire compellimur. Servit enim motus iste rationi, quando ita præbetur misericordia, ut justitia conservetur, sive cum indigenti tribuitur, sive cum ignoscitur pœnitenti. Hanc Cicero locutor egregius non dubitavit appellare virtutem. Sic enim ille Cæsarem alloquens (oratione *pro Q. Ligario*) ait : Nulla de virtutibus tuis, nec admirabilior, nec gratior misericordia est. » Errant ergo Seneca et Stoici censentes misericordiam esse vitium, puta passionem et ægritudinem animi mollis et commiserantis, uti dixi *Act.* XVII, 18.

MODESTI, HUMILES. — Modestiæ comes et soror est humilitas. « Mansuetudo et humilitas, sunt velut sorores collactaneæ, ait S. Bernardus, serm. in illud *Apocal.* XII, *Signum magnum*. Unde græce pro his duobus est una vox φιλόφρονες : quod Tigurina et Pagninus vertunt, *affabiles*; alii, *quibus benigna et benevola est mens* : φρὴν enim est mens. Budæus in *Epist. poster.*, « benevoli, amicabiles, humani, faciles, commodi, comes, festivi, blandi, benigni; » φιλοφροσύνη enim est comitas, benignitas, affabilitas, benevolentia, hilaritas, benigna exceptio, hospitalitas, familiaritas, liberalitas, quæ omnia promanant a modestia et humilitate, adeoque præcipua et gratissima modestiæ pars est comitas et benevolentia. Adde, videri in Græcis unam vocem deesse; id colligo tum ex eo, quod aliqui Codices habeant φιλόφρονες, id est *modesti*, comes, benigni, etc., alii φιλοταπεινόφρονες, id est, *amantes humilitatis*; et ita legit Œcumenius. Videtur ergo olim utraque vox fuisse in Græco; sed scioli aliqui putantes unam superfluere, eam vel expunxerunt, vel ad marginem rejecerunt : tum ex eo quod Noster duabus vocibus vertit, *modesti, humiles*; ergo videtur ipse in Græco pariter legisse duas voces eis respondentes. Jubet itaque S. Petrus fidelibus ut sint modesti, id est humani, placidi, cunctis affabiles, et in vita communi faciles, ut omnes sibi et Christo concilient, ideoque neminem licet vilem et pauperem fastidiant, nullum offendant verbis, aut moribus asperis. Sunt enim aliqui instar Timonis misanthropi tam morosi, difficiles et agrestes, ut cum illis vix possis agere, aut loqui, quia assidue grunniunt, murmurant, detrahunt, irascuntur, rixantur. Porro modesti et comes vocantur φιλόφρονες, quasi omnia sapientes, vel quasi amantes sapientiæ et prudentiæ. φρονεῖν enim est *sapere*, et φρόνημα, *prudentia*; quia vera sapientia et prudentia est modestia : hæc enim Dei et hominum oculos animosque ad se allicit, omnia impetrat, omnia persuadet. Ex adverso arrogantia, immodestia, asperitas omnibus exosa est, omnia

turbat, omnia evertit. Hinc et modestia, æque ac temperantia, vocatur σωφροσύνη, quasi σώζουσα τὴν φρόνησιν, id est, *conservans mentem et sapientiam*, ait Aristoteles, lib. VI *Ethic.*, cap. V; et ut Socrates apud Platonem, quasi σωτηρία τῆς φρονήσεως, id est, *salus mentis et sapientiæ*.

Quæ et qualis virtus modestia? Resp. Primo.

Quæres, quæ et qualis virtus sit modestia? quæ ejus officia? quomodo acquirenda? Dico *primo* : Modestia totum hominem exteriorem honeste et decenter componit, sicut interiorem componunt aliæ virtutes. Modestia ergo est compositio membrorum, sensuum, vestium, incessus, sermonis, aspectus, vultus, omniumque motuum et actuum externorum. Quocirca ipsa est virtutum purpura, ut ait S. Ambrosius; nec ita purpura ornat Reges et Cardinales, sicut modestia decorat fideles; itaque ipsa est cyclas aurea et gemmea ornans Christianum, juxta illud *Cant.* I, 11 : « Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento. » Et : « Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate. » Et : « Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus, » *Psalm.* XLIV, vers. 10 et 14. Quare modestia *primo*, est ornamentum et vestis regia hominis, quæ mire ipsum speciosum reddit. Sicut enim corpus pulchrum ornat animam, et vestis pulchra ornat corpus : ita modestia exornat et vestem et corpus et animam. Modestia enim dicitur a modo et moderatione, quia omnibus hominis actibus et gestibus modum ponit, eosque decore moderatur. Unde S. Augustinus in *Regula* : « In omnibus, inquit, motibus vestris nihil fiat quod cujusquam offendat aspectum, sed quod vestram doceat sanctitatem. » Religiosi nonnulli ab aliis non discriminantur veste, ut modestia quasi vestis eos discriminet.

Est purpura et cyclas Christiani.

Dotes modestiæ. Prima.

Secunda.

Hinc *secundo*, modestia mire placet Deo, ejusque et angelorum oculos valde recreat, æque ac eosdem offendit immodestia et inverecundia. Sicut enim homines delectat videre reginas cyclade regia ornatas, ita angelos delectat videre homines vestitos et ornatos modestia. Unde sponsus ait *Cant.* VII, 1 : « Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis? » Et S. Paulus : « Spectaculum facti sumus mundo, et angelis, et hominibus, » I *Cor.* IV.

Tertia.

Tertio, modestia valde ædificat proximos : illi enim internam virtutem cernere nequeunt, nisi per externam modestiam. Modestus ergo est quasi statua virtutis. Tales fuerunt Essæi, qui adeo fuere modesti, ut in cœtu nullus spueret, nemo vel minimum ederet sibilum aut strepitum ut angeli viderentur. Vide de iis Philonem, Josephum, et ex iis Eusebium.

Resp. Secunda

Dico *secundo* : Modestia est effectus et actus externus virtutis et compositionis internæ, ideoque impossibile est ut quis continuo et in omnibus actibus sit modestus et compositus, nisi prius mores, affectus et passiones internas edomuerit et composuerit. Compositio enim exterior manat ab interna, et, ut ait Hugo Victorinus : « Habitus mentis in statu corporis agnoscitur. » Quocirca angeli ut docerent nos modestiam, sæpe apparuerunt in corpore assumpto, ut in eo angelicos mores et modestiam exprimerent; quin et Verbum divinum ideo incarnatum est, ut in carne divinos mores exprimeret. Repræsenta ergo tibi angelorum et Christi in carne conversationem et modestiam, in eoque quasi speculo te intuere, et ad illud mores tuos reforma et conforma. « Age quasi quidam obambulans in terra Deus, et sanctus in carne angelus. »

Quatuor species modestiæ.

Dico *tertio* : S. Thomas, II II, *Quæst.* CLX, art. 2, ponit quatuor species modestiæ. *Prima*, inquit, est humilitas, quæ moderatur appetitum excellentiæ. *Secunda* est studiositas, quæ moderatur curiositatem sciendi. *Tertia* est modestia, quæ moderatur sensus et actus hominis. *Quarta* est modestia vestitus. Verum large sumit modestiam : proprie enim modestia est compositio hominis exterioris, cujus actus sunt varii. *Primus*, modeste componere singula membra. *Secundus*, componere habitum et vestitum. *Tertius*, componere incessum et conversationem. *Quartus*, componere sensus, præsertim oculos, ne sint vagi, sed modesti et demissi; aures, ne pateant vanis, curiosis, detractoriis; linguam, ne proferat otiosa, nociva, maledica, iracunda, superba, etc. Modestiæ enim opponitur immodestia, petulantia, levitas.

Porro, modestia componit mores ubique, puta in cubiculo, in oratorio, in schola, in templo, in mensa. Sæculares maxime notant sacerdotes et Religiosos in mensa, quia facile in ea exceditur cibo, potu, garrulitate. Caveant ergo sibi Religiosi, ac modestiam servent, præsertim quando in sæcularium mensis versantur, si suum decus, nomen et famam tueri volunt. Quocirca si sapis, sic oculos, vultum, vocem, habitum, gressum, motusque omnes compone, ut deceant Deum, ut te ornent, ut proximum ædificent : alioqui enim decus latet in animo, dedecus patet in voce, vultu, habitu : sciat Religiosus, cogitet sacerdos, se sui gradus, Ordinis et monasterii decus et dignitatem suo habitu circumferre. Sæculares enim ex uno æstimant judicantque cæteros, ac dicunt : Vidi unum Religiosum talis Ordinis, vel unum sacerdotem talis Ecclesiæ tam modestum, pium, devotum; vel tam immodestum, dissolutum, irreligiosum : ergo cæteri sunt tales. Utinam hoc singuli cogitarent, eoque quasi fræno se cohiberent : sane magnam de se suoque cœtu opinionem concitarent!

Exempla.

Dico *quarto* : Modestia maxime spectatur in verbis, præsertim in correptione et castigatione. Ea ergo sit humilis, lenis, modesta, suavis. Sic Christus corripuit Samaritanam, dicendo : « Voca virum tuum, » *Joan.* IV. Non dixit : Tu es meretrix; sed suaviter per ambages induxit illam, ut ipsa id sponte fateretur. Rursum plus monuit

vita quam verbo : sicut et S. Basilius, « cujus oratio erat tonitru, quia vita erat fulgur, » ait Nazianzenus in ejus *Encomio*.

Sic S. Bonaventura adeo erat modestus, humilis, suavis, devotus, ut quotquot eum audirent vel viderent, illico ejus amore caperentur.

S. Mechtildis ita colebat silentium, ut muta videretur : sin cum ea quis colloqueretur, angelum se audire putabat. Ita habet ejus Vita.

Eximius in modestia fuit S. Lucianus, quem Maximianus Imperator cominus intueri non est ausus, sed per velum, ne ab eo dementaretur et Christianus volens nolens efficeretur. Vide dicta *Philip.* IV, 5.

Media ad modestiam. Primum.

Dico *quinto* : Modi et media acquirendi modestiam sunt varii. *Primus*, cogitare se versari in præsentia Dei, angelorum et hominum, ab eisque ubique videri, audiri, notari. Spectaculum enim facti sumus Deo, angelis et hominibus. Ita noster Edmundus Campianus, Angliæ martyr : « Ubicumque, inquit, fuero, meminero me in orbis theatro versari. » Si enim modesti et circumspecti sumus dum scimus nos in oculis Pontificis, Episcopi, Regis, imo Rectoris, aut viri gravis versari, quid faciemus scientes nos stare coram Deo, illumque nos nostraque omnia penitissime intueri et contemplari, ut ea judicet et puniat vel præmiet? Rursum instar Henoch, Noe et Eliæ ambulare cum Deo, cum eoque crebro agere et colloqui; item cum sanctissimis angelis, sic enim eorum mores induemus. Cogita si angelus e cœlo lapsus nobiscum ageret, qua gravitate, decore, honestate ageret : cogita te, tuamque animam esse quasi angelum e cœlo lapsum. Insuper ora Deum ut te tuumque cor, os et linguam, totumque corpus et mentem possideat, componat, dirigat ad suam laudem, ut in omnibus tuis motibus et moribus ipse honoretur et glorificetur, adeoque non tam tu, quam Deus per te agat, videat, loquatur, operetur.

Secundum.

Secundus est modestia interna et pax animæ; ex ea enim naturaliter sequitur modestia externa, sicut ex cithara per chordas rite in se composita sequitur sonus harmonicus. Quare mortificandæ et componendæ sunt passiones animæ, præsertim ambitio, ira, tristitia. Sicut enim in mari est tranquillitas, si nullus in eo sit ventus; fluctus autem et tempestas oritur ex spiritu et vento in eo incluso, qui illud agitat et collidit : sic et morum compositio vel perturbatio externa oritur ex interna. Laudat S. Gregorius Nazianzenus, *orat.* 11, sororem suam Gorgoniam a mortificatione, pudore, modestia, contemptu mundi, adeo ut cuperet dissolvi et esse cum Christo. Quare Deus illi diem obitus revelavit; et quia in plena animi pace vixerat, eidem immortua est, dicendo : « In pace in idipsum dormiam et requiescam. »

Tertius est, habere monitores qui mores nostros notent, nosque sicubi minus compositi sint, moneant. Ita S. Carolus Borromæus duos sacerdotes ad hoc alebat, ut in actiones suas omnes invigilarent, seque, si quid indecore faceret, libere monerent. Hinc tota ejus vita adeo fuit composita, concinna et sancta. Scitum est illud Zenonis apud Laertium, lib. VII :

Optimus ille quidem qui paret recta monenti;

oculatius enim nos intuentur alii, quam nos ipsi.

Quartus, reflectere crebro in actiones singulas, an quid immodeste et indecenter faciamus in Missa, mensa, incessu, colloquio, etc., idque corrigere, ac constanter et fortiter correctioni incumbere per assiduam reflexionem, præmeditationem, orationem, donec illud plane emendaverimus : ut assequamur illud S. Ambrosii, lib. I *Offic.*, cap. XXII : « Disceptatio sine ira, suavitas sine amaritudine sit, monitio sine asperitate, hortatio sine offensione. » Et mox : « Oratio sit pura, simplex, dilucida atque manifesta, plena gravitatis et ponderis, non affectata elegantia, sed non intermissa gratia. »

Quintum.

Quintus, considerare mores Christi dum viveret, prædicaret, circumcursaret vicos et castella, ac præsertim in passione et cruce; qui, ut ait S. Petrus, cap. II : « Peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur : tradebat autem judicanti se injuste. » Sane portentosa, jucunda, et quæ valde commoveat, est consideratio humanitatis Christi, quod in ea Deus dignatus sit nobiscum agere, vesci, docere, proficisci, pati contradictiones, irrisiones, blasphemias, summa animi æquitate et pace, ut pudeat hominem irasci, esse impatientem, immodestum, cum videt Christum se exhibuisse tam mansuetum, patientem et modestum, ut nos eadem imitari doceret. Ita S. Bernardus, serm. 15 *in Cantic.* : « Cum nomino, ait, Jesum, hominem mihi propono mitem et humilem corde, benignum, sobrium, castum, misericordem, et omni denique honestate ac sanctitate conspicuum, eumdemque ipsum Deum omnipotentem, qui suo me et exemplo sanet, et roboret adjutorio. Sumo ergo mihi exempla de homine, et auxilium a potente, etc. Semper tibi in sinu sit, semper in manu, quo tui omnes in Jesum et sensus dirigantur et actus. Denique et invitaris : Pone me, inquit, signaculum in corde tuo, signaculum in brachio tuo. »

Sextum.

Sextus est, versari cum modestis. Versare cum Catonibus et Scipionibus, ait Seneca. Modestus enim facit alios modestos, sicut Deus tranquillus tranquillat omnia; sic qui aspicit quietum et modestum, se componit ad quietem et modestiam. Exemplum dat S. Ambrosius in *Psal.* CXVIII, serm. 10, in ave dicta *Icterus*, quod ictericos sanet, eorumque morbum in se attrahat, teste Plinio, lib. XXX, cap. XI. Ait ergo de ea S. Ambrosius : « Si est tanta vis in naturalibus, ut animal ipsum prosit ictericis, ita ut mortui quoque corpus prodesse dicatur, si fuerit demonstratum iis, qui in hujus-

modi inciderint passionem, dubitare possumus quod justi sanet aspectus? Nonne vel ipsi oculorum radii virtutem quamdam videntur infundere iis, qui fideliter eum videre desiderant? Sed quemadmodum justus lætificat cor innocentium cum videtur, ita et improbi justorum cognitione torquentur, quia vel tacitis Sanctorum moribus arguuntur. Torquet castitas incontinentiam, avaritiam liberalitas, impietatem fides. » Affert exemplum basilisci, qui si prior viderit hominem, eum enecat; sin ab ipso prius fuerit visus, enecatur, ex eoque concludit : « Ergo si tanta virtus vel in oculis serpentis, vel in oculis est hominis, ut si alter alterum prior viderit, possit occidere, non est virtus in oculis justi, qui repletus virtutis est gratia, cum præsertim tantum operetur fides, ut et illa quæ fimbriam Domini tetigit, sanaretur, *Matth.* IX, et ille cui intendit Dominus Jesus, statim ex ejus oculis gratiam sanitatis hauriret? *Lucæ* IX. Sed qui videt justum, debet scire quid videat : non illum videt in corpore, non in vestimento, non in patrimonio, non in vultu, sed intus videt, etc. Sane in eo qui foris est, illum qui intus est, frequenter aspicimus. »

Talis fuit S. Cyprianus, de quo ait Pontius Diaconus in ejus Vita : « Tantum sanctitatis et gratiæ ex ore lucebat, ut confunderet intuentium mentes gravis vultus et lætus : nec severitas tristis, nec comitas nimia, admixta utrimque temperies, ut esset ambigere, vereri an diligi mereretur, nisi quod et vereri et diligi merebatur. » S. Franciscus suos mittebat ambulatum per urbem, dicens : « Ite concionatum, » vestro scilicet modesto et religioso incessu, eoque plus animos civium commoverunt, quam si eis concionati fuissent. Morum enim concio est viva, verborum mortua. Pontifex cum suis Prælatis visitans S. Bernardum in Claravalle, ipsius et monachorum modestia adeo commotus et compunctus est, ut plerique eorum præ devotione uberes funderent lacrymas. Ita habet Vita S. Bernardi. Plura recensui vers. 4.

Humilitatis nota.

HUMILES. — « Humilitas est virtus qua quis ex verissima sui cognitione sibi ipsi vilescit, » ait S. Bernardus, *De Grad. humil.* Aurea est S. Nili gnome apud S. Antonium in *Melissa,* serm. 73 *De Modestis* : « Beatus cujus est vita excelsa, spiritus autem humilis. » Et S. Chrysostomus : « Nihil est tam Deo gratum, quam seipsum cum postremis numerare. » Et S. Basilius : « Simus vita elati, sed spiritu humiles; et virtute quidem inaccessibiles, conversatione autem facillimus sit ad nos aditus. » Et Evagrius : « Armatura tutissima animi modestia, » ibidem. Porro S. Antiochus, serm. 70 *De Humilitate* : « Verissimæ, ait, humilitatis insigne hoc est, nullas in quempiam intorquere contumelias, sed ab aliis in te contortas generose et infracto ferre animo. Ut enim arborum ramos exuberans copia fructuum deorsum versus inflectit : ita et accessio dives virtutum sensum hominis se possidentis demittit atque humiliat. »

Quocirca S. Ephrem, serm. 1 *De Evers. superb.,* humilitatem indigitat principium et finem bonorum omnium. Dorotheus, *doctrina* 14, absolutam omnium virtutum perfectionem, imo earum calcem et cæmentum, quod omnes inter se conglutinat. S. Augustinus, *epist.* 56, primas, secundas, tertias, etc., in sapientia Christiana assignat humilitati : sicut Demosthenes primas, secundas, tertias, etc., in oratore assignavit pronuntiationi et actioni. Idem, serm. 10 *De Verbis Domini* : « Cogitas, ait, magnam fabricam construere celsitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis. » Et mox : « Hoc in te fode fundamentum humilitatis, et pervenies ad fastigium charitatis. » Et *serm.* 27 : « Confluit aqua ad humilitatem vallis, denatat de tumoribus collis. » Et serm. 157 *De Temp.* : « Videte magnum miraculum. Altus est Deus : erigis te, et fugit a te; humilias te, et descendit ad te. Quare hoc? quia excelsus Dominus, et humilia respicit, ut attollat; alta, id est superba, de longe cognoscit, ut deprimat. » S. Basilius, *Admon. ad filium spirit.* : « Fili, inquit, omnibus humilitati stude; quod est omni virtute sublimius, ut ad perfectionis fastigium possis conscendere; cum justæ institutiones non aliter nisi per humilitatem impleantur, et multorum temporum labores per superbiam in nihilum deputentur. Vir humilis Deo est similis, et in templo pectoris sui gestat eum. Superbus autem cum sit Deo odibilis, diabolo similis est. Humilis vero licet in habitu videatur vilissimus, gloriosus est in virtutibus; superbus autem homo, etsi decorus videatur aspectu et clarus, sed tamen inutilem eum manifestant opera ipsius, et per hos incessus et motus dignoscitur ejus superbia, et ex verbis ejus publicabitur levitas ipsius. Cupit semper laudari ab hominibus, et virtutibus, quibus alienus, se prædicare gestit. Non se patitur cuiquam esse subjectum, sed semper primatum cupit, et ad majorem gradum se conatur immergere. Et quod ex meritis obtinere non potest, ambiendo festinat. Ambulat semper tumens ut uter vacuus et inanis. Et sicut navis absque gubernatore cum jactatur a fluctibus, ita et is circumfertur inter omnes actus suos. Humilis e contrario despuit omnem honorem terrenum, et ultimum se esse judicat omnibus hominibus. Nam etsi mediocris appareat in vultu, eminens apud Dominum intuetur; cum consummaverit omnia mandata Domini, nihil se fecisse testatur, et omnes virtutes animæ suæ celare festinat : sed divulgat Dominus omnia opera ipsius, et profert in medium, et mirificat gesta ipsius, et exaltabit, et clarum faciet eum, et in tempore precum suarum quod postulat, impetrabit. »

9. NON REDDENTES MALUM PRO MALO, — non retaliantes injuriam injuria, convicium convicio. Non vetat hic Petrus justum judicium et justam vindictam, sed eam quæ vel privata exercetur auc- Vers. 9.

toritate, vel non amore justitiæ, sed libidine ulciscendi, aut odio infligitur. Ita Hesselius. S. Petro succinit S. Paulus : « Non vosmetipsos, inquit, defendentes, charissimi, sed date locum iræ, » etc. Vide ibi dicta. Præclare S. Chrysostomus, homil. 18 *in Matth.* : « Nihil, ait, ita lædentes coercet, ut patientia modestiaque læsorum, etc. Non extinguitur ignis igne, sed aqua : sic injuria et ira non extinguitur iræ talione, sed mansuetudine, humilitate, beneficiis. » Chrysostomum magistrum secutus Isidorus Pelusiota ejus discipulus, lib. III, epistola 21 *ad Eustathium* : « Inimicitia, ait, scribenda est in aqua, ut statim e mente et memoria effluat : amicitia vero incidenda in æs, ut jugiter menti inhæreat. » Inculcat hoc Petrus fidelibus, quia hic est apex virtutis : in injuriarum enim tolerantia et inimicorum amore consistit vitæ Christianæ perfectio. Unde S. Basilius formulam vitæ perfectæ Religiosis et Anachoretis præscribens, *Admonit. ad Juniores*, id pene solum inculcat : « Quisquis, ait, solitariam vitam semel es complexus, o homo fidelis, et idem pietatis cultor, fac condiscas ac docearis Evangelicæ conversationis formulam, corpus in primis ut sanctæ servituti mancipes ; animum erudito, nihil de se sublime sapere ; cogitationes instruito, puræ ut sint ; iræ impetum exinanito. Vim tibi injecit aliquis ? in Domini unius gratiam huic præterquam vult addito. Re quapiam spoliatus es ? spoliatorem in jus ne vocato, neu lite decernito. Odio haberis ? osorem amato. Persecutione percelleris ? sustineto. Execratione te devovit aliquis, aut maledicentia ? hunc tu ad irrogatæ contumeliæ cognitionem adhortator, aut certe pro ejusmodi intercedito. Peccatis in posterum designandis mortuus esto. Cruci Christi configitor. Omnem animi tui sollicitudinem in ipsum transcribito Dominum, ut inveniri tandem promerearis ubi angelorum myriades, cœtus primogenitorum, perquam festivi Apostolorum throni, primariæ auctoritatis subsellia Prophetarum, Patriarcharum sceptra, coronæ Martyrum, justorum præconia. Inter justos olim istos, ut allegi possis, et annumerari toto pectore concupiscito. In Christo Jesu Domino nostro. Ipsi gloria in sæcula. Amen. »

Perfectio Christiana in quo sita?

SED E CONTRARIO BENEDICENTES, — *q. d.* Male precantibus bene precamini, maledicta benedictionibus, vituperia laudibus, asperos sermones blandis, quin et maleficia beneficiis compensate, uti jubet Christus, *Matth.* v, 44. Rationem dat S. Basilius in *Reg. brev.*, resp. 176, quia maledici et malefici nobis sunt occasio et causa heroicæ patientiæ, ideoque nos faciunt beatos, juxta illud Christi, *Matth.* v, 11 : « Beati eritis cum maledixerint vobis homines. »

Exempla.

Hoc sapiebat Religiosus ille, de quo in *Apophth. Patrum*, numer. 76, qui quo majori afficiebatur injuria et irrisione, eo magis gaudebat, dicens : « Isti sunt qui nobis occasionem præbent ad profectum nostrum : qui autem beatificant nos, conturbant animas nostras. Scriptum est enim : Quoniam hi qui beatificant vos, ipsi decipiunt vos. »

Et S. Franciscus, qui jubebat suis ut ipsum conviciis et probris afficerent, iisque auditis dicebat : « Benedicat tibi, Deus, quia talia filium Petri Bernardonis audire decet. » Ita S. Bonaventura in ejus Vita. Laudat et Seneca, lib. II *De Ira*, XXXIII, dictum aulici, « qui rogatus quomodo rarissimam rem in aula consecutus esset senectutem ? Injurias, inquit, accipiendo et gratias agendo. »

Præclare Nazianzenus apud Antonium in *Melissa*, part. I, serm. 55 : « Concedamus, ait, aliquid exiguum ut majus impetremus, nempe concordiam : patiamur nos vinci, ut vincamus. Videte athletarum consuetudinem, et luctatorum certamina, qui sæpe hoc ipso quod supposititi sunt adversarios sibi incumbentes vincunt. Bonum est mansuetudine audaciam vincere, et meliores efficere eos qui injuriam faciunt, quæ toleramus patiendo. Unusquisque nostrum multum Christo debet. Veniam demus, ut impetremus ; remittamus, ut nobis remittatur. »

In Vitis Patrum, in *Vita S. Apollonii*, narratur, quod cum ipse a Philemone choraula multis afficeretur injuriis, ac vocaretur impius, seductor, scelestus, responderit : « Misereatur tibi Dominus, fili mi, et nihil horum quæ locutus es, reputet ad peccatum. » Hac benedictione compunctus Philemon ad Christum se convertit, adeoque gloriosum pro eo cum Apollonio subiit martyrium. Hoc est quod suis præcipit Christus, *Matth.* cap. v, vers. 43 : « Audistis quia dictum est : Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis : Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos. » Nam, ut ibidem ait S. Chrysostomus, « tempus orationis est tempus mansuetudinis : ideo a se Deum expellit, qui illum a proximo avertit. » Imo, ut ait S. Augustinus, serm. 4 *De Sanctis* : « Facit Deo injuriam, qui seipsum judicem constituit, et Deum tortorem, » cum ex adverso subjungat Christus : « Ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos. »

QUIA IN HOC VOCATI ESTIS, UT BENEDICTIONEM HÆREDITATE (S. Fulgentius, lib. I *ad Thrasimundum*, legit *hæreditatis*) POSSIDEATIS, — *q. d.* Ad hoc vocati estis ut per injuriarum tolerantiam, nimirum benedicendo maledicentibus, benedictionem Dei tum præsentem, tum æternam, puta beatitudinem et gloriam æternam hæreditetis. Quæres cur cœlestem hæreditatem et felicitatem vocat *benedictionem ?* Respondeo, *primo*, quia ipsa summa est Dei benedictio, id est, summum donum : Dei enim benedicere est efficax, idemque quod benefacere. *Secundo*, quia electi cœlo adjudicandi a Christo in die judicii benedicentur, dum audient : « Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi, » *Matth.* XXV, 34, quo

Gloria cœlestis vocatur benedictio. Primo.

Secundo.

Tertio. alludit hic Petrus. *Tertio*, quia alludit pariter ad *Deuter.* cap. XXVII, vers. 13, ubi sex nobiliores tribus benedicunt servantibus legem Mosis, ignobiliores maledicunt eam violantibus : quo schemate repræsentata est benedictio æterna electis, et maledictio reprobis a Christo irroganda in die judicii. Quarto. *Quarto*, quia benedictionis mercedem congrue significat nomine benedictionis : congruum enim est ut qui injuriantibus benedicit, benedicatur et beetur a Christo : imo id ab eo promissum est, ideoque debitum. Ait enim *Matth.* v, 11 : « Beati estis cum maledixerint vobis et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos mentientes propter me; gaudete et exultate, quoniam Quinto. merces vestra copiosa est in cœlis. » *Quinto*, quia Sanctorum felicitas magna ex parte consistit in benedictione, id est, in continua laude et jubilo Dei : laus enim Dei est negotiosum Beatorum otium, et otiosum negotium.

Nota, præter alias virtutes, amorem inimicorum et injuriarum tolerantiam dare nobis jus ad cœlum, illudque nobis pandere : sicut ex adverso injuriarum memoria, ira et amaritudo, etiam levis, illud nobis occludit; de qua re audi exemplum memorabile.

S. Anno, Archiepiscopus Coloniensis, paulo ante mortem per visionem raptus in cœlum, vidit consessum illustrem sanctorum Episcoporum Germaniæ et Galliæ sui ævi, atque inter eos sedem splendidam sibi paratam, ad quam cum pergeret, prohibitus est ab Arnulpho, Wormatiensi Episcopo, quod diceret prius illi eluendam esse maculam unam, quam in veste ad pectus habebat. Experrectus intellexit maculam hanc esse injuriæ memoriam, et animi acerbitatem in cives Colonienses, eo quod ipsum expulissent. Quare illico cum iis in gratiam rediit, itaque maculam detersit, ac paulo post plane immaculatus in cœlum migravit. Ita narrat Lambertus Schafnaburgensis in *Descript. Annon.*, ad annum Domini 1075.

Denique ad hanc S. Petri sententiam facit illud Clementis Alexandrini, lib. IV *Strom.* : « Admiror, ait, Epicharmum, qui aperte dicit : Si fueris mente pius, nihil mali patieris mortuus. Superius manet in cœlo spiritus. » Et poetam lyricum canentem : « Impiorum autem animæ sub cœlo volant in cruentis doloribus, sub malorum jugis inevitabilibus; piorum autem mentes in cœlis habitabunt, cantibus beatum magnum canentes in hymnis. »

Vers. 10. 10. QUI ENIM VULT VITAM DILIGERE, — id est, qui optat et diligit vitam, hic longævam et prosperam, ac in cœlo æternam et beatam, *q. d.* Qui vult beate vivere, tum in hac vita, tum potius in futura. Unde Clemens Alexandrinus explicat sic : « Qui vult æternus et incorruptibilis fieri. » Probat S. Petrus id quod dixit, nimirum maledicentibus esse benedicendum, ut benedictionem hæreditate possideamus, ex *Psalm.* XXXIII, 13, ubi dicitur : « Quis est homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos? (pro quo S. Petrus verbis duntaxat parum immutatis ait : « Qui enim vult vitam diligere, et dies videre bonos). Prohibe linguam tuam a malo, » etc.

ET DIES VIDERE BONOS. — « Videre, » id est, sentire, gaudere, frui. Videre enim et visus in Scriptura pro quolibet sensu et gustu capitur per catachresin.

« Dies boni » vocantur commodi, læti, felices, tum hujus, tum potius futuræ vitæ, puta dies gratiæ et gloriæ. Unde Clemens Alexandrinus, « dies bonos » explicat sanctos. Nam, ut ait S. Augustinus in *Psalm.* XXXIII : « Semper dies mali in sæculo, semper dies boni in Deo. » Et S. Basilius ibidem : « Dies hujus sæculi mali sunt, quoniam et hoc sæculum cum sit mensura mundi, de quo dictum est, quod mundus totus in maligno sit positus, naturæ assimilatur mundi, per quem dimetitur : partes hujus temporis sunt dies ipsi; idcirco dicit Apostolus : Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Jacob autem : Dies, inquit, annorum meorum pauci admodum et mali (id est miseri et ærumnosi) sunt. » Dies ergo boni, inquit S. Basilius, sunt non hujus, sed futuri sæculi, « et quos sol hic sensibilis peragit, decidui sunt et dispereunt. » De futuris autem dicitur : « Melior est dies unus in atriis tuis super millia, » *Psalm.* LXXXIII, 11. Dies boni qui?

COERCEAT LINGUAM SUAM A MALO : — lingua enim non coercita, sed effrænis, linguaci conciliat dies malos, id est miseros et calamitosos : vide dicta *Jacobi* III, 2 et seq.

ET LABIA EJUS NE LOQUANTUR DOLUM. — « Dolum » Græci definiunt, maleficium occultum cum præscriptione bona. « Cortex bonus macula subjacente, » ait Eugubinus in *Psalm.* XXXIII. Vide dicta vers. 1.

Vers. 11. 11. DECLINET A MALO, ET FACIAT BONUM. — Hisce duobus præceptis concluditur omnis justitiæ lex, omnis virtutis norma et præscriptio.

INQUIRAT PACEM — cum Deo, secum et cum proximis. Hanc pacem Christus e cœlo quasi donum divinum in terras detulit. Unde eo nato cecinerunt angeli : « Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis, » *Lucæ* cap. II, vers. 14. Hinc eam impense celebravit et prædixit Isaias cap. II, 4, et cap. XI, 6 et seq.

ET SEQUATUR EAM. — Διωξάτω, id est, *persequatur* eam fixis oculis, toto corde et conatu, sicut venator persequitur leporem. Ita S. Hieronymus ad *Rusticum.* Hæc enim pax exuperat omnem sensum, *Philip.* IV, 7. Hæc quasi regina sedet in animæ throno, ejusque potentias, sensus et membra tranquille et hilariter regit, juxta illud : « Pax Christi exultet in cordibus vestris, » *Coloss.* III, 15. Vide ibi dicta. Vere S. Augustinus *De Continent.*, cap. VII : « Pax perfecta, ait, tunc erit nobis, quando natura nostra creatori suo inseparabiliter cohærente, nihil nobis repugnabit ex nobis. »

Vers. 12. 12. QUIA OCULI DOMINI SUPER JUSTOS. — *q. d.* Dominus benignis, paternis et beneficis oculis respiciet justos, qui præcepta jam dicta servarint.

ET AURES EJUS IN PRECES EORUM, — ut eas audiat et exaudiat, iisque annuat et postulata concedat.

VULTUS AUTEM DOMINI SUPER FACIENTES MALA. — « Vultus, » scilicet iratus, trux et minax, ut mala et malos indignans videat et plectat. Hinc Aben-Esra et Eugubinus in *Psalm.* XXXIII, pro *vultus*, vertunt, *excandescentia;* unde et sequitur : « Ut perdat de terra memoriam ipsorum. » Sic Latini vultuosum vocant tetricum, morosum et asperum. Ingens est hic stimulus ad declinandum a malo, et faciendum bonum, nimirum cogitare quod Deus quasi agonotheta bonos et bona intueatur vultu amœno, ut præmiet; malos et mala austero et minaci, ut puniat acerrime. « Nihil, ait Tertullianus, lib. *De Pœnitent.*, cap. VI, occultum quod non reveletur : quantascumque tenebras factis tuis superstruxeris, Deus lumen est, et illius oculi luciferes super solem, circumspicientes omnes vias hominum, et profundum abyssi, et corda hominum intuentes in absconditas partes. » Porro Deus cum sit incorporeus, non habet oculos et vultum, sed oculi vocantur ipsa mentis ejus acies lucidissima, qua omnia intuetur; vultus vocatur ipse ejusdem intuitus, qui quam impiis sit terribilis, colligere licet ex eo, quod Christi hominis et judicis vultus in die judicii tam erit reprobis formidabilis, ut ipsi optaturi sint manere in inferno, nec inde egredi in vallem Josaphat, ne eum aspicere; eoque percelli cogantur. Unde « reges et principes, inquit S. Joannes, *Apocalyps.* cap. VI, vers. 16, dicent montibus et petris : Cadite super nos, et abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira Agni : quoniam veniet dies magnus iræ ipsorum, et quis poterit stare? »

Moraliter de præsentia Dei. Hunc vultum cogita quando te tentat dæmon, quando in secreto concupiscentia te ad peccatum sollicitat. Vere Boetius : « Magna, inquit, nobis incumbit necessitas bene agendi, quando in conspectu judicis cuncta cernentis omnia agimus. » Et Clemens Alexandrinus, lib. V *Strom.* : « Non est, ait, aliquis adeo magnus ut superet justitiam, neque adeo parvus ut lateat. » Et S. Bernardus in *Medit.* cap. VI : « Illum, inquit, semper ante oculos habere debemus, per quem sumus, vivimus et sapimus. » In Vita S. Dosithei legimus illum a B. Dorotheo magistro hoc accepisse vitæ documentum : « Nunquam corde tuo Deus excidat. Cogita semper Deum tibi præsentem, et te coram illo stare, » illumque id assidue ruminantem a vita militari et dissoluta se convertisse ad religiosam et sanctam. S. Ephrem, tractatu *De Patientia* : « Semper, ait, Dei memineris, et cœlum mens tua evadet. » S. Hieronymus in *Ezech.* cap. V : « Memoria Dei excludit omnia flagitia. » Clemens Alexandrinus III *Pædag.*, V : « Hac sola ratione fit ut quis nunquam labatur, si Deum sibi ipsi semper adesse existimet. »

Vers. 13. 13. ET QUIS EST QUI VOBIS NOCEAT, SI BONI ÆMULATORES FUERITIS? — « Boni, » id est *bonitatis*, ut vertit Syrus et Vatablus. Græce enim est τοῦ ἀγαθοῦ μιμηταί, id est *boni* (in genitivo) *imitatores*. Per *bonum* accipe vel Deum et Christum cum S. Augustino, serm. 107 *De Diversis*, cap. VI et VII; vel potius ipsum bonum honestum, puta virtutem, de quo paulo ante dixit : « Declinet a malo et faciat bonum; » eo enim respicit. Ita Lyranus, Hugo, Cajetanus et Thomas Anglicus. Bonum enim honestum est quasi idea et norma virtutis, quæ omnibus ad imitandum proponitur, ut eam moribus exprimant, et in seipsis depingant. Sic S. Joannes ait, *epistola* cap. III, 11 : « Charissime, noli imitari malum, sed quod bonum est. » Vere S. Prosper; *epigram.* I :

> Perfecte, *ait*, bonus est et vere dicitur insons,
> Nec sibi, nec cuiquam quod noceat, faciens.
> Nam quicumque alium molitur lædere, primum
> Ipsum se jaculo percutiet proprio.

Vox « æmulatores » significat vehemens studium et ardorem boni, sive virtutis, illamque ardentius amandam et prosequendam esse, quam sponsus amat et prosequitur sponsam dilectissimam. Huc spectat illud : « Qui non zelat, non amat; » et illud S. Ambrosii, *De Instit. virg.* cap. XI : « Cur, inquit, sæculo potius laboramus, et fraudamus animam nostram tantæ bonitatis dispendio, qui nulli alii nisi huic Domino servire deberemus? » Sic enim nihil et nemo nobis nocebit. Vere enim S. Augustinus loco paulo ante citato : Impius, ait, sibi nocet, non alteri, cui nocere cupit. Et S. Chrysostomus scripsit ultimum opus ad Olympiadem, in quo hanc cygnæam vocem canit, multisque confirmat : « Quod nemo læditur nisi a seipso; » extat tomo operum ejus V.

Occurrit S. Petrus objectioni. Dicet enim quis : Si declinemus a malo et sectemur bonum; si mala toleremus nec vindicemus, patebimus omnium injuriis et rapinis. Respondet S. Petrus : Nemo vobis nocere, græce κακῶσαι, id est *affligere*, poterit, si bonum patientiæ et virtutis sectemini, tum quia virtus omnia mala superat; tum quia Deus virtutis eique studentium est tutor et protector. Quocirca « diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, » *Roman.* VIII, 28. Hoc est quod orans profitetur Ecclesia : « Nulla nobis nocebit adversitas, si nulla dominetur iniquitas. » Sic Valerianus sua ignea craticula non nocuit S. Laurentio, sed profuit, quia ejus charitatem magis accendit. Tortores sunt fabri coronarum. Sic adversa omnia quasi agmine uno irruentia in S. Job ei non nocuerunt, sed robur animi ejus toti orbi ostenderunt. Sic Ariani persequentes assidue S. Athanasium terra marique, ejus virtutem auxerunt et illustrarunt. Sic Decii, Aureliani, Nerones, Domitiani, Diocletiani, suis tormentis non nocuerunt S. Vincentio, S. Sebastiano, S. mauritio, S. Tiburtio, S. Georgio cæterisque Martyribus, sed eis laureas martyrii adornarunt, nec

eis aliud extiterunt quam fabri et aurifices coronarum cœlestium.

Præclare Origenes, hom. 23 *in Num.*: «Ita, ait, in hoc mundo sunt disposita, ut nihil prorsus otiosum sit apud Deum, etiamsi malum illud sit. Malitiam Deus non facit, tamen cum ab aliis inventam possit prohibere, non prohibet, sed cum ipsis a quibus habetur, utitur ea ad necessarias causas. Per ipsos enim in quibus est malitia, claros et probatos efficit eos, qui ad virtutum gloriam tendunt. Nam si perimeretur malitia, non esset utique qui contrairet virtutibus. Virtus autem non habens aliquid contrarium non claresceret, nec splendidior et examinatior fieret. Non probata vero nec examinata virtus, nec virtus est.» Dat exemplum in Josepho : « Tolle malitiam fratrum ejus, tolle invidiam, tolle illud omne parricidale commentum quo sævierunt in fratrem, usque quo venderent eum. Si hæc auferas, vide quantam peremeris dispensationem Dei. Simul enim abscindes cuncta illa quæ apud Ægyptum non tantum per Joseph, sed et per Mosen pro salute omnium gesta sunt: periisset Ægyptus, periissent et finitimæ regiones fame, interiisset ipse Israel. Nusquam plagæ in Ægyptios, nec virtutes illæ quas fecit Deus per Mosen et Aaron. Nemo per mare Rubrum siccis vestigiis incessisset, nemo terram promissam intrasset, cibum mannæ mortalis vita nescisset. Nulla de sequenti petra aquarum fluenta prorupissent. Lex a Deo hominibus data non fuisset. » Et inferius: « Si auferas malitiam et proditionem Judæ, abstuleris pariter crucem et passionem Christi : et si non sit crux, non exuuntur principatus et potestates, nec triumphantur in ligno crucis. Si non fuisset mors Christi, utique nec resurrectio fuisset, nec extitisset aliquis primogenitus ex mortuis, nec spes nobis resurrectionis fuisset. Aufer peccatum et malitiam diaboli, simul auferes nobis certamen adversus ejus insidias, nec exspectabitur corona victoriæ ei qui legitime certaverit. Si non haberemus qui adversum nos obsisterent, agones non essent, nec victoribus munera ponerentur, nec regnum cœlorum vincentibus pararetur : neque momentaneum hoc et leve tribulationis nostræ, supra modum pondus gloriæ operaretur nobis in futuro. Et hoc valde mirabile est, quod malis vasis utitur Deus ad opus bonum.» Docuit id Origenes non tantum verbo, sed et exemplo. Ardebat enim desiderio martyrii, adeoque puer eo procurrisset, nisi parentes vestes ejus abscondissent, teste Eusebio.

Vers. 14. 14. SED ET SI QUID PATIMINI PROPTER JUSTITIAM, BEATI. — Alludit, imo citat illud Christi *Matth.* v, 10 : «Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum,» pro quo Clemens, lib. IV *Strom.*, III, legit : « Beati qui persecutionem patiuntur pro justitia, et propter me, quoniam habebunt locum ubi non patientur persecutionem.»

Nota *primo*, τὸ *sed et si quid patimini*, *q. d.* Leve et quasi nihil est quidquid patimini : « non enim sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. »

Nota *secundo*, « propter justitiam,» id est, quia justi, quia Christiani, quia « justitiam,» id est virtutem, sequuntur, v. g. quia servant Dei legem, castitatem, temperantiam, statuta Ecclesiæ vel ordinis, quia tuentur res pupillorum, fidem, agros et res Ecclesiæ, quia student reformationi Ecclesiæ, Cleri vel monasterii. Licet enim Philosophi propter justitiam, ut Socrates propter doctrinam unius Dei, videantur passi ; tamen ubi vera fides non est, nec charitas, ibi nec vera est justitia, inquit S. Augustinus, epist. 50 *Contra Donatistas post Collat.* cap. XVII. Justitia ergo hic non proprie et stricte accipitur, pro virtute quæ cuique reddit jus quod illi debet, sed generatim pro quavis virtute. Martyr enim est qui patitur mortem, non pro sola justitia, sed et qui pro fide, castitate, aut qualibet alia virtute, uti passim docent Theologi. Sic S. Agnes, S. Felicula aliæque virgines occisæ pro castitate, sunt martyres. Sic Machabæi occisi pro lege Mosis, ac nominatim pro temperantia, quia scilicet nolebant vesci carne porcina lege vetita, sunt martyres. Sic S. Thomas Cantuariensis, S. Stanislaus, et alii occisi pro libertate ecclesiastica, sunt martyres. Porro recte S. Augustinus, lib. III *Contra Crescentium*, XLVIII : « Martyrem, inquit, facit non pœna, sed causa. »

Nota *tertio* : Patientes propter justitiam sunt beati, beatitudine tum rei, tum spei. Rei, quia possident bonum patientiæ, quod opus perfectum habet, *Jacob.* I, ideoque beat et beatum facit : beatitudo enim hujus vitæ consistit in patientia et charitate. Spei, quia certo sperant regnum cœlorum patientibus promissum, uti subdit et explicat Christus, *Matth.* v, 12. Adde, Deum patientibus adesse, eisque augere robur, spem, charitatem, etc. eosque miris consolationibus mulcere, juxta illud S. Pauli : «Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra,» II *Cor.* I, 5. Quocirca S. Cyprianus, lib. IV, epist. 6 *ad Tibaritan.* : «Exultare, ait, nos voluit in persecutionibus Dominus, quia quando persecutiones fiunt, tunc dantur coronæ fidei, tunc probantur milites Dei, tunc Martyribus patent cœli.» Idem, *Exhortat. ad Martyr.* : « Hoc (martyrium), ait, est baptisma in gratia majus, in potestate sublimius, in honore pretiosius : baptisma, in quo baptizant angeli; baptisma, post quod nemo jam peccat ; baptisma, quod fidei nostræ incrementa consummat ; baptisma, quod nos de mundo recedentes statim Deo copulat. In aquæ baptismo accipitur remissio peccatorum; in sanguinis, corona virtutum. »

TIMOREM AUTEM EORUM (qui vos affligunt faciuntque pati propter justitiam) NE TIMUERITIS. — « Timorem, » id est terrorem, minas et plagas : alioqui enim timor timet, non timetur; timet autem

non timorem, sed rem timendam. Est ergo metonymia. Timor enim ponitur pro timoris non actu, sed objecto, puta pro terriculamentis, quæ timorem incutiunt, uti sunt minæ, equulei, gladii, ignes, crux, mors; unde Syrus vertit, *neque formidetis eos qui vobis terrorem incutiunt*. Fideles itaque nihil horum timere debent, tum quia in se breves sunt et leves, tum quia gratia Christi his omnibus eos superiores efficit, tum quia per hæc transeunt ad coronam et regnum æternum. « Mors enim pœna nascentis, si pro justitia pietateque pendatur, fit gloria renascentis, » ait S. Augustinus, lib. VI *De Civit.* XIII. Quocirca S. Ambrosius in *Psal.* CXVIII, octon. 21 : « Nullis ergo, ait, justus frangatur injuriis, nullis moveatur periculis, nullis tentetur procellis, sive mors ingruat, sive vita, sive angeli cœlorum, neque dejiciatur adversis, nec extollatur secundis, nusquam sit ejus infirmus affectus. » Et post multa : « Ubi pax et multa pax, ibi crux Christi non opprobrio, sed saluti est. Non fuit opprobrio Petro crux Christi, quia tantum ejus gloriæ dedit, ut inversis Christum honoraret vestigiis, metuens ne si ea specie crucifixus esset qua Dominus, affectasse Domini gloriam videretur. Crux ergo opprobrium perfido, fideli autem gratia, fideli redemptio, fideli resurrectio est, quia pro nobis passus est Dominus, quia illa nos redemit sanguine, illa ad paradisum resurrectione revocavit. »

Ita S. Ignatius non timebat leones, sed ambiebat; unde *epist. ad Rom.* : « Ignis, ait, crux, bestiæ, confractio ossium, membrorumque divisio, et totius corporis contritio, et tormenta diaboli in me veniant, tantum ut Christo fruar. » « Cumque jam damnatus esset, ait S. Hieronymus *De Script. Eccles.*, in *Ignatio*, ad bestias, et ardore patiendi rugientes leones audiret, dixit : Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar; » justus enim confidit ut leo, in Deo nempe defixus ait :

> Si fractus illabatur orbis,
> Impavidum ferient ruinæ.

Ita Confessores et Martyres coram judicibus et Imperatoribus stabant imperterriti, imo illos sua constantia et animositate terrebant et percellebant. Sic S. Andreas perculit Ægeam vocando eum filium diaboli, eique minando æterna gehennæ incendia. Idem fecere Machabæi Antiocho regi et tyranno, II *Machab.* VII.

Ut alios taceam, hac in re excelluit S. Hilarius, qui Constantino Imperatori Ariano sævienti in Orthodoxos, eisque extremam perniciem minitanti, animo interrito et leonino restitit, ejusque furorem repressit, in faciem ei omnia scelera et sacrilegia exprobrando, eumque Antichristum nuncupando. Audi in *Apolog. ad Constantium*, liberas, igneas et adamantinas ejus voces, Episcopo et Martyre, imo Hilario dignas : « Atque utinam illud potius, omnipotens Deus et universorum Creator, sed unius Domini nostri Jesu Christi pater, ætati meæ et tempori præstitisses, ut hoc confessionis meæ in te, atque in Unigenitum tuum ministerium Neronianis Decianisve temporibus explessem ! Nec ego per misericordiam Domini Dei Filii tui Jesu Christi, calens equuleum metuissem, qui desectum Isaiam scissem; nec ignes timuissem, inter quos Hebræos pueros cantasse meminissem; nec crucem et fragmenta crurum meorum vitassem, postquam in paradisum translatum latronem recordarer; nec profundum maris, et Pontici æstus absorbentem rheumam trepidassem, cum per Jonam et Paulum docuisses fidelibus esse in mari vitam. Adversus enim absolutos hostes felix mihi illud certamen fuisset. At nunc pugnamus contra persecutorem fallentem, contra hostem blandientem, contra Constantium Antichristum, qui non dorsa cædit, sed ventrem palpat; non proscribit ad vitam, sed ditat in mortem; non trudit carcere ad libertatem, sed intra palatium honorat ad servitutem; non latera vexat, sed cor occupat; non caput gladio desecat, sed animam auro occidit; non ignes publice minatur, sed gehennam privatam accendit; non contendit ne vincatur, sed adulatur ut dominetur : Christum confitetur, ut neget; unitatem procurat, ne pax sit; hæreses comprimit, ne Christiani sint; sacerdotes honorat, ne Episcopi sint; Ecclesiæ tecta struit, ut fidem destruat. Te in verbis, te in ore circumfert, et omnia omnino agit, ne tu ut Deus, ita pater esse credaris. » Et paucis interjectis : « Proclamo tibi, Constanti, quod Neroni locuturus fuissem, quod ex me Decius et Maximianus audirent : contra Deum pugnas, contra Ecclesiam sævis, Sanctos persequeris, prædicatores Christi odis, religionem tollis, tyrannus non jam humanorum, sed divinorum. Hæc tibi a me atque illis socia atque communia sunt; at vero nunc propria tua accipe : Christianum te mentiris, Christi novus hostis es; Antichristum prævenis, et arcanorum mysteria ejus operaris. Condis fidem, contra fidem vivens; doctor profanorum es, indoctus piorum; Episcopatus tuis donas, bonos malis demutas; sacerdotes custodiæ mandas, exercitus tuos ad terrorem Ecclesiæ disponis. Synodos contrahis, et occidentalium fidem ad impietatem compellis : conclusos urbe una minis terres, fame debilitas, hieme conficis, dissimulatione depravas. Orientales autem dissensiones artifex nutris, blandos elicis, fautores instigas, veterum turbator es, profanus novorum es. Omnia sævissima, sine invidia gloriosarum mortium peragis. Novo inauditoque ingenii triumpho de diabolo vincis, et sine martyrio persequeris. Plus crudelitati vestræ, Nero, Deci, Maximiane, debemus; diabolum enim per vos vicimus. Sanctus ubique beatorum martyrum sanguis exceptus est; dum in his dæmones mugiunt, dum ægritudines depelluntur, dum admirationum opera cernuntur; elevari sine laqueis corpora, et suspensis

S. Hilarii libertas.

pede feminis vestes non defluere in faciem, uri sine ignibus spiritus, confiteri sine interrogantis incremento fidei. Ut tu omnium crudelitatum crudelissime, damno majore in nos, et venia minore desævis. Subrepis nomine blandienti, occidis specie religionis, impietatem peragis, Christi fidem Christi mendax prædicator extinguis. Non relinquis saltem miseris excusationes, ut æterno judici suo pœnas, et aliquas laniatorum corporum præferant cicatrices, ut infirmitas defendat necessitatem. Scelestissime mortalium, omnia persecutionis mala ita temperas, ut excludas et in peccato veniam, et in confessione martyrium. Sed hæc ille pater tuus artifex humanarum mortium docuit, vincere sine contumacia, jugulare sine gladio, persequi sine infamia, odire sine suspicione, mentiri sine intelligentia, profiteri sine fide, blandiri sine bonitate, agere quod velis, nec manifestare quæ velis. »

ET NON CONTURBEMINI. — Justus enim subinde timet, at non conturbatur. Isaias habet : « Ne paveatis, » totus enim hic locus a S. Petro citatur ex *Isaia*, VIII, 12, ubi sic legimus : « Timorem ejus ne timeatis, neque paveatis. Dominum exercituum ipsum sanctificate (id est, ut sanctum celebrate, colite, glorificate) : ipse pavor vester et ipse terror vester ; et erit vobis in sanctificationem. » Vide ibi dicta, ne hic cogar repetere. Nota hic : nil ita timorem discutit, hominemque facit ad omnia interritum, atque sanctitas et sanctificatio, id est spes, amor et laus Dei. Qui enim timet, id est reveretur, sperat et amat Deum, non timet homines, nec hominibus placere cupit, aut displicere metuit, sed soli Deo. Nam, ut ait S. Hilarius in *Psalm.* LII : « Placere tantum hominibus velle, Deo est displicere. » Placere autem hominibus ut salventur, « hoc non est hominibus, sed Deo placere, cum per id quod Deo placetur, et hominibus sit placendum. Ex causa enim placendi Deo, causa etiam hominibus probabilis fit placendi. »

Vers 15. 15. PARATI SEMPER AD SATISFACTIONEM (Græce ἀπολογίαν, id est *defensionem*) OMNI POSCENTI VOS RATIONEM, DE EA, QUÆ IN VOBIS EST, SPE. — Syrus, *de spe fidei*, id est, de spe quam gignit acuitque fides, juxta illud *Hebr.* XI, 1 : « Fides est substantia rerum sperandarum. » Unde S. Fulgentius, lib. I *ad Thrasimundum*, legit, *de fide et spe*. Quia enim infideles urgebant primos credentes in Christum rogabantque, cur creditis in hominem crucifixum et occisum? Cur tam rigidam legem Christi capessitis? Cur tot et tanta adeoque tormenta et martyria pro ea toleratis? Hinc eis jubet S. Petrus, ut in promptu habeant id quod eis respondeant, nimirum se credere in Christum crucifixum, non ob sua, sed ob nostra scelera, ut ea expiaret, ideoque ipsum tertio die a morte ad vitam gloriosam resurrexisse ; quare se credere in ipsum, ut Redemptorem mundi ac peccati, mortis et inferni debellatorem et triumphatorem. Rursum se cum eo et pro eo tanta pati, quia certa fide et spe credant et sperent se per eum et cum eo ituros in cœlum, ac in fine mundi una cum corpore resurrecturos in vitam beatam et æternam, præ qua omnes hujus mundi deliciæ, omnesque minæ et pœnæ nihil aliud sunt, quam ludicra puerorum. Id enim respondisse Martyres infidelibus passim ingenti libertate, ardore et spiritu in eorum Actis legimus, ac nominatim in Actis S. Cæciliæ, quæ ab infidelibus rogata cur ætatem, nobilitatem, opes et vitam pro Christo prodigeret? tanta alacritate et ardore respondit, se id facere ut Christo pro se mortuo vicem reddat; ideoque libentissime pro eo mori, certamque esse se pro hoc vitæ contemptu accepturam vitam meliorem, imo beatam et æternam, ut quadringentos ad Christum converterit.

Quare perperam hæretici ex hisce S. Petri verbis urgent laicos indoctos, ut secum de fide disputent : hoc enim ad sacerdotes et doctores pertinet. Responsionem exigit S. Petrus, non disputationem, eamque dandam infidelibus in origine Ecclesiæ, non hæreticis, confirmata jam fide omnium sæculorum consensu. Laici ergo rogati ab hæreticis, cur credant, v. g. Christum esse præsentem in Eucharistia? respondeant : Quia id credit et credidit Ecclesia omni sæculo, quæ est columna et firmamentum veritatis, utpote sponsa Christi, gubernata et protecta a Spiritu Sancto, quare stolidum esse hoc post tot sæcula in dubium revocare. Ita Tertullianus, lib. *De Præscrip. adversus hæret.*, cap. XVII, ubi et addit rationem : « Quoniam, ait, nihil proficiet congressio Scripturæ, nisi plane ut aut stomachi quis ineat eversionem, aut cerebri. »

Audi Bedam : « Duobus modis, ait, de spe et fide nostra rationem poscentibus reddere debemus. *Primo*, ut et justas spei ac fidei nostræ causas omnibus intimemus, sive fideliter sive infideliter quærentibus. *Secundo*, ut ipsam fidei ac spei nostræ possessionem illibatam semper teneamus, etiam inter pressuras adversantium ostendentes per patientiam, quam rationabiliter eam servandam didicerimus, pro cujus amore nec adversa pati, nec mortem subire formidemus. »

Excelluit hac laude Origenes, qui rationem fidei et spei suæ et nostræ assidue cunctis reddidit, ideoque indefesse docens, legens et scribens, fidelium præceptor, infidelium catechista, martyrum pater extitit, ut illud Horatii de Græcis jure illi accommodetur :

> Origeni ingenium, Origeni dedit ore rotundo
> Πνεῦμα loqui, præter Christum nullius avaro.

Origenes Adamantius, cur?

Hinc cognominatus est Adamantius. Adamas enim indomiti nomen obtinuit, quod, cum sit lucidissimus, ne chalybis quidem duritiæ, nec malleorum ictibus ignibusque cedat. Origenis autem animus fuit adamantinus, utpote quem nec vitæ austeritas, nec perpetui labores, nec dura paupertas, nec æmulorum improbitas, nec suppliciorum ti-

mor, nec ulla mortis facies a sancto instituto vel tantillum dimovere potuit. Phrasis ejus vivida, distincta, dilucida, ipsa brevitate vitat fastidium. Amabat quæ loquebatur, et de amatis cum voluptate loquitur : idcirco fervet. Cum de martyrio agit, sentias enthusiasmum quemdam. Quocirca adamatus ille adamantius multos Episcopos, Doctores et Martyres quasi adamantes Christo genuit, ut S. Gregorium Thaumaturgum, Athenagoram, Theodorum, Ambrosium, Firmilianum, Clementem Alexandrinum, et alios plures. Utinam senior et honoratior non dedisset maculam in gloriam suam!

Denique caute ait S. Petrus «parati,» non «dantes,» quia semper paratos nos esse oportet, at non semper actu dare rationem fidei et spei nostræ, v. g. cum irrisores poscunt rationem ut irrideant, cum incapaces sunt, cum per hoc rogantibus, vel aliis damnum aut periculum creatur, juxta illud Christi : « Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, » *Matth.* VI, 7.

Vers. 16. 16. SED CUM MODESTIA ET TIMORE, — *q. d.* Date rationem spei vestræ et fidei poscentibus, at non arroganter et impudenter, sed modeste et timide ac reverenter. Sic enim loquendum esse de Deo et rebus divinis docet Nazianzenus, orat. 26 *De Moderatione in disputat. servanda.* Pro *cum modestia* græce est μετὰ πραΰτητος, id est, *cum mansuetudine;* Syrus, *cum humilitate* : mansuetudinis enim et humilitatis comes et index certus, est modestia.

Præclare S. Athanasius, vel quisquis est auctor, *Exhortat. ad Monach.* : « Magis, ait, benignitatis adhortatione, et illiciente blandimento via veritatis ostensa, nubem erroris aperit, ut non trahi incipiat unusquisque, sed sequi præcedentem; semper duriora flectenda sunt, ne viribus inclinata curvatio, priusquam in circulum veniat fatiscens, fragmen effundat. »

CONSCIENTIAM HABENTES BONAM. — Tuta enim est, nihilque timet bona conscientia, ac vim et efficaciam dat sermoni et apologiæ, præsertim cum per puram sanctamque conversationem (ut solet) hominibus se spectandam exhibet. Ita Œcumenius. S. Petrus, ait, « consulit ut responsiones a vita etiam nostra comprobentur, id quod conscientiam vocat; » et mox : « Ita ut actiones quoque bonas præ vobis feratis. Nam si humane et mansuete feceritis, et conscientiam vestram bonam esse, id est, conscios vos bonorum esse, et non malorum, ut dicunt qui vos calumniantur, probabitis. » Præclare Cicero in *Tusculan.* : « Nullum theatrum virtuti, ait, majus conscientia est; » et Juvenalis, *satyr.* 13 :

Hæc est summa boni, mens quæ sibi conscia recti est.

Morum odores et colores. Præclarius S. Bernardus, serm. 71 *in Cantic.*, explicans illud, *Ego flos campi et lilium convallium* : « Habent, ait, mores colores suos, habent et odores : odorem in fama, colorem in conscientia. Colorem operi tuo dat ejus bonitas, et cordis intentio; odorem, modestiæ et virtutis exemplum. Justus lilium est in se candidum, sed proximo odoratum : proximo enim famam, nobis debemus et providemus conscientiam. »

UT IN EO QUOD DETRAHUNT VOBIS, CONFUNDANTUR. — Cum enim sancta conversatione valide confutatis eorum detractiones et calumnias, erubescunt de falsitate et calumnia sua. Hoc est quod dixit cap. præced., vers. 12 : « Conversationem vestram inter Gentes habentes bonam, ut in eo quod detrectant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis. » Huc facit illud Origenis, hom. 7 *in Judic.* : « Patientia Christianorum vincat impudentiam persequentium; » calumniam incestus vincat angelica castitas; superbiæ, profunda humilitas; crapulæ, sancta sobrietas; avaritiæ, eleemosynarum largitas, etc. Id studiose fecisse primos Christianos tempore S. Petri et deinceps, patet ex epistola Plinii ad Trajanum, et ex Apologiis Justini, Athenagoræ, Tertulliani, Arnobii et cæterorum, adeo ut Justinus in *Apologia ad Antonium* asserat Gentiles plures, exemplo sanctitatis Christianorum, mutasse mores, et ex crudelibus ac truculentis factos humanos *et* mites, dum « patientiam injurias tolerantium (Christianorum) perspicerent, aut fidem eorum in contractibus experirentur. »

Vers. 17. 17. MELIUS EST ENIM BENEFACIENTES (SI VOLUNTAS DEI VELIT) PATI, — scilicet si velit Deus nos pati, si afflictiones nobis immittat, aut immitti permittat. Hoc addit ad consolationem fidelium, ut sciant nihil acerbi sibi accidere nisi ex nutu et ordinatione Dei, qui omnia ordinat ad suam gloriam et ipsorum salutem. Resignent se ergo in manus Dei Patris, et divinæ ejus de se providentiæ, nec dubitent quin Deus eis daturus sit vires ad patiendum, ac deinde patientiæ lauream. Ita Œcumenius. Perstringit, ait Beda, quosdam qui si pro culpa patiantur, patienter ferunt : sin inculpati patiantur, murmurant, itaque bonum innocentiæ perdunt per culpam impatientiæ, cum potius illud augere et ornare deberent merito patientiæ. Ita Socrates damnatus ad mortem Apollodoro comploranti dicentique : « Innocens morieris. Quid, inquit, num me nocentem mori malles? » Ea igitur mors libentius subeunda est, in qua criminis innocentia excusatur. Ita Xenophon in *Apolog. Socrat.*

Aliter legit S. Augustinus *De Bono persever.* II, scilicet, « si spiritus Dei velit, » sicque explicat, *q. d.* Si spiritus Dei dederit, vobisque afflaverit donum patientiæ, quo fortiter dura pro Deo et Christo patiamini.

QUAM MALE FACIENTES, — *q. d.* Bonum est pati nocentem, at melius est pati innocentem. Unde colligas, bonum esse malefacientes pati et puniri; hic enim est actus justitiæ vindicativæ, qua et vindicatur scelus præteritum, et satisfit reipubli-

Puniri pro culpa est actus justitiæ.

cæ ejusque læsioni et scandalo : quare fures et latrones dum puniuntur et patienter pœnam sustinent, faciunt actum virtutis, non unius, sed plurium, puta pœnitentiæ, patientiæ, justitiæ, qua pro injuria illata Deo, proximo et reipublicæ, satis patiendo satisfaciunt, et facinorosis statuuntur in exemplum, quo timore similis supplicii a scelere se contineant. Sicut ergo summum peccatorum malum est impunitas, ita summum eorum bonum est punitio. Præclare Beda hic : « Si mihi detur optio, inquit, malim cum S. Tobia sive divinis, sive humanis subjacere justus verberibus, quam ab injustitia verberum vi ad justitiæ studia trahi. Rursumque malim a culpis flagello retrahi (ut Saulus), quam pro insanabili pondere peccatorum æternæ ultioni subjici, ut Elymas. » Sane signum reprobationis æternæ est, cum fures et scelerati sinuntur a Deo impune grassari, et in suis sceleribus triumphare et mori. Signum divinæ electionis est, si eos tradat in manus justitiæ : tum enim per Confessarios inducuntur ad contritionem et animi mutationem, seque disponunt ad pie moriendum. Sane vir sapiens non temere dixit, « proportionaliter plures e patibulo quam e lecto ad cœlum ascendere. »

Idem per umbram viderunt Gentiles. Cato Censorinus dictitabat, « se malle pro collato beneficio nullam reportare gratiam, quam pro maleficio perpetrato non dare pœnam, » significans nihil esse periculosius impunitate, quæ semper ad deteriora invitat. Idem dicebat : « Magistratus qui maleficos impunitate donarent, lapidibus obruendos esse quasi reipublicæ perniciosissimos.» Idem dicebat, « se omnibus peccantibus ignoscere, præterquam sibi. »

Gnoma Multum dissimilis illi Mevio, qui carpens alios, sibi condonabat omnia. Sibi ignoscit, quem non pœnitet admissi ; non ignoscit, qui de se pœnas sumit, aut a judice irrogatas libens subit. Ita Plutarchus in *Apopht. Roman.*

Agesipolis, Cleombroti filius, cum quispiam ei dixisset ipsum cum æqualibus obsidem fuisse : « Merito, inquit, decet enim nostra peccata nostrasque culpas nos ferre. »

Socrates censuit urbes optime gubernari, cum impii dant pœnas, teste Platone. Solon rogatus « in quo salus reipublicæ consisteret ? Si boni, ait, præmiis invitentur, mali pœnis coerceantur, » teste Cicerone ad Brutum. Ubi addit idem dixisse Lycurgum, qui fuit legislator Lacedæmoniorum, sicut Solon Atheniensium.

Bias damnaturus reum ad mortem, lacrymatus est, et cum dixisset quidam : « Quid est quod fleas, cum penes te sit vel absolvere, vel condemnare hominem ? » respondit : « Quia necessarium est naturæ quidem condolere, legi autem suffragari. » Ita Maximus, *serm.* 6.

Junius Brutus et Manlius Torquatus proprios filios delinquentes damnarunt ad mortem, ut publicam legum disciplinam suorum sanguine sancirent, ne quis eam violans impunitatem sibi polliceretur.

18. QUIA ET CHRISTUS SEMEL PRO PECCATIS NOSTRIS MORTUUS EST (ita Græci legunt ἀπέθανε ; alii tamen legunt ἔπαθε, id est, *passus est*) JUSTUS PRO INJUSTIS. — Probat fideles, licet innocentes, debere pati exemplo Christi, qui innocens et justus passus est pro injustis, puta pro peccatoribus totius mundi, quorum peccata in se luenda suscepit. Illud ergo velut ducis sui exemplum eis jugiter intuendum et imitandum proponit, uti et fecit cap. præcedenti, vers. 21, et cap. seq., vers. 13. Idem facit Jeremias *Thren.* IV, 20, dicens : « Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris, cui diximus : In umbra tua vivemus in gentibus. » Patiamur ergo pro Christo, quia ipse pro nobis passus est : ille erat innocens, nos nocentes ; dicamus cum S. Francisco : « Da, Domine, amore amoris tui mori, qui amore amoris mei dignatus es mori. » Præclare S. Paulinus, epist. 4 *ad Severum,* sub finem : « Quid ergo, ait, illi retribuemus pro omnibus quæ retribuit nobis ? Retribuit enim, sed ut bonus Dominus, bona pro malis, cui nos mala pro bonis ingesseramus. Benedicebat, et maledicebamus. Ille sanabat, et nos blasphemabamus : justificabat impios, et cum iniquis deputabatur. Quid ergo illi pro malis meis quæ pertulit, quid pro bonis suis quæ contulit, referam ? Quid pro suscepta carne ? quid pro alapis, pro opprobriis ? quid pro flagellis, pro cruce, obitu, sepultura rependam ? Esto reddamus crucem pro cruce, funus pro funere : numquid poterimus reddere quod ex ipso, et per ipsum, et in ipso habemus omnia, et ipsi qui habemus sumus ? Ipse enim fecit nos, et non ipsi nos, et anima nostra semper in manibus ejus. Reddamus ergo amorem pro debito, charitatem pro munere, gratiam pro pecunia. » Vers. 18.

Nota τὸ *semel, q. d. Primo,* Christus simul et semel omnia cruciatuum genera subiit, totumque passionum mare absorpsit, ut nos doceret guttas breves, exiguas et dispertitas passionis ebibere. *Secundo,* « semel, » *q. d.* Christus unico heroico patientiæ actu omnem passionum vim expunxit, omniumque factus est victor et triumphator : ergo et vos una heroica resolutione decernite quælilibet adversa Christi exemplo libenter pati : ita omni passioni evadetis superiores, cunctisque adversis et cruciatibus dominabimini. *Tertio, q. d.* Unica Christi passio et patientia tanta fuit, ut ea redemerit totum mundum, imo mille mundos si existerent, ac proinde nihil ei patiendum restat aut restare potest. « Una enim oblatione consummavit in æternum sanctificatos, » *Hebr.* X, 14. Ita et vos plane et plene offerte vitam et mortem vestram Christo, ac nihil amplius ad offerendum et patiendum reliquum erit : sed ut Christus post unicam mortem illico transivit ad vitam et gloriam æternam, sic et vos post modicam passionem et mortem ad eamdem transibitis. S. Petro

antistrophe succinit S. Paulus, *Rom.* VI, 9 : « Scientes quod Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel; quod autem vivit, vivit Deo. » Apposite Beda : « Qui ergo, inquit, justus patitur, Christum imitatur; qui in flagellis corrigitur, latronem, qui in cruce cognovit Christum, et a cruce cum Christo paradisum intravit; qui nec inter flagella desistit a culpis, sinistrum imitatur latronem, qui propter peccata ascendit in crucem, et post crucem ruit in tartarum. » Hinc refellitur error aliquorum dicentium Christum iterum passurum, ut dæmones redimat. Ita putatur opinatus esse Origenes, uti est in Concilio V Œcumenico, et narrat Nicephorus, lib. XVII, cap. XXVII. Unde S. Epiphanius, epist. *ad Joannem Hierosolymit.* : Origenes, ait, censuit « diabolum rursum futurum esse quod fuerat (angelum sanctum), et ad eamdem rediturum dignitatem, et conscensurum regna cœlorum. » Rursum, « quod animæ » hominum « fuerint angeli in cœlis, et postquam peccaverint, dejectas esse in istum mundum, et quasi in tumulos et sepulcra, sic in corpora ista relegatas, pœnas antiquorum luere peccatorum; et corpora credentium non templa Christi esse, sed carceres damnatorum. Indeque ψύχας dici ἀπὸ τοῦ ψύχεσθαι, id est refrigerare, quia de cœlestibus ad inferiora venientes calorem pristinum amiserunt; ac σῶμα, id est corpus, dici quasi σῆμα, id est monumentum, eo quod ita animam in se clausam habeat, sicut sepulcra et tumuli cadavera mortuorum. » Probat ex *Psal.* CXVIII : « Priusquam humiliarer, ego deliqui; » et ex *Psal.* CXLI : « Revertere, anima mea, in requiem tuam; » et *Psal.* CXIV : « Educ de carcere animam meam; » et alio loco : « Confitebor Domino in regione vivorum. »

Error Origenis dæmones salvandos.

Verum hæc Origenis dogmata confutata sunt a S. Epiphanio, S. Hieronymo, epist. *ad Avitum*, S. Augustino et aliis, ac damnata ab Ecclesia. Porro Hieronymus ibidem clare errorem jam dictum assignat Origeni. Ait enim de eo : « Ad extremum intulit (quod et cogitasse sacrilegum est), pro salute dæmonum Christum etiam in aere et in supernis locis esse passurum. Et licet ille non dixerit, tamen quod consequens sit intelligitur, sicut pro hominibus homo factus est ut homines liberaret, sic et pro salute dæmonum Deum futurum quod sunt ii, ad quos venturus est liberandos, » *q. d.* Ex sententia Origenis colligas Christum fore dæmonem, sicut factus est homo.

UT NOS (jam a se redemptos, purificatos et sanctificatos quasi filios et cohæredes suos) OFFERRET DEO, MORTIFICATOS QUIDEM CARNE, VIVIFICATOS AUTEM SPIRITU.—Ita legunt Complutenses, Glossa, Lyranus aliique veteres Latini, et ex modernis Gagneius, Catharinus, Arias, et Suarez, III *part.*, tom. II, disp. XLIII, sect. 3, atque apposite explicant, *q. d.* Christus sua gratia facit nos mortificare carnem, eamque subjicere spiritui, ut illo vivamus, mentemque erigamus ad bona spiritualia et cœlestia. Vel, ut Glossa : Christus nos obtulit Patri velut victimam per mortificationem carnis nostræ, et absolutos carne in æternum regnum introducet, ut ibi agamus vitam spiritualem, beatam et divinam. Id probat ex iis qui mersi sunt diluvio; hos enim mortificatos carne, Christus vivificavit spiritu, cum ad inferos descendens eis prædicavit. Verum vera lectio est, quod Christus sit « mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu. » Ita enim legunt Romana, Græca, Syrus, S. Augustinus, *epist.* 99; S. Cyprianus, vel potius Ruffinus in *Expos. Symboli*; Cyrillus, *De Fide ad Reginas*; Petrus Alexandrinus in *Concilio Ephesino*, tom. II, cap. VII : ipse enim ex hisce Petri verbis probat Christi divinitatem; S. Hieronymus in cap. LIV *Isaiæ*, qui legit *occisus*; Œcumenius, Vatablus, Cajetanus, Hesselius et alii hic. Sensus est, *q. d.* Christus secundum carnem est morte affectus et occisus, sed vivificatus spiritu.

Quæres : Quo spiritu, et quomodo? Respondeo : *Primo*, S. Athanasius, lib. *De Spiritu Sancto*, per « spiritum » accipit Spiritum Sanctum, *q. d.* Christus resurrexit a mortuis, vi et virtute Spiritus Sancti. Vel, ut S. Augustinus, *epistola* 99, et Œcumenius, vi et potentia divinitatis, quæ est spiritus purissimus, juxta illud II *Cor.* XIII, 4 : « Et si crucifixus est Christus ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei. » *Secundo*, Clemens Alexandrinus, lib. VI *Strom.*, accipit spiritum fidelium, *q. d.* Christus mentem et spiritum fidelium vivificat, in eoque vivit per fidem et gratiam. *Tertio* et genuine per « spiritum » accipe animam : hanc enim opponit carni Christi, et hæc prædicavit inferis, ut sequitur, *q. d.* Christus mortificatus et occisus est secundum carnem, at vivificatus secundum animam, idque tripliciter. *Primo*, *q. d.* Carne Christi moriente, anima ejus non est mortua, sed vivificata, id est, remansit viva et gloriosa. Sic enim Hebræi subinde vivificare sumunt pro vivum relinquere aut remanere, ut cum, I *Regum* VIII, 2, dicitur de Davide : « Mensus est duos funiculos, unum ad occidendum, et unum ad vivificandum, » *q. d.* David Moabitas hostes a se victos partim occidit, partim in vita servavit, et I *Reg.* XXVII, 11 : « Virum et mulierem non vivificabat (id est, vivum non relinquebat, sed occidebat) David. » Similia sunt, *Actor.* VII, 19, *Psal.* CXXXVII, 7, et alibi. Verba enim activa apud Hebræos significant actum nunc inchoatum, nunc continuatum (ut hic), nunc consummatum. Ita Hesselius. *Secundo*, Christi anima post mortem carnis fuit vivificata, id est, plane viva, beata et gloriosa effecta, adeo ut triumphatrix dominaretur dæmonibus et inferno, uti sequitur; qui vivificationis actus accessit Christo quando mortuus est carne, ait Cajetanus.

Primo.

Christus vivificatus spiritu.

Secundo.

Tertio, plane et plene Christus vivificatus est spiritu, quando virtute spiritus, id est animæ

Tertio.

suæ, a mortuis resurrexit. Tunc enim anima quasi instrumentum divinitatis ejus carnem ingressa, eam rursum animavit et vivificavit, novamque vitam immortalem et gloriosam ei communicavit. Ita Vatablus et alii passim. Dicit hoc Petrus, ut Christi resurgentis exemplo excitet Christianos ad patientiam, utpote qui certo speare debeant se per Christum resurrecturos, ut per mortificationem carnis transeant ad vivificationem spiritus, ideoque in ærumnis animare se dicendo : Licet multa patiamur in corpore, tamen cum Christo et per Christum salvamur in spiritu. Simili phrasi et sensu S. Paulus, I *Cor.* xv, 45 : « Factus est, ait, primus homo Adam in animam viventem (id est animal et homo vivens), novissimus Adam (Christus) in spiritum vivificantem, » ut scilicet anima Christi gloriosa vivificaret corpus, illudque redderet immortale et gloriosum, corpus, inquam, tum suum, tum nostrum. Unde tropologice subdit : « Primus homo de terra terrenus; secundus homo de cœlo cœlestis. Igitur sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cœlestis, » per temperantiam, patientiam aliasque cœlestes virtutes.

Christus terram mutavit in cœlum.

Quamobrem Clemens Alexandrinus, *Adhort. ad Gentes*, docet Christum sua incarnatione et adventu in orbem, terram (quin et infernum, cum post mortem eo descendit) in cœlum commutasse, ideoque illi cum hymno acclamandum esse : « Salve lux, quoniam lux nobis e cœlo exorta est, qui defossi eramus in tenebris, et inclusi in umbra mortis. Lux, inquam, sole purior, et vita quæ hac est jucundior. Illa lux est æterna, et vivunt, quæcumque eam participant. Fiunt omnia lux quæ sopiri non potest, et occasus cedit orienti : hoc nova voluit creatura. Qui enim omnia obequitat sol justitiæ, æque obit humanitatem, imitans Patrem, qui æque super omnes facit oriri solem suum, et rorem instillat veritatis. Is occasum traduxit in orientem, et mortem in vitam cruci affixit : ab exitio autem abreptum hominem in æthere suspendit, transplantans interitum et corruptionem in interitus et corruptionis vacuitatem : et terram mutat in cœlum Dei agricola, etc. Veram vitam in memoriam redigens, et vere magnam et divinam, et quæ auferri non potest, nobis hæreditatem largiens, cœlesti doctrina hominem Deum faciens; » et mox : « Pro modica fide dat tibi tantam terram quam colas; aquam, ut bibas; et aliam ut naviges : aerem, ut respires : ignem, ut opereris : mundum, ut inhabites. Hinc tibi concessit in cœlos mittere coloniam; » et inferius : « Christus, ait, est Verbum veritatis, Verbum incorruptionis, qui hominem regenerat, ipsum reducens ad veritatem, stimulus salutis qui abigit interitum, qui mortem persequitur, qui ædificavit templum in hominibus, ut in hominibus Deum collocet. Fac ut templum sit castum ac mundum, et voluptates ac delicias; tanquam caducum et brevem florem relinque vento et igni; » et sub finem : « Curramus, tollamus jugum ejus, subeamus incorruptionem. Pulchrum aurigam hominum Christum diligamus. Pullum cum veteri duxit sub idem jugum, et juncta hominum biga currum dirigit ad immortalitatem, contendens ad Deum, ut evidenter impleat quod tacite significaverat; prius quidem in Jerusalem, nunc autem agens in cœlos. »

Christus auriga hominum in cœlum.

19. In quo, — scilicet spiritu, puta anima Christi viva et gloriosa. Probat Christum, licet carne mortificatum, vivificatum tamen fuisse spiritu, ex eo quod spiritu, id est quoad animam, venerit in carcerem inferni, ibique spiritibus prædicarit. Unde Œcumenius ἐν ᾧ, id est, *in quo*, interpretatur causaliter *ob quod, idcirco, quamobrem, q. d.* Quia Christus mortuus est pro injustis, non tantum sui ævi et sequentis, sed et pro iis qui ejus incarnationem præcesserunt, puta qui fuerunt tempore Noe; idcirco descendit ad eos in infernum, ut eos inde liberaret, eisque suæ mortis fructum, puta beatitudinem et visionem Dei, impertiret. Vers. 19.

Et his qui in carcere erant. — Græce ἐν φυλακῇ, id est, *in custodia*; Syrus בשׁוֹל *basciul*, id est, *in inferno* : male enim Syri interpres vertit, *in sepulcro; scheol* enim Hebræis et Syris proprie infernum significat, non sepulcrum. Perperam Beza pro *erant* vertit *sunt*. Ipse enim cum Calvino negat Christum quoad animam personaliter descendisse ad inferos, sed tantum quoad vim et operationem, liberando scilicet patres e limbo. Unde hunc S. Petri locum, ex quo clare probatur Christi realis descensus ad inferos, ita detorquet et explicat, *q. d.* Christus in spiritu, id est vi divinitatis suæ, per Noe veniens, prædicavit incredulis tempore diluvii, qui ob incredulitatem tunc damnati, nunc sunt in carcere, puta in inferno. Perperam, inquam : nam *primo*, S. Petrus per spiritum accipit animam Christi, hanc enim opponit carni, non divinitatem. *Secundo*, quia divinitas Christi non venit, aut, ut græce, πορευθείς, id est *profecta est*, in carcerem, quia semper ibi et ubique præsens fuit; venit ergo quoad animam. *Tertio*, quia veteres vertunt *erant*, non *sunt*. Unde et Syrus, *prædicavit*, inquit, *animabus illis quæ detinebantur in inferno*.

Spiritibus, — Syrus, *animabus* : græce enim est πνεύμασι. Male ergo quidam legunt πνεύματι, id est *spiritu*, quasi Christus non personaliter, sed in spiritu, id est, per vim et efficaciam, venerit in carcerem. Unde Joannes Benedictus vertit legitque *spiritualiter*. Sic habent et Biblia vetusta manuscripta Collegii Romani, sed perperam. Græci enim et Latini codices, æque ac Syrus et interpretes, constanter legunt πνεύμασι, id est *spiritibus*.

In quo carcere

Quæres *primo* : Quis hic carcer, qui spiritus, quæ Christi ad eos prædicatio?

prædicavit Christus? Resp. Primo. *Primo,* Arias Montanus per *carcerem* accipit arcam Noe, per *spiritus* animas octo, puta Noe, filiorum et uxorum, quæ salvæ factæ sunt per arcam; his enim prædicasse Christum per Noe, ut in arcam se reciperent, et, finito diluvio, ut egrederentur, et terram incolerent. Verum hæc expositio solius est Ariæ, et ab aliis passim merito exploditur, ob rationes paulo ante contra Bezam allatas; et quia arca fuit asylum ad salutem, non carcer ad pœnam; atque octo animæ homines erant, non spiritus.

Secundo. *Secundo,* alii censent hic sermonem esse de vocatione Gentium, ideoque *carcerem* vocari tenebras gentilismi, puta infidelitatem, *spiritus* esse animas Gentilium : his prædicasse Christum per Apostolos, cum eos convertit, fecitque Christianos : hos enim esse injustos, pro quibus passum esse Christum paulo ante dixit S. Petrus. Sic Isaias, IX, 2, et XLII, 49, Gentiles vocat sedentes in tenebris et umbra mortis, ac vinctos. Ita Hesselius, *q. d.* Christus per Apostolos prædicans Gentilibus in gentilismo quasi carcere constitutis eduxit eos ad lucem et libertatem Evangelicam. Verum nemo non videt hoc esse symbolicum et mysticum, non litterale et germanum, præsertim quia Apostoli non prædicarunt incredulis, qui fuerunt tempore Noe (Noe enim præcessit Apostolos fere per tria annorum millia), quod tamen ait S. Petrus.

Tertio. *Tertio,* S. Augustinus, *epist.* 99, et ex eo Beda, Hugo, Dionysius et S. Thomas, III *part., Quæst.* LII, art. 1, ad 3, per *carcerem* accipiunt corpus, quod est quasi carcer animæ; per *spiritus,* animas corpori inclusas tempore Noe : his enim prædicavit Christus per Noe fabricantem arcam, ut pœnitendo imminens diluvium evaderent. Verum hic carcer magis symbolicus et mysticus est, quam præcedens. Porro perperam Thomas Anglicus pro *in carcere* legit *in carne.*

Quarto. *Quarto* ergo et genuine, per *carcerem* hunc cæteri Patres Græci et Latini, æque ac Doctores et Interpretes, quin et Beza accipiunt infernum, uti clare vertit Syrus, idque ita esse patebit ex sequentibus. Ita S. Athanasius, epist. *ad Epictet.*; S. Cyrillus, *De Fide ad Regin.*; S. Epiphanius, *hæres.* 77; Clemens Alexandrinus, VI *Strom.*; S. Justinus, *Contra Tryphonem*; S. Irenæus, lib. III, cap. XXIII; S. Hieronymus, in cap. LIV *Isaiæ*; Ambrosiaster in cap. IV *ad Ephes.*; S. Hilarius in *Psal.* CXVIII, 82. Unde ex hoc loco probant Christum realiter descendisse ad inferos. Vide Bellarminum, lib. IV *De Anima Christi,* cap. XIII, qui et refutat Calvinum in psychopannychia, id est animarum dormitione, dicentem has animas fuisse ἐν φυλακῇ, id est *in spelunca,* puta in cœlo, ut ipse censet, exspectantes Christi adventum et mortem : his Christum prædicasse non personaliter, sed causaliter, liberando eos e sua spelunca et exspectatione, ac donando eas beatitudine et gloria æterna. Hoc enim constanter confutant Scripturæ et Patres, docentque Christum patefecisse cœlum eo usque clausum, primumque in illud ingressum in Ascensione : animas ergo justorum ante Christum non ascendisse in cœlum, sed descendisse in infernum, puta in limbum patrum, ideoque Christum post mortem eodem descendisse, ut eos inde liberaret et educeret. Hoc enim est quod ait Psaltes et ex eo Petrus, *Act.* II, 27 : « Quoniam non derelinques animam meam in inferno; » et *Zachar.* IX, 11 : « Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua; » et Sapiens, *Eccli.* XXIV, 45 : « Penetrabo omnes inferiores partes terræ, et inspiciam omnes dormientes, et illuminabo omnes sperantes in Domino; » et Christus, *Matth.* XII, 40 : « Erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, et tribus noctibus. » Idem diserte docet S. Hieronymus, epist. *ad Heliodorum* : « Abraham, ait, erat in inferis; » S. Gregorius, lib. XII *Moralium,* cap. VI; S. Chrysostomus, hom. 4 *in Marcum* : « Antequam, ait, Christus aperiret paradisi januam, cum latrone omnes Sanctorum animæ ad inferos deducebantur. Dicit enim Jacob, *Genes.* XXXVII : Lugens descendam ad inferos. Evangelium quoque Abraham et Lazarum in inferis collocat. » Idem docet D. Thomas et Scholastici, III *part., Quæst.* LII.

Quibus prædicavit? Resp. Primo. Quæres *secundo* : Quibus spiritibus prædicavit Christus in inferno? et quid quave ratione? *Primo,* aliqui censent eum prædicasse damnatis, eosque convertisse et liberasse ex inferno, saltem aliquos corum, qui minus fuerant mali et increduli. Id dicere videtur ex Hermete sive Pastore Clemens Alexandrinus, lib. VI *Strom.*; Augustinus, lib. XII *De Genesi ad litt.,* cap. XXXIII, ubi ait Christum solvisse dolores inferni, liberando peccatores a tormentis, quibus in eo cruciabantur; S. Epiphanius, *hæresi* 46, et Ambrosiaster in cap. IV *ad Ephes.*

Dubitasse videtur S. Nazianzenus, *oratione* 42, sub finem, ubi Nicetas ejus interpres Platonicus, hanc de Platonis (idem a pari dicas de Trismegisto, Seneca, Socrate et similibus) in Christum fide et salute historiam narrat. « Tale quiddam, ait, de Ethnico Platone in Patrum historiis circumfertur. Nam cum diu antea vita functus a quodam Christiano maledictis, ut improbus et impius laceratus esset, noctu ad conviciatorem suum venit, hominemque accusavit, ut inique ipsum maledictis insectantem. Ego enim, ait, me peccatorem esse haud quaquam inficias ivero. Verum cum Christus in infernum descendit, nemo ante me ad fidem accessit. » Citatur et S. Hilarius in *Psalm.* CXVIII, littera *Caph,* ubi ait : « Descendente in inferna Domino, etiam his qui in carcere erant, et increduli quondam fuerant in diebus Noe, exhortationem prædicatam fuisse. » Sed perperam : nam per *exhortationem* intelligit *consolationem* sanctorum patrum, de quibus immediate ante dixit : « Scit exhortationem hanc Sanctos quiescentes in inferno desiderare. » Idip-

sum vero diserte asseruit Marcion hæresiarcha. Docuit enim, ut ait S. Epiphanius, *hæresi* 42, « Christum ex supernis ab invisibili innominato Patre descendisse propter animarum salutem, et ad redarguendum Deum Judæorum, et legem ac Prophetas, et in infernum descendisse ut salvaret Cain, et Core, et Dathan, et Abiron, et Esau, et omnes gentes quæ non noverunt Deum Judæorum. Abel autem, et Henoch, et Noe, et Abraham, et Isaac, et Jacob, Mosen item, Davidque et Salomonem ibidem reliquisse, propterea quod cognoverunt Deum Judæorum, et non Deo invisibili seipsos addixerunt. »

Verum hic est error, ac fabula et hæresis confutata a S. Augustino, lib. *De Hæres.*, cap. LXXIX; et Philastrio, lib. *De Hæres.*, et S. Gregorio, VI *Regist.* epist. 15, vel alio computu 179 : in inferno enim nulla est redemptio. Quapropter Christus « descendens ad inferos, ait S. Gregorius, solos per suam gratiam liberavit, qui eum et venturum esse crediderunt, et præcepta ejus vivendo tenuerunt. » Quare Patres qui contrarium videntur indicare, commode et benigne exponendi sunt, uti in sequentibus exponam.

Secundo. *Secundo,* alii censent Christum prædicasse damnatis, sed arguendo, irridendo, exprobrando eorum incredulitatem et scelera, eorumque damnationem confirmando. Ita Angelus Paz, lib. VII *De Symbolo,* cap. XX. Verum hoc non est prædicare.

Tertio. *Tertio,* noster Turrianus, lib. IV *pro epist. Roman. Pontif.*, cap. XII, et alii (nec aliud videtur voluisse S. Augustinus, lib. XII *De Gen. ad litt.*, XXXIII) censent Christum prædicasse animabus in Purgatorio detentis, eisque evangelizasse primum sui jubileum, ac contulisse eis indulgentiam plenariam, liberando omnes e pœnis. Idque Christum fecisse valde est probabile, ut dixi *Act.* II, 24, quanquam parum videtur credibile animas quæ tempore diluvii iverant ad Purgatorium, in eo luisse pœnas usque ad Christum, per annos 2928 : tot enim præcise fluxerunt a diluvio usque ad mortem Christi; quod si tamen aliquibus id contigit, certe hi longum habuere Purgatorium. Extat revelatio de Prælato quodam celebri futuro in Purgatorio usque ad diem judicii.

Quarto. *Quarto,* et magis proprie ac genuine, Christus prædicavit animabus patrum in limbo detentis avidissime exspectantibus Christi adventum, et sui liberationem. His enim proprie prædicavit, non ut tunc primum eos converteret, ut vult Beza; nam antequam e vita excederent, fuerunt conversi, et egerunt pœnitentiam. Sed prædicavit *primo,* quia arguit olitanam eorum incredulitatem, *q. d.* Petrus : Oportet ergo et nos credere et sperare in Christum, ac propter hanc spem pati adversa quælibet, ne pari modo arguamur aliquando ab eo, sicut illi qui increduli fuerunt tempore Noe, arguti et increpiti sunt ab eo in limbo. *Secundo,* « prædicavit, » græce ἐκήρυξεν, id est præconizavit, præconem egit, quia scilicet eis evangelizavit, et attulit lætissimum nuntium redemptionis, liberationis et beatitudinis, communicando eis visionem beatificam. Quocirca tunc ostendit se vivificatum spiritu, cum spiritus, id est animas, patrum in limbo vivificavit, id est vita gloriæ, donavit, quin et multis etiam vitam corporis restituit, illud resuscitando, ut ait *Matth.* cap. XXVII, vers. 51. Ita Œcumenius, Dionysius, Lyranus, Catharinus, Bellarminus, Suarez et alii passim.

Porro hæc prædicatio fuit locutio mentalis, qua Christus mentaliter locutus est animabus patrum eisque evangelizavit redemptionem, salutem et gloriam : sicut Deus loquitur angelis, et angeli sibi invicem.

Dices : Spiritus hi fuerunt increduli Noe prædicanti diluvium, ideoque omnes eo mersi sunt, ac proinde omnes videntur damnati : damnatis autem Christus non prædicavit, nec attulit salutem. Respondeo *primo,* multos ex iis qui prius Noe minitanti diluvium non credebant, postea cum reipsa illud inchoari cernerent, credidisse, quia illud oculis suis cernebant, ac proinde cum viderent de vita sua actum, antequam mergerentur pœnituisse, ut animam salvarent, uti in naufragio omnes etiam obstinati peccatores compunguntur et pœnitent : ita S. Hieronymus et alii quos citavi *Gen.* VI, 5. *Secundo,* esto daremus omnes qui diluvio mersi sunt, fuisse impœnitentes, ideoque damnatos, tamen multi ante diluvium per spatium centum annorum, quibus Noe fabricavit arcam, mortui sunt, pœnitentes, ideoque salvati : iis ergo prædicavit Christus descendens ad limbum. Nam, ut alios taceam, Mathusalem, avus Noe mortuus est eodem anno quo factum est diluvium : hic autem videtur obiisse justus, ideoque salvatus, nam sancte fuit educatus a sancto patre, puta Henoch, qui ob sanctitatem raptus est in paradisum, *Gen.* V, 24. Similiter Lamech, pater Noe, mortuus est sex annis ante diluvium, uti ostendi *Gen.* V, 27. Lamech autem videtur fuisse justus, ideoque salvatus, tum quia filius fuit Mathusalem et nepos Henoch, utique a piis pie educatus; tum quia videtur fuisse propheta. De filio enim Noe cum nasceretur, dixit et prædixit : « Iste consolabitur nos ab operibus et laboribus manuum nostrarum, » ideoque vocavit eum Noe, id est *consolatorem, Gen.* VI, 29.

Mathusalem et Lamech salvati.

Porro prædicavit Christus animabus in inferno, non tantum sermone, sed magis « opere, ait Œcumenius, his qui secundum carnem vixerant, ad judicium (judicando et condemnando illos); illis vero qui secundum spiritum, ad gloriam et salutem, » salvando et glorificando illos; unde Origenes, hom. 15 *in Gen.*: « Quod Christus, ait, dixit latroni : Hodie mecum eris in paradiso; non illi soli dictum, sed omnibus Sanctis dictum intellige, pro quibus in infernum descendit. »

Putant aliqui Christum brevissimo tempore, et vix una hora fuisse in inferno, ibique prædicasse :

statim enim inde secum animas eduxisse. Ita S. Anselmus, in *Elucidario*, sub medium : « Tamdiu, ait, fuit Christus in inferno ac devastavit, quamdiu ad judicium veniens actus cujusque examinabit, in momento, in ictu oculi, id est, quam cito potes oculum movere. » Sic et Nicephorus, lib. III, cap. XXXI, ait Christum eadem hora qua ad inferos descendit, rediisse instar fulgetri. Idem insinuant Justinus, Quæst. LXXVI *ad Orthod.*, et Euthymius in cap. XXIII *Lucæ*. Sed verius est Christum tanto tempore quoad animam fuisse in limbo, quanto quoad corpus fuit in sepulcro, scilicet triduo non pleno, sed inchoato, nimirum a Parasceve usque ad Dominicam Paschæ. Tunc enim anima rediens e limbo ad sepulcrum corpus resumpsit. Id enim insinuat Christus, dicens *Matthæi* XII, 40 : « Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus, » ubi per cor terræ infernum intelligunt S. Hieronymus, Theophylactus et Gregorius Nyssenus, orat. 1 *De Resurrect.*; Tertullianus, lib. *De Anima*, cap. XXXI et LV; Irenæus, lib. V, cap. XXXI, et Ambrosiaster in cap. IV *ad Ephes.*; S. Thomas ejusque asseclæ, III *part.*, *Quæst.* LII, art. 4.

Christus triduo fuit in inferno.

Dices : Christus moriens ait latroni : « Hodie mecum eris in paradiso. » Ergo eadem die ex inferno transiit ad paradisum. Respondeo, paradisum esse ubi Christus se suamque divinitatem et beatitudinem suis communicat, *q. d.* Hodie mecum eris in æterna felicitate et gloria, quam descendens ad limbum patribus communicabo. Tunc ergo infernus fuit paradisus. Ita S. Augustinus, *epist.* 57.

Denique S. Justinus, *Contra Tryphonem*, citat verba quædam Isaiæ, et Irenæus, lib. III, cap. XXIII, eadem tribuit Jeremiæ, quæ jam in neutro inveniuntur, simillima hisce Petri, ut verisimile sit inde ea Petrum accepisse. Verba sunt ista : «Commemoratus est Dominus Israel mortuorum suorum, qui dormierant in terra sepultionis, et descendit ad eos evangelizare salutem quæ est ab eo, ut salvaret eos. »

Cur Christus ad inferos descendit? Prima causa.

Causas cur Christus descenderit ad inferos, recensui *Ephes.* IV, 10, ad illud : « Ut impleret omnia. » Similes recenset S. Thomas, III *part.*, *Quæst.* LII, art. 1, nimirum *primam*, ut plene subiret et lueret pœnas peccatorum nostrorum, inter quas una est mors, et post mortem descensus ad inferos. *Secundam*, ut victo diabolo per passionem vinctos ejus eriperet, qui detinebantur in inferno. *Tertiam*, ut, sicut potestatem suam ostenderat in terra vivendo et moriendo, ita etiam potestatem suam ostenderet in inferno, illum visitando et illuminando, juxta illud *Psal.* XXIII : « Attollite portas, principes, vestras, » id est, ut Glossa, principes inferni, auferte potestatem vestram, qua usque nunc homines in inferno detinebatis : et sic in nomine Jesu omne genu flectatur, non solum cœlestium, sed et infernorum, ut dicitur *Philip.* II. Tropologice vide et mirare hic divitias bonitatis et viscera misericordiæ Dei nostri, quibus dignatus est descendere in ima terræ, locumque damnatorum, ut sanctos, qui ibidem detenti fuerant per tria et quatuor annorum millia, ipsumque avidissime exspectabant, liberaret. Christus ergo est quasi sol quidam divinus, qui non tantum radios beneficentiæ suæ, sed et seipsum sparsit per omnes orbis partes, summas, medias, imas, puta per cœlum, terram et infernum, ut omnes sua luce et præsentia illustraret, lætificaret, vivificaret, gratia et gloria sempiterna donaret.

Secunda.

Tertia.

20. QUI INCREDULI FUERANT ALIQUANDO. — S. Epiphanius, *hæres.* 46, « incredulos » interpretatur, qui veram Dei fidem habuerunt, sed illi alios habuerunt errores admixtos : hosce enim Christum ab errore liberasse, et per indulgentiam salvasse. Errores intellige invincibiles, vel inculpatos, aut certe veniales. Qui enim in errore et peccato mortali decesserunt, damnati fuere sine ulla spe veniæ.

Vers. 20. Increduli qui? Resp. Primo.

Secundo, S. Athanasius, tract. *De Incarnat.*, et S. Hieronymus in cap. IX *Zachariæ*, per *incredulos* accipiunt inobedientes (hoc enim significat Græcum ἀπειθήσασι), qui scilicet in Adamo violarunt Dei præceptum de non comedendo pomo vetito, quales sunt omnes homines : omnes enim peccarunt in Adamo. Verum S. Petrus ait hos incredulos fuisse in diebus Noe, non Adami.

Secundo.

Tertio, alii censent *incredulos* vocari infideles, quales erant pene omnes tempore Noe. Unde Hebræi in Berescit Rabba tradunt, tempore Enos homines abjurasse fidem unius Dei, fuisseque idololatras, ideoque Enos cœpisse publice invocare nomen Domini, *Genes.* IV, 17. *Quarto*, noster Salmeron *incredulos* interpretatur homines ævi Noe, qui multa de Deo ignorabant, nec habebant fidem explicitam de Christi ortu et morte, sed tantum implicitam. *Quinto*, Arias per *incredulos* accipit filios Noe, qui initio patri Noe prædicenti diluvium non crediderunt, sed post plura ejus argumenta et signa fidem ei adhibuerunt, ideoque cum eo ingressi sunt in arcam. Sed hoc superius refutavi.

Tertio.

Quarto.

Quinto.

Sexto et genuine, *increduli* hi intelliguntur qui non credebant Noe culpanti peccata, et peccatoribus minitanti diluvium, qui aliquando, id est initio ei non crediderunt, postea tamen crediderunt, præsertim cum reipsa viderunt diluvium a Noe prædictum, tuncque compuncti et pœnitentes mentem vitamque correxerunt, quia exspectabant Dei patientiam, ut sequitur.

Sexto.

Nota : Christus omnes justos ex inferno liberavit; S. Petrus tamen meminit tantum eorum qui fuerunt tempore Noe et diluvii, tum quia de eorum salute major erat ratio dubitandi : cum enim a Deo vindice mersi essent aquis, videri poterant et animæ eorum relegatæ in gehennam : ita Bellarminus, lib. IV *De anima Christi*, cap. XIII;

tum quia vult hortari fideles per insigne exemplum ad adversitatum tolerantiam, ex earum utilitate, utpote quæ etiam impiis in diluvio fuerit causa pœnitentiæ et salutis : ita Suarez, III *part.*, tom. II, disp. XLV, sect. 3; tum quia diluvium et arca fuit typus baptismi, de quo proxime agere intendebat.

QUANDO EXSPECTABANT DEI PATIENTIAM. — Hesselius et alii censent legendum, *quando exspectabat Dei patientia*. Sic enim legit S. Augustinus, *epist.* 99; S. Hieronymus, in cap. LIV *Isaiæ*; Idacius, *Contra Varimondum*; Beda et Dionysius hic. Idem significant Græca ὅτε ἀπεξεδέχετο (perperam Beda et Tigurina legunt ἅπαξ ἐξεδέχετο, id est, *semel et simul exspectabant*) ἡ τοῦ Θεοῦ μακροθυμία; et Syrus, *cum longanimitas Dei præcepit ut fieret arca ob spem pœnitentiæ eorum*. Hæc lectio est plana et apposita : Dei enim patientiam commendat, quod incredulos et impios tempore Noe patienter exspectarit per centum annos ad pœnitentiam. Cum enim potuisset juste eis statim immittere diluvium, per Noe comminatum, noluit, sed distulit ad centum annos, jubens Noe interim fabricare arcam, ut hæc fabrica assidue feriret eorum oculos et mentem, cogeretque ad credendum Noe minitanti diluvium : unde non videtur dubitandum, quin nonnulli tam constanti comminatione Noe et fabricatione arcæ territi ei crediderint, et pœnitentiam egerint. Ad hanc enim eos exspectabat, et occulte agebat Dei patientia.

Verum quia græcum ἀπεξεδέχετο est verbum medium, significans tam *exspectabatur*, quam *exspectabat*, hinc alii vertunt, *quando exspectabatur Dei patientia*. Ita Pagninus, Tigurina, Vatablus et Rupertus, lib. IV *in Gen.*, cap. XVII. Hoc autem idem est cum eo quod legimus in vulgata versione : « Quando exspectabant Dei patientiam; » idem enim est homines exspectare patientiam Dei, quod patientiam Dei exspectari ab hominibus. Et hæc lectio apte cohæret cum præcedentibus : dat enim rationem cur fuerint « increduli, » quia scilicet exspectabant Dei patientiam, hoc est, quia sibi nimium promittentes de Dei patientia, non putabant fore diluvium, sed Deum patienter laturum eorum mores et scelera, uti antea per sexcentos annos ab Enos usque ad Noe tulerat. *Secundo*, per Dei patientiam potest accipi ipsum diluvium, cujus immissionem Deus patienter et longanimiter prorogabat, exspectans peccatorum pœnitentiam, ut sit catachresis et metonymia. Peccatores enim videntes differri diluvium, irridendo rogabant Noe : Cur non venit diluvium a te comminatum? Ecquando veniet? Respondebat Noe : Deus suo tempore illud immittet, sed differt et patienter vos exspectat ut pœnitentiam agatis, itaque avertatis diluvium. Hinc illi responsum Noe irridentes diluvium vocabant Dei patientiam, dicentes : Ecquando veniet tua illa, quam prædicas, Dei tui patientia? Longa et sera est, vellemus videre illam et natare in tuo diluvio. Cum venerit, credemus tibi, tuisque de eo minis, non ante. Simili modo Judæi irridentes oracula Isaiæ, dicentis : « Hæc mandat Dominus, » dicebant : « Manda; remanda; exspecta; reexspecta; modicum ibi, modicum ibi, *Isaiæ* XXVIII, 10, *q. d.* Tu, Isaia, minaris nobis excidium, dicisque illud Deum tibi mandasse, ac per tot annos nihil illius vidimus, nec umbram adhuc videmus. Falsæ ergo et illusoriæ sunt tuæ minæ.

Diluvium fuit Dei patientia, cur?

Moraliter : vide hic quanta patientia sit Dei, qui peccatores tamdiu exspectat ad pœnitentiam. Sic exspectavit Judæos per multos centenos annos, donec illi complerent mensuram peccatorum suorum, eaque completa tandem punivit eos per Titum et Vespasianum, *Matth.* XXIII, 32. Sic exspectavit Chananæos et Amorrhæos a Cham patre eorum, qui fuit tempore diluvii, usque ad Josue, qui eos excidit, per annos octingentos. Sic exspectavit alias gentes usque ad Nabuchodonosorem, per quem eas evertit. Sed tum indignans suam patientiam contemni, tarditatem supplicii gravitate compensat, juxta illud veterum : « Dii laneos habent pedes, sed ferreas manus. » Quocirca omnes totius mundi homines, excepto Noe cum filiis et nuribus, mersit diluvio. Sic exspectat quemlibet peccatorem per plures menses et annos : quin et viros justos et religiosos diu exspectat, ut serio a se abdicent vanitates omnes totosque dent se Deo et perfectioni.

Vide ex adverso quanta sit hominum pervicacia et ingratitudo, qua Dei patientiam eludunt, imo cum ea certant, nec a protervia sua desistunt donec a Deo obruantur et conterantur. Sapientiores fuerunt Ninivitæ, qui, comminante Jona excidium, illico pœnitentiam egerunt, ac per eam Deo se reconciliantes illud evaserunt.

Porro aliqui cum Hesselio hæc aliter dispungunt, ac novam sententiam inchoant ibi : « In diebus Noe; » tuncque hunc dant sensum : Dei patientia ne perderet gentes incredulas, diu exspectavit donec veniret Christus, qui eorum peccata tolleret. Reos quoque et propter sua scelera condemnatos, qui in extremis suis convertuntur, diu patienter, cum impie agerent, exspectabat Deus. Vicissim Sancti veteris Testamenti exspectabant Dei patientiam, id est Christi adventum, propter quem Deus patiens erat super hominum malitia, ideoque patientiam suam usque ad ejus adventum prorogavit, in eoque illam terminavit.

CUM FABRICARETUR (græce κατασκευαζομένης, id est, *cum pararetur*) ARCA, — per centum annos, uti jam dixi. Vide quæ de fabrica arcæ dixi *Gen.* VI, 13 et seq.

IN QUA PAUCI, ID EST OCTO ANIMÆ, — puta octo homines, scilicet Noe cum sua uxore, ac tres ejus filii cum totidem uxoribus, quos Deus reservabat in seminarium novæ sobolis, ne periret totum genus humanum. Est synecdoche. Superstes quoque fuit nonus Henoch, abavus Noe, qui ex Paradiso, vel potius ex æthere (Paradisus

enim cum fuerit in terra, videtur obrutus diluvio) spectabat diluvium.

PER AQUAM. — Aquæ enim diluvii elevabant arcam, et consequenter octo animas in ea degentes, ne humi manentes aquis obruerentur, sed eis per arcam superiores evaderent.

Disce hinc quanta fuerit corruptio illius ævi, tanta scilicet tamque universalis, ut solus Noe cum suis fuerit justus, ideoque dignus qui evaderet diluvium. Rursum quanta sit paucitas sanctorum et salvandorum : hujus enim typus fuit unus Noe in tanto hominum numero, æque ac unus Lot in conflagratione Sodomæ; ac Josue et Caleb, qui ex tot Hebræorum millibus soli ingressi sunt terram promissam.

Tropologice, Noe est Christus et Apostoli, qui septiformem Spiritus Sancti accipiunt gratiam, ait Rupertus.

Anagogice, octonarius animarum electarum symbolum est octavæ resurrectionis et felicitatis æternæ, ac Ecclesiæ triumphantis, æque ac militantis. Ita S. Hieronymus, Dialog. *contra Lucifer.*, sub finem : « Octo animæ hominum, ait, in arca Noe servatæ sunt, et nos Ecclesiastes jubet dare partes septem, dare partes octo, id est, credere utrique testamento : ideo quidam Psalmi pro octava inscribuntur, et per octonos versus, qui singulis litteris subjecti sunt, in psalmo CXVIII justus eruditur. Beatitudines quoque, quas Dominus discipulis in monte pronuntians Ecclesiam delineavit, octo sunt. Et Ezechiel in ædificationem templi octonarium numerum assumit. » Subdit deinde alias analogias arcæ et Ecclesiæ. *Primo*, « in arca, ait, erant animalia munda et immunda : in Ecclesia sunt justi et peccatores. *Secundo*, emittitur de arca corvus et non redit, et postea pacem terræ columba nuntiat : ita et in baptismate Ecclesiæ, teterrimo alite expulso, id est diabolo, pacem terræ nostræ columba Spiritus Sancti nuntiat. *Tertio*, a triginta cubitis incipiens usque ad unum cubitum, paulatim decrescens arca construitur : similiter et Ecclesia multis gradibus consistens ad extremum Diaconis, Presbyteris Episcopisque finitur. *Quarto*, periclitata est arca in diluvio : periclitatur Ecclesia in mundo. *Quinto*, egressus Noe vineam plantavit, et bibens de ea inebriatus est : natus quoque in carne Christus Ecclesiam plantavit, et passus est. *Sexto*, nudatum patrem irrisit major filius, et minor texit : et Deum crucifixum illuserunt Judæi, et honoraverunt Gentiles. »

Analogiæ sex arcæ et Ecclesiæ.

Vers. 21. 21. QUOD ET VOS NUNC SIMILIS FORMÆ SALVOS FACIT BAPTISMA. — « Quod, » id est *quomodo*; aut potius est hebraismus, quo relativum præponitur antecedenti, qui latine sic convertitur : Et tunc salvos nos facit baptisma, quod est ἀντίτυπον, id est similis formæ, ac typica similitudine respondet, subaudi, aquis diluvii, tanquam veritas typo, *q. d.* Sicut Noe cum suis in arca sublata aquis servatus est, sic et nos per baptismum. Ita Vatablus. Aliter legunt Complut. et Regia, nimirum ᾧ, id est *cui*, scilicet arcæ et diluvio, antitype respondet baptisma. Ita Gagneius et Cajetanus. Sed alii Græci et Latini legunt ὅ, id est *quod*.

SIMILIS FORMÆ. — S. Augustinus, lib. *De Bapt.*, cap. ult., legit, *simili forma*, id est, simili typo et analogia; Syrus, *simili exemplo*; S. Cyprianus, *epist.* 74, *similiter*; græce, ἀντίτυπον, *q. d.* Cui nunc antitypus, id est, ut typo res figurata respondet baptismus; arca fuit typus, arcæ antitypus est baptismus, quia per arcam ut typum fuit præfiguratus, eique apta proportione et convenientia respondet, ceu antitypum typo, exemplar imagini, corpus umbræ. Typus enim est antitypi typus, et antitypum est typi antitypum.

Sensus est, *q. d.* Sicut arca olim servavit octo animas in vita corporali, ita nunc baptismus salvat animas in vita spirituali. Arca ergo fuit typus et figura baptismi : diluvium enim significat peccatum et mortem inundantem per totum genus humanum; Noe est Christus victor peccati et mortis; arca est Ecclesia, cujus ostium est baptismus; octo animæ sunt omnes fideles baptizati ad hoc, ut ad octavam resurrectionis et gloriæ æternæ pertingant. Analogiæ diluvii et baptismi.

Simili ratione Eucharistia a S. Basilio in *Liturgia* aliisque Græcis Patribus vocatur antitypa, tum passive, quia scilicet per typos agni paschalis, manna et panum propositionis fuit præfigurata, eisque congrua analogia respondet; tum active, quia ipsa est typus et repræsentatio Christi patientis, morientis et in cœlo regnantis. Inde tamen non sequitur, Christum in ea realiter non esse præsentem, sed tantum non esse ibi visibilem, patientem, morientem et in cœlo regnantem, atque speciebus sacramentalibus panis et vini quasi typis velari et repræsentari. Unde a Theodoreto, I *Corinth.* II, vocatur typorum archetypus. Antitypum ergo idem est quod sacramentum, et antitype idem est quod sacramentaliter. Sacramentum autem est signum rei non absentis, sed præsentis, licet occultæ, v. g. corporis Christi in Eucharistia. Vide Bellarminum, lib. II *De Euchar.*, XVI, et lib. IV, cap. XIV.

NON CARNIS DEPOSITIO SORDIUM, — *q. d.* Baptisma nos salvos facit, non quatenus est ablutio carnis, ut ex ea sordes eluat et deponat, uti faciebant Judæorum baptismata et lavacra; sed quatenus est ablutio animæ et conscientiæ, eamque bonam, id est, puram et sanctam efficit.

SED CONSCIENTIÆ BONÆ INTERROGATIO IN DEUM. — « Interrogatio, » id est, probatio et exploratio. *q. d.* Baptismus nos salvos facit, quia facit ut probatam coram Deo habeamus conscientiam bonam, scilicet, puram et mundam, juxta illud *Hebr.* cap. X, vers. 22 : « Aspersi corda a conscientia mala, et abluti corpus aqua munda. » Interrogare enim sæpe in Scriptura significat probare et explorare, quia per interrogationem facti, noxæ, vel innocentiæ veritas a reo indagatur et explo-

ratur : est metalepsis. Sic *Psalm.* X, 4, dicitur : « Palpebræ ejus interrogant filios hominum, » id est, oculi Dei explorant et lustrant omnes homines; et vers. 5 : « Dominus interrogat, » id est explorat justum et impium; et *Psalm.* CXXXVIII, 23 : « Interroga et cognosce semitas meas, » id est, ut paulo ante dixit : « Proba me, Deus, et scito cor meum : » in Psalmis enim sæpe una pars versiculi est explicatio et confirmatio alterius.

Interrogatio, id est responsio.

Hinc *secundo*, eadem metalepsi « interrogatio, » id est responsio, tum quia interrogationi correlative respondet responsio, eamque poscit et elicit, adeo ut ex interrogatione sæpe intelligatur responsio, sicut unum simile ex alio simili cognoscitur. Unde *Eccli.* XXXIII, 4, dicitur : « Qui interrogationem manifestat, parabit verbum, » id est, qui interrogationi manifeste et recte respondere cupit, hic prius cogitabit et studebit quomodo respondere debeat. Tum quia Hebræi, cum quid certo respondere et asserere cupiunt, idipsum interrogationis forma enuntiant. Vehementius enim movent acres interrogationes quam simplices assertiones, ut *Gen.* XIII, 8, dicit Abraham ad Lot : « Ecce universa terra coram te est. » Hebr. *numquid non terra coram te est?* In libris *Regum* identidem dicitur : « Numquid non hæc scripta sunt in libro dierum regum Juda? » *q. d.* Omnino scripta sunt in chronicis regum, omnes sciunt ibidem scripta extare : frustra ergo ea hic ego repetam. *Ezech.* XXII, 2 : « Et tu, fili hominis, nonne judicas civitatem sanguinum? » *q. d.* Omnino tuum est judicare eam, « ut ostendas ei omnes abominationes suas. » Sensus ergo est, *q. d.* Baptismus facit bonam conscientiam, adeo ut ipsa audeat interrogari a Deo, ejusque tribunali in judicio confidenter se sistat, non metuens se damnatum iri; sed interrogata intrepide coram Deo omnium conscio respondeat se esse bonam et omni labe depuratam. Hunc sensum poscit antithesis, quæ talis est : Baptismus est ablutio, depositio et submersio omnium sordium, non carnis, sed animæ, puta omnium peccatorum; ideoque bonam et puram efficit conscientiam, adeo ut ipsa cuivis, etiam Deo, interroganti libere et vere respondere possit se esse talem. Alludit ad ritum Ecclesiæ, quo baptizandus ab ea per sacerdotem rogatur, an velit baptizari, et an renuntiet Satanæ et omnibus ejus pompis? Cui ille respondet : Volo baptizari; abrenuntio Satanæ et pompis ejus, teste S. Dionysio, *Eccles. Hierarch.*, paulo ante finem, et Cyrillo, lib. XII *in Joan.*, cap. LXIV, et S. Augustino, *epist.* 23.

Hinc *tertio*, baptismus dat conscientiæ bonæ interrogationem non tantum passivam, sed et activam, quia scilicet facit illam securam de puritate, ut confidenter audeat interrogare, postulare et interpellare Deum, dicendo : Abba Pater, numquid non ego sum filius tuus? numquid non tu es pater meus? ergo pasce, cura, rege, protege me ut filium tuum, dirige me ad te in viam salutis æternæ, da ut tibi totus placeam, totus serviam, totus uniar. Hoc est quod orare nos docuit Christus : « Pater noster, qui es in cœlis, adveniat regnum tuum. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo. » Ita Arias. Unde Syrus vertit, *sed gratias agentes Deo cum pura conscientia.* Hoc est pariter quod ait Paulus : « Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater. Ipse enim spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quod sumus filii Dei, » *Rom.* VIII, 15; et S. Joannes, *epist.* I, cap. III, vers. 21 : « Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, et quidquid petierimus, accipiemus ab eo. » Hinc fidelis quasi filius in omnibus dubiis, difficultatibus, tentationibus, etc., recurrit ad Deum, quasi infans ad matrem, eumque interrogat, invocat et consulit. Sic Thucydides ait : ἐπερωτῶ τὸν Θεόν, id est, *consulo Deum.*

Ἐπερώτημα. Resp. Primo.

Alii Græcum ἐπερώτημα, id est *interrogatio*, aliter vertunt. *Primo*, Cajetanus vertit, *inquisitio, q. d.* Baptismus facit hominem inquirere, seu procurare bonam conscientiam apud Deum. Et Œcumenius : Baptismus, ait, est velut arrhabo quidam et pignus bonæ erga Deum conscientiæ. Qui enim bene sibi conscii sunt, id est, qui inculpatam amplectuntur vitam, et illam penitus inquirunt, ac velut interrogant, hi etiam ad sacrum accurrunt baptisma; unde Glossa, Gagneius et Suarez, III *part., Quæst.* LXII, disp. VII, sect. 1, censent hic tantum significari, qua dispositione accedendum sit ad baptismum, scilicet ut rogemus et cupiamus per baptismum mundari non corpus, sed conscientiam.

Accedunt S. Augustinus, tract. 8 *in Joan.*, et S. Ambrosius, *De his qui mysteriis initiantur*, cap. III et IV, qui hæc accipiunt de interrogatione et examine quo baptizandus examinatur, an bona conscientia, id est, bona fide et dispositione, puta non ficte, sed sincere, non impœnitens, sed pœnitens et contritus, vel certe attritus, nimirum an cum vera fide et spe ac detestatione peccatorum, cumque serio proposito novæ vitæ accedat ad baptismum : intellige hæc de adultis, quales erant pene omnes accedentes ad baptismum primo illo Ecclesiæ ævo. Quare perperam ex hisce Petri verbis contendunt Anabaptistæ, non esse baptizandos infantes, sed tantum adultos, qui interrogati respondere queant se velle baptizari. Pejus Erasmus præfat. *in S. Matthæum* censet infantes baptizatos, cum adoleverint, rogandos esse, an rata habeant pacta et promissa in baptismo; et si negent, suæ libertati dimittendos.

Secundo.

Secundo, Gagneius et alii ἐπερώτημα vertunt *stipulatio, pactum, contractus, q. d.* Baptismus nos salvos facit, quatenus est stipulatio et pactum inter Deum et baptizatum. Deus enim paciscitur in baptismo cum baptizato, eique ex pacto dat bonam conscientiam, puta remissionem peccatorum, gra-

tiam, justitiam et promissionem vitæ æternæ. Insuper promittit se ei fore Deum, patrem, provisorem et protectorem: vice versa promittit baptizatus se Deo fore fidelem famulum et filium, et novam vitam initurum, bonam conscientiam ab eo acceptam conservaturum usque ad extremum vitæ spiritum, ejusque legi et mandatis in omnibus obediturum. Hac de causa olim in baptismo fidem Christianam professuri publice in cœlum suspiciebant, ac manus dextras in altum erigebant, adhibito jurejurando coram testibus; ac jusjurandum manu baptizati subscriptum, ejusque annulo obsignatum in tabulas referebatur, uti ex Patribus docet Josephus Vicecomes, lib. II *De Ritibus baptismi*, cap. XXVII. Rursum aliqui ἐπερώτημα εἰς Θεὸν vertunt *stipulatio in Deum, q. d.* Baptismus salvos nos facit non ex virtute aquæ qua corpus abluit, sed quia ex pacto et promissione divina assistentem et inoperantem habet Spiritum Sanctum, qui conscientiam emundat et sanctificat. Ita S. Basilius, lib. *De Spiritu Sancto*, cap. XV: « Itaque, inquit, si qua est gratia in aqua, non est ex ipsius aquæ natura, sed ex spiritus præsentia. Non enim est baptismus depositio sordium corporis, sed bonæ conscientiæ interrogatio apud Deum. » Et mox: « Per Spiritum Sanctum datur in paradisum restitutio, in regnum cœlorum reditus, in adoptionem filiorum reversio, datur fiducia Deum appellandi patrem suum, consortem fieri gratiæ Christi, filium lucis appellari, æternæ gratiæ participem esse, et, ut semel omnia dicam, esse in omni benedictionis plenitudine, tum in præsenti hoc sæculo, tum in futuro. »

Baptizandi oculos, et manus in cœlum erigebant, cur?

Quocirca Patres sæpe fideles monent, ut suæ stipulationis et promissionis memores, eam opere præstent. Ita S. Ambrosius, lib. *De iis qui myst. init.*, cap. II: « Repete, ait, quid interrogatus sis, recognosce quid spoponderis: renuntiasti diabolo et operibus ejus, mundo et luxuriæ ejus ac voluptatibus: tenetur vox tua non in tumulo mortuorum, sed in libro viventium. » S. Augustinus, lib. IV *De Symbol. ad catech.*, cap. I: « Diabolo, ait, vos renuntiare professi estis, in qua professione non hominibus, sed Deo et angelis ejus conscribentibus dixistis: Renuntio. » S. Gregorius Nazianzenus, *orat.* 40, Baptismum definit, « secundæ vitæ ac purioris vivendi rationis pactum cum Deo initum, » indeque concludit: « Ac proinde vel maximo in metu omnes esse, atque omni custodia animas nostras servare debemus, ne hoc pactum violasse comperiamur (1). »

vitio. *Tertio*, Lutherus ejusque asseclæ perperam ἐπερώτημα vertunt *testimonium, sigillum, obsignatio, q. d.* Baptismus salvos nos facit, non vi sua (est enim merum signum), sed quia est testimonium bonæ, id est fidelis conscientiæ, cujusque fidem obsignat et sigillat. Censent enim hæretici fidem solam justificare, Sacramenta vero tantum esse signa, protestationes et obsignationes fidei justificantis: intruserunt ipsi hoc suum dogma in scholia Vatabli, quæ ἐπερώτημα explicant *declarationem recti et fidelis animi erga Deum*. Verum hæc est hæresis damnata a Concilio Tridentino totaque Ecclesia, ac refutata hic a S. Petro. Ait enim: « Quod et similis formæ salvos nos facit baptisma, » *q. d.* Sicut aquæ diluvii elevantes arcam, et cum ea Noe cum suis, eum a morte non salvum declararunt, sed reipsa salvarunt, sic et baptisma reipsa nos salvos, id est, justos sanctosque facit, non autem justos duntaxat declarat.

Baptismi elogia.

Ex hoc loco patet, quanta sit baptismi vis et dignitas: quocirca eamdem Patres variis elogiis et titulis repræsentant. A materia enim, puta ab aqua et ablutione, vocant eum lavacrum vitale, aquam salutarem, fontem et fluvium aquæ vitalis, undæ genitalis lavacrum. Ita vocatur a S. Cypriano, *epist.* 2, 73 et 76; et Tertulliano, lib. *De Bapt.*, Clemente Alexandrino, I *Pædag.*, VI, et Damasceno, IV *De Fide*, X. A forma vocatur sigillum fidei, Sacramentum fidei, fidei confessio, S. Trinitatis sacramentum. Ita S. Basilius, lib. III *Contra Eunomium*, et S. Ambrosius, lib. I *De Spiritu Sancto*, cap. III. Ab effectu vocatur Sacramentum illuminationis et regenerationis, Sacramentum Christianorum, tessera militis Christiani, diluvium peccatorum, flumen gratiæ, uterus Ecclesiæ, mors peccatorum et vita virtutum. Audi S. Gregorium Nazianzenum, orat. 4 *in S. Baptisma*: « Baptismus, inquit, splendor est animarum, vitæ in melius mutatio, conscientiæ ad Deum interrogatio. Baptismus infirmitatis nostræ adjumentum. Baptismus carnis est abjectio, spiritus affectatio, verbi participatio, figmenti correctio, peccati diluvium, lucis communicatio, tenebrarum oppressio. Baptismus vehiculum ad Deum, peregrinatio cum Christo, fidei adminiculum, mentis perfectio, cœlestis regni clavis, vitæ commutatio, servitutis depulsio, vinculorum solutio, compositionis in meliorem statum conversio. Quid plura commemorare attinet? Baptismus omnium Dei beneficiorum præclarissimum est et præstantissimum. Ut enim quædam Sancta sanctorum vocantur, et Cantica canticorum, quod scilicet latius pateant, ac plura complectantur, præcipuamque dignitatem habeant: eodem modo baptismus quoque illuminatio dicitur, quod omnes alias illuminationes sanctitate superet. » Et mox eumdem vocat, donum, gratiam, unctionem, illuminationem, incorruptionis indumentum, regenerationis lavacrum, sigillum, ac denique excellentissimo quovis nomine appellandum. Donum dicitur, quia iis, qui nihil prius contulerunt, datur. Gratia, quia etiam debentibus. Baptismus, quia peccatum in aqua sepelitur. Unctio, quia sacer et regius: hujusmodi enim ea erant quæ ungebantur. Illuminatio porro, quia splendor et claritas. Indumentum, quia ignominiæ nos-

(1) Rosenmullero quoque hic sensus tanquam genuinus probatur.

træ velamen est. Lavacrum, quia abluit. Sigillum, quia conservatio est ac dominationis significatio. Huic gratulantur cœli : hunc angeli propter splendoris cognationem celebrant : hic beatitudinis illius simulacrum gerit ; hunc laudibus quidem et hymnis celebrare volumus, verum pro rei dignitate non possumus. »

PER RESURRECTIONEM JESU CHRISTI. — *Primo, q. d.* Hanc vim, conscientiam scilicet bonam sanctamque efficiendi, habet baptismus ex merito passionis Christi, cujus terminus et complementum fuit resurrectio ejusdem, juxta illud : « Mortuus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram, » *Rom.* IV, 25. Vide ibi dicta.

Secundo, « per resurrectionem, » quia per eam Christus vicit et deglutivit mortem, tum suam, tum consequenter et nostram, aditumque in cœlum nobis aperuit, qui est secundus baptismi effectus, ut scilicet sicut dat nobis vitam gratiæ, ita pariter post eam det vitam gloriæ, faciatque hæredes vitæ æternæ. Ita Beda et Lyranus. *Tertio*, quia Christi resurrectio est causa exemplaris et finalis nostræ sanctitatis et novæ vitæ, quam baptismo accipimus et inimus. Ita Glossa, Hugo et Thomas Anglicus. Accedit S. Basilius, lib. *De Spiritu Sancto*, cap. XV : « Dominus, ait, ad vitam ex resurrectione nos præparans, totam Evangelicam conversationem proponit, ut non irascamur, ut malorum tolerantes simus, et a voluptatum amore puri, ut a studio pecuniæ mores sint liberi, etc. Proinde si quis definiens dicat, Evangelium esse formam vitæ quæ est ex resurrectione, mihi nequaquam videretur a vero aberrare. » Hoc est quod ait Paulus *ad Rom.* VI, 4 : « Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus. »

Christianus est homo resurgens

Denique solent Paulus et Apostoli tribuere resurrectioni nostram justificationem et salutem, quia illa quasi clausula et sigillum omnia Christi dogmata et sacramenta obsignavit. « Si enim Christus non resurrexit, inanis est fides et spes nostra, » I *Cor.* XV, 15.

Summum bonum conscientia bona.

Moraliter, nota summum bonum baptismi et Christianismi esse bonam conscientiam, ideoque eamdem esse genuinam tesseram veri Christiani. Hanc enim nobis Deus dedit in baptismo, hanc jussit tueri et augere per omnem vitam, de hac nos interrogabit in hora mortis, hanc a nobis reposcet in die judicii. Tunc enim examinabit nos non de opulentia, sapientia aut scientia, sed de bona conscientia. Tunc « non quæretur de nobis quid legimus, sed quid fecimus; nec quam bene viximus, sed quam religiose viximus, » ait noster Thomas Theodidactus, lib. I *De Imit. Christi*, III. Quocirca de ea adeo sollicitus erat Paulus : « Gratias, ait, ago Deo, cui servio a progenitoribus in conscientia pura, » II *Timoth.* I, 3; et *Act.* XXIV, 16 : « Studeo sine offendiculo conscientiam habere ad Deum et ad homines semper. » Eamdemque impense Christianis commendat : « Gloria nostra hæc est, ait, testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis et sinceritate Dei, et non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus in hoc mundo. » II *Cor.* I, 12. « Finis præcepti est charitas de corde puro et conscientia bona, et fide non ficta, » I *Timoth.* cap. I, vers. 5; et 19 : « Milites in illis bonam militiam, habens fidem et bonam conscientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragaverunt; » et cap. III, vers. 9 : « Habentes mysterium fidei in conscientia pura; » et cap. IV, vers. 2, ait hæreticos habere cauteriatam conscientiam. *Ad Titum*, I, 15 : « Infidelibus, ait, nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum et mens et conscientia. » *Hebr.* XIII, 19 : « Orate pro nobis : confidimus enim quia bonam conscientiam habemus, in omnibus bene volentes conversari. »

Præclare Nazianzenus, *orat.* 40 : « Si diabolus, ait, per avaritiam te oppugnet, regna omnia velut ad se attinentia ostendens, atque adorationem a te exigens, ut pauperem contemne; dic, signaculo fretus : Ipse quoque Dei imago sum, nondum ut tu a superna gloria propter superbiam dejectus sum; Christo indutus sum, in Christo transmutatus sum : tu me ipse adora. »

22. QUI EST IN DEXTERA DEI. — *q. d.* Christus patiendo et descendendo in imum ascendit ad summum, puta ad dexteram Dei : ita et vobis, o Christiani, eveniet : tolerate ergo fortiter quævis dura et vilia. Quomodo Christus sedeat in dextera Dei, dixi *Coloss.* III, 1. Vers. 22.

DEGLUTIENS MORTEM. — Hæc jam desunt in Græco. Sensus est, *q. d.* Christus moriens et resurgens mortem suam et nostram abolevit, et quasi absorpsit, juxta illud *Oseæ* XIII, 14 : « Ero mors tua, o mors; morsus tuus ero, inferne. » Et : « Absorpta est mors in victoria, » I *Cor.* XV, 54. Vide ibi dicta. Animat fideles ad patiendum et moriendum spe resurrectionis et immortalis ac beatæ vitæ, eis a Christo patefactæ et promissæ.

PROFECTUS IN COELUM. — Syrus, *evectus*, non ab angelis, sed suapte vi, non tantum divinitatis, sed et humanitatis gloriosæ, nimirum per dotem agilitatis ascendens super omnes cœlos, uti dixi *Actor.* I, 9.

SUBJECTIS SIBI ANGELIS. — Christus enim non tantum qua Deus, sed et qua homo, ex vi et dignitate unionis hypostaticæ, est primogenitus omnis creaturæ, *Coloss.* I, 15, hoc est, princeps omnium creaturarum, ac dominus universi, ideoque caput et Rex omnium angelorum, æque ac hominum, uti ait Paulus, *Coloss.* I, 18, et cap. II, vers. 10, et *Ephes.* I, 22. Vide ibi dicta. Christus enim est caput totius Ecclesiæ tam militantis, quam triumphantis, quæ cum sit una, conflatur ex angelis æque ac hominibus. Unde graves Theologi probabiliter censent angelos quoque ex meritis Chri

sti gratiam et gloriam consecutos esse; hoc enim pertinuisse ad dignitatem Christi, et ad majorem consociationem Ecclesiæ, quæ constat angelis perinde ac hominibus. Vide Gregorium de Valentia, III *part.*, disp. I, *Quæst.* VIII, puncto 3, et Suarez III *part.*, tom. I, disp. XLII, sect. I et II.

Quare merito S. Leo, serm. 1 *De Ascensione* : « Revera, ait, magna et ineffabilis erat causa gaudendi, cum in conspectu sanctæ multitudinis super omnium cœlestium creaturarum dignitatem humani generis natura conscenderet, supergressura angelicos ordines, et ultra Archangelorum altitudinem elevanda, nec ullis sublimitatibus modum suæ provectionis habitura, nisi æterni Patris recepta consessu, illius gloriæ sociaretur in throno, cujus naturæ copulabatur in Filio.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hortatur fideles ut pristinas gentilismi luxurias et cupiditates abdicantes, Christo passo se conforment, solique Deo vivant : unde, vers. 7, hortatur eos ad studium orationis, mutuæ dilectionis, hospitalitatis et gloriæ Dei promovendæ. Denique, a vers. 12 usque ad finem, hortatur eos ad tolerantiam et magnanimitatem, ut cum Christo, et pro Christo quaslibet persecutiones et afflictiones constanti fortique animo sustineant.

1. Christo igitur passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini : quia qui passus est in carne, desiit a peccatis, 2. ut jam non desideriis hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne vivat temporis. 3. Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem Gentium consummandam his, qui ambulaverunt in luxuriis, et desideriis, vinolentiis, comessationibus, potationibus, et illicitis idolorum cultibus. 4. In quo admirantur non concurrentibus vobis in eamdem luxuriæ confusionem, blasphemantes. 5. Qui reddent rationem ei, qui paratus est judicare vivos et mortuos. 6. Propter hoc enim et mortuis evangelizatum est : ut judicentur quidem secundum homines in carne, vivant autem secundum Deum in spiritu. 7. Omnium autem finis appropinquavit. Estote itaque prudentes, et vigilate in orationibus. 8. Ante omnia autem, mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes : quia charitas operit multitudinem peccatorum. 9. Hospitales invicem sine murmuratione. 10. Unusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. 11. Si quis loquitur, quasi sermones Dei; si quis ministrat, tanquam ex virtute, quam administrat Deus : ut in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum : cui est gloria, et imperium in sæcula sæculorum, Amen. 12. Charissimi, nolite peregrinari in fervore, qui ad tentationem vobis fit, quasi novi aliquid vobis contingat : 13. sed communicantes Christi passionibus gaudete, ut et in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes. 14. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis : quoniam quod est honoris, gloriæ et virtutis Dei, et qui est ejus Spiritus, super vos requiescit. 15. Nemo autem vestrum patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. 16. Si autem ut Christianus, non erubescat : glorificet autem Deum in isto nomine. 17. Quoniam tempus est, ut incipiat judicium a domo Dei. Si autem primum a nobis : quis finis eorum, qui non credunt Dei Evangelio? 18. Et si justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt? 19. Itaque et hi, qui patiuntur secundum voluntatem Dei, fideli Creatori commendent animas suas in benefactis.

Vers. 1. 1. CHRISTO IGITUR PASSO IN CARNE; ET VOS EADEM COGITATIONE ARMAMINI. — Vox *igitur* significat hæc inferri et concludi ex eo quod dixit capite præcedenti, vers. 12 : « Christus semel pro peccatis nostris mortuus est; justus pro injustis, ut nos offerret Deo. » Inde enim recte concludit : Igitur et vos Christo pro vobis passo conformamini, et eadem cogitatione armamini, ut cum Christo cruci-

fixo vitia vestra pariter crucifigatis, justitiam ab eo acceptam conservetis, nec ad pristinam injustitiam redeatis; sed justos sanctosque vos sistatis et offeratis Deo, ne ejus passionem et labores evacuetis, neve ipse gratis et frustra pro vobis mortuus sit.

Præclare S. Bernardus, serm 3 *in Natali Domini* : « Ludebam ego, ait, foris in platea, et in secreto regalis cubiculi super me ferebatur judicium mortis. Audivit hoc Unigenitus ejus, exiit, posito diademate, sacco vestitus, aspersus cinere caput, nudus pedes, flens et ejulans quod morte damnatus esset servulus ejus. Intueor illum subito procedentem, stupeo novitatem, causam percunctor et audio. Quid facturus sum ? Adhuc-ne ludam, et deludam lacrymas ejus ? plane si insanus sum, et mentis inops non sequar eum, nec simul cum lugente lugebo ; » et mox : « Agnosce, o homo, quam gravia sunt vulnera, pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari : si non essent hæc ad mortem, et mortem sempiternam, nunquam pro eorum remedio Dei Filius moreretur. » Suo ergo sanguine Christus vitia abolevit, et virtutes nobis emit, ut eas omni studio, labore et conatu conservemus, augeamus et perficiamus.

Nota : Τὸ *in carne* significat *primo*, Christum passum tantum in hac vita dum esset in carne mortali, non vero post mortem cum descendit ad inferos, uti blasphemat Calvinus, dicens Christum damnatorum pœnas pertulisse, ut nostram damnationem in se susciperet et lueret. *Secundo* plerosque ejus dolores, ut verberum, flagellorum, sputorum, spinarum, clavorum, fuisse in carne. *Tertio*, sub « carne » per synecdochen intelligit animam passibilem et dolorum capacem, eisque obnoxiam. Alludit enim ad illud Christi in horto passionem inchoantis a tristitia : « Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma, » *Matth.* cap. XXVI, 41. Carnem ergo opponens spiritui, sub ea et per eam intelligit animam tum sensitivam : hæc enim dolores in carne sentiebat, non ipsa caro. Unde S. Augustinus, lib. *De Fide et operib.*, cap. X, legit : « Christo passo per carnem ; » tum rationalem, nimirum appetitum ejus inferiorem, qui spectat bonum et commodum naturæ, sive personæ, sentitque et dolet de ejus incommodis, molestiis, doloribus. Unde de ea ait Apostolus : « Caro, » id est, carnalis anima et appetitus « concupiscit adversus spiritum, » *Galat.* V, 17 ; potiores enim Christi dolores fuerunt in anima sensitiva, potissimi in anima et appetitu rationali. In hac enim concipiebat ingentem dolorem de peccatis singulorum hominum, eo quod summe Deum offendant, ut hoc doloris et contritionis actu Deo pro iis satisfaceret; in hac quoque dolebat impense hominum malitiam et ingratitudinem, quod tam multi suam passionem et gratiam essent aspernaturi, et ultro ruituri in tartara. Unde *quarto*, per carnem synecdochice accipe totam humanitatem : hanc enim opponit divinitati ; nam divinitatem Christi esse passam, æque ac humanitatem, docuere nonnulli hæretici, ut Eutyches cum suis. Ita S. Fulgentius, lib. III *ad Thrasim.*, IX : « Propterea, inquit, Christum fatetur passum in carne, cujus divinitatem noverat prorsus impassibilem permanere. » Sic *Joannis* I, 14, dicitur : « Verbum caro factum est : » *caro*, id est, homo constans carne et anima. Unde ex hoc loco Patres docent *primo*, contra Nestorium in Christo non fuisse duas personas, sed unam, puta Verbi ; *secundo*, contra Eutychetem, in Christo fuisse duas naturas, divinam scilicet et humanam, easque plane inconfusas et impermixtas, distinctas et divisas, eo quod una fuerit impassibilis, altera passibilis. Ita Concilium Hispalense, cap. XIII ; Theodoretus, *Dialog.* cap. III ; Irenæus, lib. III, cap. XX ; Gelasius, lib. *De Duabus naturis*, et alii.

Christi summi dolores in spiritu.

Nota *secundo*, pro *eadem cogitatione armamini*, S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovinianum*, legit, vel potius explicat, *eadem conversatione armamini*. Græce est τὴν αὐτὴν ἔννοιαν ὁπλίσασθε, hoc est, *eamdem cogitationem armamini*, id est, velut arma induite, eaque vos armate. Œcumenius, Pagninus et Tigurina subaudientes κατὰ vertunt, *juxta eamdem cogitationem armamini*. Per *cogitationem* accipe *primo*, considerationem, æstimationem, ratiocinationem, *q. d.* Cum Christus tanta passus sit pro vobis, cogitate, æstimate et concludite quanta pro eo, imo pro vobis ipsis, puta pro fuga peccati et sequela virtutis, quam vobis sua passione conciliavit, agere et pati debeatis. Hoc est quod monet Paulus : « Recogitate eum qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes. Nondum enim usque ad sanguinem restitistis adversus peccatum repugnantes, » *Hebr.* XII, 2.

Secundo, « eadem cogitatione, » id est, simili resolutione, decreto animi, proposito armate vos : ita Vatablus (1). Sic S. Paulus hortans Philippenses, cap. II, vers. 3, ad humilitatem et amorem mutuum, eodem utitur stimulo : « Hoc enim, ait, sentite in vobis quod et in Christo Jesu, » id est, hunc animi sensum, hoc propositum induite, quod cernitis in Christo, « qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens in similitudinem hominum, et habitu inventus ut homo. » Sensus est, *q. d.* Cum Christus tam resolute et generose pro vobis passus sit et crucifixus, ut peccata et vitia vestra crucifigeret, vos similiter ea in vobis simili animi resolutione et efficaci proposito crucifigite, etiamsi id fiat cum passione et dolore. Rursum Christi exemplo omnia adversa et acerba, quæ in hac vita plurima occurrunt, fortiter et generose tolerate. Sic Paulus ait *Rom.* VI, 6 : « Vetus noster homo simul (cum Christo crucifixo) crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, et ultra non serviamus peccato. »

(1) Et Allioli, sensusque est genuinus.

Et *Galat.* II, 19 : « Ego enim per legem legi mortuus sum, ut Deo vivam. Christo confixus sum cruci. Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus. Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me. »

Docent ergo S. Petrus et Paulus non tantum Religiosos, uti pulchre ostendit Cassianus, lib. IV *Instit.*, cap. XXXIV et XXXV; sed et Christianos omnes cum Christo crucifixo debere esse crucifixos mundo, ejusque pompis et vitiis, adeo ut Christianismus sit imago crucis, et tota veri Christiani vita eam præferat figuram et speciem, quam habuit Christus cruci affixus. *Primo* enim, sicut qui in cruce suspensus est, non potest pro libito manus et membra movere, sed ea affixa habet ligno : ita Christianus non potest ad libitum se suaque membra movere, sed ea debet conformare et quasi affigere legi Dei et Christi. *Secundo*, sicut cruci affixus assidue sua cruce cruciatur : sic lex Christi assidue sensum et carnem cruciat, utpote ejus desideriis et concupiscentiis repugnans, easque mortificare et resecare jubens. *Tertio*, sicut suspensus non curat homines transeuntes, spectacula, pompas, delicias : sic Christianus eadem curare non debet, nec iis cor affigere. *Quarto*, suspensus de crastino non est sollicitus, nullaque pecuniæ, aut possessionum cupiditate tenetur : idem faciat Christianus. *Quinto*, suspensus licet in corpore spirans, cura tamen et cogitatione rebus omnibus est mortuus, ea vero tantum cogitat ad quæ paulo post migraturum se sperat : sic et Christianus non solum vitiis et concupiscentiis, sed et ipsis mundi elementis rebusque omnibus affectu sit mortuus oportet, totumque cor convertat ad Deum et cœlum, quo singulis momentis sperat se perventurum : unde fiet ut mundi actibus et desideriis defunctus, jam non vivat ipse, sed vivat in eo Christus, qui crucifixus est pro eo.

Christianismus est imago crucis. Primo.

Secundo.

Tertio.

Quarto.

Quinto.

Nota *tertio* : Τὸ *armamini*, *primo*, generatim potest accipi pro *induite*, instruite : sic enim subinde vestes et quævis instrumenta vocantur arma. *Secundo* tamen proprie et nervosius, τὸ *armamini* accipe pro *armate vos*, armis vos instruite. Hæc vox innuit *primo*, vitam hominis, præsertim Christiani, non esse aliud quam militiam, ut ait *Job* XIV, 1, in qua continuo contra dæmonem, carnem et mundum luctandum et decertandum est. *Secundo*, panopliam, id est, plenam armaturam Christi fuisse passionem et crucem : hac enim debellavit peccatum, mortem, infernum et diabolum. Unde symbolice Thomas Anglicus notat Christum in cruce fuisse instar equitis armati : coronam enim spineam illi fuisse pro galea, carnem pro lorica, clavos pro gladio, crucem pro equo. *Tertio*, panopliam pariter cujusque Christiani esse passionem et crucem Christi, ejusque cogitationem, memoriam, considerationem, et invocationem : iisdem enim armis uti et pugnare debet Christianus, quibus usus est et pugnavit Christus. Quocirca nullum efficacius telum aut clypeus est ad resistendum tentationi dæmonis, carnis et mundi, quam cogitatio Christi crucifixi, uti docui cap. II, vers. 21, et cap. III, vers. 18. Vide et panopliam Christiani a capite ad talos, quam ex Apostolo descripsi *Ephes.* VI, 13.

Panoplia Christiani est crux.

Hujus rei symbolo in Confirmationis sacramento ab Episcopo in fronte signamur, eoque quasi milites et pugiles Christi auctoramur et roboramur, ad certandum pro fide Christi usque ad mortem et martyrium. Ita Constantinus Magnus in *Edict.* sui ipsius Confirmationem referens : « Levatoque, ait, me de fonte, induto vestibus candidis, septiformis gratiæ Spiritus Sanctus consignationem adhibuit beati Chrismatis unctione, et vexillum crucis in mea fronte linivit; » et Prudentius in *Psychomach.* :

> Post inscripta oleo frontis signacula, per quæ
> Unguentum regale datum est, et chrisma perenne,

Hinc in Ordine Romano die Jovis sancto, forma crucis vocatur, « signum frontis et sacri titulus bellatoris, ut signati Chrismate sancto, signiferi esse mereamur cœlestes. » Quocirca veteres non tantum frontem, in qua residet pudor, in Confirmatione ungebant et signabant cruce, ad intrepide profitendam fidem et crucem, sed etiam alia membra. Id etiamnum servant Græci, qui, ut ait Jeremias, Patriarcha Constantinopolitanus, in *Professione fidei*, ungunt frontem, oculos et dorsum in formam crucis. Æthiopes vero, ut habet eorum Rituale, sive Ordo baptismi, ungunt non tantum oculos, frontem et dorsum in formam crucis, sed et nares, labia, pectus, stomachum, tibias, genua et pedes, ut significent cruce obsignanda esse omnia membra, omnes sensus, omnes actiones Christiani.

Hinc rursum militiæ Christianæ tessera et vexillum est crux. Primus enim Constantinus Magnus aquilas, quas Romani in vexillis præferebant, mutavit in labarum crucis, quod ei cœlitus ostensum erat cum hoc lemmate : « In hoc signo vinces; » eoque illustres victorias de Maxentio aliisque tyrannis obtinuit, uti narrat Eusebius in *Vita Constantini*. Id secuti sunt Christiani in bello sacro : quotquot enim nomen dabant militiæ ad recuperandam Terram sanctam, cruce signabantur. Vide Gretserum *De Cruce*.

QUIA QUI PASSUS EST IN CARNE, DESIIT A PECCATIS. — Multi per *passum in carne* accipiunt Christum; de Christo enim paulo ante dixit : « Christo igitur passo in carne, » etc., sicque explicant, *q. d.* Christus passus in carne per passionem enervavit et abolevit peccata, dum nos per suam gratiam ab iis facit desinere et cessare : ut sit Hebraismus quo *Cal* ponitur pro *Hiphil.*, puta *desiit* pro *desinere fecit*. Aut, ut alii, « desiit a peccato, » ut habent Græca, id est, desiit esse hostia pro peccato. « Una enim oblatione consummavit in

æternum sanctificatos, » *Hebr.* cap. X, vers. 14.

Verum hæc violenta aut contorta videntur. Quare Œcumenius et alii genuine per *passum in carne*, puta crucifixum, accipiunt Christianum; hic enim, ut jam dixi, in baptismo concrucifixus, commortuus et consepultus est Christo, ut ait Paulus *Rom.* VI, 4. Rursum hic passus est in carne, quia carnem suam cum ejus concupiscentiis affligit, mortificat et crucifigit. Ad Christianum enim, non vero ad Christum pertinent ea quæ sequuntur : « Ut jam non desideriis hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne vivat temporis. » Sensus ergo est, *q. d.* Christianus qui instar Christi crucifixi crucifixus est, carnem suam crucifigendo cum vitiis et concupiscentiis, hic jam desiit, valedixit et renuntiavit peccatis, ut deinceps in carne non vivat carni, sed Deo, perinde ac si angelus esset in carne, eam spiritui subdens, spiritalem efficiens, et pene in spiritum transmutans : quocirca non vivat « desideriis, » id est, secundum desideria hominum Gentilium et carnalium in luxuriis, vinolentiis, comessationibus, uti mox explicat; sed « voluntati, » id est, juxta voluntatem « Dei, » ut eam in omnibus sibi regulam vivendi statuat, eaque agatur et impellatur ad omne bonum Deo placitum, quod scilicet ipse jubet aut consulit. Unde S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovinianum*, legit : « In Dei voluntate reliquum in carne tempus exigat. » Pie et sapienter S. Augustinus in *Manuali* : « Perdit, ait, quod vivit, qui te Deum non diligit; qui curat vivere non propter te, Domine, nihil est, et pro nihilo est : qui tibi vivere recusat, mortuus est : qui tibi non sapit, desipit. » Et mox : « Anima quæ te non quærit nec diligit, mundum diligit, peccatis servit, et vitiis subjecta est, nunquam quieta, nunquam secura est. Famuletur tibi semper anima mea, suspiret tibi semper peregrinatio mea, ardeat in amore tuo cor meum, requiescat in te, Deus meus, anima mea; contempletur te in mentis excessu, cantet laudes tuas in jubilatione, et hoc sit in hoc exilio meo consolatio mea. » Significat ergo S. Petrus Christianos debere redimere tempus præteritum male impensum carni et veneri, ut a baptismo omnem deinceps vitam consecrent Christo, tantoque impensius studeant virtuti, quanto insolentius olim studuerunt voluptati, uti et monet S. Paulus *Rom.* VI, 19. Si enim redeant ad priores cupiditates, irritabunt Deum, graviusque ab eo punientur. Nam, ut ait S. Petrus *epist.* II, cap. II, vers. 21 : « Melius erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo quod illis traditum est sancto mandato. Contigit enim eis illud veri proverbii : Canis reversus ad suum vomitum, et sus lota in volutabro luti. »

Vers. 3. 3. SUFFICIT ENIM PRÆTERITUM TEMPUS (græca addunt βίου, id est *vitæ*) AD VOLUNTATEM GENTIUM CONSUMMANDAM, — hoc est, « voluntates, » id est desideria, Gentium « consummasse, » ut legit S. Augustinus, *hom.* 20 inter 50. Clare Pagninus et Tigurina : « Sat enim est nobis, quod anteactæ vitæ tempore voluntatem Gentium patraverimus, cum versaremur in lasciviis, concupiscentiis, vinolentiis. » Ex modestia, et, ut lenior sit increpatio, S. Petrus se Gentibus annumerat, cum ipse Gentilis non fuerit, multo minus gentiliter vixerit. Explicat τὸ *reliquum in carne, q. d.* Magnam et meliorem ætatis partem in gentilismo transegistis carni et vitiis : parva vitæ pars vobis superest; ejus ergo reliquum, quod modicum est, declinans et senescens, date Deo et virtuti. Ergo sat veneri ventrique datum, nunc vivite Christo. Sic Udo, Archiepiscopus Magdeburgensis, turpiter vivens, cœlitus monitus est hac voce : « Udo, Udo, cessa a ludo, lusum satis, Udo. » Sed quia finem ludendi non fecit, capite plexus est a S. Mauritio in publico urbis templo, ubi etiamnum cruoris ejus vestigia in marmore cernuntur, uti narrat Nauclerus, vol. III, generat. 43; Fulgosius, lib. IX, cap. XII, et alii. Sic ait Ezechiel, XLIV, 6 : « Sufficiant vobis, domus Israel, omnia scelera vestra; » et cap. XLV, vers. 9 : « Sufficiat vobis, principes Israel, iniquitatem et rapinas intermittite, et judicium et justitiam facite. » Hoc est quod fideles monet S. Paulus, *Rom.* XIII, 11 : « Hora est jam nos de somno surgere, etc., nox præcessit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis. Sicut in die honeste ambulemus : non in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione et æmulatione; sed induimini Dominum Jesum Christum, et carnis curam ne feceritis. » Vide ut S. Petro S. Paulus quasi chorda chordæ concordet et succinat.

IIIS QUI AMBULAVERUNT, — volutantes se de vitio in vitium : tres enim sunt gradus peccatorum, primus aggredi peccatum, secundus in illo ambulare et stare, tertius in illo sedere et conquiescere, illique se totum dedere et affigere, quos expressit Psaltes initio Psalmorum, dicens : « Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit. » Impii ergo ambulant de peccato in peccatum. Ex adverso de justis dicitur *Psalm.* LXXXIII, 8 : « Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion, » quod S. Furseus apud Bedam, lib. III *Histor.*, cap. XIX, audivit angelos sibi occinentes.

IN LUXURIIS. — Græcum ἀσελγία significat lasciviam, insolentiam, petulantiam, procacitatem, proterviam, tum in impudicis verbis, gestibus, tactibus; tum in dicteriis, irrisionibus, molestiis, quibus vexatur et molestatur proximus.

DESIDERIIS, — ἐπιθυμίαις, id est *concupiscentiis*. Impiorum enim cor iis æstuat, et instar clibani ardentis assidue ejaculatur scintillas, puta ardentia desideria nunc libidinis, nunc gulæ, nunc avaritiæ, nunc iræ, nunc vindictæ, etc. Nam, ut ait Seneca : Immensæ sunt hominum

cupiditates semperque hiant et poscunt. « Altera ex fine alterius nascitur : qualem dicimus esse seriem causarum, ex quibus nominatur fatum, talem dicimus esse cupiditatum. » Ita ipse *epist.* 19. Vere sapiens *Eccli.* XVIII, 30 : «Si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis. »

VINOLENTIIS. — Perperam aliqui legunt *violentiis* : græce enim est οἰνοφλυγίαις, id est, *temulentiis,* vinolentiis, crapulis, quales sunt ebriosorum, qui mero pleni non nisi vinum olent et eructant, adeoque in vino corpus, sensus, animam, mentem totosque se obruunt et sepeliunt, mortuis quam vivis similiores ; unde Syrus vertit, *in crapula et ebrietate et protervia et cantu.*

COMESSATIONIBUS. — De his dixi in Comment. *in Epist. S. Pauli, Rom.* XIII, 13.

POTATIONIBUS. — Hæc vox distinguitur a vinolentiis, quasi causa ab effectu : potatio enim causat vinolentiam. Rursum quasi genus a specie : potatio enim fit non tantum vino, sed et mulso, cerevisia aliisque potibus.

ET ILLICITIS IDOLORUM CULTIBUS. — « Illicitis, » id est abominandis et execrandis ; est miosis. Unde S. Augustinus, *hom.* 20 inter 50, legit *nefandis idolorum servitutibus.* Gentiles enim non tantum colebant Cererem quasi deam dantem fruges, et Bacchum quasi deum dantem vinum ; sed et aliis suis desideriis et cupidinibus quibusque præficiebant deos, quos invocabant ut res concupitas sibi concederent, sicut « Volupiam, quæ a voluptate appellata est, et Libentinam, cui nomen est a libidine, » ait S. Augustinus, lib. IV *De Civit.,* cap. VIII. Taceo deam Virginensem, Premam, Partundam, Venerem, Priapum et alios obsceniores, quos nominare pudor non sinit, adeo ut S. Augustinus eos referens, lib. VI, cap. IX, erubescat et perhorrescat.

Hinc patet hanc epistolam, licet primario scripta sit ad Judæos, secundario tamen scriptam quoque ad Gentiles ad Christum conversos : hi enim in gentilismo vacarunt idololatriæ, luxuriæ et gulæ : Judæi vero post reditum e Babylone amplius non coluerunt idola.

VERS. 4. 4. IN QUO ADMIRANTUR. — Ξενίζονται, id est *peregrinantur,* hoc est, peregrini sibi videntur, et quasi esse in alio mundo, videntes rem tam inopinatam, vitam scilicet vestram tam sanctam et admirandam, quam quasi rem peregrinam, novam et insolitam admirantur et obstupescunt : nimirum ingens miraculum est videre Gentilem factum Christianum subito mores in contrarium mutare, ut fiat novus homo, ex ebrio sobrius, ex incesto castus, ex superbo humilis, ex animali spiritualis. Ea ergo est vis legis Evangelicæ et gratiæ Christi, de qua Psaltes *Psalm.* XVIII, 8 : « Lex Domini, ait, immaculata convertens animas. » Et Isaias, cap. VIII, vers. 18 : « Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum et in portentum. » Unde Œcumenius : « Ipsi, ait, Gentiles demirantur vos, quod cum ipsis in similem impietatis ἀνάχυσιν, id est *refusionem,* hoc est confusionem, non concurratis. » Tum quia mirantur vestram mutationem, tum quia mirantur se a vobis desertos, tum quia mirantur vos concupiscentias vincere, quibus ipsi indulgentes seque mancipantes putant esse impossibile posse carere.

Nota : Pro *confusione* græce est ἀνάχυσιν, quod *primo* significat « refusionem, » qua scilicet interrogationi turpi vel actui, turpis responsio vel actus regeritur et refunditur ; *secundo,* « redundantiam. » Libido enim instar maris redundat et exæstuat in omnes obscenitates. Unde Syrus vertit, *ecce nunc admirantur, vosque maledictis proscindunt, eo quod libidine non pruritis cum eis in illa priore ingluvie. Tertio,* « mollitiem et lasciviam ; » *quarto,* « confusionem, » ut vertit Œcumenius, eamque duplicem, scilicet *primo,* pudorem et erubescentiam ; *secundo,* commixtionem qua viri vel feminæ turpiter, infande et subinde contra naturam inter se commiscentur : libido enim est portentosa et insatiabilis, unde novos semper turpitudinis modos excogitat.

BLASPHEMANTES. — *q. d.* Ita vestram mutationem admirantur, ut simul eam non laudent, sed blasphement, id est vituperent, rideant, execrentur, utpote suis moribus contrariam, ac tacitam eorumdem reprehensionem : vestris enim virtutibus reipsa taxatis et damnatis eorum vitia. Sic hodie videmus viros Religiosos ab improbis blasphemari, quia eorum virtutis et religionis splendor improborum quasi noctuarum oculos perstringit et pungit, cum videant sua vitia ab iis reipsa traduci et damnari. Quare qui id facit, ostendit se improbum, sæpeque deprehensum est occultam aliquam libidinem aut vitium talibus dominari, etiamsi illud celare, et externa morum honestate velare conentur. Vere S. Prosper, *epigrammat.* 32 :

Impia, *ait,* pars mundi parti est infesta piorum,
Nec tolerare potest dissimiles animos,
Ridens nolentes opibus præsentibus uti,
Sperantesque sibi credita posse dari.

VERS. 5. 5. QUI REDDENT RATIONEM EI QUI PARATUS EST JUDICARE VIVOS ET MORTUOS. — « Qui paratus est, » *primo,* idem est, quod qui destinatus est judex. *Secundo,* qui ex zelo justitiæ et vindictæ inhiat judicio, avideque diem judicii exspectat. *Tertio,* qui brevi et proxime judicaturus est, id est qui in promptu habet tum scientiam et testes, puta angelos, dæmones ipsamque hominis conscientiam, quibus reos convincat et damnet ; tum virtutem et potentiam, qua damnatos a se etiam reges et principes trudat in abyssum gehennæ, ut nemo ejus oculos, os et manus evadere possit.

Quocirca tunc sero agnoscent suum errorem dicentque attoniti : « Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum et in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus

insaniam, et finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter Sanctos sors illorum est. » De se vero ululantes plangent : « Ergo erravimus a via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis, et sol intelligentiæ non est ortus nobis. Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, et ambulavimus vias difficiles; viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra, et tanquam nuntius percurrens, et tanquam navis quæ pertransit fluctuantem aquam, cujus, cum pertransierit, non est vestigium invenire, » etc. *Sap.* v, 3 et seq.

Sapienter S. Augustinus, *Soliloq.* cap. XIV : « Cum hoc, ait, diligenter considero, Domine Deus meus terribilis et fortis, timore pariter et ingenti rubore confundor, quoniam nobis magna est indita necessitas juste recteque vivendi, qui cuncta facimus ante oculos Judicis cuncta cernentis. »

Vers. 6. 6. PROPTER HOC ENIM ET MORTUIS EVANGELIZATUM EST : UT JUDICENTUR QUIDEM SECUNDUM HOMINES IN CARNE, VIVANT AUTEM SECUNDUM DEUM IN SPIRITU. — Probat Christum judicaturum vivos et mortuos, ex eo quod descendens ad inferos judicarit mortuos carne, sed vivos spiritu. Plane enim alludit ad id quod de eisdem dixit cap. præced., vers. 18 : « Christus enim pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu : in quo et his qui in carcere erant spiritibus, veniens prædicavit; » solet enim S. Petrus idem repetere et inculcare. Unde toties repetit et inculcat passionem Christi, patientiam, amorem fraternitatis aliasque virtutes Christianas. Hoc enim est officium boni Pastoris, doctoris et prædicatoris : nec enim auditores ea quæ dicuntur illico capiunt, aut faciunt, sed identidem eadem illis repeti et imprimi debent : qua de causa S. Chrysostomus, in homiliis ad populum, sæpe et pene ad nauseam insectatur jurandi consuetudinem, quæ tunc Antiochiæ vigebat, ac palam profitetur se non destiturum ab hac iteratione et increpatione, donec auditores eam correxerint. Jam varii varie hunc locum explicant.

Christus prædicavit mortuis, quomodo?

Expositio prima. *Primo* Pererius, lib. IX *in Genes.*, disp. XXX, num. 91, et Salmeron hic per « mortuos » accipiunt morituros, *q. d.* Hominibus morituris dum in hac vita vivunt, serio et vere prædicatur futurum judicium post mortem : ergo mortui vere judicandi sunt a Christo.

Secunda. *Secundo*, Arias « mortuos » accipit mystice, nimirum mortuos peccato, *q. d.* Iis qui in Christo mortui sunt mundo et peccatis, hoc Evangelium, id est lætum nuntium allatum est, quod licet secundum hominem et carnem, id est quoad externam speciem, reliquis hominibus similes esse judicentur, vivant tamen secundum Deum in spiritu, id est spiritu, mente et vita Christum Dei Filium ejusque gloriam referant et repræsentent. Sic fere et Dionysius explicat, *q. d.* Mortui in Christo judicantur et damnantur ab hominibus hujus sæculi, vivunt tamen coram Deo in spiritu, utpote Dei gratia et charitate prædíti. Huc accedit Alcazar in *Apoc.* XXI, 20, annot. 18, qui mortuos intelligit peccato et amori proprio, *q. d.* Christus judicaturus est vivos et mortuos mystice. Sic enim ab Apostolis evangelizatum est mortuis, id est fidelibus, qui peccato et mundo mortui sunt, idque ad hoc ut patienter ferant se carne judicari, id est damnari, cruciari et occidi propter Christum, scientes in Dei tribunali sibi adjudicandam causam; seque donandos præmio vitæ spiritalis, gloriosæ et æternæ, ut scilicet apud Deum vivant spiritu immortali, lætissimo et beatissimo.

Tertia. *Tertio*, alii, *q. d.* Mortui in Christo judicant, id est damnant scelera quæ fere in ipsa hominis carne resident, ideoque se Deo spiritu excolendos et vivificandos subjiciunt. Verum hi omnes τὸ *mortuis* non proprie ad litteram, sed mystice et spiritualiter accipiunt, cum proprie ut sonat videatur accipiendum. Sic enim immediate ante accipit S. Petrus, cum dicit Christum judicaturum vivos et mortuos, idque hic probare contendit.

Quarta. *Quarto* ergo Œcumenius proprie « mortuos » accipiens sic explicat, *q. d.* Christus descendens ad inferos judicavit, id est damnavit mortuos ibi degentes, eos scilicet, qui dum in vivis agerent, more hominum carnalium turpiter in carne vixerant : vivificavit vero et salvavit eos, qui secundum Deum in spiritu, id est pie et spiritualiter vitam traduxerant. Verum hic duos ponit ordines, unum salvandorum, alium damnandorum, ac consequenter alios facit judicatos a vivificatis, cum S. Petrus videatur facere eosdem. Hoc enim significant illæ particulæ *quidem* et *autem*, quæ sibi invicem in eadem re et in eodem subjecto opponi solent.

Quinta. *Quinto*, alii explicant, *q. d.* Christus descendens ad patres mortuos in limbo detentos, eis evangelizavit et nuntiavit quod judicentur, græce κριθῶσι, in futuro, id est judicandi sint quidem in die judicii, « secundum homines, » id est quatenus homines jam redivivi rursum existent « in carne : » in ea enim resurrecturi sunt et ituri ad judicium; sed pariter eis nuntiavit quod adjudicandi cœlo vivificandi sint « spiritu » gratiæ et gloriæ sempiternæ. Verum hæc expositio non satis explicat antithesim, quæ est in *judicari carne*, et *vivificari spiritu*; rursum, inter *secundum homines* et *secundum Deum*; sed homines Deo, carnem spiritui, et judicium vivificationi substernit et subordinat.

Sexta. *Sexto*, alii : Probat, inquiunt, S. Petrus Christum venturum ut judicet non tantum vivos, sed et mortuos, ex eo quod, ut dixit cap. præced., vers. 19, Christus descenderit ad inferos, ut iis qui olim mortui eo descenderant, evangelizaret et prædicaret, ad hoc non ut mortuos in peccato converteret, sed ut quasi judex eos judicaret,

non solum percellendo et condemnando dæmones et reprobos jam in gehennam damnatos, sed etiam judicando justos olim incredulos Noe minitanti diluvium, postea vero credentes et pœnitentes : hos enim judicavit, hancque in eos sententiam protulit, dicendo : Ego vos ob incredulitatem et peccata damnavi « secundum hominem,» id est, exterius « carne, » ut scilicet exterior vester homo, puta corpus et caro moreretur et mergeretur diluvio; vel « secundum homines, » id est, ut more hominum, qui corpus possunt interficere, non animam, puniamini et moriamini in carne; sed quia ante mortem pœnituistis, idcirco secundum Deum, id est, interius et secreto coram Deo animam vestram adjudico vitæ, ut scilicet per eam mortem et redemptionem vivatis mecum spiritu, ideoque communico spiritui vestro visionem meæ divinitatis, eaque vos beo et glorifico, faciamque pariter ut tertio die mecum is resurgat in corpore ad vitam plenam, gloriosam et æternam. Ita Suarez, III *part.*, tom. II, disp. XLIII, sect. 3, et Gregorius de Valentia, III *part.* II, *Quæst.* IV, puncto 2.

Dices : Pro *judicentur* et *vivant* græce sunt futura κριθῶσι et ζῶσι. Ergo hoc judicium adhuc futurum est, illud vero Christi jam dictum peractum est cum ipse descendit ad inferos. Ergo de eo non loquitur hic S. Petrus. Respondeo *primo* : Hæc futura non referuntur ad tempus præsens nobis, sed Christo, puta ad tempus Christi descendentis ad inferos : tunc enim erat adhuc futurum, non factum, *q. d.* Christus descendit ad inferos evangelizatum mortuis, ad hoc ut eos judicaret carne, et vivificaret spiritu : necdum enim erant ab eo judicati et vivificati, sed adhuc judicandi et vivificandi.

Secundo, Christus tunc inchoavit judicium, consummabit vero illud in fine mundi. Tunc ergo peraget plenum et universale judicium, quod sane adhuc futurum est : tunc enim judicium illud in limbo secreto peractum celebrabit coram toto mundo, sententiamque suam confirmabit et publicabit, ut duret per omnem æternitatem, *q. d.* Christus descendit ad inferos ut mortuos patres judicet carne, et vivificet spiritu, illudque in hoc descensu fecit inchoate, plene vero et perfecte idipsum faciet in die judicii.

Tertio, Christus judicavit mortuos in limbo carne, id est, punivit eos in futurum, quia eis hanc pœnitentiam exterius irrogavit, ut publicam apud homines subirent notam et ignominiam, ut scilicet homines non tantum præteriti, sed et futuri judicent, æstimentque eos quoad carnem diluvio mersos et suffocatos juste ob eorum incredulitatem et peccata, imo judicent eos quoad animam damnatos, esto secreto coram Deo vivificati sint spiritu. Sic enim etiamnum viri docti, uti dixi cap. præced., vers. 19 et 20, censent omnes diluvio mersos fuisse damnatos. Christus ergo suo judicio hanc eis notam apud homines irrogavit, voluitque ut hoc hominum judicium paterentur ob suam culpam, quia scilicet sua incredulitate et peccatis, ejusque justa punitione et morte qua mersi sunt diluvio, hominibus justam hoc suspicandi occasionem dederunt; verum quia S. Petrus ait : « Ut judicentur secundum homines, » non « hominem, » hinc videtur potius loqui de judicio hominum, quam de judicio Christi, alioquin dixisset ut judicet eos Christus, vel ut judicentur a Christo. Potius ergo videtur loqui de mortuis, qui in pietate et carnis mortificatione judicantur ab hominibus carnalibus egisse vitam miseram, superstitiosam et stultam, non autem de mortuis in peccato, et mersis in diluvio. Unde ait his evangelizatum, id est, lætum nuntium de mercede et præmio vitæ beatæ allatum fuisse. Refellitur.

Quare *septimo,* hic videtur genuinus totius hujus loci esse contextus et sensus: ne quis miretur id quod dixit S. Petrus Christum judicaturum mortuos, idipsum probat, dicens : « Propter hoc enim et mortuis evangelizatum est. » Loquitur enim contra Gentiles et Epicureos viventes in luxuriis, vinolentiis, comessationibus, dicentes : Septima, genuina.

Ede, bibe, lude : post mortem nulla voluptas,

quasi omnis felicitas in iis et in hac vita consistat; censebant enim animam interire cum corpore, ac proinde stultum esse voluptatibus hujus vitæ abstinere et carnem mortificare spe futuræ vitæ, utpote quæ nulla sit, ac proinde nullum in ea de gestis præsentis vitæ sit exspectandum judicium, nulla merces et retributio : mortuos enim nihil sentire, nihil scire, nihil pati, imo plane non esse. Evertit hoc S. Petrus docens Christum judicaturum tam mortuos, quam vivos, eisque pro meritis præmia redditurum; mortuos ergo vivere quoad animam, ac proinde Christianos debere pristinis cupiditatibus renuntiare, vitiis carnis abstinere, ac Christo passo et crucifixo se conformare, crucifigendo carnis appetitus : « Ut jam, inquit vers. 2, non desideriis hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne vivat temporis, » ut nimirum in altera vita cum Christo resurgatis ad gloriam. Probat hæc omnia ex eo quod Christus, ut ostenderet se judicaturum mortuos æque ac vivos, descenderit ad mortuos patres in limbo degentes, qui in hac vita vixerunt pie, caste, sancte secundum spiritum, non secundum carnem, iisque evangelizarit, id est, attulerit lætum nuntium beatitudinis, nimirum adjudicando eos cœlo et vitæ beatæ, eamque quasi judex reipsa illis largiendo, ita ut licet illi judicentur et æstimentur « secundum homines, » id est ab hominibus mundanis, esse mortui (τὸ enim *mortui* hic repetendum esse patet ex antithesi quæ sequitur : « Vivant autem, » etc.), id est plane interiisse « in carne, » ideoque fuisse miseri et superstitiosi vel fatui, quod, dum viverent, carnis voluptates spreverint, eamque cum vitiis et con-

cupiscentiis mortificarint et crucifixerint, ut sese assimilarent Christo postea passo et crucifixo, iidem tamen « vivant secundum Deum, » id est, coram Deo, et dono Dei in spiritu gratiæ et gloriæ cœlestis. Τὸ enim *ut licet judicentur secundum homines* respicit id quod dixit vers. 4 : « In quo admirantur non concurrentibus vobis in eamdem luxuriæ confusionem, blasphemantes. » Nam, ut ait S. Paulus, I *Cor.* XV, 19 : « Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. »

Tales mortui fuere Prophetæ, Machabæi et similes, quos recenset Apostolus, *Hebr.* XI, qui austeram vitam egerunt in carnis mortificatione, et in spiritu puro sanctoque serviverunt Deo, pro eoque dura, adeoque mortem ipsam passi sunt. Tales quoque fuere multi mersi diluvio, qui prius increduli Noe illud minitanti, uti dixit cap. præcedent., vers. 20 (eo enim alludit), vacabant luxuriis, potationibus, comessationibus; postea tamen territi constantia minarum Noe et fabricationis arcæ pœnituerunt, seque dederunt abstinentiæ, continentiæ et pœnitentiæ. Hos enim homines carnales judicabant plane mortuos, et carne mersos in diluvio, cum tamen per Christum vivant spiritu. Horum enim exemplum Christianis proponit ut eos imitentur, ac pristinas carnis illecebras abdicent, spirituque gratiæ vivant, ut mox cum Christo resuscitari, felicitate donari, et spiritu gloriæ æternæ vivere et beari mereantur. Hic enim versus pendet a vers. 1 et seq.

Porro ex horum piorum gloria et præmio colligendas relinquit S. Petrus impiorum pœnas et supplicia quæ scilicet tormenta eos maneant, qui carnis voluptatibus indulgentes, totos se tradiderunt luxuriæ et crapulæ, ut hos devitent fideles, et pios in mortificatione carnis viventes et mortuos sequantur. Unde et subdit : « Omnium autem finis appropinquavit. »

Nota *primo*, τὸ *secundum homines* idem est quod ab hominibus, qui humana, id est exteriora et sensibilia æstimant, qui tantum judicant, amant et sectantur ea quæ vident, sentiunt et sapiunt « in carne, » et carnalibus voluptatibus, ac proinde judicant eos qui in carne vixerunt et vivunt abstinentes et continentes, esse miseros, superstitiosos et fatuos.

Huic opponitur τὸ *secundum Deum*, id est, apud Deum, coram Deo, a Deo, dono et præmio Dei, qui est Dominus spirituum, piam mentem inspicit, eamque judicat secreto, interius et invisibiliter conferendo ei vitam spiritus, puta vitam spiritalem, cœlestem, angelicam, beatam et divinam.

Nota *secundo*, alludit S. Petrus ad Christum, quem cap. præced., vers. 18, dixit passum pro nobis, «ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu, » *q. d.* Sicut Christus pro nostris patrumque culpis hoc judicium subiit, ut moreretur carne, sed tertio die resurgens vivificaretur spiritu : ita pariter idem judicium patribus qui secundum spiritum, non secundum carnem vixerunt, irrogavit, hanc in eos sententiam pronuntians : Quia carnis concupiscentias mortificastis, dono vos vita spiritus; et licet ab hominibus carnalibus judicemini plane esse mortui, ideoque vixisse misere in carne, tamen apud Deum vivatis felices in spiritu, nimirum immortales, beati et gloriosi in anima, ac suo tempore cum Christo vobiscum passo et crucifixo resurgatis in corpore immortali, beato et glorioso. Hoc significat τὸ *propter hoc et mortuis evangelizatum est*, fuit enim hoc judicium Christi evangelium, id est, lætissimum nuntium, quod patribus toties et tamdiu carne mortificatis attulit de sua morte et redemptione jam peracta, ideoque eorum liberatione, felicitate et gloria.

Unde tropologice hoc judicium Christi et patrum necesse est ut subeat quilibet Christianus, nimirum ut judicetur et mortificetur carne tum ab aliis, tum a seipso, indeque vivificetur spiritu tum per gratiam, tum per gloriam. Huc referri potest expositio moralis potius quam litteralis S. Augustini, *epist.* 99, qui per mortuos accipiens non inferos, sed infideles et iniquos, sic explicat : « Propterea, inquit, in hac vita et mortuis evangelizatum est, id est, infidelibus et iniquis, ut cum crediderint, judicentur quidem secundum homines in carne, hoc est in diversis tribulationibus, et in ipsa morte carnis : unde idem Apostolus alio in loco dicit, tempus esse ut judicium incipiat a domo Domini; vivant autem secundum spiritum, quia et in ipso fuerant mortificati, cum morte infidelitatis et impietatis detinerentur. » Et ita Œcumenius : « Dicunt, ait, eos qui ita Christo mortui sunt, ut morti Christi conformentur, et mundo, id est, mundanis concupiscentiis mortui sunt, et soli Christo vivunt, ob anteactam ignave ac negligenter vitam seipsos in carne condemnare, atque id nihil aliud esse quam spiritu, id est, ex Christi institutione, vitam traducere : quippe cum priorum vitæ actionum damnatio alacriores ac promptiores ad ea quæ præ manibus habent exercenda, ipsos efficiat. » Sic et Hugo, Vatablus et alii (1). Tropologice.

7. OMNIUM AUTEM FINIS APPROPINQUAVIT. — Τὸ *autem* non respicit proxime præcedentia de judicio mortuorum, sed id quod superius dixit de abstinendo a luxuriis, comessationibus et pristinis vitiis : hujus enim abstinentiæ causam reddit, quod voluptatum æque ac rerum omnium finis appropinquet; proprie vero respicit τὸ *paratus est judicare*, *q. d.* Instat nobis Christus judex, quia instat finis omnium : ergo par est sobrie et caste Vers. 7.

(1) Rosenmullero οἱ νεκροὶ sunt, qui per injustos judices propter religionis professionem e vita erant sublati, ut totius commatis sensus sit : Quapropter etiam illis qui hodierno tempore mortem pertulerunt, læta fuit annuntiatio facta, futurum ut, quamvis mortem perpessi fuerint humanitus, reviviscant tamen per omnipotentiam divinam.

vivere, ac Christo passo conformari, ut coram eo judice securi et læti comparere, et vitæ sanctæ transactæ rationem reddere possimus. Hoc est quod monet Christus, *Lucæ* XXI, 34 : « Attendite ne graventur corda vestra in crapula, et ebrietate, et curis hujus vitæ, et superveniat in vos repentina dies illa. »

Porro, « finis » hic *primo* accipi potest vitæ, *q. d.* Brevis est vita nostra, jamque multi 30, 40, 50 ejus annos vixerunt : parum ergo eis restat : imminet ergo vitæ finis, mors et judicium particulare.

Secundo, et potius, « finis » hic intelligitur mundi et sæculi : hoc enim innuit τὸ *omnium*, *q. d.* Mundus jam stetit per quatuor annorum millia, vergitque ad senium et occasum : mundus sex vitæ suæ ætates transegit, agit jam septimam et ultimam; ergo ejus finis appropinquat. *Prima* enim mundi ætas fuit ab Adam ad Noe et diluvium. *Secunda*, a Noe ad Abraham. *Tertia*, ab Abraham ad Mosen. *Quarta*, a Mose ad Davidem. *Quinta*, a Davide ad captivitatem Babylonicam. *Sexta*, a captivitate Babylonica ad Christum. *Septima* jam agitur a Christo usque ad finem mundi. Hinc S. Joannes *epist.* I, cap. I, vers. 18, ait : « Filioli, novissima hora est; » et S. Paulus, I *Corinth.* X, 11 : « Hæc, inquit, scripta sunt ad correctionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt. » Hinc ait in præterito « appropinquavit, » quia major sæculorum pars et numerus jam præteriit (1).

Mystice Œcumenius : « Finis, inquit, omnium, » scilicet Prophetarum, « est Christus, *q. d.* Quoniam omnium perfectio, qui est Christus, accessit, vos quoque debetis huic conformari, in omnibus absolutos ac perfectos vos reddere in temperantia, in sobrietate orationum. »

ESTOTE ITAQUE PRUDENTES, ET VIGILATE IN ORATIONIBUS. — Τὸ *itaque* significat hæc educi et concludi ex jam dictis, *q. d.* Quia finis omnium appropinquat, par est, ut ad eum vos comparetis, prudenter in omnibus agendo et vigilando in orationibus, juxta illud vulgo tritum :

Quidquid agas, prudenter agas, et respice finem.

Alludit, imo refricat illud Christi : « Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit; » et *Matth.* XXV, 13 : « Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam; » et cap. XXVI, vers. 41 : « Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem. »

Pro *estote prudentes* græce est σωφρονίσατε, quod Œcumenius, Pagninus, Vatablus, Isidorus, Gagneius et alii vertunt, *sobrii estote* : « quippe, ait Œcumenius, cum sobriorum sit oratio et precum effusio, id est, vigilantium, et non eorum qui mundanarum rerum ebrietate sopiti opprimuntur. » Hinc sobrietas dicitur σωφροσύνη, eo quod σώζει τὴν φρόνησιν, id est, servet prudentiam et mentis sanitatem. Syrus vertit, *estote casti* : sobrietatis enim comes et filia est castitas. Noster generalius et planius vertit, *prudentes estote*. Prudentia enim omnium virtutum est dux et auriga, ut aiebat S. Antonius, quæ singulas hominis actiones ordinat et moderatur, itaque hominem componit et disponit, ut secure finem omnium exspectet, et fidenter coram tribunali Christi rationem vitæ suæ redditurus se sistat. Prudentia quid?

Nota, quoad etymon « prudens dicitur quasi porro videns, ait Isidorus, lib. XX *Etymol.*, XV. Perspicax enim est, et incertorum casus videt. » Prudentia ergo dicitur quasi porro videntia, vel providentia. Definitio ejus hæc traditur a S. Augustino, lib. I *De Lib. arbit.*, cap. XIII : « Prudentia est rerum appetendarum et fugiendarum scientia. » Ab Aristotele, lib. VI *Ethic.*, V : « Prudentia est recta ratio agendorum. » Ab aliis plane et plene sic definitur : « Prudentia est virtus intellectus, qua in quovis negotio occurrente novimus quid honestum sit, quid turpe; quid faciendum, quid fugiendum. » Partes integrantes prudentiæ a nonnullis traduntur sex. *Prima* est « providentia, » quæ est consideratio futurorum eventuum, qui possunt sequi ex opere. *Secunda* est « ratio, » puta promptitudo ratiocinandi et colligendi unum ex alio. *Tertia* est « docilitas, » sive promptitudo ad discendum. *Quarta* est « solertia, » sive sagacitas, quæ est medii inventio tempore brevissimo, ait Aristoteles. *Quinta* est « circumspectio, » puta consideratio circumstantiarum ne qua desit in opere. *Sexta* est « cautio, » puta cura ut vitentur pericula et incommoda operi conjuncta. Officia et actus prudentiæ præcipui sunt quatuor : « Concilium, » ex bona deliberatione; « judicium, » ut melior res et medium aptius ad finem eligatur; « constantia, » in retinendo eo quod recte judicatum est; « diligentia, » in exequendo. Hisce totidem vitia et actus imprudentiæ opponuntur, nimirum « præcipitatio, » quæ militat contra consilium; « inconsideratio, » contra judicium; « inconstantia, » contra constantiam et judicii firmitatem; « negligentia, » contra diligentiam et vigilantiam rationis in exequendo. Prudentia ergo est mensura et regula virtutum omnium quæ sunt in voluntate, a qua ratio honesti et virtutis in singulas derivatur et descendit. Illud enim est opus virtutis, quod conforme est judicio et dictamini prudentiæ. Prudentiæ enim officium est præscribere modum virtutibus, quidnam scilicet in singulis functionibus sit rationi commensum, non exorbitans per excessum vel defectum. Quocirca perfecta prudentia tantum est in viris probis, qui affectus habent domitos : in aliis enim affectus sæpe mutant et pervertunt judicium rationis et prudentiæ, ait D. Thomas, II II, *Quæst.* XLIX. De- Prudens quasi porro videns.

(1) Alii interpretantur finem reipublicæ Judæorum, vel *exitum* et *eventum* vaticiniorum prophetarum, Christi et Apostolorum de excidio gentis Judaicæ, ut τέλος sit *eventus*, πάντα autem sint omnia prophetarum et Christi vaticinia.

nique prudentia circa particularia versatur, ut singula fiant convenienti loco, tempore et modo.

Laus prudentiæ. Moraliter disce hic primam et principem virtutum omnium esse prudentiam. Præclare Nazianzenus in Iambico *De Fortuna et Prudentia* : « Malim, inquit, prudentiæ guttam, quam integrum secundioris fortunæ pelagus. » S. Basilius in *Constit. Monast.*, cap. XV : « In omni, ait, quæ suscipitur actione, antecedere prudentia debet. Nam prudentia remota, nihil cujusvis generis est, quod licet bonum videatur, non in vitium recedat, si aut alieno tempore, aut non adhibita moderatione fiat. » Idem orat. 21 *De Felicitate et Prudentia* : « Vera, inquit, prudentia nihil aliud est quam rerum faciendarum omittendarumque cognitio, quam qui sequitur, nullo tempore a virtutis operibus deflectet, nec unquam pravitatis spiculo configetur. » S. Augustinus, concione 1 in *Psalm.* XXXVII : « Prudens, ait, dictus est porro videns : si prudens, porro videns, ergo fide videt. » Idem, in epist. *ad Rom.*, propos. 49 : « Prudentia est spiritus, quando neque in bonis temporalibus spes nostra est, neque in malis timor. » Idem, lib. VI *Musicæ* : « Prudentia est affectio animæ vel motus qui intelligit æterna superiora esse, et inferiora esse temporalia, » ideoque illa præ his appetenda.

Idem sensere Gentiles, qui hæc prudentiæ partim dant elogia, partim præcepta. Socrates rogatus, « quid esset prudentia : Animæ, inquit, concinnitas. » Ita Stobæus, serm. *De Prudentia*. Idem : « Ut navis vacua, inquit, instrumentis convenientibus, sic vita prudentiæ affectibus instruenda est et munienda. Nec equo sine fræno, nec divitiis sine prudentia tuto quis uti poterit. » Idem discipulos docebat tria : *primo*, « ut in animo haberent prudentiam; » *secundo*, « in lingua silentium; » *tertio*, « in vultu verecundiam. » Ita Maximus, *serm.* 41. Philo, lib. I *Alleg.* : « Quod, inquit, inter metalla est aurum, hoc inter virtutes est prudentia. » Plutarchus : « Ut Cyclops exoculatus, ait, quoquoversus manus porrigat, nullo certo innititur scopo : ita magnus Rex cui desit prudentia, quidquid aggreditur ingenti rerum tumultu, sed nullo judicio. »

Prudentiæ præcepta. Primum. Prudentiæ præcepta hæc assignat. *Primum* est Biantis apud Laertium : « Considera; et postea rem aggredere. »

Item : « Aggredere tardus agenda, aggressus age constans. »

Secundum. *Secundum* est Periandri apud Laertium : « Ea facito quorum te non pœniteat. » Idem rogatus quid in minimo esset maximum? respondit : « Prudentes cogitationes animæ in corpore humano. »

Tertium. *Tertium* : « Prudentia perfecta nihil in rebus humanis admiratur. » Ita Democritus apud Stobæum; *serm.* 3.

Quartum. *Quartum* : « Prudentia virtutibus omnibus utitur, atque earum modum, ordinem et occasionem quasi oculus quidam mentis undequaque lucidissimus ostendit, ideoque prudentia sui possessores efficit Deo similes. » Ita Jamblicus apud Stobæum, » serm. *De Prudentia*.

Quintum. *Quintum* : « Prudens vir ad vitam quasi ad viam quamdam, non pretiosius viaticum, sed quod magis necessarium est comparat. » Ita Criton, ibid.

Sextum. *Sextum* : « Prudentiæ sunt tria munia : primo, præteritorum meminisse; secundo, agere præsentia; tertio, futura cavere. » Ita Isocrates apud Stobæum, *serm.* 1.

Septimum. *Septimum* : « In prælio soli cordati milites sunt causa victoriæ. » ita Agesilaus apud Plutarchum in *Lacon.*; unde de Scipione juniore dixit Cato illud Homeri de Tiresia, *Odyss.* II :

Ille sapit solus, volitant alii velut umbræ.

Ita Plutarchus in *Apophth.*

Celebre est illud Euripidis : « Unum consilium rectum magnam militum manum vincit. » In bello ergo æque ac cæteris rebus plus valet prudentia, quam arma et vires.

Octavum. *Octavum* : « Sicut exercitum ducit Imperator, gubernator navigia, mundum Deus, animam ipsa mens; sic ipsam felicitatem præsentis vitæ temperat regitque prudentia. » Ita Architas apud Stobæum, serm. 11 *De Virtute*, quæ est in ordine prima.

Nonum. *Nonum* : « Prudentia te docet ut in cunctis semper idem sis, tam in prosperis, quam in adversis, sicut manus eadem est sive in palmum extendatur, sive in pugnum contrahatur. » Ita S. Auctor serm. *ad Fratres in eremo*, serm. *De Prudentia*, tom. X S. Augustini.

Decimum. *Decimum* : « Uti cicatrix admonet cavendum esse vulnus, ita memoria præteritorum malorum reddit cautiores. » Ita Plutarchus.

Undecimum. *Undecimum* : Fibri « Pontici genitalia sibi amputant in venatu, quod ob hæc se peti intelligant : ita prudentis est rem abjicere ob quam periclitatur. » Ita Plutarchus. Sic Christus jubet erui oculum, manum, pedem, si ea ipsi sunt scandalo et ruinæ, *Matth.* XVIII, 8. Prudentia ergo docet postponere bona famæ, famam vitæ, vitam conscientiæ :

Omnia si perdes, famam servare memento.

Duodecimum. *Duodecimum* : « Eum ausculta cui quatuor sunt aures, » hoc est, audi eum qui diuturno complurium rerum usu præ cæteris sapit, uti fere sunt senes, qui res privatas et publicas diu tractarunt.

Decimum tertium. *Decimum tertium* : « In bellicis difficultatibus providendum est ut potius in nocendo aliquid omittatur, quam cum aliquo detrimento militum noceatur. » Ita Cæsar, lib. VI *De Bello Gallico*.

Decimum quartum. *Decimum quartum* : « Loco sapientiæ est alienam stultitiam aperiri, et quiete intueri hostem imprudentia ruentem. » Ita Tacitus, lib. II *Histor.*

Decimum *Decimum quintum* : « Prudentium et Deum colentium est, pullulantis belli causas, præsertim

quintum. cum amicis, protinus incidere; imprudentium vero et Deum sibi iratum quærentium est, tumultus occasionem excitare.» Ita Procopius, lib. II *Belli Persici*.

Decimum sextum. *Decimum sextum* : « Prudentium est, amicis inimicitias condonare; stultorum et barbarorum est, amicos cum inimicis tollere.» Ita Dionysius Halicarnassius, lib. V. Idem, lib. XI : « Prudentes, ait, publica commoda privatis simultatibus potiora ducunt.»

Decimum septimum. *Decimum septimum* : « Ex malis minimum elige, ex bonis maximum. Quæ divinitus accidunt, necessario; quæ ab hostibus, fortiter ferto.» Ita Thucydides, lib. II. « Ne temere cuilibet credas, nec propter rerum successum insolescas : sed cuncta exspecta quæ hominibus accidere possunt.» Ita Polybius, lib. VIII.

Decimum octavum. *Decimum octavum* : « Nemo bonus vir imperii cupiditate tenetur, sibive gravium negotiorum curam exoptat; et in hujusmodi re expedit munus impositum considerate subire, ut tuto idipsum liceat exequi.» Ita Dionysius, lib. XXXVI. Ergo vita privata est vita beata.

Decimum nonum. *Decimum nonum* : « Prævenienda sunt hostium consilia, antequam cum damno crescant.» Ita Dionysius, lib. XXXVIII.

Vigesimum. *Vigesimum* : « Qui suæ incolumitatis curam gerit, duo observet : unum, ut negotio præfectus difficultatem ejus a se removeat; alterum, ut rei bene gestæ nomen servet.» Ita idem, lib. XLIX.

Vigesimum primum. *Vigesimum primum* : « Priusquam incipias, consulta; et ubi consulueris mature, facto opus est.» Ita Sallustius in *Catilina*.

Vigesimum secundum. *Vigesimum secundum* : « Præsentibus bonis uti præstat, quam fugientia quærere.» Ita Procopius, lib. I *Belli Persici*. Sic secura periculosis, certa dubiis, perpetua temporariis, multa paucis, facilia difficilibus, publica privatis, divina humanis, cœlestia terrenis anteponenda sunt : hæc enim dictat prudentia.

Vigesimum tertium. *Vigesimum tertium* : « Plurimum juvat in rebus obeundis temporis uti opportunitate.» Ita Procopius, lib. I *Belli Wandal*.

Vigesimum quartum. *Vigesimum quartum* : « Insignis est prudentia quod non facere non possis, id facere ut libenter fecisse videaris.» Ita Pachym., lib. IX.

Vigesimum quintum. *Vigesimum quintum* : « Super arduis rebus diu multumque et graviter deliberandum, ut quod honestissimum est et æquissimum amplectamur, sed imprimis interpellandus est Deus, ut quod optimum est nobis suggerat.» Ita Cominæus, lib. II.

Vigesimum sextum. *Vigesimum sextum* : « Satius est sua tueri, quam aliena cum periculo appetere.»

Rursum : Prudentis est sua non ostentare, consilia celare, rumoribus non terreri, in alieno malo fugienda intueri, juxta illud :

Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

Vigesimum septimum : « Accommodes te tempori, nec te in aliquibus mutes, sed potius aptes,» ait Seneca, *De Quatuor Virtut.* mum septimum.

Vigesimum octavum : Aristoteles ad Alexandrum : « Annales, ait, patrum discute, inde poteris bona exempla extrahere, quia acta præterita dant certum documentum de futuris. Vigesimum octavum.

Vigesimum nonum : « In prudentia duo vitia vitanda sunt : unum, ne incognita pro cognitis habeamus, hisque temere assentiamus; alterum, ne nimis magnum studium, multamque operam in res obscuras atque difficiles, easdemque non necessarias conferamus.» Ita Cicero, lib. I *Offic.* Vigesimum nonum.

Trigesimum : « Prudentia est virtus intelligentiæ et rationis, per quam in consulendo delectus haberi potest bonorum et malorum, quæ pertinent ad felicitatem,» ait Aristoteles, lib. I *Rhet.*, IX. Trigesimum.

Trigesimum primum : « Prudentiæ est futuram injuriam præcavere : indolentiæ vero quod factum est non ulcisci,» ait Democritus. Trigesimum primum.

Denique septem Græciæ Sapientum hæ fuere gnomæ et præcepta sapientiæ. Bias inquit : « Veritas odium parit.» Chilon : « Nosce teipsum.» Cleobulus : « Ne quid nimis.» Thales : « Sponde, noxa præsto est.» Pittacus : « Occasione utere.» Periander : « Moderare iram.» Solon : « Nemo ante mortem beatus.» Gnomæ septem Sapientum.

VIGILATE IN ORATIONIBUS. — Νήψατε significat *primo*, « sobrii estote; » *secundo*, « vigilate; » tam enim vigilia quam sobrietas requiritur ad orationem. Meminerat S. Petrus sui lapsus ex eo quod, Christo orante in horto, ac monente : « Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem,» ipse somno et mœrore victus dormitasset, nec orasset : unde contigit eum in tentatione negare Christum; suo ergo malo doctus monet alios, ut hunc scopulum in quem ipse impegerat, caveant, ac tam noctu quam diu in oratione sint assidui, acres et vigiles. Nimirum, « vita mortalium, præsertim fidelium, est vigilia,» tum quia ipsi hostibus undique cinguntur, contra quos jugiter excubare oportet; tum quia diem Domini certo exspectant, et nesciunt quando is venturus sit. Unde S. Hilarius in cap. XXIV *S. Matth.* : « Paratos, inquit, nos esse convenit, quia diei ignoratio intentam sollicitudinem suspensæ exspectationis exagitat.» Et S. Ambrosius, lib. V *De Fide*, cap. VIII, hanc vigiliæ causam assignat : « Ut dum certa, inquit, futuri judicii momenta nescimus, semper tanquam in excubiis constituti, et in quadam virtutis specula collocati, peccandi consuetudinem declinemus, ne nos inter vitia dies Domini deprehendat.» Plura de vigilia ejusque causis, vide apud S. Chrysostomum, hom. 62 *ad Popul.*, et S. Augustinum in illud *Psalm.* LXII : *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo.* Vita mortalium vigilia

Porro S. Petrus vult nos vigilare, id est, assiduos, acres et alacres esse in orationibus, tum quia orationes sunt arma efficacissima contra omnes tentationes et hostes; tum quia orando præparare nos convenit ad diem Domini, ut scili-

eet eum assidue cogitando, amando, laudando, invocando exspectemus. Unde S. Basilius, hom. *in S. Julittam*: « Accumbens mensæ, ait, ora : edens panem, largitori gratias rependito. Tunicam indueris? gratias age benigno datori. Amiciris pallio? fac in te augescat interior erga Deum charitas, qui integumenta largitus est. » Et sane si cuilibet beneficium aliquod, licet exiguum, in nos conferenti illico gratias agimus, multo magis Deo identidem et singulis horis nova dona tum corpori, tum animæ nostræ largienti, crebro et quasi continue gratias agere debemus, juxta illud S. Augustini, *Soliloq.* cap. XVIII : « Sicut nulla est hora vel punctum in omni vita mea quo tuo beneficio non utar : sic nullum debet esse momentum quo te non habeam ante oculos, in mea memoria, et te non diligam ex omni fortitudine mea; » et paulo ante : « Tuum igitur sit totum id quod vivo, et totus totum me tibi offero. Totus spiritus, totum cor, totum corpus, tota vita mea vivat tibi; vita mea dulcis, quoniam totum me liberasti, ut totum me possideres. » Idem, epist. 77 *ad Aurelium*: « Quid melius aliud, ait, et animo geramus, et ore promamus, et calamo exprimamus, quam Deo gratias? Hoc nec dici brevius, nec audiri lætius, nec intelligi gratius, nec agi fructuosius potest. »

Semper Deo gratias age.

Vers. 8. 8. ANTE OMNIA, MUTUAM IN VOBISMETIPSIS (græce εἰς ἑαυτούς, id est, *in vos, inter vos* : ita Pagninus, Vatablus et alii, puta « mutuam » in invicem, ut dixit; agit enim de charitate proximi, non Dei, ut patet ex seq.) CHARITATEM CONTINUAM HABENTES.— Græce ἐκτενῆ, quod *primo* significat extensam, continuam, perseverantem; *secundo*, vehementem et celerem; ita Pagninus et Vatablus; *tertio*, liberalem, profusam; *quarto*, cordialem et ex imo totoque corde manantem : ἐκτενῶς enim idem est quod *impense*, omnibus viribus, vehementer, prolixe, liberaliter, toto animo. Talem enim charitatem habuit erga nos habetque Christus, atque ex ea sanguinem, spiritum, vitamque pro nobis effudit, imo nobis in cibum dedit. Unde S. Bernardus : « Consanguinei, inquit, sumus in sanguine Christi. » Vide ergo quantopere invicem diligere debeamus, scilicet ut sanguinem et consanguineos tam nostros, quam Christi. Talem charitatem habuit S. Paulus, de quo S. Chrysostomus, hom. 13 in II *ad Corinth.*: « Cor Pauli, ait, dilatavit charitas : nihil latius corde Pauli, quod totum orbem complexum est. » Vide dicta initio *Act.* in effigie Pauli, et I *Cor.* XIII, et *Coloss.* III, 14, ubi Paulus S. Petro succinens : « Super omnia autem hæc, inquit, charitatem habete, quod est vinculum perfectionis. » Hoc est quod dicitur *Cant.* VIII, 6 : « Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. Lampades ejus lampades ignis atque flammarum : aquæ multæ non potuerunt exstinguere charitatem, nec flumina obruent illam. »

Charitatis præstantia.

Porro modum charitatis mutuæ præscribit S. Basilius, serm. *De Institut. Monach.*, nimirum eum debere imitari Deum et solem. « Sicut igitur, inquit, Deus (et sol) promiscue omnibus lucem impertitur, sic imitatores Dei, charitatis ipsorum radium æqualiter communicare omnibus debent, quia ubi deliquium patitur charitas, eo prorsus ejus loco odium succedit. » Idem in *Regulis brevior.*, interrog. 162, interrogat : « Cujusmodi mutuam inter nos alii erga alios charitatem habere debeamus? » ac respondet, qualem Dominus ostendit et docuit cum dixit : « Diligite invicem sicut dilexi vos. Majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis; quod si ponenda est anima, qui non multo magis in iis quæ minoris sunt pretii, necessario adhibenda est animi promptitudo? non ea re ut humanis officiis faciamus satis, sed eo consilio ut Deo placeamus, et utilitati cujusque consulamus. » Idem, orat. 1 *De amore in Deum et proximum* : « Eam, ait, inter nos charitatem habere convenit, qualem homo, natura ipsa duce, erga unum membrorum suorum gerit, æqualem universo corpori sanitatem optando, eo quod etiam dolor uniuscujusque membri parem corpori molestiam exhibeat. » Et paulo anterius : « Commoneat te mutuus amor vespertilionum, qui longa quadam veluti catena constricti inter se cohærent, ne unquam separationem ac vitam solitariam societate atque communione præstantiorem esse existimes. »

Charitas operit peccata, quæ?

QUIA CHARITAS OPERIT (καλύψει, id est, *operiet*, hoc est, operire potest et solet) MULTITUDINEM (id est, *universitatem*) PECCATORUM. — Sic dicitur Christus passus pro multis, id est pro omnibus, *Matth.* XXVI, 30; et quod multi, id est omnes, resurgent in die judicii, *Daniel.* cap. XII, 2. Quæres primo, quænam hic intelligatur charitas? Respondeo *primo*, S. Bernardus, serm. 25 *in Cant.*, intelligit charitatem Dei, quæ prædestinatorum suorum ante mortem peccata operit. « Stat, inquit, propositum Dei, stat sententia pacis super timentes eum, ipsorum et dissimulans mala, et remunerans bona : ut miro modo eis non modo bona, sed et mala cooperentur in bonum. » Et mox : « Hos ergo adverti quasi nunquam peccasse, quoniam et si quæ deliquisse videntur in tempore, non apparent in æternitate, quia charitas Patris operit multitudinem peccatorum. »

Resp. Primo

Secundo, Clemens Alexandrinus, lib. II *Strom.*, cap. VI, intelligit charitatem Christi : hæc enim electorum suorum operit peccata, dum eis applicans suam passionem impertit gratiam, quæ omnia eorum peccata abstergit. Verum uterque hic sensus accommodatitius potius est quam genuinus. Agit enim S. Petrus de charitate mutua, qua scilicet fideles invicem se diligunt, non de charitate Dei, aut Christi. Unde

Secundo.

Tertio et genuine, intellige charitatem fidelium. Ita Tertullianus, Ambrosius, Augustinus, Clemens, Prosper, et alii mox citandi. Jam cum duplex sit eorum charitas, una qua diligunt Deum,

Tertio, genuine.

alia qua diligunt proximum, aliqui intelligunt hic charitatem qua diligunt Deum. Hæc enim operit, id est, tegit et abolet peccatum, tum per actum contritionis : contritio enim est dolor de peccatis manans ex amore Dei super omnia, ideoque abolet omnia peccata mortalia, juxta illud Christi de Magdalena : « Remissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum, » *Lucæ* VII, 48; tum per actum martyrii, de quo hunc locum accipit Tertullianus in *Scorpiaco*, cap. VI : « Sic, inquit, dilectio perit multitudinem delictorum, qua Deum scilicet diligens ex totis viribus suis, quibus in martyrio decertat; ex tota anima sua, quam pro Deo ponit, hominem martyrem excudit. » Simili modo actus dilectionis Dei super omnia extrudit omne peccatum mortale, et peccatorem justificat, etiamsi de iis propter oblivionem actualem dolorem et contritionem non eliciat, juxta illud *Prov.* VIII, 17 : « Ego diligentes me diligo, » uti passim docent Theologi; actus enim charitatis nequit consistere cum statu peccati : vide Franciscum Suarez, III *part.*, tom. IV, disp. IX, *Quæst.* I, concl. 2. Verum alii magis proprie accipiunt hic charitatem non Dei, sed proximi, et fraternam, tum quia alludit, imo citat *Prov.* X, 12, ubi dicitur : « Odium suscitat rixas, et universa delicta operit charitas, » pro quo Septuaginta vertunt, *omnes autem non contendentes operiet amicitia.*

Quæ peccata tegit charitas? Resp. Primo.

Quæres *secundo*, quæ et cujus delicta operit charitas, an propria, an aliena? Respondeo, utraque, imo universa, ut ait Salomon, et ex eo S. Petrus. *Primo* ergo charitas proximi operit peccata propria, hominemque Deo reconciliat, quia charitas proximi oritur ex charitate Dei, quæ omnia peccata abolet, hominemque sanctificat : amat enim proximum ex amore Dei, tanquam vivam ejus imaginem (et « participium, » ait Origenes Prologo *in Cantic.*) creatam ad ejus amicitiam, filiationem, hæreditatem et gloriam. « Charitas, inquit S. Augustinus in *Psalm.* XXXIII, duos habet pedes : noli esse claudus. Qui sunt duo pedes? duo præcepta dilectionis Dei et proximi : istis pedibus curre ad Deum. » Et sic intelligi potest illud *Prov.* X, 12, quod hic citat S. Petrus : « Odium suscitat rixas, et universa delicta operit charitas, » *q. d.* Sicut odium iras hominum Deique suscitat : ita charitas Dei hominumque amicitiam conciliat, omniaque peccata tegit et operit; odium offendit Deum et homines, charitas nos Deo et hominibus exosos, vel offensos et infensos reconciliat : sic enim constat antithesis inter prius et posterius hemistichium. Ita charitatem propria peccata operire docent Tertullianus in *Scorpiaco*, cap. VI; D. Augustinus, tract. 1 et 5 *in epist. S. Joannis*; Clemens, II *Strom.*, cap. VI; Ambrosius, *De Fuga sæculi*, cap. II; Ephrem, tract. *De Pœnit.*; Prosper, *ad Demetriad.*, et alii multi, qui charitatem hic tam Dei quam proximi accipiunt. Licet enim Salomon *Prov.* X, 12, videatur potius loqui de charitate proximi, tamen S. Petrus eius sententiam generalem extendit ad charitatem Dei, quia hæc illi connexa est, imo ex hac illa oritur. Sic eamdem extendit S. Jacobus, dicens cap. V, vers. 20 : « Qui converti fecerit peccatorem, etc., operiet multitudinem peccatorum. » Charitas ergo tegit et abolet peccata coram Deo tripliciter : *primo*, dispositive, quia actus contritionis est ultima dispositio ad gratiam et justitiam : contritio enim est actus charitatis; *secundo*, formaliter, quia habitus charitatis et gratiæ formaliter justificant hominem; *tertio*, meritorie : justificati enim actibus contritionis et charitatis merentur remissionem peccatorum venialium.

Porro charitas operit peccata propria, non tantum quoad culpam, sed etiam quoad pœnam, quia ejus remissionem a Deo impetrat. Atque inde videtur orta hæc phrasis, ut peccatum cum condonatur, dicatur tegi, quod scilicet antequam condonetur, continuo verberet oculos Dei et hominum, eosque irritet ad ulciscendum. Proprie vero videtur orta ex homicidio, quod, quia summum est scelus, hinc exemplum est et speculum cæterorum. Unde *sanguis*, id est, effusio sanguinis, in Scriptura significat omne peccatum. In homicidio enim sanguis effusus ferit oculos cognatorum, amicorum et judicum, præsertim Dei, ad ejus ultionem : unde cum illud condonatur, dicitur sanguis tegi; cum non condonatur, dicitur apparere et clamare vindictam. Hoc est quod ait Deus *Ezechiel.* XXIV, 6, 7, 8 : « Væ civitati sanguinum, etc. Sanguis enim ejus in medio ejus est, super limpidissimam petram effudit illum : non effudit illum super terram, ut possit operiri pulvere : ut superinducerem indignationem meam, et vindicta ulciscerer, dedi sanguinem ejus super petram limpidissimam, ne operiretur. Propterea hæc dicit Dominus : Væ civitati sanguinum, cujus grandem faciam pyram, » ut grandi incendio comburatur Jerusalem a Chaldæis. Ex adverso *Joel*, cap. III, vers. 21, ait : « Mundabo sanguinem eorum, quem antea non mundaveram, » id est tegam et condonabo peccata per merita Christi. Sic Nehemias loquens de Sanaballat et hostibus Judæorum, orat Deum : « Ne operias iniquitatem eorum, et peccatum eorum coram facie tua non deleatur; » sed jugiter illud aspice, ut punias et vindices; et *Psalm.* LXXXIV, 3, ait David : « Remisisti iniquitatem plebis tuæ; operuisti omnia peccata eorum : » *operuisti*, id est, remisisti; prior enim versus de more explicat posteriorem.

Secunda Sensus genuinus.

Secundo, charitas operit peccata proximorum, scilicet injurias (has enim significat Hebr. פשעים *pescaim*, id est *prævaricationes*, *Proverb.* X, 12) et offensas, quibus alii alios offendunt, et ad iram provocant. Has enim operit charitas, tum in animo ejus qui offensus est, obliterando injurias, sicut apud Athenienses erat lex ἀμνηστίας, id est *oblivionis injuriarum*; tum in animo ejus qui offendit, operit animositatem, incitando eum ad redamationem ut culpam agnoscat, seque offenso

reconciliet : offensi enim charitas allicit charitatem offendentis, et vice versa : magnes enim amoris est amor. Sensus ergo genuinus hujus loci est, *q. d.* Mutuam charitatem colite. Hæc enim ubi animum occupavit, operit mutuas offensas, quibus crebro alii alios dictis aut factis lacessimus et offendimus, itaque parit pacem et concordiam. Hunc esse sensum patet *primo,* ex antecedentibus et sequentibus, quæ omnia spectant charitatem mutuam; *secundo,* ex *Proverb.* cap. x, 12, quem locum hic citat S. Petrus. Ibi enim odium dicitur suscitare rixas, charitas autem peccata, id est, rixas jam suscitatas, vel suscitandas operire; ubi Scholiastes clare vertit, *omnes injuriam facientes operit amor.* Jam ex hoc sensu generali varii eduVarii sensus. cuntur particulares : nam, ut ait Clemens Alexandrinus, II *Strom.* : « Multis modis intelligitur charitas, per mansuetudinem, per benignitatem, per tolerantiam, per invidiæ et æmulationis vacuitatem, per odii remotionem, per injuriæ oblivioPrimus. nem. » *Primus* est, *q. d.* Si suas proximo remiseris injurias, ille tuo hoc amore provocatus tuas pariter tibi remittet, sicque utrisque Deus suas quoque remittet, juxta illud Christi *Matth.* VI, 14 : « Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater cœlestis delicta vestra. » Unde et nos orare jubet : « Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. » Qui enim offensas proximis remittit, meretur de congruo, si peccator sit, ut peccata mortalia; et de condigno, si justus sit, ut venialia sibi a Deo condonentur.

Secundus. *Secundus,* odium per rixam manifestat delicta; charitas vero silentio vel prudentia sua eadem operit, id est celat vel excusat, nisi quantum fraterna correctio ea argui et corripi requirit. Ita Œcumenius et Lyranus hic, et S. Chrysostomus, hom. 4 *in Acta* : « Charitas, inquit, multitudinem peccatorum tegit : inimicitiæ autem etiam ea quæ non sunt, suspicantur. » Sic et S. Bernardus, *epist.* 17. Unde S. Augustinus explicans illud *Matth.* XVIII, 15, *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum* : « Ipsa charitas, inquit, postulat ut secreto corrigantur quæ peccantur secretius : ubi contingit malum, ibi moriatur : nam si solus nosti, et vis coram omnibus arguere, non es corrector, sed proditor. » Charitas ergo proximi peccatum non evulgat, ne illud exulceret, sed tegit vel privatim corripit, ut sanet. Vere Abbas Pastor in *Vitis Patrum,* lib. V, libello 9, num. 6 : « Quacumque, ait, hora tegimus peccatum fratris nostri, teget etiam Deus nostrum; et quacumque hora prodiderimus culpas fratrum, et Deus nostras similiter prodet. » Qua enim mensura mensi fueritis, remetietur vobis : ita Constantinus Magnus in Concilio Nicæno oblatos sibi libellos famosos, quibus Episcopi se invicem de criminibus accusabant, noluit legere, sed in ignem conjecit, dicens se, si crimen aliquod Episcopi videret, illud pallio suo operturum, ne in populi oculos incurreret; eaque ratione omnes eorum lites et querelas discussit, uti refert Theodoretus, lib. I *Histor.*, cap. XI.

Tertius, odium, id est correptio profecta ex odio, Tertius. non corrigit mores, sed irritat, ut peccans se in peccato obfirmet, illudque impudenter propugnet et jactet : charitas vero, id est correptio facta ex charitate et amore, omnia peccata, omnesque contentiones et rixas lenit, et sopit, et sedat, juxta illud S. Augustini, in cap. I *ad Galat.* : « Quidquid lacerato animo ingeritur, punientis est impetus, non charitas diligentis : dilige, et dic quidquid voles. »

Quartus, si injurias proximi ex charitate silen- Quartus. ter et patienter tuleris, eas velut ignem aqua operies et restingues, ac vinces in bono malum, et carbones ignis congeres super caput ejus, quibus eum ad redamandum accendes. Unde Septuaginta *Prov.* x, 12, vertunt, *Omnes autem non contendentes operiet* φιλία, id est *amicitia.*

Quintus, si proximorum inter se inimicitias, Quintus. lites, injurias, scandala et delicta quælibet tollere cupis, charitatem erga eos ostende : charitate enim eos expugnabis, tibique devincies, ac omnia conteges et abolebis.

Quæres *tertio,* quomodo charitas tegat peccata? Quomodo tegit? Respondeo *primo* : Charitas tegit; id est abolet Resp. Primo. peccata, sicut aqua tegit ignem, dum eum obruit et extinguit : sic Deus dicitur tegere peccata, cum ea non aspicit ut puniat, sed condonando a conspectu suo, et consequenter ex rerum natura (quod enim in ea est, a Deo necessario videtur) amovet, aufert et abolet, uti dixi *Rom.* IV, 7.

Secundo, charitas tegit, id est involvit, palliat, Secundo. et leniendo ac palliando excusat injurias et peccata proximi. Sapiens enim *Prov.* x, 11 et 12, opponit hæc duo : « Os impiorum operit iniquitatem, » et : « Universa delicta operit charitas, » *q. d.* Impius et impietas palliat, et pallio sanctitatis tegit suam iniquitatem; charitas vero proximorum offensas pallio amoris velat et obtegit.

Ita Dionysius Carthusianus, in *Proverb.* cap. x, vers. 12. Charitas ergo est quasi cyclas aurea, quæ omnes nævos et defectus contegit ut non videantur. Sic matrem suam S. Monicam laudat S. Augustinus, IX *Confess.*, IX : « Quod inter dissidentes atque discordes quaslibet animas, ubi poterat, tam se præbebat pacificam, ut cum ab utraque multa de invicem audiret amarissima, qualia solet eructare turgens atque tumens discordia, quando præsenti amicæ de absente inimica per acida colloquia crudelitas exhalatur odiorum; nihil tamen alteri de altera proderet, nisi quod ad eas reconciliandas valeret. »

Modum tegendi et excusandi peccata docet S. Bernardus, serm. 40 *in Cant.* « Excusa, inquit, intentionem si opus non potes, puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum. Quod si omnem omnino dissimulationem rei certitudo recusat, suade nihilominus ipse tibi, et dicito : Vehemens

fuit nimis tentatio : quid de me illa fecisset, si in me accepisset similiter potestatem. » Et Seneca, lib. II *De Ira*, cap. XXX : «Naturam, inquit, excutiemus voluntatemque facientium. Puer est? ætati donetur, nescit an peccet. Pater est? aut tantum profuit ut illius jam injuria jus sit, aut fortassis ipsum hoc meritum ejus est quo offendimur. Mulier est? errat. Jussus est? necessitati quis nisi iniquus succenset. Læsus est? non est injuria pati quod prior feceris. Judex est? plus illius credas sententiæ, quam tuæ. Rex est? si nocentem punit, cede justitiæ : si innocentem, cede fortunæ. Mutum animal est, aut simile muto? imitaris illud si irasceris. Morbus est, aut calamitas? levius transiliet sustinentem. Deus est? tam perdis cum illi irasceris, quam cum illum alteri precaris iratum. Bonus vir est qui injuriam fecit? noli credere. Malus? noli mirari. Dabit pœnas alteri, quas debet tibi, et jam sibi dedit qui peccavit. »

Docet ergo Salomon, et ex eo S. Petrus, veram rationem conciliandi et conservandi charitatem inter homines esse, si ea quasi tegmine tegantur, pallientur et obliterentur omnes sermones, gestus, actus displicentes, qui litigandi occasionem præbere possunt.

Tertio. *Tertio* et aptius, charitas tegit injurias et peccata, sicut emplastrum tegit plagas et vulnera eis medendo, easque curando. Tegere ergo peccata, est ea involvere, alligare, ungere, cataplasmare ad sanandum; qui ergo diligit, est quasi chirurgus alligans et sanans emplastro amoris et amantis correptionis omnes offensas, lites animæque plagas. Sic Deum tegere peccata quasi emplastro ut ea sanet et curet, docet S. Augustinus, in *Psal.* XXXI, concione 2 : « Deus, inquit, tegat vulnera tua : medicus tegat et curet; emplastro enim teget : sub tegmento medici sanatur vulnus. » Idem docet Nazianzenus, orat. *De Baptismo*.

Quarto. *Quarto*, charitas non sanat tantum vulnus et plagam animæ, v. g. lites et inimicitias, sed et eamdem prorsus tegit, ita ut nullum post se hiatum, livorem vel cicatricem relinquat, puta nullum rancorem, nullum dolorem, nullam memoriam, juxta illud præceptum S. Clementis, imo Apostolorum, lib. II *Constit.*, cap. XLV : « Tu ut clemens medicus peccatores omnes cura, utens accommodatis ad salutem medicamentis, non modo urendo, secando, novaculam adhibendo, sed etiam alligando, exsiccando, injiciendo medicamenta lenia cicatricem obducentia, emolliendo sermonibus consolatoriis.»

Tropologice. Tropologice teguntur peccata *primo*, cum vitam emendamus : tunc enim opera mala priora posterioribus bonis obtegimus et velamus «assumendo honestæ vitæ tegmen, ut præteritorum criminum ante oculos Dei turpitudo celetur, » ait B. Petrus Damianus, serm. 3 *De S. Georgio*. Sic et S. Ambrosius, lib. II *De Pœnitent.*, cap. V, et S. Gregorius, XXVII *Moral.*, cap. II. *Secundo*, cum eorum reliquias, puta inclinationes, cogitationes et habitus pravos mortificamus et extirpamus. Ita S. Nazianzenus, orat. *De Baptismo*.

Anagogice. Anagogice teguntur peccata præterita justorum, quia licet in die judicii publice indicanda et toti mundo manifestanda sint, uti contra Magistrum, in IV, *Dist.* XLIII, littera D, passim docent Theologi, tamen id cedet ad Sanctorum non confusionem, sed gloriam : gloria enim S. Magdalenæ erit, quod e peccatis emerserit, et ad tantam sanctitatem evaserit.

Vis charitatis. Moraliter disce hic quanta sit vis charitatis. Illa enim abolet omnes offensas, non tantum præteritas, uti jam dixi, sed et præsentes ac futuras. Præsentes, tum quia abolet præsentes offensas, lites : rixas, inimicitias; tum quia tegit et excusat imperfectiones, imprudentias, indiscretiones, etc., quæ in opere charitatis committuntur, juxta illud : « Zelus purgat facinus. » Sic zelus purgat homicidium Mosis, Phinees, Mathathiæ a scelere, quia id commiserunt ex ardenti charitate in Deum et suam gentem, ut illam ab idololatria cohiberent, ab eaque Dei iram et vindictam averterent.

Futuras quoque tegit, quia eas impedit efficitque ne committantur. Ita S. Ambrosius, in *Psal.* CXVIII, serm. 16, ad illud, *Propterea ad omnia mandata tua corrigebar* : « Merito, ait, corrigebatur, quoniam diligebat. Charitas enim operit multitudinem peccatorum. Vide quanta operiat, quanta corrigat. Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, etc. Ergo si lex immaculatum facit, recte charitas operit multitudinem peccatorum, quia plenitudo legis est dilectio. » Sic charitas sapiens inimicitias et inimicos concilians, impedit eorum lites, rixas, pugnas et cædes, quæ alioqui ex iis certo emanaturæ essent. Et hoc significat Salomon dicens *Prov.* X, 12 : « Odium suscitat rixas, et universa delicta operit charitas, » *q. d.* Ubi est odium inter homines, vel levissima de causa oriuntur lites et jurgia : ubi est amor, etiam magnæ offensæ teguntur, vel potius non cognoscuntur. Candor enim amici omnia candide interpretatur, imo celat amici commissa, et crimen pro crimine non habet. E contrario, odium in pejorem partem rapit omnia, et subinde crimen fingit ubi nullum est; aut ex parvo magnum efficit, ex musca faciens elephantum. Sicut enim per vitrum nigrum omnia apparent nigra, per album vero lucidum et aureum omnia videntur alba, lucida et aurea : sic per odium omnes actiones ejus quem odimus, videntur tetræ et odiosæ; per charitatem vero, omnes actiones ejus quem amamus videntur lucidæ, gratæ et aureæ, quia earum malitiam et vitium tegit amor, et in iis non videt nisi id quod pulchrum est. Rursum charitas est mel dulcorans omne verborum et verberum fel : ipsa est victrix injuriarum, quia amans, imo amens est amor.

Charitatis candor.

Quocirca vere Clemens Alexandrinus, lib. IV *Strom.* : « Hæc, ait; est charitas diligere Deum et

proximum, ea extollit altitudinem quæ non potest explicari : charitas operit multitudinem peccatorum, charitas nos Deo conglutinat, omnia facit in concordia : in charitate consummati sunt omnes electi Dei. Absque charitate nihil est gratum Deo ; ejus perfectionis non est explicatio. » Et S. Augustinus, in *Psal.* XXI, conc. 2 : «Tunica, inquit, Christi inconsutilis est charitas et unitas Ecclesiæ, desuper texta, id est de cœlo a Patre et Spiritu Sancto. In ipsa sors mittitur, nemo illam dividit ; » et lib. VI *Contra Julianum* : « Quisquis, ait, tenuerit veritatem et charitatem, nec errans, nec invidus erit. Nam et error veritate, et livor charitate pellendus est. » Idem alibi asserit quod compago membrorum Ecclesiæ et Christi sit charitas. Idem, serm. 7 *De S. Stephano* : « Charitas, inquit, in Stephano superavit sævitiam Judæorum. Charitas in Paulo cooperuit multitudinem peccatorum. Charitas est igitur omnium fons et origo bonorum, munimen egregium et via quæ ducit ad cœlum. In charitate qui ambulat, nec errare poterit, nec timere. Ipsa dirigit et protegit, et ipsa perducit. » Charitas ergo est pallium peccatorum omnium æque ac virtutum omnium, « imo charitas est pallium Dei et divinæ majestatis, » uti scite quidam Sanctorum dixit, juxta illud *Isaiæ*, LIX, 17 : « Opertus est quasi pallio zeli. »

Vers. 9. 9. HOSPITALES INVICEM SINE MURMURATIONE. — Græce *sine murmurationibus*. Charitati subnectit hospitalitatem quasi sociam, imo filiam, ab eaque excludit murmurationem. Solent enim hospites tenaces et arcti animi queri de advenarum multitudine, sumptu, diuturnitate, edacitate, loquacitate, libertate aliisque vitiis. Tales erant incolæ Ponti ad quos scribit S. Petrus, nimirum duri et inhospitales, ut patet ex verbis Tertulliani quæ citavi initio epistolæ. Unde Pontus ab accolarum feritate, dictus est ἄξενος, id est *inhospitalis* ; sed per fideles S. Petri discipulos factus est εὔξενος, *euxinus*, inquam, et hospitalis. Pontus enim ob rigida frigora, aeremque caliginosum et nubilum, rigidos durosque progignit homines. «Pontus, inquit Plinius, antea ab inhospitali feritate Axenos appellatus est. » Ammianus, lib. II : « Achæi, ait, intendente sævitiam licentia diuturna, indidere mari nomen inhospitali ; et a contrario per cavillationem Pontus Euxinus appellatur. » Ovidius de *Ponto* :

Quem tenet Euxini mendax cognomine Pontus.

Quare merito S. Petrus Ponticis jam conversis ad Christum commendat hospitalitatem candidam in « invicem, » puta erga Christianos, præsertim Apostolos virosque apostolicos, qui Evangelii causa, vel ob persecutiones, tunc crebro mutabant hospitia et regiones, ideoque plurium hospitum hospitalitate indigebant. Apud Judæos aliosque plures advenis suæ gentis jus est hospitii ad tres dies ; iis exactis expirat, dicuntque illud :

Post tres sæpe dies piscis vilescit et hospes.

Quanta fuerit primorum Christianorum hospitalitas, patet ex Luciano in *Peregrino*, et ex Vita S. Pachomii, qui per eam conversus fuit ad Christianismum, ac ex Vita S. Praxedis et S. Pudentianæ, quæ omnes Christianos hospitio excipiebant : unde domus earum vocabatur Thermæ Novati ; ubi postmodum hospitatus est S. Justinus Martyr, aliique Christiani, adeo ut hoc commune et celebre fuerit eorum hospitium.

Præclare S. Augustinus, *De Verbis Domini secundum Lucam*, serm. 32 : « Agnoscite, ait, hospitalitatem, per quam perventum est ad Dominum. Suscipite hospitem, cujus et tu es comes in via, quia omnes perigrini sumus. Ipse est Christianus, qui et in domo sua, et in patria sua peregrinum se esse cognoscit. Patria nostra sursum est, ibi hospites non erimus. » Idem, serm. 68 *De Temp.* : « Offert, ait, Abraham peregrinis hospitium, qui non habebat tectum ; » hinc tres angelos repræsentantes S. Trinitatem hospitio recipere meruit. « Ecce ad humanam mensam cœlestis sublimitas recumbebat, cibus capitur, pransitatur, et conturbernali colloquio inter hominem et Deum familiaria verba miscentur. Et quia apud Deum infructuosa hospitalitas esse non potest, statim pretium mercedis accepit. Datur filius (Isaac) seni, datur posteritas desperanti. » Et *sermone* 70 : « Videte, fratres, quam ferventi animo hospites excipere debeatis. Ecce ipse Abraham currit, uxor festinat, puer accelerat, nullus est piger in domo sapientis ; » et mox : « Lot quia hoc quod potuit, benigno animo obtulit, de perditione Sodomorum liberari promeruit. Attendite, fratres, quia etiam Lot dum hospites non repellit, angelos excipere meruit. Ecce hospitalem domum angeli ingrediuntur, clausæ hospitibus domus (Sodomitarum) flammis sulphureis concremantur. » Hospitalitatis merita.

Idem, lib. II *De Quæst. Evangel.*, Quæst. LI : « Tene hospitalitatem, si vis agnoscere Salvatorem : quod tulerat discipulis infidelitas, reddidit hospitalitas. » Idem, *De Visitat. infirmorum*, sermone 1 : «Hospitem Deum habes, hospitium acceptum fac hospiti tuo, et tunc securus dices hospiti tuo, ut in eundo deducat te, et in conducendo perducat te, et in perducendo hospitetur te. Dico tibi, si gratum illi exhibueris hospitium tuum, gratum et gratius exhibebit tibi suum. O quam beatus eris, si hospes Dei fueris, si in civitate illa cœlesti, scilicet Jerusalem, mansionem acceperis, si Deus inde aliquas tibi gratias agens dixerit : Hospes fui, et collegisti me, et quamdiu uni ex minimis meis fecisti, mihi fecisti. Veni, benedicte Patris mei, percipe regnum. Non promittit tibi Deus hospitium, promittit tibi regnum. Regnabis cum Christo, eris hæres Dei, cohæres autem Christi. » Vide S. Gregorium, hom. 23 *in Evang.*, ubi ait : « Peregrini ad hospitium non solum invitandi, sed etiam trahendi sunt ; » idque citatis hisce S. Petri verbis confirmat exemplo viri valde hospitalis, cui quasi peregrinum se ob-

tulit Christus. S. Nazianzenus, *Iambico* XV : « Quis, inquit, hospitalis? hospitem qui se putat. »

Vers. 10. 10. UNUSQUISQUE SICUT ACCEPIT GRATIAM, IN ALTERUTRUM ILLAM ADMINISTRANTES. — Est hoc secundum charitatis officium : primum enim fuit hospitalitas. « Gratiam » hic non tam gratum facientem, quam gratis datam intellige : hanc enim significat Græcum χάρισμα, id est *donum*. Jubet ergo ut dona et talenta nobis a Deo data, in proximorum utilitatem expendamus : ad hoc enim nobis ea dedit Deus; eorum enim nos fecit ministros, dispensatores et œconomos, ut habent Græca, non dominos, ac proinde hujus dispensationis exactam a quolibet exiget rationem, dicendo : « Redde rationem villicationis tuæ, » *Lucæ* XVI, 2. Præclare Philo, lib. *De Cherubim* : « Sat puto, inquit, liquere nos alienis uti possessionibus, nec gloriam possidendo, nec divitias, nec honores, nec imperia, nec aliud quidquam vel corpori vel animæ proprium, imo ne vitam quidem, usumfructum habemus solum. » Sic S. Urbanus Pontifex et Martyr, doctor S. Cæciliæ ejusque sponsi S. Valeriani, dixit bona Ecclesiæ esse vota fidelium, pretia peccatorum et patrimonia pauperum, ideoque in eos, non in cognatos, esse expendenda, seque et Pontifices eorum tantum esse dispensatores. Ita habet ejus Vita.

S. Petro succinit S. Paulus, I *Cor.* XII, 7 : « Unicuique, ait, datur manifestatio spiritus ad utilitatem. » Et *Rom.* XII, 6, ubi multiformem, vel, ut Syrus vertit, *divisam et distinctam*, Christi gratiam explicat, dicens : « Habentes autem donationes secundum gratiam quæ data est nobis, differentes, sive prophetiam secundum rationem fidei; sive ministerium in ministrando, sive qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui præest in sollicitudine, qui miseretur in hilaritate. » Vide ibi dicta.

Nota : Τὸ *sicut accepit* significat ea gratis, candide, humiliter, liberaliter ad commodum aliorum, non proprium (sic enim ea a Deo accepit), esse expendenda : ita S. Gregorius, XXVIII *Moral.*, cap. VI vel XI : « Tunc, ait, bene multiformis Dei gratia dispensatur, quando acceptum donum ejus qui non habet, creditur; quando propter eum qui impenditur, sibi datum putatur. Tunc nos charitas a jugo culpæ liberos reddit, cum vicissim nos nostro per amorem servitio subjicit : cum et aliena bona nostra credimus, et nostra aliis quasi sua offerentes exhibemus. » Idem, hom. 7 *in Ezech.* : « Humiliter, ait, impendite bonum proximis, quia scitis vobis, non a vobis esse quæ habetis. »

Vers. 11. 11. SI QUIS LOQUITUR (loquatur) QUASI SERMONES DEI. — Explicat hic multiformem gratiam, eamque generatim dividit in duas species genericas, quæ plures alias sub se continent, nimirum in locutionem, id est prædicationem et doctrinam; ac ministerium, quale est distribuere eleemosynas, servire ægris, recipere hospites, etc. Vide dicta *Roman.* XII, 6, ubi S. Paulus duas species indigitat, prophetiam et diaconiam, quæ in re idem sunt quod doctrina et ministerium. Jubet ergo ut doctor et prædicator loquatur sermones non suos, sed Dei, id est, doceat vera, sancta et Deo digna, scilicet ea quæ Christus docuit in Evangelio, quæque Deus illi inspirat, non quæ spiritus humanus aut mundanus suggerit. In primitiva enim Ecclesia Spiritus Sanctus in cœtu fidelium inspirabat uni exhortationem, alteri hymnum, alteri prophetiam, ut quisque ea ad præsentium ædificationem depromeret et eloqueretur, uti docet S. Paulus, I *Cor.* XIV, 26. Huc facit illud Pindari in *Nemeis*, ode 8 : « Crescit virtus exaltata per sapientes, sicut arbor fecundata per rorem. »

Secundo, ut eos loquatur non superbe, sed humiliter : « Qui enim verba quæ proferunt, ex propriis non habent, cur quasi de propriis tument? » ait S. Gregorius, III part. *Past.*, cap. XXV. Rursum, ut eos loquatur non frigide, sed ardenter : tales enim sunt sermones Dei et Spiritus Sancti, qui proinde linguas ardentes primis doctoribus, puta Apostolis, dedit in Pentecoste, ut iisdem suos sermones ardenter eloquerentur, iisque accenderent corda audientium, juxta illud : « Ignitum eloquium tuum vehementer, » *Psal.* CXVIII, vers. 140. Præclare Climacus, *gradu* 26 : « Sicut, inquit, is qui fert aromata, etiamsi nolit ex odore proditur : ita et qui spiritum Dei habet, ex verbis suis agnoscitur. » Quocirca S. Augustinus, lib. IV *De Doctrina Christiana*, instruit doctorem et concionatorem, ut ante lectionem et concionem Deum ardenter oret, ut is non tantum ea quæ dicenda sunt, sed et modum ac ardorem quo dicenda sunt ad feriendum hominum corda, suggerat, itaque non tam doctor quam Deus per os doctoris loqui videatur. « Ut intelligenter, inquit, ut libenter, ut obedienter audiatur; pietate magis orationum, quam oratorum facultate agi non dubitet, ut orando pro se ac pro illis quos est allocuturus, sit orator antequam doctor. Ipsa hora jam ut dicat accidens, priusquam exerat proferentem linguam, ad Deum levet animam sitientem, ut eructet quod biberit, vel quod impleverit, fundat. » Ita S. Paulus primus Eremita visitatus a S. Antonio, cum eo non nisi sermones Dei loquebatur; sic enim de eo scribit S. Hieronymus : « Dum in mutuos miscentur amplexus, propriis se salutavere nominibus, gratiæ Domino in commune referuntur. Et post sanctum osculum Paulus cum Antonio ita exorsus est : En quem tanto labore quæsisti, putridis senectute membris operit inculta canities. En vides hominem pulverem mox futurum. Verum quia charitas omnia sustinet, narra mihi, quæso, quomodo se habet humanum genus : an in antiquis urbibus nova tecta consurgant; quo mundus regatur imperio; an supersint aliqui qui dæmonum errore rapiantur. » Mox corvo afferente panem : « Eia, inquit Paulus, Dominus nobis prandium misit vere pius, vere mi-

Sermo Dei ardenter promendus.

Sermones S. Pauli cum S. Antonio.

sericors : sexaginta jam anni sunt quod accipio dimidii semper panis fragmentum ; verum ob adventum tuum militibus suis Christus duplicavit annonam, etc. Dehinc paululum aquæ in fonte prono ore libaverunt : et immolantes Deo sacrificium laudis noctem transegere vigiliis. » Orto mane, S. Paulus ad Antonium sic locutus est : « Olim te, frater, in istis regionibus habitare sciebam : olim te conservum meum mihi promiserat Deus. Sed quia jam dormitionis meæ tempus advenit, et quod semper cupiebam dissolvi et esse cum Christo, peracto cursu superest mihi corona justitiæ ; tu missus es a Domino, qui humo corpusculum meum tegas, imo terræ terram reddas. His Antonius auditis flens et gemens ne se desereret, atque ut comitem talis itineris acciperet, precabatur ; » et ille : « Non debes, inquit, quærere quæ tua sunt, sed quæ aliena. Expedit quidem tibi sarcina carnis abjecta Agnum sequi ; sed et cæteris expedit fratribus, ut tuo adhuc instituantur exemplo, » etc. Tales sint religiosorum sermones, talia servorum Dei colloquia, tales fidelium visitationes.

S. Dominici. S. Thomæ. Ita S. Dominicus jugiter aut cum Deo, aut de Deo loquebatur, idemque suis inculcabat : unde idipsum præstitit D. Thomas Aquinas, aliosque docuit, dicens : « Viro Religioso non nisi cum Deo, aut de Deo loquendum esse. » Ita David Anachoreta, privatus loquela, a Deo obtinuit ut de rebus divinis loqui posset, ut habet Joannes Moschus in *Prato Spirit.*, cap. CXLIII. Tales fuere nostri primores S. Ignatius, S. Xaverius, P. Faber, P. Canisius, qui in hospitiis, plateis et aulis principum non nisi religiosa loquebantur, ubique cœlestia divinarum laudum rerumque mella manantes, ideoque innumeras Deo animas pepererunt. Hoc est quod ait Malachias, cap. II, vers. 7 : « Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est. » Ubi notat S. Hieronymus non dici *proferent*, sed *custodient*, ut scilicet loquantur opportune, dentque conservis cibum in tempore suo : ita ut os sacerdotis sit arca quædam salutaris doctrinæ, unde omnes necessaria depromant, quæ ibi Deus ad communem utilitatem et doctrinam recondidit. Auctor Imperfecti, *homil.* 38 : « Sicut stomachus, ait, accipiens cibum coquit, sic et sacerdotes accipiunt scientiam sermonis per Scripturam ex Deo, et excoquunt eam in se, id est, tractantes et meditantes apud se, universo populo subministrant. » Et S. Ambrosius, *serm.* 13, sacerdotes comparat apibus. Sicut apes, inquit, de divinarum Scripturarum flosculis suavia mella conficiunt, et quidquid ad medicinam pertinet animarum, oris sui arte componunt. Porro non sufficit sacerdoti Dei sermones loqui voce, nisi eosdem loquatur et vita : vita enim dat voci efficaciam. Nam, ut ait S. Ambrosius, *epistola* 6, « separavit Deus sacerdotes a populo, præcepit Moysi ut montem cum sacerdotibus ascenderet, populus autem deorsum staret. Vides divisiones? nihil in sacerdotibus plebeium requiri, nihil populare, nihil commune cum studio, usu et moribus inconditæ multitudinis ; sobriam a turbis gravitatem, seriam vitam, singulare pondus dignitas sibi vindicat sacerdotalis. Quomodo enim potest observari a populo, qui nihil habet secretum a populo, et dispar a multitudine? Quid in te miretur, si in te sua re cognoscat? si nihil in te aspiciat quod ultra se inveniat? Supergrediamur igitur plebeias opiniones, et strata quædam gregalis conversationis. » Hinc Deus *Levit.* X : « Sanctificabor, ait, in iis qui appropinquant mihi. » Ubi aliqui vertunt : « Agnoscar sanctus ex munditia et sanctitate ministrorum, » puta sacerdotum. Theodoretus, Quæst. III *in Levit.*, quærit quare victima pro sacerdote oblata tota cremaretur, ac respondet : ut integritatem sacerdotis demonstraret ; qui non aliquatenus, sed se totum plane Deo dedicavit. Prædicatores quales?

S. Basilius, in *Moral.*, Reg. LXXX, cap. X, quærit quales esse debeant prædicatores Evangelii? ac respondet *primo*, debere esse tanquam Apostolos ; *secundo*, tanquam præcones cœli ; *tertio*, tanquam regulam pietatis ; *quarto*, tanquam oculum in corpore : quæ sigillatim probat ex Scriptura verbisque Christi.

« Tanquam Apostolos, ait, et ministros Christi, et dispensatores fideles mysteriorum Dei, sola ea quæ a Domino præcepta sunt, integerrime et re et verbo implentes. Ecce mitto vos sicut oves in medio luporum. Euntes docete omnes gentes ; sic nos existimet homo tanquam ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. Quod autem superest, quæritur inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur.

» Tanquam præcones regni cœlorum, ad destructionem ejus qui habet imperium mortis in peccato. Euntes autem prædicate, dicentes : Appropinquavit regnum cœlorum. Testificor ego coram Deo et Domino Jesu Christo, qui judicaturus est vivos et mortuos, per adventum ipsius prædica verbum Dei.

» Tanquam formam aut regulam pietatis, ut per eos ad rectitudinem omnem dirigantur illi qui Dominum sequuntur, et illorum perversitas detegatur, qui in quavis re illius imperium detrectant. Quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora extendens meipsum, juxta destinatum persequor ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu. Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus : et si quid aliter sapitis, et hoc vobis Deus revelabit. Verumtamen ad quod pervenimus ut idem sapiamus, in eadem permaneamus regula. Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate. Sollicite autem cura teipsum probatum exhibere Deo, operarium inconfusibilem, rite tractantem verbum veritatis.

» Tanquam oculum in corpore, ut videlicet habere delectum et bonorum et malorum sciant,

atque ut Christi membra ad singula quibusque accommodata officia dirigant. Lucerna corporis est oculus. Si ergo oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. »

S. Gregorius Nazianzenus, oratione I *Apolog.* : « Hæc summa est, inquit, ut virtute tales existant, ut (uno verbo dicam) cœlestes sint : ac possint purgari primum, deinde purgare ; sapientia instrui, atque ita alios sapientes reddere ; lumen fieri, et alios collustrare ; accedere ad Deum, et alios adducere ; sanctificari, et aliis sanctitatem afferre. » Doctores ergo et sacerdotes eam præstent morum integritatem, quæ cæterorum censura sit et disciplina : quod efficient, « si loquantur ut oracula, vivant ut numina. » Idem faciant Religiosi : horum enim est loqui sermones Dei, ut eorum vox sit vox Dei, non mundi, ut suum Patriarcham imitentur Joannem Baptistam, qui ait : « Ego vox clamantis in deserto : Parate viam Domini. Pœnitentiam agite : appropinquavit enim regnum cœlorum,» *Matth.* III, 2 et 3.

SI QUIS MINISTRAT, TANQUAM EX VIRTUTE QUAM ADMINISTRAT (χορηγεῖ, id est *subministrat*, suggerit, suppeditat) DEUS, — ita Syrus. Hoc est alterum genus charismatis, scilicet diaconia, sive ministerium, puta administratio sanctorum Sacramentorum, eleemosynarum et quarumlibet aliarum rerum. Dicit ergo, ut cui aliquod tale ministerium et munus in Ecclesia a Deo obtigit, is illud administret et exerceat, non sua, sed Dei virtute, quam scilicet illi Deus suggerit et suppeditat : quo innuit *primo*, eos suum debere munus agere, non alienum invadere ; ac nihil sibi posse arrogare, sed totam suam virtutem, facultatem et efficaciam Deo, cujus est tribuere. Ita OEcumenius. *Secundo*, eos debere ministrare in virtute, id est, non tantum recte et fideliter, non accipiendo personas ; sed et valenter, strenue, generose vincendo omnes difficultates, nullius potentiam vel invidiam timendo, scientes se Dei esse ministros, ab eoque agi, regi et protegi ; hoc enim significat Græcum ἰσχύς, id est *virtus*, robur, fortitudo. Sic Christus in virtute spiritus regressus est in Galilæam, *Luc.* cap. IV, 14. Idem imitentur Christiani, ut quidquid inchoant et agunt, inchoent et agant in virtute spiritus, ut videantur eo agi et impelli divina vi Spiritus Sancti, uti agebatur Samson ad opera sua fortia et heroica. *Tertio*, in dando et erogando esse liberales, memores se non dare sua, sed Dei, qui in dando est liberalissimus, ac vult ut ministri hanc suam liberalitatem imitentur, ideoque quo liberalius erogant, eo plura liberalius eis impertit. Nam, ut ait Auctor Imperfecti, homil. 43 *in Matth.* : « Ubi paterfamilias largus est, dispensator non debet esse tenax. Si Deus benignus est, ut quid sacerdos ejus austerus ? Vis apparere sanctus ? circa vitam tuam esto austerus, circa alienam benignus. » *Quarto*, ut non quærant sua lucra, sed animarum ad Dei gloriam : « Ut in omnibus, inquit, honorificetur (græce δοξάζηται, id est *glorificetur*) Deus per Jesum Christum, » quia per merita Christi mediatoris hæc dona suis ministris elargitur Deus. Quocirca vere S. Augustinus, *Soliloq.* cap. XV : « Qui de bono tuo, o Domine, inquit, gloriam sibi quærit, et non tibi, hic fur est et latro, et similis est diabolo, qui voluit furari gloriam tuam. » Et S. Bernardus, serm. *Contra ingratit.* : « Felix est, inquit, qui ad singula dona gratiæ redit ad eum in quo est plenitudo omnium gratiarum ; » et serm. 13 *in Cant.* : « Ad locum, inquit, unde exeunt, revertuntur flumina gratiarum, ut iterum fluant ; remittatur ad suum principium cœleste profluvium, quo uberius terræ refundatur (1). »

Virtus notat quatuor

CUI (tam Christo, quam Deo) EST GLORIA ET IMPERIUM. — Syrus, *gloria et honor*. Solent viri sancti et cœlestes rerum et orationum omnium exordia et fines ad Deum referre, juxta illud : « A te principium, tibi desinet ; » ideoque in ejus doxologiam erumpere instar beatarum mentium, quarum vitam ipsi prælibant et inchoant. Beati enim in cœlis jugiter Deo accinunt : « Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, et qui est, et qui venturus est, » *Apocal.* IV, 8. « Sedenti in throno et agno benedictio, et honor, et gloria, et potestas, in sæcula sæculorum, » *Apoc.*, III, 13, et VII, 12. Vide ibi dicta.

Vers. 12. 12. CHARISSIMI. — « Ex ipso nomine, ait OEcumenius, significat non quia odio habeantur, sed quia valde chari sint, nimirum Deo, vehementerque amentur, afflictiones ipsis contingere. »

NOLITE PEREGRINARI. — Transit a charitate ad patientiam, fidelibus tunc ob persecutiones maxime necessariam : græce est μὴ ξενίζεσθε, id est, nolite admirari et æstimare rem peregrinam, quod multa adversa vobis quasi Dei servis obtingant et ingruant. Nolite, ait OEcumenius, hoc ab amicis Dei extraneum ducere, cum hoc eis proprium et gloriosum sit, quod ut aurum igne tribulationis probentur, purgentur et illustrentur, quodque Christo patienti conformentur, ut eidem resurgenti configurentur. Unde Beda, Hugo et alii sic explicant, *q. d.* Nolite vos peregrinos æstimare a Deo et Christo, quasi ab eo projectos, ideoque afflictos. Lyranus vero, *q. d.* Nolite ob afflictiones peregrinari, id est alienare vos a fide et amore Christi, aut fugere in alienas oras. Verum primus sensus quem dedi, proprius est et genuinus.

Peregrinari in fervore quid ?

Quare insulsi sunt hæretici, qui vel ignorantes, vel malitiose hæc torquent contra peregrinationes ad limina SS. Apostolorum, Compostellam ad S. Jacobum, Hierosolymam ad loca sancta, etc., quasi eo peregrinari vetet hic S. Petrus. Nil enim tale significat τὸ ξενίζεσθε, sed id quod dixi. Unde

(1) *Quarto* alii, « *ex virtute*, » id est, debet munere suo fungi pro corporis viribus : nam juvenes ad διακονίας eligi solebant, qui huc illuc facile discursarent.

Syrus, S. Cyprianus, *epist.* 56, et S. Hieronymus in cap. IV *Amos*, vertunt, *nolite mirari*; Tertullianus in *Scorp.*, cap. XII, *ne expavescatis ustionem*; S. Fulgentius *ad Thrasim.*, *nolite expavescere fervorem tanquam novi aliquid.* Et sic mox explicat S. Petrus, dicens : « Quasi novi (græce ξένου, id est *peregrini*) aliquid vobis contingat. » Quocirca incongruus pariter est sensus Aureoli in *Compl. S. Script.*, *q. d.* Ne leviter discurratis abrepti fervore quodam voluntatis, imaginantes vos alibi novi aliquid reperturos. Et ille Hugonis, *q. d.* Nolite in fervore devotionis vovere aut astringere vos ad impossibilia, vel nimis ardua, quæ postea præstare non valeatis, aut velitis; ξενίζειν enim opponitur τῷ ἐθίζειν : unde sicut ἐθίζειν significat *consuescere*, et agere rem consuetam more consueto, sic ex adverso ξενίζειν significat *agere rem peregrinam*, stupere rem novam et insolitam, rei insolentia et novitate terreri et percelli. Sic S. Basilius, epist. *ad Melesium* : Scribam, inquit, ξενίσαι τὴν ἀκοήν, id est, rem inauditam tibi aturam, noveram quod hujusmodi criminatio in stuporem te adduceret propter rei novitatem. Sic Constantinus Cæsar, lib. IX *Agricult.*, cap. V, docet plantam debere inseri in terra sibi congrua et connaturali, ne, inquit, ξενίζηται, id est, ob novitatem abalienetur, atque solum sibi peregrinum aversetur. Apte ergo hic vertas cum Salviano loco citato et aliis : Ne commoveamini, ne turbemini, ne percellamini in afflictionibus quasi re nova, insolenti et peregrina. Eadem significatione sumitur a Latinis vox *peregrinus* et *peregrinor* : peregrinus enim dicitur qui in sua civitate non est, sed in peregrina. Unde Cicero *pro Rabirio* : « Adeone, ait, ignarus es disciplinæ consuetudinisque nostræ, ut peregrinari in aliena civitate, non in tua magistratum gerere videare? » Et lib. V *Tuscul.* : « Ille, ait, omnem infinitatem peregrinabatur, ut nulla in extremitate consisteret. » Sic dicuntur peregrinari aures et oculi, cum rem peregrinam et novam audiunt, vident et stupent. Sic Horatius, lib. I, *epist.* 12 : « Animus, inquit, peregre est. » Sic *Isaiæ* XXVIII, 21, dicitur opus a Deo alienum et peregrinum esse punire et affligere, quia ejus proprium est misereri, parcere et benefacere. Et forte ad hunc Isaiæ locum alludit hic S. Petrus.

IN FERVORE, — non amoris et dilectionis, sed afflictionis et tentationis; græce enim est ἐν πυρώσει, id est *in ustione*, ut legit Tertullianus, *Scorp.* cap. XII; *in ardore*, ut S. Cyprianus, *epist.* 56; Pagninus, *ne miremini de vestra per ignem examinatione*; OEcumenius et Tigurina, *dum per ignem probamini et exploramini*; πύρωσις enim est probatio et exploratio per ignem; minus recte aliqui vertunt *uredinem*, puta icterum sive rubiginem, quæ segetes urendo arefacit instar morbi regii, ideoque Hebr. שדפון *schiddaphon* vocatur.

Alludit ad illud *Eccli.* XXVII, 6 : « Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis; » et ad illud : « Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium, » *Ps.* LXV, vers. 12. Afflictio enim est quasi fornax ardens, urens et crucians afflictum. Est ergo ipsa πύρωσις, id est *incendium*, ustio, concoctio, sed in qua, et ex qua fit πύρωπος, id est *pyropus*, gemma instar ignis effulgens et effulgurans, juxta illud : « Tanquam aurum in fornace probavit eos, et quasi holocausti hostiam accepit illos, » *Sap.* III, 6. Ubi prudenter notat S. Ephrem, serm. *De Patientia*, quod sicut figulus, vel aurifaber, fornacem attemperat vasi fictili, vel auro quod coquit, ne illud nimis urat, vel nimis parum : ita et Deus tentationem accommodat viribus hominis, et gratiæ quam ei dat, nec patitur hominem supra vires tentari, ut ait S. Paulus, I *Cor.* X, 13. Rursum accommodat eam vitiis hominis, quæ per hunc tribulationis ignem decoquere et exurere cupit et destinat. Sensus ergo est : Nolite peregrinari in fervore, hoc est, nolite admirari ut rem peregrinam, fervorem, id est ardorem, tentationis et afflictionis, qui vobis obtingit. Est catachresis : peregrinari enim ponitur pro *rem peregrinam admirari*; est hebraismus, *in fervore*, id est *fervorem* : Hebræi enim verba contactus, sive realis, sive mentalis, quale est admirari, construunt cum *beth*, id est *in*. Mirabantur enim nonnulli primi Christiani (uti jam mirantur ii qui a peccatis ad Deum convertuntur) se mox a conversione ad Christum, undique persecutionibus, tentationibus et ærumnis exagitari. Hisce respondet S. Petrus, id non esse mirandum, cum ex rei natura id sequatur. Fides enim et pietas odium infidelium et impiorum contra se excitat, quia eis bellum indixit. Cordate Salvianus, lib. III *De Providentia* : « Quid, ait, mirum est si mala cuncta perferimus, qui ad toleranda universa militamus? » Hac de causa Christus crucifixus post resurrectionem duobus discipulis euntibus in Emmaus apparuit quasi peregrinus in Israel, ut repræsentaret ipsosmet esse peregrinos. Eorum enim affectum et habitum in se sumpsit, ut illos doceret : quia scilicet novis discipulis, novisque Christianis novum et peregrinum videbatur, quod Christus, qui promissus erat fore Rex Israel et Salvator orbis, moreretur et crucifigeretur. Verum ipse hunc eorum errorem correxit, ostendens ex lege et Prophetis oportuisse Christum (et consequenter Christianum quemque) pati, et ita intrare in gloriam suam, *Luc.* XXIV, 26. Quare sapienter S. Chrysostomus, hom. 8 in II *ad Tim.* : « Nefas, ait, est pugilem Dei vacare deliciis, non licet epulari luctantem. Luctamen enim sunt præsentia omnia, certamen, bellum, stadium : aliud est quietis tempus, hoc ærumnis deputatum est atque sudoribus. Nullus ubi ad certamen se exuit unctusque est, requiem quærit. » Et S. Leo, serm. 1 *De Quadrages.* : « Intelligamus, ait, quanto studiosiores pro nostra salute fuerimus, tanto nos vehementius ab adversario impetendos. » Causam dat S. Hila-

Christiano propria est tribulatio.

rius *in Matth.* IV, dicens : « In sanctificatis nobis maxime diaboli tentamenta grassantur : victoria ei est magis exoptata de sanctis. » Et S. Hieronymus, epist. *ad Eustoch., De Custod. virgin.* : « Non quærit diabolus homines infideles, de Ecclesia Christi rapere festinat : escæ ejus secundum Habacuc electæ sunt; Job subvertere cupit, et devorato Juda ad cribrandos Apostolos expetit potestatem. » Et S. Gregorius in illud *Job* XL, *Absorbebit fluvium* : « Illos, ait, magnopere rapere nititur, quos despectis terrenis studiis jungi jam cœlestibus contemplatur. » Et Origenes, homil. 9 in I *Judic.* : « Venisti, ait, ad aquam baptismi : istud est certaminis et pugnæ spiritualis initium, hinc tibi adversus Zabulum nascitur pugnæ principium. » Quare sicut Christus mox a baptismo abiit in desertum, ibique tentatus est a diabolo : ita fidelis quisque regeneratus, et ad virtutis apicem cœlumque aspirans, habeat hoc præmeditatum, sibi acriter cum hoste esse luctandum, imo se omnes dæmones totumque infernum ad duellum et singulare certamen reipsa provocasse. « Fili, inquit *Eccli.* cap. II, 1, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem. » Id expertus S. Antonius, teste S. Athanasio, alios docebat et monebat, dicens diabolum acerrime infestare et vexare Monachos et virgines quæ se Deo dicaverunt, tum quod ipsorum heroica virtus dedecori sit dæmoni, qui ad eam aspirare noluit, ideoque ipsa sudes sit in oculis ejus, assidue eum pungens et crucians; tum quod ægre ferat Deum, quem pro hoste et tortore habet, ita ab iis coli et honorari; tum quod eorum virtuti et gloriæ invideat.

QUI AD TENTATIONEM VOBIS FIT. — Alludit πειρασμός, id est *tentatio*, ad πύρωσιν, id est *fervorem*; tentatio enim est quasi ignis, fervor et ardor, qui hominis animum, virtutem et constantiam tentat, id est explorat, purgat, perficit, juxta illud *Daniel.* XI, 35 : « Et de eruditis ruent ut conflentur, et eligantur, et dealbentur. » Vide ibi dicta.

QUASI NOVI ALIQUID VOBIS CONTINGAT.—*q. d.* Non est novum et peregrinum fideles et pios tentari et tribulari, ut vos, o novelli Christiani, putatis, sed vetus et proprium, imo ab initio mundi hucusque semper factitatum. Sic enim pium Abel persecutus est impius Cain, filios Dei persecuti sunt filii hominum et Nemrod; Abrahamum Chananæi, Loth Sodomitæ, Josephum fratres, Jacobum Laban, Isaacum Philistini, Mosen Pharao, Hebræos Ægyptii, Davidem Saul, Isaiam Manasses, Jeremiam, Ezechielem, Amos cæterosque Prophetas Judæi, juxta illud *Hebr.* XI, 37 : « Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt. Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus : in solitudinibus errantes, in montibus et speluncis, et in cavernis terræ. »

Quare idipsum suos sæpe prænonuit Christus, ut ad id se compararent : « In mundo pressuram habebitis, » *Joan.* XVI, 32. « Tradet frater fratrem in mortem, et pater filium, et insurgent filii in parentes, et morte eos afficient, et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum, » *Matth.*, cap. X, vers. 21.

13. SED COMMUNICANTES CHRISTI PASSIONIBUS, GAUDETE. — Duas affert causas cur in afflictione non tristari, sed gaudere debeant : prior, quod in tribulatione communicent Christi passioni. Unde S. Fulgentius, lib. III *ad Thrasim.*, legit, *sed ut communicantes*, quod summum est decus et gloria, æque ac commodum et meritum : nam patientes per passionem suam passioni Christi quasi inseruntur et inoculantur, uti ramus arbori, itaque ab eo omnem vigoris et gratiæ succum, vimque tolerandi, merendi et perseverandi exsugunt. Posterior, quod cum Christo passo resurrecturi sint ad gloriam immensam. Græca habent ἀλλὰ καθὸ κοινωνεῖτε, id est, *sed in eo quod communicatis*; vel, ut Tertullianus, *Scorp.* XII, « etenim secundum quod communicatis; » quæ lectio significat tantum gaudendum esse, quantum patiendo communicamus passionibus Christi, ut quo magis crescit passio, eo magis crescat et gaudium : adeoque mensura gaudii sit mensura tribulationum, juxta illud II *Corinth.* I, 6 : « Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra; » et illud *Psalm.* XCIII, 19 : « Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. » Hinc S. Cyprianus, *epistola* 56, legit : « Sed quotiescumque communicatis passionibus Christi, gaudete. » Hinc patientes dicuntur, *primo*, pati non tam suam crucem quam Christi, juxta illud : « Exeamus igitur ad eum extra castra improperium ejus portantes, » *Hebr.* XIII, 13. Ita « Moses grandis factus negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi, » *Hebr.* XI, 24. Ita Paulus cum suis ait : « Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris, » II *Corinth.* IV, 10. « Et si compatimur, ut et conglorificemur, » *Rom.* VIII, 17. « Ego stigmata Jesu in corpore meo porto, » *Galat.* VI, 17.

Vers. 13. Patiendo inseri-mur cruci Christi.

Secundo, Christus vicissim dicitur pati in fidelibus quasi caput in suis membris. Hinc Christus ait Saulo : « Quid me persequeris? » *Actor.* IX, 4; non ait : « Quid meos fideles, » sed : « Quid me persequeris? » quia ipsi mea sunt membra, mecumque unum corpus Ecclesiæ mysticum efficiunt : ipsos ergo persequendo, me persequeris, quia qui membra persequitur, caput ipsum petit et persequitur. Ita S. Paulinus, epist. *ad Aprum* : « Ab initio sæculorum, ait, Christus in omnibus suis patitur. Ipsum est enim initium et finis, qui in lege velatur, in Evangelio revelatur, mirabilis

Christus patitur in patien tibus.

semper et patiens et triumphans in Sanctis suis Dominus. In Abel occisus a fratre, in Noe irrisus a filio, in Abraham peregrinatus, in Isaac oblatus, in Jacob famulatus, in Joseph venditus, in Mose expositus et fugatus, in Prophetis lapidatus et sectus, in Apostolis terra marique jactatus, et multis ac variis beatorum Martyrum cruciatibus frequenter occisus. Ipse igitur etiam nunc infirmitates nostras et ægritudinem portans, quia ipse est homo semper pro nobis in plaga positus, et sciens ferre infirmitates, quas nos sine ipso nec possumus ferre, nec novimus. Ipse, inquam, nunc pro nobis et in nobis sustinens mundum, ut perferendo destruat, et virtutem in infirmitate perficiat. Ipse et in te patitur opprobria, et ipsum in te odit hic mundus; sed gratias ipsi, quia vincit cum judicatur, et triumphat in nobis. »

Patiens sit unum cum Christo.

Tertio, patientes dicuntur Christo incorporari, adeoque unum effici et esse cum Christo. Sic enim Apostolus nos vocat commortuos, complantatos, concrucifixos Christo, *Rom.* VI, 5, et II *Timoth.* V, 11; unde idem ait : « Christo confixus sum cruci; vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus, » *Galat.* II, 20; et S. Ignatius, epist. *ad Romanos* : « Amor meus crucifixus est. » Quocirca in afflictionum tolerantia et persequentium dilectione consistit vitæ Christianæ apex et summa. Unde S. Basilius formulam vitæ perfectæ viris Religiosis et Anachoretis præscribens admonitione ad juniores, idipsum pene solum inculcat.

GAUDETE. — S. Cyprianus legit; *per omnia gaudete*, juxta illud S. *Jacobi* I, 2 : « Omne gaudium existimate, fratres, cum in varias tentationes incideritis, » ubi multas hujus gaudii causas recensui. « Finis passionum Christi resurrectio, » ait Origenes in cap. I *ad Rom.* Sic et finis passionis Christianorum est resurrectio et gloria æterna: merito ergo in passione gaudeant.

UT ET IN REVELATIONE GLORIÆ EJUS GAUDEATIS EXSULTANTES, — ἀγαλλιώμενοι, id est, *exsilientes præ gaudio*. Unde S. Cyprianus, *epist.* 56, legit, « gaudentes exsultatis. » Exsultare enim est super modum exsilire, ait Nonius. Tanta enim erit beatitudinis et gloriæ cœlestis magnitudo, ut cor humanum illam capere nequeat, sed extra et supra se quasi exsiliat, imo præ gaudio finderetur et rumperetur, ni Deus illud omnipotenti sua manu contineret et stringeret. Ita Psaltes adhuc in hoc exsilio positus ex spe futuræ gloriæ : « Cor meum, ait, et caro mea exsultaverunt in Deum vivum, » *Psal.* LXXXIII, 3; et : « Jubilate Deo, omnis terra, cantate, et exsultate, et psallite, » *Psal.* XCVII, 4; et : « Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua; venientes autem venient cum exsultatione, portantes manipulos suos, » *Psal.* CXXV, 6; et *Malach.*, cap. IV, vers. 2 : « Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ et sanitas in pennis ejus, et egrediemini, et salietis sicut vituli de armento : » ubi plura de hoc saltu dixi; et *Sophonias*, cap. III, vers. 14 : « Lauda, filia Sion; jubila, Israel; lætare et exsulta in omni corde, filia Jerusalem. » Vide Baruch, cap. V.

Ita in Vita S. Evergisli Archiepiscopi Coloniensis legimus, quod, cum de more ingressus templum S. Gereonis, in quo corpora ipsius sociorumque Martyrum requiescunt, illud psalmi recitaret : « Exsultabunt Sancti in gloria, » responderint ipsi e sepulcris : « Lætabuntur in cubilibus suis, » *Psalm.* CXLIX, vers. 5.

14. SI EXPROBRAMINI. — Græce ὀνειδίζεσθε, id est, ut Tertullianus, *Scorp.* XII, legit, *si dedecoramini*; S. Cyprianus, *epist.* 56, *si exprobratur vobis* : Gentilibus enim nomen Christi et Christiani erat probrum et probrosum; unde illud quasi infame exprobrabant fidelibus. Vers. 14.

IN NOMINE CHRISTI, — id est, ob nomen Christi, scilicet quia estis Christiani, quia Christi nomen colitis et invocatis. Syrus, *pro nomine Christi*, vel quia pertineatis ad Christum, quasi existentes de domo, familia et Ecclesia Christi. Ita Nero, qui primus persecutus est Christianos, Christianos fecit probrum, cum probrosum hoc in eos tulit edictum : « Quisquis Christianum se esse confitetur, is tanquam generis humani convictus hostis, sine ulteriori sui defensione capite plectitor. » Acute et argute Tertullianus, *Apolog.* III, perstringit Gentiles quod odissent nomen *Christi*, cum Christus græce idem sit quod unctus; aut, ut Gentiles pronuntiabant, *Chresti*, cum χρηστὸς idem sit quod suavis, commodus, utilis. « Oditur ergo, inquit, in hominibus innocuis etiam nomen innocuum, » imo nomen sanctum, amabile, angelicum, divinum : tale enim est « Jesus Christus. »

BEATI ERITIS. — Græce μακάριοι, id est *beati*, supple eritis in cœlo, et estis in terra, ob decus nominis Christi, et ob spem certam gloriæ, utpote ab eo patientibus pro se promissæ.

QUONIAM QUOD EST HONORIS, GLORIÆ ET VIRTUTIS DEI, ET QUI EST EJUS SPIRITUS, SUPER VOS REQUIESCIT, — *q. d.* Gloria, virtus et spiritus Dei super vos requiescit, agitque ad omne arduum, puta ad heroicam patientiam. Syrus vertit, *Spiritus gloriosus Dei super vos requiescit*. Græca jam habent : ὅτι τὸ τῆς δοξῆς καὶ τὸ τοῦ Θεοῦ πνεῦμα ἐφ' ὑμᾶς ἀναπαύεται, id est, *quoniam spiritus gloriæ et spiritus Dei* (id est spiritus gloriosus Dei, est hendiadis) *super vos requiescit*. S. Cyprianus, *epist.* 56, pro πνεῦμα legit ὄνομα; vertit enim, *quia majestatis et virtutis Domini nomen in vobis requiescit*; Tertullianus, *Scorp.* cap. XII, *quoniam gloria et spiritus Dei requiescit in vobis*.

In eo ergo qui patitur pro Christo, requiescit Dei, *primo*, honor; *secundo*, gloria; *tertio*, virtus, græce δύναμις, id est, potentia et robur; *quarto*, spiritus, qui gloriæ, honoris, virtutis omnis est auctor in patiente, quasi in templo et thalamo suo mira cum voluptate requiescit; quia patiente

delectatur, et in eo deliciatur. Significat, inquit Dionysius, quod Deus reputet honorabile quid, gloriosum, virtuosum, sive triumphale invictam patientiam in adversis. Ita spiritus fortitudinis requievit in Christo, *Isaiæ* XI, 2. Hisce verbis significat quanta dignitas et decus sit pro Christo pati, scilicet quod in eo situs sit omnis honor, gloria, virtus et majestas Dei, adeo ut nihil dignius, honorificentius, divinius, Deoque gratius et gloriosius excogitari possit, imo ipsa S. Spiritus persona et majestas in eo qui patitur, requiescat. Ipse enim quasi dux eum qui pro Christo patitur, quasi suum militem auctorat, animat, roborat, protegit, perficit ut vincat, eumque ad triumphum et coronam æternam perducit. Summa enim et nobilissima fortitudo est, pati pro Christo, pro orthodoxa fide, pro vera religione, pro cultu Dei ipsoque Deo : pati, inquam, verba et verbera, calumnias, probra, tormenta, ipsamque mortem. Unde S. Augustinus, sermone *De S. Victoria* : « Ibi, inquit, est corona gloriosior, ubi Christus infirmior : quia profecto virilis animus in feminis majus aliquid fecit, quando sub tanto pondere fragilitas feminea non defecit, etc. Ille in eis apparuit invictus, qui pro eis factus est infirmus. Ille eas ut vinceret fortitudine implevit, qui ut eas fortes efficeret, semetipsum exinanivit. Ille eas ad hos honores laudesque perduxit, qui pro eis opprobria et crimina audivit. Ille fecit feminas viriliter et fortiter mori, qui pro eis dignatus est de femina misericorditer nasci. » Rursum idem S. Augustinus, serm. 78 *De Temp.*, illud *Gen.* XXV, *Major serviet minori*, puta Esau Jacobo, mystice sic exponit : Impii servient piis, persecutores patientibus, tortores Martyribus; quia torquendo non aliud faciunt quam fabricare eis lauream martyrii. « Quomodo, ait, mali serviunt bonis ? non obsequendo, sed persequendo : quomodo persecutores Martyribus, quomodo limæ vel mallei auro, quomodo molæ serviunt tritico, quomodo panibus coquendis furnalia, ut illi coquantur, illa consumantur; quomodo in fornace aurificis palea servit auro, ubi sine dubio palea consumitur, aurum probatur. »

Dei majestas requiescit in patiente.

Græci codices addunt : « Qui (Spiritus) quidem apud illos blasphematur, apud vos autem glorificatur, » quo significat hæc infidelium probra in Christianos in ipsum Spiritum Sanctum recidere, ac proinde fideles patientes in passione socium habere Spiritum Sanctum, qui tum hæc probra excipiat et repellat, tum fideles in illis excipiendis et refutandis animet, dirigat et roboret. Rursum Spiritum Sanctum tantum a patientibus honorari et glorificari, quantum a persequentibus inhonoratur, vilipenditur et blasphematur. Quocirca Tertullianus *ad Martyres*, cap. III : « Bonum, ait, agonem subituræ estis, in quo agonothetes Deus vivus, est xystarches Spiritus Sanctus corona æternitatis, bravium angelicæ substantiæ, politia in sæcula sæculorum. Itaque epistates vester Christus Jesus, qui vos spiritu unxit, et ad hoc scamma produxit. »

Porro causas cur pati pro Christo sit summa dignitas, varias hic insinuat S. Petrus. *Prima* est, quia hic est actus summus Christianæ patientiæ, fortitudinis, charitatis. *Secunda*, quia passiones sunt vestes regales, puta purpura, paludamentum, stemmata, insignia, et, ut Apostolus vocat, *Galat.* VI, 17, stigmata Christi.

Cur tanta dignitas pati pro Christo? Causa prima. Secunda.

Quocirca Theodorus Studita ob defensionem sanctarum Christi imaginum jussus a Leone Armeno flagellari, sponte statim zonam solvit, positaque veste corpus nudum obtulit ad verbera : « Voluptati enim, inquit, mihi est corpusculi hujus flagellatio, atque ista demum ejus suprema depositio, quo citius nuda anima evolem ad eum quem desidero. » Ita Michael Studita, in ejus Vita. Unde Theodorus ipse scribens ad Naucratium exsultans post verbera : « Annon, ait, diadema gestantium gloria mirabilior, stigmata ferre Christi, vivificas ejus passiones ceu coronas? »

Tertia, quia Christus crucem et passiones in corpore suo sublimavit, et quasi deificavit; sicut enim humanitatem assumens ad Verbum, eam quasi deificavit, uniendo eam Deo, adeoque hominem faciendo Verbum, ut scilicet vere et proprie hic homo esset Deus : ita pariter crucem et passiones in corpore et anima suscipiens, eas cum corpore et anima Verbo univit, itaque quasi deificavit. Unde sicut vere dicitur Deus incarnatus et factus homo, ita et vere dicitur Deus passus, crucifixus, mortuus : Christus ergo in se suaque humanitate dedicavit et sacravit passiones et patientiam, æque ac paupertatem, ut ait S. Bernardus, humilitatem, obedientiam, sui mundique contemptum. Tertia.

Quarta, quod Christus, Spiritus Sanctus, totaque SS. Trinitas patientibus quasi sacrificiis et holocaustis, non brutis, sed humanis et rationalibus summe honoretur, uti ait hic S. Petrus. Quarta.

Quinta, quod iis a Deo promissa et parata sit summa merces et corona in cœlo, puta laurea martyrii, utque summe conformes sint Christo glorioso, qui conformes fuerunt eidem patienti et crucifixo. Quinta.

Sexta, quod crux contactu corporis Christi sanctificata adoretur, nec tantum illa quæ tetigit corpus Christi, sed et quælibet alia, quæ illius est repræsentatio et imago, ut videmus publice in Ecclesia eam adorari in Parasceve, juxta illud Lactantii : Sexta.

Flecte genu, lignumque crucis venerabile adora.

Unde de ea canit tunc Ecclesia :

Arbor decora et fulgida,
Ornata regis purpura,
Electa digno stipite
Tam sancta membra tangere.
Beata cujus brachiis
Sæcli pependit pretium,

Statera facta corporis,
Prædamque tulit tartari.
O crux, ave, spes unica:
Hoc passionis tempore,
Auge piis justitiam,
Reisque dona veniam.

Passiones ergo nos uniunt et assimilant Christo et Deo, imo faciunt socios Christi Deique crucifixi, in eumque nos quasi transformant. Quid nobilius quam similem et socium esse Christi? « Martyrio velut socio Christi cruore decoraris, » ait S. Cyprianus *De Laude Martyrii*.

Septima. *Septima*, quod passiones Martyrum mire illustrent Ecclesiam: nulla enim secta est quæ tot habeat Martyres, qui pro sua fide, aut potius perfidia velint non tantum opes, sed et vitam profundere, quot habet religio Christiana. Rursum martyr illustre dat virtutis exemplum cæteris fidelibus, ut et ipsi pro Deo pati ac mori gestiant. Unde Tertullianus in *Apolog.*: «Sanguis Martyrum, inquit, est semen Christianorum. » Et Prudentius *Peristephan*:

Martyrum semper numerus sub omni
Grandine crevit.

Quocirca S. Gregorius Nazianzenus, *orat.* 18, quæ est *de S. Cypriano*, Martyribus hæc dat cognomina et elogia, quod sint « holocausta ratione prædita, victimæ perfectæ, oblationes Deo gratæ et acceptæ, veritatis præconia, mendacii proscissiones, legis quæ spirituali modo intelligitur expletio, erroris oppressio, vitii insectatio, peccati diluvium, mundi lustratio. » Quare tua, o S. Cypriane Martyr, « virtute majorem in modum afficior, memoria recreor, ac præ gaudio quasi lymphatus feror, quodamque modo in eodem tuo martyrio versor, dimicationisque socius et particeps sum, ac totus ad te transeo. » Hucusque Nazianzenus, qui et paulo ante asserit se contemptis omnibus terrenis ad cœlestia anhelare. « Hujus rei, inquit, inexplebili quadam aviditate teneor, nec ab ea unquam divelli possum. Martyrum honoribus oblector, pugilum cruoribus exulto, atque aliorum quidem certamina et victoriæ sunt, coronæ autem meæ, usque eo gloriam hanc præcipio, et eorum egregia facinora mea esse duco. » S. Chrysostomus nobilis longi martyrii martyr Constantinopoli expulsus, ut itinerum molestiis et militum sævitia conficeretur, uti reipsa confectus fuit, ad Cyriacum pariter exulantem ita scribit: « Equidem cum urbe Constantinopolitana exigerer, nihil horum curavi, sed ita mecum ipse locutus sum: Si Imperatrix me proscribere volet, proscribat: Domini est terra et plenitudo ejus. Si serra discindere volet, discindat: Isaiam habeo exemplum. Si me in mare vult projicere, Jonæ reminiscar. Si in caminum vult conjicere, tres illos juvenes habeo, qui id pertulerunt. Si me bestiis vult objicere, Danielis meminero in lacum leonum conjecti. Si lapidare me vult, Stephanum habeo protomartyrem. Si caput mihi vult auferre, Joannem habeo Baptistam. Si substantiam vult adimere, adimat sane: nudus egressus sum de ventre matris meæ, nudus revertar illuc. Exhortatur me Apostolus: Personam hominis Deus non respicit. Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. Et me David ipse armat, dicens: Loquebar in conspectu regum, et non confundebar. »

Chrysostomi invicta patientia.

Tertullianus, lib. *ad Martyres*, cap. IV, eis inter alia fortitudinis Gentilium exempla et decora proponit flagellationem Laconum. « Nam quæ hodie, ait, apud Lacedæmonas solemnitas maxima est διαμαστίγωσις, id est *flagellatio*, non latet. In quo sacro ante aram nobiles quique adolescentes flagellis afficiuntur, astantibus parentibus et propinquis, et uti perseverent adhortantibus. Ornamentum enim et gloria deputabitur majore quidem titulo, si anima potius cesserit (excesserit e corpore et vita hac) quam corpus. Igitur si tantum terrenæ gloriæ licet de corporis et animi vigore, ut gladium, ignem, crucem, bestias, tormenta contemnant sub præmio laudis humanæ, possum dicere: Modicæ sunt istæ passiones ad consecutionem gloriæ cœlestis et divinæ mercedis. Tanti vitreum? quanti verum margaritum? Quis ergo non libentissime tantum pro vero habeat erogare, quantum alii pro falso? »

Ser stimuli ad martyrium.

S. Cyprianus, *De Laude et Exhort. martyrii*, hosce vel titulos, vel stimulos dat martyrio: *Primum*, « impavidos animos dat dolori. » *Secundum*, « mens crescit in pugna, pulsata licet crebrius hæret immobilis virtus, ut rupes pulsata fluctibus. » *Tertium*, « morte vitam condemnat, ut vitam morte custodiat. » *Quartum*, « miles triumphalibus de hoste spoliis onustus vulneribus suis gaudet. » *Quintum*, « nec timendum, quorum spes æternitatis et vita cœlestis est, ac salus de promissa immortalitate lætatur. » *Sextum*, « quorum animo despectus hic mundus, et alienata sæculi facies, cui semper hic mundus loco carceris: nec poteris amare martyrium, nisi ante oderis sæculum. »

Vers. 15. 15. NEMO AUTEM VESTRUM PATIATUR UT HOMICIDA, — sed ut Christianus, ideoque Martyr Christi. Quare quod S. Cyprianus, *epist.* 73, et S. Hieronymus, *epist.* 58, dicunt Christum latroni (qui a dextris Christi crucifixus est) fecisse homicidii pœnam martyrium, intellige testimonium, puta protestationem fidei in Christum, *q. d.* Christus fecit ut latro pro sceleribus crucifixus, in ipsa cruce crederet in Christum, ejusque fidem publice protestaretur, itaque fieret martyr, id est testis Christi, ac præmium gloriæ tali testimonio debitum consequeretur, eaque ratione ipsi pœnam homicidii convertit in triumphum hujusce martyrii.

AUT FUR, AUT MALEDICUS (græce κακοποιός, id est *malorum patrator*: ita Syrus; Tertullianus, *Scorp.* cap. XII, *ut maleficus*), AUT ALIENORUM APPETITOR. — « Martyrem » enim « non facit pœna, sed causa, » ait S. Augustinus, epist. 107 *ad Festum*; nec sce-

lus facit martyrem, sed scelestum. Unde S. Cyprianus, lib. III *Testim.*, cap. XXXVII, citatis hisce S. Petri verbis: « Fidem, ait, non oportet, ob alia delicta, nisi ob nomen solum puniri. » Pulchre S. Augustinus, serm. *De decem plagis*: « Nemo, ait, habet injustum lucrum sine justo damno. Qui furatur acquirit vestem, sed perdit fidem: ubi lucrum, ibi damnum: lucrum in arca, damnum in conscientia. » Idem, *De Vita Christiana*, pingens ideam Christiani: « Ille vere, ait, Christianus est, qui omnibus misericordiam facit, qui nulla omnino movetur injuria, qui alienum dolorem tanquam proprium sentit, cujus mensam nullus pauper ignorat, qui coram hominibus inglorius habetur, ut coram Deo et angelis glorietur; qui terrena contemnit, ut possit habere cœlestia; qui opprimi pauperem se præsente non patitur; qui miseris subvenit; qui ad fletum fletibus provocatur alienis. »

Idem Christiani.

Pro *alienorum appetitor*, græce est ἀλλοτριοεπίσκοπος, id est, *alienarum rerum curiosus inspector*, et consequenter appetitor: species enim et visio rei appetibilis, ciet appetitum. Unde curiosus inspector rebus inspectis inhiat. Tertullianus, *alieni speculator*; S. Cyprianus, lib. III *ad Quirinum*, cap. XXXVII, *curas alienas agens*. Scitum est illud Plauti: « Curiosus nemo est, qui non sit malevolus. » Præclare S. Gregorius: « Grave, ait, curiositatis est vitium, quæ dum cujuslibet mentem ad investigandam vitam proximi exterius ducit, semper ei intima sua abscondit, ut aliena sciens, se nesciens sit, et curiosus animus quanto peritus fuerit alieni, tanto fiat ignarus sui. » S. Bernardus *De Modo bene viv.*, cap. LIV: « Stulti homines, ait, dum alienos errores volunt reprehendere, demonstrant suos. Tamdiu homo ignorat peccata sua quæ debuerat flere, quamdiu aliena vitia exquirit curiose: sed cum homo ad semetipsum revertitur, et sese bene considerat, non exquirit quod in aliis reprehendat, quia in semetipso multa reperit quæ lugeat. » Unde B. Gregorius: « Nos tanto minus debemus aliena corda reprehendere, quanto scimus visu nostro non posse alienæ cogitationis tenebras illustrare; » et mox: « Curiositas damnosa peritia est, ad hæresim provocat, in fabulas sacrilegas præcipitat mentem, in causis obscuris reddit audaces, in rebus ignaris facit homines præcipites. »

Curiositatis damna.

Vers. 16. 16. SI AUTEM UT CHRISTIANUS, NON ERUBESCAT (uti erubescunt homicidæ cum plectuntur pro crimine, quia christianismus non est crimen, sed religio et sanctitas), GLORIFICET AUTEM DEUM IN ISTO NOMINE, — quia gloriosum est nomen Christi, ac consequenter et Christiani; a Christo enim vocatur Christianus quasi Christi assecla, discipulus, cultor, filius et hæres. Vide dicta *Actor.* XI, 26. Porro patitur ut Christianus non tantum qui pro fide, sed et qui pro virtute aliqua Christiana, ut castitate, justitia, religione, etc., patitur: omnem enim virtutem dictat et docet fides Christi. Quare qui pro qualibet virtute Christiana occiditur et moritur, est martyr. Nam martyr est, qui pro qualibet veritate, quæ ad pietatem pertinet, moritur, imo qui moritur pro veritate qualibet ut evitet mendacium; talis enim moritur pro virtute veracitatis, quæ opponitur vitio mendacii, uti diserte docet D. Thomas, II II, *Quæstione* CXXIV, art. 5. Secus est de eo qui moritur pro tuenda aliqua veritate mathematica, physica, logica. Hic enim non est martyr, quia non moritur pro veritate ad pietatem pertinente, uti ibidem asserit D. Thomas.

Moraliter disce hic quantum sit pati ut Christianum, tantum scilicet quantum est martyrium: hoc autem summum est decus et gloria. « Quid enim gloriosius, aiunt generosi Martyres ad S. Cyprianum, lib. V, *epist.* 12, quidve felicius ulli hominum poterit ex divina dignatione contingere, quam inter ipsos carnifices interritum confiteri Dominum Deum? quam inter sævientia sæcularis potestatis varia et exquisita tormenta, etiam extorto, et excruciato, et excarnificato corpore, Christum Dei Filium, etsi recedente, sed tamen libero spiritu confiteri? quam relicto mundo cœlum petiisse? quam desertis hominibus inter angelos stare? quam impedimentis omnibus sæcularibus ruptis in conspectu Dei jam se liberum sistere? quam cœleste regnum sine ulla cunctatione retinere? quam collegam passionis cum Christo in Christi nomine factum fuisse? quam judicis sui divina dignatione judicem factum fuisse? quam immaculatam conscientiam de confessione nominis reportasse? quam humanis et sacrilegis legibus contra fidem non obediisse? quam veritatem voce publica contestatum fuisse? quam ipsam, quæ ab omnibus metuatur, moriendo mortem subegisse? quam per ipsam mortem immortalitatem consecutum fuisse? quam omnibus sævitiæ instrumentis excarnificatum et extortum, ipsis tormentis tormenta superasse? quam omnibus dilaniati corporis doloribus robore animi reluctatum fuisse? quam sanguinem suum profluentem non horruisse? quam supplicia sua post fidem amare cœpisse? quam detrimentum vitæ suæ putare non exisse? » Deinde hæc omnia confirmant verbis Christi, quibus animos exacuunt. « Ad hoc enim prælium quasi quædam tuba Evangelii sui nos excitat Dominus dicendo: Qui plus diligit patrem aut matrem, quam me, non est me dignus; et: Qui plus diligit animam suam quam me, non est me dignus; et: Qui non tollit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus; et iterum: Beati qui persecutionem passi fuerint propter justitiam; ipsorum enim est regnum cœlorum. Beati eritis cum vos persecuti fuerint et oderint; gaudete et exultate: sic enim et Prophetas persecuti sunt, qui ante vos fuerunt, patres eorum; et iterum: Quoniam ante reges et potestates stabitis, et tradet frater fratrem ad mortem, et pater filium; et qui perseveraverit

Martyris gloria quanta?

Ex S Cypriano.

usque ad finem, hic salvus erit; et : Vincenti dabo sedere super thronum meum, sicut et ego vici, et sedi super thronum patris mei. Sed et Apostolus : Quis nos separabit a charitate Christi? pressura, an augustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? sicut scriptum est : Quia propter te interficimur tota die, æstimati sumus velut oves victimæ; sed in iis omnibus supervincimus, pro eo qui nos dilexit. Hæc et hujusmodi cum in Evangelio collata perlegimus, et quasi faces quosdam ad inflammandam fidem, Dominicis vocibus, supposita nobis sentiamus, hostes veritatis jam non tantum non perhorrescimus, sed provocamus; et inimicos Dei jam hoc ipso quod non cessimus, vicimus; et nefarias contra veritatem leges subegimus; etsi nondum nostrum sanguinem fudimus, sed fudisse parati sumus. Nemo hanc dilationis nostræ moram, clementiam judicet, quæ nobis officit, quæ impedimentum gloriæ facit, quæ cœlum differt, quæ gloriosum Dei conspectum inhibet: in hujusmodi enim certamine, et in hujusmodi ubi decertat fides prælio, mora martyres non distulisse, vera clementia est.» Et lib. IV, epist. 6 *ad Tibarit.* de Exhort. martyrii : « Ad agonem sæcularem exercentur homines, et parantur, et magnam gloriam computant honoris sui, si illis, spectante populo et Imperatore præsente, contigerit coronari. Ecce agon sublimis et magnus, et coronæ cœlestis præmio gloriosus, ut spectet nos certantes Deus, et super eos quos filios facere dignatus est, oculos suos pandens, certaminis nostri spectaculo perfruatur. Præliantes nos et fidei congressione pugnantes spectat Deus, spectant angeli ejus, spectat et Christus. Quanta est gloriæ dignitas, quanta felicitas præside Deo congredi, et Christo judice coronari! Armemur, fratres dilectissimi, viribus totis, et paremur ad agonem mente incorrupta, fide integra, virtute devota. Ad aciem quæ nobis indicitur, Dei castra procedant. Armentur integri, ne perdat integer quod nuper stetit. Armentur et lapsi, ut et lapsus recipiat quod amisit. Integros honor, lapsos dolor ad prælium provocet. » Et inferius exclamans ait: « O dies ille qualis et quantus adveniet, fratres dilectissimi, cum cœperit populum suum Dominus recensere, et divinæ cognitionis examine singulorum merita recognoscere, mittere in gehennam nocentes, et persecutores nostros flammæ pœnalis perpetuo ardore damnare, nobis vero mercedem fidei et devotionis exsolvere! Quæ erit gloria, et quanta lætitia admitti, ut Deum videas; honorari, ut cum Christo Domino Deo tuo salutis ac lucis æternæ gaudium capias! Abraham, et Isaac, et Jacob, et Patriarchas omnes, et Prophetas, et Apostolos, et Martyres salutare; cum justis et Dei amicis in regno cœlorum datæ immortalitatis voluptate gaudere; sumere illic quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit! »

S. Basilius, hom. 20 *De 40 Martyr.*, ait eos hisce vocibus Deum celebrasse, ac sese invicem ad martyrium in gelido stagno obeundum animasse : « Gratias agimus tibi, Domine, quod cum isto amictu simul et peccatum exuere licet, quoniam ob serpentem eum induimus, ob Christum vero exuimus. Quas Domino, qui pro nobis est spoliatus, dignas gratias reddemus! Quid magnum servo, si ea quæ passus est Dominus, subeat? Durum profecto frigus, sed dulcis paradisus. Affligens glacies, sed delectabilis requies. Brevi tempore durantes, sinus Abrahæ nos perpetuo fovebit. Unam noctem cum ævo sempiterno commutabimus. Incendatur frigore pes, ut cum angelis continuo saltet. Torpescat frigore manus, ut facultatem habeat in Deum attollendi. Quot enim commilitones nostri ceciderunt fidem mortali regi servantes ! Nos pro fide in verum Deum servanda hanc vitam non projiciemus? Quando semel mori oportet, moriamur ut vivamus. Fiat sacrificium nostrum coram te, Domine, et velut hostiæ viventes tibi placentes, nosmet hoc sævo gelu immolantes abs te recipiamur. » Unde sub finem de iis exclamat : « O sanctum chorum ! o sacrum ordinem ! o cuneum inexpugnabilem ! o communes humani generis custodes, optimi curarum socii, precum ac votorum invicem suffragatores, legati apud Deum potentissimi, astra mundi, flores Ecclesiarum : vos non terra contexit, sed cœlum excepit. Apertæ sunt vobis paradisi portæ : dignum profecto exercitibus angelorum, Patriarchis, Prophetis et justis omnibus spectaculum, etc. In ipso vitæ flore temporariam hanc vitam contempserunt, ut in membris suis Deum reciperent; mœstos erexerunt, dubios in fide confirmaverunt, piis desiderium auxere; unum omnimo pro pietate omnes trophæum erigentes, una justitiæ corona ornati fuere. » Ex S Basilio.

S. Augustinus, serm. 30 in *Psalm.* CXVIII : « Purpurata est, ait, universa terra sanguine Martyrum, floret cœlum coronis Martyrum, ornatæ sunt Ecclesiæ memoriis Martyrum, insignita sunt tempora natalibus Martyrum, crebrescunt sanitates meritis Martyrum. » Idem, serm. 11 *De S. Cypriano* : « illi, inquit, laus, illi gloria, qui dignatus est illum Martyrem prædestinare inter sanctos suos ante tempora, creare inter omnes opportuno tempore, vocare errantem, mundare sordidum, formare credentem, docere obedientem, regere docentem, adjuvare pugnantem, coronare vincentem. » Ex S. Augustino.

Porro Martyres hisce elogiis celebrat Ecclesia in hymno plurium Martyrum : Ex hymnis Ecclesiæ.

Sanctorum meritis inclyta gaudia
Pangamus, socii, gestaque fortia;
Nam gliscit animus promere cantibus
Victorum genus optimum, etc.
Hi pro te furias, atque ferocia
Calcarunt hominum sævaque verbera;
Cessit his lacerans fortiter ungula,
Nec carpsit penetralia.
Cœduntur gladiis more bidentium,

Non murmur resonat, non querimonia;
Sed corde tacito mens bene conscia
Conservat patientiam.
Quæ vox, quæ poterit lingua retexere
Quæ tu Martyribus munera præparas?
Rubri nam fluido sanguine laureis
Ditantur bene fulgidis.

Vers. 17. 17. QUONIAM TEMPUS EST (græce καιρός, id est, opportunitas, occasio, tempus commodum et opportunum : tale enim est tum præsens vita, tum christianismus, novaque ejus religio; tum moderna Judæorum et infidelium contra eum odia) UT JUDICIUM INCIPIAT A DOMO DEI. — Par enim est ut judex prius suam domum examinet, quam alienam. « Judicium, » ait Œcumenius et Didymus hic, non condemnationem, sed examinationem et explorationem significat; adde, et punitionem aliquam, ac castigationem, puta tribulationem, quæ non temere, sed cum judicio et congrua mensura a Deo peccatori immittitur, ideoque vocatur *judicium*. Deus enim suam domum et familiam, puta Ecclesiam, et fideles domesticos suos per tribulationes justi judicii libramine examinat, a peccatis levioribus expurgat, erudit et perficit. Nihil enim relinquit indiscussum, nihil impunitum. « Natura comparatum est, ait S. Basilius apud Œcumenium, ut contra eos qui familiarissimi nobis sunt, cum in nos peccant, indignemur : familiarissimi autem Deo non sunt alii quam fideles, qui domum Dei, id est Ecclesiam, complent et construunt. » Ita Isaias ait, cap. XXIX, vers. 1 : « Væ Ariel! » *Ariel*, id est væ Hierosolymæ, templo et altari, quod est *Ariel*, id est quasi leo Dei. Vide ibidem dicta, et *Jerem.* cap. XXXV, vers. 18 : « Castigasti me, et eruditus sum, quasi juvenculus indomitus. » Et Sapiens, *Proverb.* III, 11 : « Disciplinam Domini, fili mi, non abjicias, nec deficias cum ab eo corriperis : quem enim diligit Dominus, corripit, et quasi in filio complacet sibi; » et *Apocal.* III, 19 : « Ego quos amo, arguo et castigo. » Alludit S. Petrus ad illud *Ezech.* IX, 6 : « A sanctuario meo incipite » percutere et interficere peccatores. Quare perperam Aureolus τὸ *a domo* exponit, *q. d.* Judicium Dei in homines prodit ex domo et throno Dei, puta ex cœlo. S. Augustinus, in *Psalm.* XCIII, 20, legit : « Tempus est inchoationis judicii ex domo Domini; » sicque explicat : « Tempus est ut modo judicentur qui pertinent ad domum Domini. » S. Justinus, Quæst. LXXIX *ad Orthodoxos*, dat exemplum Josiæ, regis Juda, qui, licet pius, cæsus est in prælio, ut lueret levia sua peccata. Probat S. Petrus Christianos debere pati ex eo, quod nævi, peccata et vitia quædam singulis adhæreant, quæ Deus per tribulationem vult punire et resecare. Non ergo novum et peregrinum eis debere videri, quod præ infidelibus exerceantur et affligantur, eo quod Deus velit domum suam perpurgare, et efficere purissimam, ideoque judicium suum ab ea inchoet; extensurus illud deinde in reliquos homines, quos acrius examinabit et puniet, quia eos gehennæ adjudicabit.

Unde sapienter S. Chrysostomus, hom. *De Lazaro* : « Ubi, ait, videris improbam vitam agentem, nec quidquam acerbi hic patientem, ne putaveris illum beatum, sed defle potius ac deplora; velut illic (in gehenna) omnia tristia perpessurum, sicut dives fecit. Rursus, ubi quem videris virtutis studiosum innumeris affligi molestiis, beatum existima, ut qui et hic omnia sua peccata diluerit, et illic multam habet paratam mercedem, sicut Lazaro evenit. » Ingens ergo Dei beneficium est, quod suos puniat in hac vita, « ne, cum judicii dies advenerit, in plenitudine peccatorum puniat, » II *Machab.* cap. VI, vers. 13; et *Amos*, III, 2 : « Tantummodo vos, ait, cognovi ex omnibus cognationibus terræ, idcirco visitabo super vos omnes iniquitates vestras; » et *Malach.* III, 2 : « Ipse enim quasi ignis conflans, et quasi herba fullonum, et sedebit conflans et emundans argentum, et purgabit filios Levi, et colabit eos quasi aurum. »

SI AUTEM PRIMUM A NOBIS, QUIS FINIS EORUM QUI NON CREDUNT DEI EVANGELIO? — quasi dicat : Si Deus suos fideles et sanctos ita judicat, id est examinat, explorat, exercet et affligit, quid exspectent ab eo infideles, qui vitiis et deliciis diffluunt? quis finis eos manet? quæ pœna? quæ gehenna? Hoc Dei in impios judicium graphice depingit Sapiens, cap. V, vers. 18 : « Accipiet armaturam zelus illius, et armabit creaturam ad ultionem inimicorum; » et quæ sequuntur. Præclare Salvianus, lib. IV *ad Ecclesiam Catholicam* : « Si quis vult, ait, ex peccatoribus scire, quam graviter censenda a Deo sint magna crimina, discat qualiter in semetipsis puniant sancti etiam levia peccata, conscii scilicet jam ex ipsius Dei dictis futuri examinis, ac per Domini sui verba, etiam judicia rimantes, et ideo semper in Dei opere, semper in compunctione, semper in cruce positi : beati qui cum omnium misereantur, sibi nunquam penitus ignoscant, in nullo sibi parcentes, sed totos se admodum Deo impendentes, et ideo in futuro judicio digni præmio, quia hic apud se jugiter in reatu (1). »

Vers. 18. 18. ET SI JUSTUS VIX SALVABITUR, IMPIUS ET PECCATOR UBI PAREBUNT? — Citat *Proverb.* XI, 31 : « Si justus in terra recipit, quanto magis impius et peccator? » ubi Septuaginta ita vertunt, uti hic S. Petrus eos de more secutus, sed eodem redit utraque versio. Pro *salvabitur* græce est σώζεται, id est *salvatur*, hoc est, ad salutem pertingit, multas pœnas quasi pœnitentias patiendo, et ex variis tribulationum fluctibus ægre eluctando.

(1) Vers. 17. Instat enim tempus, quo Christiani gravissima mala patientur : si autem nos primi sustinebimus mala, quem exitum habebunt illi (Judæi) qui non obsequuntur religioni divinæ. — Οἶκος τοῦ Θεοῦ sæpe de populo Israelitico; hic et adjunguntur, et separatim (*a nobis*) nominantur Christiani.

Noster tamen vertit *salvabitur*, scilicet, inquit, in die judicii, non quasi ibi dubius sit futurus et incertus de salute justus, qui in Dei gratia decessit, sed quia ibi recognoscetur et recensebitur tota vita hominis, ejusque anfractus et pericula, ac ex iis demonstrabitur quomodo vix salvatus sit. Levicula est expositio et anagramma Hugonis : Justus, ait, vix salvatur, quia vi crucis quæ exprimitur littera X, vel per quinque plagas, et per Jesum Christum, eo quod in dictione *vix* prima littera V est nota quinarii; secunda I; Jesu, tertia X, Christi : sed alia est littera *x*, ultima in *vix*, aliud χ græcum, quod est prima littera in voce Χριστός. « Impius, » græce ἀσεβής, id est alienus a cultu Dei, » est infidelis; « peccator » est fidelis, puta Christianus, sed in legem Dei peccans, ait Œcumenius. Sensus est, inquit Beda, quasi dicat : « Si tanta est fragilitas humanæ vitæ, ut nec justi quidem in cœlo coronandi sine tribulationibus, propter innumerabilem vitiatæ naturæ labem, transeant; quanto magis hi qui cœlestis gloriæ sunt extorres, certum damnationis suæ exitum exspectant! » Rursum, pro *salvabitur*. hebr. est ישלם *iesciullam*, id est *retribuetur ei*; Cajetanus, *emendabitur*; Rabbini, *pacem habebit* : שלם *salam* enim duo significat : *primo* retribuere; *secundo*, esse pacificum. Unde *Salomon*, id est pacificus, Chaldaice מתחסן *mitchasen*, id est *roborabitur*, vel potius, ut alii, *patiens est*, et vitia patitur; hoc enim consentit cum Hebræo, Græco et Latino interprete, ut mox patebit.

Quæres quomodo justus vix salvabitur? si enim est justus, moriturque justus, certo salvabitur. Interpretes τὸ *salvabitur* tripliciter exponunt. Triplex est enim salus : *prima*, corporis; *secunda*, animæ, dum convertitur a peccato ad justitiam et gratiam Dei; *tertia*, animæ cum æternam salutem adipiscitur. *Primo* ergo aliqui ex S. Ambrosio, lib. II *Apolog. David*, cap. III, sic exponunt : Justus vix tandem salvabitur, id est, ægre hujus vitæ miseriis et ærumnis eripitur, quibus Deus leviores ejus culpas punit : quas ergo impii peccatorum gravissimorum pœnas in æternum dabunt? Huic sensui favet textus Hebraicus et Latina versio, *Proverb.* XI, 11, et quod S. Petrus agat de pœnis quibus Deus justos hic punit et expiat. Ita S. Augustinus, lib. XX *Contra Faustum*, cap. XIV : « Quid enim justius, ait, Unico, cui tamen Deus non pepercit, et quid evidentius, quod nec justis parcat, emendans eos varietate tribulationum, cum de hac re aperte sit dictum : Et si justus vix salvus erit.» *Secundo*, idem S. Augustinus, in *Psal.* VI, exponit de secunda salute, puta de conversione peccatoris, qui difficulter convertitur, eo quod difficile sit relinquere voluptates et pœnitere, *q. d.* Si justus multo labore et angore vix salvatur, id est, resipiscit et convertitur, quot et quanti dolores, angores et supplicia manebunt peccatores ob culpam lethalem, quæ nunquam delebitur? *Tertio*, alii passim accipiunt de tertia salute, *q. d.* Justus vix salvatur, id est vix damnationi eripitur, et salutem æternam adipiscitur : quid ergo exspectandum peccatori? utique non incerta salus, sed certa damnatio. Ita Didymus, Œcumenius, Beda et alii, ait S. Hieronymus, dialog. II *Contra Pelagianos*.

Justus vix salvatur triplicit. Primo.

Secundo.

Tertio.

Dices : Justus certo salvabitur : quomodo ergo ait « vix salvabitur? » Respondeo, pro *vix* græce est μόλις, id est cum labore et molestia, per multas tribulationes, afflictiones, persecutiones, pœnitentias pro peccatis venialibus, ideoque *vix*, id est ægre et difficulter salvatur justus. Adde et tentationes, licet de his proprie non loquatur S. Petrus, et Sapiens, *Proverb.* XI; ait enim : « Si justus in terra recipit, » scilicet pro delictis castigationem et pœnas peccatorum, « quanto magis impius et peccator? » supple, recipiet merita supplicia, non in terra, sed in inferno. Cur? Causa prima.

Secundo, S. Hieronymus, lib. II *Contra Pelagianos*, ex hoc loco contra Pelagianos probat justos esse obnoxios peccatis venialibus. « Justus, ait, in die judicii vix salvatur; salvaretur autem facile, si nihil in se haberet maculæ : ergo justus est in eo quod floret multis virtutibus, et vix salvatur in eo quod in quibusdam Dei indiget misericordia; » additque, ideo Ecclesiam dici impleri spiritu timoris Domini. Et mox aliam, puta tertiam, dans causam et explicationem : « Nam licet, ait, nihil pravi sibi sit conscius, verumtamen sciens quoniam non in hoc justificatur, donec eum justificet judex, æstuat et decertat. » Secunda. Tertia.

Quarta causa est, quia per lapsum Adæ fragiles facti sumus, et proclives in vitia : et hæc fragilitas manet in justis. Ita S. Ambrosius, lib. II *Apolog. David.*, cap. III : « Si David, ait, infirmus, tu fortis? si Solomon lapsus est, tu immobilis? si Paulus, primus peccatorum, tu potes primus esse sanctorum? » Et in *Psalm.* XLIII : « Quis est tam fortis ut nequaquam in tentatione moveatur nisi Dominus adjutor ei assistat? » Quarta.

Quinta, quia virtus est in arduo, et cœlum in summo. Ita Simonides apud Clementem Alexandrinum, lib. IV *Strom.*: « Fertur, ait, virtus habitare in rupibus aditu difficilibus; » et Beda : « Justitia, ait, laboriosa est nisi amantibus; » et Virgilius, VI *Æneid.* : Quinta.

> Facilis descensus Averni;
> Sed revocare gradum, superasque evadere ad auras,
> Hoc opus, hic labor est.

Sextam dat S. Gregorius, XXIV *Mor.*, XVI, nimirum inconstantiam humanarum cogitationum, indeque desideriorum et appetituum, quæ jugiter post lapsum in peccatum ex corde, velut ex fornace, instar scintillarum exhalant et alternant. « Quis, ait, considerare valeat quanta mala per momenta temporum ipsis inconstantibus cogitationum motibus perpetramus? » Et mox : « Humana anima semel æternitatis statum deserens, ad fluxum temporalium delapsa, hanc mutabilitatem alternantium motionum, quam dum cade- Sexta.

ret volens appetiit, dum conatur surgere, cogitur invita tolerare. Inde quippe punita est, unde delectata : quia inde conversa habet laborem certaminis, unde perversa appetiit gaudium voluptatis. » Subdit, cap. XVII, electos hac de causa trepidare eo magis, quo ad finem appropinquant, et hujus eorum pavoris speciem in se expressisse Christum in horto, quando vicinus morti factus in agonia sudavit aquam et sanguinem. Unde cap. XVIII, subdit : « Consideramus quippe quod viam vitæ præsentis nequaquam sine culpa transire potuimus, et quia nec hoc quidem sine aliquo reatu nostro est, quod laudabiliter viximus, si remota pietate judicetur. Quid ergo facient tabulæ, si tremunt columnæ? Aut quomodo virgulta immobilia stabunt, si hujus pavoris turbine etiam cedri quatiuntur? Solutioni ergo carnis appropinquans, nonnunquam terrore vindictæ etiam justi anima turbatur. » Et mox : « Sed quia justorum animæ a levibus quibusque contagiis ipso sæpe mortis pavore purgantur, et æternæ retributionis gaudia jam ab ipsa carnis solutione percipiunt, plerumque vero contemplatione quadam retributionis æternæ, etiam priusquam carne exspoliantur, hilarescunt, recte dicitur : Videbit faciem ejus in jubilo. »

Septima. *Septimam* dat S. Augustinus, IX *Confess.*, XIII, nimirum profundum et abyssum inscrutabilem tum cordis humani, tum judiciorum Dei. Orans enim pro anima matris suæ S. Monicæ : « Væ, ait, etiam laudabili vitæ hominum, si remota misericordia discutias eam. Quia vero non exquiris delicta vehementer, fiducialiter speramus aliquem apud te locum invenire indulgentiæ. » Notum est exemplum Doctoris Parisiensis, qui e feretro exclamavit : « Justo Dei judicio accusatus, judicatus, condemnatus sum; » et tamen videbatur juste et sancte vixisse : quo spectaculo S. Bruno commotus secessit in Carthusiam, ejusque ordinem instituit. Quin et S. Paulus : « Castigo, ait, corpus meum, etc., ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar, » I *Cor.* IX, 27.

Septem aliæ causæ. Denique Thomas Anglicus cur justus vix salvetur, septem dat causas jam dictis non absimiles. *Prima,* quod non sint condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam. *Secunda,* quod caro concupiscat adversus spiritum. *Tertia,* quod caro sua corruptione aggravet animam. *Quarta,* quod non nisi violenti rapiant cœlum. *Quinta,* quod arcta sit via quæ ducit ad vitam, quodque virtutum ardua duraque sint opera. *Sexta,* quod incertum sit an simus justi. *Septima,* quod judicium Dei sit subtile et rigidum.

IMPIUS ET PECCATOR UBI PAREBUNT? — ubi apparebunt? quo ibunt? quis eos locus excipiet? quæ sors? *q. d.* Impii in judicio coram facie Christi apparere expavescent, dicentque montibus : « Cadite super nos; et collibus : Operite nos, » *Apoc.* VI, 16. Inde ibunt in infernum, apparebunt inter damnatos, gehenna eos excipiet, et æterna incendia. Unde Chaldæus, *Proverb.* XI, 13, vertit, *impii in fine perdentur*. Alludit ad *Jerem.* XXV, 29 : « Ecce in civitate in qua invocatum est nomen meum, ego incipiam affligere, et vos quasi innocentes et immunes eritis? non eritis immunes; » et cap. XLIX, 12 : « Ecce quibus non erat judicium ut biberent calicem (furoris Domini), bibentes bibent : et tu quasi innocens relinqueris? Non eris innocens, sed bibens bibes, » *q. d.* Si Deus ita punit suos ob levia peccata, quomodo puniet alienos ob plurima et maxima crimina : S. Gregorius, XXVI *Moral.*, XVIII, putat alludi ad motum naturalem corporis in centrum, qui in fine velocior est quam in principio, *q. d.* Si Dei justitia et ira cum primum movetur et concitatur, tantas calamitates justo irrogat, qua tandem vi et impetu in fine motus sui contra impios rapietur et desæviet? « Peccata, ait, nequaquam divina severitas inulta remanere permittet, sed iram judicii a nostra (justorum scilicet) hic correptione incipit, ut in reproborum damnatione tanquam in fine motus conquiescat. Eant ergo jam reprobi, et voluptatum suarum desideria multa iniquitate consumant, atque eo temporalia flagella non sentiant, quo æterna eos supplicia exspectant. » S. Augustinus in *Psalm.* XCIII, 20, censet alludi ad servum, qui dum videt filium a patre acriter flagellari, trepidat, et longe gravius supplicium exspectat. « Si flagellantur, inquit, filii, quid debent sperare servi nequissimi? quomodo ergo erunt tecum iniqui, quando nec tuis fidelibus parcis, ut exerceas et erudias eos? »

ITAQUE ET HI QUI PATIUNTUR. — Est epilogus dictorum, *q. d.* Cum justus vix salvetur, et non nisi per multas tribulationes, par est ut qui patiuntur, commendent se Deo, tum ut vires patiendi suggerat, tum ut ultimum arctumque vitæ agonem sine salutis periculo obeant, et securi ad palmam futuræ vitæ pertingant; ideoque preces cumulent benefactis, ut certam faciant suam electionem et salutem; *benefacta* intellige opera bona, tum patientiæ et fortitudinis, tum eleemosynæ, tum charitatis, præsertim erga persecutores et tortores, quos olim Martyres sua charitate convertere solebant, et ad Christum traducere.

SECUNDUM VOLUNTATEM DEI, — quia voluntas Dei est ut patiamur pro Christo, fide et justitia, non ob peccata et scelera; utque huic Dei voluntati nos conformantes toleremus fortiter et alacriter quælibet adversa, quasi ab illo immissa, vel permissa ad nostrum bonum et decus. Hac ergo cogitatione solentur se afflicti, quod scilicet nihil eis mali obveniet, nisi a Deo sigillatim prævisum et provisum, qui omnem mali speciem, modum, durationem præfinivit et attemperavit, ita ut non amplius, nec diutius, nec aliter quid pati possim, quam a Deo fuerit præordinatum, scilicet quam vires meæ ferre queant, et quam meæ purgationi, perfectioni et saluti expediat. Deus ergo utitur mala voluntate impiorum et hostium ad punien-

dos et exercendos suos fideles, sed eam frænat, reprimit et regit, sicut sessor equum, ut non tantum mali inferat, quantum vellet, nec aliud aut aliter noceat, quam Deus permittit. Porro Deus vult ita nos pati, ut tamen velit nos prudentes esse, nec patiendi occasiones dare, imo fugere et amoliri, uti Christus jussit Apostolis *Matth.* x, 23, ut in persecutione fugerent ex una civitate in aliam. Stolidum ergo fuit dogma Lutheri non esse resistendum Turcæ, eo quod ille sit flagellum Dei, eoque Deus uti velit ad nos castigandos.

Ita de Aureliano Imperatore, anno 6 imperii sui capto a Sapore, rege Persarum, anno Domini 278, scribit Eusebius, lib. VII *Histor.*, XXV, quod, cum persecutionem contra Dei Ecclesias meditaretur, « dictatis jam litteris et scriptis, cum superesset sola subscriptio, divina dextera interveniens subscriptionem nefandæ dexteræ deturbaverit. Morte subita condemnatur, qui de piorum morte censebat : ut ostenderet Deus, quia non, cum voluerit tyrannus, cruciamur, sed cum probaverit ipse, corripimur. » Dicant ergo afflicti cum S. Job : « Dominus dedit, Dominus abstulit : sicut Domino placuit ita factum est : sit nomen Domini benedictum, » *Job* I, 21. Dicant cum Juda Machabæo : « Sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat, » I *Machab.* III, 60. Dicant cum Christo in agonia : « Fiat voluntas tua, » *Matth.* XXVI, quia, « hæc vox capitis, ait S. Leo, serm. 7 *De Passione,* salus est totius corporis ; hæc vox omnes fideles instruxit, omnes Confessores accendit, omnes Martyres coronavit. Nam quis mundi odia, quis tentationum turbines, quis posset persecutorum superare terrores, nisi Christus in omnibus patiens Patri diceret : Fiat voluntas tua ? »

FIDELI CREATORI COMMENDENT, — vel Christo, ut vult S. Hilarius, XII *De Trinit.*, et S. Cyrillus, IX *Thesauri,* cap. I ; vel simplicius Deo, prout communis est toti S. Trinitati ; hic enim est creator. Datur hic duplex ratio cur afflicti se commendare debeant Deo. *Prima,* quia Deus est creator, qui creaturas suas, præsertim animas rationales, amat. *Secunda,* quia est et fidelis, qui in se sperantes, seque ei commendantes acceptet, exaudiat, fideliter assistat, ita ut nunquam eos deserat, sed adsit, corroboret, liberet, tueatur et protegat, vel ut passionem evadant, vel ut in ea fortiter perdurent, vitamque ponant, uti fecere et faciunt Martyres : quare et morientes animas suas commendare solent (unde Syrus vertit, *commendant,* in indicativo), Deo dicentes cum Psalte et Christo moriente : « Pater, in manus tuas commendo spiritum meum, » *Lucæ* XXIII, 56 ; et cum S. Stephano : « Domine Jesu, suscipe spiritum meum, » *Act.* VII, 58 ; et cum S. Paulo : « Scio cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare, » I *Timoth.* I, 18 ; et cum S. Agatha : « Domine, qui me custodisti ab infantia, qui abstulisti a me amorem sæculi, qui me carnificum tormentis superiorem præstitisti, accipe animam meam ; » et

Morientes commendant animam Deo.

cum S. Agnete : « Omnipotens, adorande, colende, tremende Pater Domini nostri Jesu Christi, benedico te, quia per Filium tuum unigenitum evasi manus hominum impiorum, et spurcitias diaboli impolluto calle transivi. Ecce jam quod credidi video, quod speravi jam teneo, quod concupivi complector. Te confiteor labiis et corde, te totis visceribus concupisco. Ecce ad te venio vivum et verum Deum, qui cum Domino nostro Jesu Christo Filio tuo, et cum Spiritu Sancto vivis et regnas in cuncta sæcula sæculorum. Amen. » Ita S. Ambrosius, lib. IV *epist.* 34. Denique omnes Martyres in martyrio diffisi suis viribus se Deo commendarunt, itaque vires patiendi et secure moriendi impetrarunt : qui vero suis fisi viribus orare neglexerunt, humiliati ceciderunt fidemque negarunt, itaque superbiæ et injuriæ suæ pœnas dederunt, nobisque statuti sunt in exemplum. Exempla.

ANIMAS SUAS. — Unicam singuli habent animam spiritalem et immortalem, eam ergo quasi oviculam custodiant, ut in æternum felix et beata sit : Deo ergo beandam commendent et offerant. Nam, ut ait Deus *Ezech.* XVIII, 4 : « Omnes animæ meæ sunt ; » et Sapiens, cap. XI, vers. 27 : « Parcis autem omnibus, quoniam tua sunt, Domine, qui amas animas ; » græce significantius, δέσποτα φιλόψυχε, id est, *Domine philanime et philanthrope.* Porro cum anima cætera omnia Deo commendanda sunt. Unde Tertullianus, lib. *De Patientia,* de injuriis propter Deum ferendis : « Si apud Deum, inquit, deposueris injuriam, ipse est ultor ; si damnum, est restitutor ; si dolorem, medicus est ; si mortem, resuscitator. » Nominat « animas, » quia anima patientis et martyris, eodem instanti quo obit et abit e solo et salo, cœlum adit ; dumque denascitur luci caducæ, renascitur luci gloriæ æternæ. Mors ergo ipsi est occidens mortis, et oriens vitæ ; martyrium est ei occasus pœnarum, et oriens palmarum. Unde Ecclesia diem mortis Martyrum vocat nativitatem, quia ille ipsis est natalis vitæ melioris et beatæ. Felix mors, quæ est introitus et janua vitæ. « Non est exitus ille, sed transitus, ait S. Cyprianus, *De Mortalit.* Regnum Dei cœpit esse in proximo, præmium vitæ, et gaudium salutis æternæ, et perpetua lætitia, et possessio paradisi, etc. jam terrenis cœlestia, et magna parvis, et caducis æterna succedunt. »

IN BENEFACTIS, — ἐν ἀγαθοποιΐᾳ ; Syrus, *in operibus bonis ;* Pagninus et Tigurina, *in beneficentia,* ut scilicet benefaciamus etiam persecutoribus et tortoribus : hæc enim vicissim provocabit beneficentiam Dei in nos, ut animam sibi commendatam tueatur, excipiat et æternis bonis beet. Ita S. Jacobus, frater S. Joannis, ductus ad mortem, suum traditorem complexus, osculoque salutans, Christianum et Martyrem effecit, uti narrat Eusebius, lib. II *Hist.*, VIII. Sic S. Polycarpum iis qui se ad capiendum venerant, « mensam apponi jussisse, deinde orasse ut cibum large et affatim sumerent ; unamque horam qua libere orationi vacaret, pos-

tulasse,» scribit Eusebius, lib. IV, cap. XIV. S. Cyprianus, spiculatori qui sibi caput erat amputaturus, jussit dari 25 aureos, teste Pontio in ejus Vita. Hoc est quod jubet Christus : « Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos,» *Matth.* v, 44. Additque causam : « Ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est. » Nam, ut ait S. Leo, serm. *De omnibus Sanctis* : « Misericordem te misericordia, justum vult te esse justitia, ut in creatura sua creator appareat, et in speculo cordis humani per lineas imitationis expressa Dei imago resplendeat. »

Rursum, pro *benefacta* accipe, cum Syro, quælibet bona opera et virtutum exercitia (1). Unde Œcumenius accipit humilitatem. « Quo pacto, inquit, commendare seipsum Deo quispiam debet? In benefaciendo videlicet, id est, in humilitate, ut non glorietur et efferat se ob ea quæ patiatur, sed quanto majora videtur pati, tanto inutiliorem se existimet, et semper illud subjungat ac dicat : Justus es in omnibus quæ fecisti nobis. »

Docet ergo S. Petrus Christianum debere benefacere, non tantum in vita, sed et in morte, ut tota vita Christiani usque ad mortem inclusive sit continua actio et bonorum operum exercitium, ut tamdiu bene operetur, quamdiu sperat et spirat. Dicebat Vespasianus Imperator stando moriens : « Imperatorem decet stantem mori; » at Christianum decet patientem et laborantem mori, nimirum militibus Christi non ante vitam stipendia finiuntur : cum consummaverint, tunc incipient; sola mors missionem dat eis : unica sedes emeritorum est cœlum.

Rursum Christiano non sufficit in tribulatione pati et exercere patientiam, sed eam ornare et cumulare debet beneficentia, aliisque virtutibus, ut ex spinis tribulationum et rosis bonorum operum alternando coronam suam plectat, ac sibi cycladem cœlestem ex argento patientiæ et auro charitatis contexat, atque Christum imitetur, qui crucifixus et moriens vestes suas tradidit tortoribus, latronem paradiso, Joannem matri, animas patrum cœlo, omnes homines Deo. Tota ergo vita Christi fuit continua malorum passio et bonorum actio. Talis sit et Christiani. Dicebat ille : « Romanum est fortia agere; » at « Christianum est fortia tam agere quam pati. »

Insuper sicut inter spinas vigent et efflorescunt rosæ, a spinis vero separatæ et collectæ emoriuntur; ita fidelis inter cruces viget et efflorescit bonis operibus, a crucibus vero separatus et liber marcescit, torpescit, emoritur. Ita S. Petrus post Christum Christiani agminis ductor, in carcere Mamertino, vicinus morti S. Processum et Martinianum cum aliis quadraginta quinque ad Christum convertit et baptizavit.

Sancti bene faciendo moriuntur. Exempla.

Ita S. Stephanus non cessavit concionari et convincere Judæos, donec lapidibus oppilatum est os ejus sacrum et angelicum.

Ita S. Paulus ductus ad martyrium suos milites et tortores convertit; et in carcere non cessavit fidem Christi prædicando voce, et manu scribendo epistolas, propagare, donec illi caput abscissum est.

Ita S. Andreas affixus cruci, in eaque biduum vivus pendens, Christi fidem prædicare nunquam intermisit, donec ad eum migravit, cujus mortis similitudinem concupierat, inquiunt presbyteri Achaiæ, oculati testes in ejus Actis.

Ita S. Cyprianus jam a præside captus mortique vicinus, totus erat in suorum exhortatione, doctrina, corroboratione, adeoque singulis propria dabat vitæ documenta, idque usque ad ultimum spiritum. Videlicet, ait Pontius in ejus Vita, « tanta illi fuit cupido sermonis, ut optaret sic sibi passionis vota contingere, ut, dum de Deo loquitur, in ipso sermonis opere necaretur, et hi erant quotidiani actus destinati ad placentem Deo hostiam. » Et S. Augustinus, serm. *De S. Cypriano* : « Vicina, ait, corporis morte non moriebatur in animo pastoris vigilantia pastoralis, et cura tuendi gregis usque ad extremum vitæ hujus diem mente sobria tenebatur. Nec excutiebat ab animo diligentiam fidelissimi dispensatoris manus jam proxima cruenti carnificis. Ita se Martyrem cogitabat futurum, ut esse non oblivisceretur Episcopum. Amabat quippe eum qui Petro dixerat : Amas me? pasce oves meas. Et pascebat oves ejus, pro quibus sanguinem fundere illum imitans properabat. Custodiri puellas præcepit, sciens se non solum habere simplicem dominum, sed et versipellem adversarium. Itaque adversus leonem aperte frementem in confessione virile pectus armabat; adversus insidiantem lupum in gregem, sexum femineum muniebat. Utinam idem mihi idem Deus largiatur! »

Ita S. Ambrosius commentationi *Psalm.* XLIII immortuus est. Audi Paulinum in ejus Vita, quam scripsit ad S. Augustinum : « Ante paucos dies quam lectulo detineretur, cum quadragesimum tertium psalmum dictaret, me et excipiente et vidente, subito in modum scuti brevis, ignis (index Spiritus Sancti) caput ejus cooperuit, atque paulatim per os ipsius tanquam in domum habitator ingressus est : et facta est facies ejus velut nix, postea vero reversus est ad speciem suam. Quod cum fieret, stupore perculsus obrigui, nec potui scribere quæ ab illo dicebantur, nisi postquam visio transivit. Nam scribendi vel dictandi illo die finem fecit, siquidem ipsum psalmum explere non potuit. »

Ita S. Hieronymus, quanquam varie morbis doloribusque tentaretur, tamen corporis incommoda piis laboribus et perpetua lectione ac scriptione superabat.

Ita Venerabilis Beda ne in morbo quidem a docendo et scribendo cessabat, quin vero ultima

(1) Ut sensus sit, *neque in bene agendo defatigentur.*

infirmitate in Evangelio S. Joannis laboravit, et pene animam agens, ut absolveret accito scriba : « Accipe, ait, calamum, et scribe festinanter. » Et tandem : « Bene, inquit, consummatum est; et cycneum canens; Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, » spiritum Deo commendatum emisit et resignavit pro fidei labore, Dei visione beandum, anno Domini 731.

Cruces ergo et labores fidelium non finiuntur nisi cum vita. Cogitant enim illud *Eccles.* IX, 10 : « Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare : quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos quo tu properas. » Hæc cogitans S. Thomas Aquinas lethali morbo decumbens, Cantica Canticorum explicavit Cisterciensibus Fossæ novæ, itaque cycni instar cycneum canens spiritum Deo reddidit; docendo moriens, et moriendo docens. Similiter novi viros religiosos, qui postularunt a Deo ut non in lecto, sed in labore morerentur, ac impetrarunt; nam concionando mortui sunt : nimirum fideles cum Nazianzeno vivunt et thesaurizant æternitati, eoque magis quo magis ad eam accedunt, adeoque cum agunt animam, ut benefactis animas suas fideli creatori commendent et resignent. Nulla enim major est commendatio animæ apud Deum, quam quæ fit benefaciendo et virtutum opera exercendo. Moribundis ergo hoc detur consilium, ut crebro actus efficaces et intensos fidei, spei, pœnitentiæ, charitatis, religionis eliciant, ut eleemosynas copiosas elargiantur, ut legata pia instituant, ut afflictis, rudibus, egentibus consulant, ut domesticos, præsertim filios, ad concordiam et ad Dei timorem et obsequium exhortentur, ut si quem læserunt, veniam postulent, si a quopiam læsi sunt condonent, omnemque injuriam remittant, ut Ecclesiæ ejusque ministris alimoniæ partem assignent, ac anniversarias vel menstruas et hebdomadarias pro se preces, sacra et psalmodiam sanciant, etc.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

A fidelibus transit ad pastores Ecclesiæ, eisque commendat ut gregem Christi pascant non turpis lucri gratia, neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. Secundo, vers. 5, *adolescentibus commendat subjectionem, omnibus humilitatem, utque sollicitudinem omnem resignent in Dei providentiam. Item sobrietatem et vigilantiam, ut resistant diabolo, qui circuit quasi leo rugiens quærens quem devoret. Tertio, vers.* 10, *animando eos quod Deus modicum passos ipse perficiet, salutatione et gratiæ apprecatione claudit epistolam.*

1. Seniores ergo qui in vobis sunt, obsecro, consenior et testis Christi passionum : qui et ejus, quæ in futuro revelanda est, gloriæ communicator : 2. pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum : neque turpis lucri gratia, sed voluntarie. 3. Neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. 4. Et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam. 5. Similiter, adolescentes, subditi estote senioribus. Omnes autem invicem humilitatem insinuate, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. 6. Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis : 7. omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. 8. Sobrii estote, et vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret : 9. cui resistite fortes in fide : scientes eamdem passionem ei, quæ in mundo est, vestræ fraternitati fieri. 10. Deus autem omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo Jesu, modicum passos ipse perficiet, confirmabit solidabitque. 11. Ipsi gloria, et imperium in sæcula sæculorum. Amen. 12. Per Silvanum fidelem fratrem vobis, ut arbitror, breviter scripsi, obsecrans et contestans, hanc esse veram gratiam Dei in qua statis. 13. Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone coelecta, et Marcus filius meus. 14. Salutate invicem in osculo sancto. Gratia vobis omnibus, qui estis in Christo Jesu. Amen.

Vers. 1. 1. SENIORES ERGO, — tum ætate, tum dignitate et sacerdotio, sive id minus sit et vulgare, sive majus, puta episcopatus. Unde S. Hieronymus, *epist.* 85, vertit *presbyteros*. Compellat enim sa-

cerdotes et Episcopos quasi Ecclesiæ pastores, eisque jubet ut strenue pascant gregem fidelium a Deo sibi commissum, quibus proinde ideam vitæ pastoralis paucis, sed nervose præscribit. Unde apud Syros hæc epistolæ pars legi solet in electione et ordinatione Episcoporum, uti notat hic Syrus. Hinc et mox pro *providentes,* græce est ἐπισκοποῦντες : ita S. Hieronymus, Œcumenius et alii passim.

ERGO. — Syrus, *autem.* Τὸ *ergo* refer tum ad omnia præcedentia, quæ licet ad omnes fideles spectent, maxime tamen ad pastores, qui ea fidelibus inculcare debent; tum proprie ad vers. 11 et præced. : « Si quis loquitur, quasi sermones Dei; si quis ministrat, tanquam ex virtute quam administrat Deus. » Hæc enim maxime spectant ad presbyteros qui pascunt gregem tum prædicando, tum ministrando sancta Sacramenta. Item ad illud cap. IV, vers. 17 : « Quoniam tempus est ut incipiat judicium a domo Dei, » *q. d.* Quoniam Deus incipit judicium a domo et familia sua, utique illud incipiet ab ejus præpositis, ab eisque exiget rationem tum suæ animæ et officii, tum gregis eis commissi. Illum ergo debite et strenue pascant, ut Deo judici reposcenti rationem reddere possint.

OBSECRO. — Παρακαλῶ tria significat, scilicet hortor, consolor, obsecro : hic tamen magis significat « obsecro; » modestiæ enim causa Petrus, licet summus Pontifex, non tam jubet quam precatur et obsecrat.

CONSENIOR, — συμπρεσβύτερος, id est, ut S. Hieronymus, *epist.* 85, *compresbyter*; Syrus, *ego presbyter socius vester.* Rursum modestiæ causa vocat se non Pontificem, sed compresbyterum quem secuti Summi Pontifices in suis Epistolis et Bullis, Episcopos vocant « fratres et coepiscopos; » hi enim ipsis in episcopatu, puta in potestate Ordinis, sunt pares, licet jurisdictione impares. Quare S. Gregorius Romanus Pontifex noluit appellari universalis Episcopus, ne cæteris Episcopis videretur jus episcopatus derogare aut minuere, quasi ipse solus revera esset Episcopus, cæteri tantum nomine tenus ejusque duntaxat Vicarii, aut Suffraganei. Id fecit ad retundendam insolentiam Joannis, Archiepiscopi Constantinopolitani, qui nomen universalis Patriarchæ sibi arrogabat, contra quem S. Gregorius, lib. VII, epist. 69 *ad Eusebium* : « Si unus, ait, universalis est, restat ut vos Episcop non sitis. » Et lib. IV, epist. 36 *ad Eulogium* : « Si unus Patriarcha universaliter dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur. » Alioqui de jure hoc nomen Romano Pontifici convenit. Sic enim Concilium Chalcedonense S. Leonem vocat universalem Archiepiscopum, id est, Episcopum Episcoporum, Episcopum totius Ecclesiæ, cui cæteri Episcopi sint subjecti et subordinati. Quocirca notat Œcumenius S. Petrum hic Episcopos docere modestiam, *q. d.* « Si ego qui talium miraculorum spectator fui, atque eorum vobis præceptor sum, non dedignor compresbyterum et socium vestrum me ipsum vocare, neque vos supra illos efferri, qui vobis subsunt, debetis. Quippe cum etiam Christus hujus magister cum humilitatem doceret, dixerit : Si ego dominus et magister vester lavi vobis pedes, et vos alter alterius pedes lavare debetis, » *Joan.* cap. XIII.

TESTIS CHRISTI PASSIONUM. — Interfuerat enim S. Petrus Christi passioni, imo ejus pars non parva fuerat; unde et in horto cum Jacobo et Joanne Christo sudanti sanguinem affuit, ac Christum defendere volens strinxit gladium, Malchoque insolenti aurem amputavit; denique Christum secutus in atrium, terrore percitus Christum negavit, sed Christo respiciente pœnitens flevit amare.

Secundo, Petrus fuit « testis, » græce martyr, « Christi passionum, » quia ut iis vicem redderet, carceribus, flagellis, morti et martyrio pro Christo ultro se exposuit, ut patet *Act.* V, 41, et XII, 3, et deinceps.

Tertio, addunt aliqui : « Testis passionum Christi, » earum scilicet, quas Christus in suis Christianis patitur, quasque vicissim Christiani pro Christo patiuntur : has enim Petrus, quasi fidelium patientium pater et pastor, compatiendo adeo sentiebat, ac si ipsimet inflictæ fuissent.

Meminit passionum Christi, tum quia eas in intimis animæ medullis gerebat, iisque excitabatur ad ardentem Christi amorem, ad labores et dolores quoslibet pro eo tolerandos; tum ut iisdem excitaret pastores Ecclesiæ ad eorum imitationem, ut Christi amore dura quælibet paterentur et agerent, ad oves ejus pascendas, pro eisque sanguinem, spiritus et vitam exhaurirent, uti exhausit Christus. Simili modo S. Joannes inchoans Apocalypsin, ut fideles animet ad instantium persecutionum tolerantiam et constantiam : « Ego Joannes, inquit, cap. I, vers. 9, frater vester et particeps in tribulatione, et regno, et patientia in Christo Jesu; fui in insula, quæ appellatur Patmos, propter verbum Dei et testimonium Jesu. »

Hac de causa Episcopi gestant crucem in pectore, eamque adamantinam gestat Pontifex, ut meminerit jugiter crucis et passionum Christi, ac pro Christo cruces quaslibet fortiter adeat et subeat, adeoque in morte et martyrio consistat immobilis in fide et amore ejusdem quasi adamas.

QUI ET EJUS QUÆ IN FUTURO REVELANDA EST, GLORIÆ COMMUNICATOR. — Græce κοινωνός, id est, ut S. Hieronymus, *epist.* 85, *particeps*; Syrus, *consors* et *participator,* scilicet fui, tum in monte Thabor, ubi Christum in gloria transfiguratum cum Joanne et Jacobo conspexi : ita Lyranus et Cajetanus; tum in Christi resurrectione, ascensione et missione Spiritus Sancti : hæc enim oculis meis intuitus sum, indeque miram hausi spiritus dulcedinem æque ac gratiam. Ita Glossa, Hugo, Dionysius et alii.

Secundo, ejusdem gloriæ communicator et particeps ero mox post hanc vitam meumque martyrium : hoc enim firma spe, et, ut Cajetanus censet, certa revelatione sciebat et exspectabat S. Petrus. Dixerat enim ei Christus : « Sequere me, » scilicet ad crucem et martyrium; unde addit S. Joannes, XXII, 19 : « Significans qua morte clarificaturus esset Deum. » Habuit ergo, ait Cajetanus, S. Petrus revelationem, non tantum suæ prædestinationis, sed et laureæ martyrii, quin et temporis ejusdem, juxta illud quod ait, *epist.* II, cap. I, vers. 14 : « Certus sum quod velox est depositio tabernaculi mei, secundum quod Dominus revelavit mihi. » Simili modo S. Pius, S. Polycarpus, S. Cyprianus aliique Pontifices habuere revelationem suæ mortis et martyrii.

Tertio, Lyranus et Carthusianus « communicator » exponunt active, *q. d.* Ego prædicando fidem et spem gloriæ in cœlo revelandæ fidelibus trado et communico. Verum κοινωνὸς a Græcis vocatur *communicator,* passivus, non activus.

Gloriæ cœlestis meminit Petrus, tum quia mente versabatur in cœlis, et ad gloriam cœlestem anhelabat; tum ut Pastorum et fidelium animos ad cœlestia raperet, eorumque spe animaret ad omnes labores et agones pro Christo fortiter subeundos; « ut cum apparuerit Princeps pastorum, percipiant immarcescibilem gloriæ coronam, » vers. 4. Idcirco ait eam in futuro revelandam, *q. d.* In præsenti vita laborandum est, usque ad extremum halitum; ita in futuro nobis revelabitur et dabitur gloria et corona cœlestis : præsens enim vita est laboris et meriti, futura erit quietis et mercedis, juxta illud Christi : « Merces vestra copiosa est in cœlis, » *Matth.* V; et : « Tristitia vestra vertetur in gaudium, » *Joan.* XVI; et illud Pauli : « Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex, » II *Timoth.* IV.

Vers. 2. 2. PASCITE QUI IN VOBIS EST GREGEM DEI. — Audierat Petrus a Christo : « Petre, amas me? » ac respondens : « Domine, tu scis quia amo te, » exceperat : « Pasce oves meas; » idque tertio a Christo repetitum. Idem jam aliis inculcat et resignat, *q. d.* Ego a Christo institutus summus Ecclesiæ pastor, ejus gregem pavi et pasco cum omni cura, amore et sollicitudine : vos ergo mediati pastores mihi subordinati et subditi, idem præstate. Hæc enim est lex et voluntas Christi, quam mihi indicavit, ut eamdem vobis insinuem. Porro Christus alludit ad Davidem suum abavum : David enim fuit pastor ovium, et inde a Deo factus est rex, id est, pastor populorum, juxta illud *Psal.* LXXVII, 70 : « Et elegit David servum suum, et sustulit eum de gregibus ovium : de post fœtantes accepit eum. Pascere Jacob servum suum, et Israel hæreditatem suam. Et pavit eos in innocentia cordis sui, et in intellectibus manuum suarum deduxit eos. » David enim fuit typus, æque ac pater Christi, qui est rex et Pastor Pastorum Ecclesiæ et totius orbis, juxta illud *Matth.* cap. II, vers. 6 : « Ex te exiet dux qui regat, » græce ποιμανεῖ, id est *pascet,* instar Davidis pariter Bethlehemitæ, « populum meum Israel. » Sic Moses a pascendis gregibus a Deo vocatus est ad pascendum et regendum Hebræos : pascendo enim oves Jethro, quasi in gymnasio et præludio didicit quomodo pascere deberet homines et gregem Domini, uti dixi *Exodi* III. « Pascite » ergo idem est quod *regite,* ut legit S. Hieronymus, *epist.* 85; rex enim et prælatus ea prudentia, charitate, cura, diligentia, patientia debet regere populum, qua pastor regit oves ut eas pascat et impinguet. Sic enim Deus regit homines quasi oves suas, juxta illud *Psalm.* XXII, vers. 1 : « Dominus regit me; » Hebr. et Septuaginta : « Dominus pascit me; » S. Hieronymus : « Dominus Pastor meus. » Unde subdit : « Et nihil mihi deerit, quia in loco pascuæ ibi me collocavit; » Hebr. « in loco virenti; » Aquila et Symmachus, ἐν ὡραιότητι πόας, id est, *in venustate herbæ,* puta in Ecclesia Christi, quæ optima habet pascua S. Scripturæ et verbi Dei, ac gratiæ et gloriæ futuræ.

Nota *primo* : S. Petrus, quasi Pastor totius Ecclesiæ, pascit hic Pastores, id est Episcopos instruit et dirigit ad bene obeundum suum munus Pastorale. Nam, ut ait S. Leo, serm. 3 *De suo Anniversario* : « De toto mundo unus Petrus eligitur, qui et universarum gentium vocationi et omnibus Apostolis, cunctisque Patribus præponatur; ut, quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint, multique Pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus. » Unde quod Christus dixit Petro : « Pasce oves meas, » idem per Petrum sibi dictum censuit S. Gregorius Nazianzenus, Episcopus Constantinopolitanus, Apol. *pro fuga sua.* Idemque Basilio Episcopo dictum asserit S. Chrysostomus, lib. II *De Sacerd.* Porro, ut ait Nazianzenus, *Apol.* I : « Ars artium est, et scientia scientiarum regere hominem, animal omnium maxime varium et multiplex. » Et ex eo S. Gregorius, initio *Pastor.* : « Ars artium, ait, et scientia scientiarum est regimen animarum. » Hoc autem recte obimus, si, ut ait idem, lib. II, *epistola* 39, « vivendo et loquendo proximorum animas lucramur; si infirmos in superno amore roboramus; si protervos et tumidos gehennæ supplicia terribiliter insonando flectimus; si nulli contra veritatem parcimus; si supernis amicitiis dediti, humanas inimicitias non timemus. » Memorabilis est sententia S. Petri, qua, ut scribit Onuphrius *de Vitis Pontificum,* in *S. Petro,* pontificatum in S. Clementem resignavit : « Anno, ait, Christi 68, sanctus Pontifex Petrus paulo ante obitum suum, cum martyrii tempus appropinquare, Domino revelante, cognovisset, beatum Clementem S. R. E. veterem Presbyterum Episcopum Romanum designatum, in successorem suum per manuum impositionem

consecravit, eique cathedram Episcopalem et Romanam Ecclesiam post se ab eo regendam commendans : « Ego, ait, eamdem tibi potestatem ligandi atque solvendi trado, quam mihi Dominus meus Jesus Christus reliquit, in qua, spretis ac contemptis rebus omnibus, tum corporis, tum fortunæ, oratione et prædicatione saluti hominum, ut bonum Pastorem decet, consule. » S. Basilius in *Moral.*, Regula 80, cap. xv, quærit quales debeant esse prædicatores Evangelii, ac respondet, *primo*, tanquam pastores; *secundo*, tanquam medicos; *tertio*, tanquam parentes et nutrices; *quarto*, tanquam Dei adjutores; *quinto*, tanquam plantatores palmitum Dei; *sexto*, tanquam ædificatores templi Dei : quæ omnia probat ex verbis Christi et Pauli. « Tanquam Pastores, ait, ovium Christi, qui, quandocumque tempus postulet, ne animam quidem ponere pro illis dubitent, ut Evangelium illis impertiant. Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis. Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.

» Tanquam medicos : qui, magna adhibita animi lenitate, scienter secundum doctrinam Domini, animarum morbos curent in acquisitionem ejus, quæ est in Christo, sanitatis et perseverantiæ. Non est opus valentibus medico, sed male habentibus. Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum portare.

» Tanquam parentes et nutrices filiorum, qui ex magnitudine ejus quæ est in Christo charitatis, parati sint libenti animo communicare illis non solum Evangelium Dei, sed suam etiam ipsorum vitam. Filioli, adhuc modicum vobiscum sum. Nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui. Tanquam si nutrix foveat filios suos, ita desiderantes vos cupide, volebamus tradere vobis non solum Evangelium Dei, sed etiam animas nostras, quia charissimi nobis facti estis.

» Tanquam Dei adjutores, qui solis Deo dignis operibus totos se mancipent pro Ecclesia Dei. Dei enim sumus cooperarii : Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis.

» Tanquam plantatores palmitum Dei, qui in vite quæ est Christus, nihil alienum aut infructuosum relinquant; et ea quæ convenientia sunt atque fœcunda, meliora efficere studeant, omni diligentia adhibita. Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum; et omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructus plus afferat. Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit.

» Tanquam ædificatores templi Dei, qui uniuscujusque animam ita continent, ut fundamento Apostolorum et Prophetarum apte congruat. Secundum gratiam Dei quæ data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui, alius autem superædificat. Unusquisque autem videat quomodo superædificet. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. Ergo jam non estis hospites et advenæ, sed estis cives sanctorum et domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Jesu Christo, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in quo et vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu Sancto. »

Pastor pascat tripliciter.

Notat *secundo* S. Bernardus, serm. 2 *De Resurrectione Christi*, ter a Christo repeti dicique S. Petro : « Pasce oves meas, » ut significet eas pascendas esse tripliciter, scilicet mente, lingua, manu. « Pasce, ait, mente, pasce ore, pasce opere : pasce animi oratione, verbi exhortatione, exempli exhibitione. » Idem, *epistola* 201 : « Pasce, ait, verbo, pasce exemplo, pasce sanctarum fructu orationum. » Idem, epist. 42 *ad Henricum*, Episcopum Senonensem : « Nec præceps, inquit, eris in sententia, nec vehemens in vindicta : non in corrigendis remissior, non severior in parcendis, non pusillanimus in exspectandis; non superfluus in victu, nec notabilis in vestitu; non citus ad promittendum, non ad reddendum tardus, nec prodigus dator. » Idem, sermone 66 *in Cantic.* : « Pudeat, inquit, successores Apostolorum lucem non esse mundi, sed modii, mundi autem tenebras. Dicamus eis : Vos estis tenebræ mundi. »

Nota *tertio* : Christus dixit Petro, et per eum aliis Episcopis et Pastoribus : « Pasce oves et agnos meos, » non tuos, ut magis suos fideles eis commendaret. Vox enim *oves* significat Christum earum esse Pastorem : vox vero *agnos* significat Christum earum esse patrem, imo matrem, utpote quas baptismo regeneravit, et in filios sibi adoptavit. Quocirca vere et apte S. Bernardus in *Sententiis*, sub initium : « Quantum, ait, distat inter Pastorem et gregem, tantum debet distare inter Episcopum et plebem. Stat ille sublimis et rectus, curvat iste caput solo depressus. » Unde Poeta :

> Pronaque cum spectent animalia cætera terram,
> Os homini sublime dedit, cœlumque tueri.

« Ille regit, iste regitur; ille pascit, iste pascitur; ut ex ipsa forma et habitu uterque discernatur : habet ille in manu virgam, qua feriat, vel potius dūcat et reducat ovem. Quid est autem habere in manu virgam, nisi in opere disciplinam, ut subjectos suos exemplo magis instruat quam verbo? Erubescunt enim superbi esse discipuli, si eos in humilitate præcesserint magistri. Unde et de Domino scriptum est : Cœpit Jesus facere et docere. Habet etiam baculum, quo feriat lupum; virga, ovem; baculo, lupum, hoc est, mites et obedientes debet lenius corripere, duros vero corde et improbos acrius arguere. Tenet canem in fune, zelum scilicet in discretione; habet etiam panem in pera, hoc est, Dei verbum in memoria. » Et post plura planius :

« Pastorum, ait, est vigilare super gregem, propter tria necessaria, videlicet ad disciplinam, ad custodiam, ad preces. Ad disciplinam, propter morum correctionem, ne grex commissus propria malitia deficiat. Ad custodiam, propter diabolicam suggestionem, ne hostili seducatur calliditate. Ad preces, propter tentationum instantiam, ne vincatur a pusillanimitate. In disciplina rigor justitiæ, in custodia spiritus consilii, in prece affectus compassionis. » Vide eumdem S. Bernardum, libris quinque *De Considerat.* ad Eugenium Pontificem, qui vere aurei sunt, et exacte Pontificem quomodo fideles regere debeat, in omnibus instruunt. Vide et dicta *Ezech.* III, 4; denique S. Gregorium in *Pastorali.*

QUI IN VOBIS EST. — Græce ἐν ὑμῖν, quod Fevardentius vertit, *q. d.* « Quod in vobis est, » hoc est, quantum potestis, quantum valetis. Verum melius transtulit Noster, « qui in vobis est, » id est, qui vobis subditus et commissus est. Unde Syrus vertit, *qui traditus est vobis.* Sicut enim juridice regnum est in rege : sic Ecclesia, id est populus fidelis, est in suo Pastore et Episcopo, quasi suo rectore, capite et gubernatore. Rursum, τὸ *qui in vobis est* significat distributas esse Diœceses et Parœcias, ac cuique datum suum Pastorem et Episcopum, qui unam duntaxat sibi commissam regere debeat, nec possit invadere alienam ; cum S. Petrus ejusque successor Pontifex Romanus, sit Episcopus et Pastor omnium omnino fidelium per totum orbem dispersorum. Unde S. Cyprianus, lib. *De Unitate Ecclesiæ,* ait, « unum Episcopatum esse, cujus a singulis in solidum pars teneatur. » Excipio Apostolos : illi enim a Christo potestatem acceperunt in totum orbem ; ideoque totius orbis fuere Episcopi et Pastores, sed ita ut subjecti essent S. Petro. Hoc voluisse videtur S. Clemens ; *epist.* I, ubi S. Jacobum vocat Episcopum Episcoporum, et regentem omnes Ecclesias. Quare inepte Calvinus, lib. IV *Instit.*, cap. VII, ex eo quod S. Petrus alios hortetur ut pascant gregem suum, colligit ad Petrum non pertinuisse eum pascere : pari enim modo colligeret : Rex jubet suo proregi, v. g. Siciliæ, ut Siculos quos ei regendos commisit, juste regat : ergo Siculi a rege non reguntur, nec ad eum pertinent quasi subditi ; cum potius contrarium colligendum sit, hoc modo : Rex regit Siculos per proregem : ergo Siculi regi sunt subditi.

GREGEM DEI, — non suum. Hinc S. Bernardus, *epist.* 237, hisce Petri verbis monet Eugenium Pontificem, ut Petri hæres Petrum audiat, nec vocet Ecclesiam Sarai, id est *domina mea,* sed « Sara, » id est, *domina* absolute, quia domina et uxor est Christi, qui verus est Ecclesiæ Patriarcha et Abraham. Quocirca S. Augustinus, tract. 230 *in Joannem* : « Qui, ait, hoc animo pascunt oves Christi, ut suas esse velint, non Christi, se convincuntur amare, non Christum ; vel gloriandi, vel dominandi, vel acquirendi cupiditate ; non obediendi, et subveniendi, et Deo placendi charitate. »

PROVIDENTES, — ἐπισκοποῦντες, id est, *superspeculantes,* superintendentes, supervigilantes ; Syrus, Pagninus et Tigurina, *curam illius agentes.* Inde nomen et officium Episcopi, id est *superinspectoris,* uti interpretatur S. Ambrosius, lib. I *De Dignit. sacerd.*, cap. VI, et *superintendentis,* uti vertit S. Hieronymus, epist. 85 *ad Evagrium.* Episcopi enim est superintendere gregi, teste S. Augustino, XIX *De Civit.*, XIX. Hinc in Ecclesia altiori solio considet, ut omnes circumlustrare, regere et corrigere possit, ac vicissim ab omnibus videri et audiri.

Pastoris officia. Primum

Explicat τὸ *pascite,* ejusque varia dat munia et modos. *Primus* est, ut accurate gregem suum inspiciant et lustrent, eique quoad omnia provideant : quocirca apud eum residere, eumque crebro obire et visitare debent. Hinc residentia Episcopis et Pastoribus præcepta est jure humano et divino, uti graviter docet et sancit Concilium Tridentinum, sess. XXIII, cap. I *De Reform.* Absente enim aut dormiente Pastore dormiunt oves, eo evigilante et sibilante evigilant. Hinc Ægyptii Deum rectorem universi pingebant quasi oculum baculo insistentem, oculo providentiam, baculo potentiam et regimen repræsentantes. Ita vigilabat et gregi intendebat Jacob (quem ut schema Pastoribus et Episcopis proponit sancta Scriptura, ait S. Gregorius), *Genes.* cap. XXXI, 39 : « Nec captum a bestia ostendi tibi, ego damnum omne reddebam : quidquid furto peribat a me exigebas : die noctuque æstu urebar et gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis. » Sic et Pastoribus gregi invigilantibus angelus apparuit, nuntians Christi Pastoris Pastorum nativitatem, de quo S. Ambrosius, lib. II *in Lucæ* cap. II : « Bene, ait, pastores vigilant, quos bonus pastor informat. » Ita nuper noster P. Canisius, uti refert noster Sacchinus, lib. III *Vitæ ejus,* ad Ottonem Cardinalem et Episcopum Augustanum, Romæ ob negotia agentem scripsit, ursitque ut illico ad suas oves rediret. « Mallem te, ait, absque hoc Episcopatu vivere, quam solo Episcopatus titulo gaudere, et oves tam negligenter pascere, quarum lana victitas. Alii spectent emolumenta et honores : ego futurum cito judicium, et reddendam acceptæ villicationis rationem, et paratas pœnas malo dispensatori considero ac valde timeo. »

NON COACTE, SED SPONTANEE. — *Primo,* passive quoad ipsos Pastores, *q. d.* Vos, o Pastores, Pastoris officium subite et obite, non coacti penuria rerum temporalium, ut ex redditibus pastoratus vivatis ; sed spontanee, ultro scilicet, ut animas juvetis et dirigatis ad Deum, ab eo sperantes æternam in cœlis mercedem. Ita Beda. Rursum et potius, *q. d.* Non invite et ægre, sed spontanee, liberaliter, alacriter et strenue pascite, instar Pauli dicentis : « Si volens hoc ago, mercedem habeo ; si autem invitus, dispensatio mihi concredita est. »

Hinc S. Gregorius, I part. *Past.*, cap. VII, et S. Nazianzenus in *Apolog.*, Isaiam offerentem se Deo : « Ecce ego, mitte me, » præferunt Moysi detractanti missionem Dei, *Exodi* cap. IV, 10. Additque S. Ambrosius in *Psal.* CXVIII, octon. 14, idcirco Isaiam, « quasi voluntarium organum, uberiore Spiritus gratia esse impletum. » Id maxime locum habebat in ortu Ecclesiæ, cum Episcopatus erat onus potius quam honos, cumque Episcopi passim raperentur ad equuleos et tormenta. Unde S. Gregorius, lib. IV, *epist.* 35, ait se neminem ad Episcopatum suscipiendum cogere velle. Vide dicta I *Timoth.* III, 1. Hic sensus videtur genuinus, præsertim quia pro *coacte* Græce est ἀναγκαστῶς, id est, *ex necessitate*, *q. d.* Pascite non quasi coacti necessitate pascendi, ex officio Pastoris vobis ab Apostolis imposito, sed sponte ex amore Dei et zelo animarum; et hoc significat τὸ *secundum Deum.*

Secundo tamen potest accipi active quoad oves, *q. d.* Pascite gregem non tam vi eas cogendo, quam persuasione alliciendo ; non tam virga agentes, quam invitantes exemplo : ut grex non coacte, sed spontanee vos sequatur et pascatur in pascuis Christi. Ita explicat S. Gregorius Nazianzenus, *Apolog.* I, qui et causam addit : « Nam quod necessitate, ait, extorquetur, præterquam quod tyrannicum est, ne firmum quidem et stabile est. Quidquid enim violenter cogitur, non secus ac planta per vim manibus inflexa et distracta, simul ac missa facta est, rursus ad se redire consuevit : quod autem a libera voluntate proficiscitur, æquissimum simul et certissimum esse solet, utpote benevolentiæ vinculis astrictum et confirmatum. » Et S. Ambrosius in *Psal.* CXVIII, octon. 14 : « Dominus, ait, operationes servulorum suorum spontaneas probat potius quam coactas : ideo ex servis liberos facit, ut magis voluntatum nostrarum munera, quam necessitatum obsequia conferamus. » Probat id multis exemplis Pauli, Jeremiæ, Mosis, Jonæ et Isaiæ, quæ apud eum vide. Induat ergo Pastor viscera charitatis, ut monet Paulus. Charitas enim, ut ait S. Bernardus, *epist.* 2, « bona mater est in Pastore : cum arguit, mitis est; cum blanditur, simplex est; pie solet sævire, sine dolo mulcere, patienter irasci, humiliter indignari. »

Secundum. *Secunda* est hæc pascendi et Pastoris lex et conditio, ut scilicet non coacte, sed sponte pascat; utque non vi cogat, sed amore agat ad officium, quod intellige quando oves tales sunt quæ amore aguntur : aliquæ enim sunt ejus indolis, ut timore adigi, non amore agi velint, quales sunt pigri et refractarii, ut hæretici : quibus convenit illud Christi, *Lucæ* XIV, 23 : « Compelle eos intrare, » *q. d.* « Foris inveniatur necessitas, nascetur intus voluntas, » ait S. Augustinus, serm. 33 *De Verbis Domini.*

SECUNDUM DEUM. — Jam hæc desunt in Græco, sed olim fuere : nam citantur a S. Ephrem, tomo II, *parænesi* 47, S. Hieronymo, *epist.* 2, et aliis. Est hæc tertia pascendi et Pastoris conditio, Tertium. ut spontanee secundum Deum pascat gregem, ut scilicet alacriter munus pastorale obeat, secundum voluntatem Dei, qui illud ei imposuit; ideoque pascendo non spectet homines, sed Deum, illi uni placere et satisfacere intendens, illius unius gloriam spectans, ad illum oves omnes dirigere, et ex illius mente, voluntate et præcepto ejus regere satagens, ut scilicet curet eas pariter non coacte, sed spontanee servire Deo. In primitiva enim Ecclesia, cum nullæ essent opes et honores Ecclesiæ, sed tantum labores, pericula et martyrium, multi refugiebant Episcopatus et Pastoratus, eosque sibi ab Apostolis impositos obibant quasi coacti eorum imperio, ideoque ægre et tarde, non spontanee, libenter et expedite. Hos corrigit hic S. Petrus, monetque ut spontanee id obeant, cogitantes hoc onus sibi a Deo esse impositum; Deum ergo eis adfore, ac proinde Dei amore et reverentia sponte et alacriter illud capessant et obeant. Itaque τὸ *secundum Deum* idem est cum illo *in Domino*, quod crebro usurpat Paulus, ac quadrupliciter exponi potest. *Primo, q. d.* Sciant Pastores se in pascendo Domini grege, Domino servire, se Domini negotium agere, non hominis. *Secundo*, non pretio, non metu, non cupiditate, non ut hominibus placeant, sed « in Domino, » id est, unius Dei amore et reverentia ejus gregem pascant. *Tertio*, ut servi in oculis domini, ita ipsi coram Domino serio gregem ejus pascant, juxta illud : « Oculus domini pascit et saginat equum. » Servi enim videntes oculum domini intentum in equum suum, eum sedulo curant et pascunt. *Quarto*, finem spectent, non suam, sed unius Domini gloriam. Vide *Can.* 25, quem præfixi Comment. *in epist. S. Pauli.* Addunt aliqui τὸ *secundum Deum* significare Pastoris esse dare gregi pascua spiritualia et divina, corporalia vero duntaxat in ordine ad spiritualia, ut pascendo corpus ovium facilius et melius pascant animas earumdem. Ita S. Gregorius, II part. *Past.*, cap. VII, ex hoc loco colligit Pastorem in curandis corporalibus debere esse moderatum, non nimium, ne ad externa diffluat, et ne se mucrone ambitionis occidat. Rursum hinc collige zelum Pastoris debere esse secundum Deum, id est, verum et discretum, non fictum et indiscretum. Vere Poeta :

> Sæpe scelus cœlum zeli velamine texit.
> Cui zelus cœlum est, non facit ille scelus.

NEQUE TURPIS LUCRI GRATIA. — Est hæc quarta Quartum. pascendi et Pastorum conditio, ne lucro inhient, quod in eis, utpote personis Deo et cœlo dicatis, est vile, turpe et sordidum. Queritur S. Hieronymus, epist. *ad Nepotianum*, aitque : « Nonnulli sunt ditiores monachi, quam fuerint sæculares, et Clerici qui possideant opes sub Christo paupere, quas sub locuplete ac fallace diabolo non habue-

rant, ut suspiret eos Ecclesia divites, quos mundus tenuit ante mendicos. » Loquitur de avaris qui opes sibi suisque corrogabant : alioqui sancti Episcopi, ut S. Paulinus, S. Hilarius et alii, ait S. Prosper, lib. I *De Vita contempl.*, cap. IX et X, qui sua in pauperes erogarant bona, fidelium oblata Ecclesiæ recipiebant, « scientes nihil aliud esse res Ecclesiæ, nisi vota fidelium, pretia peccatorum et patrimonia pauperum. Et ideo habentes dicebantur eas contemnere, quia non sibi, sed aliis possidebant; nec suscipiebant eas habendi cupiditate, sed subveniendi pietate. » Sapienter Simon de Cassia, lib. IX, cap. XVIII : « Audacter, ait, dixerim, neque in miraculis Apostoli sæculo ita mirabiles apparuerunt, sicut in contemptu rerum; neque in efficacia verbi tam homines commoverunt ad novitatem vitæ prædicando, quam bona externa spernendo. »

Præclare S. Bernardus, epist. 42 *ad Henricum*, Senonensem Archiepiscopum : « Exemplo Apostoli, ait, honorificabitis ministerium vestrum, ministerium, inquam, non dominium. Ipsum itaque honorificabitis, non vos : nam qui quærit quæ sua sunt, se cupit honorari, non ministerium. Honorificabitis autem non cultu vestium, non equorum fastu, non amplis ædificiis; sed ornatis moribus, studiis spiritualibus, operibus bonis. Quam multi aliter! Cernitur in nonnullis sacerdotibus vestium cultus plurimus, virtutum autem nullus, aut exiguus. » Et inferius : « Decetne Pastorem more pecorum sensibus incubare corporeis, hærere infimis, inhiare terrenis : et non potius erectum stare ut hominem, cœlum mente suspicere, quæ sursum sunt et quærere et sapere, non quæ super terram, etc.? Dicite, Pontifices, non quidem in sancto, sed freno quid facit aurum? Numquid aurum a freno repellit frigus sive esuriem? Nobis frigore et fame laborantibus, quid conferunt tot mutatoria vel extensa in perticis, vel plicata in manticis? Nostrum est quod effunditis, nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter expenditis. Et nos etiam Dei plasmatio, et nos sanguine Christi redempti sumus : nos ergo fratres vestri. Videte quale sit de fraterna portione pascere oculos vestros. Vita nostra cedit vobis in superfluas copias. Nostris necessitatibus detrahitur, quidquid accedit vanitatibus vestris, etc., quasi dixeritis : Hæreditate possideamus sanctuarium Dei. » Et inferius : « In omnibus actis suis vel dictis, nil suum quærat Episcopus, sed tantum aut Dei honorem, aut salutem proximorum, aut utrumque. Hoc enim agens implebit non solum officium Pontificis, sed et etymologiam nominis, pontem utique seipsum faciens inter Deum et proximum. Pertingit pons iste usque ad Deum ex fiducia, qua non suam, sed illius gloriam quærit. Pertingit usque ad proximum illa pietate, qua et ipsi non sibi prodesse desiderat. Offert Deo bonus mediator, preces et vota populorum, reportans illis a Deo benedictionem et gratiam. » Idem, epist. 23 *ad Attonem*, Trecensem Episcopum : « Melior est, inquit, incomparabiliter justitia quam pecunia, quod illa ditet et repleat arcam, hæc animam. Denique sacerdotes Dei induuntur justitia, et multo utique decentius et ditius quam auro vel serico. » Idem, epist. 24 *ad Gilbertum*, Londoniensem Episcopum : « Vera illa et indubitata sapientia est, quæ turpia lucra contemnit, et indignum sibi judicat eodem cum idolorum servitute contubernio frui. Non magnum fuit M. Gilbertum Episcopum fieri, sed Episcopum Londoniensem pauperem vivere, id plane magnificum. Nec enim tanto nomini quidquam augere gloriæ potuit sublimitas dignitatis, auxit autem plurimum humilitas paupertatis; pauperiem æquo animo ferre virtus patientiæ est, sponte appetere sapientiæ laus est. » Huc facit dictum Alcamenis, qui rogatus « quo pacto quis optime regnum servare posset, » respondit : « Si lucrum non magni fecerit. » Ita Plutarchus in *Lacon.*

SED VOLUNTARIE, — προθύμως, id est, ut Pagninus, *prompte*; Tigurina, *propenso animo*; Syrus, *ex toto corde*, ut scilicet liber ab avaritia et turpi lucro, non suis, sed ovium commodis totum se impendat. Vox enim *sed* significat τὸ *voluntarie* opponi τῷ *non turpis lucri gratia, q. d.* Pascite non avare, spe lucri : sed liberaliter, liberali animo vos totos impendentes obsequio Dei et saluti animarum. Sapienter Cicero, lib. I *Officior.* : « Omnino, ait, qui Reipublicæ præfuturi sunt, duo Platonis præcepta teneant : unum, ut utilitatem civium sic tueantur, ut quidquid agunt ad eam referant, obliti commodorum suorum; alterum, ut totum corpus Reipublicæ curent, ne, dum partem aliquam tuentur, reliquos deserant. » Vide gnomas Isocratis, ubi multis idipsum confirmat. Duo præcepta Rectoris.

3. NEQUE UT DOMINANTES IN CLERIS. — Græce κατακυριεύοντες τῶν κλήρων, id est, *dominantes in cleros*, vel *contra cleros*, uti faciunt arrogantes et tyranni, qui impotenter aliis imperare et dominari satagunt. Est hæc quinta Episcopi et Pastoris conditio, ut scilicet non sit imperiosus, nec imperiose vexet Ecclesiam, quæ est clerus, id est, sors et hæreditas Domini. Sic olim Israel dicebatur נחלה *nachala*, id est, *sors et hæreditas Domini*, juxta illud *Deut.* cap. XXXII, vers. 9 : « Pars autem Domini populus ejus, Jacob funiculus hæreditatis ejus. » Vers. 3. Quintum.

Per « cleros » ergo *primo*, accipi potest populus fidelis, qui in varios cleros, id est, sortes, parœcias, Ecclesias et congregationes, est distributus : de illo enim subdit : « Sed ut forma facti gregis, » id est populi fidelis. Ita S. Cyrillus, lib. I *in Isaiam*, orat. 3 : « Non dominentur, ait, clero, id est populo, qui sors Domini est; » sic et Syrus, Œcumenius et alii. Ita Paulus Samosatenus olim culpatus est, quod in Episcopatu sæcularium honorum gradus affectaret, in iisque dominari satageret, adeo ut populum expilaret, ac magno fastu et pompa incedens angelus dici vellet, atque Dominari in cleris quid?

psalmos de se, non de Christo, cani præciperet, teste Eusebio, lib. VII, cap. XXVI.

Præclare S. Augustinus in *Regula* : « Ipse, ait; qui vobis præest, æstimet se non dominante cupiditate, sed charitate serviente felicem; » et Auctor Imperfecti explicans illud *Matth.* cap. XX, 25 : « Principes gentium dominantur eorum, etc., non ita erit inter vos; sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister, » sic ait : « Principes Ecclesiæ fiunt, ut serviant minoribus suis, ut ministrent eis sicut acceperunt a Christo, et suas utilitates negligant, et aliorum procurent, ut, si opus fuerit, neque mori recusent pro salute inferiorum suorum, sicut Apostolus : Ego, ait, impendam et superimpendar ipse pro animabus vestris, » II *Cor.* XII, 15.

Secundo, per « cleros » accipi possunt Clerici, qui proprie sunt clerus, id est, sors Domini, et in varios particulares cleros, id est sortes, ordines et gradus sunt distributi. Alii enim sunt Lectores, alii Exorcistæ, alii Ostiarii, alii Diaconi, alii Subdiaconi, etc. Rursum alius clerus erat Antiochiæ, alius Tyri, alius Ponti, alius Bithyniæ; quot enim erant Ecclesiæ, tot erant et cleri. « Clericus, ait S. Hieronymus *ad Nepotianum*, interpretetur nomen suum, et nominis definitione prolata nitatur esse quod dicitur. Si enim κλῆρος græce, latine sors appellatur, propterea vocantur Clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus est sors, id est pars, Clericorum. » Idem, *epistola* 2 : « Illud dico, ait, quod Episcopi sacerdotes se esse noverint, non dominos : honorent Clericos quasi Clericos, ut et ipsis a Clericis honor quasi Episcopis deferatur. Scitum est illud oratoris Domitii : Cur ego te, ait, habeam ut principem, cum tu me non habeas ut senatorem? » Et *epistola* 3 : « Rex nolentibus præest, Episcopus volentibus : ille terrore subjicit, hic servituti donatur : ille corpora custodit ad mortem, hic animas servat ad vitam. » Jubet ergo S. Petrus Episcopis et Pastoribus, ne inferioribus Clericis imperiose dominari velint, itaque inter eos simultates, dissidia et rixæ oriantur, quæ charitatem fraternam lædant, et plebem scandalizent, sed ut eis modeste præsidentes ab eis amentur, colantur et adjuventur. Quocirca S. Basilius, *Regul.* 43 inter fusius disputatas : « Morum mansuetudo, ait, et humilitas cordis, hæc præcipua Antistitis insignia sunto. Talis enim fuit Christus, qui dixit : Discite a me, quia mitis sum et humilis corde. »

Hic secundus sensus, ut per *cleros* accipiamus Clericos, eorumque varios gradus et ordines, est valde congruus. *Primo*, quia pronum est ut Episcopi aliqui elatioris animi velint dominari in clerum : hic enim eis magis subditus est, quam sint laici, idque significat vox *clerus*; imo aliqui censent vocem *cleri* Clericis attributam ex electione S. Matthiæ, qui per clerum, id est sortem, fuit electus ad apostolatum, uti dixi *Actor.* I, 26. Unde videas quam antiquum sit nomen cleri et Clerici, ejusque distinctio a laico, quod perperam negant hæretici. *Secundo*, quia in clero proprie sunt cleri, id est, variæ Clericorum sortes et gradus, uti jam dixi. *Tertio*, quia Episcopi et Pontifices multas leges, canones, ritus et cæremonias præscripserunt Diaconis, Subdiaconis aliisque Clericis, uti patet ex Jure Canonico. Privatim etiam nonnulli plura ab eis exigunt, nunc hoc, nunc illud mandando, eisque quasi domini imperitant, juxta illud Christi de veteribus Pontificibus : « Alligant onera gravia et importabilia, et imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere, » *Matth.* cap. XXIII, 4. *Quarto*, quia multi pro *in cleris* legunt *in clero*, et de Clericis exponunt. Ita VII Synodus generalis, *can.* 4, ubi ex hisce Petri verbis colligit Episcopum nihil debere exigere a Clericis sibi subjectis; S. Hieronymus, *epist.* 2; S. Ephrem, opusc. *De Pœnit. injung.*; S. Bernardus, *epist.* 237, et alii. *Quinto*, quia S. Petrus alludit ad Levitas, qui in veteri Testamento erant Domini clerus, id est sors et hæreditas, quia primitias, decimas, vota Deo oblata ipsi quasi domestici et ministri Dei recipiebant, *Num.* XVIII, 20; *Deut.* XVIII, 2. Episcopos ergo modestiæ hic admonet S. Petrus, ut modeste suis Clericis imperent, scilicet magis exemplo quam præcepto, nimirum ut fiant forma gregis, puta tum Clericorum, tum consequenter et laicorum : clerum enim sequi solet populus.

Dos Prælati et modestia

S. Petrum secutus S. Dionysius, *epist.* 8 : « Hoc, ait, eximiæ in se dilectionis divinus ac summus Pontifex Christus argumentum capit, si oves ejus modestissima gubernatione pascamus. » Sic Moses, Pontifex et princeps Synagogæ, erat mitissimus omnium hominum illius ævi, *Num.* XII, 3. Sic et de Davide dicitur *Psalm.* CXXXI, vers. 1 : « Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus. » Sic Probus mittens S. Ambrosium Mediolanum ad sedandum populi tumultum : « Vade, inquit, age non ut judex, sed ut Episcopus. » Omen hoc fuit et quasi oraculum. Egit enim ut Episcopus, ideoque voce populi acclamatus et creatus est Episcopus, qui proinde lib. III, *epist.* 9, hujus de se ominis memor : « Magis, inquit, optamus et cupimus contumelias singulorum clementi patientia vincere, quam sacerdotali licentia vindicare; et S. Leo, *epist.* 84, cap. I : « Licet nonnunquam, ait, accidant in sacerdotalibus reprehendenda personis, plus tamen in corrigendos agat benevolentia quam severitas, et hortatio quam commotio, charitas quam potestas. Sed ab his qui quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi, facile ab hac lege disceditur; et dum dominari magis, quam consulere subditis quærunt, placet honor, inflat superbia, et quod provisum est ad concordiam, tendit ad noxam. » Hinc Episcopi et Pastores vocantur Patres, ut sciant se ut patres filiis præesse, non ut reges vel tyrannos servis imperare. Hinc Papa est Pater patrum, imo Servus servorum Dei. Unde S. Isidorus : « Agnoscat, ait, Episcopus se servum esse, non dominum;

talem subditis se præstet, ut non solum auctoritate, verum et humilitate clarescat. »

Sapienter S. Bernardus, lib. IV *De Considerat. ad Eugeninm*, docet eum et Prælatos quo pacto gravitatem cum lenitate miscere debeant, ne vel ob illam, si nimia sit, sint fastidio et odio, vel ob hanc contemptui. « Esto, ait, gravis, sed non austerus, non dissolutus, neque severus, sed inter ea mediocritatem tene, ut neque de severitate sis oneri, neque de familiaritate contemptui. Austeritas fugat infirmiores, gravitas reprimit leviores; in Palatio Papam, domi te patremfamilias exhibe; ament te domestici. Si non, fac ut te timeant. Utilis est semper custodia oris, quæ tamen familiaritatis gratiam non excludat : ille convenientior habitus, si actu severus, vultu serenus, verbo serius. » Imo S. Augustinus, S. Paulum *ad Galat.* cap. III, vers. 19 (ubi ait : « Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis, ») secutus, se subditorum matrem facit : « Me, ait, putate matrem animarum vestrarum esse, et ita vos velle componere, ut in vobis nec macula, nec ruga possit ante tribunal æterni Judicis apparere. Animabus enim vestris non solum ornamenta, sed etiam medicamenta desiderans providere, studeo dissuta consuere, conscissa sarcire, vulnerata curare, abluere sordida, reparare perdita, et ea quæ sunt integra, spiritualibus margaritis ornare. »

Gnomæ Gentilium de modestia principis.

Idem lumine naturæ viderunt Gentiles, uti insinuat Christus, dicens : « Reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur,» *Luc.* XXII, 25. « Benefici,» græce *evergetæ*, uti vocatus est Ptolemæus Evergetes, ob beneficia in subditos collata : ex adverso, tyrannus est qui suo bono et honori, non subditorum in regendo consulit. Veri ergo principes magis ministri sunt reipublicæ quam domini. Ita Antigonus, Macedonum rex, conspiciens filium insolentius subditos regentem : « An ignoras, ait, o fili, regnum nostrum esse splendidam servitutem? » ita Ælianus, lib. II *Var. Historiæ.* Primus Lacedæmonum rex dictus est *Agis* (et ab eo multi deinceps dicti sunt *Agis*), id est ductor, ab ἄγω, id est *duco*, quia clementer imperabat, ducens potius quam dominans, uti aries præit ducitque gregem. Unde Plistarchus, Leonidæ filius, rogatus cur Lacedæmonum reges non a priscis regibus cognomen sortirentur? « Quia, ait, illi ducere quam regnare maluerunt, posteriores illis nequaquam. » Allusit ad nomen *Agis*, id est ductor; *Plistarchus* autem idem est quod pluribus imperans. Ita Plutarchus in *Lacon.*

Pastor ergo sit Actor, sit Agis, non Plistarchus, non imperiosus, ducendo et agendo suos suaviter regat, ac verborum suavitate magis quam verberum asperitate agat ad bonum.

Cicero, *Philipp.* I, damnat illud Rectorum insolentium de subditis : « Oderint, dum metuant, quia, inquit, præstat diligi quam metui. »

Agesilaus, rex Spartæ ro ætus « quas res regem habere oporteat? » dixit : « Adversus hostes audaciam, erga subditos benevolentiam, in opportunitate vero rationem et consilium. » Ita Stobæus, *serm.* 52.

Cyrus, rex Persarum, bellicosissimus dicebat, neminem debere suscipere principatum, nisi esset melior his in quos susciperet imperium. Ita Plutarchus, in *Apophth. regum.*

Antonius Pius Imperator, cum initio Imperii quosdam reos absolvens reprehenderetur, respondit, « Principatum non a suppliciis, sed à mansuetudine auspicandum esse. » Ita Xiphilinus in ejus Vita.

M. Antonius Verus censuit Imperatorem non tueri agmina satellitum, sed beneficentiam et benevolentiam civium. Ita Herodianus, lib. I.

Pastor itaque cogitet se non esse dominum subditorum, sed pædagogum, ut eos quasi magni regis filios instruat bonis moribus, dirigatque et deducat in vitam æternam, ut quidam Sanctorum dixit, ac proinde ita agat cum eis, ut ipsi ei se fidere, conscientias, tentationes et necessitates aperire, ad eum in omnibus quasi ad patrem, imo matrem recurrere audeant et gaudeant.

SED FORMA FACTI GREGIS EX ANIMO. — Est hæc sexta Pastoris lex, dos et conditio, ut scilicet sit forma, id est exemplar vitæ gregi suo; formam hanc opponit dominationi, *q. d.* Non dominentur imperio, sed exemplo, ut formam vitæ sanctæ sancte vivendo fidelibus præscribant. S. Petro succinit S. Paulus hanc Timotheo, Ephesi Episcopo, dictans regulam *Epistola* I, cap. IV, vers. 12 : « Exemplum, ait, esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide et castitate; » et Tito, Cretæ Episcopo, cap. II, vers. 7 : « In omnibus præbe teipsum exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate : » ubi in Græco pro « exemplum » eadem est vox τύπος, quam interpres hoc loco vertit *forma*, quia, ut explicat S. Hieronymus *ad Titum* II, optat Paulus, « ut Timotheus, aut quicumque Prælatus, sit instar archetypi, sive primariæ formæ, ex qua viva virtutum simulacra lineamentis vitæ honestæ in se translatis exprimuntur. » Et S. Chrysostomus ibid. : « Sit omnibus, ait, doctrina exemplarque tuæ virtutis, speculum vitæ, quod omnibus ad imitandum proponitur, veluti primaria quædam imago, omnia in se habens quæ bona et honesta sunt. » Et Primasius ibidem : « Ne exemplo, inquit, destruas verbum. » Formam ergo, id est, exemplar recte vivendi, da, o Prælate, tuis subditis. Non satis sit tibi quod facie et loco præeas populo, sed stude pariter præire virtute et pietatis operibus, ut sic populus sponte te etiam non cogitantem æmuletur. « Vita jubeat, lingua persuadeat, » ait S. Athanasius *ad Monachos.* Sic in curru Cherubico, *Ezech.* I, 19, qui typus est Ecclesiæ, motum Cherubinorum sequuntur rotæ, hoc est, motum actumque Prælatorum (hi enim mystice sunt Cherubini Dei) sequuntur fideles.

Sextum.

Prælatus sit forma gregis.

Sicut enim pueri dum discunt scribere et pingere, exemplar sibi a magistro effigiatum inspiciunt, et exprimere conantur : sic Prælati mores, ait Isidorus Pelusiota, lib. III, *epistola* 359, inspicit et imitatur populus : hic enim coram Prælatis est, agitque et agitur instar pueri. Ita Paulus se præbuit fidelibus formam et normam vivendi. « Imitatores, ait, mei estote, fratres, et observate eos qui ita ambulant sicut habetis formam nostram, » græce τύπον, id est *typum* et exemplar nostrum, *Philip.* III, 17; et Thessalonicenses, epist. I, cap. XVI, laudat a virtute : « Ita ut facti sitis, ait, forma omnibus credentibus in Macedonia. »

Præclare S. Hieronymus *ad Nepotianum*, epist. 2 : « Non confundant, ait, opera tua sermonem tuum, ne cum in ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat : Cur ergo hæc quæ dicis, ipse non facis? Delicatus magister est, qui pleno ventre de jejuniis disputat. Accusare avaritiam et latro potest. Sacerdotis Christi os, mens manusque concordent. » Et in eamdem sententiam S. Gregorius, in cap. XXVIII *Job*, sub finem : « Lex, ait, est prædicatoribus posita, ut impleant quod loquendo suadere festinant. Nam loquendi auctoritas perditur, quando vox opere non adjuvatur; illa vox cor audientis penetrat, quæ hoc quod sonuerit, opere confirmat. » Eodem spectant quæ Theodorici regis nomine scribit Cassiodorus, lib. V *Var. Epist.* 22 : « Est enim quoddam speculum morum agentis oratio, nec majus potest esse mentis testimonium, quam qualitas inspecta verborum. » Et *Epist.* 21 : » Age, ne tua tibi objiciatur oratio, quia pondus est pudoris gravissimi propria voce convinci. » Rursum lib. XI, *Epist.* 8 : « Non enim potest auctoritatem habere sermo, qui non juvatur exemplo, dum iniquum sit bona præcipere, et talia non fecisse. » Monet itaque David, *Psal.* CXXXI, 9, sacerdotes, quos Ecclesiæ magistros esse oportet, « ut induant justitiam. » Quo loco sic scribit S. Gregorius : « Vestimenta sacerdotis quid aliud quam recta opera debemus accipere, Propheta attestante, qui ait : Sacerdotes tui induant justitiam. » Tum alludens ad pontificis Aaronici vestem, ex qua suspensa aurea tintinnabula pendebant, subdit : « Vestimentis itaque illius tintinnabula inhærent, ut vitæ viam cum linguæ sonitu, ipsa quoque bona opera clament sacerdotis. »

Meminerint ergo Principes et Prælati se in alto versari culmine, ubi ab omnibus videantur, omnium in se conjectos esse oculos, omnia ipsorum facta dictaque a multis subditorum oculis conspici, et notari : non enim potest abscondi civitas supra montem posita, ut ait Christus. Vere Seneca, lib. *De Clementia*, cap. VIII, alloquens principem : « Tibi, ait, non magis quam soli latere contingit; multa contra te lux est : omnium in istam conversi oculi sunt. » Et apud Cassiodorum, lib. III *ad Argol.*, Theodoricus : « Non patitur claritas illa (loquitur de præfecto urbis) committere, quod possit mobilis turba nescire, locatus in medio ad se cunctorum trahit aspectum, et totius vitæ judicium promulgat fama populorum. » Et lib. XI, *Epist.* 6 : « Latere non potest, quod intra cancellos egeris : tenes quippe lucidas fores, claustra patentia; et quamvis studiose claudas, necesse est ut te cunctis aperias : nam si foris steteris, meis emendaris obtutibus; si intus ingrediaris, observantium non potes declinare conspectus. Vide quo te antiquitas voluerit collocari, undique conspiceris, qui in illa claritate versaris. »

Nec prætereunda sunt quæ scribit Plutarchus, in *Politic.* : « Vitam, ait, sibi quisque et mores excolere debet, quo prorsus omni nota vituperatio neque careat, quando præsertim eorum qui Reipublicæ præsunt, non modo singula verba, et res tantum publicitus gestæ animadverti notarique solent, sed virtus quoque, joci simul et seria, quæque domus, ipsa familia, uxor, cubile curiosius inquiruntur. » Et eleganter Claudianus :

> Hoc te præterea crebro sermone moneho,
> Ut te totius medio telluris in orbe
> Vivere cognoscas, cunctis tua gentibus esse
> Facta palam, nec posse dari regalibus unquam
> Secretum vitiis; nam lux altissima fati
> Occultum nihil esse sinit, latebrasque per omnes
> Intrat, *etc.*

Quocirca « nihil turpius est quam excellentem esse culmine, et despicabilem vilitate, » ait Salvianus, lib. II *ad Eccl.* Princeps enim est regula animata et viva lex populi. Breviter, sed acute et nervose S. Bernardus, lib. II *De Consid. ad Eugenium*, cap. VII : « Monstrosa res, inquit, gradus summus, et animus infimus; sedes prima, et vita ima; lingua magniloqua, et manus otiosa; sermo multus, et fructus nullus; vultus gravis, et actus levis; ingens auctoritas, et nutans stabilitas. » Quocirca S. Ambrosius, epist. 6 *ad Irenæum* : « Sit nostra, inquit, via angustior, virtus exuberantior, trames pressior, fides sublimior, callis arctior, vigor mentis exundans, semitæ rectæ, sit egressus ad superiora. » S. Chrysostomus, lib. II *De Sacerd.* : « Prodeant, inquit (ad functionem pastoralem, ad Episcopatum), qui longe omnibus præstant, quique virtute animi tantum reliquos excellunt, quantum corporis magnitudine Saul Hebræorum gentem excelluit : seu potius multo etiam magis. » Auctor Imperfecti, hom. 43 : « Audiant, inquit, te homines parva mandantem, et grandia videant facientem. » S. Gregorius, I part. *Pastor.*, cap. III : « Sit Pastor, ait, operatione præcipuus, ut vitæ viam subditis vivendo denuntiet : et grex qui Pastoris vocem moresque sequitur, per exempla melius quam per verba gradiatur Illa vox libentius auditorum corda penetrat, quam dicentis vita commendat; et optima ovium pascua sunt exempla Pastoris. » Talis fuit S. Malachias, Archiepiscopus Hiberniæ, qui, S. Bernardo teste, dicere solebat suis : « Non recuso mori, ut

vos vitæ meæ tenea:tis exemplum. Erat enim ipse, inquit S. Bernardus, regula Fratrum : legebant in vita ejus quomodo conversarentur. Sibi pauper, sed dives erat pauperibus : pater erat orphanorum, maritus viduarum, pius ad compatiendum, ad corrigendum liber. »

Idem Bernardus, lib. IV *De Consid.*, cap. I et II, Eugenium Pontificem monet, ut præ cæteris reformet aulam suam et Ecclesiam Romanam, eamque toti Ecclesiæ in formam et exemplum statuat. « Circa te sunt, ait, clerus et populus tuus, cui specialiter episcoparis, ac per hoc specialis curæ teneris debitor. Hi quoque qui tibi quotidie assistunt seniores populi, orbis judices, etc. Et primo quidem clerum illum ordinatissimum esse decet, ex quo præcipue in omnem Ecclesiam cleri forma processit. Deinde omne quod perperam agitur te præsente, tibi turpius. Interest gloriæ sanctitatis tuæ, ut quos præ oculis habes, ita ordinati, ita sint informati, quatenus totius honestatis et ordinis ipsi speculum, ipsi sint forma. Inveniantur præ cæteris oportet expediti ad officia, idonei ad Sacramenta, ad plebes erudiendas solliciti ; circumspecti ad sese custodiendos in omni castitate. » Et cap. IV : « Sint compositi ad mores, probati ad sanctimoniam, parati ab obedientiam, mansueti ad patientiam, subjecti ad disciplinam, rigidi ad censuram, Catholici ad fidem, fideles ad dispensationem, concordes ad pacem, conformes ad unitatem. Qui sint in judicio recti, in consilio providi, in jubendo discreti, in disponendo industrii, in agendo strenui, in loquendo modesti, in adversitate securi, in prosperitate devoti, in zelo sobrii, in misericordia non remissi, in otio non otiosi, in hospitio non dissoluti, in convivio non effusi, in cura rei familiaris non anxii, alienæ non cupidi, suæ non prodigi, ubique et in omnibus circumspecti, etc., qui missi post aurum non eant, sed Christum sequantur ; qui regibus Joannem exhibeant, Ægyptiis Mosen, fornicantibus Phinees, Eliam idololatris, Elisæum avaris, Petrum mentientibus, Paulum blasphemantibus, negotiantibus Christum, etc. Qui non de dote viduæ et patrimonio crucifixi, se vel suos ditare festinent, gratis dantes quod gratis acceperunt. »

EX ANIMO, — *q. d.* Non ex composito, non ad externam speciem, non affectate, non ficte et hypocritice, sed vere, realiter, sincere, ex animo et toto corde satagite esse fidelibus forma et norma vitæ sanctæ et Christianæ. Multi enim induunt vultum devotum et religiosum, sed animum habent irreligiosum, vel certe vanum et vagum. Tales erant Scribæ et Pharisæi, quos proinde Christus culpat, vocatque sepulcra dealbata, *Matth.* XXIII, 27. Hos struthioni comparat S. Gregorius, quia « sanctitatis vitam quasi volatus pennam per speciem retinent, sed opera non exercent, » ait ipse, lib. XXXV *Moral.*, cap. V, alias VI ; struthio enim pennas habet, sed non volat.

4. ET CUM APPARUERIT PRINCEPS PASTORUM, — Christus Dominus, qui ait : « Ego sum Pastor bonus : bonus Pastor animam dat pro ovibus suis, » etc. *Joan.* X, 11.

PERCIPIETIS IMMARCESCIBILEM (de hoc epitheto vide dicta cap. I, vers. 4), GLORIÆ CORONAM. — Scholastici præter coronam et gloriam essentialem communem omnibus beatis, dant Doctoribus (quales sunt Episcopi et Pastores) quoque accidentalem, quam aureolam vocant ; tres enim constituunt aureolas : primam, Martyrum ; secundam, Virginum ; tertiam, Doctorum, quas repræsentarunt tres coronæ tabernaculi, scilicet corona altaris thymiamatis repræsentavit aureolam Martyrum, *Exodi*, XXX, 3 ; corona arcæ repræsentavit aureolam Virginum, *Exodi*, XXV, 21 ; corona mensæ panum propositionis repræsentavit aureolam Doctorum, *Exodi*, XXV, 25. Doctor enim dat animæ doctrinam quasi panem suum. Vide S. Thomam et Scholasticos, in IV, *dist.* 49. Tres aureolæ.

Porro utraque corona Doctorum et Pastorum ingens erit et eximia. *Primo*, quia respondebit ingenti eorum charitati, qua non solum suam, sed et plurimorum aliorum animas salvare et perficere sategerunt. Doctorum ingens. Primo.

Secundo, quia respondebit zelo quo regnum et gloriam Dei propagarunt : cujus ergo major fuerit zelus et labor, ejus pariter major erit gloria et laurea. Secundo.

Tertio, quia gloria subditorum erit gloria Pastorum : tot ergo Pastores sancti habebunt coronas, quot erunt coronæ subditorum quos ad salutem perduxerunt, juxta illud S. Pauli, I *Thess.* II, 19 : « Quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ ? Nonne vos ante Dominum nostrum Jesum Christum estis in adventu ejus ? Vos enim estis gloria nostra et gaudium. » Sic in die judicii S. Thomas trahet post se Indiam, Andreas Achaiam, Joannes Asiam, Paulus universum mundum, ait S. Gregorius, hom. 17 *in Evang.* : quæ sane ingens erit gloria et corona. Sic in Vita sanctæ Aldegundis legimus, eidem apparuisse S. Amandum stipatum magna multitudine Sanctorum a se conversorum, inter quos ipse quasi gigas eminebat et statura et gloria ; omnes vero in eum quasi magistrum et parentem respiciebant, eique suas coronas acceptas ferebant. Tertio.

Quocirca vocatur hæc corona gloriæ : « corona, » quia datur quasi præmium pascenti, bravium certanti, merces laboranti ; « gloriæ, » *primo*, id est gloriosa. *Secundo*, « gloriæ, » quia non ex rosis, vel gemmis, sed ex variis gloriæ cœlestis dotibus contexitur. *Tertio*, « gloriæ, » id est magnificentiæ, majestatis, splendoris divini, *q. d.* Corona hæc erit magnifica, majestate et splendore divino plena, quia faciet ea coronatos filios et hæredes regni cœlestis, ideoque reges et sacerdotes Dei, juxta illud *Apocal.* V, 10 : « Fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes, et regnabimus super terram ; » et *Sapient.* VI, 17 : « Accipient regnum decoris et diadema speciei de manu Domi- Corona gloriæ quadruplex. Prima. Secunda. Tertia.

ni.» Unde per hypallagen «corona gloriæ» accipi potest pro *gloria coronæ*, id est, gloria regni, vel «gloria coronæ,» id est, undique coronans, ambiens, ornans et beans sanctum Pastorem. *Quarto*, «gloriæ,» quia est et corona «gratiæ» in hac vita, cui in futura ex æquo respondebit corona gloriæ, juxta illud *Psalm.* XX, 4: «Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso,» in quæ verba S. Bernardus, *serm.* 39 inter parvos: «Triplex, inquit, nobis necessaria est benedictio, prævéniens, adjuvans et consummans: prima misericordiæ, secunda gratiæ, tertia gloriæ. Prævenit misericordia conversionem, adjuvat gratia conversationem, perficit gloria consummationem.» Et S. Dionysius, *Eccles. Hierarch.*, cap. II: «Dominus, ait, certantibus præmia proponit ut Deus; leges autem certaminis tulit ut sapiens, præmiaque vincentibus decora constituit et pulcherrima; ac, quod est profecto divinius, ipse ut est summe clemens et bonus, in suis bellatoribus vincit, dum in illis habitans pro illorum salute et victoria adversus mortis et corruptionis imperium pugnat.»

5. SIMILITER, ADOLESCENTES, SUBDITI ESTOTE SENIORIBUS. — Per *adolescentes* græce νεώτεροι, id est *juniores*, accipe per catachresin quoslibet inferiores et subditos. Quia enim senes ob sapientiam præesse et regere solent, juniores vero subdi et regi, hinc senes vocantur superiores, juniores subditi. Unde a senibus senatus appellatus est. Præcipue vero per *adolescentes* accipe Clericos inferiorum Ordinum, ut Diaconos, Lectores, Exorcistas: hos enim decet præ omnibus subdi senioribus, græce πρεσβυτέροις, id est *sacerdotibus*. Sicut enim paulo ante jussit Presbyteros non dominari in cleros, id est Clericos minores et juniores: sic vicissim hos monet ne contra Presbytores insolescant, sed iis se subdant. Ita Cajetanus, Salmeron, Arias et alii. Hoc enim exigit debita subordinatio, ordoque hierarchicus. Idem paulo post S. Petrum monuit S. Ignatius, epist. 7 *ad Tarsenses*: «Presbyteri, ait, subjecti estote Episcopo, Diaconi Presbyteris, populus Presbyteris et Diaconis. Qui hoc ordinis decorum servaverint, pro earum animabus ego libens meam commutavero.» Et *ad Smyrnenses*, epist. 10: «Omnia igitur vestra decenti ordine perficiantur: laici Diaconis subjiciantur, Diaconi Presbyteris, Presbyteri Episcopo, Episcopus Christo, ut ipse Patri.»

Denique par est ut quilibet adolescentes revereantur seniores, et ab eis dirigi se sinant. Canities enim venerabilis est, tum ob experientiam et sapientiam, tum ob moderationem passionum, quæ in juvenibus ob copiam sanguinis et caloris ebulliunt et vigent, juxta illud *Eccli.* VI, 35: «In multitudine Presbyterorum prudentium sta, et sapientiæ illorum ex corde conjungere, ut omnem narrationem Dei possis audire.» Unde S. Ambrosius, lib. *De Viduis*: «Vicina est lapsibus adolescentia, ait, quia variarum æstus cupiditatum fervorem calentis inflammat ætatis.» Quocirca idem, lib. I *Offic.* cap. XVII: «Bonorum, ait, adolescentium est Dei timorem habere, deferre parentibus honorem, habere senioribus reverentiam, castitatem tueri, non aspernari humilitatem, diligere clementiam ac verecundiam, quæ ornamenta sunt minoris ætatis. Ut enim in senibus gravitas, in juvenibus alacritas, ita in adolescentibus verecundia, velut quadam dote commendatur naturæ.» Idem viderunt et sanxerunt Philosophi. Diogenes adolescenti erubescenti ideoque turbato: «Bono, ait, esto animo, o fili, istiusmodi est tinctura virtutis.» Ita Laertius in ejus Vita. Demetrius Phalereus admonebat adolescentes, «ut domi parentes, in via obvios, in solitudine revererentur seipsos.» Ita Laertius, lib. V, cap. V. Socrates hortabatur juvenes ut hæc tria haberent, «in animo prudentiam, in lingua silentium, in vultu verecundiam,» ait Maximus, *serm.* 41. Verecundia et purpura juniorum.

OMNES AUTEM INVICEM (Græca addunt ὑποτασσόμενοι, id est *subordinati*, eo scilicet ordine quo jam dixit: «Adolescentes subditi estote senioribus») HUMILITATEM INSINUATE. — Videtur legisse interpres ἐγκολπώσασθε, id est *insinuate*; κόλπος enim est *sinus*. «Insinuate» ergo, id est, «in sinu habete,» puta in animo et corde promptam ac paratam, ut illico aliis eam offeratis et exhibeatis. Ita Glossa et Hugo. *Secundo* et potius, humilitatem invicem «insinuate,» id est, in sinum alterius mutuo ingerite, ut alterius animi sinum subeat et penetret, eumque vobis et Christo conciliet, ac ad rependendam humilitatem et charitatem provocet. Sic enim oratores in exordio utuntur insinuatione, qua sese in auditorum animos insinuant, eosque sibi conciliant, ut avide et cupide ea quæ dicturi sunt, audiant et excipiant. «Insinuatio, ait Cicero, lib. I *De Invent.*, est oratio quadam dissimulatione et circuitione obscure subiens auditoris animum;» et, ut Servius in XI *Æneid.*, «est callidus et subtilis aditus ad persuadendum.» Talis insinuatio Christianis est humilitas, quæ omnes sibi demeretur et devincit. Sic Lucretius, lib. VI, ait: «Sol æstum insinuat per septa domorum.» Sic Propertius, lib. III, *eleg.* 9, ait Cæsarem opes insinuare, id est, in sinum immittere. Sic mare per sinum terræ sese insinuat. Sic assentator insinuat se in animum principis.

Verum Græca passim habent ἐγκομβώσασθε (pro quo Regia legunt ἐγκοπώσασθε, eodem sensu), quod *primo* verti potest, *innodate et arcte*, ceu nodis illigatam tenete. Hesychius enim in Lexico vertit δεθείς, id est *innodatus*, illigatus: ita Vatablus, Hesselius et alii; unde Tigurina vertit, *humilitatem animi vobis infixam habete*; Pagninus, *illigatam habete*. «Non enim in veste aut colli depressione, aut vocis submissione, sed in animi constantia humilitas sita est,» ait Nazianzenus, *orat.* 13. *Secundo*, verti potest, *amplectimini, induite, involvite, ornate vos*. Nam et Hesychius vertit, κολίασθε. Ita Œcumenius: «Humilitatem, ait, omni ex parte complectimini,

ut ea undique amiciri et involvi videamini. » Quod Noster acute et apposite vertit, *insinuate*, a sinu non pectoris, sed vestium. Sic enim vocatur vestis sinuosa, quæ multas habet plicas et sinus, de quibus Ovidius, II *Metamorph.* :

..... Tremulæ sinuantur flamine vestes,

id est formantur, rugantur, vel in sinus colligantur. Et Statius, lib. X *Thebaid.*, ait, « chlamydem insinuatam implere re aliqua. » Hinc et sinus vocatur velum navis, quod ventis flantibus curvatur et sinum facit. Unde Ovidius :

Plenaque curvato pandère vela sinu.

Et Virgilius, V *Æneid.* : « Obliquatque sinus in ventum. »

Dicit ergo S. Petrus : « Humilitatem invicem » ἐγκομβώσασθε, id est, *involvite et insinuate*, ut sicut in veste plica una et sinus unus insinuat sese alteri, et hic alteri et alteri continuo, itaque pulchre vestem sinuosam, et per sinus eleganter deductam et compositam efficit : ita pariter faciant et Christiani, unus alteri per humilitatem quasi sinum, in sinum alterius se insinuet, et hic alteri et alteri continuo ; ita omnes unam quasi Ecclesiæ vestem sinuosam, connexam, ordinatam, compositam, elegantem efficient, quæ et fidelium animos recreabit, et infidelium animos alliciet, ut eidem sese inserere et Christiani fieri cupiant. Unde Syrus vertit : *Circumamicti estote mansuetudine animi, unus erga alium.* Dixerat enim S. Petrus Presbyteros non debere dominari in cleros, id est, Clericos æque ac laicos, hos vero quasi adolescentes et minores debere se subdere Presbyteris. Jam modum id præstandi utrisque præscribit, scilicet humilitatem, si illam tam Presbyteri junioribus ad eos se dimittendo, quam juniores Presbyteris se subdendo, exhibeant et insinuent. Sic enim utrique conflabunt unam quasi Ecclesiæ vestem, unumque syrma ex variis plicis et sinibus eleganter compositum. Sicut enim plica exstans sive exterior, plicæ depressiori vel interiori se apposite accommodat et insinuat, ac vice versa interior exteriori : sic pariter humilitas facit, ut superior inferiori se accommodet et insinuet, et vicissim inferior superiori ; itaque omnes conflent unam elegantem concordiæ, pacis et charitatis cycladem. S. Petro succinit S. Paulus, *Philip.* II, 2 : « Implete, ait, gaudium meum, ut idem sapiatis, eamdem charitatem habentes, unanimes idipsum sentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes. » Humilitas enim superiores coordinat inferioribus, et hos subordinat superioribus.

Humilitatis laus. Gnoma de humilitate.

Humilitas ergo est parens ordinis, concordiæ, pacis, charitatis, etc. « Humilitas, ait Cassianus, *Collat.* XV, cap. VII, est omnium magistra virtutum, ipsa est cœlestis ædificii firmissimum fundamentum, ipsa est donum proprium atque magnificum Salvatoris ; » et S. Basilius in *Constit. monast.*, cap. XVII : « Humilitas, ait, est tutissimus virtutum omnium thesaurus. » Idem, sermone *De Abdic. rerum* : « Humilitas, ait, est sagena quæ omnes virtutes complectitur. » S. Hilarius in *Psal.* CXVIII, littera *Res*, docet in humilitate mandatorum caput et summam omnium consistere. « In humilitate, ait, docuit (Christus) omnia fidei nomina et præmia contineri. » Idem in *Psalm.* CXXX : « Tenendus, ait, humilitatis et altitudinis modus est, ut corde humiles, sensu vero et anima simus excelsi. » S. Leo, serm. 7 *De Epiphania*, nervose : « Tota, ait, Christianæ sapientiæ disciplina non in abundantia verbi, non in astutia disputandi, neque in appetitu laudis et gloriæ, sed in vera et voluntaria humilitate consistit, quam Dominus Jesus Christus ab utero matris usque ad supplicium crucis pro omni fortitudine et elegit et docuit. » Et paulo ante : « Tota victoria Salvatoris quæ et diabolum superavit et mundum, humilitate est concepta, humilitate confecta. » S. Gregorius, lib. XXXIV *Moral.*, cap. XVIII, vel juxta aliam editionem, cap. XXIII : « Evidentissimum, ait, reproborum signum est superbia, electorum vero humilitas. » Et S. Athanasius, *De Virginitate* : « Humilitas, ait, in Christo, est superbia in diabolo. » Quocirca S. Gregorius, Bernardus, Cassianus et alii docent humilitatem esse fundamentum virtutum præsertim pacis et charitatis : cujus rei illustre narrat exemplum Joannes Moschus in *Prato Spirit.*, cap. CCX. Duo, inquit, Episcopi, erant in simultate, unus eorum venit cum clero, prociditque ad pedes alterius, dicens : « Ignosce, domine, servi tui sumus. » Ille hac humilitate victus : « Tu, ait, meus et dominus et pater es. » Unde infert : « Et vos cum habetis inimicum, ita facite, et vincetis. Majorem ergo gloriam habet humilis quam rex, quia ab omnibus laudatur. » Similia recenset cap. CCXVIII et CCXIX.

Superbis Deo inimica.

QUIA DEUS SUPERBIS RESISTIT. — « Quoniam excelsus est Dominus, et humilia respicit, et alta a longe cognoscit, » *Psalm.* CXXXVII, 6. Vide dicta *Jacobi* IV, 6, ubi eamdem habet sententiam. Notat S. Chrysostomus, hom. 3 *De Verbis Isaiæ* : non dicit : Deus superbos dimittit, suam ab eis opem gratiamque subducens, sed ἀντιτάσσεται, id est *adversatur*, et positive resistit, non quod instructa acie aut pugna Deo sit opus, cum superbo nihil sit infirmius, sed quod solo nutu ei resistat, eum afflet, perdat, annihilet, si velit. Unde S. Ambrosius in *Psalm.* CXVIII, octonar. 7 : « Quid igitur, ait, hoc peccato potest esse deterius, quod a Dei cœpit injuria ? ideoque Scriptura dicit : Dominus superbis resistit ; tanquam suæ contumeliæ propulsator, veluti quoddam suscepit adversus superbiam speciale certamen. »

Vers. 6.

6. HUMILIAMINI IGITUR SUB POTENTI MANU DEI. — S. Jacobus habet, « in conspectu Dei ; » est efficax ratio persuadens humilitatem. Quis enim homo, imo miser homuncio, non se humiliet sub ma-

jestate et potentia Dei, qui non tantum sibi, sed et superioribus ac proximis vult nos subdi et humiliari, ut si eis te humilies, Deo te humilies : si contra vel super eos te efferas et insolescas, contra et super Deum te efferas? « Humilitas enim, ut ait S. Bernardus, *De Grad. humil.*, est virtus qua quis ex verissima sui cognitione sibi ipsi vilescit, » ut coram Deo inspiciens suam abyssum nihili, peccatorum et miseriarum, dicat cum S. Francisco : « Quis tu, Domine, quis ego? Tu abyssus omnis boni, ego abyssus omnis mali. » Idem, serm. 16 *in Cant.* « Verus humilis, ait, vilis vult reputari, non humilis prædicari; gaudet sui contemptu, hoc solo sane superbus, quod laudes contemnat. » Quis sub potenti manu Dei usque ad infernum non se humiliet, cogitans Deum tribus digitis appendere molem terræ; cogitans se in manu Dei esse instar pulicis aut culicis, quem talitro occidat; cogitans se manu Dei ambiri et contineri, ut eam non possit evadere, eam, inquam, qua alta dejicit, celsa siderat, superbos fulminat, sternitque in tartara, uti fulminavit Luciferum cum tot angelorum millibus, imo millionibus : eam rursum, quæ depressa attollit, humiles extollit ad sidera, imo supra sidera; unde subdit : « Ut vos exaltet, » etc. Quocirca noster Sebastianus Barradius, vir et concionator apostolicus, cujus egregii exstant Commentarii in Evangelia, moriturus et sacro oleo inunctus, rogante P. Rectore, ut quando, teste S. Augustino, serm. 6, lib. XVII homil. « pro magno haberi solent verba novissima parentis ituri ad sepulcrum, » ultimum suis monitum valedicens, daret, ait : « Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore tribulationis. Nihil aliud superest consilii. Simus omnes impense humiles, Christum Dominum, Deumque nostrum imitati, qui tota vita unam a se disci voluit humilitatem; » et moriens, inclinato capite, emisit spiritum, ut sicut in vita, ita et in morte Christum imitaretur. Ita nostri Conimbricenses in ejus Vita, quam ultimo ejus operi, scilicet *Itinerario filiorum Israel*, præfixerunt.

Decem signa humilitatis.

Porro Cassianus, lib. IV *Instit.*, cap. XXXIX, decem dat signa veræ et germanæ humilitatis : « Humilitas, ait, his indiciis comprobatur : *primo*, si mortificatas in se habeat omnes voluntates; *secundo*, si non solum actuum suorum, verum etiam cogitationum, nihil suum celaverit seniorem; *tertio*, si nihil suæ discretioni, sed judicio ejus universa committat, ac monita ejus sitiens libenter auscultet; *quarto*, si in omnibus servet obedientiam, mansuetudinem et patientiæ constantiam; *quinto*, si non solum injuriam inferat nulli, sed ne ab alio quidem sibimet irrogatam doleat atque tristetur; *sexto*, si nihil agat, nihil præsumat quod non vel communis regula, vel majorum cohortentur exempla; *septimo*, si omni vilitate contentus sit, et ad omnia se quæ sibi præbentur, velut operarium malum, judicarit indignum; *octavo*, si semetipsum cunctis inferiorem, non superficie pronuntiet labiorum, sed intimo cordis credat affectu; *nono*, si linguam cohibeat, vel non sit clamosus in voce; *decimo*, si non sit facilis ac promptus in risu. »

UT VOS EXALTET, — juxta illud *Proverb.* XXIX, 23 : « Superbum sequitur humilitas, et humilem spiritu suscipiet gloria; » et illud *Psalm.* XVII, 28 : « Populum humilem salvum facies, et oculos superborum humiliabis; » et *Job* cap. V, vers. 11 : « Qui ponit humiles in sublimi; » et illud Christi : « Omnis qui se humiliat, exaltabitur, » *Lucæ* cap. XIV, vers. 11. Unde Nazianzenus, *orat.* 48 : « Christus, ait, suo exemplo docuit extimum ad sublimitatem iter esse humilitatem. » Idem docuit beata Virgo, quæ se vocans ancillam, facta est mater Dei, *Lucæ* cap. I, 38. Hinc Saul audivit a Samuele : « Nonne cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es? » in quæ verba S. Gregorius, lib. XVIII *Moral.*, XX, alias XXII : « Magnus, ait, mihi fuisti, quia despectus tibi : sed nunc quia magnus tibi es, factus es despectus mihi. » Humilitas ergo est scala Jacob, quæ homines e terra in cœlum exaltat.

IN TEMPORE VISITATIONIS, — quo scilicet Deus vos visitabit, ut vestram humilitatem remuneretur, vosque exaltet sive in hac vita, sive in futura. Τὸ *visitationis* non est in Græco, sed intelligitur : καιρὸς enim significat occasionem, opportunitatem, tempus commodum, quod est tempus visitationis. Unde Syrus vertit, *in tempore congruo*; Tigurina, *cum erit opportunum*; Pagninus, *in tempore opportuno*, juxta illud *Psalm.* IX, 10 : « Adjutor (Deus) in opportunitatibus, in tribulatione; » et *Psalm.* XXX, 16 : « In manibus tuis sortes meæ; » Hebraice, *tempora mea*; Chaldaice, *tempora redemptionis meæ*. Vide de hac visitatione dicta cap. II, vers. 12.

Vers. 7

7. OMNEM SOLLICITUDINEM VESTRAM PROJICIENTES IN EUM, — id est projicite; Hebræi enim utuntur participiis loco indicativi, quia eo carent. Aut potius *projicientes* refer ad *humiliamini*, *q. d.* Humiliamini sub potenti manu Dei humiliter projiciendo in eum omnem sollicitudinem. Sic enim ostendetis vos humiliter de vobis sentire, et sublimiter de Deo, si vobis diffisi, fisique Deo, in ipsum omnes curas, angores et sollicitudines resignetis. Ita enim ipso facto testabimini vos tam esse infirmos, ut iis providere non possitis; Deum vero tam esse potentem, providum et benignum, ut iis omnibus quasi pater illico provisurus sit. Sic Christus vetat Christianos esse sollicitos de victu, vestitu, etc. *Matth.* VI; ubi S. Hieronymus : « A cura, ait, non penitus liberamur (quæ solet σπουδή, id est, honestum studium appellari), sed præcipitur ne solliciti simus. » Non ergo vetat σπουδήν, id est, moderatam curam, uti volunt Anabaptistæ, qui desides a Deo solo sibi omnia in os ingerenda putant, sed μέριμναν, id est, anxiam et nimiam sollicitudinem; μέριμνα enim dicitur ἀπὸ

Sollicitudo Christianis prohibita.

τοῦ μερίζειν τὸν νοῦν, quod mentem dividat, discruciet et quasi dissecet. Ita Psaltes, *Psalm.* XXXIX, 18 : « Dominus, ait, sollicitus est mei, » ubi S. Augustinus legit, *Dominus curam habebit mei* : « Qui habuit, ait, tui curam antequam esses, quomodo non habebit curam, cum jam hoc es quod voluit ut esses? Jam enim fidelis es, jam ambulas in via justitiæ, etc. ; nusquam tibi deest, tu illi noli deesse, tu tibi noli deesse; » et Paulus *Philipp.* cap. IV, vers. 6 : « Nihil solliciti sitis, sed in omni oratione, etc., petitiones vestræ innotescant apud Deum. » Et Abraham Isaaco roganti ubi esset victima, respondit : « Deus providebit sibi victimam holocausti, fili mi, » *Genes.* XXII, 9. Unde mons in quo immolandus erat Isaac, vocatus est Moria, id est visionis, providentiæ et provisionis Dei ; sicut ergo infantes non sunt solliciti, sed omnem sollicitudinem rejiciunt in sinum matris, in quo recumbunt et quiescunt : ita faciat et fidelis cum Deo, qui nobis pater est et mater. Nam quod Josue dictum est a Deo cap. I, vers. 5 : « Non te deseram, neque derelinquam, » cuivis fideli et justo dictum est. Dicat ergo fidelis in quavis tribulatione, egestate, angustia, Deo : « De ventre matris meæ Deus meus es tu ; in te projectus sum ex utero, » *Psalm.* XXII, vers. 10. Et illud *Psalm.* CXXII, 2 : « Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri. » Nam, ut ait S. Ephrem, serm. *De fide*, tom. I : « Deus qui curat morbos animi, etiam corporis curabit. »

Alludit S. Petrus, imo citat *Psalm.* LIV, 23 : « Jacta cogitatum tuum in Domino ; » ubi Septuaginta vertunt, Ἐπίρριψον ἐπὶ τὸν Κύριον τὴν μέριμναν σοῦ, quæ verba hic in Græco usurpat S. Petrus : μέριμνα enim est *cura*, sollicitudo, anxietas. Hebr. est יְהָבְךָ *iehabcha*, quod Chaldæus vertit, *jacta in Domino spem tuam*; S. Hieronymus, *charitatem tuam*, quasi יְהַב *iahab* positum sit pro אָהַב *ahab*, id est *dilexit*, charum habuit; Pagninus, *donum tuum*, vel, *quod dedit tibi* ; Vatablus ex significatione Syra vel Arabica, *sarcinam tuam*, vel *pondus tuum*, omne scilicet quod te premit et gravat, vel angit et cruciat. Alii « onus tuum, » scilicet negotia tua, sollicitudines, ærumnas, eventus, pericula : de his enim proprie agit Psaltes. Radix יְהַב *iahab* significat affectum postulantis. Unde Pagninus in Lexico vertit, *eia, q. d.* Projice in Deum omne tuum *eia*, id est, quidquid tibi sollicitudinem, aviditatem et precem anxiam movet et elicit. Quocirca Septuaginta et S. Petrus vertunt μέριμναν, id est « curam » et sollicitudinem.

Projice in Deum tuum eia.

QUIA IPSI EST CURA DE VOBIS.— Psaltes, *Psalm.* LIV, 23, habet, « et ipse te enutriet; » Hebr. יְכַלְכֵּלְךָ *iekalkelecha*, id est *sustentabit*, perficiet, curabit te. Notat S. Bernardus, serm. 68 *in Cant.* Non dicit, ait, S. Petrus : « Ut sit ipsi cura de vobis ; » sed : « Quia ipsi est cura de vobis, aperte monstrans, Ecclesia Sanctorum non modo quoniam dilecta, sed quod prius dilecta fuerit, *q. d.* Intendite illi, quia ipse intendit vobis. » Unde idem ait in *Psalm.* XC, serm. 9 : « Ut quid si hæc sapimus, ut quid cunctamur abjicere omnino spes miseras, vanas, inutiles, seductorias, et huic uni tam solidæ, tam perfectæ, tam beatæ spei tota devotione animi, toto fervore spiritus inhærere? »

Ratio est *prima*, quia Deus uti est creator, ita est et conservator, ac provisor et curator suarum creaturarum, præsertim fidelium et justorum. Illius ergo est eorum res, onera, molestias et curas regere, curare, moderari, iisque providere. Hoc enim exigit suavis et efficax ejus providentia. Unde S. Augustinus, III *Confess.*, XI : « O tu bone, ait, Omnipotens, qui sic curas unumquemque nostrum, tanquam solum cures, et sic omnes tanquam singulos. » Ratio Prima.

Secunda, quia id meretur fides, spes et confidentia, qua fidelis in Deo omnia sua reponit, in ejusque sinu recumbit et requiescit, sicut pulli sub alis gallinæ. Hæc enim confidentia valde honorat Deum : magnam enim de ejus potentia, fidelitate et ope habet opinionem, quam Deus frustrari non patitur, tum ut suum honorem tueatur, tum ut in se speranti non desit, sed adsit, faciatque cum spei et voti sui compotem, juxta illud *Psalm.* XXXIII, 16 : « Oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum ; » et vers. 18 : « Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos ; et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos; » et vers. 20 : « Multæ tribulationes justorum, et de omnibus his liberabit eos Dominus. Custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur. » Ita S. Chrysostomus, homil. 56 *ad Populum* et 69 *in Matth.* : « Ne cures, ait, tua, sed ea Deo permitte ; nam si satagis, tanquam homo satages : si vero dimittas, Deus providebit, etc. Ut igitur eorum magnam gerat providentiam, ipsi soli omnia committe. Si vero et ipse, spiritualibus omissis, ea tractaveris, non multam eorum ipse curam geret. Ut ergo et hæc tibi bene disponantur, et omni cura libereris, contemne sæcularia : sic enim et cum cœlis terram habebis, et futura consequeris bona. » Hinc ex adverso de sollicitis dicitur *Proverb.* XI, 7 : « Exspectatio sollicitorum peribit. » Secunda.

Tertia, quia fidelis fideliter servit Deo ; unde Deus qui fidelitate et liberalitate se vinci non patitur, fideliter res ejus omnes curat et dirigit. Deus ergo a nobis tantum poscit sollicitudinem obsequii sui, ac pro mercede cæteras omnes sollicitudines in se suscipit, juxta illud *Michææ* cap. VI, vers. 8 : « Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te : utique facere judicium et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo ; » et illud *Deut.* XXXIII, 3 : « Dilexit populos : omnes Sancti in manu ejus sunt ; » et *Eccli.* XXXIV, 17, 18, 19, 20 : « Timentis Dominum beata est anima ejus. Ad quem respicit, et quis est fortitudo ejus? Oculi Domini super timentes eum, protector potentiæ, Tertia.

firmamentum virtutis, tegimen ardoris, et umbraculum meridiani, deprecatio offensionis, et adjutorium casus, exaltans animam, et illuminans oculos, dans sanitatem, et vitam, et benedictionem; » et David, *Psalm.* XXVI, 1 : « Dominus illuminatio mea et salus mea : quem timebo? Dominus protector vitæ meæ : a quo trepidabo? » Et *Psalm.* XC, 1 : « Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur. » Ubi vide S. Bernardum.

Porro id non tantum in temporalibus, sed multo magis in spiritualibus, puta in victoria tentationum, in virtutum profectu et perseverantia, locum habet. Unde Apostolus : « Omnia, inquit, possum in eo qui me confortat, » *Philip.* cap. IV, vers. 13; et : « Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet in diem Christi Jesu, » *Philip.* I, 6. Si enim Deus capillorum singulorum curam gerit, multo majorem geret morum, ait S. Augustinus, serm. 6 *De Verbis Domini*, qui et addit : « Quid times hominem, homo in sinu Dei positus? Tu de illius sinu noli cadere : quidquid ibi passus fueris, ad salutem valebit, non ad perniciem. » Et Origenes, hom. 8 *in Levit.* : « Discipulorum Domini, ait, etiam capilli capitis numerati esse dicuntur, hoc est, omnes actus, omnes sermones, omnes cogitationes eorum servantur apud Dominum, quia justæ, quia sanctæ sunt. » Vide S. Bernardum, serm. 68 *in Cantic.*

Ita S. Clemens initio *Recogn.* scribit hoc fuisse dogma S. Petri : « Nos Christiani de nulla re vel eventu solliciti sumus, sed in Dei providentia plane conquiescimus; scientes nos illi curæ esse, ab eo per omnia dirigi, ut cuncta nobis cedant in bonum. »

S. Athanasius, tract. *De Pass. et Cruce*, docet Christum in agonia pavidum et anxium sudasse aquam et sanguinem, ac spineam coronam gestasse, ut omnes nostras sollicitudines, curas et angores sanaret et tolleret; Christiano ergo non esse quod sollicitus sit, cum Christus eum omni sollicitudine levaverit, eamque in se susceperit. « Christus, ait, spineam coronam gestavit, ut vitæ nostræ curas (quasi spinas in se suscipiens) aboleret. »

Exempla. S. Joannes Silentiarius, Alamundaro invadente monasterium, noluit exire et fugere, magnaque spe se Deo resignans : « Si Deus, inquit, mei curam non gerit, utquid vivo? » Nec eum spes aut Deus fefellit : misit enim Deus leonem horribilem, qui Joannem custodiret et tutaretur. Ita Cyrillus in ejus Vita. In arctis enim maxime suis quasi e machina adest et succurrit Deus, et, ut ille ait : « Tum præcipuus votorum locus est, cum spei nullus est. » Ita S. Saba ingressus speluncam, ibique respiciens, reperiens leonem cum catulis, fidenter ei dixit : « Si vis, mane mecum; est enim locus utrique : sin autem, egredere. Te enim mihi locum cedere decet, non me tibi. » Quocirca S. Catharina Senensis hoc dogma accepit a Christo : « Filia, cogita de me, et ego cogitabo de te, » illudque exacte servans sine cura cuncta peregit, curatore ejus Christo curante omnia. Similia de S. Mechtilde et S. Gertrude refert Ludovicus Blosius in *Monili spirit.* cap. XI, ubi refert Christum Dominum dixisse S. Gertrudi : « Confidentia ista secura, qua fidelis se et sua reponit in me, credendo quod possim, sciam et velim fideliter ipsi opitulari in re qualibet, mihi cor transfigit tantamque vim infert pietati meæ, ut non possim non tali favere, meque impendere, idque ad hoc ut satisfaciam ei quod sum, et amori quo eum prosequor. »

Plinius lib. VIII, cap. X.

8. SOBRII ESTOTE ET VIGILATE. — Jungit hæc duo, quia sobrietas mater est vigiliæ et vigilantiæ, sicut gula et crapula somni et dormitionis. Rursum, sicut sobrietas mater est sanitatis, sapientiæ et sanctitatis, præsertim castitatis, mentemque vigilem et acrem facit ad orandum et speculandum, ideoque Deo et Angelis est amica : ita ex adverso crapula est mater infirmitatis, insipientiæ, libidinis, cæterorumque vitiorum, mentemque sopit et ineptam facit ad meditandum, ideoque diabolo est amica. Ita S. Chrysostomus, homil. 58 *in Matth.* : « Diabolo, ait, nemo magis amicus est, quam qui deliciis et ebrietate maculatur : hic enim fons, hæc mater est et origo vitiorum omnium. Sues ex hominibus facit : deliciis vacans nullo discrimine a dæmoniaco separatur; impudens enim et furiosus pariter est : et dæmoniacum omnes miseramur, hunc vero omnes aversamur, quia sponte furorem sibi attrahit; et os, oculos, nares et cætera sensuum instrumenta, amarissimas voluptatis conficit cloacas. » Quocirca diabolus solet sub vesperam excitare homines ad gulam, indeque ad dormitionem, ut noctu semisomnes, torpidos et pene sopitos tentet per libidinem aliosque pravos motus, eosque varios et multiplices velut apum examen, ait S. Basilius, *hom.* 14. Hac de causa Ecclesia Completorium ab hisce S. Petri verbis inchoat, iisque monet fideles, ut sobrii sint et vigiles ad orandum et resistendum diabolo, ut sic oculi somnium capiant, ut cor ad Deum semper vigilet, ideoque ituri cubitum Angelo Custodi et Sanctis tutelaribus serio se commendent, ac sanctis cogitationibus indormiant. Vide quæ de sobrietate dixi, *Daniel.* cap. I. Hinc senex ille in *Vitis Patrum*, lib. V, libello XI, num. 46, dicebat tres esse prodromos diaboli, oblivionem, negligentiam et concupiscentiam : « Etenim, ait, si oblivio venerit, generat negligentiam; de negligentia vero concupiscentia nascitur; de concupiscentia vero corruit homo. Si enim ita est sobria mens, ut oblivionem respuat, ad negligentiam non venit; et si non neglexerit, concupiscentiam non recipit; si vero concupiscentiam non recipit, nunquam cadet, opitulante gratia Christi. » Sic Paulus scribit *Timoth.*, epist. II, cap. IV, vers. 5 : « Tu vero, vigila; » et Christus Episcopo Sardensi : « Esto vigilans, et con-

Vers. 8.

De sobrietate.

De vigilantia.

firma cætera, » *Apoc.* III, 2. Hinc Ecclesia olim usurpavit nocturnas vigilias, ad orandum in pervigiliis Sanctorum, et easdem etiamnum usurpant Cœnobitæ in psalmodia nocturna, qui, ut ait S. Hieronymus in *Daniel.* cap. IV, 10, imitantur Angelorum semper vigilantium, Deumque laudantium officia. Exstitit olim in Oriente monasterium Acœmetarum, id est, non dormientium, quia totas pene noctes pervigilabant in oratione et psalmodia.

Vere S. Cyrillus, *Catechesi* 4 : « Opus est, ait, cum divina gratia, sobria mente et vigilantibus oculis, ut zizania vitemus pro tritico, pro ove lupum, diabolum pro Angelo bono. » Diabolus enim semper vigilat, et ubique intentus est, ut noceat et supplantet. Vigiles ergo cum vigili luctare debemus, et quasi Argi mille oculis eum observare ac cavere. Unde S. Hieronymus *ad Heliodorum,* epist. 1 : « Insidiatur, ait, leo hic in spelunca sua, insidiatur ut rapiat pauperem, et tu frondosæ arboris tectus umbraculo molles somnos, futurus præda, carpis? Inde me persequitur luxuria, inde avaritia conatur irrumpere, inde venter meus vult mihi Deus esse pro Christo; compellit libido, ut habitantem in me Spiritum Sanctum fugem, ut templum ejus violem; persequitur, inquam, me hostis cui nomina mille, mille nocendi artes, et ego infelix victorem me putabo dum capior? » Post multa vero : « Nolite, ait, credere, nolite esse securi; licet in modum stagni fusum æquor arrideat, licet vix summa jacentis elementi spiritu terga crispentur, magnus hic campus montes habet; intus inclusum est periculum, intus est hostis. Expedite rudentes, vela suspendite, crux antennæ figatur in frontibus, tranquillitas ista tempestas est. » Et S. Bernardus, serm. 11 *in Psalm.* XC : « Sicut, ait, ipse (Deus) sollicitus est nostri, et ipsi cura est de nobis : sic ille (diabolus) sollicitus est, ut nos mactet et perdat, et una ei cura, ne forte qui aversus est, revertatur. » Apte ergo S. Petrus curæ Dei de nobis, per antithesin subjicit odium et invidiam diaboli ad nos perdendos. Ad hæc vigilandum est, quia, ut ait Christus *Matth.* cap. XXIV, 42, « nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. » Ubi S. Gregorius, homil. 13 *in Evang.* : « Horam ultimam, ait, Dominus noster idcirco voluit nobis esse incognitam, ut semper possit esse suspecta, ut dum illam prævidere non possumus, ad illam sine intermissione præparemur; » et S. Hilarius, can. 24 *in S. Matth.* : « Paratos nos esse convenit, quia diei ignoratio intentam sollicitudinem suspensæ exspectationis exagitat. » Porro : « Vigilat, ait S. Gregorius, loco citato, qui ad aspectum veri luminis mentis oculos apertos tenet; vigilat, qui a se torporis et negligentiæ tenebras pellit. » Mystice dormiunt amatores sæculi. « Somnia enim sunt magistratus, opes, potentia, fastus, voluptatum impostura, gloriæ cupiditas, vita delicata, ambitio, » etc., ait Nyssenus, homil. 11 *in Cant.* Hisce somniis opponenda est vigilia virtutum. Unde S. Augustinus, *De Verbis Domini,* serm. 23, cap. X : « Corde, inquit, vigila, fide vigila, spe vigila, charitate vigila, operibus vigila. »

QUIA ADVERSARIUS. — Hebraice vocatur *Satan,* græce ἀντίδικος, id est, in causa et lite adversarius, litigator, actor, accusator, qui scilicet omnes rationes et modos quærit quibus nobis litem intentet, ut in tribunali Dei nos accuset, et reos damnationis peragat. Magnus ergo hic est adversarius, magna ejus lis et causa; agit enim contra animam nostram, contra salutem, contra æternitatem; agit ut nos socios habeat damnationis et ignis inferni : idque *primo,* ex odio Dei quo ardet, ne scilicet Deus a nobis honoretur; *secundo,* ex invidia, ne sedes ejus in cœlis occupemus; *tertio,* ex superbia, qua omnes sibi similes reddere, omnibusque dominari ambit. Hoc est quod ait Paulus, *Ephes.* VI, 12 : « Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates : adversus mundi rectores, tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus; » ac deinceps contra eos fideli quasi militi dat panopliam.

DIABOLUS, — id est, *calumniator,* a διαβάλλω, id est *calumnior;* quare ridicule Thomas Anglicus : Diabolus, ait, dicitur quasi duobus bolis devorans hominem, scilicet animam et corpus. Id condonandum est sæculo illi linguarum rudi et aglosso. Vere S. Gregorius, II *Moral.,* cap. V, alias IX : « Antiquus adversarius, ait, cum quæ accuset mala non invenit, ipsa ad malum inflectere bona quærit; cumque de operibus vincitur, ad accusandum verba nostra perscrutatur; cum nec in verbis accusationem reperit, intentionem cordis fuscare contendit, tanquam bona facta bono animo non fiant, et idcirco perpendi a judice bono non debeant. » Causam invidiæ dat S. Ambrosius, lib. VII *in Luc.,* cap. XII : « Serit, ait, illecebras delictorum, ut habeat in supplicio participes, quos habuit in errore consortes; atque ideo socios quærit ad culpam, ut obnoxios perdat ad pœnam. » Porro « diabolus » antonomastice vocatur Lucifer, dæmonum princeps, *Matth.* IV, 1. Lucifer ergo non tam per se (relegatus enim est in inferno, *Apoc.* XX, 2), quam per suos asseclas circuit : horum enim quisque vocatur, et est « diabolus. » Unde SS. Patres docent hunc aerem dæmonibus esse plenum, qui ignem et pœnam suam secum portantes, tentant homines, tentabuntque usque ad diem judicii : tunc enim omnes relegabuntur in infernum. « Diabolus, ait S. Augustinus *ad Julianum,* doctor mendacii, ipse est adversarius effectus generis nostri, inventor mortis, superbiæ institutor, radix malitiæ, scelerum caput, princeps omnium vitiorum, persuasor turpium voluptatum. Hinc ergo cum primum hominem a Deo factum, Adam, patrem omnium nostrum intueretur, pudicitia, temperantia, charitate, immortalitate vestitum, æmu-

lus atque invidus tantam beatitudinem hominem terrenum accepisse, quam ipse dum esset angelus, per superbiam agnoscitur amisisse; invidit statim insatiabilis homicida, Adam exspoliavit, et nos interemit. »

Invidia diaboli quanta.

Hæc est secunda causa iræ diaboli in homines, scilicet invidiæ (prima enim, ut dixi, est odium Dei, illum damnantis et punientis in gehenna), de qua S. Basilius : « Pardalis, ait, animal est homini inimicissimum, adeo ut quandoque in stadiis hominis oculos præ ira invadat ; qui autem feræ furorem deludere quærunt, hominis imaginem ei ex charta ostendunt : illa statim furibunda eam concerpit et dilacerat, hoc argumento satis ostendens quanta sit ejus adversus hominem inimicitia. Sic item diabolus in imagine hominem apparentem insectatur, quando Deum ipsum attingere nequit; hinc ipsi bellum tam acre contra nos. » Ita S. Basilius, homil. *in aliquot Scripturæ locos.*

Tertia causa, scilicet superbia, manifesta est : diabolus enim tumet superbia et ambitione. Addit Origenes, homil. 33 *in Lucam*; Nyssenus, *De Vita Mosis*, ante medium; Auctor serm. *ad Fratres in eremo*, serm. 68; Magister Sentent. in II, dist. 11, quemque hominum habere dæmonem antagonistam, ad tentationem deputatum a Lucifero, sicut habet angelum bonum ad custodiam deputatum a Deo. Cassianus vero, *Collat.* lib. VII, cap. XVII, docet certos dæmones deputatos esse qui tentent ad iram, alios ad luxuriam, alios qui ad alia vitia ; singula enim habere suos præsides et dæmones. Unde in Scriptura vocatur spiritus iræ, luxuriæ, blasphemiæ, etc. : hæc alibi discutienda sunt.

TANQUAM LEO RUGIENS. — In Scriptura nunc diabolus, nunc Christus vocatur «leo de tribu Juda;» *Apoc.* cap. V, vers. 5, ob contrarias leonis proprietates. Nam, ut ait S. Augustinus, serm. 46 *De Divers.*, cap. II : « Christus vocatur leo propter fortitudinem, diabolus ob feritatem : ille leo ad vincendum, iste leo ad nocendum. »

Diabolus est leo. Primo.

Diabolus ergo vocatur « leo, » *primo*, quia vigil : leo enim apertis oculis dormit, imo, ut Ælianus et alii docent, dormiendo vigilat, caudamque movet. Unde aliqui putant leonem nunquam dormire, aiuntque eum solum inter animantia apertis oculis nasci : habet enim oculos ingentes, palpebras vero exiles, ut totos oculos tegere nequeant, ideoque dictus leo a λάω, id est *video*, quia ὀξυδερκέστατος, id est, *acutissimi visus est.* Hinc leo symbolum est vigilantiæ, ideoque affigi solet ad ostia basilicarum, uti Romæ factum conspicimus. Similiter diabolus pervigil est ut homini noceat. Quocirca S. Basilius in illud, *Attende tibi* : « Ut strenuus pugil, inquit, habeto animæ oculum nusquam evariantem, sed attentum et pervigilem ; præmuni, ac tuere passis manibus partes, quarum plaga lethalis sit : in adversarium immotum oculum intendito fixius. » Rursum leo, ait Epiphanius, *hæresi* 78, « est animal voracissimum, specie fulvum, robore solidissimum, et, ut ita dicam, regalissimum super alia animalia. » Sic et diabolus caninam habet famem, imo rabiem devorandi animas; specie fulvus, puta cruentus; robore solidissimus, et rex super omnes filios superbiæ, *Job* XLI, 25.

Secundo, quia diabolus sævus est ut leo, qui nunquam cicuratur, fitque domesticus; quin et diabolus plurimis animabus pastus non saturatur, sed sævit magis, « cum leones satiati innoxii sint, » ut ait Plinius, lib. VIII, cap. XVI. Leo habet os ingens, dentes robustos, aduncos et validos ungues : ita diabolus rapacissimus est et voracissimus. Secundo.

Tertio, quia diabolus instar leonis rugit, id est voce, sonitu et terrore percellit, juxta illud *Amos* III, 8 : « Leo rugit, quis non timebit? » Hinc Eusebius, lib. IV *Præpar.*, cap. III : Dæmon, inquit, dicitur a δειμαίνειν, id est *timere*, quia timorem incutit : licet verius δαίμων dicatur, quasi δαήμων, id est *sciens*. Dæmonibus enim antiquitas humanarum artium inventionem tribuebat. Unde Plato universi moderatorem μέγιστον δαίμονα appellat. Dæmon ergo tibi nocere nequit, nisi eum timeas, nisi timendo sponte illi cedas et consentias, quemadmodum qui ante conflictum non telo, sed tuba prosternitur, ait S. Bernardus, serm. 13 *in Psal.* XC, ubi docet leonem magis terrere rugitu quam ferire morsu, adeoque animalia quæ morsui resistunt, imo leonem subinde superant, non sustinere ejus rugitum ; « ut rugientis ejus sonitu velut quadam vi attonita atque icta capiantur, » ait S. Ambrosius VI *Hexaem.*, cap. III. Sic diabolus magis nocet suis minis et terroribus, quam robore et verbere. Audi S. Bernardum : « Adversarius vester tanquam leo rugiens, ait Petrus. Gratias magno illi leoni de tribu Juda : rugire iste potest, ferire non potest. Rugiat quantum vult, tantum non fugiat ovis Christi. Quanta minatur, quanta exaggerat, quanta intentat? Non simus bestiæ ut nos prosternat vacuus ille rugitus. Sic enim perhibent qui talia curiosius vestigaverunt, ad rugitum leonis nullam bestiam stare posse, ne eam quidem quæ adversus ictum ejus tota animositate repugnat; et plerumque superat ferientem, quæ non sustinet rugientem. Vere bestia, vere rationis expers, qui tam pusillanimis est, ut solo timore cedat; qui sola futuri exaggeratione laboris victus, ante conflictum non telo, sed tuba prosternitur. Nondum restitistis usque ad sanguinem, ait strenuus ille dux, qui leonis hujus noverat vanum esse rugitum. Et alius quidam : Resistite (inquit) diabolo, et fugiet a vobis. » Tertio.

Hinc dæmon est myrmicoleon, id est formicaleo, quia timidis dominatur ut leo, audaces metuit ut formica, uti docet S. Gregorius, *Olympiad.*, et alii in *Job* IV, 11 : « Tigris (pro quo Septuaginta vertunt, *myrmicoleon*) periit. »

Quarto. *Quarto*, leo ex ira et famis rabie prædam devorat, ideoque priusquam captam prædam devoret, rugit, ait S. Cyrillus in *Amos* III. Sic et ex ira animas vorat diabolus. Rursum leo prædæ suæ reliquias fastidit, ait Nazianzenus in carmine *de externi hominis Vilitate*, dum ita canit :

> Ac leo cum præda ventrem exsaturavit, ut aiunt,
> Cœnæ reliquias horret adire suæ.

Ita diabolus fastidit et dedignatur eos quos pervertit et occidit, eosque tractat quasi mancipia, imo cadavera, ut patet in sagis et veneficis, quas quasi bestias flagellat, verberat et torquet, tanquam lanio et carnifex. Rursum, «leo num ossa adeo dura sunt, ut ex iis percussis ignis quasi ex silice eliciatur, » ait Aristoteles, lib. II *De Part. animalium*, cap. IX. Ossa hæc repræsentant obstinationem et pertinaciam diaboli, tum in peccato, tum in studio hominibus nocendi : hinc et leonis, æque ac diaboli, collum est hirtum, rigidum et inflexibile, teste Aristotele, lib. IV, cap. X.

Quinto. *Quinto*, tradunt Epiphanius in *Physiol.*, cap. I; Ælianus, lib. XI, cap. XXX; Plutarchus, *De Animalium Comparat.*; Isidorus, lib. I; Origenes et alii, leonem propria vestigia cauda, ea verrendo obterere, obscurare et delere, ne scilicet venatores vestigiis ejus insistentes lustrum inveniant, eumque cum catulis comprehendant. Addunt Ælianus et Plutarchus leonem contortis pedibus incedere, ut in iis quasi in vagina abscondat ungues suos, præsertim tempore nivis, ne in ea vestigia ejus appareant. Ita pariter diabolus malum specie honesti obtegit, ac celando finem et scopum suum, dolos suos abscondit, ne illi pateant, indeque ipse agnoscatur et repellatur. Insuper leo, ait Aristoteles in *Physiog.*, cap. VIII, habet os vastum, frontem quadratam, supercilium ingens, humeros fortes, robustas costas et dorsum, crura nervosa, gressum juvenilem : sic et dæmon.

Sexto, leo, quia igneæ est naturæ, ardet libidine et ira : sic et diabolus. Audi Plinium, lib. VIII, cap. XVI; Aristotelem, lib. IX *Histor. Animalium*, cap. XLIV, tradit « leænam primo fœtu parere quinque catulos, ac per annos singulos uno minus; ab uno sterilescere : informesque minimasque carnes, magnitudine mustelarum, esse initio : semestres vix ingredi posse, nec nisi bimestrem moveri. » Hinc Aristoteles, lib. VI *Hist. Animal.*, cap. XXIII, ait leones Syriæ quinquies in vita parere.

Septimo, fœtet leo ob voracitatem et ingluviem : sic et diabolus; unde hebraice vocatur שעיר *sair*, id est *hircus*, quia in specie hirci apparet et adoratur a sagis, fœtetque ut hircus; vel *sair*, id est *pilosus*, hirsutus, horribilis, horripilans, quia horribili specie apparens percellit, et pilorum erectionem horroremque inducit. Sic Plinius loco citato ait, leones habere « gravem odorem, nec minus halitum : raros in potu, vesci alternis diebus : a saturitate interim triduo cibis carere. Quæ possint, in mandendo solida devorare; nec capiente alvo, conjectis in fauces unguibus extrahere, ut si fugiendum sit, non in satietatem abeant. Polybius in senecta hominem appeti ab iis refert, quoniam ad persequendas feras vires non superant. Tunc obsidere Africæ urbes, eaque de causa crucifixos vidisse se cum scipione, quia cæteri metu pœnæ similis absterrerentur eadem noxa. » Sic homines et animas petit sititque dæmon. « Devorat diabolus, et veluti sibi per mortalem culpam peccatorum incorporat, » ait Lyranus. E contra fidelis et sanctus est cibus Christi : unde aiebat S. Ignatius audiens leones rugientes : «Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar. »

Octavo. *Octavo* : « Leonum, ait Plinius, index animi cauda, sicut et equorum aures. Immota ergo, placitus, clemens, blandientique similis, quod rarum est : crebrior enim iracundia ejus. In principio terra verberatur : incremento terga ceu quodam incitamento flagellantur. Vis summa in pectore. Ex omni vulnere sive ungue impresso, sive dente, ater profluit sanguis. » Ita diabolus non nisi in cauda, id est, in fine tentationis, malitiam et iram suam patefacit; tum sanguinem atrum ostentat, se scilicet non sitire nisi mortes et cædes hominum. Rursum in pectus et cor hominis irrepit et se insinuat; eo enim occupato, totam animam totumque hominem occupat. Unde S. Cyprianus, tract. *De Zelo et Livore* : « Dominus, ait, prudentes nos esse jussit, et cauta sollicitudine vigilare præcepit, ne adversarius vigilans semper, et semper insidians, ubi in pectus obrepsit, de scintillis conflet incendia, de parvis maxima exaggeret : et dum remissis et incautis leniore aura et flatu molliore blanditur, procellis ac turbinibus excitatis ruinas fidei et salutis, ac vitæ naufragia moliatur. Excubandum est itaque, fratres dilectissimi, atque omnibus viribus elaborandum, ut inimico sævienti, et jacula sua in omnes corporis partes, quibus percuti et vulnerari possumus, dirigenti, sollicita et plena vigilantia repugnemus, secundum quod Petrus Apostolus in epistola sua præmonet et docet, dicens : Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens, et aliquid devorare quærens, circuit. »

Nono, pergit Plinius : « Cum pro catulis fœta dimicat, oculorum aciem traditur defigere in terram, ne venabula expavescat : nec limis intuentur oculis, aspicique simili modo nolunt. Creditum est a moriente humum morderi, lacrymamque letho dari. » Ita diabolus non cœlum, sed terram intuetur, suosque pariter intueri facit, ne venabula peccatorum et gehennæ expavescant. Rursum dæmon sævitia est leo, astutia vulpes, quia quos vi non potest, dolo superare contendit. Facit ergo illud Lysandri : « Ubi leonina pel-

lis non sufficit, addenda est vulpina. » Et illud Pindari in *Isthmiis*, ode *4 De Melisso* : « Ille animositate similis audaciæ graviter frementium leonum ad venandum cum labore, solertia autem est vulpes, quæ supina cohibet impetum aquilæ; oportet autem quidlibet faciendo labefactare adversarium. »

Decimo. *Decimo* : « Hoc tale, ait Plinius, tam sævum animal, rotarum orbes circumacti, currusque inanes, et gallinaceorum cristæ, cantusque etiam magis terrent, sed maxime ignes. » Ita diabolus terretur et fugatur rebus in speciem exilibus, scilicet crista crucis, lætitia, psalmodia et cantu hymnorum, orbe et cœtu monachorum et clericorum, sed maxime igne et zelo amoris Christi. Unde S. Antonius apud S. Athanasium : « Credite, ait, mihi experto, pertimescit Satanas recte viventium vigilias, orationes, jejunia, mansuetudinem, voluntariam paupertatem, vanæ gloriæ contemptum, humilitatem, misericordiam, iræ dominatum, et præcipue cor purum erga Christi amorem. Novit deterrimus coluber, ex præcepto Domini sub justorum se jacere vestigiis, qui ait : Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem inimici. » Unde S. Chrysostomus, homil. 22 *in epist. ad Ephes.* : « Conculcabimus diaboli potentiam, ait, si peccata conculcaverimus, omnia dico temporalia, fastum, concupiscentiam, superbiam, omnes animi passiones. Ansam enim dant diabolo divitiæ, pecunia et vanæ gloriæ studium. »

Undecimo. *Undecimo* : « Leo, ait Aristoteles in *Physiog.*, cap. VIII, habet gressum juvenilem et totum corpus articulatum et nervosum : ambulans autem tarde, et magnifice incedens, et se in humeris cum ambulat quatiens, amans victoriæ. » Idem, lib. IX *Hist. Animal.*, cap XLIV : « In venatu dum cernitur, nunquam fugit, aut metuit; sed etiamsi venantium multitudine cedere cogitur, sensim pedatimque discedit, crebro subsistens atque respectans; nactus vero opaca, fuga, qua maxime potest veloci, se subtrahit, donec in aperta deveniat : tum rursus lente incedit. » Ita dæmon fortitudinem simulat, metum dissimulat, ut suam fortitudinem et superbiam ostentet, videaturque vincere, etiam dum vincitur.

Duodecimo. *Duodecimo*, leo grandia et fortia animalia aggreditur, parva et vilia aspernatur. Rursum non comedit nisi quod vivum ceperit. Ita Ælianus, lib. II, cap. III. Sic et diaboli cibus est electus, *Habac.* I, 16; meliores, sanctiores fortioresque aggreditur; timidos carnalesque quasi suos contemnit. Rursum leo læsus acrius in lædentem insurgit : ita dæmon magis sævit cum læditur, puta cum homines vacant pietati, ut tempore Quadragesimæ, uti docet Cassianus, *Collat.* cap. XXI, vers. 28.

CIRCUIT, — scilicet assidue et continuo. Unde S. Fulgentius *ad Thrasim.*, lib. I, cap. V, indefessum vocat ejus circuitum. Græce περιπατεῖ, id est, ut Tigurina, *obambulat*; Pagninus, *undique ambulat*; alii, *circumambulat*; S. Hieronymus LV *Isaiæ, circumiens quærit*. Sic ait ipse diabolus : « Circuivi terram, et perambulavi eam, » *Job* I, 7. Et Christus de eo : « Cum immundus spiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquosa, » etc., *Luc.* XI, 24. Hinc et patris sui exemplo, « in circuitu impii ambulant, » *Psal.* XI, 9, hoc est circumquaque oberrant vagi et instabiles, ut piis noceant. Ita ibidem Theodoretus, Athanasius, Chrysostomus. Unde Chaldæus vertit, *in circuitu impii ambulant tanquam sanguisuga, quæ sugit sanguinem filiorum hominum*. Sic Judæi, ac pariter hæretici, *Psal.* LVIII, vers. 15, dicuntur circuire civitatem, id est Ecclesiam, quia vagi quærunt undique modos eam oppugnandi, nec tamen eam ingredi volunt : unde ab uno errore et hæresi labuntur in aliam. Rursum Eusebius : Circulus, inquit, rectæ lineæ contrarius est, hinc impii in orbem, id est, oblique ad extrema, pii vero recta secundum rationem ad medium virtutis pergunt. Tropologice S. Augustinus : Impii ambulant in circuitu, id est, ait, in temporalium rerum cupiditate, quæ septem dierum repetito circuitu quasi rota volvitur, et ideo non perveniunt ad octavum, id est, ad diem æternum, pro quo iste psalmus intitulatur : hinc et multiplicantur, quia recedunt ab unitate Dei.

Circuitus ergo iste et perambulatio diaboli significat, *primo*, eum vagum esse et instabilem, quia deserendo Deum per peccatum, stabilitatem mentis (hæc enim est in solo Deo) perdidit, qua de re plura dixi ad illud *Thren.* I, 8 : « Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est. » Circuit dæmon. Cur? Resp. Primo.

Secundo, ejus iram et nocendi cupiditatem; circuit enim diabolus perinde ac duellator, qui in duello antagonistam circumcirca observat et circuit, ut eum dejiciat, idque assidue et jugiter. Solus enim circularis motus potest esse perpetuus, eo quod circulus fine et principio careat, cæteri non, ut docet Aristoteles, lib. VIII *Physiog.*, text. 75 et 76, ubi probat motum circularem esse primum, et mensuram cæterorum, esseque continuum; quia semper fertur circa medium, non ad extremum, uti fertur motus rectus, ideoque cœlos moveri motu circulari. Circulationem ergo hanc didicit diabolus in cœlo, cum ibidem versatus est, quasi angelus; sed eum ex bono convertit in malum, cum lapsus est factusque diabolus. Secundo.

Tertio, ejus versutiam, fraudes et dolos, qua ut serpens gyrat et regyrat, ut homines suis artibus, scrupulis, perplexitatibus, etc., intricet, circumveniat, implicet, irretiat, decipiat, capiat, juxta illud *Job* cap. XL, vers. 12, de Behemot, id est elephante, qui typus est diaboli : « Nervi testiculorum ejus perplexi sunt. » Ubi vide S. Gregorium et S. Leonem, serm. 7 *De Nativit.* : « Novit (dæmon) inquit, cui adhibeat æstus cupiditatis, cui illecebras gulæ ingerat, cui apponat incita-

menta luxuriæ, cui infundat virus invidiæ; novit quem errore conturbet, quem gaudio fallat, quem metu opprimat, quem admiratione seducat. »

Quarto. *Quarto*, perambulat quasi princeps mundi; perambulare enim in Scriptura significat dominium et imperium : sic enim herus perambulat in agro suo, rex in regno, dux in regionibus bello subactis, uti pluribus ostendi *Zachar.* I, 11; unde ait *Job* XLI, 24 : « Non est super terram potestas, quæ comparetur ei qui factus est ut nullum timeret. »

Quinto. *Quinto*, circuit, sicut venator circuit cervos, piscator pisces, exercitus urbem, ut omnes concludat, capiat vel occidat, juxta illud *Job* XL, 18 : « Ecce absorbebit fluvium, et non mirabitur : et habet fiduciam, quod influat Jordanis in os ejus. » Unde Thomas Anglicus : Perversitas, inquit, diaboli significatur per nomen adversarii, robur per nomen leonis, crudelitas cum rugiens vocatur, sollicitudo cum circumire quærendo dicitur. Hinc a nobis exigitur contra primum, ut resistamus; contra secundum, ut simus fortes; contra tertium, ut fidei mansuetudinem habeamus; contra quartum, ut vigilemus.

Sexto. *Sexto*, circuitio hæc significat sagacitatem diaboli, qua cujusque desideria, vitia, infirmitates, occasiones, habitus explorat, ut ea parte quemque aggrediatur et tentet, qua debilior est : sicut dux qui obsidet urbem, circuit ut videat qua parte minus munita sit, ut per eam irrumpat. Qui ergo diabolo resistere cupit, omnia sua circumlustret, omnes sensus acri custodia muniat, omnia vitia mortificet, præsertim ea in quæ pronior est; ubi infirmior est, ibi magis se obfirmet, totusque excubet, et sese obarmet per orationes, propositum efficax, pœnitentias, consilia seniorum, etc. Audi S. Cyprianum, tract. *De Zelo* : « Circuit ille nos singulos, et tanquam hostis clausos obsidens, muros explorat, et tentat an sit pars aliqua membrorum minus stabilis et minus fida, cujus aditu ad interiora penetretur. Offert oculis formas illices et faciles voluptates, ut visu destruat castitatem. Aures per canoram musicam tentat, ut soni dulcioris auditu solvat et molliat Christianum vigorem. Linguam convicio provocat, manum injuriis lacessentibus ad petulantiam cædis instigat, ut fraudatorem faciat; lucra opponit injusta, ut animam pecunia capiat; ingerit perniciosa compendia, honores terrenos promittit, ut cœlestes adimat; ostentat falsa, ut vera subripiat; et cum latenter non potest fallere, exerte atque aperte minatur, terrorem turbidæ persecutionis intentans, ad debellandos Dei servos; inquietus semper et semper infestus; in pace subdolus, in persecutione violentus. Quamobrem, fratres dilectissimi, contra omnes diaboli vel fallaces insidias, vel apertas minas stare debet instructus animus et armatus, tam paratus semper ad repugnandum, quam est ad impugnandum semper paratus inimicus. Et quoniam frequentiora sunt tela ejus quæ latenter obrepunt, magisque occulta et clandestina jaculatio, quo minus perspicitur, hoc et gravius et crebrius in vulnera nostra grassatur; ad hæc quoque intelligenda et depellenda vigilemus, ex quibus est zeli et livoris malum. »

Et S. Antonius apud S. Athanasium, monet Christianos, ne per inertiam vires dæmonibus præbeant : « Nam quales, ait, nos et nostras repererint cogitationes, tales se nobis præstare consueverunt; et si quod in pectoribus malæ mentis et pavoris semen invenerint, quasi latrones qui deserta loca obtinent, cœptos cumulant timores, et crudeliter imminentes infelicem puniunt animam; » et S. Leo, serm. 7 *De Nativit.* : « Omnium, ait, discutit (dæmon) consuetudines, ventilat curas, scrutatur affectus, et ibi causas quærit nocendi, ubicumque viderit studiosius occupari. »

Septimo. *Septimo*, circuit ut homines in circulum agat (ceu turbo paleas), puta in mentis vertiginem, ut quasi dementati, ac cerebro et ratione destituti, raptentur in orbem suarum machinationum, puta concupiscentiarum, ruantque de uno peccato in aliud et aliud, donec totum circulum peccatorum omnium absolvant et compleant.

QUEM DEVORET. — Leo devorat non glutiendo, sed dentibus validis prædam comminuendo, juxta illud *Isaiæ* XXXVIII, 13 : « Quasi leo sic contrivit omnia ossa mea; » et illud S. Ignatii : « Dentibus bestiarum molar; » sic et dæmon odio et rabie, quo furit in Deum et homines, eos plane conterere satagit. Unde S. Chrysostomus, hom. 22 *ad Pop.* : « Circuit, ait, quærens non quem mordeat, vel frangat, sed quem devoret. » Est catachresis : dæmon enim proprie non devorat homines, vel animas; sed eas lacerat, perdit et cruciat, eaque re mire quasi esca suavissima pascitur et delectatur; et hoc significat τὸ *devoret*.

Vers. 9. 9. CUI RESISTITE (S. Hieronymus in cap. LV *Isaiæ* legit, *adversus quem resistite*; Syrus, *insurgite*) FORTES IN FIDE. — Tria hic S. Petrus fideli dat arma ad vincendum diabolum : *primum* est ei resistere; resistentia est enim victoria, quia diabolus non vi cogendo extorquet, sed suadendo et blandiendo postulat a nobis consensum; quod si illum negemus, vincimus; *secundum*, fortitudo; *tertium*, fides; resistentia enim eum vincit, fortitudo subjugat, fides enervat. Fides enim futura præmia et pœnas menti ad vivum repræsentans excitat hominem, ut pro iis generose decertet, utque Dei opem ad fortiter præliandum imploret. Unde per fidem Christus inhabitat in cordibus nostris. *Ephes.* III, 17 : « Fides enim est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium, » *Hebr.* XI, 1 et sequent., ubi Paulus docet Sanctos omnes vicisse per fidem. Idem, *Ephes.* VI, 16, militem Christianum contra diabolum a capite ad talos obarmans, dat ei pro scuto fidem, pro ga-

Tria arma ad vincendum diabolum.

lea spem, pro lorica justitiam, pro gladio verbum Dei, pro ocreis promptitudinem Evangelii, pro balteo veritatem. Unde Isidorus, lib. III *De summo Bono*, cap. V : « Ab incredulis, inquit, diabolus timetur ut leo, a fortibus in fide ut vermis contemnitur. » Et S. Joannes, *epistola* I, cap. V, vers. 4 : « Hæc est, ait, victoria quæ vincit mundum, fides nostra ; » et S. Antonius apud S. Athanasium : « Signum, ait, crucis et fides ad Dominum inexpugnabilis nobis murus est ; » et rursum : « Si alacres fuerimus in Domino, et futurorum bonorum cupido nos succenderit, si semper omnia manibus Dei committamus, nullus dæmonum ad expugnandum valebit accedere : magis enim cum munita in Christo corda conspexerint, confusi revertentur. Ita et Job firmatum in Domino diabolus refugit, et infelicissimum Judam exspoliatum fide vinculis captivitatis innexuit. Una est ergo ratio vincendi inimicum, lætitia spiritualis, et animæ Dominum semper cogitantis jugis recordatio, quæ dæmonum ludos quasi fumum expellens, persequetur adversarios potius quam timebit. » Idem monuit S. Jacobus, cap. IV, vers. 7 : « Resistite diabolo, et fugiet a vobis. » Vide ibi dicta.

FORTES IN FIDE, — Græce στερεοί, quod S. Hieronymus in cap. LV *Isaiæ* vertit, *confortati fide* ; Syrus, *obfirmati* ; Pagninus et Tigurina, *solidi* ; alii, *rigidi, duri, firmi*. Hæc enim omnia significat τὸ στερεοί.

Nota : Non qualis qualis, puta exilis et languida fides, sed viva, firma, fortis et generosa vincit diabolum, quia jacula ejus sunt ignita ; *Ephes.* VI, 16. Suscitat enim tentationes et concupiscentias ardentes, juxta illud *Job* cap. XL, 12 : « Halitus ejus prunas ardere facit. » Hæc autem non nisi vehementi fide exstingui possunt. Quare sub fide quasi radice intellige spem, orationem, charitatem ; fides enim spe roborata, oratione armata, charitate ignita, vincit diabolum. Illa enim succensi, in qualibet tentatione dicimus cum S. Paulo : « Quis nos separabit a charitate Christi ? Tribulatio ? an angustia ? an fames ? an nuditas ? an periculum ? an persecutio ? an gladius ? etc. Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim quia neque mors, neque vita ; neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro, » *Rom.* VIII, 35.

Quocirca diabolus hanc fidei firmitatem et fortitudinem nobis eripere conatur, ut fide destituti quasi cæci oberremus, et impingamus in ejus laqueos ; fides enim est oculus animæ. Hujus rei symbolo Naas, rex Ammon, incolis Jabes oculum dextrum expungere voluit, I *Regum* XI, 2, idque tum in opprobrium, tum ut rebellare non possent, faciendo eos bello inutiles et cæcos ; sinistrum enim oculum scuto tegunt milites ; exempto ergo dextro ; fuissent prorsus in prælio cæci. Ita Josephus, VI *Antiq.*, V. Tropol. S. Gregorius ibidem : Dexter oculus, inquit, est intuitus æternæ claritatis, qui fit per fidem ; sinister est concupiscentia carnalis et intuitus terrenorum. Ergo *Naas*, id est hebraice *serpens*, puta diabolus, dextros oculos suorum eruit, quando æternorum intuitum adimit, facitque ut homines carnalia solum cogitent et cupiant, ac cœlestia, quæ solebant amare, non attendant. Sic et Angelomus ibidem. Hic verum est illud Senecæ in *Hercule Furente* :

> Quemcumque fortem videris, miserum neges.
> Nunquam Stygias fertur ad undas
> Inclyta virtus : vivite fortes.

Et illud Plinii : « Ut palma imposito onere enititur, ita viri fortis animus, quo plus negotiis premitur, quoque magis sævit fortuna, hoc est erectior. »

Talis fuit Agamemnon, qui constanti fortitudine, Trojam invictam decennali obsidione premens debellavit et occupavit, indeque dictus est Agamemnon, quasi ἀγαστὸς τὴν μονήν, id est, admirabilis in perseverantia et mora, ait Plato in *Cratylo*. Agamemnon ergo idem est quod Parmeno. Nimirum « obsidio urbis quam capere cupis, constanter urgenda et premenda est, » ait Vegetius. Pari modo qui diabolo resistere, qui vitium aliquod debellare cupit, sit Agamemnon, sit Parmeno, decennali obsidione et pugna illud oppugnet et expugnet. Talem fugit dæmon dicitque suis : « Sinamus hunc ; nam Agamemnon est : a sua Troja non recedet, donec eam occupet. »

SCIENTES EAMDEM PASSIONEM (τὰ αὐτὰ τῶν παθημάτων, id est, *easdem passiones*) EI QUÆ IN MUNDO EST, VESTRÆ FRATERNITATI FIERI. — Consolatur et roborat afflictos fideles Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, etc., ad quos scribit, exemplo fratrum, id est Christianorum, per totum mundum sparsorum, qui similia patiebantur, *q. d.* State fortes, o fideles Pontici, etc., in omni tentatione et passione, quam contra vos suscitat diabolus, cogitando hanc passionem non esse vobis propriam, sed omnibus fidelibus communem ; illos ergo omnes in passione, æque ac in fide, habetis fratres et socios. Hac itaque communione et societate vos solamini et corroborate, tum quia jucundum est in pœna habere socium, adeoque socius est pœnæ levamen ; tum quia furor diaboli divisus et sparsus per omnes fideles, minor est in particulares et singulos, longe enim major esset, si singulis totus incumberet ; tum quia hæc vis est societatis, ut in ea unus cæterorum conjunctione firmetur et roboretur, juxta illud *Eccle.* IV, 12 : « Funiculus triplex difficile rumpitur ; » tum quia passioni vestræ compatiuntur cæteri fideles universi, utpote fratres vestri : fratris autem compassio levat passionis onus et pondus. Ita Œcumenius, Vatablus et alii.

Nota *primo*, τὸ *quæ in mundo est* aliqui referunt

ad *passionem* quæ præcessit, *q. d.* Agite, durate, quia passio hæc quæ «vestræ fraternitati,» id est vobis, o fratres, fit, tantum est hujus mundi: modico ergo tempore durabit, quia futurum sæculum, quod vos manet, non erit passionis, sed coronæ et gloriæ. Ita Arias. Aut, *q. d.* Ne miremini, o fideles, vos tanta pati; nam etiam infideles et mundani, adeoque omnes qui in mundo sunt, similia patiuntur; mundus enim hic est forum passionum et stadium ærumnarum.

Secundo et genuine, τὸ *quod in mundo* refer ad *fraternitati,* quod sequitur, *q. d.* Fraternitas vestra quæ est in mundo, id est, fratres vestri qui toto mundo sunt dispersi, similes tentationes, passiones et persecutiones ab hostibus fidei, suscitante diabolo, patiuntur, atque vos patimini. Idque exigit τὸ *ei,* et Græca quæ habent τῇ ἐν κόσμῳ ἀδελφότητι, id est, fraternitati quæ est in mundo. Unde Syrus vertit, *scitote etiam quod contra fratres vestros, qui in mundo sunt, ipsæ illæ passiones obveniunt.*

Nota *secundo* : Abstractum ponitur pro concreto : «fraternitatem» enim vocat fratres, id est fideles, non ad quos scribit, sed eorum in fide socios, qui in reliquo erant orbe, ut patet ex Græco jam citato. Cur fideles vocentur fratres, dixi cap. I, 22, et *Jacobi* II, 15. Recte Clemens Alexandrinus, lib. V *Strom.,* Gentiles arguentes fideles quod vocarent se fratres, ita redarguit : «Fratres nos esse, utpote unius Dei et unius magistri, alicubi etiam Plato videtur dicere hoc modo : Qui in civitate estis, omnino fratres estis; » et Minutius Felix in *Octavio* : «Fratres vocamur, ut unius Dei parentis homines, ut consortes fidei, ut spei cohæredes. » Origo hujus appellationis prodiit a Judæis, qui se invicem vocabant fratres, non tantum fide et religione, sed et sanguine. Omnes enim prognati sunt ex duodecim Patriarchis, quasi capitibus duodecim tribuum, qui omnes fuere fratres, utpote filii Jacob, nepotes Abrahæ; a Judæis enim prognatus est Christus et Christiani : et Synagoga Judæorum fuit matrix Ecclesiæ Christianorum, quæ proinde quasi filia et hæres matri morienti et desinenti successit, cum Synagoga in Ecclesiam transiit. Hinc pariter fratrum nomenclatura ab illa in hanc transiit.

Nota *tertio* : Pro *fieri* græce est ἐπιτελεῖσθαι, quod *primo* vertit Noster, *fieri*; Syrus, *obvenire*; *secundo,* Pagninus et Cajetanus, *perfici*; Tigurina, *consummari*; Gagneius, *apparari et exhiberi*; alii, *suppleri,* juxta illud Pauli : «Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore ejus quod est Ecclesia, » *Coloss.* I, 24. Perficitur enim cyclas passionum et patientiæ Ecclesiæ, ex passionibus et patientia singulorum fidelium, ejus filiorum et membrorum; ac proinde quisque fidelis ad passionem animare se debet, cogitando se non tantum suam, sed et totius Ecclesiæ coronam adimplere et perficere. Unde Cajetanus τὸ *perfici* sic explicat, *q. d.* Passiones non sunt fugiendæ, sed ambiendæ; quia per eas in patientia perficimur, adeoque illæ in virtute nos solidant, faciuntque perfectos, juxta illud quod de Christo ait Paulus : «Decebat, etc., auctorem salutis eorum per passionem consummare, » *Hebr.* I, 10. Et cap. V, 8 : «Et quidem cum esset Filius Dei, didicit ex iis quæ passus est obedientiam, et consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ. » Græcum ἐπιτελέω hæc omnia et plura significat, scilicet perficere, præstare, supplere, absolvere, consummare, solvere, obire, perfungi, exsequi.

Vers. 10. 10. DEUS AUTEM OMNIS GRATIÆ (scilicet auctor, conservator, promotor, perfector, remunerator et coronator : unde subdit), QUI VOCAVIT NOS IN ÆTERNAM SUAM GLORIAM IN CHRISTO JESU (id est per Christum Jesum), MODICUM PASSOS IPSE PERFICIET, CONFIRMABIT SOLIDABITQUE. — Causam dat S. Dionysius, *Eccl. Hierarch.,* cap. II : «Dominus enim, ait, ut est summe clemens et bonus, in suis bellatoribus vincit, dum in illis habitans, pro illorum salute et victoria adversus mortis et corruptionis imperium pugnat. » Est hic ultimus ad certandum et patiendum stimulus, quod Deus certantes adjuvet, perficiat et coronet. Ipse enim est Deus «omnis gratiæ : » ergo et patientiæ, perseverantiæ, ac gloriæ æternæ. Hæc enim ultima et maxima est gratiarum. Vere S. Augustinus, serm. 67 *De Temp.* : «Quod si semper, ait, beneficia Dei nostri, quæ nobis nullis præcedentibus meritis nostris collata sunt, assidue cogitamus, peccata nostra nobis non dominantur; aut si forte surrepserint, cito per pœnitentiam corriguntur. Quis enim vel mente concipere, non dicam verbis possit exponere, quanta circa nos sint Dei nostri beneficia? Fecit enim nos cum non essemus, reparavit nos postea cum periissemus. Mortem suscepit, pretioso nos sanguine liberavit, ad inferna descendit, de faucibus nos æternæ mortis eripuit, cœlorum etiam regna promisit, » etc. Ecce ut Deus est Deus omnis gratiæ.

Deus certat et vincit in patientibus.

Nota *primo* : Τὸ *omnis gratiæ,* licet quamlibet virtutem et gratiam significet, maxime tamen patientiam et fortitudinem ad sustinendum passiones et tentationes, quas diabolus nobis per se vel per suos suscitat, *q. d.* «Omnis gratiæ, » id est, omnis patientiæ : «patientia enim opus perfectum habet, » *Jacob.* I, 4. Perfectio autem includit omnes virtutes; ergo et patientiam. Quare quod de charitate dixit Apostolus, I *Cor.* cap. XIII, vers. 4, idem dicas de patientia : «Patientia benigna est, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum; non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati; omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.» Unde Hugo, Catharinus et Salmeron omnem gratiam interpretantur totam integram et perfectam gratiam, ut sit enallage quantitatis, qua totum universale ponitur pro toto quanto, puta omne pro integro.

Nota *secundo* : Τὸ *qui vocavit nos in æternam suam gloriam,* dat finem et causam tum præcedentium, tum sequentium, *q. d.* Quia Deus nos vocavit in æternam suam gloriam, hinc idem est auctor « omnis gratiæ : » hæc enim respondet gloriæ quasi semen fructui, meritum mercedi, labor præmio; hinc rursum idem ipse « modicum passos perficiet, confirmabit solidabitque. » Vere Abbas Hyperichius in *Vitis Patrum,* lib. V, libello 11, num. 35 : « Cogitatio tua, ait, sit in regno cœlorum, et cito in hæreditatem accipies illud. » Unde addit S. Petrus : « In Christo Jesu, » id est per Christum Jesum, puta *primo,* per merita Christi; *secundo,* per prædicationem Christi; *tertio,* per vocationem et gratiam Christi : per hæc enim vocamur ad æternam gloriam. *Secundo,* « in Christo, » ut scilicet nos patientes simus in Christo passo, quasi membra, cum eoque efficiamus unum corpus Ecclesiæ nunc militantis per gratiam, postea triumphantis per gloriam. Ita Thomas Anglicus et Glossa. *Tertio,* Lyranus et Dionysius, « in Christo, » id est, propter Christum, vel pro Christo, modicum passos. *Quarto,* « in Christo, » id est, instar Christi, qui nobis est speculum, æque ac præmium patientiæ. Ita S. Bernardus, serm. 74 *in Cantic.,* docet Christum tam pugnantis formam esse quam gloriam triumphantis. « Utrumque, ait, es mihi, Domine Jesu, et speculum patiendi, et præmium patientis : utrumque fortiter provocat, et vehementer accendit. Tu doces manus meas ad prælium exemplo virtutis tuæ, tu caput meum post victoriam tuæ coronas præsentia majestatis, sive quia pugnantem te specto, sive quia te exspecto non solum coronantem, sed et coronam. »

In Christo quadrupliciter exponitur.

Porro S. Petrus uti epistolam cœpit a beneficio vocationis ad fidem et Christianismum, ita in eodem finit, ut ostendat quantum hoc sit quantique æstimandum, ideoque fideles jugiter illud præ oculis habere debere, pro eoque gratias agere, ac perseverantiam postulare, denique vitam illo dignam agere.

Nota *tertio* : Τὸ *modicum passos* (Tigurina, *parumper afflictos*) *ipse perficiet* magnam patientibus affert consolationem et stimulum ad alacriter et constanter patiendum, cogitando scilicet quod modica sit passio, quodque Deus modicum tentatos et passos perficiet. Unde Tertullianus, *ad Martyr.* cap. III : « Epistates vester, ait, Christus Jesus, qui vos spiritu unxit, et ad hoc scamma produxit, etc., ut vires corroborarentur in vobis, quia virtus duritia extruitur, mollitia vero destruitur. » Ita S. Antonius luctans cum dæmone : « Cum elevaret oculos, ait S. Athanasius, vidit desuper culmen aperiri, et deductis tenebris radium ad se lucis influere. Post cujus splendoris adventum nec dæmonum aliquis apparuit, et corporis dolor extemplo deletus est. Ædificium quoque quod paulo ante dissolutum fuerat, instauratum est. Illico præsentiam intellexit Domini Antonius, et ex intimo pectore trahens longa suspiria, ad visionem quæ ei apparuerat loquebatur, dicens : Ubi eras, bone Jesu? ubi eras? Quare non a principio adfuisti, ut sanares vulnera mea? Et vox ad eum facta est, dicens : Antoni, hic eram; sed exspectabam videre certamen tuum. Nunc autem quia dimicando viriliter non cessisti, semper auxiliabor tibi, et faciam te in omni orbe nominari. His auditis, exurgens in tantum roboratus orabat, ut intelligeret se plus recepisse tunc virium quam ante perdiderat. » Ita Theodosius Abbas apud Joannem Moschum in *Prato Spirit.* cap. LXVI, cum vidisset diabolum instar Æthiopis et gigantis enormis, qui a terra porrigebatur usque in cœlum, et caput inter nubila condebat, audiretque : « Theodosi, cum hoc oportet te luctari; » ac pavidus diceret : « Quis ego sum, ut homuncio cum tanto gigante lucter? » audivit : « Ingredere cum omni alacritate et fiducia; mox enim ut tu illum adorsus fueris, ego adjutor adero, tibique victoriæ coronam imponam. » Ita factum. Idem sæpe experimur in nobis, cum quid arduum aggredimur, ut ante aggressum horreamus, putemusque rem confectu impossibilem. At ubi eam aggredimur, et opus incipimus, illico minuuntur et cedunt difficultates, remque ipsam parvo labore conficimus, ut verum sit quod ait ille : « Res in se non esse difficiles, sed difficiles apprehendi; ideoque non res, sed opiniones rerum nos turbare et percellere; » et illud Nazianzeni in *Sentent.* : « Ut foliorum strepitus lepores exterrent, ita rerum umbræ timidos et ignavos. » Quæ ergo dura videntur, magnis animis, et quasi clausis (ut facit leo) ad difficultatem, cæcisque oculis aggredienda sunt, itaque illico vincetur difficultatis horror, resque factu facilis videbitur. Legimus nonnullos Martyres, ac nominatim SS. Marcum et Marcellianum initio martyrii trepidasse, et ingentes habuisse dolores ac luctas; at ubi constanti animo se ad Dei gloriam in prædam tortoribus dederunt, Deique opem ardenter efflagitarunt, pavorem et horrorem omnem vicisse, lætosque et alacres omnia tormenta tolerasse, tum quia animus hic generosus superabat dolores, ut eos parvos vel nullos duceret; tum quia Deus magnis animis adest et succurrit, vel doloris sensum minuendo, vel sua consolatione et gratia ita animum roborando, ut tormenta omnia levia æstimet. Sicut enim pondus leve per contrapondus majus attollitur, et quasi alleviatur : ita dolorem omnem mitigat magnus amor et animus. « Pondus enim meum est amor meus, » ait S. Augustinus.

Nota *quarto* : Τὸ *ipse perficiet* græce est καταρτίσαι, quod Tigurina vertit, *instauret,* ut si quid per afflictiones in potentia et mente, vitio impatientiæ et pusillanimitatis sit luxatum, læsum, divisum, fractum, hiulcum, distortum, debilitatum, instauret, confirmet, uniat, æquet. Alii vertunt *compaginet,* vel integret, ut omnibus patientiæ et vir-

tutum partibus quasi artubus compacti, sitis integri, exacti, absoluti et perfecti.

CONFIRMABIT SOLIDABITQUE. — Pagninus, *fulciat et roboret*. Hæc omnia idem, vel quasi idem sunt, tantumque per auxesin significant hanc perfectionem esse firmam et solidam, ac consistere in firmitate et soliditate patientiæ et virtutis. Unde Græca addunt θεμελιώσει, id est *fundabit*; Tigurina et Pagninus, *stabiliet*. Hinc Syrus vertit : *Ut, cum sustinuerimus has oppressiones exiguas, roboremur, et confirmemur, ac perstemus in eo* (Jesu Christo) *in æternum*. Hinc rursum aliqui hæc legunt per nomina et ablativos : καταρτίσει στηρίξει, σθενώσει, θεμελιώσει, id est perficiet confirmatione, consolidatione, fundatione. Verum melius Noster et alii tria ultima accipiunt non ut nomina, sed ut verba futuri temporis, ideoque pariter pro primo καταρτίσαι, id est *perficiat*, in optativo, legunt in futuro καταρτίσει, id est *perficiet*. Jam Græca omnia legunt in optativo καταρτίσαι, στηρίξαι, σθενώσαι, θεμελιώσαι, id est *perficiat confirmet, roboret, fundet*.

Deus confirmat, perficit, solidat varie.

Alii tamen hæc distinguunt, sed varie. *Primo*, Salmeron : « Perficiet, ait, per charitatem, confirmabit per spem vivam, solidabit per fidem efficacem. » Rursum idem addit Christum perficere fideles quos emit et redemit, Patrem confirmare eosdem quos condidit, Spiritum Sanctum solidare suæ gratiæ et fortitudinis spiritu. *Secundo*, Titelmannus : « Perficiet, inquit, per patientiam, confirmabit et solidabit per-perseverantiam. » Unde et Prosper, lib. I *De Vocat. Gentium*, XXIV, ex hoc loco docet perseverantiam esse donum Dei. *Tertio*, Carthusianus hæc adaptat tribus animæ potentiis : « Perficiet, inquit, intellectum purificatæ mentis intelligentia, confirmabit voluntatem fervore charitatis, solidabit memoriam ut in Deo figatur fixaque consistat. » Vel, ut Thomas Anglicus : « Perficiet rationem cognitione veritatis, confirmabit appetitum concupiscibilem in amore bonitatis, solidabit irascibilem ut nullis terroribus vel difficultatibus cedat. » *Quarto*, Hugo hæc applicat et opponit tribus hominis hostibus : « Perficiet, inquit, contra mundum, confirmabit contra carnem, solidabit contra dæmonem. » *Quinto*, alii, *q. d.* « Perficiet nos largiendo voluntatem perfecte et constanter valendi, confirmabit dando voluntatem rem volitam exequendi, solidabit dando robur ipsumque actum exequendi. »

Porro hæc omnia inchoate facit Deus in hac vita per gratiam et patientiam, perfecte vero eadem faciet in futura per gloriam. Hæc enim perficiet intellectum lumine gloriæ, ut Deum quasi summum bonum videat et contempletur; confirmabit voluntatem, ut ipsum totis viribus amet; solidabit eamdem, ut a tanto bono avelli nequeat, sed illi tota inhæreat, nec ulla re aut ratione ab eo separari possit. Ita fere Hugo, Primaticius et alii, ac favet Syrus dum vertit : *Roboremur, et confirmemur, et perstemus in eo in æternum*. Hoc est quod ait Paulus : « Momentaneum, et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, » II *Cor.* IV, 17. « Hic scopus, hic finis, » hæc meta, hæc corona, hoc epinicium Christiani, a quo uti inchoavit Epistolam S. Petrus, ita et in eodem desinit.

Præclare Lactantius, lib. VII, cap. VI, Christianos et totam Christianismi rationem hac circumscriptione depingit : « Idcirco, ait, mundus est factus, ut nascamur : ideo nascimur, ut agnoscamus factorem mundi ac nostri Deum : ideo agnoscimus, ut colamus : ideo colimus, ut immortalitatem pro laborum mercede capiamus, quoniam maximis laboribus cultus Dei constat : ideo præmio immortalitatis afficimur, ut similes angelis effecti, summo Patri ac Domino in perpetuum serviamus et simus æternum Deo regnum. Hæc summa rerum est, hoc arcanum Dei, hoc mysterium mundi. » Unde S. Gregorius Nazianzenus, *De Christo patiente*, ait eum non sibi, sed nobis natum et passum :

Factus sum, *inquit*, Christi corporis, ille mei.
Me gessit moriens, me victa morte resurgens.
Et secum ad Patrem me super astra tulit.

Et Prudentius, *De Resurrect. carnis* :

Pellite corde metum, mea membra, et credite vosmet
Cum Christo reditura Deo : nam vos gerit ille,
Et secum revocat; morbos ridete minaces,
Inflictos casus contemnite, tetra sepulcra
Despicite, et surgens Christus quo provocat, ite.

Phœnix symbolum resurrectionis.

Et Tertullianus, lib. *De Resurrect.*, resurrectionis symbolum dat phœnicem, avem Arabiæ revivis-centem, eique comparat Christianos patientes, morientes et resurgentes. De phœnice enim sic canit Lactantius :

Ipsa sibi proles, suus est pater, et suus hæres,
Nutrix ipsa sui, semper alumna sui.
Ipsa quidem, sed non eadem : quia et ipsa, nec ipsa est,
Æternam vitam mortis adepta bono.

Ravennæ extat emblema ad picturam phœnicis :

Securus moritur qui scit se morte renasci;
Mors ea non dici, sed nova vita potest.

Illustrissima Bona, Joannis Galeatii Mediolanensis ducis mater, mortuo marito, curavit in numismate cudi phœnicem hoc lemmate :

Sola facta solum Deum sequor.

Denique S. Cæcilia tumulo S. Maximi Martyris curavit insculpi phœnicem; et Romæ in cryptis Martyrum plurium sarcophagis phœnix incisus visitur.

S. Vincentii robur.

Hæc cogitantes, sperantes et ambientes, Sancti ambiebant passiones, quærebant cruces, sitiebant martyria. Eminuit inter eos S. Vincentius, qui tam avarus et avidus fuit suppliciorum, quam Dacianus tyrannus eorumdem in ipsum prodigus; equuleum habebat in deliciis, ungulas pro epulis, catastam pro molli culcitra, ac, quod mirum est,

iis crescentibus, crescebat ejus animi corporisque vigor, ut excarnificatus et pene enectus iis reviviscere, redintegrari et roborari videretur; adeoque in lecto et rosis animam afflavit, cui tormenta vitam dederant : nimirum rosæ et deliciæ ei erant tormenta, tormenta vero et pœnæ pro Christo ejus erant deliciæ. Ita Deus modicum passum perfecit, confirmavit solidavitque, ut homine celsior, instar angeli incorporei in pœnis corporis luderet, et illuderet tyranno, ut suis vulneribus magis vulneraret et cruciaret tyrannum, quam ipse eis vulneraretur. Similis fuit S. Agatha Quintiano insultans. Modicum enim passa adeo corroborata est, ut Aphrodisiæ lenæ se tentanti dixerit : « Operam perdis : ego enim ita firmata sum in fide, castitate et amore Dei, ut per ejus gratiam citius sol perditurus sit suum lumen, ignis calorem, nix albedinem, quam ego mutem propositum. Præparet Quintianus leones, acuat gladios, ignes succendat, portas inferni aperiat, omnesque in me dæmones concitet, Dei ope vivam et moriar Christiana æque ac virgo; intentissime enim amo et desidero Christum, cui me totam devovi et despondi. »

S. Agatha.

Vers. 11. 11. IPSI GLORIA ET IMPERIUM. — Syrus, *ipsi gloria, potentia et honor*. S. Prosper, lib. I *De Vocat. Gentium*, cap. XXIV, « cui virtus et honor. » Græcum κράτος significat potentiam, robur, vim, imperium, principatum, victoriam, quæ omnia huic loco congruunt, *q. d.* Deus modicum passos perficiet, eisque per patientiam perfectam dabit victoriam : illi ergo omnis victoriæ laus tribuatur, non nobis, juxta illud Pauli, I *Cor.* XV, 57 : « Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum; et II *Cor.* II, 14 : « Deo gratias, qui semper triumphat, » id est triumphare facit « nos in Christo Jesu. » S. Petrus uti cœpit per doxologiam Dei, dicendo : « Benedictus Deus, ita in eamdem desinit, dicens : « Ipsi gloria, » etc., ut doceat Deum Deique laudem debere esse principium, medium et finem nostrarum actionum, ideoque crebro corde et ore usurpandam, uti usurpat S. Paulus *Rom.* XI, 36, et cap. XVI, 27; *Ephes.* III, 21; *Philip.* IV, 20; *Hebr.* XIII, 21; *Galat.* I, 5, et alibi : de quo plura *Apoc.* IV, 11, et V, 12, et VII, 12.

Vers. 12. 12. PER SILVANUM. — Hic est Silas, qui hasce S. Petri litteras Roma deferens in Orientem, ibi incidit in S. Paulum, illique comes prædicationis adhæsit, II *Thessal.* I, 1. Ita S. Hieronymus, *epist.* 143; Syrus, Œcumenius et alii plerique.

Perperam ergo Dorotheus in *Synopsi*, et Menologium Græcorum, 1 august., Silvanum a Sila distinguunt. Censent aliqui Silvanum, vel Silam non tantum detulisse, sed et scripsisse hanc epistolam dictatam a S. Petro. Ait enim : « Per Silvanum, etc., breviter scripsi. » Nominat latorem, ut fideles certi sint epistolam ab eo delatam esse Petri germanam, non fictam, non suppositam.

UT ARBITROR. — Refer ad *fidelem verbis*, *q. d* Scripsi per Silvanum, quia ipse vobis est fidelis, « ut arbitror (1). » Alii referunt ad *breviter scripsi*, *q. d.* Arbitror me fuisse brevem in scribendo. Aliquando enim scribens vel loquens videtur sibi brevis, qui audientibus vel legentibus videtur prolixus : ita Syrus et Cajetanus.

OBSECRANS, — ut fidem Christi et præcepta virtutum, quæ hac epistola perscripsi, constanter retineatis et opere expleatis : « contestor » enim in his sitam esse « veram gratiam Dei, in qua statis, » id est, constanter perseveratis. In Græco est ἑστήτε, id est, *stetistis*; sed legendum ἑστήκατε, id est, *statis*, aut certe præteritum accipitur pro præsenti, more Hebræo : per præsens enim passim omnes explicant. Nonnulli tamen legunt στῆτε, id est *stetis*, idque apte respondet Græco παρακαλῶν, id est, « obsecrans » vel « exhortans » vos, ut stetis et perseveretis in fide Christi et gratia Christianismi. Perperam enim Syrus pro παρακαλῶ vertit, *persuasum habens*. Ita Paulus ait *Philip.* cap. IV, 1 : « Sic state in Domino, charissimi; » et *Galat.* V, 1 : « State et nolite iterum jugo servitutis contineri. » Nota fidem et legem novam vocari gratiam, quia summum Dei est donum, immeritis et indignis gratis datum, ut eos sibi gratos cœloque dignos efficiat, juxta illud *Joan.* I : « Lex per Mosen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est. » Vetus enim lex erat rigoris et justitiæ, nova est gratiæ et clementiæ.

Vers. 13. 13. SALUTAT VOS ECCLESIA (VOX *Ecclesia* non est in Græco, sed intelligitur : unde Interpres recte eam expressit, æque ac Syrus) QUÆ EST IN BABYLONE COELECTA. — Hæretici, ut Beza, Viretus, Sadulius, Velenus et alii, ut tueantur falsum suum dogma, scilicet S. Petrum Romæ non fuisse, ac proinde Romanum Pontificem non esse successorem S. Petri et caput Ecclesiæ, « Babylonem » proprie accipiunt, urbem scilicet vel Assyriæ, vel Ægypti. Duplex enim fuit Babylon, una in Chaldæa, altera in Ægypto, quæ nunc Cayrus dicitur.

Babylon cur vocatur Roma?

Verum errant, *primo*, quia Judæi, qualis erat S. Petrus, a Caio Cæsare expulsi erant Babylone et Assyria, uti docet Josephus, XVIII *Antiq.*, cap. ult. Babylon autem Ægyptia tunc erat locus obscurus et castellum, ait Strabo, lib. XVII. *Secundo*, quia S. Joannes, *Apocal.* XVII, 9, dicit Babylonem insidere septem montibus, sive collibus; nulla autem alia urbs est septicollis quam Roma. Unde hæretici coacti confitentur in Apocalypsi per « Babylonem » intelligi Romam (hinc Lutherus scripsit librum *De Babylonica Captivitate*, id est, de Romana, puta Papæ et Papatus, ui ipse explicat). Si in *Apocal.*, cur non est hic? S. Joannes enim fuit synchronus S. Petro; unde eadem utrique fuerunt Roma et Babylon. *Tertio*, quia id unanimiter asserunt Patres et Doctores orthodoxi, nimirum Papias, discipulus S. Joannis, apud Euse-

Secundo.

Tertio.

(1) Tuncque *ut arbitror* non sunt verba dubitantis, sed ejus, qui firmissime de aliqua re est persuasus.

bium, lib. II *Hist.*, cap. XIV, alias XV. S. Hieronymus in *Isaiæ* cap. XXIV et XLVII, et lib. II *Contra Jovinianum*, sub finem : « Ad te, ait, loquor, quæ scriptam in fronte blasphemiam Christi confessione delesti. » Tertullianus, lib. III *Contra Marcionem*, cap. XIII; Beda, Œcumenius et alii hic; Andreas Cæsariensis, Aretas, Ribera, Alcazar, Viegas, Pererius et alii, *Apoc.* XVII et XVIII.

Cur? Prima Causa. Quæres qua ratione Roma vocetur « Babylon? » Respondeo : *Primo*, quia Roma Babyloni in imperio successit quasi filia matri, vel potius neptis aviæ, ideoque Babylonicum imperium transiit et desiit in Romanum, sicut Synagoga transiit in Ecclesiam, Jerusalem Judaica in Christianam : unde idcirco ipsa Ecclesia vocatur Synagoga Sion et Jerusalem. Ita S. Augustinus, VIII *De Civit.* II, « Babylonem » vocat primam Romam, et Romam secundam Babylonem : « Duo, inquit, regna cernimus longe cæteris provenisse clariora, Assyriorum (sub quibus et Babylonios accipit) primum, deinde Romanorum, ut temporibus, ita locis inter se ordinata atque distincta. Nam quomodo illud prius, hoc posterius : eo modo illud in Oriente, hoc in Occidente surrexit. Denique in illius fine hujus initium confestim fuit. » Et cap. XXII : « Altissima tunc condita est civitas Roma velut altera Babylon, et velut prioris filia Babylonis, per quam Deo placuit orbem debellare terrarum, et in unam societatem reipublicæ legumque perductum, longe lateque pacare.

Secunda. Analogiæ Romæ et Babylonis. Prima. *Secundo*, quia Roma similis fuit Babyloni in amplitudine et magnificentia imperii. Ita Œcumenius. Unde Babylon fuit Romæ typus et præludium, idque multis parallelis et analogiis quas recenset Orosius, lib. II, cap. II et III. Nam *primo*, inquit : « Nini et Babylonis regnum eo anno in Medos derivatum est, quo anno apud Latinos Procas, Amulii et Numitoris pater, avus autem Reæ Sylviæ, quæ mater Romuli fuit, regnare cœpit.

Secunda. *Secundo*, sicut a primo anno imperii Nini usquequo Babylon a Semiramide instaurari cœpta est, interveniunt anni sexaginta quatuor, ita a primo anno Procæ, cum regnare cœpit, usque ad conditionem Urbis factam a Romulo, intersunt anni

Tertia. sexaginta quatuor. *Tertio*, Babylon eo anno sub

Quarta. Arbato dehonorata est, quo Roma sub Proca rege seminata est. *Quarto*, Babylon novissime eo tempore a Cyro rege subversa, quo primum Roma a Tarquiniorum regum dominatione liberata est. Siquidem sub una eademque convenientia temporum illa cecidit, ista surrexit : illa tunc primum alienigenarum perpessa dominatum, hæc tunc primum etiam suorum aspernata fastidium; illa tunc quasi moriens dimisit hæreditatem, hæc vero pubescens tunc se agnovit hæredem; tunc Orientis occidit imperium, exortum est Occiden-

Quinta. tis. *Quinto*, Babylon stetit annis 1164, usque ad Arbatum, qui eam spoliavit imperio, et Roma post totidem annos, hoc est 1164 a Gothis et Alarico rege eorum opibus spoliata, non regno, manet adhuc et regnat incolumis. *Sexto*, similis Ba- Sext
byloniæ ortus, et Romæ, similis potentia : similis magnitudo, similia tempora, similia bona, similia mala, tametsi non similis exitus similisve defectus. Illa enim regnum amisit, hæc retinet; illa interfectione regis orbata, hæc incolumi imperatore secura est. Et quare hoc? Quoniam ibi in rege libidinum turpitudo punita, hic Christianæ religionis continentissima æquitas in rege servata est; ibi absque religionis reverentia aviditatem voluptatis licentia furoris implevit, hic et Christiani fuere qui parcerent; et Christiani propter quorum memoriam, et in quorum memoria parceretur. » Hucusque Orosius.

Denique tempore S. Petri Roma erat Babylon, id est, confusio idolorum, vitiorum et spoliorum totius orbis. Unde Tertullianus, lib. III *Contra Marcionem*, cap. XIII : « Sic et Babylon, ait, etiam apud Joannem nostrum Romanæ urbis figura est, proinde magnæ, et regno superbæ, et Sanctorum Dei debellatricis. » Ubi nota : Babel sive Babylon Babylon idem quod confusio. hebraice idem est quod græce σύγχυσις, ut vertunt Septuaginta *Genes.* XI, 9, latine *confusio*, sive commixtio : « Quoniam ibi confusum est labium universæ terræ, » hoc est, quia ibi commixtæ et divisæ sunt hominum linguæ, cum prius omnes una eademque, puta Hebræa, loquerentur. Radix ergo Babel est בלל *balal*, et per crasin *bal*, id est *confundere*, commiscere : inde enim addita littera B, fit Babel. Porro additur littera B, diciturque *Babel* pro *bal* aut *bel*, vel quia *bet* Hebraice significat *in*, ut *Babel* idem sit quod *in confusione*, ut vult Pagninus in *Interpret. nom. Hebr.*; vel. B ponitur pro בא *ba*, id est *venit*, ut *Babel* idem sit quod *venit confusio*, ut vult Aben Esra; vel potius per onomatopœiam geminatur *bal* vel *bel*, ut *babel* sit idem quod *balbel*. Sic enim Hebræi geminant subinde suas radices, et ex trilitteris faciunt quadrilitteras, ut ex *kalal* geminando faciunt *kilkel*; ex *galal*, id est *volvere*, faciunt *gilgel* : unde *galgala*, et *gulgolet*, sive *gulgolta*, id est *cranium*, sive calvaria, a convolutione et rotunditate. Jam sicut pro *gulgolta*, euphoniæ causa, elidendo L medium, dicunt *golgota*; sic pro *balbel* dicunt *babel*, elidendo L medium. Ob similem ergo vitiorum confusionem, S. Petrus Romam vocavit Babylonem. Noluit Romam nominare, ne Romanos Christianos adduceret in periculum. Si enim hæ litteræ incidissent in manus Gentilium, detulissent ad Imperatorem Romæ magnam esse multitudinem, adeoque Ecclesiam Christianorum, qui illico in eos persecutionem movisset. Addit Baronius S. Petrum Hierosolymis e carcere fuga lapsum, voluisse latere, ne Herodes intelligens eum Romæ agere, ad Cæsarem scriberet, eumque rursum comprehendi faceret.

Tropologice : Impii et mundani sunt cives Babylonis, quia in confusione negotiorum, desideriorum, tumultuum, turbationum et casuum hujus mundi assidue versantur et jactantur; Sancti

vero sunt cives Jerusalem, id est visionis pacis, quia in pace conscientiæ uni Deo serviunt et adhærent, dicuntque : « In pace in idipsum dormiam et requiescam. » S. Augustinus in *Sentent.*, Sent. 221 : « Duas, ait, in toto mundo civitates faciunt duo amores : Jerusalem facit amor Dei, Babyloniam facit amor sæculi. Interroget ergo se quisque, et inveniet unde sit civis. » Et S. Gregorius, XVIII *Moral.*, XXV : Cives, ait, Jerusalem sunt qui solam cœlestem patriam diligunt; cives Babyloniæ sunt qui terrenæ patriæ curis subjacent. « Cum igitur constet plerumque etiam bonos non terreno studio terrenis curis implicari (uti Daniel, ait, a rege præpositus fuit Babyloni), patenter agnoscimus quia sic nonnunquam cives Jerusalem angarias solvunt Babyloniæ, sicut sæpe cives Babyloniæ impendunt angarias Jerusalem. » De Babylone hac plura dicam *Apoc.* XVII et XVIII.

Alludit S. Petrus *primo,* ad Abraham, parentem Synagogæ, fidei et fidelium; sicut enim Deus Abrahamum elegit in Babylonia, eumque de Ur Chaldæorum eduxit in terram promissam : ita S. Petrus Romæ convertit S. Clementem, S. Pudentem, S. Linum, S. Cletum aliosque clarissimos viros, qui fuerunt primores et proceres Ecclesiæ. *Secundo,* alludit ad captivitatem Babylonicam : tunc enim Dei populus et Synagoga Judæorum in Babylone degebat captiva, multosque Babylonios ad Dei veri fidem convertebat; unde erat tunc in Babylone Ecclesia Dei electa. Simili modo Romæ S. Petrus e gentilismo plurimos convertit, adeoque ibi arcem et caput Ecclesiæ Christianæ constituit. Erat ergo Romæ Ecclesia a Deo coelecta, id est, electa æque ac olim Synagoga Judæorum.

Coelecta quid?

COELECTA. — Perperam interpretes nonnulli legunt *collecta.* Græce enim est συνεκλεκτή, id est *coelecta,* id est, simul vobiscum electa, consors vestræ electionis ad fidem, gratiam et salutem. Electus fuit primitus a Deo, æque ac a Christo, Judæorum populus, cujus peculiariter pastor et curator erat S. Petrus, *Galat.* II, 8, cuique primario hanc scribit *Epist.*, cap. I, vers. 1. Coelectus fuit populus Gentium a Christo, qui Gentes cum Judæis in unam coagmentavit Ecclesiam; idque hac voce Judæis insinuat hic S. Petrus (Gentium enim caput erat Roma), ut Judæi more solito Gentes non aversentur, sed eas ut fratres in Christo ament, eisque se associent. Rursum, hac voce confirmat fideles Orientis in fide per fidem urbis et Ecclesiæ principis, puta Romanæ, quod illa eis consentiat tum in fide, tum in spe vocationis, tum in charitate. Rursum Ecclesia electa est Ecclesia electorum ad fidem et gratiam, et si in ea perseverent, ad gloriam.

Florens Ecclesia Romana.

Prima enim, eaque singularis et eximia fuit electio fidelium Romanorum, et primitivæ Ecclesiæ Romanæ, utpote quæ primitias spiritus a Christo per SS. Petrum et Paulum hauriens, floruit heroica fide, sublimi spe, ardenti charitate, ideoque tot centena millia Martyrum per trecentos persecutionis annos continuo progerminavit. Quocirca multi principes, reges et reginæ devotionis ergo Romam magnis itineribus et impendiis profecti sunt, ut loca sancta religiose viserent; quin et non pauci ibidem vivere et mori, ac inter Sanctos sepeliri elegerunt, quorum exempla recensui *Isaiæ* cap. LXVI, 23. Imo Christus Dominus apparens S. Brigidæ (ut habet ejus Vita apud Surium, 23 julii) jussit ei peregrinari Romam, dicens : « Proficiscere Romam; illic enim plateæ sunt auro instratæ, et Sanctorum sanguine rubreatæ : ibi propter condonationes sive indulgentias quas promeruere Sancti, compendio venitur ad cœlum. » Paruit ipsa, ac Romam profecta, ibi eam sanctitatem adepta est, ut ibidem moriens anno Domini 1373, catalogo Beatorum solemni ritu adscribi meruerit, adeoque domus ejus in templum conversa, religiose ab inquilinis et peregrinis invisitur.

Merito ergo Tertullianus, lib. *De Præscript.* : « Felix, ait, Ecclesia (Romana) cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt. » S. Augustinus, *epistola* 162, ait in Ecclesia Romana semper Apostolicæ cathedræ viguisse principatum. S. Hieronymus, lib. II *Contra Joviniamum:* « Scito, ait, Romanam fidem Apostolica voce laudatam, istiusmodi præstigias non recipere, etiamsi angelus aliter annuntiet, quam semel prædicatum est, Pauli auctoritate munitam non posse mutari. » S. Irenæus, lib. III, cap. III, docet integram fidem in Romana Ecclesia servari, ad eamque omnes confugere debere. Idem docet Optatus, lib. II *contra Parm.*; S. Cyprianus, lib. I, *epist.* 3; S. Ambrosius, orat. *De obitu Satyri fratris,* et alii.

ET MARCUS FILIUS MEUS. — Hic « Marcus » non fuit Joannes cognomento Marcus, consobrinus Barnabæ, de quo *Actor.* XII, 12, sed S. Marcus Evangelista : hunc S. Petrus vocat filium suum, non secundum carnem, sed secundum fidem et spiritum; quia eum sua fide, doctrina et spiritu imbuerat, adeo ut scriberet Evangelium : unde eumdem habuit adjutorem et interpretem, ideoque charissimum : eaque de causa mox eum misit Alexandriam, ubi erexit Ecclesiam tanta continentia et sanctitate florentem, ut ejus discipuli Essæi, id est sancti et pii, sint cognominati, de quibus dixi *Actor.* V, 1. Hinc liquet S. Marcum non fuisse e 72 Christi discipulis, ut vult Epiphanius, *hæresi* 51, sed post Christum conversum fuisse a S. Petro; ideo enim eum filium vocat, quod eum in Christo genuerit. Ita Papias apud Eusebium, lib. III, cap. ult.; S. Hieronymus, *De Script. Eccl.*, in *Marco*; Beda, *Præf. in S. Matthæum,* et alii. Addunt aliqui vocari « filium, » quod hujus epistolæ fuerit interpres, quod est probabile. Hinc colligit Beda et alii, hanc epistolam S. Petri esse antiquissimam, primamque omnium epistolarum, scriptamque anno Christi 45. Eodem enim anno (qui fuit Claudii imperatoris tertius) S. Mar-

Scripta hæc epistola anno Christi 45.

cus, scripto Romæ Evangelio, a S. Petro discedens profectus est Alexandriam, ubi quasi Episcopus sedit per annos 19, scilicet usque ad annum Christi 64, Neronis 8, quo coronatus est martyrio, teste Eusebio, lib. I *Hist.*, XIV, et lib. III, cap. ult., et aliis.

Vers. 14. 14. SALUTATE INVICEM IN OSCULO SANCTO, — puta Christiano, pudico, candido; non infideli, impudico, ficto, quod est pars adulterii, criminis ostium, mortis initium, ait S. Basilius *De Virg.* Unde osculo sancto in protestationem charitatis osculabantur se invicem Christiani ante S. Synaxin, clamante Diacono : « Complectimini et osculamini vos invicem, » teste Cyrillo, *catechesi* 5. Osculum enim est signum *primo*, reconciliationis; *secundo*, pacis; *tertio*, charitatis; *quarto*, lætitiæ; *quinto*, Catholicæ communicationis, uti docet Auctor lib. *De Amicitia*, apud S. Augustinum, tom. I. Unde Græca et Œcumenius, pro *osculo sancto* legunt *osculo charitatis*, non carnalitatis. Osculum enim significat tam animum animo, quam os ori puro amore conjungi. Tertullianus vero, lib. *De Oratione*, osculum vocat signaculum orationis. Nam, ut ait S. Augustinus, serm. 83 *De Diversis* : « Post orationem Dominicam dicitur Pax vobiscum, et osculantur sese invicem Christiani in osculo sancto, quod est signaculum pacis, si quod ostendunt labia, fiat in conscientia, id est, quomodo labia tua et labia fratris tui accedunt, sic cor tuum a corde illius non recedat. » Vide dicta de osculo sancto, II *Corinth.* cap. XIII, vers. 12.

Osculum sanctum quod?

Pax pro gratia. GRATIA VOBIS OMNIBUS. — Græce εἰρήνη, id est *pax*: ita Syrus. Pax Hebræis significat gratiam, omneque bonum; forte etiam Noster pro εἰρήνη legit χάρις, id est *gratia*. Nam S. Paulus, S. Petri socius et assecla, ubique in epistolis fidelibus gratiam apprecatur, adeoque apprecatio gratiæ et pacis est verum Apostolicæ epistolæ sigillum. Unde eam usurpant SS. Ignatius, Polycarpus et alii viri Apostolici illius ævi in suis epistolis.

QUI ESTIS IN CHRISTO JESU. — Qui Christo estis incorporati per fidem, spem, charitatem, mox incorporandi per æternam felicitatem et gloriam, uti dixit vers. 10. Præclare Eusebius Emissenus, vel potius S. Eucherius Lugdunensis, homil. *De S. Maximo* : « O, inquit, fragilitas humana! exiguum est quidquid agis propter spem æternorum. » Nam, ut ait Cicero, *Tuscul.* IV : « Quid videatur ei magnum in rebus humanis, cui æternitas omnis, totiusque mundi nota sit magnitudo? » Sublimius et divinius S. Augustinus, lib. XII *Confess.*, XI : « O beata (creatura), ait, inhærendo beatitudini tuæ, beata simpiterno inhabitatore te, atque illustratore suo. Nec invenio quid libentius appellandum existimem cœlum cœli Domino, quam domum tuam contemplantem delectationem tuam sine ullo defectu egrediendi in aliud, mentem puram concordissime unam stabilimento pacis sanctorum spirituum, civium civitatis tuæ in cœlestibus, super ista cœlestia. Unde intelligat anima cujus peregrinatio longinqua facta est, si jam sitit tibi, si jam factæ sunt ei lacrymæ suæ panis, dum dicitur ei per singulos dies : Ubi est Deus tuus? si jam petit a te unam, et hanc requirit, ut inhabitet in domo tua per omnes dies vitæ suæ. Et quæ vita ejus nisi tu? Et quæ dies tui nisi æternitas tua, sicut anni tui qui non deficiunt, quia idem ipse es? Hinc ergo intelligat anima mea, quæ potest, quam longe super omnia tempora sis æternus, quando tua domus quæ peregrinata non est, quamvis non sit tibi coæterna, tamen indesinenter tibi cohærendo, nullam patitur vicissitudinem temporum.

COMMENTARIUS

IN SECUNDAM

SANCTI PETRI

EPISTOLAM.

ARGUMENTUM.

Nonnulli olim de auctore et auctoritate hujus Epistolæ dubitarunt, teste Eusebio, lib. III *Hist.*, cap. XXV, et nostro sæculo Lutherus, Erasmus, Kemnitius in *Exam. Conc. Trident.*, sess. IV, ac Centuriatores, *cent.* 1, lib. II, cap. IV. Ratio est, quia hæc Epistola stylo valde dissidet a prima. Accedit quod Syriace non extet : unde Syri videntur eam non habuisse pro canonica.

Verum jam de fide est hanc Epistolam esse S. Petri, esseque canonicam Scripturam. Hic enim est sensus totius Ecclesiæ, adeoque idipsum definivit Concilium Carthaginense III, cap. XLVII, Concilium Florentinum et Tridentinum, *sess.* IV : unde Didymus in eam commentatus est; et S. Hieronymus, *epist.* 150, Quæst. XI, ac S. Gregorius, hom. 18 *in Ezech.*, testantur eam esse germanam S. Petri. Idem satis insinuat S. Judas, qui in sua epistola passim ad hanc alludit, imo multa ex ea deprompsit. Denique S. Athanasius in *Synopsi*, Nazianzenus in *Carm. de Script. sacr.*; Cyrillus, *Catech.* IV; Origenes, Epiphanius, Justinus, Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus cæterique Patres citant eam quasi canonicam.

Hæc Epistola est canonica.

Ad rationem hæreticorum respondet S. Hieronymus stylum esse dissimilem, eo quod S. Petrus in hac usus sit alio interprete, qui sensa S. Petri sua phrasi et stylo conscripserit. Primæ enim Epistolæ interpres fuisse videtur vel Silas, vel potius Marcus, ut patet cap. V, 11 et 13, hujus secundæ Glaucias : hunc enim S. Petri fuisse interpretem docet Clemens Alexandrinus, lib. VII *Strom.*, sub finem. Adde eumdem auctorem subinde mutare stylum, alioque et alio uti pro dispositione personarum, locorum et temporum. Quin et ætas ipsa mutat stylum : juvenes enim juvenilem et floridum habent stylum, viri virilem, senes senilem et gravem. Sic S. Paulus alio utitur stylo in Epistola ad Hebræos; unde illa multum differt a cæteris ejus epistolis. Denique stylus hujus Epistolæ non multum dissidet a stylo primæ, si quis penitius utrumque inspiciat, idque fatentur Centuriatores.

Quoad Syros, constat ex Maronitis qui Romæ sunt, eos hanc Epistolam habere pro canonica. Unde et S. Ephrem et Damascenus, quorum uterque fuit Syrus, sæpe ex hac Epistola citant sententias quasi canonicas Scripturas. Denique syriace eam extare, et ex Syriaco in Latinum conversam esse a nostro Balthazare Etzelio, testatur Possevinus in *Apparatu*.

Et S. Petri.

Auctorem esse S. Petrum constat tum ex traditione et definitione Ecclesiæ jam dicta, tum ex ipso ejus initio : « Simon Petrus, servus et Apostolus Jesu Christi. » Unde et vers. 18, ait se interfuisse transfigurationi Christi cum S. Jacobo et Joanne : hinc et epistolas Pauli quasi socii sui citat, cap. III, vers. 15.

Porro S. Petrus contra hæreticos, puta Simonem Magum ejusque sequaces, vel jam natos, vel proxime nascituros, quales fuere Menander, Carpocras, Basilides, Valentinus et Gnostici, scripsit hanc Epistolam, sub finem vitæ, quasi pastor valedicens Ecclesiæ et mundo, fidemque et doctrinam suam in ea contestatam relinquens, et futuris omnibus sæculis quasi pignus pastoralis amoris et curæ resignans, puta sub annum Christi 69, quo et martyrio laureatus est; unde cap. I, vers. 14, ait : « Certus quod velox est depositio tabernaculi mei. » Scripsit ergo eam 24 annis circiter post primam, primam enim scripsit anno Christi 45. Quocirca S. Petrus quasi brevi moriturus cycneam hic edit vocem, totusque spirat ardorem, zelum, martyrium, omniaque cœlestia et divina. Hinc liquet scriptam esse Romæ e carcere, ut videtur, Mamertino : in eo enim fuit per novem menses ultimos vitæ, uti habent Acta SS. Processi et Martiniani, ibique habebat otium scribendi, suosque confirmandi per litteras, quos voce confirmare non poterat. Unde et S. Paulus epistolas ad Philippenses, Ephesios, Colossenses,

Sub finem vitæ ab eo scripta.

Hebræos, Philemonem, et secundam ad Timotheum scripsit in carcere Romano.

Argumentum ejus triplex.

Argumentum Epistolæ est triplex juxta tria ejus capita.

Primo enim, cap. I, admirans Christi gratiam et œconomiam, docet Deum per eum nobis maxima et pretiosa promissa donasse, ut per hoc efficiamur divinæ consortes naturæ, ideoque par esse ut non terrenam et carnalem, sed cœlestem et divinam vitam vivamus in constanti fide, virtute, scientia, abstinentia, patientia, pietate et fraternitatis amore: quæ omnia confirmat tum visione gloriæ Christi in monte Thabor, cum vocem Patris de eo audivit: « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui; ipsum audite; » tum firmiore prophetico sermone, puta sacræ Scripturæ, scilicet Mosis et Prophetarum, qui hæc ipsa de Christo prophetarunt et promiserunt.

Secundo, cap. II, monet ut caveant hæreticos, quorum proinde luxuriam, avaritiam, mores et fraudes graphice depingit, æque ac exitium quod subibunt cum dæmonibus, sodomitis cæterisque diluvio mersis.

Tertio, cap. III, inculcat et depingit finem mundi diemque judicii (quem hæretici fabulosum nunquamque futurum dicebant), ejusque certitudine, vicinitate et terrore incitat fideles ut fidem illibatam conservent, eaque dignam vitam agant in omni sanctitate. *Primo* ergo capite constantiam in fide Christi Christianis commendat; *secundo*, hæreticos eam impugnantes confutat; *tertio*, utrisque dat stimulum acrem, scilicet instans judicium. Denique scriptam esse ad eosdem ad quos prima scripta est, liquet ex illis ejus verbis cap. III, vers. 1, quibus ait: « Hanc ecce vobis, charissimi, secundam scribo epistolam. »

CAPUT PRIMUM.

HUJUS CAPITIS ARGUMENTUM JAM ASSIGNAVI.

1. Simon Petrus, Servus et Apostolus Jesu Christi, iis qui coæqualem nobiscum sortiti sunt fidem in justitia Dei nostri, et Salvatoris Jesu Christi. 2. Gratia vobis et pax adimpleatur in cognitione Dei et Christi Jesu Domini nostri : 3. quomodo omnia nobis divinæ virtutis suæ, quæ ad vitam et pietatem donata sunt, per cognitionem ejus, qui vocavit nos propria gloria et virtute, 4. per quem maxima et pretiosa nobis promissa donavit : ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ, fugientes ejus, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem. 5. Vos autem curam omnem subinferentes, ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, 6. in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, 7. in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem. 8. Hæc enim si vobiscum adsint, et superent, non vacuos, nec sine fructu vos constituent in Domini nostri Jesu Christi cognitione. 9. Cui enim non præsto sunt hæc, cæcus est, et manu tentans, oblivionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum. 10. Quapropter, fratres, magis satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis : hæc enim facientes, non peccabitis aliquando. 11. Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini nostri, et Salvatoris Jesu Christi. 12. Propter quod incipiam vos semper commonere de his, et quidem scientes et confirmatos vos in præsenti veritate. 13. Justum autem arbitror, quamdiu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitione : 14. certus quod velox est depositio tabernaculi mei, secundum quod et Dominus noster Jesus Christus significavit mihi. 15. Dabo autem operam et frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis. 16. Non enim doctas fabulas secuti notam fecimus vobis Domini nostri Jesu Christi virtutem et præsentiam, sed speculatores facti illius magnitudinis. 17. Accipiens enim a Deo Patre honorem et gloriam, voce delapsa ad eum hujuscemodi a magnifica gloria : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui; ipsum audite. 18. Et hanc vocem nos audivimus de cœlo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto. 19. Et habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris : 20. hoc primum intelligentes quod omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit. 21. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia; sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.

Vers. 1. Simonis Symon.

1. SIMON PETRUS, — qui in circumcisione a parentibus vocatus est Simon, hic in Apostolatu a Christo vocatus est Petrus Simon, vel Simeon (idem enim est nomen), ut alibi dixi. Minus recte ergo OEcumenius : « Simon, ait, Simeonis est diminutivum, sicut Metrodori Metras, Menodori Menas, Theodosii Theodas. » Hebr. enim שמעון si legas per *sceva* mobile, est *Simeon*; si per *sceva* quiescens, est *Simon*, quod idem est quod audiens et obediens, uti Petrus audivit et obedivit Christo, ideoque hic se vocat « Simonem, » ut indicet se hæc scribere non ex se, sed jussu Christi, cui obedire oporteat (1). « Petrus, » hebr. *Cephas*, idem est quod petra, vel saxum; quia super eum quasi petram Christus ædificavit Ecclesiam suam, *Matth.* XVI, 18.

Addit τὸ *Petrus*, tum ad distinctionem : multi enim alii erant Simones, adeoque inter Apostolos erat alter Simon cognomento Chananæus; tum

(1) Rectius : *Simeon* est Hebraicum nomen, *Simon* autem Hellenisticum.

ad auctoritatem, ut fideles hanc epistolam quasi a Petro, id est Summo Pontifice ipsaque petra Ecclesiæ scriptam, avide et reverenter excipiant. Petro enim Christus totius orbis curam demandavit, ait S. Chrysostomus in cap. XXI S. *Joannis*; et S. Leo, serm. 3 *De sua assumpt.*: « De toto mundo, ait, unus Petrus eligitur, qui et universarum gentium vocationi, et omnibus Apostolis cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur, ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint, multique Pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus. »

SERVUS ET APOSTOLUS. — Vide de his titulis dicta *Rom.* I, 1, et *Jacobi* I, 1, nimirum « servire Deo regnare est. » Tropologice S. Augustinus, XIX *De Civit.*, XXI : « Serviens Deo animus, inquit, recte imperat corpori, inque ipso animo ratio Deo subdita recte imperat libidini cæterisque vitiis : quapropter ubi homo Deo non servit, quid in eo putandum est esse justitiæ? quandoquidem Deo non serviens nullo modo potest juste animus, aut humana ratio vitiis cæteris imperare. »

IIS QUI COÆQUALEM NOBISCUM SORTITI SUNT FIDEM. — Pro *coæqualem* græce est ἰσότιμον, id est ejusdem pretii et præmii, æque æstimandam, æquivalentem, ejusdem ordinis, æqualem : tum quia eodem pretio, puta sanguine Christi, est comparata; tum quia fides ubique æque est pretiosa; tum quia ipsa est pretium quo emitur regnum cœlorum : hoc enim est fidei, quasi pretii, merces et præmium. Unde Pagninus et Tigurina vertunt, *æque pretiosam*, hoc est eamdem; significantius tamen dicit, « æque pretiosam, » ut ejusdem fidelium fidei ingens pretium et dignitatem insinuet. Hac ergo voce indicat S. Petrus omnium fidelium, sive Romæ, sive in Bithynia, sive in Ponto, etc., sint, unam eamdemque esse magni pretii fidem, legem, religionem, institutum et vitam, quin et charitatem animorumque unionem : hæc enim omnia continet fides, sicut radix continet omnes ramos totamque arborem. Ita Prosper, lib. I *De Vocat. Gent.*, cap. XXIII. Rursum, omnes sive Judæos, sive Gentiles, sive Bithynios, sive Ponticos, sive Romanos in fide et gratia Christi esse æquales : Deum enim non dedisse majorem fidem aut gratiam Judæis quam Gentibus, Romanis quam Ponticis. Esto enim Apostolis et viris Apostolicis eximiisque Sanctis major data sit et detur gratia et fides intensive, vel extensive, ut plura sciant et credant quam cæteri fideles; objective tamen et essentialiter non datur major, sed in omnibus est eadem et æqualis, quia omnes habent eamdem specie fidem et gratiam, per quam idem eadem ratione credunt de Deo et Christo, idemque ab eo fidei suæ præmium exspectant. Rursum discrimen intentionis vel extensionis fidei est in particularibus personis, non in totis gentibus : nec enim Judæi quia Judæi, intensiorem aut extensiorem accepere fidem, aut gratiam, quam Gentes. Nota, dicit « coæqualem fidem, » non gradum et ordinem : Petrus enim ordine Episcopus, et gradu Pontifex, superior erat omnium fidelium, non æqualis, uti perperam ex hoc loco probare contendunt hæretici.

Æqualis fides quomodo?

SORTITI SUNT, — id est, sorte acceperunt : fides enim et gratia respectu accipientium quibus non est debita, datur sorte, id est casu et gratis; licet ex parte Dei non sit sors, sed destinata voluntas et benevolentia. Unde Paulus, *Ephes.* I, 11, ait : « In quo etiam et nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ. »

IN JUSTITIA, — id est per justitiam. Ita Pagninus, Tigurina, Clarius, Gagneius, Vatablus, et alii hic, ac Prosper, lib. I *De Vocat. Gent.*, XXIII. « Justitiam » *primo*, accipe passionem et merita Christi : his enim Christus juste satisfecit pro nostris peccatis, nobisque meruit fidem, gratiam et salutem. Unde Christus a Paulo dicitur « factus nobis justitia, sanctificatio et redemptio, » I *Corinth.* I, 30; et Isaias, LIII, 13 : « Justificabit, ait, ipse justus servus meus multos. » Quare cavendus est hic commentarius Adami Sasbout, dum hunc sensum refellit, ex eo quod fides, inquit, nobis obtingat non ex merito Christi, sed ex gratia Dei : hoc enim falsum est; Deus enim nullam homini dat gratiam nisi per merita Christi : Christus enim meruit nobis omnem gratiam; ergo et fidem, juxta illud *Ephes.* I, 3 : « Benedictus Deus, etc., qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo; » de quo vide Concilium Tridentinum, *sess.* VI, cap. V et VI; S. Augustinum, *De Prædestin. Sanct.*, cap. XV, et Franciscum Suarez, III *part.*, tom. I, disp. 41. Ita Cajetanus, Catharinus, Salmeron et alii.

Justitia quadruplex. Prima.

Secundo, per *justitiam* accipe sanctitatem Christi, *q. d.* Christi justitia et sanctitas est causa tum efficiens, tum exemplaris, tum finalis nostræ fidei, justitiæ et sanctitatis : hujus enim initium et basis est fides. Hinc Daniel, cap. IX, vers. 24, Christum vocat Sanctum sanctorum et justitiam sempiternam; et S. Dionysius, cap. IV *Ecclesiast. Hierarch.*, part. III, Christum vocat sanctitatis fontem, qui nos repleat sanctitate; et S. Cyrillus, lib. IV *Thesauri*, cap. I : « Filius, ait, non sic, sed ut sanctitatis fons ex propria potestate discipulos sanctificat. » Idem, lib. IV *in Joan.* cap. II, vers. 8 : « Tabernaculo, ait, præcedente, Hebræi sequebantur; stante, castra metabantur, ut nos discamus nullum alium datum nobis ducem ad salutem, quam Verbum Dei hominem factum. »

Secunda.

Tertio, per *justitiam* accipi potest misericordia, juxta illud : « Dispersit, dedit pauperibus; justitia, » id est *misericordia et eleemosyna*, « ejus manet in sæculum sæculi, » I *Corinth.* IX, 9, *q. d.* Per misericordiam Christi nobis a Prophetis promissam accepimus fidem. Unde S. Ambrosius, lib. III *De Virgin.*, sub finem, ait Christum esse omnibus quærendum, Christum esse omnia omnibus, ac stillare rorem gratiæ in omnes.

Tertia.

Quarto, « justitia » accipi potest pro justificatione, *q. d.* Per justificationem Christi, quia scilicet ipse nos justificat, accepimus fidem : justificationis enim initium est fides. Cum ergo Christus dedit nobis fidem, tunc cœpit nos justificare, et orsus est nostram justificationem. Huc accedit Adamus, qui *in justitia* exponit *cum justitia, q. d.* Christus non tantum dedit nobis fidem, sed et justitiam, quasi fidei terminum et complementum, Christus enim nobis factus est omnia, quia dedit omnia dona quibus ad salutem dirigimur. Unde Nyssenus, lib. *De Vita Mosis* : « Omnem, inquit, bonorum spem in Christo firmiter esse credimus : qui bonum aliquod adeptus est, is in Christo est, qui omne bonum continet. » Origenes, lib. V *in epist. ad Roman.*, ait « Christum esse omnia bona, diabolum vero omnia mala. » Quare sapienter Nazianzenus, in *Sententiis* : « Ego, ait, Christum amplissimarum opum instar duco, quem utinam aliquando mihi pura mente intueri contingat, cætera autem mundus habeat. » Idem in *Carm.* 9 :

Christus nobis est omnia.

> At soli tibi solus ego sum, Christe, relictus,
> Imperio qui cuncta tenes : in te mihi robur
> Omne situm est, in te fiducia tota salutis.

Et S. Paulinus, natali 2 S. Felicis, Christum alloquens, ait :

> In te compositæ mihi fixa sit anchora vitæ.

DEI NOSTRI ET SALVATORIS JESU CHRISTI, — hoc est, Jesu Christi qui est Deus et Salvator noster : utrumque enim ad Christum pertinere colligitur ex Græco, qui utrumque uno articulo comprehendit τοῦ Θεοῦ ἡμῶν καὶ σωτῆρος Ἰησοῦ Χριστοῦ. Unde patet Christum esse Deum. Hoc enim in primis Ecclesiæ et fidei initiis, fidelibus inculcare volebat et debebat S. Petrus et Apostoli, nimirum Christum non esse merum hominem, uti docebat Ebion sub idem tempus, sed verum Deum et verum hominem. Præclare S. Hilarius, lib VII *De Trinit.* : « Deum, inquit, Dominum nostrum Jesum Christum his quinque modis novimus, nomine, nativitate, natura, potestate, professione ; » quæ deinde sigillatim explicat et confirmat. Secundo tamen recte multi τὸ *Dei nostri* referunt ad Deum Patrem, τὸ vero *Salvatoris* ad Christum. Nam vers. sequenti S. Petrus videtur Deum distinguere a Christo, ac consequenter per Deum intelligere Patrem, per Salvatorem Filium Jesum Christum : unde eum vocat Dominum cum articulo, dicens τοῦ Κυρίου. Nam, ut ait Christus *Joannis* XVII, 3 : « Hæc est vita æterna ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum ; » utrumque enim ad salutem requiritur, scilicet cognitio tam Dei veri, quam Filii ejus Jesu Christi pro nobis incarnati.

Vers. 2. 2. GRATIA VOBIS ET PAX ADIMPLEATUR, — πληθυνθείη, id est *multiplicetur*, ut in multitudine (sub qua et magnitudinem, per enallagen quantitatis discretæ pro continua, intellige) gratiæ et pacis assidue crescentes ad utriusque plenitudinem tandem pertingatis. Innuit Christianos assidue in gratia et virtute debere proficere, quia, ut ait S. Augustinus in *Psal.* LXVIII : « Nemo fidelis dicit, Sufficit ; ubi dixisti, Sufficit, ibi defecisti. » Et S. Leo, serm. 2 *De Quadrag.* : « Hæc est perfectorum vera justitia, ut nunquam præsumant se esse perfectos, ne ab itineris nondum finiti intentione cessantes, ibi incidant deficiendi periculum, ubi proficiendi deposuerint appetitum. » Et Nazianzenus in *Sentent.* : « Cave, ait, ut unquam in via virtutis subsistas : tibi enim qui a vitiosa vita excessisti, perinde esse puto consistere, ac si in imum vitii gurgitem labereris. »

Christiani est quotidie crescere in via Dei.

Pacem jungit gratiæ, quia, ut ait S. Leo, serm. 6 *Nativ.* : « Ubi fuerit veritas pacis, nihil potest deesse virtutis. Quid est autem, dilectissimi, habere pacem ad Deum, nisi velle quod jubet, et nolle quod prohibet? Si enim humanæ amicitiæ pares animos et similes expetunt voluntates, nec unquam diversitas morum ad firmam potest pervenire concordiam : quomodo divinæ particeps erit pacis, cui ea placent, quæ Deo displicent, et iis appetit delectari, quibus illum novit offendi? »

ADIMPLEATUR IN COGNITIONE DEI ET CHRISTI ; — crescente enim et impleta cognitione Dei et Christi, crescit pariter et impletur gratia et pax : quia quo magis bonitas Dei et Christi cognoscitur, non solum speculative, sed et practice, eo magis amatur et colitur.

Pro *cognitione* græce est ἐπιγνώσει, quod S. Ambrosius, epist. 33 *ad Demetrium*, in edit. Roman., S. Augustinus in *Expos. epist. ad Rom.*, et Prosper *Contra Collat.*, vertunt *recognitione*, id est, memoris et grati animi cognitione ; Pagninus, *agnitione* ; alii *super cognitione* : ἐπὶ enim est *super*, γνῶσις *cognitio*. Videtur enim S. Petrus optare fidelibus augmentum fidei, cognitionis et illustrationis divinæ, ut prima Dei cognitio et fides quam acceperant, cum a gentilismo conversi sunt ad Christum, vocetur γνῶσις ; profectus vero cognitionis et fidei vocetur ἐπίγνωσις, quasi γνῶσιν superans. Minus recte aliqui γνῶσιν dant Gentilibus, ἐπίγνωσιν Christianis, quod cognitio Dei quam habent Christiani, superet cognitionem Dei quam habent Gentiles, tantum quantum fides superat rationem et lumen naturale.

Optat ergo, et optando hortatur S. Petrus, ut fideles orando, meditando, audiendo, legendo et studendo proficiant in cognitione, et consequenter in amore Dei, ut audeant se opponere hæreticis, qui sub idem tempus exorti vocati sunt Gnostici, quod cognitionem Dei perfectam sibi arrogarent.

Vers. 3. 3. QUOMODO. — Pendet a præcedentibus. Explicat enim cognitionem Dei et Christi, *q. d.* Opto et precor vobis, ut « gratia et pax adimpleatur in cognitione Dei et Christi, » ut scilicet plenius et profundius cognoscatis, « quomodo omnia nobis divinæ virtutis suæ, quæ ad vitam et pietatem

pertinent, donata sunt per cognitionem ejus. » Aut simplicius, *q. d.* « Gratia et pax vobis adimpleatur in cognitione Dei et Christi, » quomodo, id est *perinde*, vel *sicut* per hanc Dei et Christi cognitionem omnia divina dona, quæ ad vitam et pietatem pertinent, nobis donata sunt, ut τὸ *quomodo*, græce ὡς, sit exegeticum, respondens Hebræo כאשר *caascer*, explicetque præstantiam cognitionis Dei et Christi, nimirum quod per eam omnia gratiarum dona a Deo acceperimus, *q. d.* Ideo opto vos crescere in cognitione Dei et Christi, quia per eam crescetis pariter in reliquis donis Dei : hæc enim omnia per eam uti primitus donata sunt, ita in dies magis donantur et augentur a Deo. Ita Adamus, Gagneius et alii.

Secundo, Arias et Vatablus Græcum ὡς, id est, *quomodo*, accipiunt ut notam admirationis, *q. d.* O quam abunde divina virtus largita est nobis omnia quæ ad vitam et pietatem pertinent ! quasi S. Petrus ordiatur epistolam ab exclamatione et admiratione divinæ in Christianos munificentiæ, per quam adeo nos ditavit et exaltavit, ut fecerit nos divinæ consortes naturæ. Hæc expositio pathetica est, eique aptari potest vulgata versio, quæ habet *quomodo* ; simili enim modo Jeremias admirans cladem Hierosolymæ, orditur Threnos, dicens : « Quomodo sedet sola civitas? » Simili modo admirans Dei in suos beneficentiam, exclamat Psaltes, *Psalm.* LXXII, 1 : « Quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde ! » et *Psal.* XXX, 20 : « Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te ! » S. Petro consonat S. Joannes, qui pari modo ab admiratione beneficii Incarnationis Verbi epistolam orditur, dicens : « Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus et manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ, » etc. Idem facit S. Paulus, *Ephes.* I, 3 et seq. ; *Rom.* I, 2, 3, 4, 5, et *Hebr.* I, 1 et seq. Est enim hoc magnum pietatis sacramentum omni admiratione et acceptione dignum, ut ait idem I *Timoth.* I, 15, et III, 16. Prior tamen sensus uti simplicior, ita et germanior est. Alii aliter hæc explicant, sed varie et obscure (1).

OMNIA DIVINÆ VIRTUTIS SUÆ, — δυνάμεως, id est potentiæ, *q. d.* Deus per fidem Christi effudit in nos omne suum robur, omnem potentiam, æque ac misericordiam. Unde canit Deipara : « Fecit potentiam in brachio suo, » *Lucæ* I, 51, quia scilicet per Christum Christique fidem accepimus remissionem peccatorum, gratiam, justitiam, virtutes omnes, ac præsertim robur divinum ad superanda omnia adversa, ad martyrium, ad convertendum totum mundum; denique jus et pignus felicitatis et gloriæ cœlestis, regnique æterni et divini. Annon hæc potentia sunt Dei opera et dona? Adde, per fidem donatur nobis ipse Christus, qui est Verbum, brachium, robur et potentia Patris æterni.

QUÆ AD VITAM ET PIETATEM (supple *pertinent* : ita Tigurina et Pagninus) DONATA SUNT. — Ita Romana et Græca nonnulla, quæ habent δεδωρημένα, idque exigit sensus plenus, qui alioqui est hiulcus et pendens, si scilicet legas cum Græcis aliquibus δεδωρημένης, id est *donatæ*, scilicet divinæ virtutis, hoc est, ut legit Cajetanus, « quæ, » scilicet divina virtus, « ad vitam et pietatem donata est. » Pendet enim τὸ *quomodo omnia divinæ virtutis suæ*, nisi addas et expleas, « donata sunt. » Per *vitam* antonomastice intellige supernaturalem, cœlestem, divinam et æternam, puta vitam gratiæ et gloriæ : hæc enim sola, vera et perfecta est vita.

Ex hoc loco patet de fide esse, nihil ad pietatem et salutem pertinens posse effici ab homine puris naturæ viribus, uti volebat Pelagius; sed tantum dono gratiæ Dei. Ita Prosper *Contra Collatorem*, cap. XXIX, ac proinde « nihil magis fugiendum est, ait S. Ambrosius, epistola 33 *ad Demetriadem*, quam appetitus hujus concupiscentiæ, quæ virtutem negat divini operis amore propriæ dignitatis; et cum aliæ cupiditates ea tantum bona quibus adversantur imminuant, hæc dum omnia ad se trahit, simul universa corrumpit. »

QUI (Christus, ut patet ex vers. sequenti) VOCAVIT NOS PROPRIA GLORIA ET VIRTUTE. — Legit interpres ἰδίᾳ, id est *propria* ; jam Græci legunt διά, id est *per* gloriam et virtutem, quod eodem redit. Perperam Beza vertit, *propter gloriam suam*, quasi διὰ accipiatur pro εἰς : hoc enim novum est et insolens. Jam « gloria, » id est, gloriosa gratia : « gloria » enim metonymice capitur pro gratia, quia gratia est index et effectus gloriæ et gloriosæ misericordiæ Dei : Deus enim suam gloriam, id est gloriosam potentiam, sapientiam et misericordiam maxime ostendit per gratiam, dum per eam nos peccatores, viles, miseros et indignos vocavit ad suam amicitiam, hæreditatem, regnum et gloriam. Sic ait S. Paulus : « Omnes peccaverunt, et egent gloria, » id est gratia « Dei, » *Rom.* III, 23. Et sæpe alibi Christi gratiam, utpote magnificam et gloriosam, vocat « gloriam, » ut II *Corinth.* III, 8, 9, 10, 11, 18, et *Rom.* IX 23, eamdem vocat « divitias gloriæ. »

Eamdem misericordiam et gratiam vocat « virtutem, » græce ἀρετήν, quia maxime illustris apud homines Dei virtus est ejus clementia, beneficentia et gratia. Sensus ergo est, *q. d.* Vocavit nos Deus non ob nostram, sed ob suam gloriosam gratiam et virtutem, id est misericordiam. Unde Prosper loco citato legit : « Vocavit nos propria gloriæ virtute, » ut sit hendiadys, « gloria et virtute, » id est, gloriosa virtute, puta gloriosa misericordia. *Secundo*, per « gloriam » accipe gloriosam humanitatem et opera Verbi incarnati, de

(1) Rosenmullerus : Vocula ὡς quum alias, tum participiis juncta sic ponitur, ut abundet. Allioli vertit, *quum*.

quibus S. Joannes, cap. I, vers. 14 : « Vidimus, ait, gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre. » Unde Cajetanus ait Christum nos vocasse « propria virtute » bene vivendo, ut et ipsi bene vivamus; et propria « gloria » patrando miracula et ostendendo subinde dotes gloriosi corporis. Hinc *tertio*, Thomas Anglicus per *gloriam* accipit gloriam corporis, quam Christus in transfiguratione ostendit SS. Petro, Jacobo et Joanni : per *virtutem* vero accipit miracula, quæ Christus coram iisdem plura fecit quam coram cæteris Apostolis : hisce enim tam ipse quam socii ejus Apostoli vocati sunt a Christo. Hic sensus appositus est, ad eumque respexit S. Petrus; sed inadæquatus videtur et arctior : adæquate enim significat gloriam, id est, gratiam Christi qua vocavit omnes fideles (1).

Vers. 4. 4. PER QUEM MAXIMA ET PRETIOSA NOBIS PROMISSA DONAVIT. — Est hic triplex lectio. *Prima*, δι' ὧν, id est *per quæ*, scilicet omnia divinæ virtutis dona, quæ ad vitam et pietatem pertinent, uti præcessit. Ita Œcumenius et S. Ambrosius, epist. 33 *ad Demetriadem*, Hugo et Thomas Anglicus. *Secunda*, « per quam, » scilicet vocationem : ita S. Ambrosius, lib. X, *epist.* 84, et Beda; vel cognitionem : ita Adamus; vel gloriam et virtutem. *Tertia* et genuina, δι' ὃν, id est, *per quem*, scilicet Christum. Ita Romana, S. Athanasius, orat. II *Contra Arianos*; Glossa, Dionysius, Gagneius et alii.

PROMISSA. — Intellige res promissas a Deo gratis et liberaliter (hæc enim sunt ἐπαγγέλματα) metonymice, *q. d.* Pretiosa illa dona, quæ Deus per Mosen et Prophetas promisit se daturum per Christum, jam per ipsum dedit et exhibuit, puta remissionem peccatorum, gratiam, sanctitatem, virtutes omnes tam Theologicas quam morales, jus et pignus gloriæ, etc., quin et Spiritum Sanctum ipsamque deitatem, ut mox patebit : quæ paulo ante vocavit : « Omnia divinæ virtutis quæ ad vitam et pietatem pertinent; » his enim convenit id quod sequitur : « Ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ. » Adde Spiritum Sanctum, datum in Pentecoste cum dono linguarum, sapientiæ, prophetiæ, sanitatum, miraculorum, et cæteris ad convertendas gentes, ipsamque conversionem gentium toto orbe diffusarum.

Pretium et dignitatem harum rerum promissarum, quæ per Christum Deus fidelibus donavit et donat, symbolicis similitudinibus et figuris repræsentat S. Agnes apud S. Ambrosium, lib. IV, *epist.* 34 : « Ornavit, inquit, inæstimabili dextrocherio dexteram meam, et collum meum cinxit lapidibus pretiosis. Tradidit auribus meis inæstimabiles margaritas, et circumdedit me vernantibus atque coruscantibus gemmis; posuit signum in facie mea, ut nullum præter ipsum amatorem admittam. Induit me cyclade auro texta, et immensis monilibus ornavit me. Ostendit mihi thesauros incomparabiles, quos mihi daturum, si ei perseveravero, repromisit, » etc.

Aperte Tertullianus, lib. *De Resurrectione*, cap. VIII : « Caro abluitur, inquit, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima consecretur; caro signatur, ut anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, ut et anima spiritu illuminetur; caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut anima de Deo saginetur. »

UT PER HÆC EFFICIAMINI DIVINÆ CONSORTES NATURÆ. — Ex hoc loco multi accepere occasionem errandi. *Primo*, Osiander censuit nos ita uniri divinitati, ut realiter justificemur per ipsammet Dei justitiam et sanctitatem, quod alii hæretici videntes esse impossibile, dixerunt nos justificari per merita et justitiam Christi nobis imputatam. Vide Bellarminum, lib II *De Justific.*, cap. V. Error Osiandri.

Secundo, Michael Servetus, quem Calvinus quasi hæreticum Genevæ morte et incendio mulctari curavit, censuit deitatem reipsa in justos transfundi, sicut transfunditur anima in corpus dum illud animatur et vivificatur, de quo Beza hic : Ridiculi, ait, sunt, qui hinc essentiæ divinæ in nos transfusionem imaginantur, ut impius ille Servetus præfracte ad mortem usque defendit; et tamen sunt qui magnam bono viro scilicet injuriam factam putent. Hæc ille. Serveti.

Tertio, nonnulli nimis contemplativi tempore Gersonis, et etiam hoc nostro, imaginati sunt se per contemplationem ita uniri Deo, ut reipsa ipsorum natura in abyssali profundo divinitatis submergatur, puta humanitas annihiletur, et tota transeat in divinitatem : qui fuit error Almarici, cujus insimulatus fuit Ruisbrochius a Gersone, ut patet ex Epistola ejus ad Bartholomæum Carthusiensem, quam scripsit contra defensionem Ruisbrochii factam a Joanne de Schonhovia. Sic Eutychiani nonnulli dicebant Christi humanitatem a deitate fuisse consumptam, sicut consumitur argentum vivum ab auro cum liquatur, ita ut in Christo una fuerit tantum natura, scilicet divina, non duæ. Unde Apollinaris censuit in Christo non fuisse mentem humanam, sed tantum divinam. Et Monothelitæ censuerunt in Christo unam fuisse duntaxat voluntatem, scilicet divinam. Omissis hisce fanaticorum et Enthusiastarum somniis ac deliriis, S. Ambrosius, *epist.* 38, et Œcumenius, hic censent nos fieri divinæ consortes naturæ per Christum : in Christo enim nostra humana natura facta est consors divinæ, quia eidem juncta est arctissime in eadem hypostasi Verbi. Enthusiastarum.

Verum hæc unio jam erat facta, et per eam omnes homines facti sunt consortes divinæ naturæ : S. Petrus autem solis fidelibus ait : « Ut

(1) Sensus hujus versiculi est : Deus pro sua potentia omnia nobis donavit, quæ ad beatam vitam et pietatem pertinent, dum nobis dedit cognitionem Christi, qui (Christus, qua Deus) propria virtute nos vocavit; per quem (Christum) Deus (Pater) maxima et pretiosa (bona) nobis promisit deditque.

per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ, » utique non in Christo, sed in vobis ipsis.

Essentialiter solus Deus divinam naturam habet.

Dico ergo, solus Deus essentialiter habet divinam naturam; deitas enim essentialiter solum est in Deo Patre, Filio et Spiritu Sancto. Unde solus Filius (æque ac Spiritus Sanctus) est ὁμούσιος, id est, *consubstantialis* Patri. Quocirca S. Ambrosius, lib. *De Incarn.*, cap. VIII, docet unam tantum esse naturam divinam, ex eo quod S. Petrus ait « naturæ, » non naturarum, eamque esse in Filio, utpote qui eam nobis communicet, ac proinde Filium vere et proprie esse Deum. Rursum personaliter, puta per unionem hypostaticam, solus Christus homo est consors divinæ naturæ, quia cum ea subsistit in eadem persona divina Verbi.

Personaliter solus Christus homo.

Accidentaliter justi.

Fideles ergo et justi sunt consortes divinæ naturæ, non essentialiter, nec personaliter, sed partim accidentaliter, partim substantialiter. Accidentaliter, per donum gratiæ sanctificantis, quod est accidens a Deo animæ infusum, per quod proxime et summe participamus divinam naturam. Gratia enim est res adeo nobilis et sublimis, ut omnium angelorum et hominum naturam superet, eisque sit supernaturalis, adeoque nulla creata substantia dari possit, cui gratia sit connaturalis, ut Theologi docent, eo quod ipsa quasi in summo participet divinitatem in eo apice, quo ipsa transcendit omnes res creatas omnemque naturam. Atque ex hoc fonte promanant septem nobilissimi effectus et dignitates, quos gratia confert animæ. *Primo* enim gratia expellit omne peccatum mortale.

Septem effectus gratiæ. Primus.

Secundus.

Secundo, facit hominem gratum Deo, ejusque amicum, ut vera intercedat amicitia inter Deum et hominem justum, uti docet S. Thomas, II II, *Quæst.* XXIII, art. 1, ubi Suarez, Valentia et alii ostendunt omnes amicitiæ conditiones inveniri in charitate, qua homo fit amicus Dei.

Tertius.

Tertio, gratia facit hominem rectum et sanctum, ut voluntas, mens omnesque potentiæ sancte subdantur Deo ac legi Dei, ideoque hominem justum facit similem Deo, qualis creatus est Adam in statu innocentiæ, juxta illud *Ephes.* cap. IV, vers. 24 : « Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis. »

Quartus.

Quarto, gratia facit justum Dei filium et hæredem, juxta illud *Coloss.* I, 12 : « Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine : qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii dilectionis suæ. »

Quintus.

Quinto, secum adducit omnes virtutes Theologicas, et morales supernaturales, puta prudentiam, justitiam, fortitudinem, temperantiam, etc.; ac septem dona Spiritus Sancti, quæ primitus in Christo requievisse ait Isaias, cap. XI, 2, dicens : « Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini. » Ita docet D. Thomas, I II, *Quæst.* LXIII, art. 3, et *Quæst.* LXVIII, art. 1, ac passim Theologi.

Sextus.

Sexto, gratia est semen gloriæ : sicut ergo ex semine nascitur arbor et fructus, sic ex gratia nascitur felicitas et gloria æterna.

Septimus.

Septimo, gratia est principium et causa tum satisfaciendi pro præteritis culpis, tum merendi augmentum gratiæ et gloriæ. Ita Concilium Tridentinum, *sess.* VI, cap. XVI, et S. Thomas, I II, *Quæst.* CXIV. Per gratiam ergo homo elevatur et fit ordinis non angelici, sed divini; adeoque consors, socius et particeps divinitatis : hujus enim major participatio esse nequit, quam per gratiam.

Considerent hæc peccatores, ut videant quantum gratiæ bonum ob vilem voluptatem amiserint, omnibusque viribus illud recuperare conentur; justi vero illud retinere, confirmare; augere et perficere satagant. Considerent id quod ait S. Joannes, *epist.* I, cap. III, vers. 1 : « Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus; » et cap. III, vers. 2 : « Nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus : scimus quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus. »

Justi substantialiter fiunt consortes divinæ naturæ.

Dico *secundo*, justi fiunt consortes divinæ naturæ, non tantum accidentaliter per gratiam sanctificantem, sed et substantialiter per ipsam naturam divinam eis communicatam, qua adoptantur a Deo in filios, hæredes, et quasi deificantur. Pro quo nota *primo* : Formalis justificatio et adoptio nostra totaliter consistit in charitate et gratia nobis indita et inhærente, quæ in se complectitur, secumque affert Spiritum Sanctum, qui charitatis et gratiæ est auctor : nec enim gratia adoptans a Spiritu Sancto, nec Spiritus Sancti adoptio a gratia divelli potest, sicut radius a sole, et sol a radio divelli nequit, uti nec ejus lux a calore, aut calor a luce separari potest. « Hæc scilicet est charitas Dei diffusa in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, » ut ait Apostolus, *Rom.* V. Spiritus Sanctus enim per charitatem et gratiam nos formaliter justificat, inhabitat, vivificat et adoptat. Justitia enim inhærens, sive gratia justificans, non est una simplex qualitas, sed multa complectitur, scilicet remissionem peccatorum, fidem, spem, charitatem, gratiam, aliaque dona, ac ipsum Spiritum Sanctum donorum auctorem. Hæc enim omnia in justificatione infusa accipit homo, ut ait Concilium Tridentinum, *sess.* VI, cap. VII.

Quia substantialiter eis datur Spiritus Sanctus, totaque deitas.

Hinc nota *secundo* : In justificatione et adoptione non tantum donatur homini charitas et gratia, vel ipse Spiritus Sanctus quoad dona sua duntaxat, ut nonnulli sensuerunt; sed etiam datur ipsissima persona Spiritus Sancti, ac consequenter datur ipsa Deitas totaque S. Trinitas, ita ut ipsa non tantum objective, sed et realiter et personaliter in anima justi cum donis, et per

dona sua novo modo fiat præsens, in eaque quasi in templo suo substantialiter inhabitet, eamque sibi uniat et quasi deificet, ac consequenter adoptet : quod sane magnæ est dignationis divinæ, æque ac dignitatis et consolationis nostræ. Potuisset enim nos Deus et Spiritus Sanctus ita justificare, ut solum faceret justos, non tamen adoptaret in filios. Rursum potuisset nos adoptare in filios per solam gratiam inhærentem; sed his non contentus ulterius voluit suam personam quasi annectere suis donis, eamque cum iis nobis donare, itaque per seipsum nos adoptare. Id-

Probatur ex Patribus.

ipsum diserte docet S. Bonaventura in I *Sent.*, dist. XIV, art. 2, *Quæst.* I, qua tota ostendit Spiritum Sanctum, non tantum in effectu, sed etiam in propria persona quasi donum increatum justis dari, ut sit eorum perfecta possessio. Idem docet Magister Sentent., lib. I, disp. XIV et XV, ex S. Augustino et aliis, et Scotus, Gabriel, Marsilius ibidem. Idem clare asseverat S. Thomas, I *part.*, *Quæst.* XLIII, art. 3 et 6, et *Quæst.* XXXVIII, art. 8, ubi ostendit Spriritus Sancti nomen proprium

Ex Scriptura.

esse donum, quia ipse donatur omnibus justis. S. Thomam sequuntur ejus discipuli, ac nostri Patres Vasquez, Valentia et maxime Suarez, lib. XII *De Deo trino et uno*, cap. V, num. 11 et 12, qui inde infert, quod Spiritus Sanctus novo modo secundum substantiam suam incipiat præsens esse in anima justi, quo ante non erat, citatque pro hac sententia S. Leonem, S. Augustinum, S. Ambrosium, adeoque cum S. Thoma eam ita certam esse asserit, ut contrarium dicere censeat esse errorem. Probatque ex S. Scriptura, I *Corinth.* VI : « Membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, quem habetis a Deo. » *Rom.* V : « Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis. » I *Joan.* IV : « Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo. » *Joan.* cap. XIV : « Quem mittet Pater in nomine meo, et apud vos manebit, et in vobis erit. Et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus; » et *Joan.* XVI : « Si abiero, mittam eum ad vos. » Ra-

Ratione physica.

tionem dat Suarez, num. 12 : « Quia, inquit, dona gratiæ vi sua et quasi connaturali jure postulant realem ac personalem præsentiam Dei in anima per talia dona sanctificata; quia si per impossibile fingamus Spiritum Sanctum non esse alias realiter præsentem intra animam, eo ipso quod anima talibus donis afficeretur, ipsemet Spiritus Sanctus veniret ad eam per præsentiam personalem, et maneret quamdiu gratia in illa duraret. » Simili modo, inquit, Verbum præsens est humanitati Christi, ut si per impossibile antea non fuisset illi præsens, jam per unionem hypostaticam illi fieret personaliter et intime præsens.

Morali.

Addit deinde rationem moralem, quod scilicet per gratiam fiat perfectissima amicitia inter Deum et hominem, quæ postulat præsentiam amici, puta Spiritus Sancti, qui manet in anima amici sui, ut illi intime uniatur, in eaque tanquam in templo suo resideat, colatur, ametur et adoretur.

Ex hac communicatione ipsiusmet personæ Spiritus Sancti et divinitatis, sequitur animæ summa cum eo elevatio et quasi deificatio, ac consequenter adoptio perfectissima et divinissima, scilicet non tantum per gratiam, sed et per substantiam divinam. Unde S. Basilius, homil. *De Spiritu Sancto*, ait Sanctos propter inhabitantem Spiritum Sanctum esse deos; dictum enim est illis a Deo : « Ego dixi, dii estis, et filii excelsi omnes. » Indeque probat Spiritum Sanctum esse Deum : « Necesse est enim, inquit, divinum esse spiritum, et ex Deo esse, qui diis divinitatis est causa. » Jam sicut prioris adoptionis, quæ fit per gratiam, causa formalis est ipsa gratia : ita hujus secundæ adoptionis, quæ fit per communicationem ipsius Spiritus Sancti, causa formalis est ipse Spiritus Sanctus animam justi inhabitans; medium vero, dispositio et vinculum est ipsa gratia : sicut unio hypostatica est medium et vinculum quo humanitas unitur Verbo; sed cum hac dissimilitudine, quod hoc vinculum in Christo non sit aliqua qualitas, sed modus duntaxat substantialis; hic vero in adoptione nostra sit qualitas et forma realis perfectaque, puta charitas et gratia, quæ natura sua poscit hanc personalem Spiritus Sancti communicationem, eamque secum affert condescendente ipso Spiritu Sancto, quod sane mire ejus in homines φιλανθρωπίαν, familiaritatem et benevolentiam demonstrat, ideoque jugi laude, meditatione et gratiarum actione est celebrandum.

Quocirca gratia justificans est quasi causa formalis hujus communicationis Spiritus Sancti, qui eam poscit, illique indivulse conjungitur : sicut calor in igne est quasi causa formalis splendoris, qui ex eo resultat, et lux in sole est causa quasi formalis virtutis calefactivæ, quam in se habet sol. Et sic gratia justificans est causa formalis uti justificationis nostræ, ita et adoptionis tam secundæ quam primæ, omniaque hæc complectitur et secum adducit. Nec aliud videtur velle Concilium Tridentinum, *sess.* VI, cap. IV et VII, cum contra modernos hæreticos statuentes justitiam externam vel imputativam, docet in justificatione nos transferri in statum gratiæ et adoptionis filiorum Dei; et justificationis causam formalem esse justitiam Dei, « non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, justitiam in nobis recipientes, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, etc., dum sanctissimæ passionis Christi merito per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum qui justificantur, atque ipsis inhæret : unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur per fidem, spem et charitatem : nam fides, nisi ad eam spes accedat et charitas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit. » Porro charitas secum addu-

cit ipsam personam Spiritus Sancti, ut paulo ante ostendi : justificatio ergo et adoptio prima est accidentalis, quia fit per gratiam et charitatem, quæ sunt accidentia; secunda ex prima profluens est substantialis, ideoque divinior, quia fit per communicationem ipsius Spiritus Sancti, ac naturæ divinæ, ideoque quasi substantialiter nos facit filios Dei, ut ejusdem quasi naturæ et essentiæ cum Deo Patre nostro simus.

Hinc Origenes, homil. 4 *in Levit.*, docet, quod societas nobis sit cum Patre, Filio et Spiritu Sancto, juxta illud I *Joan.* I, 3 : « Ut societas nostra sit cum Patre, et cum Filio ejus Jesu Christo ; » ac consequenter, inquit, cum Sanctis et cum angelis. Hanc societatem dirumpit et abnegat, quicumque malis actibus suis, malisque sensibus ab eorum conjunctione separatur. Hæc Origenes.

Symbolice per Eucharistiam fimus consortes divinæ naturæ.

Symbolice, fimus divinæ consortes naturæ per Eucharistiam. Ita S. Cyrillus, *Catechesi* IV : « Sic, inquit, efficimur Christiferi (ac concorporei et consanguinei Christi, ut paulo ante dixerat), hoc est, Christum in corporibus nostris ferentes, cum corpus ejus et sanguinem in membra nostra recipimus ; sic secundum B. Petrum divinæ naturæ consortes reddimur. »

Christianismus est imitatio Dei.

Tropologice, Nyssenus, initio operis Epistolæ *ad Harmonium*, quærit : Quid sit Christianismus ? ac respondet : « Christianismus est imitatio divinæ naturæ, » ut cogitationes et actiones nostræ actionibus Dei similes sint, ab omni malitia et vitio alienæ, puræ, sanctæ ; ut cœlestia sapiamus, cœlestibus afficiamur. Christianismus est conjunctio cum Christo, et professio vitæ Christi. Fieri enim non potest quin Christus sit et justitia, et puritas, et veritas, atque cujusvis mali vitatio ; neque Christianus esse potest, qui non illorum nominum quoque communionem et societatem in sese ostendat ; alioqui nomen et figuram Christiani habet, non veritatem et rem. Affert exemplum simiæ, quæ a circulatore docta saltare et gestus humanos imitari, ac ad quæstum in theatrum producta, cum spectatores ei applauderent, censerentque simiam humana veste et gestu præditam hominem esse ; quidam ex eis callidior socio dixit : Ostendam tibi simiam esse simiam, non hominem : quare in theatrum simiæ objecit amygdala, quibus illa visis, oblita sui, omnisque doctrinæ et decori, relicto circulatore magistro et præceptore suo, ad sua amygdala cucurrit, eaque enucleavit et comedit ; itaque se simiam et bestiam, quæ non ratione, sed sensu et concupiscentia ageretur, ostendit. Ita Christiani multi habitum speciemque externam Christiani præ se ferunt, sed oblatis suis cupediis quasi nucibus, Christianismi obliti in eas quasi pecora ruunt, itaque se non Christianos veros, sed fucatos ; non homines ratione et fide viventes, sed hominum simias esse ostendunt. Baptismus enim et Christianismus est « mors criminum, et vita virtutum, » ait S. Cyprianus, lib. II, epist. 2 *ad Donatum*, et Optatus Milevitanus, lib. V *Contra Parmenionem*. Idem Nyssenus laudans fratrem suum S. Basilium : « Genus illi, inquit, familiaritas et necessitudo erat cum Deo ; patria vero, virtus. »

Quocirca graviter S. Leo, serm. 1 *De Nativitate* : « Agnosce, ait, o Christiane, dignitatem tuam, et divinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire. Memento cujus capitis et cujus corporis sis membrum. Reminiscere quia erutus de potestate tenebrarum, translatus es in Dei lumen et regnum. Per baptismatis sacramentum Spiritus Sancti factus es templum. Noli tantum habitatorem pravis de te actibus effugare, et diaboli te iterum subjicere servituti ; quia pretium tuum sanguis est Christi, qui in veritate te judicabit, qui misericordia te redemit, qui cum Patre et Spiritu Sancto regnat in sæcula sæculorum, amen. » S. Macarius, *hom.* 45, docet Deum universa potiri creatura ; at societatem contraxisse cum solo homine, in eoque conquiescere : « Vides, ait, cognationem Dei cum homine, et hominis cum Deo ? Quapropter sagax et prudens anima cunctas percurrens creaturas sibi quietem ipsa non reperit, nisi in Domino solo : nec Domino complacuit in ullo, præterquam in solo homine. Si explices oculos ad solem, circulum ejus reperies in cœlo ; lumen autem et radios in terram vergere, et ad terram tendere vim omnem lucis et splendorem. Sic etiam Dominus sedet a dextris Patris : oculum autem suum extensum habet in corda hominum in terra degentium, ut auxilium ejus excipientes illic, ubi ipse est, extollat : Quoniam, inquit, ubi ego sum, illic et minister meus erit. »

Castitas facit similes Deo.

Porro licet gratia faciens nos divinæ consortes naturæ adducat et includat omnes virtutes, tamen S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovinianum*, idipsum appropriat virginitati : « Grandia nobis, inquit, et pretiosa virginitatis promissa donavit, ut per hæc efficiamur divinæ consortes naturæ. » Quo facit id quod sequitur : « Fugientes eam quæ in mundo est concupiscentiæ corruptionem ; » et illud *Sapient.* VI, 20 : « Incorruptio facit proximum esse Deo. » Alii melius idipsum appropriant charitati, quæ, ut ait S. Bernardus, serm. *De diversis affectionibus animæ*, ex affectu clamat : « Quid mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram ? Defecit caro mea et cor meum, Deus cordis mei et pars mea, Deus, in æternum. Neque enim suum aliquid, non felicitatem, non gloriam, non aliud quidquam tanquam privato sui ipsius amore desiderat anima quæ ejusmodi est ; sed tota pergit in Deum, unicumque ei ac perfectum desiderium est, ut introducat eam Rex in cubiculum suum, ut ipsi adhæreat, ipso fruatur. Unde et jugiter revelata facie, quoad potest, cœlestis sponsi gloriam speculando, in eamdem imaginem transformatur de claritate in claritatem, tanquam a Domini spiritu. Ex hoc plane audire meretur : Tota pulchra es, amica mea. Audet et ipsa loqui :

Magis charitas.

Dilectus meus mihi, et ego illi. Atque in hujusmodi felicissima et jucundissima confabulatione delectatur gloriosa cum sponso. »

S. Ambrosius, lib. VI, *epist.* 38 : « Quid illud attexam, inquit, quod hominem Deus divinæ fecit consortem naturæ, sicut in Epistola Petri legimus? Unde non immerito quidam ait : Cujus et genus sumus. Dedit enim nobis de cognatione sua, rationabilis scilicet naturæ, ut quæramus illud divinum, quod non longe est ab unoquoque nostrum, in quo et vivimus, et sumus, et movemur. »

Anagogice. Anagogice, quod tamen accipi potest ut sensus litteralis, ac prioris jam dati pars ultima et complementum (gloria enim est consummatio gratiæ), erimus divinæ consortes naturæ plene et perfecte, cum divinæ gloriæ, felicitatis et regni Deus nos faciet participes in cœlo. Nam, ut ait S. Joannes, *epist.* I, cap. III, 2 : « Cum apparuerit, similes ei erimus, » et S. Augustinus, tract. 51 *in Joannem* : « Quem majorem honorem accipere poterit adoptatus, quam ut sit ubi est uniens, non æqualis factus divinitati, sed consociatus æternitati? » Idipsum innuit Petrus, dicens : « Ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ, » puta divinæ gloriæ participes. Deus enim per lumen gloriæ ostendens se clare Beatis, eosque seipso implens et beans, ita se in eos transfundit, ut eos sibi similes efficiat, puta beatos, gloriosos, divinos et quasi deos : nec enim altius assurgere potest homo, aut magis Deo uniri, in eumque transire. Unde S. Athanasius, serm 4 *Contra Arianos* : « Ut enim Dominus, ait, induto corpore factus est homo : ita et nos homines ex Verbo Dei deificamur (θεσποιούμεθα, id est, *fimus Dei*), eo quod illud receptum sit in carne, et jam inde vitam æternam adipiscamur. » Et Nazianzenus, *orat.* 42, ait hominem divinitatem consequi, ut Dei claritatem videat; ubi Nicetas : « Deificatio, ait, omnis actionis et contemplationis est terminus. Deificatio, id est Dei visio et contemplatio : per hanc enim Beati Deum ita possident, ut cum eo quasi deificari et in Deum transire videantur, perinde ac ferrum plane ignitum in ignem converti videtur. »

Hoc sensu particula *ut*, cum dicitur : « Ut efficiamini divinæ consortes naturæ, » proprie significat causam efficientem et finalem : gratia enim efficit gloriam, quæ nos facit consortes divinæ naturæ et beatitudinis, atque gloria est finis gratiæ. Nam in priori sensu litterali, *ut* significat causam formalem : gratia enim formaliter nos facit consortes divinæ naturæ, id est, gratos Deo, amicos, filios et hæredes Dei, homines divinos et deiformes.

Illapsus Dei in Beatos qualis? Denique ex hoc loco Henricus a Gandavo, lib. XIII, Quæst. XII, censuit beatitudinem et visionem Dei fieri per illapsum divinitatis, ita scilicet ut Beatus videat Deum, hacque visione beetur non producendo, nec active eliciendo hanc visionem, sed mere passive se habendo : Deum enim solum suo illapsu illam efficere et producere primum in anima, deinde in animæ potentiis. *Primo* ergo, inquit, ipsa animæ essentia illuminante increata luce, scilicet ipsa deitate per illapsum lucet, et inflammata ardore charitatis ita ardet, ut in ipsa appareat nihil nisi Deus : sicut in ferro candente nihil apparet nisi ignis; deinde derivatur in potentias, nempe in intellectum, purgando ipsum ut clarius videat; et voluntatem, ut ardentius amet, itaque tota anima sit igne divinitatis accensa. Sic Henrici sententiam de formali beatitudine, quæ est ipsa visio et amor Dei visi, explicant et refellunt D. Soto in IV, *dist.* 49, Quæst. I, art. 3, et Scotus, *dist.* 49. Quæst. II. Noster tamen Vasquez, I II, *disp.* 8, cap. I, melius censet Henricum loqui de beatitudine et illapsu divinitatis objectivo, non formali : deitas enim est nostra beatitudo non formalis, sed objectiva, quia scilicet ipsa est objectum quod sui visione nos beat.

FUGIENTES (ἀποφυγόντες in aoristo, id est, *cum aufugeritis*; Pagninus et Tigurina, *si refugeritis*) EJUS QUÆ IN MUNDO EST CONCUPISCENTIÆ CORRUPTIONEM, — τῆς ἐν κόσμῳ ἐν ἐπιθυμίᾳ φθορᾶς, id est, « corruptionem quæ est in concupiscentia in mundo; » Pagninus et Tigurina, *si refugeritis a corruptione quæ est in mundo per concupiscentiam* : concupiscentia enim cum sit carnalis et sordida, plane repugnat divinæ naturæ, quæ purissimus et sanctissimus est spiritus. Rursum ipsa corrumpit tam corpus, quam animam : unde Cæsarius Arelatensis, *hom.* 11 : « Incomparabiliter, ait, graviorem putorem reddunt cogitationes luxuriosæ, quam cloacæ. » Si ergo divinæ naturæ consortes effici cupimus, necesse est ut concupiscentiæ renuntiemus et bellum indicamus.

Fugienda concupiscentia. Unde S. Leo, serm. 1 *De Nativit.* : « Deponamus ergo, inquit, veterem hominem cum actibus suis, et adepti participationem generationis Christi, carnis renuntiemus operibus. » Idem, serm. 2 *De Ascens.* : « Sursum vocatos animos, ait, terrena desideria non deprimant, ad æterna præelectos peritura non occupent, viam veritatis ingressos fallaces illecebræ non retardent, et ita a fidelibus hæc temporalia decurrantur, ut peregrinari se in hac valle mundi cognoscant, in qua etiamsi quædam commoda blandiantur, non amplectenda nequiter, sed transeunda sunt fortiter. » Et mox : « Cui autem nisi diabolo carnales militant voluptates, qui animas ad superna tendentes corruptibilium bonorum delectationibus obligare, et ab illis sedibus de quibus ille excidit, gaudet abducere? » S. Hilarius in *Psalm.* CXVIII, littera *heth* : « Patens, inquit, Deo est fidelis pectoris et ampla possessio, ut inhabitet et inambulet. Sed qui inhabitat, qui inambulat, quid tertium addidit? Et ego ero illorum Deus. Ecce promissam nobis ab eo portionem, ut simus Dei inhabitatio. Et dum in nobis ambulat, fit nobis ipse possessio, si sæculum relinquamus, si possessioni terrenæ labili renuntiemus, si hæreditatem caducorum

respuamus, si viventes de sæculo exeamus.» Qui enim semel se in divinitatem mersit animus, non nisi Deo et divinis pascitur; cætera ut exilia et vilia fastidit.

Vers. 5. 5. VOS AUTEM CURAM OMNEM SUBINFERENTES. — Græca addunt καὶ αὐτὸ τοῦτο, id est, *et hoc ipsum*, scilicet facite, ut fugiatis concupiscentiam, sicut jam dixi, ad id « omne studium conferentes.» Ita Clarius, Cajetanus, Vatablus (1). Transit S. Petrus a Deo ejusque donis ad fidelem ejusque officium, ut scilicet donis Dei jam dictis digne utatur, obsequatur, cooperetur, nec otiosa ea esse sinat; sed ea operando adaugeat et perficiat, ut quasi servus fidelis Deo reposcenti rationem talentorum dicere possit : «Domine, mna tua decem mnas acquisivit,» *Lucæ* XIX, 16, ideoque ab eo audiat : « Euge serve bone, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem civitates. »

Nota : Pro *subinferentes* græce est παρεισενέγκαντες, quod ex duabus præpositionibus componitur, scilicet εἰς, id est *in*, et παρά, id est *sub*, præter, prope, obiter. Hæc ergo vox significat, *primo*, gratiam per se solam non sufficere ad salutem, sed requiri cooperationem liberi arbitrii, « ut subinferatur adnitendo etiam nostræ voluntatis efficacia. Adjutor enim noster Deus dicitur, nec adjuvari potest, nisi qui etiam aliquid sponte conatur; quia non sicut in lapidibus insensatis, aut sicut in eis in quorum natura rationem voluntatemque non condidit, salutem nostram Deus operatur nobis,» ait S. Augustinus, lib. II *De Peccat. mer.*, cap. V. Idem, serm 43 *De Verbis Domini* : « Agis, inquit, si agaris : et bene agis, si a bono agaris. »

Secundo, τὸ παρά, id est *sub*, significat in operibus gratiæ et salutis præire gratiam quasi dominam, obsequi vero voluntatem quasi pedissequam et ancillam. Unde ait : « Ministrate,» quasi ministri gratiæ; gratia enim excitat voluntatem, ut assurgat ad opus cœleste et divinum, uti docet Concilium Tridentinum, *sess.* VI, cap. V. Erravit ergo Pelagius, qui gratiam fecit pedissequam naturæ et liberi arbitrii : « Deus est enim qui operatur in nobis et velle et perficere,» ait S. Paulus *Philipp.* II, 13, utique per gratiam. Gratia ergo excitans et operans prævenit voluntatem ; voluntas deinde gratiæ cooperatur, itaque gratia ex operante fit cooperans. Natura enim et voluntas ad opera salutis est infirma, impotens et per peccatum mortua : per gratiam ergo quasi animata et vivificata a somno et morte excitatur, roboratur et fit potens ad pœnitendum, sperandum, amandumque Deum, juxta illud : « Surge qui dormis, et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus,» *Ephes.* V, 14.

Tertio, τὸ παρά, id est, *sub*, *præter*, significat præter voluntatis et naturæ meritum et ordinem esse, quod illa ad hæc dona salutis et gloriæ, quæ supra sunt et superioris ordinis, ordinetur : nimirum quod debeat voluntas a gratia supra naturam elevari et quasi fieri supernaturalis, ut supernaturalia opera fidei, spei, charitatis, etc., operari possit, quibus perveniat ad salutem : in hisce enim operibus voluntas nil per se potest, sed debet elevari a gratia : unde a gratia habet opus omnem dignitatem et meritum ; a gratia enim habet quod sit opus charitatis, cœleste, supernaturale, divinum, meritorium vitæ æternæ; a voluntate vero habet quod sit opus humanum, voluntarium, liberum. Τὸ ergo παρὰ significat voluntatem, quasi præter ordinem, per gratiam elevatam irrepere et insinuare sese in hos actus supernaturales, nec suis viribus quidquam posse operari in hisce actibus, sed omnes vires ad eos operandos accipere a gratia; sicut ergo ferrum per se non potest calefacere, sed si igni uniatur fiatque ignitum, ab igne accipit vim calefaciendi et urendi : sic pariter et voluntas a gratia accipit vim credendi, sperandi, amandi Deum, etc.

Quarto, τὸ εἰς, id est *in*, significat voluntatem tantum Dei donum debere studiose complecti, omnesque suas vires conferre et inferre in opera hæc divina. Unde ait : « Omnem curam,» græce σπουδήν, id est studium, diligentiam, sollicitudinem, nisum, conatum, « subinferentes, ministrate,» ἐπιχορηγήσατε, id est suggerite, suppeditate, præstate, subministrate, adjicite, adjungite exhibete.

IN FIDE. — Aliqui legunt τῇ πίστει, id est *fidei*, *q. d.* subministrate fidei vestræ vigorem et virtutem, item scientiam, abstinentiam, patientiam, pietatem, etc. Facite scilicet ut fides vestra non sit otiosa, sed harum virtutum operatrix et negotiosa.

Verum alii passim legunt ἐν τῇ πίστει, *in fide*, id est, *cum* fide, vel *per* fidem : fides enim viva excitat virtutem, patientiam, pietatem, etc. Ubi nota : Vox *in* significat *primo*, connexionem virtutum, scilicet eas inter se esse connexas, *q. d.* Fidei annectite virtutem, virtuti scientiam, etc.; *secundo*, unam ab alia roborari et vigorem accipere, *q. d.* Fidei inserite virtutem, virtuti scientiam, quasi medullam ossi, vigorem membris, spiritum corpori : enervis enim et infirma est fides, nisi virtute suffulciatur; et virtus, nisi scientia dirigatur, etc.; *tertio*, earum medium et ordinem, *q. d.* in fide, id est, *per fidem*, excitate in vobis virtutem, per virtutem scientiam, per scientiam abstinentiam, etc.; *quarto*, earum coronam et coronidem : sicut enim annulus aureus insertus alteri, et hic alteri et alteri, efficit catenam et quasi coronam auream : ita fides inserta virtuti, virtus scientiæ, scientia patientiæ, patientia pietati, etc., efficit orbem et coronam virtutum, quæ instar monilis, aut cycladis aureæ, mire vestit, ornat et perficit animam.

(1) Vertendum, *ob id ipsum*, et connectendum cum vers. 3. Καὶ sumitur pro consecutivo ut sæpissime alias in sacris litteris.

VIRTUTEM, — τὴν ἀρετὴν, id est *virtutem* proprie dictam, non δύναμιν, id est *potentiam*, *q. d.* Fidei jungite virtutum opera, cognitioni addite praxim. Ita Œcumenius. *Secundo* et aptius, per *virtutem* accipe virtutis vigorem, robur et fortitudinem: nam ἀρετὴ dicitur quod habeat aliquid Ἄρεος, id est *Martis*, puta quod martialis sit, bellicosa, mascula, robusta, generosa, heroica. Si enim quamlibet virtutem acciperet, non subjungeret patientiam, pietatem, etc., utpote quæ sub generico virtutis nomine quasi species comprehenduntur. Sensus ergo est, *q. d.* Commendo vobis, o fideles, uti fidei robur, ita vigorem virtutis, puta fortitudinem ad omnia ardua heroice superanda, quam aliis elogiis vobis non commendo, quia ipsa se sua specie et pulchritudine sat superque commendat : nimirum non eget honestamento virtus : ipsa suum decus est; sicut vitium et mollities animi non eget vituperio; ipsa enim sibi dedecus est : *virtus* enim a viro dicta est; unde proprie significat fortitudinem, quod ea viro congruat. Ita Cicero *Tuscul.* II : « Appellata est, ait, ex viro virtus. Viri autem propria maxime est fortitudo, cujus munera duo maxima sunt, mortis dolorisque contemptio. Utendum est igitur his, si virtutis compotes, vel potius si viri volumus esse, quoniam a viris virtus nomen est mutuata. » Virtus ergo est perferendorum malorum fortis atque invicta patientia. Idem, *Philipp.* 4 : « Omnia alia, ait, falsa, incerta sunt, caduca, mobilia; virtus est una altissimis defixa radicibus, quæ nunquam ulla vi labefactari potest, nunquam dimoveri loco. » Virtus ergo poscit robur Socraticum; et Virgil. V *Æneid.* :

Virtus est Martis.

Virtutis etymon.

> Tunc pudor incendit vires et conscia virtus.

Hinc rursum Cicero *ad Plancum*, lib. X, docet virtutem omnia quamtumvis ardua transcendere, omnia occupare : « Omnia summa, ait, consecutus es virtute duce, comite fortuna. » Et *pro Plancio* : « Is gloria maxime excellit, qui virtute plurimum præstat. » Pindarus vero in *Isthmiis*, ode 6 : « Si quis hominum, ait, sumptu delectatus et labore, exercet a Deo structas virtutes, simul Deus illi amabilem gloriam serit, jam ad ultimos fines felicitatis appellens anchoram jecit, divinitus honoratus existens. » Clemens Alexandrinus, lib. IV *Stromatum*, citat illud Simonidis : « Fertur virtus habitare in rupibus aditu difficilibus; » et Hesiodum, qui dicit sudorem ante virtutem esse positum :

> .....Via longa est atque acclivis ad ipsam.
> Ardua namque prius, sed cum ad fastigia ventum,
> Fit facilis.

Exigit ergo S. Petrus, ut fideles in fide et vita Christiana sint non segnes et debiles, sed alacres et valentes, uti fuit S. Valentinus Martyr, qui suo fidei verbique vigore et valore pene Claudium II Imperatorem ad Christum convertit, ut habent ejus Acta 14 februarii. Tales fecit S. Petrus suos cives et subditos, ut Romani essent, id est Valentini : Roma enim primitus dicta est Valentia, teste Solino Polyhis. cap. II, et Dionysio Halicarnasso, lib. I *Antiq. Roman.* Unde etiam græce dicitur ῥωμή, id est, *robur*.

Hinc illa virtus Martyrum Romanorum, in continuis persecutionibus et tormentis a S. Petro usque ad Sylvestrum, puta a Nerone usque ad Constantinum per 300 annos : quibus proinde recte accinas illud *Psalm.* LXVII, 36 : « Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israel, ipse dabit (imo dedit) virtutem et fortitudinem plebi suæ; benedictus Deus, » qui facit Martyres fortes, quasi novos Israeles dominantes tyrannis ipsique Deo.

IN VIRTUTE AUTEM SCIENTIAM. — *Primo*, per *scientiam* Œcumenius accipit perfectam mysteriorum Christi et Dei cognitionem, quæ, inquit, « non cuilibet advenit, sed ei tantum, qui ex operibus præstantioribus per habitum exercitatos sensus sibi comparavit. » *Secundo*, S. Augustinus, XIV *De Trinit.*, cap. I : « Sapientia, ait, est rerum divinarum cognitio; scientia vero rerum humanarum. » *Tertio*, Arias per *scientiam* accipit intellectum S. Scripturæ. *Quarto*, Gregorius de Valentia, I *part.*, disp. I, *Quæst.* I, puncto 3, § 1, et alii Scholastici per *scientiam* accipiunt Theologiam, quæ ex principiis fidei conclusiones theologicas educit, quam ex hoc loco probant esse scientiam. *Quinto* et genuine, per *scientiam* accipe practicam, puta prudentiam Christianam et divinam, quæ docet quid Christiano, quolibet loco, tempore cæterisque circumstantiis agere aut non agere conveniat : quam S. Antonius dicebat esse principem; S. Bernardus, serm. 49 *in Cantic.*, aurigam virtutum cæterarum. Vide Cassianum, *Collat.* lib. II, cap. II.

Scientia quintuplex.

Unde S. Petrus ait hanc scientiam parere abstinentiam, patientiam, pietatem, amorem fraternitatis, et charitatem. Rursum eam nasci ex virtute, id est, fortitudine : fortis enim et masculus animus rectus est, recteque de agendis judicat; mollis vero et effeminatus, quia in suas cupiditates nimis propendet, hinc pravus est, et perverse de agendis judicat. Vide S. Bernardum, serm. 3 *in Vigil. Nativit.*, ubi damnat eam doctrinam, quæ operibus bonis destituitur, solamque veram esse scientiam docet eam, quæ vitam componit et mores emendat. Idem, serm. 36 *in Cantic.* : « Sunt, ait, qui scire volunt ut sciant, et turpis curiositas est; et sunt qui scire volunt ut sciantur et ipsi, et turpis vanitas est; et sunt qui scire volunt ut scientiam suam vendant, et turpis quæstus est. Sed sunt quoque qui scire volunt ut ædificent, et charitas est; et item scire volunt ut ædificentur, et prudentia est. Horum omnium soli ultimi duo non inveniuntur in abusione scientiæ : quippe qui ad hoc volunt intelligere, ut bene faciant. » Idem, lib. I *De Conscientia*, cap. II : « Multi, ait, scientiam quærunt, pauci conscientiam. » Vera ergo

Vera scientia quæ?

scientia dirigit, rectamque et sanctam facit conscientiam. Unde S. Augustinus, *epist.* 119, cap. XXI : « Sic, inquit, adhibeatur scientia tanquam machina quædam, per quam structura charitatis assurgat. »

6. IN SCIENTIA (id est, cum scientia, et per scientiam) AUTEM ABSTINENTIAM. — Scientia enim sive ethica Christiana, primo docet abstinentiam, sive temperantiam in cibo et potu, cæterisque carnis voluptatibus, ne per eas magnitudinem donorum Dei afficiamus contumelia, ait Clarius : nisi enim hæ primo refrænentur, ad alias virtutes progressus fieri nequit, præsertim quia ex intemperantia et gula omnia vitia oriuntur, ut docet S. Gregorius, III parte *Pastorum*, admonit. 20. Adde scientiam et abstinentiam esse comites et quasi sorores, ut una sine alia reperiri nequeat; unde Daniel cum sociis, cap. I, per abstinentiam adeptus est rerum omnium scientiam; et Salomon : « Cogitavi, ait, in corde meo abstrahere a vino carnem meam, ut animum meum transferrem ad sapientiam, devitaremque stultitiam, » *Eccles.* II, 3. Rursum abstinentia connexa est virtuti et fortitudini; nam, ut ait S. Bernardus, serm. 1 *De omnibus Sanctis* : « Quid mirabilius aut quod martyrium gravius est, quam inter epulas esurire, inter vestes multas et pretiosas algere, paupertate premi inter divitias, quas offert mundus, quas ostentat malignus, quas desiderat noster iste appetitus? » Pro *abstinentiam* græce est ἐγκράτειαν, id est *temperantiam*, vel *continentiam*, quæ generalis est virtus modum ponens superbiæ, iræ, gulæ, libidini, avaritiæ, acediæ, vitiisque omnibus, omnesque actiones hominis moderans et componens. Unde Œcumenius per continentiam accipit modestiam quæ scientiam moderetur, ne superbiat mentemque inflet. Alii accipiunt castitatem : hæc enim est comes et soror sapientiæ. Unde utraque specie matronæ in visione apparens S. Gregorio Nazianzeno dixit : « Notæ tibi sumus et familiares. Altera enim ex nobis sapientia, altera castitas dicitur; et missæ sumus a Domino tecum habitare, quia jucundum nobis et mundum in tuo corde habitaculum præparasti. » Ita Ruffinus in *Prologo Apolog.*, et Aldhelmus, *De Laudib. Virg.*, cap. XIII.

Scientia et abstinentia sunt sorores.

IN ABSTINENTIA AUTEM PATIENTIAM. — Quia, ut ait S. Gregorius, III part. *Pastor.*, admon. 20, « mentes abstinentium plerumque impatientia a sinu tranquillitatis excutit, hinc S. Petrus eis ut adesset admonuit; » quod intellige de rigida et nimia abstinentia ac jejunio : hæc enim corpus debilitat et exsiccat, ideoque bilem acuit, indeque iram et impatientiam. Moderata enim abstinentia et sobrietas uti corpus, ita et animum componit, facilque moderatum, patientem et hilarem; idque significat hic S. Petrus. « In abstinentia » enim, id est, per abstinentiam, ait, « ministrate patientiam : » patientia enim major altiorque est virtus quam sit abstinentia. Unde Sapiens *Prov.* XVI, 32 : « Melior est, inquit, patiens viro forti, et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium; » quia, ut explicat S. Gregorius, hom. 25, ab hoc urbes « quæ extra sunt vincuntur, per patientiam vero ipse a se animus superatur, et semetipsum sibimetipsi subjicit, quando eum patientia in humilitate tolerantiæ sternit. » Pro *patientiam* græce est ὑπομονήν, id est, *tolerantiam*, *sustinentiam*, per quam aliqui accipiunt perseverantiam in abstinentia, ut scilicet abstinentia non sit unius diei aut mensis, sed continua per omnem vitam, utque omnibus voluptatibus et tentationibus fortiter et constanter resistat (non raro enim fit ut quem tormenta non vincunt, vincat voluptas), uti de adolescente illo, qui a muliere tentatus præmordens linguam, illam in eam expuit, refert S. Hieronymus in *Vita S. Pauli Eremitæ*, itaque voluptatem vincentem vicit.

IN PATIENTIA (per patientiam) AUTEM PIETATEM. — Εὐσέβειαν, id est, *Dei cultum*, ut homo patiens in Deum pius evadat : afflictiones enim eum dejiciunt faciuntque humilem, ac cogunt ut invocet Deum pro ope. « Patientia, ait Œcumenius, subintrans rem omnem absolvit, et perfectiorem erga Deum obedientiam reddens, pietatem nobis conciliat. » Porro pietas, quia Deum respicit et colit, altior est gradus majorque virtus quam sit patientia. Est ergo hic catena, simulque climax et gradatio virtutum. Unde Beda et Dionysius, octo hasce S. Petri virtutes assimilant octo gradibus, quibus ascendebatur ad templum Salomonis. Insuper jungit Petrus patientiam pietati, ut doceat fideles qui tam multa et dura patiebantur, ea omnia referre per pietatem ad Dei cultum, ut illius amore et honore omnia generose sustineant, uti fecere martyres. Pietas ergo est condimentum et perfectio patientiæ, sicut patientia est occasio et illex pietatis.

Aliqui per *pietatem* accipiunt benignitatem, quasi requirat S. Petrus ut patiens erga eos qui se affligunt, sit pius, id est benignus, beneficus et misericors; unde S. Augustinus X *De Civit.*, I, ait εὐσέβειαν, id est *pietatem*, licet proprie congruat Deo, tamen sæpe in operibus misericordiæ frequentari; quia hæc mire placent Deo, iisque quasi sacrificiis ipse placatur. Verum hæc opera includuntur in amore fraternitatis, de quo subdit S. Petrus :

7. IN PIETATE AUTEM AMOREM FRATERNITATIS, — quia Deo non placet pietas nisi amore fraterno condiatur, si scilicet sit expers beneficentiæ, juxta illud : « Misericordiam volo, et non sacrificium, » *Matth.* IX, 13, ubi significat Deus se magis coli et honorari amore fratrum, quam sacrificio. Vult ergo ipse pietatem fidelium non esse aridam et otiosam, sed ad fratrum amorem, id est, proximorum commoda et salutem dirigi. Contra hoc peccant nonnulli fideles ita suis devotionibus addicti, ut fratrum et pauperum obliviscantur, quin et avare sua recondant, nec quidquam in egentes conferre velint.

IN AMORE AUTEM FRATERNITATIS CHARITATEM. — Charitas enim est summa et culmen virtutum, quæ earum orbem et circulum jam recensitum perficit et coronat; estque quasi gemma in annulo (1).

Vult ergo S. Petrus amorem fraternum, non mere esse fraternum, id est, manare ex nudo amore proximi, sed condiri et animari vera charitate Dei, ut scilicet ex amore Dei amemus proximum, quasi imaginem et participium Dei, adeoque in proximo amemus Deum, illique subveniamus propter Deum, ideoque non distinguamus in proximo qualitates et conditiones, ut, v. g. amemus cives, non exteros; cognatos, non e cognatione remotos; amicos, non inimicos: Deus enim inter hos non distinguit, sed omnibus se Deum exhibet pluendo super bonos et malos, benefaciendo justis et injustis, ideoque charitas Dei neminem excludit, sed omnes suis visceribus complectitur. « Amicos diligere omnium est, inimicos autem solorum Christianorum, » ait Tertullianus *ad Scapulam*, cap. I.

Catena virtutum. Hæc est ergo catena octo virtutum S. Petri perfecte ornans Christianum, si nimirum fidei jungatur virtus, virtuti scientia, scientiæ abstinentia, abstinentiæ patientia, patientiæ pietas, pietati amor fraternus, amori fraterno charitas. In his consistit summa et perfectio vitæ Christianæ: hæc sanctum, absolutum et perfectum efficiunt Christianum: fides enim, pietas et charitas reddunt officium debitum Deo; scientia, abstinentia et patientia reddunt debitum sibi; amor fraternus reddit debitum proximo.

8. HÆC ENIM SI VOBISCUM ADSINT (Græca habent, ταῦτα γὰρ ὑμῖν ὑπάρχοντα, quæ vel conditionate verti possunt, uti vertit Noster, vel absolute: « Hæc enim cum vobis adsint. » Ita Pagninus et Tigurina; aptius tamen conditionate: exhortatur enim S. Petrus fideles ad studium virtutum ex earum fructu, dicens: Hæc enim si vobiscum adsint) ET SUPERENT (id est, abundent, exsuperent: hoc enim significat τὸ πλεονάζοντα (2); perperam ergo Beda, Glossa, Hugo et Thomas Anglicus, « si superent, » inquiunt, hoc est, si vincant vitia contraria), NON VACUOS (græce ἀργούς, id est *otiosos*), NEC SINE FRUCTU (bonorum operum: unde pro ἀκάρπους, id est *sine fructu*, aliqui legunt ἀπράκτους, id est *sine opere*) VOS CONSTITUENT IN DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI COGNITIONE, — *q. d.* Si adsint vobis virtutes, quas jam recensui, efficient ut vestra fides et cognitio Christi non sit inanis, otiosa, infrugifera et expers meriti, sed in opera virtutum jam dictarum sese exerat, itaque sit plena, negotiosa, frugifera et ingenti meritorum numero dives et locuples. Ita Adamus, Arias, Salmeron, Titelmannus et alii. Dicit hoc S. Petrus contra Simonem et Gnosticos, qui docebant nos sola fide justificari, uti docent moderni Huguenoti, quos recte Hugnosticos voces. Unde contra eosdem S. Jacobus, cap. II, multis probat fidem sine operibus esse vanam et mortuam. *Secundo*, Lyranus, Hugo, Dionysius per « cognitionem Christi » accipiunt, visionem beatificam, *q. d.* Hæ virtutes parient vobis cognitionem Christi perfectam, scilicet visionem beatificam. Addit Cajetanus, *q. d.* Hæ virtutes facient ut in hac vita crescatis in cognitione et amore Christi. Favent Græca, quæ habent εἰς τὴν ἐπίγνωσιν, id est, *in cognitionem*, scilicet majorem et pleniorem, juxta illud cap. III, vers. 18: « Crescite in gratia et cognitione Dei nostri. »

Denique Œcumenius, Hugo, Glossa et Catharinus per « cognitionem Christi » accipiunt diem judicii, quo scilicet Christus cogniturus est, examinaturus et judicaturus de singulorum virtutibus et vitiis. Verum prima expositio uti planior, ita et germanior est, præsertim quia S. Petrus ἐπίγνωσιν vocat cognitionem quam in hac vita habemus de Christo, ut patet vers. 2 et 3; diem autem judicii et beatificæ visionis, vocat diem revelationis Christi, ut patet *epist.* I, cap. I, vers. 5, 7, 13.

Nota: Pro *constituent* græce est καθίςησιν, id est, *ponent*, statuent, collocabunt, *q. d.* Hæ virtutes vos deducent ad veram et plenam cognitionem et scientiam, in eaque quasi in luce clarissima et jucundissima fixe firmiterque collocabunt, adeoque a cognitione viæ deducent ad cognitionem et visionem patriæ, in qua videbitis facie ad faciem Deum Deorum in cœlesti Sion. Significat S. Petrus veram et plenam cognitionem Dei et Christi esse summum bonum, et beatitudinem tam hujus vitæ per fidem, quam futuræ per speciem et visionem, juxta illud Christi: « Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum, » *Joannis* XVII. Opponit enim S. Petrus virtutibus præditos et virtutibus destitutos, quod iis prædíti collocentur in plena cognitione Dei et Christi quasi in luce paradisi, iis vero destituti quasi cæci versentur in tenebris abyssi; unde de iis subdit: « Cui enim non præsto sunt hæc, cæcus est et manu tentans; » virtutes enim sunt lumina practica quæ animam mire ornant et illuminant, ac in Dei cognitione quasi luce clara collocant et confirmant; sicut fructus arborem stabiliunt: faciunt enim ut illa profundiores in terra radices agat, quibus succum, quem fructibus suggerat, hauriant. Hinc Clemens Alexandrinus, I *Pædag.*, cap. 6, et IV *Strom.*, II, ac Damascenus, *Paralipomen.* I, cap. LXV, γνώστικον, id est, *scientem*, et cognitione prædítum, vocat virum perfectum, qui scientiam virtuti et praxi jungit, ac alios quoque docet et perficit.

9. CUI ENIM NON PRÆSTO SUNT HÆC (cui desunt octo virtutes jam recensitæ), CÆCUS EST, — practice scilicet, quia non habet practicos practicæ fidei et cognitionis oculos: hi enim sunt virtutes jam Vers. 9

(1) Aliis charitas hic est dilectio erga homines omnes, etiam non Christianos.

(2) Melius, *in dies accrescant*.

dictæ. Hinc Christus de Pharisæis, qui habebant fidem praxi virtutum carentem: « Sinite illos, inquit, cæci sunt et duces cæcorum, » *Matth.* XV, 14; et ante Christum prævidens eos Isaias, LIX, 10, depingit: « Palpavimus sicut cæci parietem, et quasi oculis attrectavimus, impegimus meridie quasi in tenebris, in caliginosis quasi mortui. » Et Sophonias, I, 17: « Ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt. » Et Job V, 14: « Per diem incurrent tenebras, et quasi in nocte sic palpabunt in meridie. » Significat S. Petrus eos qui virtutibus carent, quasi cæcos in tenebris ignorantiæ versari, quia carent prudentia et scientia practica, quæ est lux et dux virtutum. Anagogice Œcumenius id refert ad adventum Christi ad judicium, qui erit instar solis fulgidus et gloriosus: « Nam tunc improbis cæcitas orietur, quia et justi ad tantum lumen quamdam veluti sentient imbecillitatem. »

ET MANU TENTANS. — Puta viam prætentans: cæci enim quia oculis carent, manu viam prætentant et quasi palpant, necubi labantur vel impingant. Græce μυωπάζων, quod *primo* verti potest, *clausis oculis existens et incedens*: μύω enim est *claudo*, ὤπας vocant *oculos*. *Secundo*, μυωπάζων, id est, *muris habens oculos*, μῦς enim est *mus*: murem accipe subterraneum, puta talpam, *q. d.* Qui virtutibus caret, cæcutit ut talpa, quæ manibus palpat et terram subruit.

Μυωπάζων quid? Resp. Primo. Secundo

Ubi nota eos qui non virtuti, sed carni et mundo studeant, recte comparari talpis. *Primo*, quia sicuti talpæ habent oculos, quos reipsa curiose intuitus sum, sed pellicula obductos, ne a terra dum eam subruunt lædantur, ideoque eorum usu, puta visu destituuntur: sic et isti mentem habent, sed cupiditatibus velatam et cæcatam; ideoque ea non utuntur, quia sensibus aguntur velut talpæ terræ incumbentes. Quare in aggerendis opibus rebusque terrenis discernendis sunt lynces, in cœlestibus talpæ. Id de talpa docet Aristoteles, lib. I *De Hist. anim.*, cap. IX: « Habent, inquit, oculos animalia, quæ animal generant, omnia præter talpam, quem modo quodam habere dixerim, cum tamen omnino habere negem, quippe cum omnino quidem nec videat, nec perspicuos habeat oculos: verum si quis prætentam membranam detrahit, locus oculorum apparet et pars nigra eorumdem. » Unde illud Virgilii: « Talpæ oculis capti; » et Plinius, lib. III, cap. III, ait « talpas a natura damnatos cæcitate perpetua. » Idem, lib. XI, cap. XXXVII: « Talpis, ait, visus non est, oculorum effigies inest, si quis prætentam detrahit membranam. » *Secundo*, talpæ quia non vident, hinc acutius audiunt, natura pensante visum auditu, ibique vim alibi occlusam fortius exerente. Ita Plinius, lib. X, cap. LXIX, docet hominem superare cætera animalia tactu et gustu, at reliquis sensibus superari ab iisdem: nam « aquilæ, inquit, clarius cernunt, vultures sagacius odorantur, liquidius audiunt talpæ obruti terra, tam denso atque surdo naturæ elemento. Præterea voce omnium in sublime tendente, sermonem exaudiunt; » sed fabulosum est quod addit: « Si de iis loquare, intelligere etiam dicuntur et profugere. » Ita mundani auditu pollent, totique sunt auriti, ut audiant nova, curiosa, secreta, præsertim quæ proximi famam lædunt, etiam absentis et toto orbe semoti, atque apud antipodes degentis. *Tertio*, talpæ ita terræ inhiant, ut defossi videantur sepultisque similes, ait Plinius, lib. XI, cap. XXXVII. Ita carnales in carne, mundani in mundo se defodiunt et sepeliunt. *Quarto*, talpæ sua antra habent sub terra, lucifugæ sunt, solemque fugiunt; in sua antra germina et radices pro annona coacervant: ita avari non nisi coacervandis opibus, gulosi deliciis, superbi honoribus studeant. *Quinto*, talpæ insano labore pedibus quasi manibus terram assidue suffodiunt, adeo ut integras subinde urbes subruant. Ita Plinius, lib. VIII, cap. XXIX: « M. Varro, ait, auctor est a cuniculis suffossum in Hispania oppidum, a talpis in Thessalia, a ranis civitatem in Gallia pulsam, ab locustis in Africa, ex Gyaro, Cycladum insula, incolas a muribus fugatos. » Ita mundani qui insano cupiditatis alicujus œstro agitantur, ut ea potiantur omnia concitant, omnia miscent et turbant, adeoque integras sæpe urbes et regna convellunt, bellis cædibusque conficiunt.

Carni dediti sunt talpæ. Primo. Secundo. Tertio. Quarto. Quinto.

Tertio, μυωπάζων verti potest, *connivens* vel *nictans oculis*: unde ab Aristotele, sect. XXXI *Problem.*, myopes vocantur qui proxima vident, remota non vident. Et Hesychius in lexico: μυωπάζειν, ait λέγονται οἱ ἐκ γενετῆς τὰ κατὰ ἐγγὺς βλέποντες, τὰ δὲ ἐξ ἀποστάσεως οὐχ' ὁρῶντες; Gellius vero, lib. IV, cap. II: myops, inquit, est lusciosus; et Œcumenius hic: « Lusciosum esse, ait, id est μυωπάζειν, nihil aliud significat, quam cæcutire; » et clare Budæus: « Myopes, ait, dicuntur, qui inde ab initio ortus sui nisi admota oculis contueri nequeunt; » cujusmodi multos videmus qui res intuendas oculis prope contingunt, et limis etiam semiclusisque oculis aspiciunt, quos lusciosos vocamus, Græci νυκτάλωπας nuncupant. Sic ergo S. Petrus myopes vocat eos, qui terrena sapiunt, utpote qui non cernant cœlestia, longius, scilicet quasi extra mundum posita, sed terrestria tantum, quæ proxima sunt: quanquam hoc non satis congruit cum τὸ *cæcus est*, nisi per cæcum accipias cæcutientem. Vere S. Gregorius XXV *Moral.*, cap. IX: « Qui, inquit, errant in Dei cognitione, juste traduntur ut errent pariter in agendis; imo S. Paulus, *Roman* cap. I, vers. 28, loquens de philosophis, qui cum Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt: « Et sicut, inquit, non probaverunt Deum habere in notitia: tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt, repletos omni iniquitate, » etc. Sicut ergo fides mater est omnis virtutis, ita infidelitas omnis vitii.

Μυωπάζων tertia significatio.

Hinc tales sunt similes vespertilioni (μυοπάζων enim per ο deduci potest ab ὀπτί, id est *vespertilio*), qui conflatus est ex mure et ave, videturque talpa

alatus, ideoque parum videt; unde solem fugit, et noctu volat, de quo plura dixi *Isaiæ* II, 20. De his ait Christus : « Modicum lumen in vobis est; ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant; et qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat, » *Joannis* XII, 35.

OBLIVIONEM ACCIPIENS PURGATIONIS VETERUM SUORUM DELICTORUM, — *q. d.* Fidelis qui virtutes abdicat et in vitia relabitur, obliviscitur baptismi et Christianismi, quo accepit remissionem peccatorum in Gentilismo vel Judaismo perpetratorum, quoque spopondit se Christiane et sancte victurum. Rogatus enim : « Abrenuntias Satanæ et omnibus ejus pompis ? » respondit : « Abrenuntio. » Ita Œcumenius. Vere S. Augustinus, lib. I *Contra duas epist. Pelagii*, cap. XIII : « Dicimus, ait, baptisma dare indulgentiam omnium peccatorum et auferre crimina, non radere. » Vide Concilium Tridentinum, *sess.* V, in decreto *De peccato origin.*, et *sess.* VI, cap. XI.

Vers. 10. 10. QUAPROPTER, FRATRES, MAGIS SATAGITE. — Τὸ *magis* potest referri vel ad *quapropter*, uti referunt Græca; et tum idem est quod « potius, » continuatque antithesin cum eo quod præcessit, *q. d.* Nolite oblivisci purgationis delictorum, sed potius sagitate ut per bona opera certam vestram vocationem faciatis. Vel ad *satagite*, *q. d.* Magis magisque in dies satagite, etc. Pro *satagite* græce est σπουδάσατε, id est *studete*, date operam, satagite. Satagere enim est satis angi, vel satis, id est multum agere quasi sollicitum. Unde Quintilianus, lib. VI, cap. IV : « Afer, ait, venuste Manlium Suram multum in agendo discursantem, salientem, manus jactantem, togam dejicientem et imponentem; non agere dixit, sed satagere. » Melius S. Martha satagebat circa frequens Christi ministerium, *Lucæ*, X, 40.

UT PER BONA OPERA. — Hæc verba desunt in Græcis plerisque codicibus; in nonnullis tamen reperiuntur. Certum est ea vel legenda, vel subaudienda esse : vocationem enim nostram certam facere non possumus, nisi per virtutes quas paulo ante nominavit S. Petrus, earumque bona opera : hæc enim sunt semina beatæ æternitatis et gloriosæ felicitatis. « Quæ enim seminaverit homo » in terris, « hæc et metet » in cœlis, *Galat.* VI, 8; ubi et additur : « Qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam; » et Psaltes *Psalm.* CXXV, 6 : « Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua : venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos. » Vide dicta *Jacobi* cap. II, vers. 26.

Perstringit Petrus Simonem Magum, qui oblitus sui baptismi et purgationis peccatorum, quasi cæcus docebat opera non requiri ad salutem, sed sufficere fidem : Si quis enim, inquit, in me credat, salvus erit. Vide dicta *Actor.* VIII, 20 et seq.

CERTAM VESTRAM VOCATIONEM ET ELECTIONEM FACIATIS. — Duplex est electio, æque ac vocatio (hæc enim est electionis executio) : una ad fidem et gratiam, altera ad felicitatem et gloriam. Rursum utraque est duplex : una enim est absoluta et efficax, qualis est justorum et beatorum; altera inabsoluta et conditionata, qualis est omnium hominum : omnes enim a Deo vocantur ad gratiam, si velint in Christum credere eique obedire : omnes vero credentes et justi vocantur ad gloriam, eam certo assecuturi, si in fide et justitia usque ad mortem perseverent. Quare vocatio ad gratiam est implicita vocatio ad gloriam, sed inchoata duntaxat et conditionata.

Jam aliqui accipiunt hic electionem ad gloriam eamque absolutam et efficacem; unde ex hoc loco contendunt probare prædestinatos efficaciter a Deo ad gloriam esse electos ante prævisa opera, ex mero ejus beneplacito, ideoque S. Petrum monere, ut hanc Dei electionem ab æterno factam per bona opera certam faciant.

Agitur hic de electione ad gratiam.

Verum alii melius censent S. Petrum loqui de electione ad fidem et gratiam, consequenter tamen loqui de electione ad gloriam, non antecedenti et absoluta, sed consequenti et conditionata, *q. d.* Satagite, o Christiani, ut electionem vestram ad gratiam et Christianismum per bona opera stabiliatis, ne ab ea excidatis, sed in ea constanter perseveretis : sic enim pariter stabilietis et certam facietis electionem vestram ad gloriam : omnes enim ad gloriam electi et destinati estis hoc ipso, quo baptizati estis, factique fideles et justi, non absolute, sed sub conditione, si videlicet in gratia accepta usque ad finem vitæ persistatis.

Prob. Primo.

Id ita esse probatur *primo*, quia parum probabile, imo incredibile videtur, omnes omnino fideles Ponti, Asiæ, Cappadociæ, Bithyniæ, ad quos scribit S. Petrus, fuisse efficaciter prædestinatos et electos ad gloriam. Rursum id S. Petro revelatum fuisse magis incredibile est, S. Petrum idipsum fidelibus omnibus revelare voluisse, omnesque certos facere de sua salute.

Secundo.

Secundo, quia talis intelligitur hic electio, qualis vocatio; atqui vocatio intelligitur ad fidem et gratiam : ergo et electio. Minor patet, quia qui vocantur a Deo in hac vita, absolute tantum vocantur ad gratiam; qui enim absolute vocantur ad gloriam, sunt mortui et defuncti in gratia.

Tertio.

Tertio, idipsum patet ex præcedentibus, ex quibus hanc conclusionem colligit S. Petrus : in præcedentibus enim suasit fidelibus virtutes Christianas, ut per illas non vacui, sed frugiferi appareant et constituantur in cognitione Christi. Quare cum ait : « Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis, » idem dicit, et explicat id quod dixit vers. 8 : « Hæc enim si vobiscum adsint et superent, non vacuos, nec sine fructu vos constituent in Domini nostri Jesu Christi cognitione. »

Quarto.

Quarto, idipsum patet ex immediate sequentibus : « Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini nostri, » *q. d.*

Per bona opera eligemini ad gloriam, et introibitis in æternum Dei regnum.

Quinto. *Quinto*, quia S. Paulus S. Petri assecla fideles vocat prædestinatos, electos, vocatos non immediate ad gloriam, sed ad gratiam, uti ostendi *Ephes.* I, et can. 13 *in S. Paulum.*

Sexto. *Sexto*, quia electio hæc Dei est incerta; unde jubet S. Petrus ut eam certam faciamus : ergo non loquitur de electione Dei absoluta et efficaci ad gloriam : hæc enim est certissima et plane infallibilis; sed de electione absoluta ad gratiam, et conditionata ad gloriam.

Objectio Prima. Dices : Hæc electio Dei in se est certissima, sed nobis et aliis est incerta : jubet ergo S. Petrus, ut nobis et aliis eam per bona opera certam faciamus. Ita Beda, Glossa, Hugo et Dionysius.

Respond. Respondeo id congrue dici non posse; pro *certam* enim græce est βεβαίαν, id est *firmam*, fixam, stabilem; scilicet in se, non nobis, vel aliis certam et compertam, *q. d.* Vocatio et electio vestra ad gratiam, et consequenter ad gloriam, non est in se firma et stabilis, quia ab ea excidere potestis : confirmate ergo eam et stabilite per bona opera crebra et continua. Ita Œcumenius : « Studete, ait, ut stabilem et immutabilem vocationem vestram et electionem reddatis. »

Objectio Secunda. Dices *secundo* : Bona opera firmam faciunt electionem Dei, quia ipsam ponunt in executione; opera enim sunt media, quibus gloriam ad quam electi a Deo sumus, assequimur : sic enim dicimus in moralibus, intentionem efficacem finis confirmari ab electione efficaci mediorum.

Refellitur. Primo. Respondeo : Nec hoc satisfacit, *primo*, quia in hominibus id verum est, non in Deo : homines enim sunt mutabiles et inconstantes, ideoque possunt mutare intentionem; unde eam confirmant per electionem mediorum : Deus autem est plane constans et immutabilis; unde intentionem quam semel fecit, mutare nequit, ut quos efficaciter semel elegit ad gloriam, postea rejiciat, aut ab ea excidere sinat.

Secundo. *Secundo*, quia Deus eis quos efficaciter elegit ad gloriam, efficaces destinat gratias, quibus efficaciter et certo bona opera, quasi media quibus ad destinatam a se gloriam perveniant, operentur. Quare dicere potuissent fideles S. Petro : Ut quid nobis dicis : « Satagite ut per bona opera certam vestram electionem faciatis? » Deo enim id curæ est. Deus enim qui nos elegit efficaciter ad gloriam, efficacia quoque nobis dabit media, puta bona opera, quibus hanc gloriam assequamur. Si vero nos non prædestinavit, sed reprobavit, statuitque ponere in serie reproborum, multo minus satagendum nobis est ut bonis operibus reprobationem hanc Dei evadamus : hoc enim nobis tam impossibile est, quam impossibile est Dei decretum refigere et evertere, aut eum cogere ut pro gratia incongrua et inefficaci det nobis congruam et efficacem, quæ sola electos a Deo perducit ad salutem.

Tertio. *Tertio*, quia executio respondet intentioni, et vicissim intentio adæquatur executioni : sicut enim Deus rem facere intendit, ita et eamdem exequitur; qualis ergo est executio, talis est et intentio : atqui in executione Deus non dat gloriam nisi post, per et propter opera bona prævisa, ut Scripturæ docent, et omnes fatentur. Ergo idem facit in intentione et prædestinatione, ut scilicet non intendat dare gloriam, nec ad eam prædestinet, nisi illum, quem præviderit bene operantem, et bonis operibus immorientem; quia non intendit dare gloriam, nisi tanquam mercedem pro merito operum, *Matth.* XX, 8, ac tanquam bravium pro victoria certanti promissum, *Apocal.* III, 5, XII, 21, et II *Timoth.* IV, 8. Quocirca cum dat talem gratiam, cum qua prævidet eum bene operaturum et meriturum gloriam, dicitur eum stricte prædestinare, quia per merita destinat eum ad gloriam, juxta illud S. Augustini, lib. *De Bono perseverantiæ*, cap. XIV : « Prædestinatio est præscientia et præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur. » Cum vero alicui dat gratiam, cum qua prævidet eum male operaturum, ideoque damnandum, non eum reprobat, nec damnat nisi post et ob prævisa demerita : Deus enim ex se cupit et optat ut salvetur, ideoque dat ei gratiam sufficientem, imo copiosam, serio desiderans ut ei cooperetur et salvetur : non enim seligit Deus illi gratiam incongruam hoc fine, quod intendat eum reprobare et damnare, sed prævidet fore incongruam ex eo, quod homo faciet eam incongruam nolendo ei cooperari. Quare physice æqualis, et subinde major datur gratia damnando, quam detur salvando : moraliter tamen salvando gratia majus est beneficium, quia prævidetur fore efficax, ac persuasura homini consensum, eumque certo perductura ad salutem, ideoque est gratia prædestinationis proprie dictæ. Potuisset enim Deus illi dare aliam gratiam cum qua prævidebat eum non cooperaturum, ideoque damnandum; sed noluit, quod sane ingens est beneficium et donum, quia per hoc homo infallibiliter assequitur felicitatem æternam, et evadit mortem æternam.

Ex hisce S. Petri verbis colligimus contra Calvinum et hæreticos, primo, hominem esse liberi arbitrii; secundo, fideles et justos non esse certos de sua perseverantia et salute, sed posse a fide, gratia et salute excidere, uti multi exciderunt, et in dies excidunt : ita definit Concilium Tridentinum, *sess.* VI, can. 23.

Tertio, Gabriel Vasquez, Valentia, Ludovicus Molina et alii, I *disp.*, *Quæst.* XXIII, hinc inferunt electionem ad gloriam a Deo fieri ex prævisis cujusque meritis; ac proinde ex usu liberi arbitrii electorum, vel potius eligendorum, in unam aut alteram partem pro eorum libertate futuro pendere, quod certa sit aut non sit eorum electio et vocatio; atque adeo ut in Deo ab æterno exsti-

terit præscientia, quod per hunc arbitrii usum electionem suam certam facerent, et vitam æternam consequerentur, fuerintque ex æternitate prædestinati, juxta illud S. Augustini : « Qui creavit te sine te, non justificabit, nec salvabit te sine te; » et Theophylactus *in Matth.* XXII : « Dei, ait, est vocare, electos autem fieri aut non fieri, nostrum. » Et S. Ambrosius, lib. V *De Fide*, cap. V : « Non, inquit, ante prædestinavit quam præsciret : sed quorum merita præscivit, eorum præmia prædestinavit. » S. Cyrillus, lib. X *Thesauri*, cap. VI : « Non est meum, ait, dare supremum honorem vobis petentibus, qui reservatus est in præscientia Patris illis quos excessus certaminis commendaverit. » S. Chrysostomus, homil. 35 *in Matth.*, asserit « dignitatem præparatam esse ut coronam vincentibus, et pro ratione certaminis. »

Quarto, ex hisce S. Petri verbis colligunt Doctores, non tantum electionem ad gloriam, sed et ipsam prædestinationem ad gratiam pendere a cooperatione liberi arbitrii, etiamsi hæc illius non sit causa. Ita Gregorius de Valentia, I *part.*, *Quæst.* XXIII, disp. I, puncto 4, sub finem, ubi et apposite solvit hoc dilemma quod plebeios cruciat : Vel sum prædestinatus, vel non sum : si sum, certissimo salvabor; si non sum, certissimo damnabor quidquid egero : indulgebo ergo voluptatibus, quia eis postea frui non licebit. Respondet enim : Si es prædestinatus, bene tibi operandum est; prævisus es enim bene operaturus : quod si nolis operari, signum est te non esse prædestinatum. Ut ergo certam tuam prædestinationem facias, bene operare; et hoc vult S. Petrus cum ait : « Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis. » Si non es prædestinatus et ad gehennam destinatus, causa hujus erit, quia male operaberis. Ne igitur verum sit te non esse prædestinatum, omni tempore tibi pie vivendum est, ne finaliter obstrictus peccatis e vita decedas, id quod potest evenire omni hora : neque enim poteris male vitam finire et damnari, si semper pie vixeris. Perpetuo ergo quisque hunc discursum sibi proponere deberet, eoque se excitare ad studium bonorum operum, quo certam faceret suam electionem. Omnis ille prædestinatus est, qui divinæ gratiæ cooperans, finaliter erit expers peccati mortalis; neque est aliquis non prædestinatus, nisi qui finaliter deprehendetur in peccato mortali. Cum igitur omni hora sim incertus, utrum futurus sit tunc finis vitæ meæ; et longe adhuc incertior, utrum, si tunc peccem, gratiam postea per veram pœnitentiam ante mortem recuperaturus sim, abstinebo, sicut cum divina gratia possum, a peccato mortali omni hora, ut, si id fecero semper, possim probabilius existimare me esse potius ex prædestinatorum, quam ex non prædestinatorum numero; nunquam enim mors me inveniet in peccato mortali, si semper a peccato abstinuero. Quod vero penitus mihi certum non sit, qualis tandem in fine vitæ futurus sim, vereorque ne in peccato vitam sim finiturus, merito me quoque vehementer incitare debet, ut quod incertum mihi est, et ex me tamen cum divina gratia pendet, id ego recte semper vivendo certum eventu ipso efficiam : certissimum enim est nunquam me vitam male finiturum, ac consequenter esse prædestinatum, si semper recte vixero. Et hoc vult S. Petrus, dicens : « Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis. » Hæc Valentia. Hac ergo ratione in cujusque fidelis potestate et arbitrio est, facere ut sit prædestinatus, vel ut non sit. Si enim velit cooperari gratiæ a Deo sibi ad salutem sincere datæ usque ad mortem, uti potest et debet, est et erit prædestinatus; si nolit, non erit : quos enim Deus prævidit sic gratiæ cooperaturos, hos prædestinavit; quos vero prævidit non cooperaturos, illos reprobavit. Pendet ergo tam reprobatio, quam prædestinatio ex prævisione cooperationis nostræ futuræ : cooperatio vero pendet ex arbitrio et libertate cujusque : nec enim Deus ex proposito seligit gratias, facitque ut prædestinatis sint congruæ et efficaces, reprobis incongruæ et inefficaces; sed tam his, quam illis dat gratiam, cum qua possint bene operari et salvari si velint; imo vult, jubet et optat ex animo ut omnes cooperentur et salventur. Quisque ergo gratiæ sibi a Deo ad salutem datæ strenue et constanter cooperetur, atque hac ratione gratiam sibi datam faciet congruam et efficacem, quod Deus vult et optat; ac consequenter erit prædestinatus, non reprobus, quod sane est magnæ dignationis divinæ, æque ac dignitatis et consolationis humanæ.

Dilemma prædestinationis.

Ita sanctus ille, sive vir, sive angelus, qui D. Taulerum viam cœli et perfectionis edocuit, rogatus ab eo : « Quid faceres si te Deus damnare vellet? » respondit : « Duobus brachiis, humilitate scilicet et amore, eum complecterer, cogeremque eum mecum descendere ad infernum, et sic infernus mihi esset paradisus, » uti recensui *Rom.* XII, 2. Cæsarius, lib. I *Histor.*, cap. XXVII, narrat Ludovicum Lantgravium, dum corriperetur a viris probis, respondisse : « Si prædestinatus sum, nulla peccata poterunt mihi regnum cœlorum auferre; si vero præscitus, nulla bona mihi illud valebunt conferre; » atque ideo cuivis flagitio se immersit. Incidit in morbum, et vocavit medicum ut se curaret; cui medicus, ut animæ potius quam corporis morbum sanaret : « Domine, inquit, si venit dies mortis tuæ, non te poterit cura mea morti subtrahere; si vero moriturus non es, superflua erit medicina mea. » Et ille : « Quomodo sic respondes? si mihi non fuerit adhibita cura, potero ante tempus mori. » Tum medicus : « Domine, inquit, si credis vitam tuam posse protelari virtute medicinæ, quare hoc credere renuis de pœnitentia et operibus justitiæ, quæ sunt antidota animæ? Sine his anima mori-

Exem pla.

tur, sine his ad sanitatem quæ est in futura vita, nemo pervenit. » Cui Lantgravius convictus : « De cætero, ait, medicus esto animæ meæ, quia per linguam tuam medicinalem Deus me liberavit a maximo errore. »

Simile est quod refert Ludolphus lib. *De Vita Christi*, part. II, cap. L, de quodam monacho, cujus socius cum sibi revelatum diceret ipsum esse de numero damnandorum, respondit : « Benedictus Deus, nec tamen sic desperabo, sed pœnitentiam quam per ingressum Religionis assumpsi, de cætero duplicabo et triplicabo, donec gratiam et misericordiam apud Deum altissimum, qui pius est, inveniam, » et post multos dies iterum socio ejus divinitus revelatum est, ipsum esse de numero salvandorum.

Huc facit illud nostri Thomæ Theodidacti, lib. I *De Imit. Christi*, cap. XXV : « Cum, inquit, quidam anxius inter metum et spem frequenter fluctuaret, et quadam vice mœrore confectus, in ecclesia ante quoddam altare se in oratione prostravisset, hæc intra se evolvit, dicens : O si scirem quod adhuc perseveraturus essem! Statimque audivit intus divinum responsum : Quid, si hoc scires, facere velles? Fac nunc quod tunc facere velles, et bene securus eris; moxque consolatus et confortatus, divinæ se commisit voluntati, » etc.

Similia legimus in Vitis Patrum, S. Francisci, S. Ægidii aliorumque Sanctorum.

Moraliter : Hinc disce quam studendum sit sanctitati et bonis operibus. Certum enim signum (imo et causa) quod quis a Deo sit prædestinatus et electus ad gloriam, est, si assidue vacet operibus humilitatis, charitatis, pœnitentiæ, patientiæ, pietatis, obedientiæ, religionis, etc.; hoc est quod succinens S. Petro ait S. Paulus : « Firmum fundamentum Dei stat habens signaculum hoc : Cognovit Dominus qui sunt ejus, et discedat ab iniquitate omnis qui invocat nomen Domini, » II *Timoth.* II, 19. Nemo enim potest recedere a peccatis, nisi accedat ad virtutes, et earum opera exerceat.

Tria signa prædestinationis.

Unde S. Bernardus, homil. 2 *in Octava Paschæ*, tria dat signa prædestinationis, significata a S. Joanne, *epist.* I, cap. V, vers. 8, cum ait : « Tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua et sanguis, » nimirum bonam operationem, pœnitentiam et continentiam; ac tandem summatim concludens : « Jam, inquit, ut breviter repetam, a sanguine, aqua et spiritu habere testimonium est, si contines a peccatis, si dignos agis pœnitentiæ fructus, si facis opera vitæ. » Quocirca veri Religiosi qui toti hisce vacant, certum habent signum suæ prædestinationis, juxta illud Christi : « Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit, *Matth.* cap. XIX, 29. Vide Hieronymum Platum, *De Bono status relig.*, lib. I, cap. XXXII. Ruffinus in *Vitis Patrum*, lib. III, num. 108, narrat S. Antonium hæc tria salutis media dedisse. *Primum* : « Quocumque vadis, Deum semper præ oculis habe. » *Secundum* : « In his quæ agis, adhibe testificationem S. Scripturæ. » *Tertium* : « In quocumque loco sederis, non cito movearis. Hæc tria custodi, et salvus eris. » Rursum in *Vitis Patrum* legimus Abbatem Joseph dixisse : « Ordinem Deo gratum esse, quando aliquis omnia opera sua facit munda coram Deo, nihil habens humanum. » Ibidem Abbas Joannes hoc salutis dat præceptum : « Per singulos dies surgens mane de omni virtute sume principium, et mandatum Dei custodi in magna patientia, longanimitate, humilitate, charitate : neque teipsum exalta, sed esto subditus et humilior omni creatura. »

Præclare S. Augustinus, serm. 112 *De Temp.* : « Beata, ait, vita est cognitio divinitatis; cognitio divinitatis virtus boni operis est; virtus boni operis fructus est æternæ beatitudinis. » Deinde docet huc conferre lectionem S. Scripturæ : « Qui vult, ait, cum Deo semper esse, frequenter debet orare et legere; nam cum oramus, ipsi cum Deo loquimur : cum vero legimus, Deus nobiscum loquitur, etc.; sed ille beatissimus est, qui divinas Scripturas vertit in opera. » Id significat parabola operariorum, quos Deus mittens in vineam, vespere dedit eis denarium vitæ æternæ, quasi operis mercedem, *Matth.* XX; et *Matth.* cap. XXV, vers. 34, Christus judex bene operantibus assignat gloriam, male operantibus gehennam. « Venite, inquit, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare, » etc. Quocirca Abbas Athanasius cupiens videre fructum laborantium et certantium, in visione vidit locum plenum luminis et gloriæ, audivitque multitudinem innumerabilem laudantium Deum; cumque pulsaret velletque ingredi, audivit : « Non huc ingredietur quispiam in negligentia degens; sed si intrare vultis, abite, certate, nihil æstimantes vanitates sæculi. » Ita Joannes Moschus in *Prato Spir.*, cap. CXXX. S. Theresia hæc tria habebat in votis, eaque assidue postulabat a Deo, dicens : « Domine, da mihi te amare, pro te operari et pati, aut mori. » Causa est quam dat S. Bernardus, *De Convers. ad Cler.*, cap. XV : « Nec enim, inquit, opera nostra transeunt, ut videntur, sed temporalia quæque velut æternitatis semina jaciuntur. Stupebit insipiens cum ex hoc modico semine copiosam viderit exurgere messem, seu bonam, seu malam, pro diversa qualitate sementis. » Idem, serm. 1 *De Annuntiat.* : « De bonis, ait, operibus argumentum efficax mihi est resurrectio ejus (Christi), quia resurrexit propter justificationem nostram. Porro de spe præmiorum testimonium ejus est ascensio, quia ascendit propter glorificationem nostram. »

Denique hæc orthodoxa veritas adeo consonat Gentili-

lium gnomæ.

cum hominis libertate rerumque natura, ut eamdem viderint, licet per umbram, Philosophi et Poetæ, quorum illa est gnome : « Cum Minerva quoque manum move; » orta vel ab agasone, cujus asinus cum luto infixus hæreret, deberetque illi succurrere, otiosus Herculem implorabat. Huic respondit Deus : « Admove manum asino laboranti, ita demum numen tibi aderit. » Vel a palæstrita, qui in palæstra luctaturus Minervam consuluit num futurus esset victor, audiitque fore. Verum cum ille ingressus in theatrum, in certamine manibus staret otiosis, percussum ab adversario victum fuisse. Huc facit illud Aristotelis, lib. V *Moral. Eudem.* : « Fortunam ut ars, ita fortuna artem amat invicem; » et illud Suidæ : « Fac interim aliquid ipse, dein Deos voca. » Celebre est illud Græcorum : « Dii bona laboribus vendunt. » Et illud Virgilii *Georg.* :

Labor omnia vincit
Improbus.

et illud Horatii :

Perrupit Acheronta Herculeus labor.

Et illud Antiphanis : « Domat atque subigit cuncta diligentia; » et illud Senecæ, lib. II *De Ira* : « Nihil est tam difficile et arduum, quod non humana mens vincat; » nimirum : « Exercitatio potest omnia. » Id videre est in S. Antonio, Macario, Onuphrio, Simeone Stylita cæterisque Ascetis, quos recenset Theodoretus in *Philotheo*, Palladius in *Lausiaca*, Evagrius in *Vitis Patrum*, qui assidua sua exercitatione non tantum sibi, sed et cibo, potui, somno, aeri totique mundo, ac Deo ipsi dominati sunt.

HÆC ENIM FACIENTES NON PECCABITIS ALIQUANDO. — Hic est syllogismus S. Petri : Quicumque non peccat, seque purum a peccato conservat, hic certam facit suam vocationem et electionem, tum ad gratiam, tum consequenter ad gloriam; atqui qui satagit studetque bonis operibus, hic non peccat : ergo qui satagit studetque bonis operibus, certam facit suam vocationem et electionem. Hoc autem tanti est, ut S. Ægidius, socius S. Francisci, dixerit : « Si unus tantum homo damnandus esset, cæterique omnes salvandi, ego totis viribus anniterer ne essem ille solus. » Quam ergo nunc annitendum est, ubi tot damnandi sunt, et tam pauci salvandi!

Pro *non peccabitis* græce est μὴ πταίσητε, id est *non cadetis*, scilicet in peccatum; Pagninus et Tigurina, *nequaquam labemini*; S. Ambrosius, lib. III *De Fide*, cap. VI, *non errabitis*, peccando scilicet. Peccatum enim est error practicus, puta error vitæ et morum, juxta illud *Proverb.* XIV, 21 : « Errant qui operantur malum; » indicant enim eligendam sibi esse cupiditatem, v. g. gulæ, libidinis, ambitionis præ Deo et cœlo, qui sane ingens est error ingensque imprudentia. Hinc Antiphanes apud S. Irenæum, lib. II, cap. XIX, ait Cupidinem genitum esse de chao et nocte, puta de confusione et ignorantia. Peccatum hic intellige perfectum, puta mortale, quod hominem a Dei gratia et salute divellit. Certum enim est prædestinatos et justos aliquando peccare venialiter (1).

11. SIC ENIM ABUNDANTER MINISTRABITUR (ἐπιχορηγηθήσεται, id est *suppeditabitur*, dabitur, præstabitur) VOBIS INTROITUS IN ÆTERNUM REGNUM DOMINI NOSTRI. — Explicat hic vocationem et electionem fidelium, ejusque finem et præmium, *q. d.* Per bona opera et virtutes jam dictas dabitur vobis ingens et amplus aditus in cœlum, ad felicitatem et gloriam æternam : ergo per eadem certam facietis vocationem et electionem vestram; hæc enim non alio tendit, quam ad cœlestem felicitatem et gloriam. Vers. 11.

Nota : Voce *abundanter*, græce πλουσίως, id est *diviter, opulenter*, perstringit *primo*, Simonem Magum, qui docebat non sufficere Christum, eo quod ab angelis impediri possit ingressus in cœlum : nam ex adverso « sanguis Christi est clavis paradisi, » ait S. Hieronymus *ad Dardanum*, epist. 129, et crux Christi sustulit flammeum et versatilem gladium appositum paradiso, ut ait Cosmas Hierosolymitanus, *ode* 5. *Secundo*, insinuat fideles debere abundare bonis operibus; sic enim abundaturos pariter gratia in hac vita, et gloria in cœlo : « introitus enim in regnum cœlorum » metonymice significat ipsum regnum cœlorum, puta ipsam felicitatem et gloriam cœlestem : ad eam enim fit introitus Beatorum. Hoc est quod ait Paulus, II *Corinth.* IX, 6 : « Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet. » Et vers. 8 : « Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes abundetis in omne opus bonum, sicut scriptum est : Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi, » etc. *Tertio*, S. Ambrosius, lib. III *De Fide*, cap. VI, legit *abundantius*, quo significatur Deum nostra opera abundantius et magis remunerari, quam ipsa in se mereantur : Deus enim punit citra condignum, sed præmiat ultra condignum, ut aiunt Theologi.

Præclare S. Augustinus, serm. 18 *De Verb. Dom.*, cap. XVII : « Regnum Dei, ait, crescente possessorum numero, non minuitur, quia non dividitur; unicuique integrum est, quod concorditer habetur a multis. » Auctor *Manualis* apud S. Augustinum, cap. VIII : « Regnum, ait, cœlorum regnum felicissimum, regnum carens morte et vacans fine, cui nulla tempora succedunt per ævum, ubi continuus sine nocte dies nescit habere tempus, ubi victor miles donis ineffabilibus coronatur. »

12. PROPTER QUOD INCIPIAM. — Græce οὐκ ἀμελήσω, Vers. 12.

(1) Τὸ *non peccabitis aliquando* alii interpretantur, *non unquam spe excidetis*, nunquam spes vestra frustrabitur. Πταίειν enim, scil. ἐλπίδος, *spe excidere*.

id est *non negligam*, non desinam, non cessabo ; alii legunt, οὐ μελλήσω, id est, *non cunctabor*, non procrastinabo, non differam in futurum, sed nunc *incipiam*, ut vertit Noster. Unde μέλλημα vocatur *cunctatio*, mora, dilatio, procrastinatio. Ubi nota fervorem S. Petri, qui jam senex et morti vicinus, ait se incipere et inchoare munus pastorale. Sic Psaltes ait : Dixi, nunc cœpi ; et S. Antonius apud S. Athanasium suos docebat ut quotidie cogitarent : « Hodie incipiam Deo servire, forte hodie et finiam ; » et S. Franciscus sub mortem : « Fratres, ait, incipiamus Deo servire : hucusque enim nihil fecimus. » Ita S. Bonaventura in ejus Vita. Abbas Pambo moriturus post multos magnosque virtutum labores et agones, adeo ut nunquam dixerit verbum cujus eum pœniteret : « Ego, inquit, sic vado ad Dominum, quasi qui necdum initium fecerim serviendi Deo. » Ita Vitæ SS. Patrum.

Sancti semper incipiunt

VOS SEMPER COMMONERE, — ὑπομιμνήσκειν, id est *commonefacere*, in memoriam revocare. Pastoris, prædicatoris et superioris est subditis sæpe in mentem revocare leges Dei, ad vocationem suam obligationes et vota, ac stimulos ad ea servanda : frequenter enim oportet reminisci, quod mundus iste cogit oblivisci : partim enim infirmitas memoriæ, partim varietas occupationum, partim species et illecebræ mundi faciunt hominem obHvisci suæ salutis, obligationis et virtutis. Superior ergo hæc illis crebro refricare et suggerere debet, tum ad memoriam, tum potius ad voluntatem torpentem excitandam et acuendam : ideoque fervida oratione et spiritu hæc eis inculcet oportet, ut eos ad eorum praxin accendat et inflammet, juxta illud *Isaiæ* LVIII, 1 : « Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum ; » et cap. LXII, 6 : « Super muros tuos Jerusalem constitui custodes, tota die, et tota nocte in perpetuum non tacebunt. Qui reminiscimini Domini, ne taceatis, et ne detis silentium ei, donec stabiliat, et donec ponat Jerusalem laudem in terra ; » et S. Paulus ita præcepit Timotheo, *epist.* II, cap. IV, vers. 2 : « Prædica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina. »

Superioris est commonefacere.

Præclare S. Gregorius, lib. II *Registri*, epist. 39 : « Episcopi, ait, est de prædicationis ministerio semper cogitare, intentissimo timore considerans, quod recessurus ad percipiendum regnum Dominus, et talenta servis distribuens dicat : Negotiamini dum venio. Quod profecto negotium tunc vere nos agimus, si vivendo et loquendo proximorum animas lucramur, si infirmos in superno amore roboramus, si protervos et tumidos gehennæ supplicia terribiliter intonando flectimus, si nulli contra veritatem parcimus, si supernis amicitiis dediti humanas inimicitias non timemus. » Idem rursum : « Lingua Episcopi fomentum sit bonis, aculeus malis ; tumidos retundat, iratos mitiget, pigros ac desides exacuat ac succendat ; asperis blandiatur, desperatos consoletur. » Talis fuit Isaias, cujus proinde labia Seraphinus unus purgavit et accendit calculo ignito, ut alios deinde ignirent, *Isaiæ* VI ; et S. Bernardus XXXIII *in Cant.* : « Oportet plane, ait, hoc vino zeli æstuet, qui aliis præsidet, quemadmodum doctor Gentium æstuabat, quando dicebat : Quis infirmatur, et ego non infirmor ? quis scandalizatur, et ego non uror ? Alioquin improbe satis præesse affectas, quibus prodesse non curas, et quorum non zelas salutem, subjectionem nimis ambitiose vindicas tibi. »

DE HIS, — ut scilicet virtutibus jam recensitis incumbatis, « utque per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis. »

ET QUIDEM SCIENTES ET CONFIRMATOS. — Clare Pagninus et Tigurina, « tametsi sciatis et confirmati sitis in præsenti veritate. » Dormit enim in fideli sæpe fides, et scientia Dei et salutis ; sed vox Pastoris et concionatoris eam a somno excitat, acuit et quasi vivificat, facitque ut non sit otiosa et speculativa, sed practica, operosa et negotiosa.

13. JUSTUM AUTEM (enim) ARBITROR. — Rationem dat cur velit eos commonefacere, quia scilicet id justum, id est, æquum est, imo debitum : id enim exigit munus pascendi fideles omnes, sibi a Christo commissum et demandatum, *Joannis* XXI, 16. Ita Petrus Damianus, lib. III, epist. 8 *ad Archiepiscopum Bisuntinum*, citatis hisce S. Petri verbis : « In verbis plane suis, inquit, bonus pastor ostendit, quia non sibi, sed discipulis suis vivere volebat et mori : » usque ad mortem enim, imo moriendo oves suas pavit et docuit, æque ac Joannes, S. Cyprianus aliique pastores Apostolici.

Vers. 13.

QUAMDIU SUM IN HOC TABERNACULO. — Corpus vocat tabernaculum, non quod anima illi duntaxat assistat, uti navarchus assistit navi, illudque inhabitet, ut voluit Plato : constat enim animam esse formam corporis, illudque informando unum compositum, puta hominem constituere ; sed *primo*, quod brevis sit hæc vita : sicut enim in tabernaculo solet esse brevis mora, sic et brevis est mora animæ in hoc corpore.

Corpus est tabernaculum animæ.

Primo.

Secundo, quia sicut in domo homo quiescit, in tabernaculo degens proficiscitur, sic et anima in corpore hoc non quiescit, sed assidue movetur, et tendit, imo currit ad mortem, et per mortem ad immortalitatem. « Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus, » *Hebr.* XIII, 14.

Secundo

Tertio, vox tabernaculi refricat nobis, quod in hoc corpore et vita non simus inquilini, sed peregrini : sumus enim cives cœli et sanctorum, ac domestici Dei, *Ephes.* II, 19. Sic de Christo e cœlis in corpus descendente, ait S. Joannes, cap. I, vers. 14 : « Verbum caro factum est, et habitavit ἐσκήνωσε, id est, tabernaculum fixit, in nobis. » Quin et Seneca, *epist.* 71 : « Vis, ait, adversus hoc corpus liber esse ? tanquam migraturus habita : propono tibi quandoque hoc contubernio carendum ; for-

Tertio.

tior eris ad necessitatem exeundi. » Idem, *epist.* 72 : « Ante senectutem, ait, curavi ut bene viverem, in senectute ut bene moriar, bene autem mori est libenter mori; ut satis vixerimus, nec anni, nec dies faciunt, sed animus. » Idem alibi docet mortem non esse aliud quam malorum carentiam; quid ergo dixisset, si beatam vitam Christianis promissam cognovisset?

Quarto, sicut miles degit in tabernaculo, ita et fidelis in corpore : assidua enim ei pugna est cum carne, mundo et diabolo.

Præclare Tertullianus *ad Martyres,* cap. III : « Vocati sumus, ait, ad militiam Dei vivi jam tunc, cum in sacramenti verba respondimus. Nemo miles ad bellum cum deliciis venit, nec de cubiculo ad aciem procedit, sed de papilionibus expeditis et substrictis, ubi omnis duritia, et imbonitas, et insuavitas constitit. Etiam in pace, labore et incommodis bellum pati jam ediscunt, in armis deambulando, campum decurrendo, fossam moliendo, testudinem desiccando. Sudore omnia constant, ne corpora atque animi expavescant : de umbra ad solem, de sole ad cœlum, de tunica ad loricam, de silentio ad clamorem, de quiete ad tumultum. Proinde vos benedictæ quodcumque hoc durum ad exercitationem, virtutem animi et corporis deputate. »

Quinto *Quinto,* sicut degens in tabernaculo multas patitur angustias, incommoda, necessitates, defectus lecti, sedis, foci, cibi, potus, etc. : sic et in hoc corpore plurimos patimur defectus, ærumnas et incommoda. Rursum sicut tabernaculum pluvia, ventis aliisque aeris vel hostis injuriis frangitur, aut putrefit et corrumpitur, sic et corpus.

Sexto. *Sexto,* sicut degens in tabernaculo aspirat ad domum, ita fidelis in hoc corpore suspirat ad cœlum, juxta illud S. Pauli, *Philipp.* I, 11 : « Mihi vivere Christus est, et mori lucrum; » et vers. 13 : « Cupio dissolvi et esse cum Christo; » et II *Corinth.* V, 4 : « Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam æternam in cœlis : nam et in hoc ingemiscimus, habitationem nostram quæ de cœlo est, superindui cupientes. Nam et qui sumus in hoc tabernaculo ingemiscimus gravati, eo quod nolumus expoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur quod mortale est a vita. » Ita B. Aloysius Gonzaga moriturus, de morte loquebatur quasi de migratione ex uno cubiculo in aliud, sed melius et diuturnius. Idem cum S. Petro dicat fidelis quisque. Præclare S. Cyprianus, tract. *De Mortal.* : « Patriam nostram, inquit, paradisum computamus : parentes Patriarchas jam habere cœpimus; quid non properamus et currimus, ut patriam nostram videre, ut parentes salutare possimus? » Idem *epist.* 56 : « Si mortem, ait, possemus evadere, merito mortem timeremus : porro autem cum mortalem mori necesse sit, amplectamur occasionem de divina promissione et dignatione venientem, et fungamur exitu mortis cum præmio immortalitatis. »

Septimo, quia corpus instar tabernaculi pelle compingitur, nervis quasi funibus tenditur, ossibus quasi palis solidatur, pedibus quasi clavis figitur. Anima vero corpore quasi tabernaculo vestitur, et tegitur, perque illud prospicit, audit, sentit, agit et operatur, donec illud reformetur, perficiatur et beetur in resurrectione. Septimo.

Alludit ad tabernacula Hebræorum, quibus ipsi usi sunt in deserto tendentes in terram promissam, in quorum memoriam posteri celebrarunt festum Tabernaculorum. Hæc enim significabant nos hic velut peregrinos agere in corpore quasi in tabernaculo, et tendere ad patriam, puta in cœlum. In hac ergo vita et corpore agimus juge festum Tabernaculorum, in cœlo acturi perenne Pascha. Vide dicta *Levit.* XXIII, 34.

SUSCITARE (torpentes et quasi dormientes excitare et accendere) VOS IN COMMONITIONE — mea admonitione, græce ὑπομνήσει, id est *recordatione,* et in memoriam revocatione, uti paulo ante dixit.

14. CERTUS, — εἰδώς, *sciens certo,* scilicet per Dei revelationem, ut sequitur. Vers. 14.

QUOD VELOX EST DEPOSITIO TABERNACULI MEI — quod brevi moriar et crucifigar, ac e morte et cruce evolabo in cœlum ad meum Jesum. Hæc ergo sunt ultima monita, et quasi cycneæ voces S. Petri, ideoque ardentes et efficaces. Sic Christus, Jacob, Moses, David, Tobias morituri ultima suis dederunt monita.

SECUNDUM QUOD ET DOMINUS NOSTER JESUS CHRISTUS SIGNIFICAVIT MIHI, — ἐδήλωσε, *manifestavit.* Hinc patet Christum S. Petro sub mortem et martyrium apparuisse, eique illud præsignificasse. Extat juxta Romam via Appia sacellum, in quo fertur Christus Petro e carcere rogatu fidelium fugienti apparuisse, ac roganti : « Domine, quo vadis! » respondisse : « Vado Romam ut iterum crucifigar? » Unde intellexisse S. Petrum se a Christo vocari ad crucem, ideoque in carcerem rediisse, ac paulo post crucifixum esse. Idem narrant et testantur S. Ambrosius, *epist.* 33; S. Gregorius in *Psalm.* IV *Pœnit.,* Acta S. Processi et Martini, Hegesippus, lib. III *De Excidio Jerusalem,* cap. II. Addit Metaphrastes apud Surium, die 29 junii, S. Petrum, cum diu egisset in Britannia, audiisse ab angelo : « Petre, instat tempus tuæ resolutionis, et oportet te ire Romam; in qua cum mortem per crucem sustinueris, recipies mercedem justitiæ. » Sed hujus auctoris dubia est fides; præsertim quia ibidem asserit S. Linum ante Petrum esse defunctum, quod constat esse falsum : Linus enim successit S. Petro in Pontificatu. Sive ergo illa apparitione, sive alia anteriori (illa enim in via Appia sub mortem S. Petri, ideoque post scriptam hanc epistolam contigisse videtur) id factum sit, certum est Christum idipsum revelasse S. Petro. Videtur enim ei, utpote vicario suo sæpius apparuisse, uti sæ-

pius apparuit S. Paulo, ut patet *Actor.* IX, 5; *Actor.* XVIII, 9; *Actor.* XXII, 17; *Actor.* XXIII, 11.

Simili modo Christus S. Pio I Pontifici, S. Polycarpo, S. Cypriano, aliisque Pontificibus illo ævo revelavit instantem mortem et martyrium, ut ad eam se compararent.

Brevis vita Pontificum. Moraliter S. Petrus dat exemplum Pontificibus et Principibus, cogitandi et desiderandi velocem mortem et transitum ad Deum; nimirum : « Omnis potentatus brevis vita, » *Eccli.* X, 11. Id verissimum esse in Pontificibus experientia perpetua docuit; nam nemo eorum a Christo hucusque æquavit annos S. Petri; nemo, inquam, sedit in Pontificatu annos 24 completos, uti sedit S. Petrus. Proxime ad eos accessit Adrianus I, qui sedit annos 23, deinde Alexander III, qui 21, mox S. Sylvester et S. Leo : uterque enim sedit annos 20. Plurimi non sederunt nisi annos sex vel septem, imo permulti ad paucos tantum menses vel dies. A trecentis annis nullus Pontificum ante Paulum V sedit annos sedecim, nisi unus Eugenius IV. Denique cum a Christo usque ad annum hunc jubilæum 1625, sederint Romæ Pontifices 239, si in eos partiaris annos a Christo elapsos 1625, cuique vix obtingent sex anni cum dimidio. Annon ergo velox fuit depositio tabernaculi Pontificum omnium? imo multo magis quam ipsius S. Petri? Ite nunc, mortales, ambite tiaras, quærite infulas, eas cum vita post paucos annos et forte dies posituri, de iisque exactam Deo rationem reddituri. « Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis. »

Vers 15. 15. DABO AUTEM OPERAM ET FREQUENTER. — Græcum ἑκάστοτε tripliciter verti potest. *Primo*, *frequenter*; *secundo*, *semper* et quotidie, *q. d.* καθ' ἑκάστην ἡμέραν, id est *per singulos dies*. Ita Vatablus. *Tertio*, *sigillatim*. Ita Pagninus, *q. d.* Singulorum vestrum quasi ovium mearum curam geram, non solum in vita, sed et post mortem.

HABERE VOS POST OBITUM MEUM. — « Habere, » scilicet in mente et memoria mea, ut crebro vestri sim memor apud Deum, eumque pro vobis orem, ut horum monitorum meorum memoriam vobis refricet. Ita Œcumenius, Salmeron, Catharinus, Gagneius, et alii hic; Petrus Damianus, lib. III, *epist.* 8; Suarez, III *part.*, tom. II, disp. 23; Bellarminus, lib. I *De Sanctis*, cap. XVIII. Unde S. Chrysostomus, orat. *in princ. Apost.*, S. Petri opem invocans, citans hæc ejus verba ita legit : « Succlamas enim, B. Petre, sic dicens : Studebo post meum obitum vestri memoriam facere. » Huc facit quod S. Clemens, *epist.* 1, ait S. Petrum sibi dixisse : « Certus esto quod necesse est te suscipere omne periculum, quia nec ego pro salute omnium obsecrando cessabo. » Sic Græci dicunt ἔχω μνήμης, id est *habeo in memoria*, hoc est reminiscor.

Habere pro *posse*. *Secundo*, Erasmus, Vatablus, Clarius, Adamus et Cajetanus, Græcum ἔχειν, id est *habere*, vertunt *posse*, ut hæc sit sententia : « Dabo operam frequenter posse vos post exitum meum horum mentionem facere, » sive orando Deum pro vobis; sive mandando hæc ipsa litteris, quas crebro relegatis; sive commendando S. Lino, Cleto et Clementi, successoribus meis, ut horum memoriam crebro refricent. Sic Græci dicunt, ἔχω δεικνύειν, id est *possum ostendere*; ἔχω φροντίζειν, *possum considerare*, vel considerandum mihi est. Et Plato, lib. II *De Republ.*, οὐκ ἔχω ὅπως βοηθῶ, id est *non possum succurrere*. Sic Latini dicunt, *habeo dicere*, id est possum dicere, teste Gellio, lib. XVII, cap. XX; habeo polliceri, id est, possum polliceri. Sic hic « habere vos, » id est posse vos horum memoriam facere, aut planius habere, scilicet סבבה *sibba*, id est *occasionem*, et *monumentum*, vel *monitores*, *q. d.* Dabo operam ut post obitum meum relinquam vobis monumentum, puta hanc epistolam similemve, ac monitores, puta S. Linum, Clementem aliosque, ac præsertim Deum ejusque sanctas inspirationes (quas precibus meis vobis accersam), qui horum memoriam vobis frequenter renovent. Hic sensus valde planus, facilis et obvius est. Hoc est quod ait Psaltes *Psalm.* XLIV, vers. 17 : « Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, » quod explicans S. Augustinus ibidem : « Pro Apostolis, ait, constituti sunt Episcopi. Non ergo te putes desertam, o Ecclesia, quia non vides Petrum, quia non vides Paulum, quia non vides illos per quos nata es : de prole tua tibi crevit paternitas. Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram. »

Tertio, ἔχειν potest verti, *impellere*, agere, dirigere, incitare, *q. d.* Agam, dirigam et impellam vos ut horum reminiscamini. Sic Homerus *Iliad.* III, ait : ἔχει ὠκέας ἵππους, id est *agitavit et impulit veloces equos*. Hic sensus huic loco congruus et appositus est (1). S. Petrus enim est auriga Ecclesiæ, fideles agens et agitans ad bonum, etiam cum in cœlis Deo fruitur, ut illi potius quam Eliæ dicere possis istud Elisei : « Pater mi, tu es currus Israel et auriga ejus, » IV *Regum*, II, 12. Idem significat Latinum *habere*, ut cum dicimus : habe illum arcte et duriter, id est, tractat et regi illum arcte et duriter. Sic Plautus in *Menæch.* : « Nimium, ait, habui te delicatum. » Terentius in *Hecyra* : « Nunquam secus habui illam, ac si ex me esset nata. » Cato : « Villica villam conversam mundamque habeat, focum purum conversum quotidie prius quam cubitum eat, habeat, » id est sollicite servet et curet. Hinc patet S. Petrum et Sanctos vita functos curare res mortalium, ideoque esse invocandos.

Nota hic amorem, curam et sollicitudinem S. Petri circa fideles totamque Ecclesiam, utpote quam etiam post mortem semper conservaturum se promittit; et uti promisit, ita reipsa præstat : inde enim manat constantia Romanæ Ecclesiæ in fide et pietate orthodoxa, ac præsertim continua in eadem successio Romanorum Pontificum per

(1) Imo genuinus.

annos 1625; eaque inter tot persecutores, hæreses et hostes inviolata, firma et inconcussa. Hoc sane post Christum debet S. Petro, utpote primo suo Pastori et Pontifici : ut merito ab eo sperare et postulare possit deinceps continuationem hujus ejus patrocinii; ejusque clientelæ se totam committere, certa quod tanto duce et protectore, utpote super ipsum quasi super petram solidissimam a Christo fundata, durabit in perpetuum, nec unquam portæ inferi illi prævalebunt, *Matth.* cap. XVI, vers. 18.

Vers. 16. 16. NON ENIM. — Τὸ *enim* dat causam, *q. d.* Si fabulas vobis tradidissem, mors mihi imminens moneret et cogeret me ad pœnitendum, et eas retractandum; sed vera sunt, non fabulosa quæ tradidi : quare non cessabo, ne post mortem quidem, ea vobis inculcare.

DOCTAS FABULAS SECUTI. — Beda, Lyranus, Cajetanus, Adamus et alii pro *doctas* legunt *indoctas*. Verum Biblia Romana legunt *doctas* : græce σεσοφισμένους, id est, *sapienter instructas*, ingeniose confictas, ad persuadendum compositas, captiosas, sophisticas. Unde Pagninus vertit, *fallaces*; Tigurina, *arte compositas*; Vatablus, *argutas et ad fallendum confictas*.

Fabulæ Gentium. Taxat Gentilium, Judæorum et hæreticorum fabulas. Gentilium, quia Philosophi et Poetæ multa finxerunt de Jove, Marte; Diana, eorumque generatione, apparitione, dictis et factis; itaque eorum cultum et idololatriam populo persuaserunt : maxime vero perstringit Jovis et deorum metamorphoses sive transformationes in taurum, aves et bestias, quibus eorum obscenitatem velabant, imo repræsentabant, itaque ad eamdem populum alliciebant, quas fuse describit Ovidius in *Metamorph.*, et confutant Athenagoras, Justinus, Tertullianus, Lactantius, scribentes pro Christianis contra Gentiles.

Judæorum, Hæreticorum. Judæorum, quia Judæi pleni sunt fabulis, ut patet ex Thalmud et Rabbinis. Hæreticorum, quia tunc Simon Magus, quia Magus, se in varias formas transformabat, docebatque se in Judæa apparuisse ut Dei Filium, in Samaria ut Patrem, in reliquis Gentibus ut Spiritum Sanctum, teste Irenæo, lib I. Vide dicta *Actor.* VIII, 20. Magis fabulosi fuere Valentiniani paulo post S. Petrum exorti, qui triginta Æonum somnia et portenta ediderunt : quos confutarunt Irenæus, Tertullianus, Epiphanius et alii. Similes fuere ii qui se Gnosticos, id est, scientes et doctos, appellabant, quibus similes sunt moderni hæretici, politici et athei, qui se sapientes quasi novos Gnosticos jactitant. Omnis enim error et hæresis cum sit superba, suam ignorantiam tegit jactantia et arrogantia sapientiæ, cum non nisi fabulas venditet. Unde Theodoretus earum catalogum inscribit : «Compendium hæreticarum fabularum.» S. Athanasius, orat. 1 *Contra Arianos*, « hæreticos » vocat *bestias lucifugas*; Irenæus, lib. I, cap. XXXIII, *fungos*; S. Augustinus, lib. *De Hæres.*, sub finem, *fabulones*, quibus vere competit illud Apostoli, *Rom.* I, 22 : « Dicentes se esse sapientes, » et gnosticos, id est, scientes et doctos, «stulti facti sunt.» Quocirca Irenæus, lib. 1, cap. XXXV : « Victoria est, inquit, sententiæ vestræ manifestatio. » Et S. Hieronymus *ad Ctesiphontem* : « Sententias vestras prodidisse, superasse est. » Vere Psaltes : « Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua, » *Psal.* CXVIII, 85.

NOTAM FECIMUS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI VIRTUTEM, — δύναμιν, id est *vim*, potentiam, efficaciam, tum expiandi peccata, tum mores corrigendi, tum miracula patrandi, tum salvandi et beandi, tum orbem convertendi. Hæc vis eo major apparet, quod orbem domuerit non ferro, sed ligno; non pugnando, sed patiendo. « Crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei, » ait Paulus, II *Corinth.* XIII, 4, de quo pulchre disserit S. Leo, serm. 8 *De Quadrages.* Perstringit Simonem Magum qui se pro Christo venditabat, seque vocabat virtutem Dei, *Actor.* VIII, 20, *q. d.* Nos prædicamus Christum esse Dei virtutem et sapientiam, non Simonem Magum. Sic Paulus ait I *Corinth.* I, 23 : « Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis Christum Dei virtutem et Dei sapientiam. »

ET PRÆSENTIAM. — Ita Romana. Idque significat Græcum παρουσίαν; Pagninus et Tigurina vertunt, *adventum*. Male ergo aliqui legunt *præscientiam*. Sensus est, *q. d.* Christus Dei Filius ad nos non tantum descendit per virtutem et operationem, sed per præsentiam ac substantiam : hanc enim nobis spectandam exhibuit, cum « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. » Adamus παρουσίαν explicat περιουσίαν, id est *copiam*, opulentiam, præstantiam; sed hoc novum videtur et insolens. Alii intelligunt adventum Christi ad judicium : hic enim erit cum majestate, ejusque typus fuit Christi transfiguratio, de qua sequitur.

SED SPECULATORES, — ἐπόπται, id est *inspectores*, indagatores exacti, oculati testes. Rursum ἐπόπται vocantur mystæ et sacerdotes seniores et primarii, quibus sacra et mysteria inspicere et intueri licebat, quæ populo tantum velata quasi credenda proponebantur. Ita ex Suida Budæus in *Comment. linguæ Græcæ*, pag. 338. Sic enim mystes et ἐπόπτης, hoc est *inspector*, gloriæ Christi fuit S. Petrus in ejus transfiguratione. Sic S. Gregorius Nazianzenus, *orat.* 19 et 34, Isaiam, Ezechielem et similes Prophetas vocat Seraphinorum, Cherubinorum et investigabilium Dei judiciorum ἐπόπτας καὶ θεωρούς. Et Plato in *Sympos.* sacra amoris vocat ἐποπτικά, id est *sacratiora*, magis arcana, et paucis iisque eximiis perspecta. Unde Pagninus et Tigurina hoc loco vertunt : « Sed qui oculis nostris aspeximus illius majestatem, » juxta illud I *Joan.* I, 1 : « Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspe-

xîmus, quod manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ; et vita manifestata est, et vidimus et testamur, » etc. Sensus est, *q. d.* Mihi credite, quia non sum fabulo, sed ἐπόπτης, id est, *ocularis inspector*; narro visa, non audita : pluris enim est oculatus testis unus quam auriti decem.

ILLIUS (Christi) MAGNITUDINIS, — μεγαλειότητος, id est, *magnitudinis, majestatis*, ut vertit Pagninus, magnificentiæ, gloriæ et claritatis; quia « resplenduit facies ejus sicut sol, » *Matth.* XVII, 2. Licet enim aliqui dicere videantur S. Petrum, Joannem et Jacobum in transfiguratione Christi vidisse divinam essentiam, ut Tertullianus *Contra Praxeam*, cap. XV; S. Chrysostomus, *epist.* 5; S. Leo et Damascenus, orat. *De Transfiguratione*; tamen communiter contrarium docent Patres et Doctores, idque satis insinuant Evangelistæ. Quare Tertullianus, S. Leo, S. Chrysostomus et Damascenus exponendi sunt, quod hi tres Apostoli viderint divinam essentiam non in se, sed in effectu, puta in gloria et claritate corporis Christi; hæc enim manabat a gloria animæ Christi, ejusque divinitatis erat effectus, idea et index. Hoc est quod ait Damascenus : « Terrenum Christi corpus erat divinum splendorem emittens, mortale corpus deitatis gloriam fontis instar fundens, etc. Ac solis instar facies ipsius lucet : etenim luci materia carenti personaliter unitur, eoque justitiæ sol efficitur. » Et auctor *De Mirabilibus S. Scripturæ*, lib. III, cap. X, qui extat tom. III S. Augustini : « Divinitas latens in corpore, inquit, luminis sui portiunculam conspiciendam foris videntibus, quantam poterant, concessit. » Et Euthymius *in Matth.* XVII : « Christum transfiguratum, ait, splendore divino faciem ejus illustrante, speciemque illius ad majorem Dei similitudinem commutante. »

S. Petrus non vidit Dei essentiam in Thabor.

Vers. 17. 17. ACCIPIENS ENIM. — *Accipit enim.* Est enallage Hebraica : Hebræi enim participiis utuntur pro verbis, uti sæpius ostendi. Ita Œcumenius et Vatablus.

HONOREM ET GLORIAM. — *Primo*, quia facies Christi resplenduit sicut sol, et vestimenta ejus facta sunt alba sicut nix. *Secundo*, quia Moses et Elias apparuerunt cum eo loquentes, eumque quasi Messiam qui in cruce redempturus esset mundum, ac de peccato, morte et inferno triumphaturus, celebrantes. *Tertio*, quia Pater e nube super eum intonuit dixitque : « Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite, » quo protestatus est Christum vere esse suum Filium, ideoque Deum, ac jussit omnes ei quasi novæ legis legislatori et principi obedire, ideoque ei transfigurationis claritatem et gloriam dedit, quasi primitias et specimen resurrectionis, felicitatis et gloriæ dandæ iis qui ei crederent et obedirent. Gloria ergo Christi constitit proprie in splendore vultus et vestium; honor in voce Patris ad ipsum delapsa : « Hic est Filius meus, » etc.

VOCE DELAPSA A MAGNIFICA GLORIA, — puta e nube lucida et corusca, quæ index erat gloriæ divinæ, scilicet Dei Patris qui per eam loquebatur. Unde S. Augustinus, tract. 35 *in Joannem* : « De magnifica, ait, potestate vocem formavit Trinitas tota, sed illa Patrem indicabat solum; » licet enim hæc vox formata sit angelorum ministerio, tamen erat Dei Patris, qui per angelos quasi suos ministros loquebatur : sicut rex loquitur per suum legatum, vel oratorem. Vox hæc fuit clara, augusta, intensa et sonora instar tonitrui, utpote quæ e cœlo ad Apostolos deferebatur, eosque sacro horrore percellebat.

HIC EST FILIUS MEUS, — quem scilicet repromisi *Psal.* II, 7, dicens : « Filius meus es tu; » et uti olim promisi, ita nunc exhibeo, sisto, ostendo et clarifico, ait Tertullianus, lib. IV *Contra Marcionem*, cap. XXII, quasi qui decedenti Mosi et Eliæ, id est, Legi et Prophetis, novus legislator succedat.

DILECTUS, — ἀγαπητὸς, id est, *dignus amore*, dilectus, charissimus; S. Hieronymus in epist. *ad Philipp.* vertit *diligibilis* : ἠγαπημένος, id est *dilectus*, inquit, esse potest qui non sit ἀγαπητός, id est *dignus qui diligatur*. S. Cyprianus, *epist.* 63, cap. VI, vertit, *dilectissimus*, idque *primo*, quia filius meus est naturalis; *secundo*, quia mihi ὁμούσιος et consubstantialis, non adoptivus per gratiam, uti sunt cæteri Sancti. Unde Hilarius, lib. III *De Trinit.* : « Est, inquit, filius origine, veritate, nativitate, non adoptione, nuncupatione, creatione. » *Tertio*, quia unicus et unigenitus. Ita S. Athanasius, orat. 1 *Contra Arianos*. Sic Græci ἀγαπητὸν υἱὸν vocant *filium unicum*; unicus enim unice diligitur. Et apud Hesiodum ἀγαπητὴ θυγάτηρ, id est, *dilecta filia*, est μονογενὴς, id est *unigenita* et unica.

Christus Dei dilectus tripliciter.

Præclare S. Leo, serm. *De Transfigur.* : « Hic est, ait, Filius meus dilectus, quem a me non separat deitas, non dividit potestas, non discernit æternitas. Hic est Filius meus non adoptionis, sed proprius; non aliunde creatus, sed ex me genitus; nec de alia natura mihi factus comparabilis, sed de mea essentia mihi natus æqualis. Hic est Filius meus per quem facta sunt omnia, et sine quo factum est nihil; quia omnia quæ facio, similiter facit, et quidquid operor, inseparabiliter mecum atque indifferenter operatur. » Et S. Cyprianus, vel quisquis est auctor, serm. *De Baptismo* : « Duo, ait, grata vocabula filius et dilectus, ipso Deo dictante nostris sensibus imprimuntur, ut communio nominum nos associet collegio munerum, et tantæ dulcedinis nomina nostrum emolliant animum, accendantque devotionis affectum. » Et Damascenus, orat. *De Transfigurat.* : « Hic, ait, qui nunc homo cernitur, Filius meus dilectus est : hic qui nuper homo factus est, qui humiliter et abjecte vobiscum versatur, cujusque nunc facies resplenduit, hic, inquam, Filius meus dilectus est; sæculis omnibus antiquior, solus ex solo, unigenitus sine tempore et sempiterne ex me Patre progressus; quique et ex me, et in me, et mecum

semper est, nec existentiæ ratione me posterior.» Et inferius : « Hic est Filius meus, ille, inquam, gloriæ meæ splendor, ille substantiæ meæ character, per quem angelos etiam feci, per quem cœlum fundatum est, ac stabilita terra, etc. Hic est non servus, aut legatus, aut angelus, sed Filius meus dilectus. »

Alludit ad *Psalm.* XXVIII, 4 et 6 : « Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia, etc., et dilectus quemadmodum filius unicornium.» Pro *dilectus* hebr. est שרין *sarion,* vel, ut jam puncta suffigunt, *sirion.* Pro quo Septuaginta per metathesin poeticam legerunt ישרון *jescurun,* id est rectus, directus, missus, dilectus. Alludit *jescurun* ad *Israel,* imo Genebrardus censet *jescurun* esse diminutivum Israel, *q. d.* Israelulus, rectulus, dilectulus, blanditiæ causa. Vide *Isaiæ* cap. XLIV, vers. 2. Israel ergo est *jescurun,* id est *rectus,* ideoque mihi dilectus. Israel autem fuit parens et typus Christi : Christus enim vere est Israel, id est, vir dominans Deo.

Christus est unicornis. Primo. Jam Christus Patris dilectus comparatur filio unicornium, id est unicorni. *Primo,* quia unius Dei unicus est Filius, sive quia Filius est Dei, qui est unicornis, id est, unicus in essentia, idemque est cornu fortissimum in potentia : Christus enim est Secundo. Patri ὁμούσιος et consubstantialis. *Secundo,* quia unicornis præ aliis animalibus mire diligit suos fœtus, mori malens quam eos vivos amittere. Simili modo Pater unice diligit Filium, ait Richardus in *Psalm.* XXVIII, quia unico et singulari modo genuit eum absque matre, sicut in terra eumdem, ut homo est, genuit sine patre, ait Euthymius ibidem. Rursum Christus quasi unicornis fœtus suos, puta fideles, ita dilexit, ut pro eis mori et cruci- Tertio. figi voluerit. *Tertio,* Christus fuit filius unicornium, quia fuit filius crucis, et cornua fuerunt in manibus ejus, ubi abscondit fortitudinem suam, ait S. Ambrosius, serm. 2 *De Baptism. Christi.* Unicornis enim habet cornu bifurcum instar crucis, Quarto. ait S. Justinus. *Quarto,* quia sicut unicornis cornu tangens aquas venenatas, ab eis venenum excutit, teste Plinio, lib. VIII, cap. XXI : ita Christus tactu corporis sui aquas venenatas tribulationum et mortis nobis sanas, potabiles et suaves effecit. Quinto. *Quinto,* quia Christus est invictus et insuperabilis per cornu deitatis, unionis hypostaticæ et gratiæ singularis, quod dedit ei Pater, juxta illud : « Erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui, » *Lucæ* I ; et : « Cornua rhinocerotis cornua illius, in ipsis ventilabit gentes usque ad terminos Sexto. terræ, » *Deuter.* XXXIII, 17. Vide ibi dicta. *Sexto,* sicut monoceros, sive unicornis capi nequit nisi sinu virginis : ita Christus non nisi sinu Beatæ Virginis capi potuit; sed eo captus, factus est homo Septimo. Vide dicta *Numer.* XXIII, 22. *Septimo,* quia, ut canit ibidem Psaltes, Christus apparuit mundo post disjectas cedros, id est, superbam impietatem, errores Judaismi et Gentilismi per vim tonitrui, id Octavo. est prædicationis Evangelii. *Octavo,* cornu unicornis non tantum est validum, sed et medicum, ait S. Justinus : ita validum et medicum est robur ac gratia Christi, utpote quæ omnes animæ et corporis infirmitates sanet et corroboret, adeoque Virgines et Martyres efficiat. *Nono,* unicornis tactu Nono. cornu purgat aquas a veneno serpentum : sic Christus tactu Jordanis, dum in eo baptizatus est, aquas ejus cæterasque omnes fecit purgatrices et expiatrices peccati in sacramento Baptismi. *Decimo,* Decimo. pulli sive hinnuli unicornium sunt pulchri, elegantes, amabiles et gratiosi : talis est et Christus. Tropologice vox Christi prædicantis comminuit cedros, id est, idola et superbiam sæculi. Tunc Apostoli et fideles invicti exsilierunt et dominati sunt quasi filii unicornium, id est, sanctorum Patriarcharum, qui suum cornu et robur collocarunt in unicorni, id est, in uno Deo, æque ac totum cor et amorem, ideoque pro eo fortiter sanguinem et vitam posuerunt.

IN QUO MIHI COMPLACUI. — Græca significantius εἰς ὃν ἐγὼ εὐδόκησα, id est *in quem ego complacui.* in quem omnem meam εὐδοκίαν, id est beneplacitum, propositum et voluntatem propensam, effudi. Tigurina, « in quo mihi complacitum est. » Vatablus, « in quo placatus sum et mundo reconciliatus. » Alii valde apposite, « quem placabilem et gratissimam hostiam mihi constitui, ut homines mihi reconciliem. » Budæus in *Comment. linguæ Græcæ,* pag. 364, « in quo animo meo obsecutus sum, in quo opus meum probavi, in quo mihi placui, in quo acquievit animus meus, in quem, cum intueor, omnem iram et offensionem pono. » S. Chrysostomus et Euthymius in cap. XVII *Matth.*, « in quo delector; » S. Augustinus, lib. II *De Consensu Evangel.*, cap. XIV, « placitum meum in te constitui, per te decrevi implere quod mihi placet, ut deinceps non dicam : Pœnitet me fecisse hominem; per te placui hominibus. » Idem, serm. 63 *De Verbis Domini,* et tract. 35 *in Joannem,* « erga quem bene affectus sum, cui bene volo, aut de quo bene sentio. » Tertullianus, *Contra Praxeam,* cap. XXIII; Cyprianus, lib. I *Contra Judic.*, cap. X, et Irenæus, lib. III, cap. XI, « in quo bene sensi.»

Deus ergo in Christo sibi complacuit, *primo,* Deus in Christo sibi complacet. Primo. quia eum Verbo hypostatice unitum, ut filium suum infinito amore diligit, in eoque totus complacendo conquiescit.

Secundo, quia per eum solum placuit illi homines redimere, novamque legem et Ecclesiam instituere. Secundo.

Tertio, quia in summa ejus obedientia, humi- Tertio. litate, sanctitate mire sibi complacuit, per eum placatus fuit toti humano generi, ac cum eo in gratiam rediit, et innumera scelera ei condonavit : nam, ut ait Christus *Joannis* VIII, 29 : « Quæ placita sunt ei, facio semper. » Ita S. Bernardus, serm. 1 *De Epiphan.*

Quarto, quia per eum omnes in eum credentes Quarto diligit, sanctificat, filios et hæredes suos destinat. Nemo enim placet Deo Patri nisi per Christum, et

omnes qui Christo placent, placent et ipsi. Denique omnis virtus, sapientia, sanctitas, adeoque quidquid Deo placet, per Christum placet.

Alludit hisce verbis, imo explet Deus illud *Isaiæ* XLII, 1, de Christo : « Ecce servus meus, suscipiam eum; electus meus, complacuit sibi in eo anima mea. » Et ad hymnum angelorum Christo nato occinentium : « Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis, » erga quos scilicet Deus per Christum suam εὐδοκίαν, id est *beneplacitum*, summumque amorem exhibere decrevit, donando eis suam gratiam, amicitiam, gloriam, hæreditatem et felicitatem æternam. Unde Syrus, Nyssenus, Theophylactus et Euthymius pro εὐδοκίας, id est *bonæ voluntatis*, legunt εὐδοκία, id est, *bona voluntas*, hymnumque faciunt trimembrem, hoc modo : « Gloria in altissimis Deo, in terra pax, hominibus sit bona voluntas, » id est, benevolentia Dei, ut scilicet per Christum jam natum eos salvet et in filios sibi adoptet. Sic *Ephes.* I, 9, et alibi homines bonæ voluntatis vocantur filii dilectionis, id est, filii voliti, electi et dilecti a Deo.

Ordo transfigurationis Christi.

Nota : Historiam transfigurationis varie narrant SS. Matthæus, Marcus et Lucas; sed hæc fuit rei gestæ series et ordo, qui Evangelistas omnes inter se conciliat. *Primo*, Christus oravit; interim discipulis ex labore conscensi montis, et ex prolixitate orationis Christi somno gravatis ac dormientibus transfiguratus est Christus. *Secundo*, accesserunt Moses et Elias loquentes cum Christo de excessu (morte crucis) quem completurus erat in Jerusalem. *Tertio*, Apostoli e somno hoc fulgore et colloquio excitati viderunt gloriam Christi, cum eoque colloquentes Mosen et Eliam. *Quarto*, finito hoc colloquio, cum signum darent abitus, S. Petrus hac voluptate quasi ebrius, dolens eos parare abitum, petiit fieri tria tabernacula, unum Christo, secundum Mosi, tertium Eliæ. *Quinto*, supervenit nubes subducens Mosen et Eliam, cum voce ad Christum : « Hic est Filius meus dilectus, » etc., quibus territi SS. Petrus, Jacobus et Joannes ceciderunt in terram; sed mox a Christo confortati et erecti, levantes oculos suos solum viderunt Jesum. Interim Moses ad limbum, Elias ad suum locum per angelum uti adductus, ita et reductus est.

IPSUM AUDITE, — ipsi et in ipsum credite, ipsi obedite : « Ipsum, » inquam, « audite, » non Mosen, qui umbras legis docet; non Eliam, qui cœlum claudit, indeque ignem evocat quo perdit peccatores; sed ipsum qui verus Evangelii doctor, legis novæ legislator, dux cœli, idea sanctitatis, voluntatis meæ internuntius, adeoque figura et character substantiæ meæ. Qui ergo ipsum audit, me audit; qui ipsum spernit, me spernit. Ita Damascenus, orat. *De Transfigurat.* Præclare S. Leo, serm. *De Transfigurat.* : « Hunc ergo, ait, in quo per omnia mihi bene complaceo, et cujus prædicatione manifestor; cujus humilitate clarificor, incunctanter audite : quia ipse est veritas et vita, ipse virtus mea atque sapientia. Ipsum audite, quem legis mysteria prænuntiaverunt, quem Prophetarum ora cecinerunt. Ipsum audite, qui sanguine suo mundum redimit, qui diabolum ligat et vasa ejus rapit, qui peccati chirographum et prævaricationis pacta dirumpit. Ipsum audite, qui viam aperit ad cœlum, et per crucis supplicium gradus vobis ascensionis parat ad regnum.

Alludit ad illud Mosis de Christo oraculum : « Prophetam de gente tua et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies, etc. Ponam verba mea in ore ejus, loqueturque omnia quæ præcepero illi : qui autem verba ejus quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam, » *Deuter.* XVIII, 16 et 18. Et illud *Isaiæ* LV, 4 : « Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem Gentibus. » Et illud *Joann.* I, 17 : « Gratia et veritas per Jesum Christum facta est : Deum nemo vidit unquam; Unigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarravit nobis. »

Nota *primo*, hæc vox Patris ad Christum facta est, non ante, ut volunt aliqui, sed post discessum Eliæ et Mosis, cum scilicet intrarunt in nubem, ut ait Lucas, cap. IX, vers. 34 et 35; unde vers. 36 ait : « Et dum fieret vox, inventus est Jesus solus, » nimirum ut clarissimum esset hanc vocem ad solum Christum referri, non ad Mosen vel Eliam. Ita S. Chrysostomus, Ambrosius et alii in *Matth.* XVII, vel *Lucæ* IX. *Secundo*, hic repræsentata fuit SS. Trinitas, sicut et in baptismo Christi : scilicet Pater in voce, Filius in divina gloria, Spiritus Sanctus in nube. *Tertio*, hac voce, ait Tertullianus, lib. IV *Contra Marcionem*, cap. XXII, significatur abrogatio legis veteris et novæ institutio; passio Christi in excessu, de quo cum Christo loquebantur Elias et Moses; resurrectio in transfiguratione, infernus et limbus in Mose : eo enim reducta fuit, uti inde abducta fuerat anima Mosis.

Transfigurationis symbola.

18. HANC VOCEM NOS (ego, Jacobus et Joannes) AUDIVIMUS DE COELO (de nube et aere celsiore) ALLATAM, — ἐνεχθεῖσαν, id est *delatam*, delapsam, uti paulo ante vertit Interpres. Vers. 18.

CUM ESSEMUS CUM IPSO IN MONTE SANCTO. — Faber Stabulensis in cap. IX *Marci* opinatur hunc montem fuisse Libanum, tum quia de eo prædixit Isaias XXV, 2 : « Gloria Libani data est ei, decor Carmeli et Saron : ipsi viderunt gloriam Domini et decorem Dei nostri. » Sed alius est Isaiæ sensus, ut ibi dixi : tum quia Christus tunc erat in finibus Cæsareæ Philippi, quæ adjacet Libano. Verum id falsum est; nam sex dies jam abierant a concione habita Cæsareæ, quibus Christus accessit ad Thabor; unde et mox a transfiguratione descendit Capharnaum, quæ urbs vicina est monti Thabor. Vide *Matth.* XVII, 1.

Mons sanctus quis?

Communis ergo sententia est montem hunc fuisse Thabor, quem Septuaginta et Josephus vocant Itsabyrium, de cujus situ, altitudine, amœ-

Thabor quid? nitate, fertilitate dixi *Oseæ* v, 1. Thabor hebraice idem est quod venit lumen, vel puritas, vel electio, quod apte convenit transfigurationi Christi : nam in eo Christus refulsit lumine solari, primam Evangelii legem sanxit, quæ electos perducit ad cœlum; quocirca Christiani postmodum in hoc monte tres ecclesias extruxerunt ac ingens monasterium, teste Beda cap. XVII *De Locis sanctis*, soletque hic mons a peregrinis magna religione visitari. Merito ergo mons hic vocatur *sanctus*. Fabulantur Judæi ex *Isaiæ* cap. II, 2, et *Micheæ* IV, 1, tempore Messiæ Thabor jungendum Carmelo, ac utrique imponendam Jerusalem, quæ tribus leucis in altum attollatur, uti ex Galatino et aliis recensui *Isaiæ* II, 2. Verius Damascenus, orat. *De Transfigur.*, explicans illud *Psalm.* LXXXVIII, *Thabor et Hermon in nomine tuo exultabunt* : « Thabor, ait, exultavit, cum in eo transfiguratus est Christus; Hermon, cum juxta eum baptizatus.

Cur in monte? Causam cur in monte transfiguratus sit Christus dat Tertullianus, lib. IV *Contra Marcionem*, XXII, ut scilicet lex nova ab eo sanciretur in monte, sicut lex vetus sancita erat a Mose in monte Sina : « Oportebat, inquit, in eo suggestu consignari novum Testamentum, in quo conscriptum vetus fuerat. » Rursum in hoc eodem monte Thabor, Barac et Debora cœlestem consecuti sunt victoriam contra Sisaram, *Judic.* IV, 6; nam, ut cap. V, vers. 20, ipsi canunt : « De cœlo dimicatum est contra eos, stellæ manentes in ordine et cursu suo adversus Sisaram pugnaverunt; » quia scilicet angeli e cœlo jaculati sunt fulgetra, ignem, grandinem, stellas cadentes in aciem Sisaræ, inquit Lyranus et Abulensis. Addit Josephus, lib. V, cap. VI, imbrem et ventos, idque apposite significat nomen ducis : *Barac* enim hebraice est *fulgur*; *Debora* est *apis*, hæc fuit « uxor Lapidoth : » Hebræi et Arias vertunt, *mulier lychnaria*, quæ scilicet concinnabat elychnia tabernaculi; vel, ut Arias, *mulier lampadarum*, id est, divinis illuminata et imbuta splendoribus : fuit enim prophetissa; nam hebraice לפידים *lappadim* vocantur *lampades*, indeque græcum et latinum nomen *lampas*, derivatum est, ait Arias. Sicut ergo Barac et Debora cum suis fuerunt quasi legio fulminatrix Dei (uti fuit postea legio Christiana sub Antonio Imperatore, quæ suis precibus pluviam a Deo impetravit, æque ac fulmina in hostes), qui fulguribus hostes prostraverunt, Israelem vero suis oraculis et victoriis illustrarunt in monte Thabor : ita pariter Christus in eodem monte transfiguratus suo fulgore illuminavit Apostolos, et perculit diabolos. Ibi ergo ipse fuit Debora, id est, apis fundens mel Evangelii fidelibus, aculeum vero vindictæ servavit infidelibus. Unde S. Hieronymus ad Furiam *De Viduit.* docet Deboram esse apem, quia « Debora, ait, dicere poterat : Quam dulcia gutturi meo eloquia illa, super mel et favum ori meo! Apis nomen accepit Scripturæ floribus pasta, Spiritus Sancti odore perfusa, et dulces ambrosiæ succos prophetali ore componens. »

Tropologice mons est locus semotus a turbis et strepitu : ideoque appositus ad audiendam Dei vocem : hinc sua altitudine mons typus est cœli, monetque in eo degentes mentem ad cœlum attollere, ideoque ad ardua virtutum opera et perfectionis culmen conniti et conscendere. Qua de causa Christus sermonem primum habuit in monte, quo docuit Evangelicæ vitæ summam et perfectionis Christianæ culmen, *Matth.*, cap. V, VI, VII. In monte quoque pernoctavit in oratione, *Lucæ* VI, 12. Item panes multiplicavit ad alendam turbam, *Matth.* XV, 29. Eucharistiam instituit in monte Sion : crucifixus est in monte Calvariæ : resurgens discipulis in monte apparuit, *Matth.* cap. XXVIII, vers. 16 : ex monte Oliveti ascendit in cœlum : Spiritum Sanctum misit in cœnaculum montis Sion, *Actor.* I, vers. 12. Tropologice.

Christum imitati sunt viri eximii, ut Elias, Eliseus, filii Prophetarum, S. Antonius, S. Benedictus, S. Franciscus, qui in montibus cum Deo versari, orare et cœlestem vitam agere elegerunt; unde ibidem cœlestibus visionibus, gratiis, donis, stigmatibus a Deo illustrati et ornati fuerunt.

19. ET HABEMUS FIRMIOREM PROPHETICUM SERMONEM. — Probavit S. Petrus Evangelii Christique fidem a se prædicatam, esse veram et divinam, ex oculari visione gloriæ Christi in transfiguratione et auditione vocis Dei Patris : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui; ipsum audite. » Nunc ne ea sola niti videatur, neve quis eam velut privatam de illusione vel adulatione suspectam reddat, eamdem confirmat publico certissimoque Prophetarum testimonio : propheticum enim sermonem vocat oracula Prophetarum, sive ea quæ Prophetæ prophetarunt de Christo ejusque divinitate, incarnatione, morte, redemptione, etc., quale est illud *Psal.* II, huic loco maxime consentiens : « Filius meus es tu, ego hodie genui te. » Vers. 19.

Porro hic propheticus sermo non verior, non melior, ait S. Augustinus, serm. 27 *De Verbis Apostoli*, cap. IV, sed firmior est oculari visione et auditione sancti Petri; quia, licet claritas illa et gloria Christi, æque ac vox ad eum de cœlo delapsa, esset revera divina et manans a Deo Patre, tamen poterant Judæi similesque calumniatores tam vocem, quam claritatem magicis tribuere præstigiis, aut certe fabulis, uti vocem similem Patris ad Christum tribuerunt tonitruo, *Joann.* cap. XII, vers. 29. Hoc autem de Prophetis et sermone prophetico, concesso quod esset propheticus, uti concedebant, dicere non poterant, præsertim quia Prophetæ multis sæculis Christum præcesserant. « Nondum, inquit Augustinus, erat homo Christus, quando misit Prophetas. Si ergo magicis artibus fecit ut coleretur et mortuus, numquid magus erat antequam natus? » Hac ergo de causa Deus misit tot Prophetas per singula sæ-

cula, ut omnes prophetarent ea quæ agenda et toleranda erant a Christo, hoc fine, ut, cum ea ab ipso impleri cernerent tam Judæi quam Gentiles, certo scirent ipsum esse Christum ab omnibus Prophetis prædictum et promissum, « quod neque Apollonio, neque Apuleio, neque cuiquam magorum potuit aut potest aliquando contingere, » ait Lactantius, lib. V, cap. III. Hoc est quod canit Zacharias, *Lucæ* I, 10 : « Sicut locutus est per os Sanctorum, qui a sæculo sunt Prophetarum ejus. » Et S. Petrus : « Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, » *Actor.* X, 43. Unde S. Justinus Martyr, dialog. *Contra Triphonem,* narrat se lectione Prophetarum ad Christum esse conversum. Ita S. Augustinus, Beda, Hugo, Lyranus, Dionysius, et alii passim.

Prophetia firmior visione.

Adde, fides et lumen fidei, quod ostendit oracula Prophetarum esse divina et a Deo profecta, firmius et certius est omni scientia, demonstratione et visione sensitiva, ac quovis testimonio oculari et aurito. Et sic hic sermo propheticus non tantum aliis, sed et ipsi S. Petro firmior erat visione et auditione sua. Unde recte Gagneius et alii τὸ *firmiorem* exponunt *firmissimum*. Sic Paulus ait, « major, » id est maxima, « horum est charitas, » I *Corinth.* XIII, 13. Quare improbabilis est expositio Erasmi, qui per propheticum sermonem accipit ipsam vocem Dei Patris ad Christum in transfiguratione, quasi ipse Pater fuerit Christi Propheta et præco, prædicens sibi placitura esse quæ doceret et ageret Christus. Æque improbabilis et impertinens est alia ejusdem expositio, quæ placuit Clario et Titelmanno, scilicet propheticum sermonem, id est, Prophetarum oracula facta esse firmiora per vocem hanc Patris ad Christum : « Hic est Filius meus, » etc.; nec enim S. Petrus agit hic de confirmatione oraculorum propheticorum, sed suæ visionis, quam confirmat per hæc oracula. Hinc sequitur falsam esse lectionem illam quam habent nonnulli Græci codices, ut pro τὸν προφητικὸν λόγον per ο, legant τῶν προφητικῶν λόγων per ω, ex qua sic vertunt, *habemus* βεβαίοτερον, id est *firmiorem,* scilicet visionem et vocem Patris jam dictam, *propheticis sermonibus*. Alia enim, imo contraria, est mens et vox S. Petri.

Dices : Vox Patris de Christo quam audivit S. Petrus, scilicet, « Hic est Filius meus, » etc., tam certa et firma erat, quam vox ejusdem de eodem quam audiverunt Prophetæ, v. g. David *Psalm.* II, 7 : « Filius meus es tu. » Ergo sermo propheticus non fuit firmior visione et auditione S. Petri. Respondeo, nego consequentiam. Licet enim vox Patris objective, puta in se, esset verissima et certissima, æque ac oracula Prophetarum, tamen subjective, quatenus scilicet in auribus S. Petri sensibiliter recipiebatur et resonabat, non erat tam certa et firma, quam visiones Prophetarum : auditus enim omnisque sensus falli potest; visio vero prophetica falli nequit, quia fit per lumen supernaturale et divinum, quo Deus Prophetæ attestatur rem ipsi revelatam esse veram certamque, ac non alium quam Deum eam revelare : quocirca Prophetæ fide divina credere tenebantur ea quæ videbant et audiebant esse vera, esseque a Deo.

Instabis : Etiam S. Petrus fide divina tenebatur credere hanc visionem et vocem esse veram, esseque a Deo. Respondeo : Id quoque verum est, at non quatenus eam oculis et auribus percipiebat, sed quatenus habebat certa signa credibilitatis, quibus convincebatur eam esse veram fideque credendam. Signa hæc erant vita et miracula Christi, quibus certus erat ipsum esse Christum Dei Filium, ac proinde omnia quæ ageret et ostenderet esse vera et a Deo; rursum testimonium Eliæ et Mosis, splendor divinus Christi, nubes lucida, etc. : hæc enim omnia convincebant Petrum, ut crederet hanc visionem et vocem non esse fictam, sed veram et divinam : sicut iisdem et similibus convictus fuit S. Thomas, ut videns, audiens et palpans vulnera carnemque redivivam Christi, Deo mentem ejus illustrante, fide divina crederet eum vere resurrexisse; unde exclamavit : « Dominus meus et Deus meus; » et Christus ad eum : « Quia vidisti me, Thoma, credidisti, » *Joan.* XX, 29. Sicut enim timor est seta, ut ait S. Augustinus, per quam in animam inducitur filum amoris divini, ita visio hæc fuit seta per quam inducta est fides. Simili modo Prophetæ credebant suas visiones et voces quas audiebant, esse veras et a Deo, eo quod Deus certa hujus rei eis signa daret, ut de ea dubitare non possent, sed idipsum fide divina credere tenerentur. Pari modo fideles credere tenentur hanc visionem S. Petri fuisse cœlestem et divinam, tum quia idipsum in Scriptura sacra hoc loco a S. Petro expressum est, tum quia consequenter Ecclesia idipsum fidelibus quasi fide credendum proponit, et ad id eos obligat; nam, ut ait S. Augustinus, lib. *Contra epistolam Fundamenti,* cap. IV : « Ego Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoveret auctoritas. » Ecclesia enim est quæ docet et assecurat quodnam sit verum Evangelium, quod falsum et suppositititium, uti fuit Evangelium Nicodemi, Thomæ, Nazaræorum, etc. Idem censendum est de epistolis S. Petri et qualibet alia S. Scriptura.

CUI BENEFACITIS ATTENDENTES. — Προσέχοντες, id est *intendentes,* uti legit S. Augustinus, tract. 23 *in Joannem.* Sic Christus : « Scrutamini, ait, Scripturas, quia, etc., illæ testimonium perhibent de me, » *Joan.* V, 39.

QUASI LUCERNÆ LUCENTI IN CALIGINOSO LOCO. — Prophetia omnisque Scriptura est quasi lucerna lucens in nocte, et tenebris hujus sæculi et vitæ, eas illuminans, sed modice et obscure instar lucernæ, ut Christum quasi solem justitiæ nobis ostendat, ad eumque deducat. « Omnis enim prophetia una magna ad Christum lucerna est, » ait S. Augustinus, tract. 23 *in Joan.*; et serm. 237 *De Temp.*:

« In die, ait, ambulamus comparatione infidelium; comparatione vero illius diei quando resurgent mortui, adhuc nox sumus. » Hoc est quod ait Salomon, *Proverb.* cap. VI, vers. 23 : « Mandatum lucerna est, et lex lux. » Et David *Psalm.* CXVIII, 104 : « Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis. » Et vers 130 : « Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis. »

S. Scriptura lucerna. Perperam ergo hæretici ex voce *lucerna* contendunt S. Scripturam esse facilem et claram, ut a quovis plebeio intelligi et explicari possit.

Primo. Nam *primo* lucerna significat lumen nocturnum, ideoque obscurum.

Secundo. *Secundo*, S. Petrus proprie lucernam vocat prophetiam; hanc autem constat esse obscuram.

Tertio. *Tertio*, quia ait lucernam hanc lucere in caliginoso loco; ergo a loco repercussa et hebetata fit et ipsa caliginosa, ut non nisi propinqua illuminet, eaque modice et subobscure.

Quarto. *Quarto*, quia S. Scriptura est lucerna, « sed super candelabrum publicæ ac infallibilis auctoritatis Ecclesiæ, non sub modio hominis privati, » ait S. Ambrosius, lib. VII *in Lucam*, cap. LII, lucerna enim hæc non lucet, nisi ejus lux pandatur a Doctoribus Ecclesiæ, ac fidelibus ostendatur. Apostoli enim et Doctores sunt accensores lucernæ, quam ponunt super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt, ait S. Augustinus, tract. 23 *in Joan.* Causam dat S. Augustinus, lib. II *De Doctr. Christ.*, cap. VI : « Ita, ait, obscure quædam dicta sunt, ut densissimam caliginem obducant, quod totum divinitus provisum esse non dubito, ad edomandam labore superbiam et intellectum a fastidio revocandum, cui facile investigata plerumque vilescunt. » Et S. Gregorius in Præfat. *in Job*, cap. IV : « Divinus sermo, ait, sicut mysteriis prudentes exercet, sic plerumque superficie simplices refovet; habet in publico, unde parvulos nutriat; servat in secreto, unde mentes sublimium in admiratione suspendat. Quasi quidam quippe est fluvius planus et altus, in quo et agnus ambulet et elephas natet. » Unde Origenes, initio Levitici, divinitatem in Scriptura latere ait, non aliter atque olim divina ejus persona in humana natura occultabatur. Rursum S. Augustinus, in *Psal.* CXL : « Sunt, ait, in Scripturis sanctis profunda mysteria, quæ ad hoc absconduntur, ut vilescant; ad hoc quæruntur, ut exerceant; ad hoc aperiuntur, ut pascant. »

Quinto. Denique sicut lucernæ crebro suggeri debet oleum ut luceat, ita S. Scripturæ crebro a Doctoribus inseri debet explicatio docta et pia, ut auditoribus lucem doctrinæ et calorem devotionis aspiret. Romæ et in Italia utimur lucernis grandioribus et turritis quæ multum olei continent, idque arte physica, ad impediendum scilicet vacuum, quasi in alta turricula suspensum, quod sensim in os et elychnium lucernæ delabens, illius lucem ardoremque continuo diuque fovet; lucernas has fertur adinvenisse Hieronymus Cardanus physicus et medicus, ac a forma campanarias nuncupavit, quod campanæ turritæ speciem gerant. Talis lucerna campanaria est S. Scriptura, utpote plena copioso sapientiæ oleo, sublimis instar turris, sonora instar campanæ.

IN CALIGINOSO LOCO, — ἐν αὐχμηρῷ τόπῳ, id est, *in loco squalido*, obsito, obscuro, tenebroso, sordido, horrido; talis enim est hic mundus et hæc vita. Hujus rei symbolo Deus jussit Mosi fabricare tabernaculum undique clausum, et carens fenestra, ideoque obscurum et tenebrosum; sed ad illud illuminandum fieri candelabrum septiceps, habens scilicet septem lucernas, quæ illud illuminarent : tabernaculum enim obscurum repræsentat sæculum hoc plenum ignorantia; candelabrum repræsentat Scripturam et fidem, quæ illud illuminat : vide dicta *Exodi* XXVI, 1 et seq. Sic veteres præter lucernas simplices uno elychnio lucentes, quas cubicularias vocabant, in locis amplis habebant dimyxos ad duo elychnia ferenda, aut trimyxos ad tria, aut heptimixos ad septem, aut polymyxos ad plura; de quibus Martialis, lib. XIV :

> Illustrem cum tota meis convivia flammis,
> Totque geram myxos, una lucerna vocor.

Vide quæ de lucernis et candelabro, Ecclesiam ejusque fidem et doctrinam repræsentante, dixi *Zachar.* cap. V (1).

DONEC DIES ELUCESCAT, ET LUCIFER ORIATUR IN CORDIBUS VESTRIS. — Idem est diem lucescere quod luciferum oriri : eo enim orto fit aurora et elucescit, sive emicat dies. Quæres quis hic dies, quis lucifer : *Primo*, Œcumenius respondet esse plenam cognitionem fidei et Evangelii : « Cum, inquit, dies adveniet, id est, rerum ipsarum præsentia, habebitis orientem luciferum in cordibus vestris, hoc est Christi cognitionem et adventum ejus a Prophetis prænuntiatum, qui tanquam lux vera corda vestra illustrabit; » ut prophetia sit nox, Evangelium sit aurora et lucifer, visio beatifica sit clara dies et meridies. Unde S. Cyrillus, lib. I *De Trinit.*, sub initium, docet, quod Christus sit jubar, dies et lucifer, qui mentibus fidelium per spiritum irradiat, easque illuminat clarius quam Prophetæ omnes; sicut lucifer clarius rutilat quam cæteræ stellæ. Et quia, sicut lux luciferi gignitur a sole, sic Christus gignitur a Patre quasi lumen de lumine, Deus de Deo. Unde Christus ipse de se ait : « Ego sum stella splendida

Lucifer quis? Resp. primo, est fides.

(1) Vaticinia Veteris Testamenti et Prophetarum comparantur cum lucerna, quia monstrabant quidem viam salutis, sed obscure tantum, donec ad clariorem rerum divinarum cognitionem homines pervenerint. Adventante sole, cujus prænuntia est stella matutina, dies illucescens dispellit omnem caliginem, et obscurat ipsam lucernam. Sic etiam doctrina Christi omnes dispellit ignorantiæ tenebras, et longe superat ratione claritatis doctrinam Prophetarum.

et matutina, » puta lucifer, *Apoc.* XXII, 16. Sensus ergo est, *q. d.* Intendite lectioni et studio Prophetarum, ut ex eis confirmemini in fide Christi, donec ex hoc studio et illustratione Dei dies et lucifer, id est certior et clarior planeque explicita Evangelii fideique cognitio, nocti, id est obscuriori Judæorum et Prophetarum cognitioni succedens, vobis illucescat, ut plane in ea confirmati per eam deducamini ad clarum meridiem æternitatis et visionis Dei. Sicut enim se habet lucifer sive lux auroræ ad lucem meridiei, sic se habet hæc fidei doctrina ad visionem beatificam. Rursum, sicut lucifer se habet ad noctem, quasi medium quid inter noctem et diem, et diei lucisque initium : sic se habet hæc Christi doctrina clara ad doctrinam obscuram Prophetarum : hæc ergo fuit quasi lucerna, Christi vero fuit lumen, *Joan.* cap. I, vers. IX. Hinc idem Joannes, *epist.* I, cap. II, vers. 27, ait : « Non necesse habetis ut aliquis doceat vos; sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus. » Et *Jerem.* cap. XXXI, vers. 31 : « Non docebit ultra vir proximum suum, etc., omnes enim cognoscent me; » et, ut ait Isaias LIV, 13 : « Erunt omnes docibiles Dei. » Ita Adamus, Arias, Gagneius et alii.

Secundo, est visio. *Secundo*, apposite dies hic et lucifer accipi potest beatitudo, puta gloria cœlestis et visio beatifica : vita enim in miseriis et tenebris hujus sæculi est quasi nox; futura ergo in gloria erit quasi dies et lucifer. Lucifer enim, sive stella Veneris, quia adducit auroram, sive initium diei, hinc idem est quod dies, juxta illud Martialis :

Phosphore (*id est lucifer*), redde diem.

Lucifer est visio beatifica ob analogias quinque. Et illud Boetii, lib. III *De Consol.* : « Lucifer ut tenebras pepulerit, pulchra dies roseos agit equos. » Porro lucifer est symbolum visionis beatificæ. *Primo*, quia ea fit per lumen gloriæ, juxta illud *Psalm.* XXXV, 10 : « In lumine tuo videbimus lumen. » Apte ergo vocatur lucifer. *Secundo*, quia lucifer sive aurora est initium diei : significat ergo initium beatitudinis, cum scilicet anima sola statim a morte Dei visione beatur; cujus complementum et quasi meridies erit in resurrectione, quando corpus totusque homo beabitur et gloria collustrabitur per omnem æternitatem. *Tertio*, quia lucifer, utpote vehens diem et lucem, symbolum est prosperitatis et felicitatis, uti dixi *Isaiæ* cap. XIV, vers. 21. *Quarto*, quia Beati fulgebunt in cœlo quasi stellæ et luciferi, juxta illud *Apoc.* cap. II, vers. 28 : « Qui vicerit, etc., dabo illi stellam matutinam. » Et *Daniel.* cap. XII, vers. 3 : « Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. » Vide utrobique dicta. *Quinto*, sicut lux luciferi et auroræ manat a sole, uti mox dicam, sic gloria Sanctorum manat a gloria Christi; et sicut lucifer et stellæ comitantur, stipant et cingunt solem : sic et Sancti Christum. *Sexto*, quia φωσφόρος, id est *lucifer*, solem quoque significat, ait Suidas, quia φωσφορεῖν est *illucere* et diem inferre, sic et Cicero, lib. II *De Natura Deorum*, lunam vocat luciferam; unde Syrus hic pro *lucifer* vertit *sol*.

Ad hunc diem suspirabat Sponsa *Cant.* II, 6, pascens in liliis « donec aspiret dies » beatæ æternitatis, « et inclinentur umbræ » miseræ mortalitatis, ait S. Gregorius; et S. Joannes, *Apocal.* cap. XXI, vers. 23, ait quod Jerusalem cœlestis « non eget sole neque luna, ut luceant in ea; nam claritas Dei illuminavit eam, et lucerna ejus est Agnus; » et cap. XXII, vers. 5 : « Et nox ultra non erit, et non egebunt lumine lucernæ, neque lumine solis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos. » Ita S. Augustinus *in Psal.* LI : « Quamdiu, ait, ad lucernam ambulamus, necesse est ut cum timore vivamus; cum autem venerit dies noster, id est manifestatio Christi, de qua Apotolus : Cum Christus apparuerit vita nostra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria. » Idem, in *Psal.* LXXXIX : « Ergo, ait, in his velut nocturnis doloribus et laboribus prophetia nobis accensa est sicut lucerna in caliginoso et obscuro loco, donec lucescat dies, et Lucifer oriatur in cordibus nostris. Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. » Huic expositioni favet τὸ *donec*; egemus enim prophetia et Scriptura per totam hanc vitam, donec perveniamus ad visionem in patria cœlesti. Favet etiam quod luciferi cursus soli sit coævus, firmus et perpetuus, ideoque post longam noctem ejus aspectus sit jucundissimus, quasi lucis, solis et diei origo : unde Sophar ad *Job* XI, 17 : « Quasi meridianus fulgor, ait, consurget tibi ad vesperam, » hoc est, cum te consumptum putaveris, orieris ut Lucifer. Et Virgilius, II *Æneid.* :

—— Ducit diem Lucifer.

Statius, *Thebaid.* III :

Purpureo vehit ore diem.

et Ovidius, VI *Fastor.* :

Et vigil Eois Lucifer exit aquis.

Idem *Metamorph.*, lib. VIII :

Retegens diem noctisque fugans tempora Lucifer,

et lib. XI :

Undecimus Lucifer stellarum coegerat agmen.

et lib. XV :

—— Cumque albo Lucifer exit
Clarus equo.

Et Statius, *Thebaid.* XII :

Tertius auroram pulsabat Lucifer.

Hinc Poetæ Luciferum, puta auroram, vocabant Titanis, id est solis filiam, eo quod ex sole oriente procedat illa claritas cœli quam auroram dicimus.

Ita Varro, lib. VI : « Aurora, ait, dicitur ante solis ortum ab eo, quod ab igne solis tum aureo aer aurescit; » et Virgilius, IV *Æneid.*, de aurora ita canit :

Postea Phœbea lustrabat lampade terras;

et lib. VII :

Aurora in roseis fulgebat lutea bigis.

et Tibullus, lib. III :

Auroram Phaetontis (*id est Solis*) equi jam luce vehebant,

Hinc *aurora* dicitur quasi *aurea hora*, vel potius quasi *aura rorans*.

Prior sensus planior et simplicior est, ideoque magis litteralis et genuinus : posterior plenior est magisque anagogicus. Sicut enim Lucifer est diei solisque præcursor et prænuntius, sic fides Christi præcurrit et prænuntiat visionem beatificam. Hic ergo lucifer fidei oritur in cordibus nostris; in cœlo vero meridies claritatis divinæ in mentibus nostris resplendebit.

Ecclesia fulget ut sol et luna. quomodo ?

Tropologice Hugo : Dies, ait, est dilectionis fervor, quem præire debet lucifer, id est cognitio Dei et virtutis, ut crescat ad meridiem perfectionis, juxta illud *Proverb.* IV, 18 : « Justorum semita quasi lux splendens procedit et crescit usque ad perfectam diem. » Unde Thomas Anglicus pro *elucescat* legens *illucescat*, id est, inquit, *intus luceat*, et usque ad intimum animæ. Porro, sicut omnis claritas luciferi et auroræ oritur a sole oriente et subsequente : sic omnis gratia et gloria Sanctorum oritur a Christo, qui est sol justitiæ, gratiæ et gloriæ. Hoc est quod de Ecclesia et anima fideli dicitur *Cantic.* VI, 9 : « Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol? » Quod explicans S. Gregorius, lib. XVI *Moral.*, cap. XXV : « Aurora, ait, mens justi est, quæ peccati sui tenebras deserens ad lucem jam erumpit æternitatis. » Eadem est pulchra ut luna, quia, ut ait Philo Carpathius *in Cantic.* cap. VI, accipit gratiam a Christo, sicut luna accipit lumen a sole; et quia aliquando in prosperis lucet, aliquando in tenebris adversitatum relinquitur; et quia crescit in virtute, uti nova luna crescit usque ad plenilunium. Eadem est electa ut sol, quia Christum imitatur solem justitiæ, a quo et lucem sumit et calorem. S. Bernardus vero, *serm.* 60 ex parvis, per auroram accipit humilitatem, a qua incipit virtus et vita sancta : « Bene, inquit, dicitur aurora consurgens, ut virtutum structura surgens, ab humilitate tanquam fundamento proprio erigatur. » Per lunam vero, quæ splendorem sumit a sole, designatur castitas : « Quæque enim fidelis anima, si veri solis obtutibus offeratur intuenda, ex visione illius protinus admittit in se decus pulchritudinis et venustatem castitatis : unde fit ut ex ejus lumine crescens et proficiens, etiam ad perfectionem provehatur, ut recte dicatur de illa : Electa ut sol. » Per solem vero designatur charitas, ideoque sponsa dicitur electa ut sol, quia induta est veste nuptiali charitatis : qua virtute qui indutus splendebit, erit procul dubio terribilis hostibus suis ut castrorum acies ordinata. Hæc S. Bernardus; Ambrosius vero et S. Augustinus, *epist.* 80 : Ecclesia, aiunt, justorum est aurora consurgens, quia a tenebris peccatorum ad sanctitatis lucem proficit; deinde de virtute in virtutem crescit instar lunæ; denique in die judicii, relicta caligine et putredine peccatorum ac mortalitate carnis, immortalitatis lumine et æterna charitate vestita solem ipsum repræsentabit. Denique S. Gregorius *in Cant.* VI, ait Ecclesiam in incipientibus progredi ut auroram, quippe qui e tenebris peccatorum luce sanctæ operationis splendere incipiunt; in proficientibus esse pulchram ut lunam, quippe qui dum peccantibus bona exempla præbent, quasi luna lucent in nocte; denique in perfectis esse electam ut solem, dum non tantum peccantibus, sed etiam bonis ac sanctis per eos exempla imitationis præbet. « Profecto enim jam luna, inquit, sol efficitur; quia quæ in nocte errantibus nunc lucebat, modo in die ambulantibus lumen veritatis manifestat. » Hinc refert Venerabilis Beda, lib. III *Histor. Angl.*, cap. XIX, S. Furseum raptum in exstasin audivisse angelos justis concinentes : « Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion.» Talis ergo fulget, progreditur et cæteris eminet quasi Lucifer, de quo canit Ovidius, *Metamorph.* lib. II :

Ecce vigil nitido patefecit ab ortu
Purpureas aurora fores, et plena rosarum
Atria; diffugiunt stellæ, quarum agmina cogit
Lucifer, et cœli statione novissimus exit.

Rursum, sicut stella Veneris semper comitatur solem, et mane quidem eum orientem anteit, vocaturque Lucifer; vespere vero eum occidentem sequitur, vocaturque Hesperus, de quo Poeta :

Hespere, qui cœlo luces jucundior ignis,

id est jucundissima stella : veteres enim censebant stellas esse igneas. Sic qui assidue in virtute proficit, comitatur Christum, qui est sol justitiæ; et, ut ait S. Joannes, *Apocal.* XIV, 4 : « Sequitur Agnum quocumque ierit. » Quocirca Abbas ille in *Vitis Patrum*, lib. VII, cap. XLIV, num. 6, hac ratione se jugiter excitabat ad progressum in virtutibus : «Ego, inquit, per singulos dies statui verba mea audiri a Domino, putans mihi dici : Laborate propter me, et ego quiescere faciam vos. Adhuc modicum decertate, et videbitis salutare meum et gloriam meam. Si diligitis me, si filii mei estis, ad Patrem rogantes revertimini. Si fratres mei estis, erubescite pro me, quemadmodum propter vos multa perpessus sum. Si oves meæ estis, Dominicam passionem sequimini.» Et alius, num. 9 : «Ego, ait, quotidie Ecclesiam intellec-

Eccles. pla.

tualium virtutum exspecto, Dominum gloriæ in medio earum video super omnes splendentem. Quando autem abscedam ab eo, ascendo in cœlum, exspectans admirandas pulchritudines angelorum, et quos emittunt hymnos incessabiliter Deo, etc. Et omnia quæ super terram sunt, sicut cinerem et stercora opinor. » De S. Josaphat rege scribit Damascenus in *Histor.*, cap. XXXVIII, quod, relicto regno, in eremum ad S. Barlaam secesserit, ut totum se daret mortificationi vitiorum, abstinentiæ, vigiliis, orationibus. « Quod quidem, inquit, generosus ille et expeditus cœlestis itineris cursor egregie præstitit, atque animi sui ardorem ab initio ad extremum usque perpetuo conservavit, ascensiones in corde semper disponens, ac de virtute ad virtutem sublimiorem transiliens, desideriumque desiderio ac studium studio indesinenter adjungens, quoad tandem ad speratam et expetitam beatitudinem pervenit. » In monasterio S. Antonii et cæterorum olim ardens inter omnes de virtute et profectu erat certamen : dictitabant enim virtutes esse gradus et scalas inter se cohærentes, atque alias ab aliis suffultas, quæ animum in cœlum subvehunt, ait Damascenus in *Histor.*, cap. XI, qui proinde merito eosdem angelos terrestres appellat.

Vers. 20. 20. HOC PRIMUM INTELLIGENTES QUOD OMNIS PROPHETIA SCRIPTURÆ (sacræ) PROPRIA INTERPRETATIONE NON FIT. — « Prophetia Scripturæ » est prophetia scripturalis, sive per hypallagen prophetica Scriptura. Probat propheticum sermonem esse firmiorem, eique studiose nos debere intendere ex eo quod prophetia non sit sermo Prophetæ, sed Dei, qui est prima et infallibilis veritas, hoc est quod ait : « Prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit, » id est, non fit propria inventione, qua Propheta res arcanas et futuras per se suoque ingenio et acumine eruat in lucem, interpretetur et explicet : nam, ut ait Philo, lib. *De Præmiis et pœnis*, « Propheta est interpres Dei dictantis oracula. » Hunc esse sensum patet ex ratione quam explicando subdit S. Petrus : « Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines. » Ubi nota omnem sacram Scripturam hic vocari « prophetiam, » tum per synecdochen, quia major Scripturæ, quæ tunc extabat pars, erant Prophetæ : totum enim vetus Testamentum est prophetia et figura novi Testamenti ; tum proprie, quia omnis revelatio divina, sive quidquid a Deo revelatur, etiamsi futurum non sit, sed præsens aut præteritum, recte vocatur prophetia, quia est revelatio rei arcanæ sive in se, sive quatenus a Deo revelatur : multæ enim res naturaliter certæ et claræ, uti præcepta Decalogi, revelatæ sunt a Deo, quæ tamen dicuntur prophetia, ob revelationem arcanam, quia scilicet revelata a Deo, sunt oracula Dei revelantis, uti ex S. Gregorio, hom. 1 *in Ezechiel*, et S. Thoma, II II, *Quæst.* CLXXI, art. 3, ostendi Procemio *in Prophetas*.

Prophetia Scripturæ quæ? Resp. Primo.

Secundo, « Prophetia Scripturæ » potest accipi ipsa interpretatio Scripturæ. Sic enim prophetare subinde idem est quod docere et interpretari, ut cum Aaron dicitur Propheta, id est, interpres Mosis, *Exodi* cap. VII, 1. Et Antiochiæ dicuntur fuisse plures Prophetæ et Doctores, *Actor.* XIII, 1; ac sæpe alibi doctores vocantur Prophetæ. Pluribus idipsum ostendi I *Corinth.* XIV, initio capitis. Tunc sensus erit, *q. d.* Prophetia, id est interpretatio et explicatio S. Scripturæ, non fit, id est, fieri non debet, nec potest, propria interpretatione, id est, proprio acumine et ingenio, proprio sensu, propria explicatione et doctrina. Idque probat S. Petrus ex eo quod ipsa prophetia et Scriptura non sit opus et doctrina hominis, sed Dei, *q. d.* Ipsa Scriptura non est inventum humani ingenii, non est opus mentis humanæ, sed divinæ; ergo ejus explicatio et interpretatio pariter non ab homine, sed a Deo requirenda est. Et hoc proprie significat Græcum διάλυσις, id est, *dissolutio*, explicatio, interpretatio.

Secundo.

Videtur S. Petrus perstringere Simonianos et Gnosticos, qui ad libitum S. Scripturam exponebant, et ad suas phantasias ac errores detorquebant.

Ex quo refutatur error nostrorum Gnosticorum et Illuminatorum, qui dicunt spiritu proprio et privato cuilibet interpretandam esse Scripturam; quemque, etiam cerdonem et sutorem, habere spiritum Dei internum, qui ei pandat Scripturas. Inde enim ortæ sunt omnes hæreses, eæque tot tamque variæ, imo inter se ex diametro pugnantes et contrariæ; quia scilicet quilibet S. Scripturam ex sua phantasia interpretatur, uti vidimus et indies videmus. Ad hoc ergo posuit Deus in Ecclesia Doctores, ut scilicet Scripturam interpretentur; et interpretatio sermonum est unum e charismatibus Spiritus Sancti, uti docet Paulus, I *Corinth.* XII, 10, et cap. XIV, vers. 26. S. Scriptura enim non est privatum, sed publicum dogma totius Ecclesiæ a Deo traditum; non ergo privato cujusque, sed communi et publico Ecclesiæ et Spiritus Sancti illi assistentis spiritu explicanda est. Hinc spiritum a Deo et Ecclesia acceperunt sancti Patres, qui S. Scripturam toti Ecclesiæ interpretati sunt : « Ecclesiæ ergo est judicare de vero sensu et interpretatione S. Scripturæ, » ut ait Concilium Tridentinum, *sess.* IV. Per Ecclesiam intellige Præsides Ecclesiæ, puta Episcopos, ac præsertim summum Pontificem.

Vers. 21. 21. NON ENIM VOLUNTATE HUMANA ALLATA EST ALIQUANDO PROPHETIA, — *q. d.* Non enim mentientibus hominibus, non ad voluntatem libitum hominum, sed Dei, allata est prophetia. « Prophetia » proprie est actus et cognitio intellectus; hic tamen non intellectum, sed voluntatem humanam nominat S. Petrus, quia clarum est intellectum hominis non extendere se ad futura contingentia suopte acumine prævidenda et prænuntianda; sed eo se extendere potest voluntas et præsumptio hominis

superbi, puta pseudoprophetæ, ut velit prædicere id quod nescit et ignorat : at vera prophetia verique Prophetæ uti non suo intellectu, ita nec sua voluntate, sed Dei, futura præviderunt et enuntiarunt : ita Cajetanus. Hoc est quod ait Isaias, cap. XLI, vers. 23 : « Quæ ventura sunt annuntiate nobis, et sciemus quia Dii estis vos. » Nam, ut ait Tertullianus, *Apologet.* XX : « Testimonium divinitatis est veritas divinationis ; » solus enim Deus per suam omniscientiam præscit futura contingentia.

Secundo, « voluntas » sumi potest pro opere, *q. d.* « Non enim voluntate, » id est, opere humano allata est prophetia : voluntas enim est causa operis, movetque intellectum ad intelligendum, cæterasque potentias et membra ad operandum, ac proinde ea sub se complectitur, eaque significat. Est metonymia. Sic *Joannis* I, 13, dicitur : « Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri (id est opere et generatione carnali et virili), sed ex Deo nati sunt. » Hinc vulgo dicitur : « Voluntas pro opere et facto computatur. »

SED SPIRITU SANCTO INSPIRATI, — φερόμενοι, id est, *acti;* Pagninus et Tigurina, *impulsi;* Vatablus, *rapti et agitati.* Sic Plato in *Memnone* Prophetas vocat « fatidicos, divina re inspiratos et a Deo possessos. » « Mens enim Prophetæ vi cœlestis numinis agitur, » ait S. Gregorius, II *Dialog.,* cap. III; sed ita ut sui sit compos, non autem velut lymphatica aberret et insaniat, uti fecere Bacchæ Gentiles, quæ quasi ebriæ et furore agitatæ, ac arreptitiæ ignorabant quid dicerent, vel agerent : tales quoque fuere Priscillianistarum et Montanistarum Prophetæ et Prophetides.

LOCUTI SUNT SANCTI DEI HOMINES, — puta Prophetæ cæterique Scriptores S. Scripturæ. Licet enim nonnulla ex iis quæ scribunt, scirent naturaliter, puta quia ea viderant vel audierant, ut cum scribunt historias sui temporis, uti facit Auctor *Machab.,* lib. II, cap. II, vers. 24 et 27, tamen in illis ipsis incitabantur a Spiritu Sancto ad ea scribendum, idque eo modo et ratione quo volebat Spiritus Sanctus, qui proinde illis assistebat ut ne vel in puncto errarent; nam, ut ait S. Augustinus, epist. 8 *ad S. Hieronymum* : « Titubabit fides, si divinarum Scripturarum vacillet auctoritas. » Unde Psaltes, *Psalm.* XLIV, 2 : « Lingua mea, ait, calamus scribæ (Spiritus Sancti) velociter scribentis. » Hinc et Prophetæ suis oraculis hoc elogium præferunt : « Verbum Domini quod vidit vel audivit Isaias, Amos, etc. Os Domini locutum est, » etc. « Spiritus Sanctus ergo erat scriba, Prophetæ erant ejus calami quibus Spiritus Sanctus scribenda dictabat, » ait S. Cyprianus, serm. *De Eleemosyn.,* et S. Augustinus, XVIII *De Civit.,* XXXVIII, et S. Gregorius, *Præfat. Moral.* I. Quocirca « S. Scripturam esse Epistolam Dei e cœlo ad homines missam, » aiebat S. Antonius, teste S. Athanasio et S. Augustino, conc. 2 *in Psal.* XC, et S. Chrysostomus, homil. 3 in II *ad Thessal.,* ac proinde nihil in ea est otiosum, sed omnia etiam minima plena sunt sensu, mysterio et spiritu, teste S. Basilio, *hom.* 6 *Hexaem.,* et S. Hieronymo, in cap. V *Matth.* Vide Bellarminum, lib. III *De Verbo Dei.*

SANCTI DEI HOMINES. — Licet enim prophetia sit gratia gratis data, non gratum faciens, ideoque subinde detur improbis, teste Christo, *Matth.* VII, 22, uti data fuit Balaam, *Num.* XXIV, 17, et Caiphæ, *Joann.* XI, 51, tamen Prophetæ et Scriptores hagiographi plerique omnes fuere sancti, excepto Salomone, de quo multi dubitant. Fuere enim ipsi familiares, interpretes, legati, nuntii, angeli Dei, ut patet *Aggæi* I, 13, et I *Reg.* II, 27, III *Reg.* XII, 22, et alibi; unde Philo, lib. *De Gigant.,* ante finem : « Dei homines, inquit, sacerdotes et Prophetæ sunt, quorum major est dignitas, quam ut se misceant humanæ reipublicæ et mundi cives sint ; sed sublimiores omnibus rebus sensibilibus migrarunt in mundum intelligibilem, ibi sortiti domicilium, ascripti reipublicæ idearum incorporearum et incorruptibilium ; » et S. Augustinus, tract. 1 *in Joan.,* explicans illud *Psalm.* LXXI, *Suscipiant montes pacem populi, et colles justitiam* : « Montes, ait, sunt magni sancti, colles plebeii, justitia est fides. Nam non acciperent minores animæ fidem, nisi majores animæ quæ montes dictæ sunt, ab ipsa sapientia illustrarentur, ut possent parvulis trajicere quod possent parvuli capere. »

Scriptores hagiographi sancti.

Moraliter : Hinc discant Doctores et Interpretes ac studiosi S. Scripturæ, *primo,* ut eam non interpretentur suopte ingenio et sensu, sed ex mente Ecclesiæ et Patrum, ut sancit Concilium Tridentinum, *sess.* IV. Quare fugiant Rabbinorum commenta, quasi humana, indocta, fabulosa, Christo adversa, utpote quæ pleraque de Christo oracula ad Davidem vel Salomonem detorquent. *Secundo,* ut cum studio jungant vitæ puritatem, sanctitatem et preces, quibus a Deo lumen impetrent ad eas intelligendas et explicandas. Ita fecere S. Augustinus, Hieronymus, Chrysostomus, Basilius, Nazianzenus, S. Thomas Aquinas, qui in locis difficilioribus orationi addere solebat jejunium, palamque dictitabat suam scientiam magis illustratione Dei, quam labore et studio esse comparatam. Quin et regius Psaltes : « Revela, ait, oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua, » *Psalm.* CXVIII, 18. Præclare S. Athanasius, lib. *De Incarnat. Verbi,* prope finem : « Ad Scripturæ indaginem, ait, verumque intellectum opus est vita proba, animo puro et virtute quæ secundum Christum est, ut mens per ejus tramitem decurrens, ea quæ expetit adipisci possit, quatenus fas est humanam naturam divina intelligere : nam sine pura mente et Sanctorum imitatione nemo comprehendit Sanctorum verba. » Et S. Bernardus *ad Fratres de Monte Dei* : « Quo spiritu, ait, Scripturæ factæ sunt, eo spiritu legi desiderant, ipso etiam intelligendæ sunt. » Et Procopius Gazæus,

Oratio pandi S. Scriptu

Præfat. in Genes. : « Si quis, ait, locus se offert obscurior, quam ut ingenii tui vires assequi valeant, aut Patres tibi consulendi sunt, aut scientiarum Deus precibus fatigandus est. » Abbas Theodorus apud Cassianum, *Collat.* V, cap. XXXIV, docet intelligentiam Scripturarum quærendam non tam volvendo Commentarios Interpretum, quam mundando cor per emundationem vitiorum carnalium : « Quibus expulsis, inquit, confestim cordis oculi sublato velamine passionum, sacramenta Scripturarum velut naturaliter incipiunt contemplari. » Vide eumdem, *Collat.* XIV, cap. X et XI.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Capite præcedenti S. Petrus hortatus est fideles ad fidem Christi constanter retinendam et augendam per bona opera et per lectionem Prophetarum, nunc hoc capite eosdem monet, ut caveant pseudoprophetas Prophetis contrarios, puta hæreticos, quorum primo, malignitatem, mox punitionem describit; quod scilicet puniendi sint instar Luciferi, et dæmonum; ac instar mundanorum, qui mersi sunt diluvio; atque Sodomæ et Gomorrhæ, quæ cœlesti igne conflagrarunt. Deinde, vers. 10, *eorum pravos mores, præsertim luxuriam, superbiam, rebellionem, audaciam, philautiam, blasphemiam, adulationem, avaritiam describit. Tertio, vers.* 16, *eos comparat cum Balaam, cujus malitiam redarguit asina, eo quod illius instar pelliciant homines in errores, docendo luxuriam et libertatem carnis; quæ mera et fœda est servitus.* Quare facta sunt eis, *inquit*, posteriora deteriora prioribus, *juxta proverbium* : Canis reversus ad suum vomitum, et, Sus lota in volutabro luti.

1. Fuerunt vero et pseudoprophetæ in populo, sicut et in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, et eum, qui emit eos, Dominum negant; superducentes sibi celerem perditionem. **2.** Et multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur. **3.** Et in avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur : quibus judicium jam olim non cessat, et perditio eorum non dormitat. **4.** Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari. **5.** Et originali mundo non pepercit, sed octavum Noe justitiæ præconem custodivit, diluvium mundo impiorum inducens. **6.** Et civitates Sodomorum et Gomorrhæorum in cinerem redigens, eversione damnavit : exemplum eorum, qui impie acturi sunt, ponens; **7.** et justum Lot oppressum a nefandorum injuria, ac luxuriosa conversatione eripuit; **8.** aspectu enim et auditu justus erat, habitans apud eos, qui de die in diem animam justam iniquis operibus cruciabant. **9.** Novit Dominus pios de tentatione eripere, iniquos vero in diem judicii reservare cruciandos; **10.** magis autem eos, qui post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant, dominationemque contemnunt, audaces, sibi placentes, sectas non metuunt introducere blasphemantes : **11.** ubi angeli fortitudine et virtute cum sint majores, non portant adversum se execrabile judicium. **12.** Hi vero velut irrationabilia pecora, naturaliter in captionem, et in perniciem in his quæ ignorant blasphemantes, in corruptione sua peribunt. **13.** Percipientes mercedem injustitiæ, voluptatem existimantes diei delicias : coinquinationes et maculæ, deliciis affluentes, in conviviis suis luxuriantes vobiscum; **14.** oculos habentes plenos adulterii, et incessabilis delicti; pellicientes animas instabiles; cor exercitatum avaritia habentes, maledictionis filii : **15.** derelinquentes rectam viam erraverunt, secuti viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amavit. **16.** Correptionem vero habuit suæ vesaniæ : subjugale mutum animal, hominis voce loquens, prohibuit prophetæ insipientiam. **17.** Hi sunt fontes sine aqua, et nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reservatur. **18.** Superba enim vanitatis loquentes, pelliciunt in desideriis carnis luxuriæ eos, qui paululum effugiunt, qui in errore conversantur : **19.** libertatem illis promittentes, cum ipsi servi sunt corruptionis : a quo enim

qui superatus est, hujus et servus est. 20. Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri, et Salvatoris Jesu Christi, his rursus implicati superantur : facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. 21. Melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato. 22. Contigit enim eis illud proverbii : Canis reversus ad suum vomitum, et, Sus lota in volutabro luti.

Vers. 1. 1. FUERUNT VERO ET PSEUDOPROPHETÆ, — puta falsi vates et doctores, qui populum a Deo ad idola et vitia avocabant, promittentes eis pacem et abundantiam bonorum temporalium, et oracula ac minas verorum Prophetarum irridentes. Hos enim omni ævo suscitavit dæmon, qui est simia Dei, ut sicut Deus suos habebat Prophetas, ita et ipse suos haberet, sed falsos, qui Deum et veros oppugnarent, inquinando veram fidem et religionem falsis opinionibus et superstitionibus, uti notavit Tertullianus, lib. *De Præscript. contra hæret.*; Justinus *Contra Tryphonem*; S. Irenæus, Cyprianus, Augustinus et alii. Tales fuere Prophetæ Baal qui se opposuerunt Eliæ, ut pro Deo substituerent Baal, III *Reg.* XVIII, 19; Sedecias, Ananias et alii, quos perstringit Jeremias, cap. XXVIII; Isaias, cap. IX, vers. 15; Moses, *Deuter.* XIII, 1, et alii.

IN POPULO — Hebræorum, qui erat populus et Ecclesia Dei veri.

SICUT ET IN VOBIS ERUNT. — Est anastrophe : hæc enim verba præponenda sunt hoc modo, sicut olim fuerunt pseudoprophetæ inter Judæos, sic et in vobis, o Christiani, erunt magistri mendaces. Deinceps enim de Christianis eorumque pseudoprophetis agit; sed meminit veterum, tum ne novum et insolens id putent Christiani, tum ut novorum mores ex veterum moribus repræsentet. Tales tempore S. Petri erant Simon Magus, primus hæresiarcha, cui successit Menander discipulus, deinde Saturninus, Basilides, Ebion, Cerinthus, Nicolaitæ; mox vero futuri erant Gnostici, Valentiniani, Montanistæ, Marcionitæ, etc., quos Tertullianus, lib. *De Præscript.*, cap. IV, vocat pseudoprophetas, id est, falsos prædicatores et pseudoapostolos, id est, adulteros evangelizatores, ut ipse interpretatur.

Eosdem in Ecclesia mox futuros prædixit S. Paulus, *Actor.* XX, 30, et S. Joannes, *epist.* I cap. II, vers. 2. Sic Manichæos sui ævi pingit S. Augustinus, lib. III *Confess.*, cap. VI, ab eisque se captum commemorat : « Incidi, inquit, in homines superbe delirantes, et carnales nimis et loquaces, in quorum ore laquei diaboli, et viscus confectum commixtione syllabarum nominis tui, et Domini Jesu Christi, et Paracleti consolatoris nostri, Spiritus Sancti. Hæc enim omnia non recedebant de ore eorum, sed sono tenus et strepitu linguæ : cæterum cor inane veri. Et dicebant : veritas et veritas, et multi eam dicebant mihi, et nusquam erat in eis, sed falsa loquebantur, non de te tantum, qui vere veritas es, sed etiam de istis elementis hujus mundi creaturis tuis, de quibus etiam vera dicentes philosophos transgredi debui præ amore tuo, mi Pater summe bone, pulchritudo pulchrorum omnium. »

QUI INTRODUCENT, — παρεισάξουσιν, id est furtim, clam et subdole introducent, speciem et larvam pietatis ac reformationis suæ hæresi prætendentes; uti faciunt nostri Calvinistæ, qui se vocant Ecclesiam Reformatam, cum sit plane deformis et deformata, imo omnia sacra et sancta deformans; nimirum hi sunt lupi rapaces, qui se ovium vellere abscondunt et fucant, uti ait Christus, *Matth.* VII, 15. Iidem sunt vulpes, quæ demoliuntur vineam Domini, *Cant.* II, vers. 15, quos S. Cyprianus, *epistola* 73, recte nuncupat simias homines imitantes; S. Ignatius *ad Trallianos*, cicutam mulso temperantes, caupones vino venenum miscentes.

Hinc S. Cyprianus, *epist.* 52; S. Augustinus, *epist.* 165; Irenæus, lib. III, cap. II, et alii jugulant hæresin et hæreticos, eam arguendo et convincendo injustitiæ et rapinæ, quod scilicet invadant sanctæ Scripturæ et Ecclesiæ limites, eosque quasi injusti possessores occupent, legitimis Episcopis et magistris expulsis.

Præclare Tertullianus, *De Præscript.*, cap. XXI, hanc fidei normam sancit : « Id tenendum, ait, quod Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo suscepit : reliquam vero omnem doctrinam docet de mendacio præjudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum et Apostolorum, et Christi, et Dei; » et cap. XXXI, idipsum ostendit ex parabola seminis et zizaniorum, *Matth.* XIII, « quæ bonum semen frumenti, inquit, a Domino seminatum primo constituit, avenarum autem sterilis fœni adulterium ab inimico diabolo postea superducit. Ita ex ipso ordine manifestatur, id esse Dominicum et verum, quod sit prius traditum : id autem extraneum et falsum, quod sit posterius immissum; et cap. XXXV, quod fides nostra orthodoxa sit : Prior, inquit, hoc erit testimonium veritatis ubicumque occupantis principatum. Quod ab Apostolis non damnatur, sed defenditur, hoc erit indicium proprietatis; » et cap. XXXVII, urgens præscriptionem : Hæreticis, inquit, dicendum est : « Qui estis? quando et unde venistis? Quid in meo agitis non mei? quo denique, Marcion, jure silvam meam cædis? qua licentia, Valentine, fontes meos transvertis? qua potestate, Apelles, limites meos commoves? Mea

Novitas est nota hæresis.

est possessio : quid hic cæteri ad voluntatem vestram seminatis et pascitis? Mea est possessio : olim possideo, prior possideo, habeo origines firmas ab ipsis auctoribus, quorum fuit res. Ego sum hæres Apostolorum. Sicut caverunt testamento suo, sicut fidei commiserunt, sicut adjuraverunt, ita teneo : vos certe exhæredaverunt semper, et abdicaverunt ut extraneos, ut inimicos. » Vide Vincentium Lirinensem in aureo libello contra profanas hæresum novitates.

SECTAS PERDITIONIS. — Græce αἱρέσεις ἀπωλείας, id est, *hæreses perditionis*, hoc est, perditas et perniciosas, quæ ducunt in exitium tum præsens, tum æternum. Hæresis enim non tantum perdit animas in gehenna, sed sæpe et corpora, opes et imperia in præsenti vita, uti hoc et præcedenti sæculo vidimus Hungariam aliasque provincias per hærsesim et hæreticos occupatas a Turcis; prælia et cædes maximas commissas ab Huguenotis in Gallia, a Puritanis in Anglia et Scotia, a Lutheranis in Germania. Hinc eorum dux, choragus et incentor est angelus abyssi, puta diabolus, « cui nomen hebraice Abaddon, græce Apollyon, latine Exterminans, » *Apocal.* IX, 11. Porro Tertullianus, *De Præscript.*, cap. VI : « Hæresis, ait, dicta Græca voce ex interpretatione electionis, qua quis sive ad instituendas, sive ad suscipiendas eas utitur. Ideo et sibi damnatum dixit hæreticum, quia et in quo damnatur, sibi elegit : nobis vero nihil ex nostro arbitrio inducere licet, sed nec eligere quod aliquis de arbirio suo induxerit. Apostolos Domini habemus auctores, qui nec ipsi quidquam ex suo arbitrio quod inducerent elegerunt, sed acceptam a Christo disciplinam fideliter nationibus assignaverunt. Itaque etiamsi angelus de cœlis aliter evangelizaret, anathema diceretur nobis. » Hæreticus ergo est qui eligit quod credat, ideoque non credit quod credendum docent Doctores et Ecclesia. Hæresis enim græce idem est, quod electio; secta vero a secando dicta est, eo quod sit factio ab aliis resecata et separata, juxta illud *Judæ*, vers. 19 : « Hi sunt qui segregant semetipsos. »

Hæretici negant Christum varie.

ET EUM QUI EMIT EOS, NEGANT. — Græce ἀρνούμενοι, id est *negantes*, tum in præsenti, tum in futuro, id est, negant et negabunt, quia hic est eorum genius et spiritus, scilicet negare Christum, *q. d.* Hæretici negant Christum qui eos suo sanguine redemit : quod summæ est ingratitudinis æque ac dementiæ; negant enim suum Salvatorem et salutem. Porro id faciunt, tum quia pleræque hæreses negarunt Christi vel divinitatem, vel humanitatem, vel animam, vel voluntatem, vel redemptionem, vel gratiam; aut Christo indigna et blasphema ascribunt, ut ignorantiam, blasphemiam, desperationem, damnationem, uti facit Calvinus : qui enim hæc asserit, negat Christum esse redemptorem, non verbo, sed reipsa; tum quia Christi Sacramenta, fidem, doctrinam et Ecclesiam impugnant : hoc est quod ait S. Petri asecla, S. Judas, vers. 4 : « Solum Dominatorem et Dominum nostrum Jesum Christum negantes; » tum quia Simon Magus negabat Christum, dicebatque se esse Dei virtutem et Christum; uti hoc sæculo fecit David Georgius, Joannes Leydanus, et similes fanatici. Denique omnis hæresis tandem desinit in atheismum, ac primo negat Christum, deinde numen et providentiam, tandem Deum; uti jam videmus hæreticos docere, quemlibet, etiam Turcam et Paganum, in sua fide posse salvari, ac proinde non esse necessarium Christum et Christianismum : quæ secta jam valde invalescit, cui obniti totis viribus debent Prælati et Principes.

Desinunt in atheismum.

SUPERDUCENTES SIBI CELEREM PERDITIONEM, — quia post mortem, quæ in hac vita adeo brevi eis accelerat et instat, accersunt sibi ignem æternum. Plerique etiam hæresiarchæ infelici, celeri et infami morte sublati sunt. Simon Magus arte magica volans, per preces S. Petri dejectus e Capitolio, in præceps ruens crura fregit, ac paulo post ex dolore expiravit, teste Arnobio, lib. II *Contra Gentes*; S. Maximo, hom. 5 *De Nativit. SS. Petri et Pauli*, et Hegesippo, lib. III *De Excid. Hierosol.*, cap. II. Manes, qui se Manichæum quasi effusorem mannæ nuncupavit, a rege Persarum excoriatus est, eo quod ejus filium quem curaturum se promiserat, occidisset, teste Epiphanio, *hæresi* 66. Montanus cum suis Prophetissis laqueo se præfocavit, ait Eusebius, lib. V, cap. XVI. Donatistæ Eucharistiam canibus projicientes, ab eis discerpti sunt, ait Optatus, lib. II *Contra Parmenionem*. Arius vadens ad ecclesiam, eam occupaturus, dolore alvi correptus, in latrinis intestina cum anima effudit, teste Ruffino, lib. X *Histor.*, cap. XIII. Julianus Apostata pugnans contra Persas cœlesti telo ictus interiit, ait S. Gregorius Nazianzenus, orat. 1 *in Julianum*. Priscillianus a Maximo tyranno capite plexus est. Leo Armenus Iconoclasta in ipsa ecclesia necatus est. Heraclius Imperator factus Monothelita subitam fœdamque mortem obiit, cum non nisi in vultum proprium mingere posset, ait Zonaras in *Annal.* Theodorici, regis Gothorum Ariani, horribilem necem et damnationem narrat S. Gregorius, IV *Dialog.*, cap. XXX. Valens Arianus a Gothis victus fugiens in casam, in ea ab iisdem concrematus est, ait S. Hieronymus in *Chron.* Nestorii linguam blasphemam exederunt vermes, ait Evagrius, lib. I *Hist.*, cap. VII. Hunericus Arianus, persecutor fidelium, a vermibus consumptus est, ait Victor, lib. III *Wandal.* Anastasius Imperator Eutychianus fulmine ictus occubuit, ait Zonaras, et Paulus Diaconus in ejus Vita. Lutherus post lautam cœnam nocte suffocatus interiit, teste Cochlæo in Vita Lutheri. Zuinglius in bello Helvetico promittens se omnia Catholicorum tela excepturum, ab iisdem interemptus est. Andreas Carolstadius a dæmone abreptus non comparuit. Calvinus instar Herodis a vermibus consumptus, blasphemans et pe-

Hæresiarchæ miserе mortui.

jerans infelicem animam exhalavit, teste Bolseco in ejus Vita.

Vers. 2. 2. ET MULTI SEQUENTUR EORUM LUXURIAS. — Græce ἀπωλείαις, id est, *perditiones* et exitia. Sed Regia, Complut. et alia legunt ἀσελγείαις, id est *petulantias*, luxurias, intemperantias.

Hoc est quod ait Judas, vers. 4, hæreticos gratiam Dei nostri transtulisse in luxuriam. Et Paulus eos vocat voluptatum amatores magis, quam Dei, II *Timoth.* III, 4. S. Hieronymus in cap. III *Jerem.* diserte ait, « quod nulla hæresis nisi propter gulam ventremque construitur, ut seducat mulierculas oneratas peccatis; » et in cap. IX *Oseæ* : « Difficile, ait, est invenire hæreticum qui diligat castitatem. » Nota sunt sacrilegia et libidines portentosæ Calvini, Lutheri, Bezæ et cæterorum. Quocirca Thomas Morus argute cuidam objicienti, plurimos ad Lutheri sectam se conferre, ideoque eam videri veram, respondit : « Non plus miraculi est homines ad Lutherum currere, quam saxa ex alto ruere deorsum; » plerique enim currunt et ruunt ad gulam, venerem et libertatem carnis, quasi porci ad volutabrum, quam permittit, imo docet Lutherus.

PER QUOS VIA DEI BLASPHEMABITUR. — Hebr. דֶּרֶךְ *derech*, id est *via*, significat institutum, vivendi normam et rationem. « Via » ergo « Dei » est vera religio et Christianismus sancitus a Deo; hic blasphematur ab hæreticis, tum facto et vita, quia impuris moribus eum contaminant, ac Turcis et Paganis eum ridendum et blasphemandum exponunt; tum lingua et calamo, quia multos blasphemos errores docent, multaque convicia et blasphemias jactant in Christum, Beatam Virginem, Sanctos, Religiosos, Monachos, vota, jejunia, cælibatum, Sacramenta, præsertim Eucharistiam.

Vers. 3. 3. ET IN AVARITIA FICTIS VERBIS. — Alludit ad mercatores qui verbis fictis et arte compositis, supra veritatem laudant et extollunt suas merces, ut facilius eas extrudant, et carius vendant. Sic enim hæretici, ut suam hæresim divendant et spargant, eam blandis et elegantibus verbis adornant, et quasi meretricem sermonis lenocinio fucant, ut videatur pulchra et elegans instar Helenæ. Unde pro *fictis* græce est πλαστοῖς, id est, ut Pagninus et Tigurina, *factitiis*, aut potius *fictitiis*, quia more plastis ac figuli multa confingunt, ut hæresis suæ idolum velent, vestiant et ornent. Hoc est quod ait Paulus *Rom.* XVI, 18 : « Per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentum; » et S. Gregorius, V *Moral.*, cap. XI, alias XII : « Plane semper blanda sunt, inquit, quæ proponunt, sed aspera quæ prosequendo subinferunt; » et S. Hieronymus, epist. *ad Oceanum et Pammach.* : « Sic, ait, verba temperant, sic ordinem vertunt, et ambigua quoque concinnant, ut et nostram et adversariorum confessionem teneant, ne aliter hæreticus, aliter Catholicus audiat; » sicut Ariani, ut ὁμούσιον, id est *consubstantialem*, tollerent, dixerunt Christum esse ὁμοιούσιον, id est, *in substantia similem* Patri, ut viderentur idem dicere quod orthodoxi; sed unicum iota adjicientes ὁμοίουσιον sive ὁμοούσιον evertebant, teste S. Cyrillo, *Dial. de Trinit.*, lib. I.

Præclare S. Augustinus, lib. *De Convenientia Decalogi cum decem plagis Ægypti* : Qui, inquit, Christianæ veritati contradicunt, « et in sua vanitate decepti decipiunt, ranæ sunt, tædium quidem afferentes auribus, nullos autem præbentes cibos mentibus. » Sed ranæ hæ ad lucem Ecclesiæ et veritatis obmutescunt, juxta illud Poetæ :

> Lumine perculsæ cessant maledicere ranæ,
> Et victus veri luce sophista tacet.

Idem, serm. 87 *De Temp.*, comparat eos cyniphibus, quos volantes non vides, sed sentis stimulantes. Hæreticus enim « minutis et subtilibus verborum stimulis animas terebrat, et tanta calliditate circumvenit, ut deceptus quisque nec videat, nec intelligat unde decipitur. » Idem, lib. V *Confessionum*, cap. III *De Fausto Manichæo* : « Faustus, ait, magnus laqueus diaboli, et multi implicabantur in eo per illecebram suaviloquentiæ; » et cap. VI : « Expertus sum hominem gratum et jucundum verbis, et ea ipsa, quæ illi (Manichæi) dicere solent, multo suavius garrientem; » sed subdit suam sapientiæ veræ sitim ab eo non potuisse expleri, præsertim ubi « apparuit imperitus earum artium, inquit, quibus eum excellere putaveram, » etc. Libri quippe eorum pleni sunt longissimis fabulis de cœlo, et sideribus, et sole, et luna. » Unde S. Augustinus fatetur, eo relicto, se alio transtulisse ad vestigandam sapientiam.

DE VOBIS NEGOTIABUNTUR, — ἐμπορεύσονται, id est *mercabuntur*; Vatablus, *vos cauponabuntur, de vobis ad quæstum abutentur*; tum quia emungent crumenas vestras, tum quia vos vendent diabolo. Hæreticorum ergo proprium vitium est avaritia, Apostolorum vero et Doctorum orthodoxorum opum contemptus. Unde Paulus gratis evangelizavit, I *Corinth.* IX, 15, et I *Thessal.* II, 5. Hoc est quod ait Paulus *ad Titum* I, 10 : « Qui universas domos subvertunt, docentes quæ non oportet turpis lucri gratia; » et Judas, vers. 16 : « Mirantes personas quæstus causa. » Unde graphice eos pingens S. Ignatius, *epist.* 3 : « Quorum Deus, inquit, venter est, qui terrena sapiunt, amatores voluptatum et non Dei; speciem quidem pietatis præ se ferentes, virtutem autem ejus abnegantes; χριςέμποροι, id est, Christum mercantes, verbum Dei in tabernis prædicantes, et Dominum nostrum Jesum Christum vendentes, mulierum corruptores, aliena concupiscentes, et pecuniarum amatores. »

QUIBUS JUDICIUM JAM OLIM NON CESSAT, — *q. d.* « Judicium, » id est pœna et damnatio justo Dei judicio ab olim, puta ab æterno, eis decreta non tardat, sed instat et imminet, licet ipsi hic triumphent quasi securi, beati et felices. Græce οὐκ

ἀργεῖ, id est, *non otiatur*, hoc est, ut Œcumenius, non erit otiosa nec irrita, non desidet, non torpescit, sed strenue progreditur et accelerat. Unde explicans subdit : « Et perditio eorum non dormitat. » Hoc est quod peccatoribus intonat Isaias, XXX, 33 : « Præparata est ab heri Tophet, a rege præparata, profunda et dilatata. Nutrimenta ejus ignis et ligna multa : flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam : » vide ibi dicta.

Vers. 4. 4. SI ENIM DEUS ANGELIS PECCANTIBUS NON PEPERCIT. — Subaudi, multo magis hominibus vilibus, puta hæreticis, non parcet, uti explicat Petrus, vers. 9 et 11. Ita Cassianus, lib. XII *Instit.*, cap. IV, et Damascenus, I *Paralip.* VI. « Peccantibus, » intellige et in peccato suo usque ad finem persistentibus : « Nam quod in homine est mors, hoc in angelis est casus seu lapsus, » puta viæ, pœnitentiæ et meritorum terminus, ait Nyssenus vel potius Nemesius, lib. I *De Homine*, cap. III, et ex eo Damascenus, lib. II, cap. IV. Sicut ergo homo est viator usque ad mortem, potestque pœnitere et salvari : sic et angeli habuerunt aliquod spatium, licet breve, quo fuerunt viatores usque ad lapsum e cœlo, in quo pœnitere potuissent, ait Nyssenus, si voluissent; sed noluerunt, ideoque omnes ceciderunt et damnati sunt, uti passim docent Patres et Doctores. Nec aliud voluisse videtur S. Thomas, I *part.*, *Quæst.* LXIII et LXIV, cum ait angeli naturam secundum voluntatem esse inflexibilem, ut in eo quod semel deliberate elegit, constanter persistat, uti de facto in sua electione perstiterunt omnes tam boni quam mali : inflexibilem enim intellexit, quia ægre flectitur, eo quod prius omnia exacte consideret et perspiciat antequam eligat, quod homo sæpe non facit, ideoque facilius flectitur mutatque propositum. Alioqui enim angelus cum sit liberrimus, absolute flexibilis est, potestque mutare electionem, uti evincit Scotus in II, dist. 6, *Quæst.* II, et Gabriel ibidem *Quæst.* I, art. 2. Credibile tamen est Deum eis non dedisse gratiam excitantem ad pœnitendum necessariam, eo quod liberrime peccarint, et in peccato se obfirmarint, uti docet S. Gregorius, II *Moral.*, cap. III, vel. IV; Cassianus, collat. IV, cap. XIII et XIV; Prosper, lib. I *De Vita contemplativa*, cap. III; Fulgentius, *De Fide*, cap. III; Isidorus, lib. I *De Summo bono*, cap. XII, sentent. 11; S. Anselmus, lib. I *Cur Deus homo*, cap. XVI.

Angeli voluntas est flexibilis.

Et hac de causa nonnulli Doctores censent dæmones mox ut lapsi sunt in peccatum, fuisse in viæ suæ termino, ideoque non potuisse resurgere per pœnitentiam et salvari; sententia tamen damnationis in omnes prolata non fuit a Deo, nisi consummata eorum in peccato perseverantia et obstinatione : qua prolata, illico e cœlo in tartara præcipitati sunt. Vide Gabrielem Vasquez, I *part.*, *Quæst.* LXIV, art. 2, disp. 239, cap. VII, ubi et ex Patribus quinque causas recenset, cur Deus pepercerit homini peccanti, non angelo. *Prima* est, quia homo fragilis per imbecillitatem carnis peccavit, ideoque misericordiam est consecutus : angelus vero purus vegetusque est spiritus, inquit S. Gregorius, IV *Moral.*, cap. IX, alias X, et Damascenus, lib. II *De Fide*, cap. III. *Secunda*, quia angelus nullo suadente peccavit, homo autem suadente diabolo : ita S. Gregorius loco citato. *Tertia*, quia in angelis non est lapsa tota natura, sed pars illius; in homine vero tota natura lapsa est : posteri ergo Adæ, eo peccante, digni fuere venia, quia ejus peccati non fuere conscii : ita S. Augustinus, *Enchir.*, cap. XXIX. *Quarta*, quia angelus ob summam mentis perspicacitatem plena voluntate peccavit : ita Cassianus, collat. IV, cap. III. *Quinta*, quia angelus creatus fuit in summo honoris ordine, quem in via habere poterat, et tantum per contemplationem sui Creatoris confirmandus erat; ideo inde lapsus, non fuit revocatus per pœnitentiam : homo vero in terra positus, destinatus generationi, ut inde ad meliorem vitam sine morte transiret, in statu magis remoto a beatitudine constitutus est; et ideo magis spatium constitutum est homini quam angelo, et pœnitentia homini concessa, non angelo : ita Auctor *De Mirabil. S. Script.* apud S. Augustinum, lib. I, cap. II.

Deus non pepercit angelo peccanti, sed homini, ob quinque causas. Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta.

Porro peccatum Luciferi et angelorum fuit superbia, quia instigante Lucifero rebellarunt Deo; sed in quo ea sita fuerit, variant Doctores. *Primo*, Gabriel Biel et Scotus in II, dist. 5, censent in eo sitam fuisse, quod sibi in sua pulchritudine et excellentia nimis complacuerint. *Secundo*, alii in eo quod noluerint pendere a Deo, sed sibi vivere et sufficere. *Tertio*, alii in eo quod voluerint beatitudinem sibi arrogare, suisque assequi viribus, non Dei : ita Alexander, Albertus, S. Thomas, S. Bonaventura in II, dist. 5 et 6. *Quarto*, alii in eo, quod voluerint cæteris præferri et nulli subesse : ita S. Augustinus, lib. XIV *De Civitate*, cap. XI, et S. Gregorius, XXXIV *Moral.*, cap. XVII, alias XIV : « Jus, inquit, libertatis appetiit, ut præesset cæteris, et nulli subesset. » *Quinto*, probabililiter Franciscus Suarez, lib. VII *De Angelis*, cap. XVIII, num. 13, censet eos ambivisse unionem hypostaticam Verbi, ut scilicet illa uni ex angelorum ordine, puta Lucifero suo principi, conferretur, non homini alicui, puta Christo. Hanc enim unionem videtur appetiisse Lucifer, eamque invidisse Christo, ideoque alios ad sibi consentiendum sollicitasse. Idipsum innuit Apostolus, *Hebr.* cap. I, vers. 6, dicens : « Et cum iterum introducit Primogenitum in orbem terræ, dicit : Et adorent eum omnes angeli Dei. » Eamdem sententiam tenet Catharinus hic, eamque innuit Tertullianus, lib. *De Patientia*; S. Basilius, homil. *De Invidia*; S. Cyprianus, tract. *De Zelo et livore*; S. Bernardus, serm. 1 *De Adventu*; Rupertus in cap. VIII, vers. 5 *Joannis*, et alii.

Lucifer appetit unionem hypostaticam Verbi.

SED RUDENTIBUS (perperam aliqui apud Bedam legunt, *rugientibus*) INFERNI DETRACTOS IN TARTARUM TRADIDIT CRUCIANDOS. — « Rudentibus, » id est

catenis infernalibus, scilicet igni et inferno eos alligando, ut nulla potestate aut vi ea excutere, aut ab iis se liberare valeant. Græce est σειραῖς ζόφου, id est *catenis caliginis*, vel noctis. Per « rudentes inferni » S. Petrus significat potestatem, jus et vim quam habuit et exercuit infernus, quasi minister et lictor Dei, in angelos in cœlo mox ut peccarunt, et a Deo damnati sunt, ut scilicet illos deturbante Michaele cum sociis angelis bonis, sua quasi vi supernaturali, quatenus scilicet erat instrumentum divinæ vindictæ, e cœlis ad se attraheret, sibique ut tortori et tormento indivulse et inseparabiliter alligaret; sicut idem ille ignis inferni dæmones quocumque terrarum vagantes ita detinet, ut activitatem ejus nusquam effugere possint. Sicut ergo ignis vehemens suum quærit pabulum, adeoque si paleas aut stipulas vel eminus odoretur, illico eas invadit, corripit et incendit : sic et ignis inferni suum pabulum odoratus in cœlo, puta dæmones, illico eos ad se rapuit, detraxit et flammavit, fecitque folles et fomenta gehennæ. Ubi nota paradoxon : nam tunc infernus habuit jus in cœlum, id est, in angelos in cœlo, ideoque cœlum fuit quasi infernus, imo inferno subditum. Nec id mirum : quia magis mirum est peccatum angelorum fuisse in cœlo, quam pœnam peccati. Ubi vide et collige ex pœna hac, quanta sit gravitas peccati et superbiæ, quæ cœlum quasi in infernum, angelos in dæmones commutarit.

Cœlum inferno subditum, quando ?

Possunt tamen facilius in Græco rudentes inferni referri non ad vocem *detractos*, sed ad vocem *tradidit*, *q. d.* Tradidit Deus angelos peccantes ac mancipavit carceri et igni infernali, illique eos in perpetuum devinxit, et quasi quibusdam rudentibus, vel, ut Græca habent, catenis caliginis alligavit et firmissime astrinxit, ut eum nunquam excutere aut evadere possint. Hæ ergo catenæ et rudentes non sunt aliud, quam claustra inferni. Unde S. Augustinus, lib. XI *De Civit.*, cap. XXXIII, et S. Gregorius, lib. VIII *Moral.*, cap. XI, sic legunt : « Sed carceribus caliginis inferni retrudens, tradidit in judicio puniendos, vel cruciandos reservari. »

Hos rudentes graphice depingit S. Cyprianus, *De Laudibus martyrii* : « Sæviens, inquit, locus cui gehenna nomen est, magno plangentium murmure et gemitu, et cruciantibus flammis per horrendam spissæ caliginis noctem, sæva semper incendia camini fumantis expirat, globus ignium arctatus obstruitur, et in varios pœnæ exitus relaxatur. Tunc sæviendi plurima genera, tum in se ipse convolvit, quidquid ardoris emissi edax flamma cruciarit. Hos quibus recusata vox Domini, et imperia fuere contempta, disparibus coercet exitiis, proque merito salutis exactæ vires suas suggerit, dum pars sceleris discrimen imponit. » Atque hæc quidem universim omnino vere.

Mox vero singula pœnarum genera distinguens : « Et alios quidem, ait, moles intolerabilis curvat; alios per abruptum clivosi tramitis collem vis sæva præcipitat, et catenarum stridentium nexum grave pondus inclinat. Sunt et quos agens strictim rota et indefessa vertigo, et quos tenaci inter se densitate constrictos adhærens corpori corpus includat; ut et absumat incendium, et gravet ferrum, et excruciet turba multorum. » Quæ sane, nisi metaphorice et improprie accipias, fabulosa et Poetarum figmentis similia videntur : licet enim certum sit in inferno damnatos variis pœnis et modis torqueri, tamen in dæmonibus, qui corpus non habent, hæc locum habere nequeunt, nisi quis dicat dæmones in inferno assumere corpora horribilia, ut homines damnatos magis crucient, magisque crucientur et ipsi, quod insinuat Isaias, XXXIV, 14, ut ibi dixi.

Porro ex eo quod habet Græcus, *catenis caliginis*, multi per caliginem accipiunt non infernum, sed aerem hunc crassum; indeque docent aerem hunc plenum esse dæmonibus : partem enim dæmonum detrusam esse in infernum, partem vero hic vagari ad tentandum omnes, quæ in die judicii relegabitur in tartara : ita S. Hieronymus, in cap. VI *ad Ephes.*, vers. 12; S. Chrysostomus, homil. 11 *in epist.* I *ad Thessalon.*; Tertullianus, *Apolog.* cap. XXII; Theodoretus, lib. IV *De Græcor. Affect.*; S. Antonius apud S. Athanasium; S. Augustinus, *De Natura boni*, cap. XXXIII, et VIII *De Civit.*, XXII, et tract. 95 *in Joann.*, et alibi; qui et addit aerem hunc imum posse vocari infernum. Hæc sententia vera est, sed non congruit nostræ versioni, quæ habet « rudentibus inferni : » hi enim non sunt in aere; nec etiam congruit Græco ταρταρώσας, id est, *in tartarum præcipitans*. Quare caligo hæc accipi debet in inferno, uti explicat Judas, vers. 6, dicens : « Vinculis æternis sub caligine reservavit; » in inferno enim sunt vincula dæmonum æterna, non in aere.

Nota : Τὸ *non pepercit* continet miosin : parum enim dicit, sed longe plus significat, *q. d.* « Non pepercit, » sed irrevocabilem in eos protulit damnationis sententiam, juxta illud I *Regum* cap. XV, vers. 29 : « Triumphator in Israel non parcet, et pœnitudine non flectetur; neque enim homo est, ut agat pœnitentiam. » Quare error Origenis jam olim damnatus est, dæmones aliquando a Deo revocandos et salvandos fore. Quo accedit Ambrosiaster in cap. III *ad Ephes.*, asserens aliquos ex dæmonibus per Paulum liberatos ab errore, peccato et Luciferi tyrannide. Huc aliqui referunt illud Severi Sulpitii, quod ipse ascribit S. Martino in Vita ejus, cap. XXIV, ubi narrat S. Martinum diabolo energumenum possidenti dixisse : « Si pœnitere et converti vis, Deus tui miserebitur. » Verum si id dixit S. Martinus, non absolute dixit Deum miserturum diaboli, sed conditionate, scilicet si pœnitere vellet; atqui conditio hæc est impossibilis : dæmon enim obstinatus est in malo

prorsusque impœnitens pœnitere nec vult, nec potest: ergo pariter impossibile est secundum legem ordinariam ut Deus ejus misereatur. Quare verissime S. Augustinus, lib. XXI *De Civit.*, XXIII: « Teneatur, ait, fixum et immobile, nullum regressum ad justitiam vitamque sanctorum diabolum et angelos ejus habituros; quia Scriptura quæ neminem fallit, dicit eis, Deum non pepercisse, et sic ab illo esse inter impios prædamnatos, ut carceribus caliginis inferni retrusi traderentur servandi, atque ultimo judicio puniendi, quando eos æternus ignis excipiet, ubi cruciabuntur in sæcula sæculorum. »

DETRACTOS IN TARTARUM. — Græce significantius est ταρταρώσας, *q. d. Tartarizans*, siderans, fulminans, adigensque in tartara. Porro *tartarus*, et in plurali *tartara* dicuntur ἀπὸ τοῦ ταράσσειν, id est *turbare*; aut potius ἀπὸ τοῦ ταρτηρίζειν, id est *a tartareo tremore frigoris*; tartarus ergo significat locum frigoris maximi: ita ex Hesiodo Plutarchus, opusc. *De primo Frigido*. Sicut ergo infernus dicitur gehenna ab igne et ardore, ita idem dicitur *tartarus* a frigore et gelu, juxta illud *Job* cap. XXIV, vers. 19: « Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium, » quod de inferno explicat Philippus Presbyter, Beda, Lyranus, S. Thomas, Studita et alii. Idem significat stridor dentium, de quo Christus *Matth.* XXV, 30 et 41. Stridor enim hic oritur ex frigore. Unde Beda, lib. V *Histor. Angl.*, refert S. Diethelmum vidisse animas in Purgatorio salire ab ignibus ad nives. Tartarus ergo est locus inferorum profundus et imus, ait Servius et Suidas. Unde Virgilius, VI *Æneid* :

Tartarus a frigore dictus.

> Tum tartarus ipse
> Bis patet in præceps tantum, tenditque sub umbras,
> Quantus ad æthereum cœli suspectus Olympum.

Idem ibidem :

> Hinc via tartarei quæ fert Acherontis ad undas;
> Turbidus hic cœno vastaque voragine gurges
> Æstuat, atque omnem Cocyto eructat arenam.
> Quæ rapidus flammis ambit torrentibus amnis,
> Tartareus Phlegethon, torquetque sonantia saxa.

Et Lucretius, lib. III :

> Tartarus horrificos eructans faucibus æstus.

Quæres ex quo loco detracti sunt dæmones, et consequenter ubi fuere creati? Resp. *primo*, S. Augustinus, lib. III *De Genesi ad litter.*, cap. X, et Rupertus *in Genes.* libro I, cap. XI, eos conditos fuisse in aere superiore, qui cœlo vicinus est, indeque detractos. Idem censuit Eugubinus, lib. VII *Peren. Phil.*, cap. XXXVIII, sed falso nixus fundamento, scilicet quod angeli sint corporei, et quoad corpus ex aere creati. *Secundo*, S. Hieronymus (quem sequitur noster Lorinus et Ascanius Martinengus *in Genes.* cap. I, et Franciscus Suarez, tract. *De Angelis*, lib. I, cap. IV), lib. VI in *Isaiæ* cap. XIV, vers. 13, explicans illud Luciferi : « In cœlum conscendam, super astra cœli exaltabo solium meum, » censet Luciferum et dæmones creatos esse in firmamento, sive sphæra octava, in quo sunt stellæ et astra, indeque voluisse conscendere in cœlum empyreum. *Tertio*, S. Augustinus, XI *De Genes. ad litter.*, cap. XVII et XIX, censet dæmones creatos in mundo isto inferiori, angelos vero bonos in cœlo. *Quarto*, S. Thomas, I *part.*, *Quæst.* LXI, quæstiunc. 4, ad 2, insinuat angelos inferiores, qui præsunt creaturis, ut cœlis, elementis, in illis ipsis esse creatos, cæteros vero in cœlo empyreo.

Quinto, alii passim censent omnes angelos tam bonos quam malos creatos esse in cœlo empyreo, indeque malos a Michaele et sociis præcipitatos in tartara: ita Glossa, Beda, hom. 2 *Hexaem.*, quod opus alii Junilio ascribunt; Magister sententiarum in II, dist. 2; S. Thomas et Scholastici, I *part.*, *Quæst.* LXI, art. 4. Ratio est, *primo*, quia angeli sunt nobilissimæ creaturæ et purissimi spiritus : ergo eis debebatur nobilissimus et purissimus locus; talis autem est cœlum empyreum. *Secundo*, quia angeli creati sunt primo die mundi, scilicet cum ipso mundo. Primo autem die tantum creatum est cœlum empyreum, terra et abyssus aquarum: cæteri enim cœli creati sunt quarto die mundi, uti ostendi *Genes.* cap. I, vers. 1 et seq. Ergo necessum fuit angelos omnes creari in cœlo non alio, quam empyreo. *Tertio*, cœlum empyreum est immobile; cæteri enim cœli moventur et raptantur motu primi mobilis, angeli autem sunt quieti et stabiles; nec decet eos raptari instar cœlorum, aut locum domumque eorum raptari ipsis immotis, ut sua eis sedes et locus eripiatur : ergo creati sunt in cœlo immobili, puta empyreo. *Quarto*, quia in empyreo est sedes et thronus gloriæ Dei; illius autem stipatores sunt angeli : ergo, etc.

Probatur. Primo. Secundo. Tertio.

Porro Isaiæ locus non concludit Luciferum creatum esse in firmamento; alius enim est sensus Isaiæ, ut ibidem dixi : alioqui ex eodem loco concludendum esse Luciferum creatum esset in infima aeris regione; ait enim : « Ascendam super altitudinem nubium; imo, sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis, » hoc est, in monte et templo Sion. Loquitur ergo Isaias de homine terreno, puta de rege Babylonis, ut ipse ait vers. 4, non de diabolo.

Dices : Adam creatus est extra Paradisum, et translatus est a Deo in Paradisum : ergo pariter decuit angelos non creari in loco gloriæ, qui est cœlum empyreum, sed ad illum per merita transferri. Respondeo, nego consequentiam; et ad antecedens dico Adamum conditum fuisse extra Paradisum, quia ipse erat terrenus et terræ totius dominus, ac posteri ejus spargendi erant per omnes terræ regiones. Adde, idem pene esse creari in Paradiso, et mox a creatione gratuito collocari in Paradiso, uti contigit Adamo; unde et Eva condita est in Paradiso : angelis vero ob naturæ excellentiam nullus alius erat conveniens locus,

quam cœlum empyreum. Porro, si Adam Paradisum contaminavit peccando, quid mirum, si Lucifer cœlum quoque empyreum contaminarit peccando? Nec enim locus, sed persona peccans proprie peccato contaminatur.

Hæretici similes dæmoni. Nota: S. Petrus comparat et adæquat hic hæresiarchas Lucifero, hæreticos dæmonibus, hæresim eorum peccato, tam in culpa, quam in pœna.

Primo. *Primo,* quia Lucifer peccavit intoleranda superSecundo. bia, ita et hæresiarcha. *Secundo*, quia Lucifer et dæmones rebellarunt Deo et Ecclesiæ cœlesti : sic et hæretici rebellant Deo et Ecclesiæ terrestri.

Tertio. *Tertio,* Lucifer cum dæmonibus commisit crimen læsæ majestatis divinæ ; ejus enim thronum voluit invadere cum dixit : « In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, similis ero Altissimo, » *Isaiæ* XIV, 13. Sic et hæretici committunt crimen læsæ majestatis divinæ, quia ejus veritatem, fidem, religionem, cultum, Ecclesiam, Sacramenta impugnant ; ac proinde novum quasi Deum, novam fidem, religionem, Ecclesiam inducere satagunt, in qua hæresiarcha præsideat quasi terrestris Lucifer, assistant ei hæretici qui

Quarto. ei credunt quasi angeli et dæmones. *Quarto,* Lucifer satagit omnes tam angelos quam homines secum trahere in ruinam : sic hæresiarcha plurimos seducit, secumque trahit in perniciem et gehen-

Quinto. nam. *Quinto,* quia Lucifer auctor est omnis hæresis, adeoque multi hæresiarchæ habuerunt dæmones paredros et familiares, uti ostendi I *Timoth.* IV, 1. Unde Cassianus, *Collat.* VII, cap. XXXII, affirmat se dæmonem audisse confitentem, se per Arium et Eunomium impietatem sacrilegi dogmatis edidisse. Sane Lutherus, lib. *De Missa angulari,* et *ad Electorem Saxoniæ*, fatetur se cum diabolo plusquam modium salis comedisse, ab eoque argumenta accepisse quibus Missam impugnaret. Calvinus Bucero objicienti sibi studium conviciandi et maledicendi, respondet epistola ad eumdem, « hunc esse morbum sui non tam ingenii, quam genii, » utique mali ; se enim a genio quodam impelli, ut sive scribat, sive concionetur, assidue maledicat et convicietur. Zuinglius, lib. *De Supplem. Eucharist.*, profitetur se noctu edoctum modum detorquendi verba consecrationis : « Hoc est corpus meum, » nimirum explicando corpus per figuram corporis ; additque nescire se an genius hic albus, an ater fuerit. Carolstadium a dæmone abreptum publica est fama. Hosius, lib. *De Hæresibus,* scribit nonnullos decies per diem diabolum adorasse, indeque vocatos Dæmoniacos. Huc facit quod Tertullianus, lib. *De Præscript.*, cap. XLIII et seq., scribit hæreticos commercia habere cum Magis ; imo primum hæresiarcham Simonem, ejusque discipulum Menandrum fuisse magos. Hoc sæculo est secta Diabolistarum, qui gloriantur se sortiarios esse, et diaboli charactere insignitos, quem ubi vino incaluere, nudata carne ostendere non verentur. Auditum est ex ipsorum confessione, quod numerus eorum usque ad sexaginta millia in Galliis excreverit. Dicunt se aliquid credere, ubi id expedit : nihil vicissim credere, ubi sic expedit : ita ex libro Parisiensi Rescius in *Centuria sectarum.* Caveat sibi quisque ab eis quasi a diabolo, præsertim principes ; nam in eorum aulas et animos, ut eorum sint consiliarii, sese insinuare satagunt, simulatione sapientiæ. Vide nostrum Delrio præfat. in *Disquisit. magic.*, ubi quinque causas recenset, cur hæresim comitetur magia : unde *Apocal.* cap. IX, vers. 3, locustæ repræsentantes hæreticos, exeunt de puteo abyssi. Hinc et Antichristus, qui erit caput et princeps hæreticorum, ita possidebitur a diabolo, ut videatur esse dæmon incarnatus. Unde de eo Apostolus ait II *Thessal.* II, 9 : « Cujus est adventus secundum operationem Satanæ in omni virtute, et signis, et prodigiis mendacibus, et in omni seductione iniquitatis. »

Sexto, sicut Lucifer est imus in inferno, sic et Sexto. hæresiarchæ sunt profundissimi in inferno, quasi assessores Luciferi. Quocirca S. Chrysostomus *Contra Arianos* ita concludit ; « Arianus est, ergo diabolus est. » S. Athanasius vero, serm 2 *Contra Arian.*, Arium vocat atheum. S. Augustinus, XXI *De Civit.*, XXV, docet hæreticum esse pejorem Pagano. Rationem dat : « Cum pejor utique sit desertor fidei, et ex desertore oppugnator ejus effectus, quam ille qui non deseruit quod nunquam tenuit. » Et Tertullianus, lib. *De Patientia* : « Ethnici, ait, non credendo credunt » multa de Deo naturali lumine cognita ; « at hæretici credendo non credunt, » quia dicunt se credere verbo Dei, cum revera non credant.

TRADIDIT CRUCIANDOS IN JUDICIUM RESERVARI. — Loquitur S. Petrus de dæmonibus, quasi de reis jam damnatis ad extremum supplicium : hi enim post damnationis sententiam traduntur commentariensi, ut eos in carcere asservet et vinciat, donec educantur ad supplicium. Simili enim modo Deus dæmones mancipavit inferno usque ad diem judicii et supplicii. Licet enim τὸ *cruciandos* non sit in Græco, tamen intelligitur. Suspicatur Gagneius nostrum interpretem pro τηρουμένους, id est, *eos qui servantur,* aut τετηρημένους, id est *servatos*, hoc est *servandos*, legisse τειρομένους, id est *afflictos, vexatos,* ac pro eo vertisse *cruciados* : quin et codices nonnulli habent κολαζομένους, id est, eos qui puniuntur et cruciantur.

Aliqui ex hoc loco et similibus, ut *Matthæi* Dæmones ante diem judicii cruciantur igne. cap. VIII, vers. 29, ubi dæmones rogant Christum ne eos mittat in abyssum, putarunt dæmones nec-dum cruciari igne gehennæ, sed eo cruciandos post diem judicii : ita videtur loqui S. Justinus, *Contra Tryphonem* ; Irenæus, lib. V, cap. XXXIII ; S. Hilarius, can. 8 *in Matth.* ; Eusebius, IV *Histor.*, XVII vel XVIII ; Lactantius, lib. VII, cap. XXVI. Sed certum est dæmones omnes, etiam qui in hoc aere vagantur, cruciari igne gehennæ, sive quod ignis ille agat in distans ; sive quod ignem illum invisibiliter secum ferant, illique sint alligati : ideo

enim Deus detraxit eos in tartarum, ut ibi jugiter crucientur et ardeant. Quare Patres jam citati explicandi sunt de pœna accidentali : hæc enim dæmonibus accrescet in die judicii. *Primo*, quia in judicio universali, coram omnibus angelis et hominibus, publicam accipient damnationis sententiam a Christo judice, cujus facies et ira adeo erit horribilis, ut dæmones et damnati mallent manere in inferno ibique cruciari, quam inde exire in vallem Josaphat ad judicium, juxta illud *Apocal.* VI. 16 : « Dicunt montibus et petris : Cadite super nos et abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira Agni, quoniam venit dies magnus iræ ipsorum, et quis poterit stare? »

In Judicio crescet pœna. Primo.

Secundo, quia in judicio auferetur eis omnis libertas vagandi per terram, et tentandi perdendique homines, ac in infernum quasi in carcerem perpetuum nunquam inde exituri recludentur; quod valde eos cruciabit : unde dæmones rogarunt Christum, ne eos mitteret in abyssum, *Matth.* cap. VIII.

Secundo.

Tertio, quia in judicio omnes Angeli et Beati cum Christo eos condemnabunt et increpabunt, I *Corinth.* VI, 3; *Sapient.* V, 1. Rursum dæmones in judicio videbunt Angelorum et Sanctorum gloriam, eosque in thronos et sedes sibi olim destinatas succedere et evehi, se vero in gehennam deprimi, quod eos valde cruciabit.

Tertio.

Quarto, quia tunc simul omnes damnati et dæmones trudentur in gehennam, ubi quisque cæterorum omnium tormenta videns, iisdem cruciabitur, præsertim quia unus alteri ibidem maledicit eumque execratur, affligit et torquet, præsertim eos qui ipsum tentarunt ad peccatum, ideoque damnationis ejus fuerunt causa, uti fuere dæmones. Hoc est quod ait S. Joannes, *Apocal.* XX, 9 : « Diabolus qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis et sulphuris, ubi et bestia et pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum. » In inferno ergo omnes se invicem cruciant, ringunt et laniant quasi canes rabidi. Hoc est quod S. Clemens, VII *Const.* XXXIII, ait, Christum venturum ad judicandum diabolum mundi deceptorem. Et Lactantius, lib. VII, 26 : In die judicii, ait, « Dominus illorum (impiorum, puta Satanas) cum ministris suis comprehendetur, ad pœnamque damnabitur; cum quo pariter omnis turba impiorum pro suis facinoribus in conspectu angelorum atque justorum perpetuo igni cremabitur in æternum. » Denique S. Bonaventura, in IV, *dist.* XLVII, art. 1, Quæst. IV, insinuat essentialis etiam pœnæ dæmonum partem in diem judicii differri; verum hoc aliis passim non probatur.

Quarto.

Vers. 5. 5. ET ORIGINALI MUNDO NON PEPERCIT. — Græce ἀρχαίου κόσμου, quod Pagninus et Vatablus vertunt, *prisco mundo*; Clarius, *antiquo*; Gagneius, *rudi et imperito*, scilicet in cognitione Dei et rerum salutis. « Originalem » ergo mundum vocat priscum et primævum, qui fuit ante diluvium : tunc enim fuit origo mundi et hominum in Adamo, a quo decimus fuit Noe, sub quo Deus totum istum mundum punivit diluvio, eo quod ingratus, et recentis originis ac creationis et creatoris sui immemor, ad carnem et scelera deflexisset; præsertim cum posteri Seth connubia junxerunt cum posteris Cain, uti narratur *Genes.* VI. Post exemplum punitionis dæmonum proponit S. Petrus exemplum diluvii, quo Deus omnes peccatores mersit totumque mundum perdidit, ut quisque impius, præsertim hæreticus, secum cogitet : Si Deus toti mundo non pepercit, ergo nec mihi qui unus et solus sum, parcet.

Nota, sicut paulo ante hæreticos et hæresiarchas comparavit S. Petrus Lucifero et diabolis, ita hic eosdem comparat gigantibus; hi enim fuerunt causa diluvii. *Primo* ergo, sicut gigantes nati sunt ex luxuria filiorum Dei, puta posterorum Seth, cum filiabus hominum, puta Caini, *Genes.* VI, 4 : ita luxuria multos monachos et apostatas adigit ad hæresim, ut fiant hæreticorum ministri.

Hæretici similes gigantibus. Primo.

Secundo, quia gigantes fuerunt superbi et θόμαχοι : sic et hæretici sunt Titanes superbissimi, qui contra Christum et Deum pugnant, tandemque fiunt athei et atheismum inducunt.

Secundo.

Tertio, sicut gigantes fuerunt tyranni et oppressores hominum, sic et hæretici.

Tertio.

Quarto, sicut Nemrod et gigantes ædificarunt turrim Babel quasi contra cœlum et Deum pugnaturi : sic et hæretici ædificant Ecclesiam schismatis et confusionis, quam significat Babel, ut Ecclesiam tam cœlestem, quam terrestrem oppugnent.

Quarto.

Quinto, sicut Deus gigantes mersit diluvio et præcipitavit in tartara, sic et hæreticos præcipitat : vide dicta de gigantibus, *Genes.* VI.

Quinto.

SED OCTAVUM NOE JUSTITIÆ PRÆCONEM CUSTODIVIT. — Titelmannus censet Noe fuisse octavum ab Adamo; sed fallitur : fuit enim ab eo decimus. Dicitur ergo octavus, scilicet eorum qui per arcam salvati sunt : alludit enim S. Petrus ad id quod dixit *epist.* I, III, 20 : « Octo animæ, » id est homines, « salvæ factæ sunt per aquam; » eorum ergo octavus fuit Noe. Alii ex Josepho, lib. I *Antiq.*, cap. IV et V, censent Noe fuisse octavum præconem justitiæ, quia secutus est septem generationes, quibus posteri Seth coluerunt justitiam et sanctitatem. Alii « octavum » dici censent, quia natus est anno octingentesimo, non a creatione mundi : ab ea enim natus est anno 1056; sed ab inchoata impietate et corruptione mundi, quæ ante Noe duraverat per septingentos annos. Alii septem alios præcones justitiæ illo ævo commiscuntur, quos Scriptura non exprimat, quorum octavus fuerit Noe. Sed primus sensus est genuinus. Porro Philo, lib. *de Congressu quærendæ eruditionis gratia*, notat Noe, qui primus in Scriptura nominatur justus, fuisse decimum ab Adamo : « Ut, inquit, aperte doceat, quod sicut denarius numerorum, qui deinceps unitatem sequitur, est

perfectissimus : ita justitia in anima revera finis est vitæ actionum. »

Nota : Noe vocatur « justitiæ præco. » *Primo,* quia prænuntiavit justam scelerum vindictam mundo imminentem per instans diluvium. *Secundo,* quia ipse fuit cultor justitiæ et sanctitatis, eamque verbo et exemplo deprædicavit. *Tertio,* quia fuit Propheta et prænuntiavit adventum justi, puta Christi, quod scilicet ipse carnem assumeret ; ac proinde indignum esse carnem maculare gula et venere, quam Filius Dei ad divinitatem esset evecturus. Hinc Josephus, lib. I *Antiq.*, cap. IV : « Noe, inquit, facta eorum (hominum sui ævi) moleste et indigne ferens suadebat, ut in melius mentem ac opera sua transmutarent. Verum cum videret illos sibi non parere, totosque vitiorum dulcedini succumbere, veritus ne et se et familiam suam interimerent, secedens cum suis in aliam regionem migravit. Et Deus viri justitia delectatus, non aliorum solum malitiam damnavit, sed cum decrevisset universum humanum genus extinguere, aliudque novum et a vitiis purum instaurare, primum vitam eorum breviore spatio circumscripsit, et abrogata longævitate intra centum et viginti annos coercuit ; dein continentem terram in pelagi faciem transmutavit, atque ita genus illud abolevit universum. »

Quocirca S. Paulus ita celebrat Noe ejusque fidem et justitiam, cap. XI *ad Hebr.* 7 : « Fide Noe responso accepto de iis, quæ adhuc non videbantur, metuens aptavit arcam in salutem domus suæ, per quam damnavit mundum, et justitiæ quæ per fidem est, hæres est institutus. » Et S. Ambrosius, lib. I *De Noe,* cap. I : « Noe, ait, Dominus Deus ad renovandum semen hominum reservavit, ut esset justitiæ seminarium, etc., ut dum Noe sanctum majore intentione consideramus, reficiamur et nos, sicut omne genus in illo requievit ab operibus suis atque tristitia. Unde et Noe dicitur latine justus, vel requies. » Et mox subdit : « Justitiam solam esse quæ aliis potius nata, quam sibi, non quod utile sibi est, quærat, sed quod omnibus. Hæc nos requiescere facit ab operibus iniquitatis, hæc revocat a tristitia ; quia dum ea quæ justa sunt gerimus, nihil timemus puræ conscientiæ securitate. » Et cap. XX, docet ob justitiam Noe factam esse humani generis instaurationem, « ne totum corpus generis humani vel abolitum videretur in terris, vel a Dei abscissum gratia relinqueretur, etc. Et ideo justus quem non videbat Dominum, requirebat, corruptelæ exsors, cupidus æternitatis. » Idem S. Ambrosius in *Psal.* CXVIII, octon. 7, asserit « quod Enoch propter devotionem raptus ad cœlum, terrenæ malitiæ virus evaserit ; quod Noe propter justitiam diluvii victor, generis factus humani superstes sit ; quod Abraham propter fidem, seminarium posteritatis suæ toto orbe diffuderit ; quod Israel propter laborum tolerantiam, populum credentium proprii nominis signaculo consecraverit ; quod David propter mansuetudinem regali honore donatus, senioribus fratribus antelatus sit ; quod Elias propter zelum Dei curru elatus in aerem cœlestis sedis hospitium novi generis acquisierit incolatu ; » vide S. Augustinum, serm. 46 *De Temp.*, ubi Noe charitatem sanctitatemque demonstrat et celebrat.

CUSTODIVIT — tum in justitia, tum in vita, ne periret diluvio, sed esset conservator et restaurator generis humani, ac pater et patriarcha novi post diluvium sæculi.

DILUVIUM MUNDO IMPIORUM INDUCENS. — « Mundum impiorum » vocat non solos impios, sed totum mundum impiis plenum : totus enim mundus propter impios, cum ipsis diluvio mersus est. De Noe et diluvio, vide dicta *Genes.* VI.

6. ET CIVITATES SODOMORUM ET GOMORRHÆORUM IN CINEREM REDIGENS. — Impiis, puta hæreticis, proposuit S. Petrus *primo,* punitionem dæmonum ; *secundo,* vindictam diluvii. Hic *tertio,* proponit conflagrationem Sodomæ et Gomorrhæ ob infanda scelera et præposteras libidines. Quocirca merito Justinianus imperator, Constit. *Novella* 77, vetans eas, nuncupat illicitas, impias et diabolicas luxurias, ob quas Deus orbi graves clades immittat. Atque Valentinianus, Theodosius et Arcadius Imperatores eas flammis puniendas, ac pæderastas exurendos sanxerunt, sicut Deus exussit Sodomitas, imo totam Pentapolim, licet amœnissimam et fertilissimam, in cineres redegit, ne vel reliquiæ tanti tamque enormis et infamis sceleris in terra extarent. Sic et hæresiarchæ ignibus traduntur quasi piacula et catharmata terræ, ne eam inquinent, sed expient ; ipsi enim non raro corporales, sed semper mystici sunt Sodomitæ, quia fidem adulterant, et præposteram inducunt : qua de causa eos hic Sodomitis comparat S. Petrus. Vers. 6.

EXEMPLUM EORUM QUI IMPIE ACTURI SUNT, PONENS, — scilicet hoc exemplo ostendens omnes impios similiter ac Sodomitas puniendos esse, et perenniter arsuros in gehenna : cujus rei ὑπόδειγμα, id est *exemplum,* imago, specimen, paradigma, exemplar, similitudo et typus fuit incendium Sodomæ : quod tantum fuit, ut etiamnum terra illa tota sit caliginosa et fumigans, plena bituminis, nil vivum alens ; quin et frondes, flores et fructus mox ut carpuntur, in cineres et favillas vertuntur, quasi ignis pristinus ibidem adhuc latens perduret, itaque ignem perennem inferni repræsentet. Unde Josephus, lib. V *Belli,* cap. V : « Huic (Arabiæ) inquit, vicina est Sodomitea terra olim quidem tam fructibus quam divitiis civitatum fortunata, nunc autem omnis exusta, ut quæ habitatorum impietatis fulminibus conflagrasse memoratur ; denique adhuc in ea divini ignis reliquias, et oppidorum quinque videre licet imagines, et renascentes in fructibus cineres : qui colore quidem sunt edulibus similes, carpentium vero manibus in fumum dissolvuntur et cinerem. » Et Philo, lib. *De Abraham* : « Fulmineus ignis (Sodomæ), ait, nunquam extinguitur ; aut serpit aut vapo-

rat, quod oculis ipsis cernitur; extant etiam argumento cladis veteris fumus exhalans perpetuo, et sulphur quod ibi foditur. » Adde plane videri omnes Sodomitas et Pentapolitas post incendium terrestre, damnatos fuisse ad incendium infernale, uti docet S. Cyprianus, serm. *De Passione*. Hoc est quod S. Petro consonans clare asserit S. Judas, vers. 7 : «Sicut Sodoma et Gomorrha, et finitimæ civitates simili modo exfornicatæ, et abeuntes post carnem alteram, factæ sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes. »

7. ET JUSTUM LOT OPPRESSUM A NEFANDORUM (Sodomitarum) INJURIA AC LUXURIOSA CONVERSATIONE ERIPUIT, — per angelos æque ac Noe eripuit ab impiis et diluvio : vide historiam Lot *Genes.* XIX.

8. ASPECTU ENIM ET AUDITU JUSTUS ERAT, — *q. d.* Lot creptus fuit ab incendio Sodomæ, quia sanctis et castis erat oculis et auribus, cum utrisque incesti et obsceni essent Sodomitæ : unde ipse tantis eorum obscenitatibus, quas invitus ægerrime videbat et audiebat, discruciabatur (1).

CRUCIABANT. — Legit Interpres ἐβασάνιζον, id est *excruciabant*, in plurali : jam legunt in singulari ἐβασάνιζεν, id est *cruciabat*, scilicet seipsum et animam suam Lot; sed eodem redit sensus : tam enim Sodomitæ suis infandis sceleribus excruciabant Lot, quam Lot iisdem se discruciabat et discruciabatur, dicens illud S. Polycarpi, *De Hæreticis* : « Deus bone, in quæ tempora me reservasti, ut hæc audiam? » teste Eusebio, lib. V *Histor.*, cap. XX. Nam, ut ait S. Gregorius, I *Moral.*, VII : « Iniquorum vita non delectando justi aures atque oculos, sed feriendo tangebat; » illam enim detestabatur et execrabatur. Nota hic, Sanctorum est cruciari sceleribus et offensis contra Deum et proximum admissis in sua congregatione, urbe, provincia et regno; ita David, *Psalm.* CXVIII, 139 : « Tabescere, ait, me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei. » Et vers. 158 : « Vidi prævaricantes, et tabescebam. » Quia enim summe amant Deum, ejusque honorem zelant, æque ac proximorum salutem, hinc summe dolent et cruciantur de Dei contemptu ac proximorum perditione.

9. NOVIT DOMINUS PIOS (Noe, Lot eorumque asseclas) DE TENTATIONE ERIPERE. — Novit non tantum speculative, sed et practice; « novit » ergo, id est scit, potest, vult et solet (est metalepsis) pios eripere (2), juxta illud quod promisit per Isaiam, cap. XLIII, vers. 2 : « Cum transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te; et cum ambulaveris in igne, non combureris, et flamma non ardebit in te. » Noe enim ab aquis, Lot ab igne liberatus est. Sic Deus liberavit Abraham de Ur, id est igne Chaldæorum, *Genes.* XI, 31; Jacob de manu Esau, Joseph de manu fratrum et carcere, Mosen et Hebræos de manu Pharaonis, David de manu Saul, Susannam de manu senum, Danielem de lacu leonum, tres pueros de fornace, Mardochæum de manu Aman, Judith de manu Holofernis, Tobiam de manu Asmodæi, Machabæos de manu Antiochi, Eliam de manu Jezabelis. Vere Psaltes : « Multæ, ait, sunt tribulationes justorum, et de omnibus his liberabit eos Dominus, » *Psalm.* XXXIII, 20. Et *Psalm.* XLIX, 15 : « Invoca me in die tribulationis : eruam te, et honorificabis me. » Et *Psalm.* XC, 15 : « Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum et glorificabo eum. »

Dicant ergo Sancti in tribulatione cum Paulo : « In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur; aporiamur, sed non destituimur; persecutionem patimur, sed non derelinquimur; humiliamur, sed non confundimur; dejicimur, sed non perimus, » II *Corinth.* IV, 8. Et : « Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis; sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos, » *Roman.* VIII, 73. Quo ergo major est tribulatio et angustia, eo magis sperandum, spesque fortius et securius figenda est in Deo, quia magis tribulatis magis vicinus est Deus. Acute Plinius, lib. VIII, cap. XVI : « Tum, ait, præcipuus votorum locus est, cum spei nullus est. » Hoc est, quod ait Nahum, id est Consolator cap. I, vers. 7 : « Bonus Dominus, et confortans in die tribulationis. » Tunc enim mira Dei benignitas elucet, cum justos videt ita oppressos, ut humanitus periculis eripi et salvari non possint. Unde Tigurina vertit : « Præsidium temporibus difficillimis; » alii, « robur in die angustiæ, » hebr. est מעז *maoz*, pro quo Septuaginta vertere solent *hyperaspistes*; Vulgatus, *protector*, juxta illud *Sapient.* V, 17 : « Dextera sua teget eos, et brachio sancto suo defendet illos; » græce ὑπερασπιεῖ, hoc est, tanquam satelles et stipato clypeo suo proteget eos. Sic Deus dixit Abrahæ, *Genes.* XV, 1 : « Noli timere, Abraham, ego protector tuus sum; » hebr. *ego scutum tibi*; Septuaginta, ἐγὼ ὑπερασπίζω, hoc est, *ego protego te*, objecto hostibus et opposito validissimo clypeo. Hinc a Davide *Psal.* LIX, 9, Deus vocatur « fortitudo capitis mei, » hebr. *maos*; Septuaginta, κραταίωσις, id est *firmitas*, securitas, munimentum. Et *Psalm.* IX, 10 : « Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione. » *Prov.* X, 29 : « Fortitudo simplicis, via Domini; » hebr. *maos*; Septuaginta, ὀχύρωμα, id est *munitio*, arx, propugnaculum. *Cant.* I, 8 : « Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, » hoc est, sicut populo meo, cum a fronte mare Rubrum objectum fugam retardaret, a tergo furens Pharao cum copiis validissimis insequeretur, a lateribus rupes transitum negarent, in tantas angustias redacto, et omni humana ope destituto, opportune subveni; sic et subveniam tibi, o sponsa mea, in quantavis angustia.

Crescente tribulatione crescat spes in Deum.

INIQUOS VERO IN DIEM JUDICII RESERVARE CRUCIANDOS. — Est hic antapodoton, sive redditio et ex-

(1) Rosenmullerus et Allioli ita Græcum recte construunt, ut *aspectu* et *auditu* referantur ad *cruciabant*.

(2) Ex uno exemplo nobili sententia infertur generalis.

pletio similitudinis inchoatæ vers. 4. Illa enim sententia : « Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, » inabsoluta pendet, et pendula suspendit lectorem hucusque : hic enim expletur. Imo Hyginius Papa, *epistola* 2, citatis præcedentibus S. Petri de angelis, Noe et Sodoma verbis, statim subdit : « Quid putatis iniquis et impiis perseverantibus in nequitia eorum erit? » sive hæc ipse olim in epistolis S. Petri legerit, sive non lecta, sed intellecta suppleverit. Sensus ergo est, *q. d.* « Si Deus angelis non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in judicium reservari, » etc.; ergo idem ipse novit, id est scit, potest et vult homines iniquos, ut Sodomitas et mersos diluvio, cæterosque « in diem judicii reservare cruciandos. » Hinc aliqui censuerunt damnatos non cruciari igne gehennæ ante diem judicii. Quam sententiam Græcis tribuit Guido Carmelita; sed hic est error damnatus in Concilio Florentino, imo a Christo *Lucæ* XVI, 19, ubi narrat animam divitis Epulonis cruciari igne gehennæ. Sicut ergo animæ Sanctorum post Christi mortem, si plene sint expiatæ, illico evolant in cœlum, ibique visione Dei beantur : sic animæ reproborum illico rapiuntur in tartara, ut igne exurantur, ait S. Gregorius, IV *Dialog.*, XX. Quod ergo hic dicitur eos reservari in diem judicii cruciandos, intellige quia tunc non tantum in anima uti nunc, sed et in corpore quo resurgent, cruciabuntur, aliasque pœnas accidentales subibunt, æque ac dæmones, uti dixi vers. 4.

Vers 10. 10. MAGIS (Græce μάλιστα, id est *maxime*; S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovinianum, præcipue*) AUTEM EOS (supple et repete id quod præcessit, scilicet : « Novit Dominus iniquos in diem judicii reservare cruciandos; » huic enim apte cohæret « magis autem eos ») QUI POST CARNEM IN CONCUPISCENTIA IMMUNDITIÆ AMBULANT. — *q. d.* Deus in die judicii puniet omnes impios, sed maxime hæreticos luxuriosos, qui dominationem contemnunt, etc.; horum enim uti majus est scelus, ita pariter majus erit judicium et supplicium. Lyranus ex τὸ *magis*, vel, ut græce est, *maxime*, colligit peccatum hæresis, præsertim in hæresiarcha, esse gravius peccato Sodomitarum et eorum qui mersi sunt diluvio, quin et dæmonum, ideoque gravius puniendum in gehenna. Quod intellige non de omnibus, sed de multis : peccatum enim Luciferi excitantis cæteros ad rebellandum Deo, fuit gravius. Adde, hæresim inducere cætera omnia peccata; ac præsertim libidinem etiam præposteram : uti pæderastas fuisse Calvinum et Bezam docet eorum vita et carmina. Hoc est quod ait Judas, vers. 7, eos sicut Sodomam exfornicatos abire post carnem alteram.

QUI POST CARNEM (id est sequentes carnem, ejusque appetitus carnales) IN CONCUPISCENTIA IMMUNDITIÆ, (græce μιασμοῦ, id est *contaminationis* et pollutionis) AMBULANT. — Unde S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovinianum*, sic legit : *Qui post carnem ambulant in desideriis pollutionis*, id est pollutis, quibus corpus, æque ac animam, contaminant et polluunt. Taxat S. Petrus hæreticorum sui ævi, puta Simonianorum, Nicolaitarum, Gnosticorum, libidines et spurcitias, ait Œcumenius. Idem fuit genius aliorum hæreticorum, præsertim hujus ævi, uti norunt viri prudentes et experti. Hinc de eisdem Paulus, *Ephes.* V, 12 : « Quæ ab eis, ait, occulte fiunt, turpe est dicere. »

DOMINATIONEMQUE CONTEMNUNT. — *Primo, q. d.* Contemnunt Magistratus, Episcopos, Præpositos tam sæculares, quam ecclesiasticos, qui in Ecclesia vel Republica dominantur. Ita Vatablus; unde S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovinianum*, legit in plurali, *et dominationes despiciunt*. Eodem modo legunt Biblia Regia et Complut. Quam hoc sit verum omnes historiæ loquuntur, imo oculis nostris vidimus in bellis, quæ hæretici rebelles in Francia, Germania, Anglia, Belgio suscitarunt. Sane Lutherus, lib. *De Potestate sæculari* : « Scire, inquit; debetis, quod ab initio mundi rara admodum avis est princeps prudens, adhuc multo rarior princeps probus : sunt communiter maxime fatui, ac pessimi nebulones super terram; et ipsi sunt lictores et carnifices Dei. » Et in *Præfat.* contra duo Cæsaris mandata : « Turca, ait, decies et prudentior et probior est principibus nostris. » Et *in Rusticos* libello, eos vocat tyrannos, et Evangelii persecutores. « Scriptura, ait, vocat eos bestias, id est, animalia fera, ut sunt lupi, apri, ursi, leones. Neque igitur ego ex iis homines faciam; ferendi tamen sunt, si Deus per eos plagis nos vult afficere. Utrumque sane timui, si prævalerent rustici, diabolus foret Abbas; si vero prævalerent ejusmodi tyranni, mater ejus foret Abbatissa. » Idem in Bulla contra Ordinem Ecclesiasticum, Episcopos vocat larvas diaboli, additque : « Quicumque opem ferunt, corpus, bona et famam in hoc impendunt, ut Episcopatus devastentur, et Episcoporum regimen extinguatur, hi sunt dilecti filii Dei et veri Christiani, observantes præcepta Dei, et repugnantes ordinationibus diaboli : aut si hoc non possunt, illud saltem contemnant. Contra vero qui manu tenent Episcoporum regimen, eisque obediunt, hi sunt diaboli ministri. » Et rursum : « Evangelium quocumque venit, oportet ut tumultuetur; nisi id faciat, non est verum. »

Lutherus tuhicen rebellionum.

Anno 1560 habitum est Genevæ consilium de rege Francorum, regina uxore, regina matre, ejus liberis, proceribus et Catholicis magistratibus ad certum diem trucidandis, Beza principe, Calvino auctore, Ottomano subsignatore, Spifamio suasore, omnibus Galliæ prædonibus et lanistis consciis. Hujus consilii et conspirationis inventa est et impressa epistola Calvini ad Viretum Lausannæ, uti narrat Bolsecus in Vita Calvini, cap. XXI. Calvinus in cap. IV *Danielis* : « Hodie, ait, ut reges fere omnes fatui sunt et bruti, ita etiam sunt quasi equi et asini brutorum ani

Et Calvinus.

malium.» Zuinglius, Martis et Bellonæ sacerdos, lib. IV *Epistolarum*, fol. 186 : « Romanum, inquit, imperium, imo quodcumque imperium, ubi sinceram religionem opprimere cœperit, si nos illud negligenter patimur, non minus contemptæ religionis rei erimus, quam ipsi oppressores. » Ederus, in II *Evang. Inquisit. parte*, inter Flaccianorum dogmata et axiomata hæc recenset : « Papa est verus Antichristus, draco venenatus, diaboli administrator, homo peccati, filius perditionis. Cæsar et reges quando sunt a Papa vel ejus Episcopis consecrati, tunc accipiunt Antichristi signum : omnes in Papatu proprie sunt regnum diaboli, populus dæmonis, horrendæ et immitis bestiæ et archinebulones. » Plura vide apud Stanislaum Rescium, lib. I *De Atheismis Evangelicorum*, cap. VII. Quin et Aurifaber, Lutheri discipulus, in *Symposiacis*, tit. *de Sectariis* : « Certum est, inquit, quod quilibet hæreticus aut sectarius est seditiosus : nam posteaquam mendacia docuit et sparsit, ea deinde homicidiis obsignat. » Et iterum folio 367 : « Seditiones et homicidia hæreticorum, imo diaboli velut sigillum quoddam sunt. » Inde tot scelera Lutheri sectatorum, adeo ut Lutherus ipse ad tot tantaque obstupescens dixerit homines deteriores esse in lutheranismo quam in Papatu. Aurifaber enim in Convivalibus Lutheri sermonibus scribit, sæpe dixisse Lutherum cum suspiriis : « Post revelatum Evangelium (per Lutherum) virtus est occisa, justitia oppressa, temperantia ligata, veritas a canibus lacerata, fides clauda, nequitia quotidiana, devotio pulsa, hæresis relicta. » Celebre est illud de Titelmanno Heshusio Lutherano Heidelberga, aliisque quinque urbibus ejecto :

Quæritur, Heshusius cur sexta pulsus ab urbe est?
In promptu causa est, seditiosus erat.

Secundo et pressius, *q. d.* Dominium Dei contemnunt, negant Deum esse rerum suarum et humanarum gubernatorem ac dominum, negant Dei providentiam. Ita explicat S. Judas, vers. 4, dicens : « Dominatorem et Dominum nostrum Jesum Christum negantes. » Nicolaitæ enim et Gnostici, ait Irenæus, lib. I, cap. I : « Salvatorem dicunt : nec enim Dominum eum nominare volunt; » juxta id quod dixit Petrus, vers. 1 : « Et eum qui emit eos, Dominum negant, » *q. d.* Spoliant Christum redemptorem suum summo dominio, id est divinitate, uti postea fecerunt Ariani : Dei enim proprium nomen est, Dominus, ob plenum ejus dominium in omnia. Unde S. Thomas profitens Christi divinitatem : « Dominus meus, ait, et Deus meus, » *Joan.* XX, 28. Causam dat Œcumenius : « Deinde, inquit, per hæc a mundi opificio et providentia dominationibus expulsis, in omnem carnalem immunditiem profusi sunt. » Sic enim hæretici et athei negant numen et Dei providentiam, ut sine remorsu judicis et vindicis suis cupidinibus fræna laxent, iisque toti velut equi et sues indulgeant.

Per κυριότητα ergo S. Petrus significat divinitatem, qua dominantem omnibus, puta summum ejus imperium, dominium, jus, potestatem, arbitrium, auctoritatem, gubernationem et providentiam in res omnes, quam Christo adimebat, sibique arrogabat Simon Magus cum suis. « Dominationem » ergo, id est Dominum, ut explicat S. Judas, ejusque dominium et providentiam, pro qua paulo post Valentinus triginta Æonum suorum nomina et portenta, quasi numina, substituit, ut patet ex Tertulliano, Irenæo, S. Augustino, Epiphanio in ejus *hæresi*. Unde contra eos hoc dominium Christi asserit S. Joannes, *Apocal.* XIX : « Habet, ait, in vestimento et in femore suo scriptum : Rex regum et Dominus dominantium. » Et Paulus, *Ephes.* cap. I, vers. 21 : « Constituens, ait, Christum ad dexteram suam in cœlestibus super omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro. »

Vere Tertullianus, lib. *De Præscript.*, cap. XLIII : « De genere conversationis, ait, qualitas fidei æstimari potest, doctrinæ index disciplina est. Negant Deum timendum. Itaque libera sunt illis omnia et soluta : ubi autem Deus non timetur, nisi ubi non est? ubi Deus non est, nec veritas ulla est; ubi veritas nulla est, merito et talis disciplina est. At ubi Deus, ibi metus in Deum, qui est initium sapientiæ. Ubi metus in Deum, ibi gravitas honesta, et diligentia attonita, et cura sollicita, et adlectio explorata, et communicatio deliberata, et promotio emerita, et subjectio religiosa, et apparitio devota, et processio molesta, et Ecclesia unita, et Dei omnia. » Ita Lutherus, lib. *Contra cœlestes Prophetas*, scribit de Andrea Carolstadio discipulo suo, quod adeo fuerit impius, ut non crediderit vel in terris, vel in cœlis ullum Deum existere. Calvinus, lib. II *Inst.*, scribit Servetum, qui se summum orbis Prophetam nominabat, impie blasphemasse Deum illum, qui dicitur Jehova, in ligno lignum, in lapide lapidem, in arbore arborem esse; eo quod formam et substantiam ligni, lapidis et arboris vere habeat. Heshusius, lib. *Contra Illyricum*, scribit ex doctrina Illyrici elici, quod animam hominis non Deus, sed diabolus crearit. Bernardinus Ochinus in penultimo Dialogo suo, se religionis expertem professus, docet Deum primum esse motorem, non tamen esse adorandum; nec ab eo quidquam præsidii exspectandum. Beza negat Deum omnia posse. Lutherus, Melanchthon et Calvinus faciunt eum auctorem operum tam malorum, quam bonorum, puta peccatorum. Jure ergo Cardinalis Hosius atheismum vocat Lutheranæ et Zuinglianæ perfidiæ perfectionem, alibi centrum, alibi scalæ summitatem. Quarum ludimagistri, Epicuri de grege porci (inter quos Joannes Vetus Bezam nominat), illud, teste Vireto, suis occi-

Hæresis centrum est atheismus.

nere solebant, beatum esse, qui, ut ait Poeta :

—— Metus omnes et inexorabile fatum
Subjecit pedibus, strepitumque Acherontis avari.

Denique Molinæus, apud Genebrardum in *Chronol.*, Calvinum facit Atheorum principem.

AUDACES. — Quid enim non audeant qui Dei hominumque dominium contemnunt? Ita Œcumenius. Lutherus Sedi Apostolicæ hoc xenium pro novo anno misit : « Martinus Lutherus S. Sedi Romanæ meam gratiam et salutem. Sanctissima sedes, crepa. » Idem, lib. *Contra Regem Angliæ* : « Quis est iste Henricus? novus Thomista, discipulus duntaxat tam ignavi monstri; » et mox : « Hic sto, hic maneo, hic glorior, hic insulto Papistis, Henricistis, Sophistis, omnibus portis inferi : divina Majestas mecum facit ut nihil curem, si mille Augustini, mille Cypriani, mille Henricianæ Ecclesiæ contra me starent; dogmata mea stabunt, et Papa cum Henricistis cadet, invitis omnibus potestatibus inferis, et potestatibus aeris, terræ et maris. » Audisti Thrasonem, audisti Luciferum.

SIBI PLACENTES, — αὐθάδεις, id est *procaces*. Ita S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovinianum*; Catharinus, *protervi*; Gagneius, *pertinaces*; Clarius, *impudentes*; Tigurina, *præfracti*; Vatablus, *sui sensus et capitis*; Pagninus, *contumaces*. Sic et Œcumenius : « Contumaces, ait, hoc est, qui quod sibi placet sequi omnino ac tueri volunt; » alii, *intractabiles*, insolentes, arrogantes, contemptores aliorum : hæresis enim consistit in pertinacia sui sensus et erroris. Nam αὐθάδεια idem est quod *morositas*, amor sui, contumacia, temeritas, duritia, pertinacia, procacitas, superbia, fastidium, arrogantia. Noster ad verbum vertit, *sibi placentes*, quia ἄδω est *placeo*, ut αὐθάδης sit quasi ἄδων ἑαυτῷ, id est *placens sibi*; vel, ut Hesychius, quasi ἀυτὸς ἐν ἑαυτῷ, id est *idem in seipso*; vel, ut alii, quasi ἀυτὸς ἀφ' ἑαυτοῦ, id est *idem ex seipso*. Ita Erasmus a Luthero appellatus diabolus incarnatus, in *Apolog. contra eum*, Lutherum vocat Oreste insaniorem, odio lymphatum, philautia temulentum, ideoque præbibendum ei esse veratrum, ut saniora scribat. Quin et Wittembergenses Lutherum, licet magistrum suum, vocarunt philauton, philonicum et eristicum, id est rixosum, hyperbolicum, qui ex culice faciat camelum, polypragmonicum, qui se petulanter et procaciter negotiis omnibus immisceat, ingenii ostentatorem, stoicum, durum, capitosum, somniatorem, quod nocturnas visiones in ebrio capite natas pro puro puto Dei verbo venditaret, uti refert Joannes Spangenbergius in libro cui titulus : *Verax narratio beneficiorum per D. Martinum Lutherum*, etc.

SECTAS NON METUUNT INTRODUCERE. — Τὸ *introducere* non est in Græco, sic enim habet : δόξας οὐ τρέμουσι βλασφημοῦντες, quod primo verti potest, *glorias non verentur blasphemare et conviciari*, ut per δόξας intelligantur in gloria celebres et majestate præditi. Ita Gagneius, Pagninus, Tigurina, Catharinus, Clarius, Salmeron et alii. Quocirca S. Judas, vers. 8, huc alludens ait : « Dominationem autem spernunt, majestatem (græce δόξας) autem blasphemant. » Unde et hic Biblia Gothica legunt, *Majestatem*, vel *majestates non metuunt*. Quare per δόξας aliqui intelligunt angelos Dei administros, Ecclesiæ orbisque præsides et gubernatores. Ita Turrianus, lib. II *De Hierarch. Ord.*, cap. IX, qui δόξας vertit *glorias*, vel *splendores*. Alii intelligunt Magistratus, Reges, Principes, Episcopos. Ita Œcumenius : « Nam qui ex contemptu, inquit, dominationem ullam non timent, quid mirum si omnem gloriam et excellentiam etiam spernant? » δόξα enim Græcis idem est quod majestas, splendor, gloria, dignitas, existimatio, item sententia, opinio. Δόξα quid?

Verum Noster melius subaudiens ἐπάγειν vertit, « sectas non metuunt introducere, » hoc enim est proprium hæreticorum; et Græcum δόξα opiniones et sectas significat; ut idem hic dicat S. Petrus, quod dixit vers. 1 : « Qui introducent sectas perditionis. » Porro non mirum Interpretem δόξας hic vertere *sectas*, in epistola vero S. Judæ vertere *majestatem*, quia alia est sententia S. Judæ, alia S. Petri; S. Judas enim ait : « Dominationem autem spernunt, majestatem (δόξας) autem blasphemant; » ubi δόξας verti nequit *sectas* : nec enim hæretici sectas blasphemant, sed ambiunt. S. Petrus vero alia interserit, aitque : « Dominationemque contemnunt, audaces, sibi placentes, sectas (δόξας) non metuunt introducere blasphemantes. » Ubi τὸ *sectas* explicat τὸ *audaces, sibi placentes*, *q. d.* Quam sint audaces et sibi placentes, liquet ex eo quod contra communem Ecclesiæ Patrumque doctrinam et consensum, audeant novas opiniones ex suo cerebro conflictas inducere, itaque sectas facere. Adde, Nostrum interpretem æque ac Syrum in S. Juda legisse δόξαν in singulari, quod *majestatem* significat, non *sectas*; in S. Petro vero legisse δόξας, in plurali, quod *sectas* significat, non *majestatem*.

Nota : Τὸ *sectas* significat *primo*, errores et hæreses; *secundo*, schismata et dissidia quibus Ecclesiæ unionem scindunt, seque ab ea resecant, ut propriam Ecclesiam scholamque constituant, cujus ipsi habeantur auctores, ac sequaces ex se denominent; sicut a Simone vocantur Simoniani, ab Ario Ariani, a Nestorio Nestoriani, etc. *Tertio*, τὸ *sectas* significat non tantum hæreticos inter se esse dissectos, sed unam eamdemque hæresim illico secari in varias sectas et schismata : hæretici enim cum agantur superbia et fastu, nec Deo, aut homini, sed suo cerebro credant, nolunt aliorum esse discipuli, sed doctores. Unde plerique novas opiniones et errores comminiscuntur, ut eorum habeantur auctores, et discipulos post se trahant, eisque suum nomen indant. S. Augustinus, lib. *De Hæres.*, enumerat nonaginta hære- Secta triplicitur capitur.

ses a Christo usque ad sua tempora; a S. Augustino usque ad Lutherum totidem numerantur : ita ut per 1500 annos non plures quam 180 hæreses collegerit Sanderus. At vero a Luthero, puta ab anno Christi 1517 usque ad annum Christi 1595, ducentas et septuaginta hæreses enumerant Staphylus, Hosius, Lindanus, Prateolus, Ederus, et ex iis Stanislaus Rescius, lib. I *De Atheismis*, cap. IX. Ita « fœcundus est error, ait ille, errans, nec scit quid velit, nec scit quid nolit. » Nec mirum Lutheri discipulos a Luthero magistro descivisse, et tot sectas invexisse : nam et ipse Lutherus a seipso descivit, et sæpe dogmata hæresesque mutavit, uti ostendit Cochlæus in libro cui titulus : *Lutherus septiceps*. Veritas enim constans est eademque semper; falsitas vero inconstans semper evariat.

Sapienter Trismegistus, tract. *De Veritate*, docet falsitatem nosci ex mutatione, veritatem ex immutabilitate. « Nihil enim, inquit, quod non manet in seipso, verum est : omne quippe quod alteratur falsitas est, non manens in quo est. » Idem, tract. *De Pietate et Phil.* : « Quod semper fit, inquit, semper etiam corrumpitur : quod semel factum est, nunquam corrumpitur; » hic est ergo fons, origo et mater hæresis, nimirum superbia et ambitio. Hinc omnium sæculorum experientia docuit hæresiarchas pene omnes ab Ecclesia descivisse, suasque hæreses adinvenisse, eo quod in Ecclesia ambientes primas Cathedras, Episcopatus et Doctoratus, ab iis repulsi, eas extra Ecclesiam statuerint, ut ibi obtinerent principatum, quem in Ecclesia obtinere nequiverant. Vere S. Augustinus, lib. *De Pastoribus*, cap. VIII : « Diversis, ait, locis sunt diversæ (hæreses), sed una mater superbia omnes genuit, sicut una mater nostra Catholica omnes Christianos fideles toto orbe diffusos. » Ita Eusebius, lib. IV *Histor.*, cap. XXII : « Theobutes, inquit, quia repulsam meruit Episcopatus, cœpit initio perturbare omnia et corrumpere. » Et Tertullianus, libro *Contra Valentinianos*, post initium : « Speraverat, inquit, Episcopatum Valentinus, quia et ingenio poterat et eloquio; sed alium ex martyrii prærogativa loci potitum indignatus, de Ecclesia authenticæ regulæ abrupit, ut solent animi pro prioratu exciti præsumptione ultionis accendi. » De Marcione idem testatur Epiphanius, *hæres.* 42, sub initium : « Æmulatione, ait, elatus Marcion, ubi non accepit præsidentiam, excogitat sibi ipse concilium; » et infra : « Æmulatione igitur commotus, et ad magnam indignationem et superbiam elatus, fissuram efficit, sibi ipsi hæresim erigens, ac dicens : Ego findam Ecclesiam vestram, et mittam, fissuram in ipsam in æternum. Et revera fissuram immisit non parvam, sed non Ecclesiam fidit, verum seipsum et eos qui ipsi obediunt. » De Montano testatur Theodoretus, lib. III *Hæret. Fabul.* : « Is, inquit, ambitione et primum locum obtinendi cupiditate motus, seipsum Paracletum vocavit. » Novatianus, quia in pontificatu prælatus ei fuit S. Cornelius, schisma fecit et hæresim induxit, imo se Papam, puta Antipapam, constituit, teste Eusebio, lib. II *Histor.*, XXXIII, et S. Cypriano, *epist.* 49, 52, 64, 68. Arius ambiens Episcopatum Alexandriæ, cum ab eo per Alexandrum sibi antepositum exclusum se videret, in eum et Ecclesiam linguam armavit, et Arianismum induxit, teste Theodoreto, lib. IV *Hæret. Fabular.* Idem de Aetio, cum in Episcopatu ei prælatus esset Eustathius, scribit Epiphanius, *hæresi* 75. Joannem Wiclef, quod Episcopatu excidisset, hæresiarcham esse factum, asserit Thomas Waldensis, lib. II *Doctrinæ fidei*, cap. 60.

Lutherus omnium hujus ævi hæresum choragus et antesignanus, hæresim orsus est concionando contra Indulgentias, eo quod earum promulgatio a se, suoque Ordine Augustiniano, ad Fratres Prædicatores translata esset, uti narrat Cochlæus in actis Lutheri, anno 1517. Porro Lutheri tantus fuit fastus, ut libro *contra Regem Angliæ* asserat, Reges, Principes, Pontifices non esse dignos qui solvant suorum calceamentorum corrigiam, et se pro sancto haberi velle invitis omnibus, ac se parvi facere mille Cyprianos et mille Augustinos; ejus enim gnome erat :

Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas.

Et :

Pestis eram vivens, moriens tua mors ero, Papa.

Sed falsus est et fefellit pseudopropheta : mortuus est enim Lutherus, sed vivit vigetque Papa et Papatus. Idem reges vocat lendes capitis sui, Parisiensem academiam Sodomam, Lovaniensem Gomorrham, Episcopos et sacerdotes capita rasa ac oleata, S. Thomam unum de septem phialis iræ Dei.

BLASPHEMANTES, — quia convicia jactant non tantum in Deum, sancta et Sanctos, sed et in se mutuo, eaque atrocissima, sed sæpe vera. Ita hoc sæculo Bucerus contra Calvinum, eum vocat idolum, impie audacem, rapidum, fratricidam. Calvinus Valentinum Gentilem vocat Tritheitam, hæreticum, canem, proditorem, phreneticum, Satanam impudentia superantem, Luciferum convicia evomentem, etc. Vicissim Gentilis Calvinum vocat Quadritheitam, infensum veritati, crudelem, mordacem, execrabili errore fascinatum, uti refert Aretius, lib. *De Supplicio Gentilis*. Smidelinus fatetur se a Saxonicis vocari chamæleontem, polypum, mendacem, falsarium, præstigiatorem, socium furum, sophistam, hypocritam, effrontem, conscientiæ expertem, neque oculis, neque corde præditum, mentis impotem. Prodiit libellus anonymus Lutherani cujusdam anno Domini 1586, Ienæ impressus, cujus hic est titulus : *Quod Calvinistæ non sunt Christiani, sed tantum Judæi et Mahometani baptizati*. Theomorus Calvinista in libro suo recenset novem turpissimas maculas,

Novatiani. Arii. Wiclef. Lutheri fastus. Fons hæresis superbia. Exempla. Valentiniani. Marcionis. Montani. Novem epitheta Calvini.

a suæ sectæ hominibus Calvino inustas : *prima*, quod esset hæreticus quovis hæretico pejor; *secunda*, quod ambitiosus et tyrannidis cupidissimus; *tertia*, quod usurarius insignis; *quarta*, quod nummularius insignis, sive trapezita; *quinta*, quod avarissimus; *sexta*, quod aleator; *septima*, quod scortator libidinosissimus, isque manifestus; *octava*, quod immoderate biliosus et iracundus; *nona*, quod vindictæ appetentissimus, sævus et sanguinarius. Sturmius in *Palinodia*, ad Lucam Osiandrum, eum vocat Caligulam, Ulyssis nepotem, omnium horarum aulicum. Postellus scribit Calvinistas nihil hominis præter formam hominis habere, Catholicæ fidei nuntium remisisse, belluarum in ritu vivere. Zuingliani scriptum ediderunt, anno Domini 1527, in quo Lutherum vocant Cervisiarium, Papam, Antichristi nepotem, lunaticum, sophistam, crassum, rusticum, seductorem, pseudoprophetam, Antichristi proximum consanguineum, carnificem Christi, violatorem sacrarum Litterarum. Zuinglius ipse in *Respons.* ad Lutheri librum *De Sacramento*, Lutherum vocat pseudoprophetam, imprudenter asserentem quidquid in buccam venit, cinædum, scurram, incorrigibilem, hæreticum, impostorem, Christi negatorem, veritatis oppressorem, Antichristum. Plura vide apud Stanislaum Rescium in *Ministromachia*, ubi citat Lutheranos, qui Calvinistas vocant blasphemos, capitales hostes Filii Dei, imperitos, insanos Doctores a Satana missos, Suermeros, canes molossos, sues, larvas diaboli, seductores, scurras, progeniem viperarum, Turcis deteriores, latrones corporis et animæ, fanaticos, moriones, truncones, diabolorum capita, animicidas, calumniatores, infernales lupos, fœtorem Satanæ, doctrinam eorum ex secretissima infernalis aulæ abysso prodiisse, etc.

Vere Plato, lib. *De Amicitia* : « Solus bonus, ait, soli bono est amicus; malus autem nec bono, nec malo unquam revera est amicus. » Verius S. Augustinus, lib. *Contra Litteras Petiliani* : « Dissensio vos et divisio facit hæreticos; pax vero et unitas facit Catholicos; » et Tertullianus, lib. *Contra Hermogenem*, cap. I : « Tales (hæretici), inquit, loquacitatem facundiam existimant, impudentiam constantiam deputant, et maledicere singulis officium conscientiæ judicant. »

Blasphemia hæreticorum.

Porro blasphemiæ proprie dictæ in Deum et Sanctos, apud hæreticos sunt plurimæ. Lutherus *Contra Jac. Latomum* ausus est scribere : « Anima mea odit hoc verbum, ὁμούσιος. » Idem e Litaniis sustulit illam precandi formulam, qua semper usa est Ecclesia : « Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis. »

Eamdem precationem Calvinus vocavit barbariem, uti testantur Ministri Genevenses, epist. *De Blasphemia Valentini Gentilis*. Sic enim ait Calvinus in *epist. ad proceres Poloniæ*, folio 63 : « Precatio vulgo trita, S. Trinitas unus Deus, miserere nostri, mihi non placet, ac omnino barbariem sapit. » Idem Deum Patrem comparabat Grammaticæ, Filium Dialecticæ, Spiritum Sanctum Rhetoricæ. Ita refert Manlius in *Locis communibus*, tit. *de Deo*. Valentinus Gentilis uti tres personas, ita et voluit tres esse naturas in deitate, puta tres deos.

Novi Ariani negant Filium esse Deum, et Symbolum Athanasii vocant Symbolum Satanasii. Testatur Lindanus in *Christomachia*, quod Calvinistæ in plurimis Galliæ locis versiculum illum : « Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, » ex hymnodiis suis expunxerunt.

Beza, lib. *Contra Brentium*, duas docet esse in Christo hypostaticas uniones, unam carnis cum anima, alteram Dei cum homine.

Transylvani Ministri, ut Georgius Blandrata, justo Dei judicio postmodum a nepote suo suffocatus, Paulus Alciatus, Lælius Zosimus, Franciscus David in *Collat. Transylvan.* (horreo dum scribo), Sanctam Trinitatem vocant Cerberum tricipitem, tricorporem Gerionem, novum idolum, turrim Babel, Deum fictitium ac sophisticum, idolum Sabinense. Rident igitur hæc nomina in divinis : Essentia, Persona, Relatio, Proprietas; nec ullam agnoscunt in Deo personarum distinctionem, lib. II *Disp. Albanæ*, cap. IV. Alii docuerunt Christum fuisse merum hominem, Josephi filium, qui se a pœnis liberare non potuerit, ac proinde non esse invocandum, multo minus esse redemptorem mundi, etc.

Narrat Staphylus fuisse in Moravia Lucam Sterbergium, « qui primus omnium in illis partibus docuit omnes eos qui SS. Trinitatis nomen confitentur et colunt, tres deos falso comminisci, cum sit Trinitas nomen supervacaneum et inane, nec nisi unus Deus sit in cœlo; voluit itaque ut loco illius, o veneranda Trinitas, caneretur, o veneranda Dei bonitas. Optat etiam impius ille (horret animus scribere) ut dæmones omnes Trinitatem abducant et asportent : nescire se inquiens utrum femina vel masculus sit; sed potius habere se persuasum Trinitatem illam quamdam feminam fuisse, quæ tres maritos habuisset. Docuit præterea Christum non fuisse verum Deum, sed hominem duntaxat instar aliorum mortalium, Mariæ et Josephi fabri lignarii filium, non propria virtute divina, sed virtute Omnipotentis surrexisse a mortuis, tum demum adoptatum fuisse in filium, cum Joanne baptizante vox e cœlo audita est : Hic est Filius meus dilectus. Ridet Spiritum Sanctum, dicens, nihil aliud esse quam columbam. Dei genitricem negat perpetuam virginem extitisse; sabbatum sanctificandum docet, non Dominicam; baptismum vocat Satanæ institutionem. » De blasphemiis Calvini vide Fevardentium in *Theomachia Calvinistica*, et Guilielmum Reginaldum in *Calvinoturcismo*.

Conradus Vorstius Calvinista, lib. *De Deo et Attributis divinis*, hos habet atheismos, *primo*, Deus non est infinitus; *secundo*, Deus secundum

substantiam suam non est ubique præsens in hoc mundo, sed tantum in cœlo; *tertio*, in Deo sunt vera accidentia realiter distincta a substantia Dei; *quarto*, decreta Dei, quale est decretum prædestinationis aut reprobationis, non sunt ab æterno; *quinto*, æternitas Dei non est indivisibilis, et tota simul, sed successiva. Vide nostrum Martinum Becanum in *Titulis Calvinist.*, tit. 4. Denique, vers. 18, ostendam Calvinum ejusque asseclas non colere Deum verum, sed diabolum.

Vers. 11. 11. UBI ANGELI FORTITUDINE ET VIRTUTE (græce δυνάμει, id est *potentia et robore*) CUM SINT MAJORES, NON PORTANT ADVERSUM SE EXECRABILE JUDICIUM. — Multi censent hic esse sermonem de angelis malis, id est dæmonibus, quasi eis comparet hæreticos, qui, ut paulo ante dixit, « dominationem contemnunt, » eosque dæmonibus pejores esse, ideoque gravius puniendos significet, *q. d.* Uti ingens est audacia et impudentia hæreticorum, « qui dominationem contemnunt, et sectas non metuunt introducere blasphemantes : ita ingens eorum erit et pœna. Si enim angeli mali, id est dæmones, qui fortitudine et robore sunt majores, non portant adversum se « execrabile judicium, » græce *blasphemum judicium*, id est, execrabilem condemnationem et maledictionem æternam, quomodo hi eamdem ferent, cum sint homines corpore et anima infirmi et imbecilles? Sane ipsi « in miseriis » gehennæ non subsistent, *Psalm.* CXXXIX, vers. 11 et 12. Ita Genebrardus, ibidem. Aut brevius et planius, *q. d.* Quomodo hæretici audaces non metuunt sectas introducere et blasphemare, cum sciant dæmones qui longe sunt potentiores, ob schisma et rebellionem ita esse punitos, ut non ferant execrabile judicium, id est, horrendam condemnationem a Deo contra se latam, et gehennæ supplicium?

Hæc expositio valde congruit versioni Latinæ, et Græco μάλιςα, id est *maxime*, vers. 10, *q. d.* Deus maxime, puta immanibus et intolerandis suppliciis, cruciabit hæreticos luxuriosos et refractarios, ut patet ex dæmonibus, qui cum eis in scelere sint pares, in natura superiores et fortiores, non ferunt tamen execrabile judicium, id est condemnationem et supplicium gehennæ. Ita Glossa, Lyranus, Thomas Anglicus, Hugo, Dionysius, Catharinus, Titelmannus et alii.

Secundo, alii, *q. d.* Dæmones non audent execrari et blasphemare Præpositos Ecclesiæ, licet sibi adversos, imo in exorcismis eis se subdunt, licet coacti : quomodo ergo hæretici audent eos blasphemare et conviciis incessere? Ita Gagneius.

Tertio, Clarius, *q. d.* Dæmones, licet fortiores sint ad perferendas inferni pœnas, tamen non audent Deum earum auctorem blasphemare, ne gravius ab eo puniantur : quomodo ergo eum blasphemare audent hæretici? Huc accedit Arias, *q. d.* Dæmones licet Dei hostes, tamen non audent primas Dei veritates practicas, puta prima virtutis ac pietatis principia et præcepta negare aut convellere : quomodo ergo ea negant et convellunt hæretici?

Quarto, alii, *q. d.* Dæmones sibi invicem non maledicunt, nec se mutuo blasphemant : quomodo ergo homines, puta hæretici, audent sibi invicem maledicere et blasphemare?

Verum alii passim angelos hic proprie accipiunt, ideoque bonos. Hi ergo « non portant adversum se execrabile judicium, » græce οὐ φέρουσι κατ'αὐτῶν παρὰ Κυρίῳ βλάσφημον κρίσιν, id est, « non ferunt, non inferunt contra se a Domino blasphemum judicium, » hoc est, non intorquent hostibus suis execrandam sententiam, ut scilicet diabolo a Deo imprecentur mala, meritaque supplicia, quæ sunt horrenda et execranda (1). Idem enim videtur hic dicere S. Petrus cum eo quod ait S. Judas, vers. 9, scilicet Michaelem altercantem cum diabolo de corpore Mosis, non esse ausum « judicium inferre blasphemiæ, » id est blasphemare, maledicere et conviciari diabolum, eique justam blasphemiæ pœnam irrogare, dicendo : Tace, maledicte diabole; vade, blaspheme, in gehennam : in ea cruciet te Deus, uti mereris tu et tua blasphemia; sed dixisse : « Imperet tibi Dominus; » sequentia enim S. Judæ verba pene sunt eadem cum sequentibus S. Petri, ut patet conferenti utrimque textum Græcum.

Vers. 12. 12. (Idem liquet ex eo quod adaptans subdit S. Petrus :) HI VERO VELUT IRRATIONABILIA PECORA, etc., IN HIS QUÆ IGNORANT BLASPHEMANTES. — *q. d.* Angeli non audent blasphemare, id est, maledicere dæmoni et impiis : hæretici vero blasphemant Deum et Sanctos. Ubi nota judicium blasphemum vocari maledictum, maledicentiam, execrationem, puta imprecationem magni et execrandi mali, justo Dei judicio impiis et blasphemis irrogandi : quod S. Judas, vers, 9, vocat « judicium blasphemiæ. » Est catachresis; unde Erasmus βλάσφημον exponit δύσφημον, id est *infaustum*, infelix, abominandum, pessimi nominis et ominis. Respicit τὸ *blasphemum* τὸ *blasphemantes*, vers. 10, *q. d.* Quomodo hæretici audent blasphemare et maledicere, id est, conviciari Deum, sanctos et homines, præsertim Prælatos et principes, cum angeli id non audeant facere diabolo, licet blasphemo et execratione dignissimo? Βλασφημία enim non tantum blasphemiam proprie dictam, id est convicium in Deum vel Sanctos significat, sed et quamlibet execrationem, maledicentiam, imprecationem, contumeliam, probrum, obtrectationem, vituperationem, ut sit idem quod δυσφημία, cui opponitur εὐφημία, id est *laus*, gloria, commendatio, bonum omen, fausta precatio, benedictio. Unde et S. Augustinus, lib. *De Morib. Manich.*, cap. II, blasphemiam definit, « cum aliqua mala dicuntur de bonis. »

(1) Ita Allioli. Alii : *adversum*, seu *contra eos*, scil. magistratus impios et ethnicos, quibus maledicebant Judaizantes.

Rursum τὸ κατ' αὐτῶν potest verti, *primo, adversus ipsas*, scilicet δόξας, id est *glorias*, hoc est potentes, uti sunt dæmones; *secundo*, « adversum se, » ut vertit Noster, *q. d.* Angeli cum sint purissimi et sanctissimi, non audent vel nominare aliquid quod aliquo modo sonet blasphemiam, id est maledicentiam, ne vel per umbram videantur angelicum suum os contaminare, et quia maxime execrantur blasphemiam et blasphemos.

Denique τὸ *a Domino*, quod est in Græco, significat « a Domino, » qui est scelerum vindex, mala optari. Ita Œcumenius : « S. Petrus ait, inquit, hos miseros nulla habita ratione glorias maledicere, cum tamen neque qui potentia et viribus majores sunt istis flagitiosis hominibus, non ferant, id est, non inferant contra ipsas videlicet glorias maledicum judicium apud Dominum. » Deinde citato exemplo Michaelis, quod refert S. Judas vers. 9, subjicit : « Et est a majori argumentatio in hunc modum : Si diabolus qui dignior est ut maledicatur, quia tamen gloriæ cujusdam particeps est, a Michaele Archangelo coram Domino id non est consecutus; illi sane non sapiunt qui ita temere gloriam omnem maledictis prosequuntur, cum tamen multo post angelorum dignitatem sint constituti. »

Œcumenium sequuntur Adamus, Gagneius, Clarius, Salmeron et alii. Huc accedit Fevardentius, qui sic explicat, *q. d.* Quomodo hæretici audent dominationibus, id est, magistratibus et principibus orthodoxis, licet sibi adversantibus, obloqui, maledicere et resistere, cum angeli boni magistratus et principes Ethnicos, licet fidei et populo Dei infestos, non execrentur, sed honorent et revereantur, uti liquet in angelis Persarum et Græcorum pro Persis et Græcis contra angelum Hebræorum populumque Dei decertantibus, *Daniel.* cap. x, vers. 5 et seq. « Hi vero (magistri mendaces, puta hæresiarchæ, de quibus vers. 1) velut irrationabilia pecora; » Pagninus, « velut bruta animantia naturaliter, » scilicet tendunt et ruunt, « in captionem et perniciem; » græce φυσικὰ γεγεννημένα εἰς ἅλωσιν καὶ φθοράν, id est, « natura genita in captionem et perniciem, » ait Pagninus. « Naturale est, ait Ven. Beda, irrationabilibus animalibus causa pabuli sæpius in captionem et perniciem ignoranter incidere : » ita hæretici ob suam gulam suosque effrenes appetitus explendos, incidunt in laqueos diaboli et perniciem æternam. Ex adverso Arias hæc explicat active, *q. d.* Hæretici sunt velut feræ, puta ursi, leones et lupi, qui naturaliter feruntur in captionem et perniciem, puta in prædam et cædem aliorum animalium. Utrumque verum : hæretici enim et passive ruunt in exitium, et alios suis laqueis irretitos secum in idem active trahunt. Est hyperbole : nec enim natura hæreticorum est prava, nataque in captionem et perniciem; sed sensus est, *q. d.* Hæretici toti sunt pravi, toti corrupti, ut videantur nati et facti ad malum, quia corruptionem et concupiscentiam naturæ suæ sequuntur. Rursum hæresis ita naturam eorum afficit et inficit, ut eam totam devergat et trahat ad malum. Sic dicimur natura filii iræ, *Ephes.* II, 3; pessimorum hominum vocatur naturalis malitia, *Sapient.* XII, 10, quia cæco naturæ impetu eo feruntur, quo eos libidinis ardor, vel honorum opumque cupido, vel iræ et ambitionis furor rapit.

Comparavit S. Petrus hæresiarchas sui ævi, puta Simonianos et Gnosticos, ob superbiam, avaritiam et libidinem, *primo*, dæmonibus; *secundo*, hominibus impiis mersis diluvio, ac Sodomitis; nunc, *tertio*, eos comparat feris et bestiis, quæ non ratione, sed naturæ ferinæ ardore vel furore aguntur, ideoque incidunt, imo ruunt, aliosque secum trahunt in laqueos venatorum, ut capiantur et occidantur. Idem iisdem pene verbis dicit S. Judas, vers. 10 : « Hi autem quæcumque quidem ignorant, blasphemant; quæcumque autem naturaliter tanquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur. » Et S. Ignatius utrique coævus, epistola *ad Antiochen.* : « Videte, ait, canes rabidos, et serpentes super pectus repentes, dracones squamosos, et aspides, basiliscos, scorpiones : hi sunt thoes (genus est luporum), vulpes et simiæ humana imitantes. » Nam, ut ait Clemens Alexandrinus, *Adhort. ad Gentes*, « homines vocantur serpentes, qui sunt deceptores; leones, qui sunt animosi et ad iram concitati; sues, qui sunt voluptati dediti; lupi, qui sunt rapaces (1). »

IN HIS QUÆ IGNORANT BLASPHEMANTES, — id est, ut S. Judas ait : « Quæcumque ignorant, blasmant; » Tigurina, « in his quæ non intelligunt maledicentes. » Est hebraismus : Hebræi enim verba contactus sive realis, sive mentalis, sive verbalis, qualis est blasphemare, constituunt cum ablativo mediante præpositione *in*, ut percutere in facie dicant pro percutere faciem, credo in Deo, pro credo Deo. Sic hic : « In his quæ ignorant, » id est, hæc quæ ignorant, « blasphemant. » Taxat eos qui se Gnosticos, id est scientes, appellabant, cum essent ignorantes, ideoque orthodoxa, quæ ignorabant aut scire et credere nolebant, superbe et proterve respuebant ac blasphemabant; de qualibus jure ait S. Paulus, *Roman.* cap. I, vers. 22 : « Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. » Huc facit hæreticorum (Manichæorum) « privilegium diabolicum, » uti vocat S. Augustinus, lib. XXII *Contra Faustum*, cap. XV, ut « quidquid est in Evangelio quo adjuvari hæresim suam putent, id a Christo dictum teneant; quidquid autem ex eisdem codicibus adversus eos sonuerit, immissum a falsatoribus

(1) « Naturaliter in captionem et in perniciem, » id est, quæ per naturam in id destinata sunt ut ab hominibu capiantur et interficiantur.

ore impudenti ac sacrilego non dubitent dicere.» Idem, lib. XIII, cap. XII, comparat eos perdici : « Perdix enim, ait, nimis contentiosum animal notum est, quanta aviditate ipsius contentionis currat in laqueum. »

IN CORRUPTIONE SUA PERIBUNT. — Græce est elegans paronomasia : Ἐν τῇ φθορᾷ αὐτῶν καταφθαρήσονται, id est, *corruptione sua corrumpentur*; hic est enim fœdæ voluptatis finis et merces. Nam, ut ait S. Paulus : « Qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem, » *Galat.* cap. VI, vers. 8; et *Philip.* cap. II, vers. 19, hosce hæreticos notans : « Quorum Deus, ait, venter est, et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. » Sane Lutherum; cum vespere laute cœnasset, noctu desperatione et furiis dæmonis actum, sibi injecto laqueo necem intulisse asseruit ejus famulus, postea ad orthodoxam fidem conversus, uti refert Thomas Bozius *De Signis Ecclesiæ*, tom. II, lib. XXIII, cap. III. Ubi et addit Carolstadium, Bucerum, Œcolampadium a Satana suffocatos interiisse, Calvinum pediculari aliisque novem dirissimis morbis per quatuor annos excruciatum, turpissime obiisse, testatur Bolsecus ejus discipulus in Calvini Vita. Sic Dionysius tyrannus, sui et tyrannorum infelicitatem professus, aiebat : « Illis certe similes animalibus tyranni sumus; quæ saginantur, quibus comedendi bibendique non ad aliud, quam ad perniciem suam copia solet offerri, » **uti refert Eusebius, lib. VIII** *Præpar.*, **cap. V.**

Vere S. Chrysostomus, homil. 45 *in Matthæum*, agens de hæreticis : « Super ventrem repunt, inquit, quia quidquid faciunt, propter ventrem faciunt, et propter vanam gloriam pectoris sui. Terram manducant, quia neminem lucrantur nisi illos qui in terra sunt, id est, homines carnales. » Et S. Leo, serm. 1 *De Ascensione* : « Cui, ait, diabolo carnales militant voluptates, qui animas ad superna tendentes corruptibilium bonorum delectationibus obligare, et ab illis sedibus, de quibus ipse excidit, gaudet abducere? » Idem, sermone 5 *De Epiphan.* : « Fugiantur, ait, noxiæ voluptates, inimica gaudia, et desideria jam jamque peritura : quis fructus est, quæve utilitas ea indesinenter cupere, quæ etiamsi non deserant, deserenda sunt? » Et S. Basilius, homil. *De legend. libris Gentil.* : « Corpus, ait, castigandum est, ac instar feræ cohibendum, et ab ipso adversus animam tumultus orientes ratione velut flagello compescendi; ne frenum voluptati omnino laxando, mens velut auriga ab equis contumacibus, ac minime obtemperantibus feratur ac rapiatur. » Citat Platonem, qui Athenis Academiam loco pestilenti elegit, ut corporis luxuriem amputaret; et Pythagoram, qui cuidam se saginanti dixit : « Heus miser! non desinis duriorem tibi carcerem præparare! » Et S. Salvianus, lib. I *ad Ecclesiam Cathol.* : « In barathro, ait, libidinum commorantes, in ipsis se sepeliunt ruinis suis. »

13. PERCIPIENTES MERCEDEM INJUSTITIÆ, — non tantum in futura, sed et in præsenti vita, ut scilicet dedant se fœdis et præposteris voluptatibus Veneris et ventris, quibus tam corpus quam animam corrumpant, polluant et perdant; hæc est enim corruptio de qua paulo ante, quam scilicet sponte sibi compararunt, ait Œcumenius. Unde S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovinianum*, legit : « Recipientque mercedem iniquitatis luxuriam; » uti recepere Philosophi qui, cum Deum cognitum non coluissent, traditi sunt in reprobum sensum et libidines sodomiticas, de quibus Paulus, *Rom.* cap. I, vers. 24. Hinc et mercedem hanc explicans S. Petrus subdit : Vers. 13.

VOLUPTATEM EXISTIMANTES DIEI DELICIAS. — Græce τὴν ἐν ἡμέρᾳ τρυφήν. Tigurina, *pro voluptate ducentes, si in diem deliciis*, vel ut Vatablus, *diurnis deliciis fruantur*; Pagninus, *voluptates putantes eas quæ sunt in diem delicias*. Diei ergo delicias vocat diurnas, quæ ad diem, id est, modicum tempus durant, cum veræ deliciæ sint solidæ, constantes et æternæ. Ita Arias, Titelmannus, Adamus, Gagneius et Salmeron; vel, ut Œcumenius, « diei, » id est, per dies singulos, quotidianas : « Voluptatem, ait Œcumenius, quotidianum luxum existimantes, hoc est, veram et amabilem lætitiam et voluptatem in quotidiana gulæ fruitione constituentes. »

Præclare S. Hieronymus, lib. II *contra Jovinianum*, sub finem : « Quod multi, ait, acquiescunt sententiæ tuæ (Jovinianum alloquitur), indicium voluptatis est; et pro magna sapientia deputas, si plures porci post te currant, quos gehennæ succidiæ nutrias? » Et post nonnulla : « Basilides magister luxuriæ et turpissimorum complexuum, post tot annos in Jovinianum, quasi in Euphorbum, transformatus est, ut Latina quoque lingua haberet hæresim suam. » Rursum, post pauca : « Vexillum crucis et prædicationis auctoritas idolorum templa destruxerat; e regione luxuria ventris et gutturis subvertere nititur fortitudinem crucis. Denique semper pseudoprophetæ dulcia pollicentur, et ad modicum placent : amara est veritas, et qui eam prædicant, replentur amaritudine; in azymis enim veritatis et sinceritatis Domini Pascha celebratur, et cum amaritudinibus comeditur. » Et S. Ambrosius, epist. *ad Ecclesiam Vercellensem* : « Audio, inquit, homines qui dicunt nullum esse abstinentiis meritum, delirare eos qui castigant carnem suam, ut menti subditam faciant : quod nunquam scripsisset, neque fecisset Paulus, si deliramentum putasset. Gloriatur autem dicens : Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus inveniar : ergo qui non castigant corpus suum, et volunt prædicare aliis, ipsi reprobi habentur. » Mox vero perstringens eos qui in hac parte Gnosticos imitarentur : « Quæ istos, inquit, Epicuros nova schola misit, qui voluptatem prædicent, delicias suadeant? Dominus Jesus volens nos adver- Christiani est austere vivere.

sus diaboli tentamenta fortiores reddere, certaturus jejunavit, ut sciremus quia aliter illecebras mali non possemus vincere. Qua causa Christus jejunarit hi astruant, nisi ut nobis exemplo esset ejus jejunium? » Et S. Basilius in *Regulis fusius disp.*, Reg. 17: « Uti, inquit, optimus corporis habitus et coloris bonitas pugilem a cæteris distinguit: sic Christianum a cæteris discernit macilentia corporis, pallorque deflorescens, qui continentiæ velut adjunctus est comes : indicio est enim Christi mandatorum vere pugilem esse, qui in firmitate corporis adversarium suum in luota prosternit; et quam potens sit in pietatis certaminibus, declarat convenienter verbis illis : Cum infirmor, tunc potens sum. »

COINQUINATIONES ET MACULÆ. — Σπῖλοι καὶ μῶμοι. Pagninus, *sordes et maculæ*; Vatablus, *inquinamenta et maculæ*. Σπῖλοι enim, teste Gellio, sunt maculæ e vino vel unguine vestibus inhærentes, quæ eas discolorant, sic dictæ a σπᾶν ὅλην, id est, *a trahendo cœno*. Ita vocat hæresiarchas, *q. d.* Inquinatissimi sunt et maculatissimi. Simili tropo hominem scelestum vocamus scelus. Porro tales sunt, tum quia voluptatibus suis sunt corruptissimi; tum quia iisdem alios corumpunt; tum quia labem fœdam inurunt Ecclesiæ et nomini Christiano, ut Gentiles ab illo avertantur illudque blasphement. « Quippe, ut explicat Œcumenius, qui nihil in se habeant puritatis, sed quasi sordes in indumento mundo, id est, in pura et sincera vita inhærentes, et omnia maculantes, ubi averterint aliquos a sanctitate, et flagitiosos reddere secum versantes vel viros vel mulieres potuerint, id delicias sibi esse existiment. » Hinc sunt μῶμοι, id est *probra* et dedecora, vituperium, ignominia et infamia Christi et Christianismi, idque ex dolo Satanæ : nam, ut sapienter advertit S. Epiphanius, *hæresi* 27 : « Sunt a Satana subornati ac producti in opprobrium et scandalum Ecclesiæ Dei. Indiderunt enim sibiipsis cognomen Christianorum ad hoc, ut Gentes per ipsos offendantur, et sanctæ Ecclesiæ Dei utilitatem, et veram prædicationem propter illorum nefaria facta et incomparabilem improbitatem aversentur. Et ut Gentes, ipsorum nefaria opera considerantes, putent sanctas Dei Ecclesias tales esse, et avertant aures a Dei et veritatis doctrina. » Porro S. Judas maculas has ait fuisse in conviviis eorum, quæ plena erant ebrietate, crapula, vomitu, lascivia et luxuria : ait enim, vers. 12 : « Hi sunt in epulis suis maculæ, convivantes sine timore. » De iis etiam accipit S. Petrus; unde subdit :

DELICIIS AFFLUENTES IN CONVIVIIS SUIS. — Sapienter Gorgias Sophista, cum annum ageret centesimum octavum, dixit se ad tam longævam ætatem pervenisse, eo quod nunquam ad aliena convivia itasset, uti refert Lucianus in *Macrob.* Ex adverso S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovinianum*, abstinentiæ et continentiæ hostem, eum ita pingit : « Cum se monachum esse jactitet, et post sordidam tunicam, et nudos pedes, et cibarium panem; et aquæ potum ad candidam vestem, et nitidam cutem, ad mulsum et elaboratas carnes, ad balneas et popinas se conferat, manifestum est quod terram cœlo, vitia virtutibus, ventrem præferat Christo, et purpuram coloris ejus putet regna cœlorum. Iste formosus monachus, crassus, nitidus, dealbatus, et quasi sponsus semper incedens. » Videtur S. Hieronymus præsentes hæreticorum Ministros pingere.

Nota : Pro *in conviviis suis*, legit Interpres in Græco, ἐν ἀγάπαις : olim enim convivia, sive mensæ communes Christianorum post S. Synaxin vocabantur Agapæ, quia erant symbolum amoris communis et charitatis fraternæ fidelium. Jam legunt ἐν ἀπάταις, id est *convivantes in erroribus*, vel fraudibus et deceptionibus suis. Ita Œcumenius, Pagninus, Vatablus et alii, *q. d.* Hæresiarchæ ex suo errore et hæresi non aliud quærunt, quam epulari et deliciari. Unde S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovinianum*, legit : « Nihil aliud nisi de voluptatibus cogitantes. »

Obscenitas hæreticorum.

Audi jam maculas et obscenitatem conviviorum apud Gnosticos, describentem Minutium Felicem in *Octavio* : « Ad epulas solemni die coeunt cum omnibus liberis, sororibus, matribus, sexus omnis homines et omnis ætatis. Illis post multas epulas ubi convivium caluit, et incestæ libidinis fervor exarsit, canis qui candelabro nexus est, jactu offulæ ultra spatium lineæ, qua vinctus est, ad impetum et saltum provocatur. Sic everso atque extincto conscio lumine, impudentibus tenebris nexus nefandæ cupiditatis involvunt. »

Idem de Carpocratianis scribit Clemens Alexandrinus, lib. III *Strom.*, ubi et addit illos ad hanc promiscuam et infandam libidinem sacrilege abusos illo dicto Christi : « Omni autem petenti te tribue, » *Lucæ* VI, 30. Idem de iisdem testatur Philastrius et Theodoretus, libro *De Hæres.*, et Tertullianus, *Apolog.* cap. VII. Hisce similes sunt hodie nonnulli Anabaptistæ et Adamitæ, quorum parens et choragus fuit Lutherus, qui totos dies in conviviis, compotationibus et cubilibus exigebat, ibique cudebat suas hæreses; idque ad hoc, ut remorsum conscientiæ oblatrantis sibique jugiter apostasiam objectantis, in vino sepeliret : quod et suis ut facerent, suadebat. Quare merito in eum hoc scripsit noster Frusius :

Lutheranorum.

Biblia quæ tua sunt, sunt pocula Bacchica, Luther;
Est apotheca tua bibliotheca tua.

Delicias, asotias et veneres Calvini qui scire cupit, legat Bolsecum in ejus Vita. Heshusius in *Antidoto contra Illyricum*, rigidum Lutheranum, scribit, eum ipsissimum epicureismum secum trahere, et universam religionem a fundamentis evertere. Smidelinus de suis Lutheranis ita queritur, *concione* 4, in cap. XXI *S. Lucæ* : « Ut totus mundus agnoscat eos non esse Papistas, nec bonis operibus quidquam fidere, illorum operum

nullum exercent penitus. Jejunii loco comessationibus et perpotationibus nocte dieque vacant; ubi pauperibus benigne facere oportebat, eos deglubunt et excoriant : precationes vertunt in juramenta, blasphemias et divini nominis execrationes, idque tam perdite, ut ne ab ipsis quidem Turcis hodie tantopere blasphemetur. Demum pro humilitate regnat passim superbia, fastus, elatio; atque hoc universum vitæ genus ab illis Evangelicum vocatur institutum. » Erasmus, epistola *ad Vulturium*, anno Domini 1529 : « Circumspice, ait, populum istum Evangelicum, et observa num minus illic indulgeatur luxui, libidini et pecuniæ, quam faciant ii quos detestamini. Profer mihi quem istud Evangelium ex comessatore sobrium, ex feroci mansuetum, ex rapaci liberalem, ex maledico benedicum, ex impudico reddiderit verecundum. Ego tibi multos ostendam, qui facti sunt seipsis deteriores. » Quin et Lutherus ipse (uti refert Aurifaber ejus discipulus in *Convival. Luther. serm.*, pag. 244) asseruit « scholæ suæ discipulos magna ex parte Epicureos esse, metiri conciones ex suo cerebro, et hoc solum quærere, ut bonos dies habeant : in papatu talia nebulonum portenta non inveniri; vocari Evangelicos reformatos, cum reipsa potius incarnati dæmones esse videantur, ut si cui libeat cœtum aliquem nebulonum, dissolutorum, rebellium et fraudulentorum hominum intueri, civitatem aliquam Evangelicam ingredi debeat; vix inter Paganos, Judæos, Turcas reperiri adeo contumaces, apud quos omnis honestas et quidquid est virtutum penitus interierit, neque ullius peccati ratio habeatur. » Quis non credat Luthero hic, utpote magistro de suis discipulis testificanti?

LUXURIANTES VOBISCUM. — Græce συνευωχούμενοι ὑμῖν, id est *coepulantes vobiscum*, uti legit Œcumenius et S. Augustinus, lib. *De Fide et Oper.*, XXV, et S. Judas, vers. 12 : « Convivantes sine timore, » græce συνευωχούμενοι ἀφόβως. Sic et Clemens Alexandrinus II *Pædag.*, I, εὐωχία, ait, id est plenum, publicum et perenne convivium agitur in cœlis; itaque dicitur a bona sessione : δεῖπνον vero, id est *prandium*, in terris, quia post hoc δεῖ πονεῖν, id est *oportet laborare*. Et eodem sensu accipi posset nostrum « luxuriantes; » luxuria enim subinde significat luxum ciborum et conviviorum, ut *Ephes.* v, 18 : « Nolite inebriari vino, in quo est luxuria, » græce ἀσωτία, id est *luxus*, lascivia, ebrietas, crapula. Verum quia venter ubi fervet æstuans despumat in libidines, ut ait S. Hieronymus, et quia Gnostici epulas suas et convivia dirigebant ad explendas suas libidines, Noster interpres hæc omnia complecti volens, solerter vertit *luxuriantes*. Vidit enim id pertinere ad id quod sequitur : « Oculos habentes plenos adulterii. » Optime id explicat Œcumenius : « Quin etiam, inquit, dum vobiscum coepulantur, non ob charitatem id faciunt, sed ut occasionem ad decipiendas mulieres nanciscantur. Hi enim cum oculos habeant, non aliud quam adulteras inspiciunt, atque in hoc sine ullo fine peccantes, tanquam execrationis filii animas instabiles inescant. » Significat ergo S. Petrus Gnosticos se in agapas, id est convivia fidelium post Eucharistiam, insinuasse, ibique petulantibus aspectibus et tactibus fideles ad suas libidines pellexisse. Ita S. Augustinus, *De Fide et Oper.*, cap. XXV : « Mixti sunt enim bonis, inquit, in epulis Sacramentorum et dilectionibus plebium. » Forte et Interpres pro συνευωχούμενοι, legit συνεχεύμενοι, id est *luxuriantes* : ὀχεύω enim significat *luxuriari*, concumbere, venerea agere. « Luxuriantes ergo vobiscum, » id est inter vos et de vobis, *q. d.* Insidiantur vestræ castitati, et secum de vobis mente, oculis et tactu exercent suas libidines, ut ad easdem pleno opere complendas vos alliciant. Cavete ergo illos quasi leones, imo prædones castitatis. Quare mirum est Erasmum, Vatablum, Pagninum vertere, *insultare*. « In erroribus suis, inquiunt, id est per deceptiones suas, quibus scilicet paraverunt sibi divitias, insultant vobis, ac male precantur; » nil enim tale vox Græca significat.

14. OCULOS HABENTES PLENOS ADULTERII. — Μεστοὺς μοιχαλίδος, id est *plenos adulteræ*, hoc est plenos « libidinosis et adulterinis aspectibus adulterarum, » *q. d.* Mulieres quas ambiunt et satagunt facere adulteras, jugiter aspiciunt, eas in oculis, animo, vultu gestant, nil nisi illas aspiciunt et cogitant, ut ad adulterium pelliciant. Ita Œcumenius. Unde S. Cyprianus, lib. *De Singul. Cleric.*, legit *plenos mœchationibus*, nimirum, Vers. 14.

> Oculi sunt in amore duces,

ut ait Propertius in libro secundo *Elegiarum*, 15; et alius :

> Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error.

Unde Jeremias, *Thren.* III, 51 : « Oculus meus depræda tus est animam meam; » et, ut ait ibidem S. Hieronymus, « per oculum corporis pertulit prædam cordis. » Nam, ut ait Christus : « Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo, » *Matth.* v, 28. Quare merito oculis summa adhibenda est custodia, quia « mors intrat per fenestras, » *Jerem.* IX, 21. Ita Job, cap. XXXI, vers. 1 : « Pepigi, ait, fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. » « Ne, ut ait S. Hieronymus *in Thren.* III, 51, prius incaute aspiceret, quod postmodum invitus amaret; namque semel species formæ cordi per oculos alligata, vix magni luctaminis manu solvitur : ut enim munda mens in cogitatione servetur, a lascivia voluptatis suæ deprimendi sunt oculi, quasi quidam raptores ad culpam. » Et David *Psal.* CXVIII, 37 : « Averte, ait, oculos meos ne videant vanitatem. » Oculi in amore duces.

Sic senes illi insidiantes Susannæ, habebant oculos plenos adulterii, ideoque « everterunt sen-

sum suum, et declinaverunt oculos suos ut non viderent cœlum, neque recordarentur judiciorum justorum, » *Daniel.* XIII, 9.

Fenestræ mentium.

Recte S. Ambrosius, lib. *De Joseph.*, cap. III : «Prima, ait, adulteræ oculorum tela sunt, secunda verborum; sed qui non capitur oculis, potest verbis resistere;» oculi enim sunt fenestræ mentium nostrarum, ait Salvianus, lib. III *De Provid.*, qui et addit, «omnes improbas cupiditates in cor per oculos, quasi per naturales cuniculos introire.» Quocirca jure Zeleucus Locrensium legislator lege sanxit, ut adulteris oculi erucrentur, quasi primi in homine adulteri, uti refert Ælianus, lib. XIII *Variæ Histor.*, cap. XXIV. Vide S. Gregorium, XXI *Moral.*, cap. II, et S. Basilium, lib. *De Virginit.*, et Augustinum in *Reg. Monach.*, et *epist.* 109, ubi inter alia ait : « Nec dicatis vos habere animos pudicos, si oculos habetis impudicos; quia impudicus oculus impudici cordis est nuntius, et cum se invicem sibimet etiam tacente lingua conspectu mutuo corda nuntiant impudica, et secundum concupiscentiam carnis alterutro delectantur ardore, etiam intactis ab immunda violatione corporibus fugit castitas de moribus. »

ET INCESSABILIS DELICTI, — id est perpetui delicti, *q. d.* Gnostici perpetuo libidinosis oculis procaciter aspiciunt mulieres, ut eas faciant adulteras; hinc perpetuo cum iis peccant et delinquunt, ut ne ad momentum a peccato cessent, quia jugiter eas animo versant et concupiscunt : nunquam cessant a delicto, quia nunquam cessant a turpi aspectu, cogitatione et concupiscentia adulterii. Legit Interpres ἀκαταπαύστου, id est *incessabilis*; jam legunt ἀκαταπαύστους ἁμαρτίας, id est *incessabiles*, scilicet oculos, qui scilicet nunquam cessant *a delicto*. Ita Pagninus, Vatablus et alii. S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovinianum*, legit, *insatiabili libidine*.

Incessabilis libido hæreticorum.

Audi S. Cyprianum, *De Singular. Cleric.*, præclare hunc locum pertractantem : « Insaniunt prorsus, inquit, ardent desiderio feminarum, et obscenitatibus hinnientes malunt mori, quam contenti sint a lateribus mulierum aliqua disjunctione divelli, ut ad explendam suæ aviditatis ingluviem puncto temporis non sint sine feminæ voluptate; et hunc habent in mulieribus fructum, ut in illis semper defixa intentione, desideria satient oculorum. Sic inter eos integritas emoritur, ubi omnis commemoratio, sive convivendo, sive commanendo, corruptis affectionibus inquinatur. Quos S. Petrus Apostolus designavit, dicens : In conviviis suis luxuriantes, oculos habentes plenos mœchationibus et incessabilibus delictis, capientes animas infirmas. » Ita hoc sæculo Lutherus, cum esset sacerdos et monachus castitatem voto solemni professus, scribit, tom. V *serm. Wittemberg.* fol. 119 : « Quam non est in meis viribus situm ut vir sim, tam non est mei juris ut absque muliere sim; et feminæ sociari tam est necessarium, quam edere et bibere. » Zuinglius in litteris ad omnes Helveticæ reipublicæ civitates, de seipso loquens testatur, « se æstu libidinis et carnis cupiditatibus sic fuisse accensum, ut carnis libidinosæ studia animo suo versaretur, in his solis omnes cogitationes suas insumpserit, hoc meditatus sit totusque in eo fuerit, ut carnis furori satisfaceret. » Wigandus, *De Bonis et Malis German.*, apud Surium in *Histor.*, pag. 664 et seqq., asserit « scortationes et ebrietates multo magis quam unquam in Germania invalescere : quia, inquit, majorem quam alias unquam crescendi habent libertatem, et luxuria jam omnes verecundiæ fines perrupit atque excessit; » et, ut ait Lutherus in I *Corinth.* XV : « Sicut credunt, ita vivunt; sunt et manent sues, credunt sicut sues, et sicut sues moriuntur. » Ita modernos hæreticorum Ministros comptulos quasi sponsos Penelopes, in ipso etiam verbi Dei pulpito oculos circumferre plenos adulterii, testatur Archibaldus Hamilton in *Calvin. confus. demonstr.* lib. II, cap. XXIX; ubi asserit in Scotia « Ministrorum fere neminem esse, qui ab aliorum vel uxoribus, vel ancillis sibi temperet. » Idem fuse de aliarum Gentium Ministris ostendit Stanislaus Rescius in eorum Atheismis de sacramento Ordinis, ubi inter alia describit cenotaphium Bezæ ex Gabriele Fabricio in responsione *ad Bezam* : « Exstat, inquit, Genevæ in mausoleo suo statua Bezæ quatuor columnis suffulta. In prima artificiose opere cælato exsculpta Candida cum suo pharetrato Cupidine, multis incestis amoribus non polluta, sed constuprata. In secunda Harpya multis non rapinis, sed sacrilegiis, tanquam opimis Galliæ spoliis onusta. In tertia Bellona parricidiis cincta, multorumque civium sanguine tincta. In quarta Chimæra multiplici impostura fucata. Et hæ sunt quatuor Bezæ virtutes cardinales, Venus, Harpya, Bellona, Chimæra. »

Cenotaphium Bezæ.

Moraliter nota hic luxuriæ epithetum esse « incessabile delictum, » quia cujus animum semel occupavit amor venereus, ita eo velut igne succenditur, ut eum restinguere, aut ab eo cessare nequeat, nimirum nunquam dicit luxuria : « Sufficit, » *Prov.* XXX, 16. Ita Theotimus oculos perdere maluit, uti medicus ei prædixerat, quam ab uxore abstinere; unde exclamavit : « Vale, amicum lumen, » uti refert S. Ambrosius, lib. IV *in Lucam*, cap. IV. Idem videre est in bestiis, ut equis, tauris, vaccis, quæ dum amore aguntur, furere videntur, nec ab ullo compesci possunt. Illustre exemplum fuit in Henrico VIII, Angliæ rege, qui ut insanæ libidini suæ cum Anna Bolena satisfaceret, et opes, et fidem, et conscientiam, et famam, et regnum prodegit. Unde Poeta in exequiis reginæ Scotiæ, Parisiis anno 1587, ita de eo cecinit :

Juno Jovis soror atque uxor, verum Anna Bolena
Et spuria Henrici filia et uxor erat.

PELLICIENTES ANIMAS INSTABILES, — δελεάζοντες

ψυχὰς ἀστηρίκτους, id est, *inescantes animas imbecilles*, non bene in fide et castitate firmatas et solidatas. S. Cyprianus, *De Singul. Cleric.*, « capientes animas infirmas. » S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovinianum*, « decipientes animas nondum Christi charitate robustas. » Quocirca sapienter monet *Eccli.* cap. V, vers. 12 : « Esto firmus in via Domini, et in veritate sensus tui. » Sicut ergo aucupes capiunt aves objiciendo eis escam : sic hæretici sunt aucupes animarum debilium et inconstantium, quales sunt mulierculæ : eas enim inescant objiciendo eis escam voluptatis et libidinis, per procaces oculos et intuitus. Hinc negant Dei judicium, vindictam, infernum, animæ immortalitatem, resurrectionem, etc. Sane Calvinus infernum censet non esse ignem, sed apprehensionem qua se cruciant damnati, dum cogitant quod offenderint Deum, eumque habeant sibi iratum et offensum. Joannes Sturmius in *Antiproœmio* scribit Pappum et Osiandrum ad hunc colophonem pervenisse, ut omnem fidem ludibrium putent. Ait enim : « Cœlum cœli somnium illis est, infernus phantasma ; cœlum et Dei et diaboli habitaculum est. » Rursum docent Calvinistæ neminem debere resistere cupiditati aut libidini, quia nimirum est a Deo, qui est auctor omnium motuum et actionum tam malarum quam bonarum, cui semper et in omnibus est obsequendum, idque sine pudore vel scrupulo, quia motionum divinarum neminem pudere debet : de quo vers. 18.

COR EXERCITATUM (perperam aliqui legunt, *excæcatum*) AVARITIA HABENTES, — Pagninus et Tigurina : « Cor habentes exercitatum rapinis. » Consonat S. Paulus, I *Timoth.* VI, 10 : « Radix, ait, omnium malorum est cupiditas, » græce φιλαργυρία, « quam quidam appetentes erraverunt a fide. » Ita hoc sæculo Lutherani et Calvinistæ diripuerunt plurima templa et monasteria in Germania, Gallia, adeoque de sola Anglia vere apud Sanderum *De Schism. Anglic.* cecinit Poeta :

> Millia dena unus templorum sustulit annus :
> Quam timeo in pœnas vix satis unus erit.

Rursum hæretici sunt usurarii, docentque usuras esse licitas, uti docuit Molinæus, tract. *De Usuris.*

Præclare S. Prosper, lib. II *De Vita contempl.*, cap. XIII : « Eis, ait, qui militant Deo, fugiendæ sunt divitiæ ; quas qui habere volunt, sine labore non quærunt, sine difficultate non inveniunt, sine cura non servant, sine anxia delectatione non possident, sine dolore non perdunt. »

MALEDICTIONIS FILII. — Κατάρας τέκνα. Tigurina, « execrationis filii, » id est, *primo*, execrabiles et exercandi ; *secundo*, digni execratione et maledictione æterna, ut scilicet audiant a Christo in die judicii : « Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus, » *Matth.* cap. XXV, 41. Nomen enim *filius* apud Hebræos, quando jungitur genitivo pœnæ vel præmii, idem est quod dignus, ut filius mortis et gehennæ, id est, reus mortis, dignus gehenna ; filii regni, id est, digni regno cœlorum. Thomas Anglicus per *maledictionem* accipit diabolum ; hic enim primo maledictus est a Deo, *Genes.* cap. III, vers. 1, *q. d.* Hæretici sunt filii diaboli. « Hæreticus si non frater diaboli, certe adjutor et filius est, » ait S. Augustinus, lib. *De Pastoribus*, cap. XII. Sed hoc symbolicum est, non litterale. Sane Guilielmus Rosseus, lib. *Quod Calvinismus sit Paganismo et Turcismo longe detestabilior*, conferendo utriusque dogmata et mores, clare idipsum ex eorum libris evincit. Unde et addit Calvinistas in Polonia parum abfuisse a Christo publice rejiciendo, et profitendo Alcorano Mahometis ; causam esse, quod Calvinistæ a Satana possideantur, ita ut per eos quasi tubos et canales loquatur agatque Satanas, suumque in Christi Ecclesiam virus evomat, ideoque eos enthusiasmo et quasi furore agi : quare Vigilantium hæresiarcham Calvino, ejusque deliria Calvinistarum furoribus tanto esse inferiora, quanto nanus minor est Hercule, verruca monte, festuca trabe, et culex elephanto.

15. DERELINQUENTES VIAM RECTAM (veritatis, fidei et sanctitatis) ERRAVERUNT, SECUTI VIAM (id est, normam, institutum, mores, actiones) BALAAM EX BOSOR, — id est, oriundi ex Bosra, urbe Moab. Ita Beda, Glossa, Dionysius, Thomas Anglicus. Verum Balaam non fuit oriundus ex Moab, sed ex Mesopotamia, ut patet *Deuter.* XXIII, 4. In ea ergo fuit urbs Bosor, quam Hebræa, Chaldaica et Septuaginta, quos solet sequi S. Petrus, vocant *Petor*, vel *Petora*, *Num.* XXII, 5. Alii, *q. d.* Nati ex patre Bosor, ut *Bosor* sit idem quod *Beor* : hic enim fuit pater Balaam, *Num.* XXII, 5. Unde S. Augustinus, Quæst. XLVIII *in Num.*, legit, *filii Beor*. Ita Pagninus, Tigurina, Gagneius, Cajetanus, Adamus, Salmeron et alii, idque innuit Græcum τοῦ Βεσόρ : articulus enim τοῦ solet notare filium, non locum. Vers. 15.

QUI MERCEDEM INIQUITATIS AMAVIT, — nimirum munera Balac, regis Moab, quæ adamans Balaam voluit maledicere Hebræis, puta populo Dei, uti dixi *Num.* XXII et XXIII. Docet S. Petrus hæresiarchas studere avaritiæ, sicut studuit Balaam, ideoque fingere errores gratos populo.

Rursum sicut Balaam dedit consilium Balac regi, ut speciosas puellas submitteret in castra Hebræorum, quæ eos ad libidinem, indeque ad idololatriam cultumque Beelphegor pellicerent, *Num.* XXV, 1 : ita hæretici prædicant libertatem carnis, ut hac esca homines pelliciant in suam hæresim.

16. CORREPTIONEM VERO HABUIT SUÆ VESANIÆ. — Græce ἔλεγξιν δὲ ἔσχεν ἰδίας παρανομίας, id est, redargutionem habuit propriæ iniquitatis, sive prævaricationis. Noster pro παρανομίας videtur legisse παραφρονίας, id est *vesaniæ*, insipientiæ, dementiæ ; illud enim mox subdit S. Petrus, dicens : « Pro- Vers. 16.

hibuit prophetæ insipientiam. » Porro correptio hæc facta est per asinam, de qua subdit :

SUBJUGALE MUTUM ANIMAL (puta asina jugum et sessorem ferre assueta, muta et bruta) HOMINIS VOCE LOQUENS — per angelum, qui formabat voces articulatas in ore asinæ, dicendo : « Quid feci tibi ? Cur percutis me ecce jam tertio ? Nonne animal tuum sum, cui semper insidere consuevisti? dic quid simile unquam fecerim tibi ? » *Num.* XXII, 23. Censent Origenes et Glossa Angelum hunc fuisse eum qui præsidet speciei asinorum omnibusque asinis : singulas enim rerum species suum habere angelum præsidem. Verius Theodoretus, Procopius et Abulensis censent fuisse S. Michaelem, olim præsidem Synagogæ et Hebræorum, nunc præsidem Ecclesiæ et Christianorum. Porro vesanus et vecors fuit Balaam, quod cum asina contenderet, velletque eam trucidare, nec cogitaret angelum per os ejus loqui, sed nimirum ira et furor eum agebant et excæcabant : forte etiam ipse, utpote magus cum dæmone loqui assuetus, censebat dæmonem per os asinæ loqui, velleque sibi imponere ac iter impedire, lucrumque suum quod exspectabat a Balac, intervertere. Unde Dionysius Carthusianus, *Num.* XXII, censet eum cum asina contendisse hoc fine, ut dæmon per eum loquens intelligeret suam contra eum indignationem, itaque cum eo indirecte contenderet indignando contra illam, et in illius dedecus asinam verberando, eamque volendo jugulare. Quare angelus se ei ostendens cum fulgenti gladio, minansque necem, hunc ei errorem, stuporem et arrogantiam exemit ; Balaam tamen mox avaritia excæcatus perrexit ad Balac, cumque Hebræis, ut volebat, maledicere non posset, dedit Balac pessimum consilium de puellis, quod paulo ante recensui, ideoque ab Hebræis in bello contra Madianitas trucidatus est, *Num.* XXXI, 7 et 8. Cujus rei præsagium fuisse gladium fulgentem quem ei intentavit angelus, docet Anastasius Nicænus, Quæst. XXXII *in Script.*

Mystice Beda : Sicut, inquit, asina redarguit Balaam, sic sæpe Pagani redarguunt et confutant hæreticos, laici Clericos, subditi Prælatos, indocti doctos, mulieres viros, plebeii sapientes. De Balaam et asina vide dicta *Num.* XXII et XXIII, et *Apoc.* II, 14.

Vers. 17. 17. HI SUNT FONTES SINE AQUA, — quia vitalis aquæ, id est doctrinæ sanæ, expertes, *q. d.* Gnostici jactant et promittunt magnam sapientiam, sed eam reipsa non exhibent. Ita S. Hieronymus, lib. II *Contra Jovinianum ;* et Œcumenius : « Vitæ aquam, inquit, id est, puram prædicationis et dulcem aquam amiserunt ; » cum ex adverso suis promittat et præstet Christus : « Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ, » *Joan,* VII, 38. Hæretici ergo philologi sunt, non philosophi ; folia dant, non fructus ; verba, non scientiam ; sophismata, non solida argumenta : jactant, crepantque S. Scripturam, sed eam non intelligunt, imo pervertunt. *Secundo,* S. Augustinus, lib. *De Fide et Oper.,* cap. XXV : « Ideo S. Petrus, inquit, etiam fontes siccos appellat : fontes videlicet, quod acceperint agnitionem Domini Christi ; siccos autem, quia non congruenter vivunt (destituuntur enim aqua gratiæ et bonorum operum). Quod enim Petrus ait, fontes siccos ; hoc Judas ; nubes sine aqua ; hoc Jacobus, fides mortua. » Rursum Glossa : « Ubi, inquit, fons sine aqua, ibi lutum est erroris et peccati, nec lavat, sed coinquinat. »

Alludit S. Petrus ad illud *Jerem.* XV, 18 : « Facta est mihi manus tua quasi mendacium aquarum infidelium ; » aquæ enim infideles sunt fontes, qui promittunt aquam, eamque non præstant, sed siccantur in æstate, cum homines ea maxime ad potum, refrigerium et irrigationem frugum indigent. Sic S. Judas, vers. 12, hæreticos comparat nubibus sine aqua, id est, sterilibus et infecundis, ideoque mendacibus et fallacibus : «Hi, ait, sunt nubes sine aqua, quæ a ventis circumferuntur. »

ET NEBULÆ. — « Nebula » est nubes sterilis et infecunda, puta residuum nubis et vaporum : hinc nebula quasi nubes videtur promittere pluviam et humorem ; sed vel nullum præstat, vel frugibus noxium : sic hæreticorum doctrina est fucata, fallax, sophistica, pestifera.

TURBINIBUS EXAGITATÆ. — Comparat hæresiarchas nebulis, quæ a turbinibus, id est, ventis in gyrum rotantibus, aut ventis contrariis inter se confligentibus quaquaversum agitantur et raptantur, itaque dispelluntur et evanescunt. Sic enim hæretici a dæmone spiritu vertiginis, et quasi turbine errorum aguntur, ut inter se contraria doceant et acerrime confligant, juxta illud *Isaiæ* cap. XIX, vers. 2 : « Concurrere faciam Ægyptios adversus Ægyptios ; » imo unus idemque crebro errores mutet, et nunc hunc, nunc alium, et sæpe contrarium doceat, ideoque ejus doctrina sui falsitatem ostendat, intereat et evanescat. Hunc hæreticorum sui ævi genium notarunt S. Irenæus, lib. I, cap. V ; S. Justinus, Quæst. IV *ad Orthod.* ; Tertullianus, *De Præscript.,* cap. XLII, et Novatianus, lib. VII *De Trinit.,* ubi ait : « Fidem nostram, dum sibi adversantur, affirmant, et illa inconstantia ostendunt omnia incerta et vana esse apud se, et bellum illorum pax est Ecclesiæ. » Causam dat S. Augustinus, lib. XVIII *De Civit.,* cap. LII : « Cupivit, ait, per hæreticos diabolus efficere, ut in Ecclesia essent liberæ dissensiones, quomodo erant in Academiis Philosophorum, ut, sicut illæ per multas divisiones tandem intereunt, et ab invicem consumuntur, ita fieret in Ecclesia. » Sed falsus est et fallitur. Ecclesia enim velut super firmam Petri petram a Christo fundata in fide, semper sibi constat, adeoque sectæ quas diabolus inducit ad ejus obscurationem, eam magis indicant et illustrant. Idem in hæreticis notavit S. Paulus, *Ephes.* IV, 14, dicens :

Bellum hæreticorum pax fidelium.

« Ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris. » Vide ibi dicta.

QUIBUS CALIGO TENEBRARUM RESERVATUR.—Græca addunt εἰς αἰῶνα, id est *in æternum caligo tenebrarum*, id est, densissimæ tenebræ et caliginosi ignes inferni. S. Judas, vers. 13 : « Quibus procella tenebrarum servata est in æternum. »

Symbolice Hugo, Glossa et Thomas Anglicus : Caligo servatur hæreticis, quia in ea quotidie crescunt, ut qui cæci sunt, fiant cæciores et plures seducant, juxta illud *Apocal.* XXII, 11 : « Qui nocet noceat adhuc, et qui in sordibus est sordescat adhuc. »

Vers. 18. 18. SUPERBA ENIM VANITATIS LOQUENTES. — Dat causam cur hæresiarchas vocarit « fontes sine aqua et nebulas turbinibus agitatas, » scilicet quia instar fontium et nebularum vane attolluntur et superbiunt. « Superba enim vanitatis, » id est, superbam vanitatem, sive inanem superbiam, tumorem et fastum quo turgent, puta fastuosa, vana et superba loquuntur et eructant; hinc vocant se Gnosticos, id est scientes, cum omnium sint inscii. Vere Tertullianus, *De Præscript.*, cap. XLI : « Omnes, ait, tument, omnes scientiam pollicentur; ante sunt perfecti catechumeni quam edocti. Ipsæ mulieres hæreticæ quam procaces? quæ audeant docere, contendere, exorcismis agere, curationes repromittere, forsitan et tinguere. »

Nota : Pro *superba* (male aliqui legunt, *superbia*) græce est ὑπέρογκα, id est *prætumida*, excelsa, ingentia, superba, turgida, immodica, immensa, intolerabilia; Tigurina, *vehementer fastuosa*, de qualibus ait Horatius, *De Arte Poetic.* :

Projicit ampullas et sesquipedalia verba.

S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovin.*, vertit, *loquuntur verba tumentia.* « Descripsit, inquit, sermo Apostolicus Jovinianum loquentem buccis tumentibus, et inflata verba trutinantem. » S. Judas, vers. 16 : « Os eorum loquitur superba. » Alludit ad nebulas, quibus paulo ante hæresiarchas comparavit : sicut enim nebulæ instar nubium densescunt, tument et turgent, sed intus vanæ sunt, inanes et vacuæ, carentes humore, rore et imbre : sic et hæretici tument fastu, jactantque suam sapientiam ore, sed in corde ea vacui sunt et inanes; unde sunt sic æs sonans et cymbalum tinniens. Et hoc significat τὸ φθεγγόμενα, quod Noster vertit, *loquentes*; φθέγγομαι enim idem est quod *resono*, clamo, vociferor, uti faciunt hæretici, qui cum ratione vincantur, contentione et clamore orthodoxos vincere satagunt.

PELLICIUNT. — Δελεάζουσι, id est *inescant*, objecta esca capiunt, uti aucupes capiunt aves, piscatores pisces.

IN DESIDERIIS (per desideria quasi per escam) CARNIS LUXURIÆ, — id est carnis luxuriosæ, vel carnalis luxuriæ, legit Interpres ἀσελγείας, id est *luxuriæ* in genitivo singulari, uti et legit S. Augustinus, lib. *De Fide et Oper.*, cap. XXIV : « Illiciunt, inquit, in concupiscentiis carnis impudicitiæ, » id est impudicæ, vel impudicis. Jam legunt ἀσελγείαις in dativo plurali. Unde Vatablus vertit, *inescant homines per concupiscentias carnis voluptatibus.* Porro ἀσέλγεια, generalis est, significatque luxum, petulantiam, libidinem, lasciviam, qualis est in impudicis tactibus et aspectibus, de quibus vers. 14. Hoc est quod ait S. Judas, vers. 4 : « Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam. »

Esca hæreticorum. Prima. Porro esca ad luxuriam, et consequenter ad hæresim, ab hæreticis multiplex datur. *Primo*, Lutherus hanc dedit, quod castitas sit impossibilis; luxuria vero homini tam necessaria sit, quam edere et bibere. Verum dixit impostor, sed de se et suis duntaxat : eis enim impossibilis est castitas, tum quia id sibi ipsi persuadent : impossibile enim est ut maneat castus, qui id sibi putat esse impossibile; affectus enim sequitur lumen et judicium rationis; tum quia fidem et gratiam Dei respuunt, sine qua impossibilis est castitas, *Sap.* VIII, 21; tum quia negant liberum arbitrium, censentque hominem necessario agi rapique a suo appetitu et phantasia instar bestiæ; tum quia velut porci sponte se totos addixerunt carni, Veneri et ventri.

Secunda. *Secunda* est communis hæreticorum, scilicet curanda esse præsentia bona certa, non futura incerta. Unde vel palam, vel tacite negant animæ immortalitatem, resurrectionem et gehennam. Audi Brentium in *S. Lucæ* cap. XX, hom. 35 : « Etsi, ait, nulla apud nos sit publica professio, quod anima simul cum corpore intereat, et quod non sit mortuorum resurrectio, tamen impurissima et profanissima illa vita, quam maxima pars hominum sectatur, perspicue indicat quod non sentiant esse vitam post hanc. Nonnullis etiam tales voces tam ebriis inter pocula, quam sobriis in familiaribus colloquiis excidunt. » Hoc est quod de suis dixit Lutherus : « Credunt ut sues, vivunt ut sues, moriuntur ut sues. »

Tertia. *Tertia* est Calvini, quod Deus sit auctor omnium motuum et actionum, tam malarum, quam bonarum. Ex hoc enim ejus principio ejus discipuli, Libertini, duas eliciunt regulas, quas ipse Calvinus recenset, *Instruct. contra Libertin.*, XIII. *Prima* est : « Cum omnia sint opera Dei, licet hominibus velut laxis habenis quidquid in mentem venerit agere, non solum quia sumus extra periculum peccandi, sed etiam quia desiderium aliquod cohibere est impedire Deum. Ita scortationes et rapinæ Deo probabuntur, cujus sunt opera : ita non est curandum ut rapta restituantur, quia non est conveniens ut Deus corrigatur. » Altera : « Ne quis ullius rei conscientia moveatur. Nec hoc solum ex superius positis consequitur, sed idipsum illi confitentur; atque adeo id

præcipue sibi proponunt, ut sopiant conscientias, quo omni sollicitudine vacui homines perpetrent quidquid sese offerat, quidquid appetierint. »

Posito enim hoc principio, Deum esse auctorem omnium concupiscentiarum, libidinum, voluptatum, rapinarum, cædium, etc., dicet quilibet : Ego Deo repugnare nec possum, nec debeo; illi ergo obsequar, illi cooperabor; indulgebo concupiscentiis, libidini, voluptati sine scrupulo, imo cum laude, eo quod Deum sequar.

Hinc epicureismus ita invaluit, et in dies magis invalescit, ut Calvinus ipse admiretur in sola Gallia tot esse examina Doctorum, qui illi seminando sedulam navant operam, ac discipulorum infinitam multitudinem.

Deus Calvini est Satanas.

Quocirca Sebastianus Castalio, *De novo Deo Calv.*, asserit Calvinum Deum transformare in diabolum : hic enim est auctor omnis mali; ac proinde Calvinum cum suis pro Deo colere et adorare diabolum. « Duo, inquit, sunt dii, alter verus Christianorum, alter falsus Calvinistarum : falsus Deus est tardus ad misericordiam, propensus ad iram, quia maximam mundi partem creavit ad perniciem, eosque non solum ad damnationem, sed etiam ad causam damnationis prædestinavit. Itaque decrevit ab æterno, et vult efficitque ut peccent necessario, ita ut nec furta, nec homicidia, nec adulteria committantur nisi ejus voluntate atque impulsu; suggerit enim hominibus pravos affectus atque inhonestos, non solum permissive, sed efficaciter, eosque indurat ita, ut dum impie agunt, potius opus Dei quam suum faciant. Satanam ergo eum facit esse mendacem, ita ut non jam Satan, sed Deus Calvini sit pater mendacii; quippe qui sæpe aliud in ore, aliud in pectore gerat. At Deus ille quem sacræ Litteræ docent, est huic plane contrarius. Vult is omnes salvos fieri, etc. Et hic Deus venit ut destrueret illius Calviniani Dei opera. » Porro isti duo dii contrarii, suos cultores contrariis moribus imbuunt et informant. Nam, ut subdit Castalio : « Verus Deus venit ut destrueret illius Calviniani Dei opera; et hi duo dii, ut sunt natura inter se contrarii, sic gignunt filios etiam inter se contrarios : videlicet Calvinianus Deus immisericordes, superbos, immites, invidos, sanguinarios, calumniatores, fictos, aliud in corde, aliud in ore gerentes, impatientes, malitiosos, seditiosos, contentiosos, ambitiosos, avaros, voluptatis magis quam Dei amantes, omnibus pravis et inhonestis affectibus plenos, quos eis ipsorum pater suggerit. At alter Deus misericordes gignit, humiles, mansuetutos, » etc.

Atque ut videas hunc non unius Castalionis, sed communem aliorum esse sensum, Smidelinus *Contra Grynæum* : « Spiritus Calvinisticus, inquit, mendax est, homicida, ater, pessimus, fugitivus, lubricus, diabolicus, falsus, furiosus, verbosus, crassus, cæcus. Calvinismus, Arianismus, et Mahometismus fratres sunt et sorores : tres caligæ ejusdem panni. Camarina, in quam multæ hæreses confluxerunt; ultima Satanæ ira. » Lutherus apud Gretserum, lib. I *Contra Goldastum*, cap. XII : « Calvinistæ, ait, sunt fanatici, progenies viperina, animicidæ, impii, blasphemi, deceptores, sanguinarii, infernales molossi, Germanici Turcæ a Satana missi et obsessi, Mahometani baptizati, perdiabolati, transdiabolati, superdiabolati. » Godefridus a Valle Parisiis, anno 1572, publice concrematus librum scripsit, *De Arte nihil credendi*, in quo docet « oportere prius Calvinistam fieri qui atheus esse » volet. Guilielmus Reginaldus in *Calvinoturcismo* demonstrat calvinismum parum distare a turcismo vel atheismo, et qui vere Calvinista est, vix abesse quin Turca vel atheus sit. Denique Serenissimus rex Angliæ Jacobus in *Basilicodoro*, asserit suos in Anglia Puritanos, id est puros Calvinistas, esse « spiritus fanaticos, perjurios, perfidos, nihil nisi seditionem et calumniam spirare, sine ratione maledicta ingerere, se plus fidei reperisse in efferis latronibus, quam in Puritanis; se non solum a nativitate continuo vexatum fuisse a Puritanis, sed etiam in utero materno propemodum ab iisdem extinctum. »

Eos (refer ad *pelliciunt*, *q. d.* Hæretici in suas hæreses per escam luxuriæ pelliciunt *eos*) QUI PAULULUM EFFUGIUNT, (illos) QUI IN ERRORE CONVERSANTUR. — Puta eos qui paululum effugiunt Gentiles et Judæos, qui in errore gentilismi et judaismi conversantur, *q. d.* Hæretici pelliciunt ad se novitios, vel claudicantes et debiles in fide, scilicet recenter, vel languide a judaismo vel gentilismo ad Christum conversos : hi enim cum in fide sint teneri, infirmi et rudes, facile seduci se sinunt. Pro *paululum* legit Interpres ὀλίγως. Alii legunt οὕτως, id est *sic*, hoc est, utcumque paulum; alii ὄντως, id est *revera*. Rursum Interpres legit in præsenti ἀποφεύγοντας, id est *qui effugiunt*; jam in aoristo legunt ἀποφυγόντας, id est *qui effugerant*. Sic enim tota hæc sententia græce legitur : τοὺς ὀλίγως ἀποφυγόντας, τοὺς ἐν πλάνῃ ἀναστρεφομένους, quam plane et clare sic reddas, *pelliciunt eos qui paulum effugerant, eos qui in errore conversantur*, puta Judæos, Gentiles, vel potius Gnosticos hæreticos, *q. d.* Gnostici eos qui nuper a sua hæresi conversi fuerant ad orthodoxam fidem, rursum ad suam hæresim pelliciunt, refricando et obtrudendo illis escam priscarum voluptatum et libidinum, quibus in hæresi indulserant; quare ex earum memoria, habitu et consuetudine facile in hæresim relabuntur, cum ab ea sint recenter conversi, ideoque teneri et imbecilles in fide orthodoxa. Huic sensui valde favent sequentia, et S. Augustinus, lib. *De Fide et Operib.*, cap. XXIV, cum sic legit : « Illiciunt in concupiscentiis carnis impudicitiæ eos, qui paulum effugerunt in errore conversari; » et S. Hieronymus, lib. II *Contra Jovinianum*, dum sic vertit, « pelliciunt in desideriis carnis luxuriæ eos, qui paulum effugerunt et ad errorem reversi sunt. » Græ-

cum enim ἀναστρέφειν et *reverti* et *conversari* significat.

Summa, significat S. Petrus hæreticos seducere, non eos qui in fide sunt fortes et veterani, sed qui in ea sunt novitii, debiles, ideoque facile nutant et seducuntur objecta esca voluptatis, cui antea assueverant totosque se addixerant. Unde S. Augustinus, tract. *De Utilitate credendi*, tom. IX : « Frumentum, ait, de area aut non recedit, aut redit : aliquid palearum aufert (hostis) vento tentationis, unde nobis faciat non viam perditionis, sed opus exercitationis. » Ibidem docet diabolum pro idololatria induxisse hæreses. Sicut enim pisces et aves e reti elapsæ, si juxta illud volent vel natent, escæ retis inhiantes, facile in illud recidunt et irretiuntur : sic et qui ab errore conversi sunt, si ejus doctores audiant et ad voluptates eorum auscultent, facile in eumdem relabuntur ; ut ergo tuti sint, debent prorsus ex toto corde errori renuntiare, et longissime ab eo ejusque doctoribus recedere, planeque aures claudere, ne quid de eo vel eminus audiant.

Vers. 19. 19. LIBERTATEM ILLIS PROMITTENTES (tum a peccato, tum a lege, tum a subjectione dominorum et principum, ut libere agant quidquid lubet ; luxuriam enim dicunt non esse peccatum, sed opus Dei et naturæ), CUM IPSI SERVI SINT CORRUPTIONIS, — puta libibinis et voluptatis, quæ animum et corpus corrumpit. Sicut enim castitas est integritas mentis et corporis, sic luxuria utriusque est corruptio : ejus ergo servos se faciunt : « Omnis enim qui facit peccatum, servus est peccati, » *Joan.* cap. VIII, vers. 34. Scripsit Cicero Paradoxon : « Quod solus sapiens sit liber ; » et Philo : « Quod solus probus sit liber ; improbum enim, licet neget, servum esse tot dominorum, quot vitiorum. » Diogenes aiebat inter servos et dominos malos nil interesse præter nomen, nisi quod servi servirent dominis, domini cupiditatibus, iisque brutis et exilibus. Seneca, lib. *De Vita beata*, cap. V : «In regno nati, inquit, Deo parere libertas est. » Merito miratur S. Ephrem, *Adhort. ad pietatem*, tom. I, vel unum posse reperiri, qui malit servire creaturæ quam Creatori. Animus enim liber est, qui serviens uni Deo, vitiis et creaturis omnibus totique mundo dominatur, ideoque felix est et beatus. Audi S. Salvianuum, *De Provid.*, lib. I : « Nemo, ait, aliorum sensu miser est, sed suo, et ideo non possunt esse falso judicio miseri, qui sunt vere sua conscientia beati, etc. Nulli, ut opinor, beatiores sunt, quam qui ex scientia sua atque voto agunt. Humiles sunt Religiosi, hoc volunt ; pauperes sunt, pauperie delectantur ; sine ambitione sunt, ambitum respuunt ; inhonorati sunt, honorem rejiciunt ; lugent, lugere gestiunt ; infirmi sunt, infirmitate lætantur. Cum infirmor, inquit Apostolus, tunc potens sum. Itaque quidquid acciderit iis quicumque vere Religiosi sunt, beati esse dicendi sunt, quia inter quantumlibet aspera nulli lætiores sunt, quam qui hoc sunt quod volunt. » Vide dicta *Epist.* I, cap. II, vers. 16.

Peccator est servus concupiscentiæ.

Religiosi beati, quia sunt quod esse volunt.

Porro hoc sæculo viget secta Libertinorum, ita dicta a libertate Evangelica, quam primus proclamavit Lutherus. Hanc ita describit Stanislaus Rescius in *Sectarum Centuriis* : « Fanaticum hominum genus, in quo jure credas revixisse Gnosticos et Valentinitas, quibus nihil æque displicet ac simplex, proprius ac germanus Scripturæ sensus. Illis Christus est Satanas, vitium virtus, et virtus vitium. Nihil enim ex eorum sententia peccatum est, nisi eorum opinione qui sese peccare putant. Verus Dei timor, et eo imbuta conscientia pro inferno illis habetur : pro paradiso autem conscientia divini judicii contemptrix, secura, stupida et consopita. Docent homini omnia esse licita sine ulla exceptione, omneque genus vivendi probant : lenonem suo volunt fungi munere, fures audacter furari jubent, matrimonia dissolvi volunt, cum uxor mariti sui tædium ceperit : unde promiscuos laudant concubitus, idque vocant spirituale matrimonium ; communionem Sanctorum vocant communionem bonorum temporalium, ideoque quantum quisque potest, ut rapiat, suadent. Resurrectionem jam factam esse dicunt, neque aliud exspectandum judicium. Jam Christianos omnes resurrexisse affirmant, quando animam humanam sciant jam factam esse illum Dei spiritum immortalem, imo in Dei essentiam rediisse, unde, inquiunt, exiit, eique ita jungi, ut unicus spiritus maneat. » Libertinorum sectæ quæ.

Denique hæretici nostri in Gallia, Belgio, Anglia, etc., initio hæreseos arma sumpserunt contra orthodoxos principes, titulumque belli prætulerunt libertatem conscientiæ. At ubi rerum potiti sunt, eamdem, pro qua tot annis pugnarunt tantumque sanguinis effuderunt, everterunt, quin et seipsos eadem privarunt. Nec enim permittunt sibi, vel aliis libertatem religionis et fidei, sed omnes cogunt esse Protestantes vel Calvinistas, magisque orthodoxos persequuntur ad necem usque, ad tormenta inaudita, quam Turcas et Saracenos, imo quam Turcæ Christianos. Hæccine est libertas tot cædibus quæsita et promissa, imo jurata ? Eleganter has humani generis pestes, Ecclesiæ furias, regnorum faces, vel potius ardentes inferorum tedas depingit noster Perpinianus, testis oculatus, *orat.* 8.

A QUO ENIM QUIS SUPERATUS EST, HUJUS ET SERVUS EST. — Græce δεδούλωται, id est *servitio*, vel in servitutem *addictus est*. Hinc mancipium dictum est quasi manu captum in bello, et servus quasi servatus ab hoste, ait S. Augustinus, lib. XIX *De Civit.*, XV. Jure enim gentium sic inducta est servitus, dum victores hostibus bello captis quos occidere poterant, vitam condonarunt, necemque in servitutem commutarunt, ut docet Justinianus, in *Instit. de jure person.*, lib. IV, § 1. Unde idem Augustinus hunc locum sic legit : « A quo enim quis devictus est, huic et servus addictus

est;» et S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovinianum*: « Unusquisque enim ei subjacet passioni, a qua vincitur. »

« Quanta iniquitas, exclamat S. Augustinus, lib. *De Honest. mulierum.*, cap. XXX, ut animam quam Christus suo sanguine redemit, luxuriosus pro unius horæ delectatione diabolo vendat ac tradat? » Atque hujus venditionis syngraphum propria subscriptione munitam, tradit diabolo peccator. Sic explicat Origines, hom. 23 *in Gen.*, illud ad *Coloss.* cap. II, vers. 14, *Delens quod adversus nos erat chirographum* : « Istud chirographum, ait, peccatorum nostrorum cautio fuit : unusquisque etenim nostrum in iis quæ delinquit, efficitur debitor, et peccati sui litteras scribit. » Idem viderunt suo more Gentiles. « Diogenes vocabat se imperatorem, Alexandrum Magnum vero servum servorum suorum, quod ille serviret suis cupiditatibus, quibus ipse imperabat. » Ita Manutius in *Apopht. Diogenis*, lib. III, centur. I, num. 47. Eidem Alexandro scripsit Brachmanes, « Nihil prodesse orbis dominum fieri, infimæ autem vilique rei servire : subvertere inimicos externos, ut foveat ac sustentet internos. »

Vers. 20. 20. SI ENIM REFUGIENTES COINQUINATIONES MUNDI (hoc est, errores et peccata, puta gentilismi superstitiones et idololatrias, indeque consequentem voluptatum et libidinum licentiam. Sensus est, *q. d.* Talibus qui scilicet fugientes inquinamenta, voluptates et libidines mundi, contulerunt se ad cognitionem, id est, ad fidem et cultum Christi, si ab eo apostatantes ad gentilismum, vel potius hæresin Gnosticorum, rursus iis inquinamentis) IMPLICATI SUPERANTUR (quæ ante superaverunt, uti legit S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovinianum*), FACTA SUNT EIS POSTERIORA DETERIORA PRIORIBUS, — tum quia gravius est malum recidivi; tum quia magis et profundius se vitiis pristinis immergunt, habitumque validiorem induunt; tum quia ingrati gratiæ Dei ab ea deseruntur. Alludit, imo citat illud Christi : « Fiunt novissima hominis illius pejora prioribus, » *Matth.* cap. XII, vers. 45; et *Jerem.* cap. II, vers. 36 : « Quam vilis facta es nimis iterans vias tuas! » S. Basilius, *Regula* 289 ex brevior., acute notat, cum quis relabitur in peccatum, signum esse, primitus eum a peccato non plane recessisse, nec ejus radicem exstirpasse, sed adhuc occulte in animo ejus residere peccati appetitum et concupiscentiam. Unde infert Guilielmus Parisiensis, lib. *De Sacrament. Pœnit.*, cap. V, talem non habuisse validam et efficacem contritionem. Comparat S. Petrus Gnosticos cum idololatris; ut qui ex idololatris facti sint Christiani, si e Christianis fiant Gnostici, videantur relabi in idololatriam, quia Gnostici in multis nefarium cultum infidelium imitabantur, et quia par utrorumque erat impietas, eadem libido, idem parens. Unde Tertullianus, lib. *De Præscript.*, cap. XL, docet « neque ab idololatria distare hæreses, cum et auctoris et operis ejusdem sint, cujus et idololatria : Deum autem fingunt alium adversus Creatorem; aut si unicum creatorem confitentur, aliter eum disserunt quam in vero est. Itaque omne mendacium quod de Deo dicunt, quodammodo genus est idololatriæ. » Nam, ut ait S. Augustinus, *Quæst.* XXIX *in Josue* : « Quisquis talem Deum cogitat qualis non est Deus, alterum Deum utique et falsum in cogitatione portat. »

Moraliter nota hic, quod sicut ægri convalescentis relapsus in morbum gravior et periculosior est priore morbo, ita et est relapsus justificati in peccatum. Audi S. Paulum, *Hebr.* cap. VI, vers. 4 : « Impossibile, inquit, est eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, et participes facti sunt Spiritus Sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, et prolapsi sunt rursus, renovari ad pœnitentiam. » Et alibi : « Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia, terribilis autem quædam exspectatio judicii et ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios. » Et S. Chrysostomus, homil. *De Lapsu primi hominis* : « Noli, ait, peccare post veniam, noli vulnerari post curam, noli sordidari post gratiam : cogita, o homo, graviorem esse culpam post veniam, renovatum vulnus pejus dolere post curam, molestius hominem sordidari post gratiam. Quare indulgentiæ ingratus est, qui post veniam peccat; sanitate indignus est, qui semetipsum postquam curatus est vulnerat; nec mundari meretur, qui semetipsum post gratiam sordidat. » Et paucis interjectis : « Grave est hominem instructum delinquere, gravius absolutum peccare : servo pejor est, qui patronum post datam libertatem offendit : beneficiis ingratus est, qui datorem tumoris arrogantia despicit. » Vide nostrum Joannem Busæum in *Arca Medica*, verb. *Recidivum*, ubi quinque adversus recidivam peccati remedia suggerit, eaque testimoniis S. Scripturæ et Patrum confirmat.

Vers. 21. 21. MELIUS, — non positive, quasi majus sit bonum, cum nec sit bonum; sed negative, quia minus malum, hoc est, minor est infidelis ignorantis, quam fidelis cognoscentis culpa, ideoque minor erit et pœna. « Ille enim nondum accessit, iste retro respexit, » ait S. Augustinus in *Ps.* LXXXIII. Idem S. Augustinus, concione 2 *in Psalm.* XXX : « Cum dicit, inquit, Melius erat illis non cognoscere viam justitiæ, nonne judicavit meliores esse inimicos foris positos, quam intus male viventes, quibus premitur et gravatur Ecclesia? » Et Salvianus, lib. IV *De Provident.* : « Nunc, ait, quia jam Christum agnovisti, qui susceptus es quasi intra os Dei per fidei agnitionem, projicieris per teporem; quod etiam beatus Petrus exposuit, dicens de vitiosis et tepidis : Melius erat illis, » etc.

NON COGNOSCERE, — μὴ ἐπεγνωκέναι, id est *non cognovisse*.

VIAM JUSTITIÆ, — id est institutum et religio-

nem christianam, sive Christianismum : hic enim est via nos ducens ad veram virtutem et justitiam coram Deo, in qua proinde nemini sistere licet, sed quemque semper in ea progredi et proficere oportet, donec ad metam, puta cœlestem patriam et gloriam perveniat. Aliqui pro *justitiæ* legunt ἀληθείας, id est *veritatis*, id est, veræ doctrinæ et fidei, puta Evangelii.

RETRORSUM CONVERTI A SANCTO MANDATO. — S. Augustinus, *De Fide et Oper.*, cap. XXIV, legit, «reflecti a tradito;» S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovinianum*, «retrorsum converti, et relinquere sanctum mandatum, quod eis traditum est.»

Lex nova sancta. Primo. « Sanctum mandatum » vocat legem Evangelicam. *Primo*, quia ejus auctor est Christus et Spitus Sanctus.

Secundo. *Secundo*, quia lex Evangelica docet jubetque omnem puritatem et sanctimoniam, ac vetat omnem coinquinationem et impuritatem.

Tertio. *Tertio*, quia omnes sibi obedientes sanctificat per doctrinam, gratiam et sacramenta quæ suggerit.

Quarto. *Quarto*, quia sancte servari debet : ejus enim modus, æque ac finis, est sanctitas, juxta illud : « Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi in sanctitate et justitia coram ipso omnibus diebus nostris, » *Lucæ*, I, 78.

Quinto. *Quinto*, quia multa in ea sine gratia sanctificante observari nequeunt, inter quæ prima est lex charitatis, susceptio Eucharistiæ, administratio S. Sacramentorum, etc.

Sexto. *Sexto*, quia pro objecto habet Deum, qui est ipsa sanctitas : hunc enim colit fide, spe, charitate, religione cæterisque virtutibus Christianis.

Septimo. *Septimo*, mandatum Evangelii sanctum est, quia a Deo sancitum et firmatum, ut duret per omnia sæcula, perque totam æternitatem, utque a Sanctis in cœlo plene et perfecte adimpleatur. Præclare enim Salvianus, lib. IV *ad Eccles. Cathol.*, in fine : « Cuncti, inquit, qui oderunt mandatum sacrum, causam odii in seipsis habent. Omne fastidium non in præceptis legis, sed in moribus suis. Lex quippe bona est, sed mores mali, ac per hoc mutent homines propositum et affectum suum. Si enim mores suos probabiles esse fecerint, nihil eis ex eo quod lex bona præcipit, displicebit : quando enim bonus quis esse cœperit, non potest non diligere legem Dei, quia hoc intra se habet lex Dei sancta, quod sancti homines in moribus. » Loquitur S. Petrus de apostasia et apostatantibus a sancta Christi fide et lege ad impuram Gnosticorum sectam. Ejus tamen sententiam recte adaptes Sacerdotibus et Religiosis, qui a sacerdotio et religione apostatant, redeuntque ad sæculum, aut ducunt uxores, vel potius concubinas : quod quantum sit nefas, vide apud S. Basilium *Reg. fusior.*, Reg. 14; Cæsarium, hom. 3 *ad Monach.*; Auctorem serm. *ad Fratres in eremo* apud S. Augustinum, tom. X, serm. 8 et 34, ac nostrum Hieronymum Platum, III *De Bono status religiosi*, XXXVII. Maxime vero taxat Agapetarum sectam, quæ orta paulo ante tempora S. Hieronymi valde sese dilatavit, ideoque plerique Patres, ut SS. Hieronymus, Augustinus, Chrysostomus, Nazianzenus, Basilius, lib. *De Virgin.*, in eam acriter invehuntur. Vocabantur græce ἀγαπηταί, id est *dilectæ* (item sorores adoptivæ, ut ait S. Chrysostomus), eo quod prætextu dilectionis viris spiritualibus cohabitarent, quasi ab iis instruendæ et formandæ in pietate et virtute, sed sub hoc prætextu turpiter vivebant, uti etiamnum nonnullis in locis fit. Quocirca Patres jam citati docent virgines et mulieres devotas plane debere a viris, etiam spiritualibus, separari. Audi S. Hieronymum ad Eustochium, lib. *De Custod. virgin.* : « Pudet, ait, dicere (proh nefas!) triste, sed verum est. Unde in Ecclesias Agapetarum pestis introiit? Unde sine nuptiis aliud nomen uxorum? imo unde novum concubinarum genus? Plus inferam : Unde meretrices univiræ? Eadem domo, uno cubiculo, sæpe uno tenentur et lectulo, et suspiciosos nos vocant, si hinc aliquid existimamus. Frater sororem virginem deserit; cælibem spernit virgo germanum, fratrem quærit extraneum. Et cum in eodem proposito esse se simulant, quærunt alienorum spirituale solatium, ut domi habeant carnale commercium. Hujusmodi homines Salomon in Proverbiis spernit, dicens : Alligabit quis in sinu ignem, et vestimenta ejus non comburentur? Aut ambulabit super carbones ignis, et pedes illius non ardebunt? » Rursum idem Hieronymus paulo supra ibidem : « Hæ sunt, inquit, quæ solent dicere : Omnia munda mundis. Sufficit mihi conscientia mea. Cor mundum Deus solum desiderat. Cur me abstineam a cibis quos Deus creavit ad utendum? Et si quando volunt festive et lepide vivere, ubi se mero ingurgitaverint, ebrietati sacrilegium copulantes aiunt : Absit, ut ego me a Christi sanguine abstineam. Et quam viderint pallentem atque tristem, miseram atque Manichæam vocant. Et consequenter tali proposito jejunium hæresis est. Hæ sunt quæ per publicum notabiliter incedunt, et furtivis oculorum nutibus adolescentium greges post se trahunt, quæ semper audiunt per Prophetam : Facies meretricis facta est tibi, impudorata es tu. Purpura tantum in veste tenuis, et laxius, ut crines decidant, ligatum caput : soccus vilior, et per humeros hyacinthina læna mavorte volitans; succinctæ manicæ brachiis adhærentes, et solutis genibus fractus incessus. Hæc apud illas tota virginitas. »

Agapetarum secta.

22. CANIS REVERSUS AD VOMITUM. — Comparat Gentiles a Christianismo relapsos in hæresin Gnosticorum, canibus. *Primo*, quia tales sicut canes revertuntur ad vomitum, id est ad errores, gulas et libidines, quas in Christianismo evomuerant et abjecerant. Porro vomitum resorbere est fœdum et abominabile. Unde S. Augustinus, conc. *in Psalm.* XXX : « Vide, ait, quam horribili rei eos

Vers. 22. Relapsi similes canibus. Primo.

comparaverit. Horribilis profecto res est proprium resorbere vomitum, nec in summa quidem fame a quoquam usurpatum.» *Secundo,* quia impudici et impudentes sunt ut canes, qui in publico commiscentur. Unde impurus Diogenes ob caninam obscenitatem et inverecundiam vocatus est Cynicus, id est, caninus et canis, teste Laertio. Rursum τὸ *canis* notat Gnosticorum vagas et promiscuas libidines, ac adulteria : talia enim sunt canum; unde proverbium : « Canis masculi infinita cubilia. » *Tertio,* quia hæretici veritati veræque fidei oblatrant, ac orthodoxos verbo et scripto insectantur quasi canes latrantes : ita S. Chrysostomus, hom. *De Cruce Domin.:* « Canes, ait, sunt omnes hæretici, qui contra Creatorem suum blasphemiarum extendunt eloquia. » *Quarto,* quia canis vile fœdumque est animal et legaliter immundum, ut patet *Deuter.* XXIII, 18; tales quoque sunt hæretici. Unde *Eccli.* XIII, 22 : « Quæ communicatio, ait, sancto homini ad canem? » Et Isaias, cap. ult., 3 : « Qui mactat pecus, quasi qui excerebrat canem; » et Christus, *Matth.* VII, 6 : « Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos. » Huc alludens S. Petrus utramque Christi similitudinem, puta canum et porcorum, usurpat. *Quinto,* quia, ut ait S. Hieronymus *ad Rusticum* : « Pomparum ferculis procedunt in publicum ut caninam exerceant facundiam, » scilicet compositam duntaxat ad maledicendum et rixandum, quæ canina dicta est, a rixa et oblatratu canum. Porro hæc maledicentia arguit hæreticorum timiditatem, falsitatem et diffidentiam. Sicut enim canes timidissimi maxime latrant, quia mordere non audent, vel nequeunt; canes vero muti mordent, nec latrant : sic hæretici quia timent et diffidunt causæ suæ, utpote falsæ et erroneæ, hinc clamoribus et maledictis eam tegere, iisque victoriam obtinere satagunt, quam sciunt se argumentis et rationibus obtinere non posse. *Sexto,* canes sunt mendici : mendicant enim astando mensæ heri, in eumque intenti, offam et ossa exspectant. Unde proverbium : « Canis mendico auxilians. » Canes enim infesti sunt mendicis quasi ὁμοτέχνοις, qui scilicet eamdem secum artem exerceant, panemque præripiant : unde mendici objiciendo canibus frustum eos sibi conciliare solent. Ita mendicant hæretici, mensisque et bursis divitum inhiant, et quasi canes circa macellum et intestina oberrant. Est enim « odora canum vis, » et ubicumque odoratur escam, eo se insinuat. *Septimo,* canis pronus est in vindictam, sed stolide lapidem in se jactum remordet; jacientem vero dimittit, quasi eum non audeat attingere, ait Plato, lib. V *De Republ.* Ita hæretici proclives sunt in vindictam, cumque veritatem et eruditos se impetentes impetere et ulcisci nequeant, plebem indoctam invadunt. *Octavo,* canes vivunt otiose et secure ex alieno, juxta illud : « Canis vivens e magdalia, » id est, e furfure, adipe cæterisque manuum purgamentis; et : « Canis tanquam Delum navigans, » jaci solitum in supinum, otiosum, securum, ac voluptuariam vitam agentem : nam Athenis facilis ac tuta in Delum erat navigatio. Eamdem vitam vivunt hæretici. Unde Paulus : « Videte, ait, canes, videte malos operarios, videte concisionem, » *Philip.* III, 2. *Nono,* canes acriter in venatione persequuntur feram, eamque cingunt donec comprehendant et lanient; « est enim genus acre luporum atque canum, » ait Virgilius, III *Georg.*

Quinto.

Et canibus leporem, canibus venabere damas,

ibidem. Et Ovidius in *Ibin* :

Scindent avidi perfida corda canes.

Ita hæretici venantur animas quasi lepores, nec desistunt donec eas capiant et occidant.

Decimo, canes horribiliter ululant, quod « baubare » vocat Lucretius. Hinc apud inferos dicunt Poetæ esse tricipitem canem, puta Cerberum, instar horrendi monstri, qui damnatos mordeat et cruciet. Similis est ululatus, morsus, horror et cruciatus hæreticorum, præsertim in gehenna. Hinc Cerberus dictus est quasi κρεοβόρος, id est, « carnem vorans, » de quo Virgilius, VI *Æneid.* :

Cerberus hæc ingens latratu regna trifauci
Personat, adverso recubans immanis in antro :

et mox :

Ille fame rabida tria guttura pandens
Corripit objectam, atque immania terga resolvit.

Moraliter S. Gregorius, III part. *Pastor.,* admon. XXXI, hanc S. Petri sententiam applicat quibusvis ad peccata dimissa redeuntibus. Alludit enim S. Petrus ad illud *Proverb.* XXVI, 11 : « Sicut canis qui revertitur ad vomitum suum, sic imprudens qui iterat stultitiam suam. Admonendi sunt enim, inquit S. Gregorius, qui admissa plangunt, nec tamen deserunt; atque aliter qui deserunt, nec tamen plangunt. Admonendi sunt enim qui admissa plangunt, nec tamen deserunt, ut considerare sollicite sciant, quia flendo inaniter se mundant, qui vivendo nequiter inquinant, cum idcirco se lacrymis lavant, ut mundi ad sordes redeant. Hinc enim scriptum est : Canis reversus ad suum vomitum, et sus lota in volutabro luti. Canis quippe cum vomit, profecto cibum qui pectus deprimebat, projicit; sed cum ad vomitum revertitur, unde levigatus fuerat, rursum oneratur. Et qui admissa plangunt, profecto nequitiam de qua male satiati fuerant, et quæ mentis intima deprimebat, confitendo projiciunt, quam post confessionem dum repetunt, resumunt. Sus vero in volutabro luti cum lavatur, sordidior redditur. Et qui admissum plangit, nec tamen deserit, pœnæ gravioris culpæ se subjicit, quia et ipsam quam flendo potuit impetrare, veniam contemnit, et quasi in lutosa aqua semetipsum volvit, quia dum fletibus suis vitæ munditiam subtrahit, ante Dei oculos sordidas in-

sas etiam lacrymas facit; » et paulo inferius : « Hinc per quemdam sapientem (*Eccli.* XXXIV) dicitur : Qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit illum, quid proficit lavatio ejus? Baptizatur quippe a mortuo, qui mundatur fletibus a peccato : sed post baptisma mortuum tangit, qui culpam post lacrymas repetit. »

Guilielmus Parisiensis, lib. *De Pœnit.* cap. XII, apte pieque docet in confessione evomi peccata, ideoque detestabiles esse qui postmodum ad peccata redeunt, ac opera virulenta quæ semel evomuerunt, resorbent. Vide S. Augustinum in *Psalm.* LXXXIII, post initium, ubi urget exemplum uxoris Lot, quæ retro respiciens versus Sodomam, versa est in statuam salis, citansque hunc locum S. Petri : « Canis, inquit, reversus ad suum vomitum. Premebat enim pectus conscientia peccatorum, accepta indulgentia quasi vomuisset, relevatum est pectus tuum. Facta est bona conscientia ex mala conscientia. Quid rursus converteris ad vomitum tuum? Si canis hoc faciens horret oculis tuis, tu quid eris oculis Dei? »

SUS LOTA (rediens, rursumque se volutans) IN VOLUTABRO LUTI. — Unde Græca clarius habent : « Sus lota ad volutabrum luti, » scilicet reversa. Volutabrum est locus cœnosus ubi sues volutantur, de quo Virgilius, lib. III *Georgic.* :

Sæpe volutabris pulsos silvestribus apros
Latratu turbabis agens.

Et Horatius, lib. I, *epist.* 2 :

Et amica luto sus.

Gnostici similes porcis.

Notat Gnosticos, tum quia porcus, ait Horus, et ex eo Pierius, *Hierolog.* IX, symbolum est hominum veritatem spernentium, profanorum, perniciosorum et eorum qui a Deo penitus sunt aversi, quales erant Gnostici; tum quia Gnostici dicti sunt Borboritæ, id est cœnosi, vel lutosi, a βορβόρῳ, id est *luto*, sive *cœno*. « Hi enim, ut ait Philastrius, *De Hæresib.*, in cœnum euntes, et inde obliti de cœno facies et membra sua deformantes gerebant; » et S. Augustinus, *hæresi* 6 : « Nonnulli, ait, eos (Gnosticos) Borboritas vocant quasi cœnosos, propter nimiam turpitudinem quam in suis mysteriis exercere dicuntur. » Similes novi Gnostici cœnosi, nuper ex Anabaptistis orti sunt in Hollandia, quorum secta vocatur *currus stercorum*; quia sentinam putidissimorum errorum et blasphemiarum vehit, omnemque religionis curam abjicit, ait ex Ulembergio Rescius in *Sectarum centuriis*; ubi et ex Hosio aliam sectam recenset eorum qui vocantur *Suistæ*, eo quod sui capitis somnia sequantur. « Rusticus, inquiunt, fuit Lutherus, monachus Bucerus, stigmaticus Calvinus, carnifex Sudrovius, sui spiritus ergo cuique sequenda sunt consilia : suo spiritu ex inspiratione Spiritus Sancti quisque interpretetur S. Scripturam, sibique sapiat et consulat. » Vere Suisticum, imo suinum est hoc eorum dictum.

Moraliter Origenes, hom. 1 *in Psalm.* XXXVII, recte peccatores comparat suibus. *Primo*, quia uti sues res sordidas et putidas adamant, habentque pro deliciis, decore et odore suavissimo, ita et peccatores : « Porcis, inquit, similes dicuntur ii qui peccatorum fœtoribus delectantur sicut porci, qui fœtorem omnem tanquam odorem suavissimum expetunt. Considera ergo peccatorem qui peccatis suis delectatur, et lætus est in malis suis, quoniam et ipse in stercore fœtido volutatur, et nullum fœtoris ejus qui ex peccati stercore oritur, percipit sensum, ac velut in summis voluptatibus et gratissimis deliciis delectatur. » Quin et Cicero, *De Arusp. resp.* : « Velut sus quædam luto, inquit, ita stupris delectatur; » et Horatius :

Epicuri de grege porcus.

Secundo, quia peccator in se spurcus et fœdus est uti porcus, præsertim sus, quæ est animal calidum, obscenum et fœdum. Unde nonnulli censent dictum esse *fœdus*, eo quod in illo feriendo mactabatur animal *fœdum*, id est porca, juxta illud Virgilii, VIII *Æneid.* :

Stabant, et cæsa jungebant fœdera porca.

Inde manarunt phrases « ferire, icere, percutere fœdus, » quia scilicet feriebatur porca ad sanciendum fœdus. Hinc diabolus adamat porcos, et sæpe in specie porci apparet, ac porci vel corpus, vel formam induit, ut patet ex Vita S. Antonii; quin et a Christo petiit facultatem ingrediendi in porcos, *Matth.* VIII, 3 : præsertim quia porci omnes in Italia locisque vicinis sunt nigri (unde Alba urbs vicina Romæ, ejusque parens et æmula, ita dicta est a prodigio albæ suis, quæ ibi præter morem enixa est triginta nefrendes); diabolus autem aterrimus est, non coloribus, sed moribus et gehennæ ardoribus.

Tertio, quia sus pascitur rebus sordidis, ita et gulosus; unde proverbium : « Sus comessatur. » Rursum sus saginatur ut mactetur : ita peccator saginat se ut mactetur, epulumque præbeat diabolo in gehenna.

Quarto, porcus in ventrem pronus non nisi terram aspicit, terræ incubat, nec aliud est quam moles carnea, terrestris et ponderosa : sic et peccator terrenis inhiat, ventri et carni incubat. Hinc Lutherus suos Lutheranos in ventrem projectos vocabat sues, ut superius dixi. Audi Lactantium, lib. IV, cap. XVII, qui dans causam cur Judæis esus suillæ interdictus fuerit, sic ait : « Est enim lutulentum hoc animal, et immundum, nec unquam cœlum aspicit, sed in terram toto et corpore et ore projectum ventri semper et pabulo servit, nec ullum alium, dum vivit, præstare usum potest, sicut cæteræ animantes, quæ vel sedendi vehiculum præbent, vel in cultibus agrorum juvant, vel plaustra collo trahunt, vel onera tergo gestant, vel indumentum exuviis suis exhibent, vel copia lactis exuberant, vel custodiendis domi-

bus invigilant. Interdixit ergo ne porcina carne uterentur, id est, ne vitam porcorum imitarentur, qui ad solam mortem nutriuntur; ne ventri ac voluptatibus servientes, ad faciendam justitiam inutiles essent, ac morte afficerentur. Item ne se fœdis libidinibus immergerent, sicut sus quæ se ingurgitat cœno, vel ne terrenis serviant simulacris, ac se luto inquinent; luto enim se oblinunt, qui Deos, id est, qui lutum terramque venerantur.»

Quinto, quia sus inverecunda est, neque dominum cum vorat, agnoscit; quin et subinde efferata dum fœtus lactat, pueros invadit, necat, devorat. Audi Aristotelem, lib. VI *Histor. anim.*, cap. XVIII : «Sues cum libidine excitantur, quod subare dicitur, vel homines aggrediuntur.» Ita peccator inverecundus, ingratus et infamis est, quia Deum creatorem suum non agnoscit, non curat, non metuit. Vide dicta de sue et porco, *Levit.* XI, 7.

Sexto, esus continuus suillæ lepram aliosque graves morbos creat : ita voluptates peccatori creant morbos corporis et tormenta animæ. Denique de sue Plinius, lib. VIII, cap. LI : « Animal, ait, hoc maxime brutum, animamque ei pro sale datam non illepide existimatur.» Sic peccator brutus est, et ex homine nil hominis habet præter animam, quæ instar salis corpus a putredine et corruptione conservat.

Septimo, aprorum et suum silvestrium ingens est feritas, adeo ut plantas arboresque suffodiant, quin et conficiant et discerpant : ita libido omneque peccatum hominem efferat, facitque sævum et crudelem. Audi Aristotelem, lib. I *De Histor. anim.*, cap. I ; « Animantes aliæ, inquit, animosæ, pervicaces, brutæ omnino, ut sues silvestres.» Denique hebetudo et stoliditas suis patet ex hirta seta, suillo vultu, oculis, rostro, grunnitu, etc. Hinc proverbium apud Suidam : « Asinus lyram, sus audiit stolidus tubam,» dictum in eos qui res egregias audiunt, sed eas neque intelligunt, neque mirantur, et illud : « Sus Minervam,» cum quis stupidus docere vult sapientem; et illud : «Sus fustem,» cum quis se stolide in præsens periculum et perniciem præcipitat; et illud : « Sus per rosas,» dictum in agrestes et intractabiles : nec enim sus per rosas duci potest, quin eas fœdet; et illud :

Acipon sus improba pendes,

id est, pusillum commodi magno lues malo. Hæc omnia facile est peccatori adaptare, qui stolidissime se in omne malum præcipitat ob micam vel guttam voluptatis.

Hæc est ergo idea hæretici, quam toto hoc capite graphice hisce moribus, quasi coloribus ad vivum pinxit S. Petrus. *Primo,* vers. 1 : Hæretici, inquit, sunt pseudoprophetæ et magistri mendaces. *Secundo,* introducunt sectas perditionis. *Tertio,* eum qui emit eos, Dominum negant. *Quarto,* vers. 2, multi sequuntur eorum luxurias. *Quinto,* per eos via veritatis blasphematur. *Sexto,* vers. 3, in avaritia de fidelium corpore et anima cum dæmone negotiantur. *Septimo,* sunt hypocritæ et adulatores : utuntur enim verbis fictis et blandiloquiis, et ad seducendum compositis. *Octavo,* perditio eorum accelerat. *Nono,* vers. 8, similes sunt Lucifero et dæmonibus. *Decimo,* vers. 5, similes sunt carnalibus mersis diluvio, ac Sodomitis. *Undecimo,* vers. 10, post carnem in concupiscentiæ immunditia ambulant. *Duodecimo,* dominationem contemnunt. *Decimo tertio,* sunt audaces. *Decimo quarto,* sibi placentes. *Decimo quinto,* blasphemi. *Decimo sexto,* vers. 12, sunt velut irrationabilia pecora nata in captionem et perditionem. *Decimo septimo,* quæ non intelligunt, blasphemant. *Decimo octavo,* vers. 13, sunt voluptuarii, coinquinationes et maculæ, deliciis affluentes. *Decimo nono,* in conviviis luxuriantes, oculos habentes plenos adulterii et incessabilis delicti. *Vigesimo,* vers. 14, pelliciunt animas instabiles. *Vigesimo primo,* cor habent avaritia exercitatum. *Vigesimo secundo,* sunt maledictionis filii. *Vigesimo tertio,* vers. 15, derelinquentes viam rectam errant. *Vigesimo quarto,* sequuntur viam Balaam, qui mercedem iniquitatis amavit, ideoque periit. *Vigesimo quinto,* vers. 17, sunt fontes sine aqua. *Vigesimo sexto,* sunt nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reservatur. *Vigesimo septimo,* vers. 18, superba vanitatis loquuntur. *Vigesimo octavo,* pelliciuntur per escam voluptatum et luxuriæ noviter ab ea conversos. *Vigesimo nono,* vers. 19, promittunt libertatem, cum ipsi sint servi corruptionis. *Trigesimo,* vers. 20, fiunt eis posteriora deteriora prioribus. *Trigesimo primo,* vers. 22, sunt velut canes reversi ad vomitum, et velut sues lotæ reversæ ad volutabrum luti.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Inter alia quæ docebant Gnostici aliique hæretici, erat hoc, nullum fore judicium, ut homines sine metu judicis et vindicis Christi suis concupiscentiis et hæresibus libere indulgerent. Refellit hoc S. Petrus, ac horrorem judicii improvisi, et ignis horrendi quo conflagrabit mundus, atque novos cœlos novamque terram graphice depingit; indeque concludit : Propter quod, charissimi, hæc exspectantes, satagite immaculati et inviolati ei inveniri in pace. *Secundo, ne mirentur judicium differri, ait ejus moram fore brevem, eamque a Deo hominibus concedi ad hoc, ut pœniteant et suæ saluti consulant, uti monuit S. Paulus in suis Epistolis, quas asserit esse difficiles intellectu, et ab hæreticis depravari. Denique, vers.* 17, *monet ut in fide et gratia Christi firmi persistant et crescant.*

1. Hanc ecce vobis, charissimi, secundam scribo epistolam, in quibus vestram excito in commonitione sinceram mentem : 2. ut memores sitis eorum, quæ prædixi verborum a sanctis Prophetis, et Apostolorum vestrorum, præceptorum Domini et Salvatoris. 3. Hoc primum scientes, quod venient in novissimis diebus in deceptione illusores, juxta proprias concupiscentias ambulantes. 4. Dicentes : Ubi est promissio, aut adventus ejus? Ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseverant ab initio creaturæ. 5. Latet enim eos hoc volentes, quod cœli erant prius, et terra, de aqua et per aquam consistens Dei verbo : 6. per quæ, ille tunc mundus aqua inundatus periit. 7. Cœli autem, qui nunc sunt, et terra eodem verbo repositi sunt, igni reservati in diem judicii, et perditionis impiorum hominum. 8. Unum vero hoc non lateat vos, charissimi, quia unus dies apud Dominum sicut mille anni, et mille anni sicut dies unus. 9. Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant; sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti. 10. Adveniet autem dies Domini ut fur : in quo cœli magno impetu transient, elementa vero calore solventur, terra autem et quæ in ipsa sunt opera, exurentur. 11. Cum igitur hæc omnia dissolvenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus et pietatibus, 12. exspectantes, et properantes in adventum diei Domini, per quem cœli ardentes solventur, et elementa ignis ardore tabescent? 13. Novos vero cœlos, et novam terram secundum promissa ipsius exspectamus, in quibus justitia habitat. 14. Propter quod, charissimi, hæc exspectantes, satagite immaculati et inviolati ei inveniri in pace. 15. Et Domini nostri longanimitatem, salutem arbitremini : sicut et charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis. 16. Sicut et in omnibus epistolis, loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti et instabiles depravant, sicut et cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem. 17. Vos, igitur, fratres, præscientes custodite, ne insipientium errore traducti excidatis a propria firmitate. 18. Crescite vero in gratia, et in cognitione Domini nostri, et Salvatoris Jesu Christi. Ipsi gloria et nunc, et in diem æternitatis. Amen.

1. HANC ECCE VOBIS, — o Christiani dispersi per Asiam, Bithyniam, Cappadociam, etc., ut dixit *epist.* I, cap. I, vers. 1; significat enim hic se iisdem scribere hanc secundam, quibus olim scripserat primam epistolam.

IN QUIBUS, — scilicet epistolis duabus, puta prima et secunda jam dictis.

VESTRAM EXCITO IN COMMONITIONE SINCERAM MENTEM. — « Excito, » scilicet quasi a somno torporis, teporis et oblivionis : hoc enim innuit Græcum διεγείρω. Pagninus, « exstimulo per commonitionem vestram sinceram mentem. » Græce ἐν ὑπομνήσει (perperam Erasmus legit, ἐν ἐπιγνώσει, id est, *in cognitione*), hoc est, in commonitione, in recordatione, in revocatione ad memoriam, juxta id quod dixit *epist.* I, cap. I, vers. 12 : « Propter quod in-

cipiam vos semper commonere de his.» Discat hic Pastor eamdem sæpe refricare et inculcare suis subditis, donec ea plane perdiscant et in mores transferant. Ita Chrysostomus, hom. 19 *in Acta*, suis querentibus eadem ab ipso dici et repeti, respondet : «Hoc vos maxime perdit. Id vero convincit, quia nec satiantur eadem sæpius in theatro spectantes. » Additque «eorum reprehensionem esse, quod non corrigantur toties audientes.»

Nota : «Mentem» fidelium «sinceram» vocat, *primo*, integram; *secundo*, incorruptam; *tertio*, puram et simplicem. *Sincerum* enim tria significat : *Primo*, «sincerum,» id est integrum. Sic Ovidius, lib. XII *Metamorph.*, vocat «corpus sincerum,» id est integrum : unde explicans addit «sine vulnere;» et Lucretius, lib. III, membra «sincera,» id est integra. *Sincerum* enim conflatum videtur ex συν, unde *syncerum* per *y* scribunt nonnulli, id est *simul*, et *cera*, *q. d.* Simul cum cera, ita dictum ab iis qui fructum alvearium cum socio dividunt; hi enim mel simul cum cera dividunt : quod si mel solum sine cera dent, socium fraudant, nec agunt sincere, id est integre.

Secundo, sincerum idem est quod incorruptum, immaculatum; sic Horatius, lib. I, cap. II :

Sincerum est nisi vas, quodcumque infundis acescit.

Sincerum, id est incorruptum; et Cicero *pro Quintio* : «Nihil est tam sanctum atque sincerum in civitate. » Unde nonnulli *sincerum* derivant a carie, *q. d.* Sine carie, id est corruptione.

Tertio et optime : Sincerus, inquit Donatus, est purus, sine fuco et simplex, ut mel sincerum, id est sine cera. Sic vinum sincerum vocatur merum, non mixtum; frumentum sincerum vocatur purum, carens leguminibus et paleis; oleum sincerum et purum, carens aqua et fæcibus. Et hoc significat græcum εἰλικρινής, id est sincerus, verus, non fictus, perspicuus, purus, manifestus, quasi ad εἰληκρινόμενος, id est, ad solis splendorem examinatus, et judicatus.

Talis esse debet Christianorum mens, et talis fuit primorum ævo S. Petri, ita scilicet pura et sincera, ut auderet comparere et examinari a Deo sole justitiæ. Nihil enim fictum, nihil fucatum, nihil simulatum, nihil vitiosum corde occultabat, sed aperta omnia, candida, fidelia, casta, virtuosa exhibebat : quod sapiebat corde, hoc ore proferebat. Sincerus et «simplex, ait S. Gregorius, X *Moral.*, cap. XVII, vel juxta aliam editionem, XXIX, mentem semper ad patientiam præparat, et erectus pro justitia de perceptis contumeliis exultat, afflictis ex corde compatitur, de bonorum prosperitatibus quasi de propriis lætatur, sacri verbi pabula in mente sollicitus ruminat, et inquisitus quidlibet eloqui dupliciter, ignorat.» Idem sinceritatis exemplum dat Isaac patriarcha : «Morum, ait hom. 15 *in Ezech.*, simplicitas placet? Isaac ad mentem venit, quem in omnipotentis Dei oculis vitæ suæ tranquillitas ornavit? » Et S. Ambrosius, lib. *De Joseph*, cap. I, docet nos discere «in Abraham impigram fidei devotionem; in Isaac, sinceræ mentis puritatem; in Jacob, singularem animi laborumque patientiam : Joseph vero propositum esse tanquam speculum castitatis.» Idem S. Ambrosius, lib. X, in cap. XXIII *Lucæ*, docet sinceritatem perditam ab Adamo, restitutam esse per Christum, ideoque Christum in cruce bibisse acetum, ut vitium corruptæ naturæ de corpore aboleretur humano. «Nos ergo, inquit, vitia nostra per incuriam mentis corporisque concreta transfundamus in Christum per pœnitentiam, ut ab illo nobis vini sanguinisque cœlestis incorrupta sinceritas refundatur. »

S. Bernardus, serm. 3 *De Circumcis.* : «Primo omnium, ait, Christus appareat puer cum virgine matre, ut simplicitatem et verecundiam ante omnia quærendam nobis doceat esse. Nam et pueris simplicitas naturalis, et cognata virginibus verecundia est. Omnibus ergo nobis in conversionis nostræ initio nulla magis virtus necessaria est, quam simplicitas humilis et gravitas verecunda.» Idem ad sororem, *De Modo bene vivendi*, cap. IX : «Sit in ingressu tuo simplicitas, in incessu honestas. Nihil dedecoris, nihil lasciviæ, nihil petulantiæ, nihil insolentiæ, nihil levitatis in incessu tuo appareat. Animus enim in gestu corporis apparet, gestus signum est mentis. » Idem, epist. 34 *ad Rolandum Cardinal.* : «Pro te faciat columbina simplicitas, et adversus maligni et antiqui serpentis astutias militet prudentia serpentina. »

Ita Paulus gloriatur in sinceritate, eamque vocat gloriam conscientiæ, II *Corinth.* I, 12 : «Gloria nostra, inquit, hæc est testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis et sinceritate Dei, et non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus in hoc mundo.» Et ad eamdem exhortans Corinthios omnesque fideles *epist.* I, cap. V, vers. 7 : «Pascha nostrum, inquit, immolatus est Christus. Itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis.» Panis enim azymus est purus et sincerus; fermentatus vero est impurus et mixtus.

2. UT MEMORES SITIS EORUM QUÆ PRÆDIXI VERBORUM A SANCTIS PROPHETIS, — *q. d.* Ut memores sitis verborum, quæ prædixi in oraculis Prophetarum. Unde græca clare habent : μνησθῆναι τῶν ῥημάτων προειρημένων ὑπὸ τῶν ἁγίων προφητῶν, id est, ut memores sitis verborum prædictorum a sanctis Prophetis. Ita Œcumenius, Pagninus, Vatablus et alii. Noster Interpres τὸ προειρημένων, id est *prædictorum*, sagaciter retulit, tam ad S. Petrum, quam ad Prophetas, quia vidit S. Petrum refricare hic fidelibus oracula Prophetarum, non omnia (illa enim plurima et multis incognita sunt, nec huc pertinent), sed ea duntaxat quæ spectant Christum et Christianam fidem, ac legem quam a Prophetis prænuntiatam fuisse dixit cap. I, vers. 19;

fidem enim Christi ex oraculis Prophetarum confirmare intendit. Unde Dionysius Carthusianus et alii legunt : « Ut memores sitis verborum Prophetarum et Apostolorum sanctorum, *q. d.* Verba Apostolorum succinunt et concinunt verbis Prophetarum. Quod enim Apostoli prædicarunt factum per Christum, hoc Prophetæ futurum per eumdem prædixerunt. Hoc est quod ait Paulus, nos superædificatos esse super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, *Ephes.* II, 20.

ET APOSTOLORUM VESTRORUM, PRÆCEPTORUM DOMINI ET SALVATORIS, — quia præcepta Apostolorum sunt præcepta Christi Salvatoris, *q. d.* Ut memores sitis præceptorum Christi Domini et Salvatoris, quæ ejus jussu vobis promulgarunt Apostoli vestri ; illi enim non sua, sed Christi præcepta vobis tradiderunt. Sic ait S. Paulus : « Scitis quæ præcepta dederim vobis per Dominum Jesum, » I *Thess.* IV, 2. Unde infert vers. 8 : « Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum ; » et I *Cor.* XIV, 37 : « Si quis, ait, videtur Propheta esse aut spiritualis, cognoscat quod scribo vobis, quia Domini sunt mandata. »

Alii per hyperbaton τὸ *Domini Salvatoris* referunt non ad *præceptorum*, sed ad *Apostolorum*, *q. d.* Memores estote præceptorum Apostolorum, quia illi sunt Apostoli Domini Salvatoris. Ita S. Judas, vers. 17 : « Memores, ait, estote verborum quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri Jesu Christi. » His nonnihil favent nonnulla Græca, quæ pro ὑμῶν, id est *vestrorum*, uti legunt Complut., Regii et Latinus Vulgatus, legunt ἡμῶν, id est *nostrorum*, *q. d.* Apostolorum qui sumus nos. Unde Vatablus totum hunc locum sic vertit, « Ut memores sitis verborum quæ prædicta sunt a sanctis Prophetis, et mandati nostri qui sumus Apostoli Domini et Salvatoris. »

3. HOC PRIMUM SCIENTES, — *q. d.* Ante omnia hoc velut maximi momenti scitote et advertite, quasi ab eo pendeat æterna salus, vel damnatio vestra : quo significat fideles, si salvi esse velint, summe cavere debere seductores et hæreticos : hi enim suos asseclas secum abducunt in gehennam.

VENIENT IN NOVISSIMIS DIEBUS, — sub finem mundi, tempore Antichristi, inquit S. Augustinus, lib. XX *De Civit.*, XVIII, et alii. Hoc verum, sed arctius : S. Petrus enim monet fideles tum viventes et deinceps victuros, ut caveant hosce seductores. Unde nota ἔσχατα, id est *novissima tempora*, in Scripturis vocari ὕστερα, id est *posteriora* ; utraque enim significat hebr. אחרית *acharit* : quo modo Prophetæ solent vocare Messiæ tempus novissimum, id est posterius, ac sequens legem tum naturæ, tum Mosis. Ita illud vocat Isaias, cap. II, vers. 1 ; Michæas, IV, 1 ; Joel, II, 28, et S. Joannes, *epist.* I, cap. II, 18. Significat ergo S. Petrus omnibus futuris temporibus, et maxime sub finem mundi, venturos varios seductores, omnesque studiose esse cavendos. Idem monuit S. Paulus, I *Timoth.* IV, 1, et *Actor.* XX ; 29. Vide ibi dicta. Notat præcipue Gnosticos, qui illo ævo docebant libere vacandum cupidinibus et libidinibus, et fideles minantes diem judicii irridebant, quasi qui inani umbra et terriculamento rei falsæ, sibi adimerent usum et fructum jucundæ et voluptuariæ vitæ.

IN DECEPTIONE ILLUSORES. — S. Augustinus, lib. XX *De Civit.*, XVIII, legit, *illusione illudentes* ; S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovin.*, *illusores seducentes.* Tales erant Gnostici, qui irridebant omnia divina et humana, ac præsertim metum numinis, judicii et vindictæ divinæ : hunc enim adimentes hominibus persuadebant eis impune vacare Veneri et ventri. Atque hæc erat, et etiamnum est hæreticorum doctrina, seductio et deceptio. Idem faciunt moderni Gnostici, qui, cum sint sine Deo (utpote athei), solos se sapere putant, atque sapientes indigitant.

JUXTA PROPRIAS CONCUPISCENTIAS AMBULANTES, — indulgentes gulæ, libidini cæterisque concupiscentiis, idque assidue et continue : τὸ enim *ambulantes* significat continuationem, consuetudinem, propositum et statum vitæ voluptuariæ.

4. DICENTES (irrisorie, ut illi eorum prodromi apud Jeremiam dicentem, cap. XVII, vers. 15 : « Ecce ipsi dicunt ad me : Ubi est verbum Domini ? veniat. ») : UBI EST PROMISSIO ET ADVENTUS EJUS. — Græce jam legitur ποῦ ἔστιν ἡ ἐπαγγελία τῆς παρουσίας αὐτοῦ, id est, *ubi est promissio præsentiæ* (vel adventus) *ipsius*, ut legit S. Augustinus, lib. XX *De Civit.*, XVIII. *Ipsius*, intellige Christi, qui, ut omnibus fidelibus constat, promisit se rursum venturum in terram, ut sua præsentia visitet et judicet mundum, bonos glorificando in cœlis, malos damnando ad tartara. Hebræi enim supposition sæpe subticent, et illud quasi vulgatum et notum cuique subaudiendum relinquunt. Sensus est, *q. d.* Venient seductores, qui, ut concupiscentias suas sine remorsu et metu numinis vindicis impudenter instar brutorum expleant, negabunt Christum rediturum ad judicium, pœnasque exacturum de iis qui concupiscentiis indulserint.

Hæretici multi negarunt futurum judicium, qui ?

Tales fuere *primo*, Sadducæi negantes carnis resurrectionem omnemque spiritum, ac consequenter animæ immortalitatem, gehennam et vitam æternam, *Actor.* cap. XXIII, 8. *Secundo*, idem docuerunt Dositheani, orti a Dositheo Judæo, tempore Neronis et S. Petri sub annum Domini 52, teste Hegesippo et S. Hieronymo *Contra Lucifer.* *Tertio*, Hymenæus et Philetus dicentes resurrectionem jam esse factam, quos S. Paulus tradidit Satanæ, II *Timoth.* II. *Quarto*, Gnostici negantes judicium, teste Philastrio. Horum parens fuit vel Basilides, ut vult S. Hieronymus, *De Viris illustr.* ; vel Nicolaus ; unus e septem primis Diaconis, ut vult S. Augustinus, lib. *De Hæresibus* ; vel potius Carpocrates, ut vult S. Irenæus, lib. I, cap. XXIV, qui illo ævo vixit, et auctorem pene videre potuit. *Quinto*, Floriani, dicentes resurrectionem non esse

aliam, quam filiorum procreationem; in hac enim pater quasi resurgit et perdurat in filio : quorum auctor fuit Florinus sub Commodo Imperatore et Sotere Pontifice, sub annum Christi 182, teste Eusebio, lib. V *Histor.*, cap. XV. *Sexto,* futurum judicium et carnis resurrectionem negabant Symmachiani sub annum Domini 273. *Septimo,* Proclianitæ, qui et Prodianitæ et Hermiotitæ a Philastrio nominantur, ortique sunt tempore Valentis Imperatoris et Damasi Pontificis sub annum Domini 382. *Octavo,* Albanenses anno Domini 796. *Nono,* sub annum Domini 1001, cum multi diem finis mundi prædixissent, eorumque prædictio deprehensa esset falsa, nata est hæresis dicentium mundum esse incorruptibilem, quæ se hoc S. Petri loco tueri conabatur, uti ex Abbone, abbate Floriacensi, refert Baronius anno jam dicto. *Decimo,* nostro ævo, judicium futurum negarunt Davidgeorgiani anno Christi 1525. Rursum Libertini, ut quasi equi effrenes concupiscentiis adhinniant et indulgeant, negant judicium, resurrectionem omneque numen. Idem faciunt multi alii, pluresque facient in fine mundi, ac in primis ipse Antichristus, qui erit atheus et luxuriosissimus, atque atheismum et epicurismum publice docebit; volet enim ipse solus coli ut Deus, uti docet Daniel, cap. XI, vers. 37, et Paulus, II *Thessalon.* II, 4.

EX QUO ENIM PATRES (scilicet primi et prisci, a quibus genus hominum proseminatum est) DORMIERUNT (mortui sunt), OMNIA SIC PERSEVERANT AB INITIO CREATURÆ. — Græce κτίσεως, id est *creationis.* Unde Tigurina vertit, *omnia sic permanent sicut ab initio creationis erant, q. d.* Omnia sic permanent, sicut ab initio condita et creata sunt.

Ex mundi diuturnitate et rerum omnium constantia colligunt ejus æternitatem, quod scilicet talis semper perdurabit, ut de ejus occasu et secundo Christi adventu nemo debeat esse sollicitus. Sic Aristoteles, lib. I *De Cœlo,* cœlum esse incorruptibile colligit ex eo, quod nulla unquam in eo visa sit mutatio. Sed paralogizant et errant, tum quia crebræ, imo perpetuæ, sunt in mundo rerum vicissitudines, motus, generationes, corruptiones, alterationes, etc., uti subdit S. Petrus; tum quia numen, id est Deus gubernator, judex et vindex, maxime demonstratur ex mundi hujus inconstanti constantia, et constanti inconstantia.

Constans mundi inconstantia arguit esse Numen.

Quis enim res tam inconstantes, imo inter se pugnantes et contrarias, uti sunt ignis et aqua, calor et frigus, Auster et Aquilo, humor et siccitas, grando et pluvia, sterilitas et fœcunditas, fruges et fructus tam varii et contrarii, etc., facit eos adeo esse constantes, ut tam constanter statis temporibus per tot annorum millia nascantur et proveniant, nisi unum idemque constans Numen? Vide Theodoretum decem libris *De Providentia,* et nostrum Lessium *De Numine.* Tum denique, quia creaturæ sicut a Deo creatæ initium acceperunt, ita et ab eodem finem præstitutum accipient. Qui enim ea facit oriri, idem faciet ea occidere : in ejus enim manu et arbitrio uti est rerum ortus, ita est et occasus, uti clamant omnes Prophetæ totaque Scriptura. Id adeo verum est et evidens, ut Cicero, lib. II *De Natura deorum,* ex Aristotele id ostendat esse luce clarius; sic enim ait : « Præclare Aristoteles : Si essent, inquit, qui sub terra semper habitavissent bonis et illustribus domiciliis, quæ essent ornata signis atque picturis, instructaque rebus iis omnibus quibus abundant ii qui beati putantur, nec tamen exissent unquam supra terram, accepissent autem fama et auditione esse quoddam numen, et vim Deorum; deinde aliquo tempore patefactis terræ faucibus, ex illis abditis sedibus evadere in hæc loca quæ nos incolimus, atque exire potuissent : cum repente terram et maria cœlumque vidissent, nubium magnitudinem, ventorumque vim cognovissent; aspexissentque solem ejusque tum magnitudinem pulchritudinemque, tum etiam efficientiam cognovissent, quod is diem efficeret toto cœlo luce diffusa; cum autem terras nox occupasset, tum cœlum totum cernerent astris distinctum et ornatum, lunæque luminum varietatem, tum crescentis, tum senescentis, eorumque omnium ortus et occasus, atque in omni æternitate ratos immutabilesque cursus : hæc cum viderent, profecto et esse Deos, et hæc tanta opera Deorum esse arbitrarentur. » Et inferius : « Quis enim hunc hominem dixerit, qui, cum tam certos cœli motus, tam ratos astrorum ordines, tamque omnia inter se connexa et apta viderit, neget in his ullam inesse rationem, eaque casu fieri dicat, quæ quanto consilio gerantur, nullo consilio assequi possumus? An cum machinatione quadam moveri aliquid videmus, ut sphæram, ut horas, ut alia permulta, non dubitamus quin illa opera sint rationis; cum autem impetum cœli admirabili cum celeritate moveri vertique videamus, constantissime conficientem vicissitudines anniversarias, cum summa salute et conservatione rerum omnium, dubitamus quin ea non solum ratione fiant, sed etiam excellenti quadam divinaque ratione?» Deinde discurrendo per singula elementa, astra, solem, lunam, herbas, flores, bestias, ac membra hominis, ostendit omnia et singula non nisi a divina mente tam affabre esse composita; ac ab eadem conservari, regi et dirigi, ut omnia tacita voce clament esse Numen, esse Deum judicem et vindicem malorum æque ac bonorum.

5. LATET ENIM EOS HOC VOLENTES. — *q. d.* Volentes et ultro hoc nesciunt, quia scire nolunt. Hæc est ignorantia affectata propria illusorum, seductorum et hæreticorum. Probat omnia non sic perseverare uti fuerunt ab initio creaturæ, uti dicebant illusores et Gnostici, ex eo quod Deus tempore Noe totum mundum ob scelera perdidit diluvio, ac simili modo eum perditurus sit per ignem, eoque illi finem cum merita pœna cuique allaturus. Ita Œcumenius : « Sicut, ait, cœlo et

terra ex aqua constitutis diluvium inopinato supervenit, ita et nunc statutum est ut per ignem fiat universi corruptio, cum quo impii peribunt. »

QUOD COELI ERANT PRIUS, ET TERRA, DE AQUA ET PER AQUAM CONSISTENS VERBO DEI. — Est syllepsis : τὸ enim *consistens* non tantum terram, sed et cœlos respicit, et in se quasi concipit; proxime tamen refertur ad terram, ideoque dicitur *consistens* in singulari; sed tamen ad cœlos quoque per syllepsin hebraicam (hebræi enim adjectivum concordant cum substantivo proximiori, licet ad remotius quoque referatur : vide Bellarminum in *Syntaxi hebraica*) extenditur, ut *consistens* idem sit quod *consistentes*, ut legit Clarius, Catharinus, Salmeron et Cajetanus. Imo S. Augustinus, XX *De Civit.*, cap. XVIII, sic legit : « Cœli erant olim et terra de aqua et per aquam constituta; » ac Beda et Œcumenius hic, et Rupertus, lib. I *in Gen.*, cap. L, sic legunt : « Cœli erant olim de aqua et per aquam constituti. » Ex qua lectione liquet cœlos formatos esse ex aqua, ideoque hebraice vocari *scamaim*, id est, *ibi aqua*, uti ostendi *Genes.* I, 2 et 6, et asserit Œcumenius hic : unde *aqua* ita dicta est, quasi *a qua omnia*. Hinc Thales Milesius dixit aquam esse rerum omnium principium. Sensus est, *q. d.* Latet eos quod cœli et terra consistant Dei verbo, ac proinde quod eodem Dei verbo occidere et aboleri possint. Sicut enim Deus dicendo : « Fiat lux » cœli, sol, etc., ea creavit fecitque ut essent et consisterent : ita pariter dicendo : Non sint amplius, vel desinant esse, illico illa non erunt et esse desinent; imo si Deus duntaxat suum verbum manumque subducat, ita ut amplius non dicat : « Fiat lux » cœli, sol, etc., hoc ipso omnia esse desinent. Res enim omnes ita a Deo ab initio creatæ sunt, ut continuo ab eo conservari, suumque esse accipere, ac velut continuo creari debeant : pendent enim a Deo, uti radii pendent a sole. Quare conservatio rerum in Deo non est aliud, quam continuatio creationis, sive continua rerum creatio. Porro cœlos et terram proprie accipe, non autem materiam primam, uti videtur velle S. Augustinus, lib. I *De Gen. contra Manich.*, cap. VII; nec enim materia prima creata est informis, sed cum forma cœlorum et terræ. Rursum cœli non solum aerem, ut vult Beda et alii, sed et veros cœlos significant.

Aqua rerum principium.

Terra ex aqua et per aquam consistit, qua ratione? Resp. Primo.

TERRA DE AQUA ET PER AQUAM CONSISTENS. — Quæres quomodo hoc sit verum? Respondet *primo*, Œcumenius : « Duo, inquit, sunt elementa (per quæ Deus perdidit et perdet impios cum mundo) quæ universi machinam maxime continent, et cohærentem conservant, aqua et ignis, ex quibus reliqua duo etiam existunt. Nam aer ex aquarum exhalatione, terra ex earum concretione consistit. » Verum terra initio mundi per se creata est, non ex aqua, ut patet *Genes.* I, 1.

Secundo.

Quare *secundo*, melius idem Œcumenius : terra, ait, dicitur ex aqua et per aquam consistere, « quia aqua continet terram velut gluten quoddam quod ipsi adest, quod nisi ipsi contingeret, necesse esset illam dissolvi et ferri in aerem. » Aqua ergo terram quasi gluten compingit et conglutinat, ut una ejus pars alteri velut compacta cohæreat. Ita Philo, lib. *De Mundi opificio*, qui ait aquam misceri terræ, tum ut eam conglutinet, tum ut eam fertilem et animantium usui aptam reddat. Unde nonnulli hæc referunt ad fontes et flumina, quibus quasi venis terra irrigatur, ne redigatur in pulverem. *Tertio*, alii aiunt terram esse de aqua, quia ab aqua ita dirempta est, ut separatum ab ea globum efficiat. Verum hoc doctiores Mathematici ex eclipsibus aliisque experimentis confutant, probantque ex aqua et terra unum globum conflari, ut unum sit totius mundi centrum. Vide nostrum Clavium in *Sphæra*. *Quarto* et genuine, terra *de aqua*, græce ἐξ ὕδατος, id est *ex aqua*, consistit, quia scilicet primo die mundi terra tota operiebatur aquis, ita ut non appareret et nusquam esse videretur : tertio vero die mundi Deus aquas a terra separavit, et in unum locum congregavit, *Genes.* I, 2 et 9; tunc ergo terra ex aqua quasi enatans et emergens apparuit, seque esse et existere propalam demonstravit. Neque aliud vult Scriptura, *Psal.* XXIII, 2, cum ait, quod Deus « super maria fundavit eam, » scilicet terram. Sensus enim est, *q. d.* Deus fecit terram eminere et apparere ex aquis et mari. Rursum *de aqua*, quia Deus fecit ut terra quoad littora aliquatenus altior esset extremitatibus maris vicini, ut ex iis, quasi celsior, exstare et caput attollere videatur.

Tertio.

Quarto genuine.

Dices : Quomodo S. Petrus ait terram non tantum ex aqua, sed et « per aquam » consistere? Respondeo, « per aquam, » id est, in aqua media, aut inter aquas medias jam segregatas, et varias partes terræ undequaque ambientes, terra ipsa consistit, quod Galli dicunt, *en l'eau, parmi l'eau;* τὸ ergo *per aquam* explicat illud τὸ *de aqua*, et cum eo pene unum idemque est. Nam τὸ *de aqua* significat terram ex aqua exstare et eminere : τὸ vero *per aquam*, significat eam non ita eminere ut sit ab aqua separata, sed potius aquam ei esse immixtam, inspersam et insertam, sicut homini pituita et sanguis per venas immixtus et insertus est. *Secundo*, « per aquam, » quia terra per se arida et diffluens, per aquam quasi viscum et gluten conglutinatur et compaginatur; ut in unum globum cum ea coalescat, uti paulo ante dixi. Licet enim terra elementorum et corporum sit infima, tamen Deus ita digessit aquas, ut terra iis circumposita et imposita videatur. Oceano enim circumsepta, et tot fluminibus passim scaturientibus irrigua, per aquas quasi constringi, humectari, coalescere, fœcundari et vivificari videtur. Meminit aquarum S. Petrus, propter diluvium ex aquis natum, de quo sermonem subdit. Denique noster Lessius, *De Attrib. divin.*,

lib. XIII, cap. XX, τὸ *de aqua* refert ad cœlos, τὸ vero *per aquam* ad terram, explicatque de divisione aquarum superarum ab inferis, *Genes.* I, 6, *q. d.* « Cœli constituti sunt ex aquis, » quia Deus initio mundi constituit fecitque firmamentum (puta cœlum), quod medium consisteret, divideretque aquas superas ab inferis, itaque ex utrisque exstaret, et ab utrisque separatim consisteret. « Terra vero constituta fuit per aquam, » quando aquas quæ erant sub firmamento, congregavit in unum locum, et per medium aquarum apparuit arida. Similis trajectio hebraice est *Psal.* LXVII, 9, et *Psal.* CXII, vers. 5 et 6, et alibi. Eadem est huic loco apposita, ac significat cœlos ex aquis non tantum exstare, sed et esse factos, uti explicat S. Clemens, lib. I *Recogn.*, qui asserit id se accepisse ex ore S. Petri. Quare hæc expositio videtur plane esse ex mente S. Petri, ac genuina, ut τὸ *de aqua* referendo ad cœlos, τὸ vero *per aquam* referendo ad terram, sic exponas, *q. d.* Cœli primitus ex aqua a Deo creati verbo Dei consistunt, terra vero per aquam ei immixtam eodem Dei verbo firma consistit. Sic *Cant.* I, 5, cum dicit sponsa : « Nigra sum, sed formosa, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis; » ita hæc per trajectionem respective combinanda et explicanda sunt, *q. d.* « Nigra sum sicut tabernacula Cedar, sed formosa sicut pelles Salomonis. »

CONSISTENS DEI VERBO — dicente : « Fiat lux; fiant luminaria, » etc., *Gen.* I, 3. Hoc est quod ait Psaltes : « Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum, » *Psal.* XXXII, 6.

6. PER QUÆ — cœlos et terram, dantes aquas diluvii, quæ antiquas suas sedes repeterent (occupando scilicet et operiendo rursum totam terram), quibus Domini imperio cesserant, *Gen.* I, 9 : repeterent eas, inquam, novo miraculo, ad ulciscendum impiorum terrigenarum scelera (1). Respondet enim illusorum objectioni, dicentium, vers. 4, omnia perseverare sic sicut initio creata sunt, ac proinde nullum esse, vel fore scelerum judicem et vindicem. Hoc confutat, dicens fuisse Deum impiorum vindicem, cum omnes aquis diluvii mersit et perdidit : sed hoc, inquit, latet eos, quia id nesciunt, vel scire nolunt.

AQUA INUNDATUS PERIIT. — Pro *inundatus* Thomas Anglicus per paragramma legit *mundatus* : hoc verum, sed mendosum.

7. COELI AUTEM QUI NUNC SUNT, ET TERRA, EODEM VERBO REPOSITI SUNT, IGNI RESERVATI. — Est antithesis explens vim argumenti : opponit enim terræ et cœlis qui erant prius, græce ἔκπαλαι, id est, priscis, olitanis, antiquis, terram et cœlos qui nunc sunt, puta modernos; quod sicut illi, pereunte mundo, perierunt communi diluvio aquarum, ita hi peribunt diluvio ignis in conflagratione mundi, ulciscente Deo hominum scelera per ignem, sicut olim ea ultus fuit per aquam; ac proinde exspectandum esse singulis, ac metuendum hoc ejus judicium et vindictæ supplicium. Porro cœli qui prius erant, perierunt diluvio, non toti, sed quoad partem imam et citimam terræ, puta quoad aerem tam infimæ quam mediæ regionis. Aqua enim diluvii excessit omnes montes (ac proinde et mediam aeris regionem) quindecim cubitis, *Genes.* VII, 20.

Eugubinus tamen et Oleaster, quos citavi *Genes.* VII, 11, atque alii, cœlos hic totos et universim tam pro cœlis proprie dictis, quam pro aere accipiunt : sic enim accipiuntur in sequentibus. Hi enim auctores censent, tempore Noe aquas quæ supra cœlos et supra firmamentum sunt, depluisse, ut terræ inducerent diluvium : ad hoc enim tam amplum, utpote montes omnes transcendens ad quindecim cubitos, nec aer, nec centum maria suffecissent. Ergo aquis, quas supra cœlos vastissimas Deus in hunc finem reposuerat, fuit opus. Et hoc videtur hic exigere plena et perfecta antithesis S. Petri, *q. d.* Cœli priores, puta qui erant ante diluvium, eo fissi et obruti quasi perierunt; quia aquæ quæ supra cœlos sunt, depluentes ad diluvium, eos fiderunt, obruerunt et immutarunt : simili modo cœli post diluvium a Deo restaurati qui nunc exstant, in fine mundi igne conflagrationis ardebunt, solventur et peribunt; ac novi cœli et nova terra a Deo formabuntur, quæ cum Beatis gloriosa perennent in æternum. Nam diserte, vers. 12, cœlos ab elementis distinguit, dicens : « Cœli ardentes solventur, et elementa ignis ardore tabescent. » Si cœli posteriores igne tabescent, ergo pariter priores, quia qui erant ante diluvium, aquis ejusdem quasi contabuerunt. Ita ipsi : de quo dixi *Genes.* VII, 11.

EODEM VERBO (scilicet eodem Dei imperio et jussu quo olim aquis diluvii obruti sunt) REPOSITI SUNT, — τεθησαυρισμένοι εἰσί, id est, quasi in thesaurum divinæ providentiæ, justitiæ et vindictæ reconditi sunt, scilicet « igni reservati, » ut sequitur. Male ergo Hugo et Dionysius τὸ *repositi sunt* interpretantur « iterum positi sunt, et in pristinum statum restituti. » Sicut ergo peccator thesaurizat sibi culpam, ita Deus thesaurizat ei pœnam. Habet enim in thesauris suæ omnipotentiæ et providentiæ infinita suppliciorum genera, quibus culpas hominum pro meritis plectat et puniat. Unde S. Paulus ait quod peccator « thesaurizat sibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei, » *Rom.* II, 4 et seq. Et Jacobus, cap. V, vers. 3 : « Thesaurizastis, ait, vobis iram in novissimis diebus. »

IGNI RESERVATI. — De quo Psaltes, *Psalm.* XCVI, vers. 9 : « Ignis ante ipsum præcedet. » Et Paulus, II *Thes.* I, 8 : « In revelatione Domini Jesu de cœlo, cum angelis virtutis ejus in flamma ignis dantis vindictam iis qui non noverunt eum. » Quin

(1) Alii Græcum δι' ὧν vertunt, non *per quæ* (nam sequitur *aqua*), sed *proinde*, quasi διό. Sensus tamen idem est si δι' ὧν vertas *per quos*, scil. cœlos, e quibus diluvii aquæ in terram effusæ sunt.

Ignis conflagrationis mundi. et Sibylla, lib. II *Oracul.*, de hoc igne conflagrationis ita canit :

Tunc ardens fluvius cœlo manabit ab alto
Igneus, atque locos consumet funditus omnes,
Terramque, Oceanum ingentem, et cærula ponti
Stagna, lacus, fluvios, fontes, Ditemque severum;
Cœlestemque polum, cœli quoque lumina in unum
Fluxa fluent, forma deleta prorsus eorum :
Astra cadent etenim de cœlo cuncta revulsa.

Et in eamdem sententiam Ovidius hæc scribit :

Esse quoque in fatis reminiscitur affore tempus,
Quo mare, quo tellus, quo rectaque regia cœli
Ardeat, et mundi moles operosa laboret.

Hinc disce quanta sit gravitas scelerum, quantaque eorum erit pœna et vindicta : ob illa enim totus hic mundus conflagrabit, sicut olim ob eadem conflagravit Sodoma totaque Pentapolis.

An judicium præibit, an sequetur? IN DIEM JUDICII ET PERDITIONIS IMPIORUM HOMINUM. — Quæres *primo*, an ignis hic præcedet judicium, an vero sequetur? S. Augustinus, XX *De Civit.* XVI et XXXVIII, censet secuturum. Accedunt Prosper, Anselmus et alii, quos citat et sequitur Suarez, III *part.* tom. II, disp. LVII, sect. 1, qui censent conflagrationem mundi futuram post judicium ad hoc, ut per illam plane expietur mundus ab omnibus omnino sceleribus, etiam maledictis et blasphemiis a reprobis in judicio committendis. Verum communior sententia Doctorum est, hunc ignem præcessurum Christum judicem ejusque judicium. Rationes sunt : *Primo*, quia id clare dici videtur, *Psal.* XC, 3 : « Ignis ante ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus. Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini, a facie Domini omnis terra. Annuntiaverunt cœli justitiam ejus, et viderunt omnes populi gloriam ejus. » Quibus verbis plane significatur, quod ignis hic præcedet, omniaque exuret, deinde sequetur Christus judex ac peraget judicium. *Secundo*, quia homines qui in fine mundi vivi reperientur, hoc igne examinabuntur, et a levibus culpis purgabuntur, juxta illud I *Corinth.* cap. III, 13 : « Uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit; et : Salvus erit, sic tamen quasi per ignem; » ibi enim loqui Apostolum de die judicii (hunc enim vocat diem Domini) et igne conflagrationis mundi, ibidem ostendi. Homines autem purgabuntur non post resurrectionem et judicium (licet id de nonnullis censuerit Cæsarius Arelatensis, hom. 1 in illud I *Corinth.* III : « Salvus erit, sic tamen per ignem »), sed ante, ut plane purgati possint cum aliis rapi obviam Christo in aera, statimque a Christo beari, glorificari, et cum illo in cœlum conscendere. *Tertio*, quia decet Christum gloriosum non descendere in orbem, nisi jam per ignem purgatum et expiatum; *quarto*, quia hic ignis quasi lictor assistet Christo judici, ut reprobos percellat et puniat, utque prolata a Christo in eos damnationis sententia, illico eos abripiat, secumque convolvat in tartara. Hoc enim significat hic S. Petrus, cum ait hunc ignem reservari in diem judicii et perditionis impiorum, et Ecclesia dum canit in Officio defunctorum : « Libera me, Domine, de morte æterna in die illa tremenda, quando cœli movendi sunt et terra, dum veneris judicare sæculum per ignem. » Et Tertullianus, vel potius Novatianus, lib. *De Trinit.*, cap. VIII : « Ad igneum, inquit, judicii diem mundus iste festinat, » quibus verbis ad hæc S. Petri alludit. Et S. Augustinus, lib. I *Homil.*, hom. 16, ubi ex S. Paulo docet uniuscujusque opus igne probandum.

Hic ergo videtur futurus ordo et series conflagrationis et consummationis mundi. *Primo*, Deus per angelos excitabit ignem, quo conflagrabit mundus : eodem occidentur omnes homines, sed cruciabuntur et purgabuntur ii duntaxat, qui culpas habent et purgatione indigent, quisque magis vel minus pro meritis cujusque; *secundo*, Archangelo tuba insonante : « Surgite, mortui, venite ad judicium, » omnes e morte et cinere resurgent, et ab angelis rapientur in vallem Josaphat, ut ibi a Christo judicentur; *tertio*, judicium omnium et singulorum peraget Christus, moxque ignis sic reprobos ab eo judicatos et damnatos secum rapiet in tartara. Quocirca videtur ignis hic fore similis et ejusdem naturæ cum igne gehennæ : illi enim associabitur, in eamque desinet. Atque hac ratione tunc ignis hic expiabit mundum a maledictis et blasphemiis reproborum commissis in die judicii, quia ipsos abripiet in tartara, ut non sit opus alia expiatione aut combustione mundi. Hinc de eo canit Sibylla Erythræa :

Ordo conflagrationis mundi ac judicii.

Decidet e cœlo ignisque et sulphuris amnis;

ut sit similis igni inferni, qui est sulphureus, ut patet *Isaiæ* XXX, 33; *Apoc.* XX, 9, et alibi.

Ignis hujus effectus. Primus. Quæres *secundo*, quos effectus operabitur hic ignis? Respondeo *primo*, serviet Christo ut ejus majestatem tum divinam, tum regalem et judiciariam in ejus humanitate repræsentet et condecoret. Ignis enim est index divinitatis : unde passim in Scriptura Deus apparuit et repræsentatus fuit per ignem, uti ostendi *Exodi* III, 2, et XIX, 18. Rursum regibus præferebatur ignis, quasi symbolum potentiæ et vindictæ, uti dixi *Jerem.* I, 13. Ignis ergo hic prævius ostendet, et quasi muta voce clamabit Christum esse Deum, et qua hominem esse Regem et judicem universorum.

Secundus. *Secundo*, ignis hic dissolvet omnia corpora mixta in elementa : cum enim illa ad usum temporalis vitæ hominum condita sint, cessante illa vita nulli erunt usui, ac proinde resolvenda sunt in sua principia, ex quibus sunt compacta, et suis elementis restituenda. Ita noster Lessius, lib. XIII *De Divin. attrib.*, cap. XX, qui idipsum de omnibus omnino mixtis affirmat : licet nonnulli id negent censeantque quædam reservanda, ac nominatim paradisum terrestrem in usum parvulorum qui defuncti sunt sine baptismo in peccato originali; hos enim censent victuros in hoc mun-

do per totam æternitatem : de quo plura vers. 10 et 13. Verum omnia exurenda esse disertis verbis asserit S. Petrus in fine vers. 10.

Tertius. *Tertio*, ignis hic purgabit justos tunc viventes qui aliquid culpæ, vel pœnæ luendum et expiandum habebunt, uti docet S. Paulus I *Cor.* III, 13; justos vero plene purgatos vel non attinget, vel potius attinget quidem, sed non affliget, nisi quantum mors naturalis naturaliter morientem affligere solet : igne enim hoc morientur omnes etiam justi, nisi dicas Deum justos non igne, sed alia faciliore morte affecturum. Certe igne omnes morituros docet S. Bonaventura in IV, *dist.* 47, Quæst. ult., et insinuat S. Augustinus, *homil.* 16, inter 50 : « Hi, ait, qui temporalibus pœnis digna gesserunt (de quibus Apostolus dicit, Si cujus opus arserit, detrimentum patietur : ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem), per fluvium igneum, de quo Propheticus sermo memorat (et fluvius igneus currebat ante eum) : per fluvium, inquam, igneum, et vada ferventibus globis horrenda transibunt : quanta fuerit peccati materia, tanta erit et transeundi mora; quantum exegerit culpa, tantum sibi ex homine vindicabit quædam flammæ rationalis disciplina; et quantum stulta iniquitas suggesserit, tantum sapiens pœna desæviet. » Ubi notandum, ait Lessius loco jam citato, hunc ignem quasi ratione præditum, singulos cruciaturum plus vel minus, pro culpæ vel reatus quantitate; quia aget ut instrumentum divinæ justitiæ, manu potentiæ illius applicitum, ut etiam docet S. Thomas in IV, *distinct.* 47, versus finem, ubi dicit omnes quidem tam bonos, quam malos hoc igne perimendos, et in cinerem vertendos, sed bonos in quibus nihil purgandum, nullum dolorem sensuros; malos graviter cruciandos; bonos vero in quibus aliquid purgandum, sensuros cruciatum ex illo igne plus, vel minus pro meritorum diversitate. Idem modus servatur in igne Purgatorii : sævit enim ignis ille in eos qui purgantur, pro delictorum gravitate et reatus magnitudine.

Quartus. *Quartus* effectus erit mundi expiatio; est enim hic mundus veluti templum divinitatis, quod Deus ad suum cultum et honorem condidit et sanctificavit. Hoc templum per infinita hominum et dæmonum peccata, per spurcitias carnales et spiritales multis sæculis fuit inquinatum : unde priusquam renovetur ad statum gloriæ, expiandum erit, quæ expiatio sicut olim facta est per aquam, ita nunc fiet per ignem, qui aptissimus est ad hunc effectum.

Mystice, ignis hic repræsentabit igneum, id est, sincerum, clarum, exactum, acre et efficax fore hoc Christi judicium, juxta illud *Daniel.* VII, 10 : « Fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie ejus; » et *Apocal.* I, 14 : Oculi ejus tanquam flamma ignis, et pedes ejus similes aurichalco, » etc.; et : « De ore ejus gladius utraque parte acutus exibat; » et : « Facies ejus sicut sol lucet in virtute sua. »

Ex hoc igne, ejusque fide et doctrina, Gentiles Christianis factionis et seditionis crimen objiciebant, quod scilicet toti orbi minarentur incendium, eique ruinam molirentur, inquit Minutius in *Octavio;* quin et Martinus Polonus in *Chron.* narrat Neronem Christianos omnes jussisse cremari, Paulum vero eorum magistrum capite plecti, eo quod prædicaret mundum igne periturum : licet alii alias persecutionis Neronianæ causas, easque probabiliores afferant.

Vers. 8. 8. UNUM VERO HOC NON LATEAT VOS, CHARISSIMI, QUIA UNUS DIES APUD DOMINUM SICUT MILLE ANNI, ET MILLE ANNI SICUT DIES UNUS. — Est occupatio; occurrit enim objectioni : Si Christus venturus est ad judicium, cur tamdiu tardat, cur tamdiu scelera tolerat, cur tamdiu suos ab impiis affligi sinit? Respondet *primo*, omne hoc tempus, licet nobis longum videatur, tamen esse breve coram Deo, imo esse quasi diem unum, si cum Dei æternitate conferatur. « Æternitas enim Dei est interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio, » ait Boetius, lib. III *De Consolat.*; et S. Cæsarius, frater S. Gregorii Nazianzeni, *Dial.* III : « Apud Deum, ait, vespere carens et unicus dies est tota æternitas. » Quare æternitas est quasi unum, indivisibile nunc, durans semper et constans, ideoque in ea mille anni nostrates sunt quasi dies unus, et dies unus in ea est sicut mille anni nostrates : quia in ea nulla est successio; nil præterit, nil advenit : sed ipsa est quasi una dies perpetua et constans, coexistens omnibus sæculis, circa quam stantem et immotam volvuntur, labuntur et prætereunt omnia tempora. Ita Œcumenius : « Apud Deum, inquit, qui infinitus est, et essentiæ pelagus incircumscriptum, nihil protenditur; sed mille anni perinde atque unus dies sunt apud ipsum; aut potius, juxta David, neque diei multiplicatio est, ait enim : Mille anni in oculis tuis, Domine, tanquam dies hesterna quæ præteriit, » *q. d.* Mille anni apud te sunt quasi una dies : imo unum nunc æternitatis. Mille anni Dei sunt dies unus.

Secundo *Secundo* et melius Gagneius, *q. d.* Apud Deum mille anni sunt quasi dies una, et vicissim dies una quasi mille anni; quia apud Deum nulla, vel exigua est distantia inter diem unum et mille annos : mille enim anni apud eum, utpote immensum et æternum adeo sunt exigui, ut videantur esse quasi dies una; nam mille anni distant ab æternitate Dei quasi tantum, quantum distat dies una, puta in infinitum : æque ergo quasi ab ea distant, ac proinde inter se æqua et æqualia videntur : perinde ac qui in alto monte consistens, si eminus videat puerum cum viro, non secernit puerum a viro, sed videt eos quasi quid unum et æquale. Sic qui in cœlo consistunt, non distinguunt in terra homines ab arboribus; sed vident utrosque modicos, exiles et quasi æquales, uti nos videmus stellas parvas et magnas quasi æquales, nec inter eas distinguimus, ut magnitudinis differentiam, quæ maxima est, discernamus. Unde

frenæus, sub finem lib. V, ait quosdam putasse idcirco intentatum fuisse Adamo : In quocumque die comederis ex eo, morte morieris, » *Genes.* II, 17; quia sic revera accidit. Post esum enim pomi vetiti, Adam vivendo non explevit diem unum, quia ad millesimum annum (qui coram Deo est quasi dies unus) non pervenit.

Tertio genuine. *Tertio,* magis apposite, *q. d.* Deo objective præsens est tam unus, quam mille anni; Dei oculi et obtutus conspiciunt tam diem unum, quam mille annos. Deus enim omnia etiam minima cernit, pervidet, providet, disponit, ut unus dies alteri, unus annus alteri succedat, et existat tempore a se definito. Quare ne dubitetis quin et diem judicii præsentem habeat, intueatur, et tempore a se definito exhibebit, facietque apparere et existere. Æque enim omnia tempora, tam longa quam brevia, Deo et ejus æternitati sunt præsentia, ut æquo interstitio omnia et singula disponat; quare non tardat Dominus promissionem suam de die judicii, de præmiis bonorum et pœnis malorum, quia eam congruo tempore a se disposito est exhibiturus. Citat S. Petrus, *Psalm.* LXXXIX, 4, ubi Psaltes graphice depingit brevitatem vitæ nostræ, aitque : « Quoniam mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna quæ præteriit, et (tanquam) custodia in nocte; et tanquam ea quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt. Mane sicut herba transeat, mane floreat et transeat, vespere decidat, induret et arescat, » *q. d.* Mille anni vitæ nostræ, quanti pene fuere Mathusalem (vixit enim ipse 969 annis), sunt apud Deum quasi dies hesterna, imo sunt quasi una vigilia noctis quæ tribus tantum horis constat, imo anni hominum sunt quasi ea quæ pro nihilo habentur.

Quare vita hominum est quasi herba quæ mane viret et floret, vespere arescit et decidit. Audi S. Hieronymum in *Psalm.* LXXXIX : « Videte quid dicat. O brevis æternitas! Adam ille propagator noster, qui vixit nongentis et triginta annis, etiam ille Mathusalem, qui vixit nongentis et sexaginta quinque annis. Fac quod vixerit mille : ad comparationem æternitatis tuæ, quod grande fuerit, breve est. Quid enim prodest grande esse quod finem habet? Mille anni nostri, antequam offenderemus, una dies apud te erat. Quid dico una dies? una vigilia noctis. » Et inferius : « Quoniam omnes dies nostri defecerunt. Cucurrit ætas, et dum ignoramus, graviter perimus. Et hoc ipsum quod loquimur, de morte est, et non intelligimus. Anni nostri sicut aranea meditabuntur. Videte quid dicat. Quomodo aranea quæ mittit fila, et huc illucque discurrit, et texit tota die, et labor quidem grandis est, sed effectus nullus est : sic et vita hominum huc illucque discurrit. Possessiones quærimus, divitias apparamus, procreamus filios, laboramus, in regna sustollimur et omnia facimus, et non intelligimus quia araneæ telam teximus. Dies annorum nostrorum in ipsis, septuaginta anni. Ubi sunt mille anni? In septuaginta annis contracti sumus. Si autem multum, octoginta. Si autem plus vixerimus, jam non est vita, sed mors. Si autem in potentatibus, octoginta anni. Quem enim invenies octogenarium esse et sanum? Dicit et Græca sententia : Senectus ipsa morbus est. Et amplius eorum labor et dolor. Quidquid plus fuerit, non est vita, sed dolor. »

Huc faciunt S. Basilius ac Theodoretus in *Psal.* LXXXIX, qui sic explicant, *q. d.* « Exigua et calamitosa est hæc nostra vita; apud te vero qui æternus et sempiternus es, etiam mille annorum numerus uni diei similis est. » Et Cassiodorus ibidem : « Non, inquit, vel ipsi uni diei præsenti, sed præterito comparatur tam longissimus ordo sæculorum. » Et Eugubinus ibidem : « Est sermo, ait, Dei ad homines, *q. d.* Quid struis, qua fretus spe vivis? Quid si vel mille annos, id est, plus quam primus genitor, qui nongentos et triginta annos trajecit, ipse viveres, omnis hæc ætas, quia moriendum tandem est, erit tibi velut una dies hesterna elapsa. Quod si humana vita est particula temporis, tempus brevissima pars æternitatis, quid erit, quidquid unusquisque hominum vivit, ante oculos Dei? Nam, ut aiunt Plato et Aristoteles, nec dies est, nec annus, nec mensis apud Deum, qui est supra solem temporis genitorem, nec tempore potest intercipi. »

Egregie Plinius, lib. XXI, cap. I : « Flores natura in diem gignit, magna hominum admonitione, quæ spectatissime floreant, celerrime marcescere. » Lege poema Virgilii *De Rosa :*

> Quam longa una dies, ætas tam longa rosarum.

Sapientissime itaque Nazianzenus, orat. *in Laudem Cæsarii :* « Insomnium sumus instabile, spectrum quod vestigium non habet, pulvis, vapor, ros matutinus, flos pro tempore nascens atque marcescens. »

Neque sunt meliore conditione, vel Imperatores, vel Reges; quippe et ipsi homines nati, *Eccles.* X, 12 : « Sic et rex hodie est, et cras morietur. » Cui accinit Senecæ chorus in *Thyeste,* post actum III :

> Ima permutat brevis hora summis.
> Ille qui donat diadema fronti,
> Quem genu nixæ tremuere gentes,
> Quem dies vidit veniens superbum,
> Hunc dies vidit fugiens jacentem.

Perpende quam momentanea sit regalis felicitas. Unde merito celebratur versus ille Euripidis, quem recitat Plutarchus in libello consolatorio ad Apollonium : « Non est stabilis felicitas, sed in diem durans. » Quo in loco Demetrius Phalereus Poetam alioqui laudatum reprehendisse legitur, qui non unum diem, sed temporis punctum dicere debuerit. Causam acute reddit Seneca, lib. VII *Natural. Quæst.,* cap. XXXII : « Fluit tempus, et avidissimos sui deserit. Nec quid futurum

est, meum est, nec quod fuit : in puncto fugientis temporis pendeo. »

Quarto. Denique Alcazar in *Apocal.* cap. I, vers. 3, aliter explicat urgetque τὸ *apud Dominum*, quasi sermo sit de Beatis : hi enim, cum fruantur beata æternitate, mille annos æstimant quasi unum diem. Itaque « mille anni apud Dominum sicut dies unus, » scilicet, quia unicuique appropinquat mors : post mortem autem fideles et sancti fruuntur Dei beatitudine, quæ mensuratur ævo, vel æternitate, non tempore ; tumque parum aut nihil curant, quod dies judicii mille annos differatur, quia « mille anni apud Dominum (puta in vita beata) sicut dies unus. » Agit ergo Petrus de iis qui sunt apud Dominum : alioquin enim si ageret de iis qui vivunt in hoc tempore, illudque compararet cum æternitate, *q. d.* Exspecta paulisper tu quicumque tribularis, quia cito visitaberis, scilicet post mille annos (hi enim apud Deum sunt dies una), videretur potius esse irrisio, quam consolatio humanæ infirmitatis. Ita ipse satis apposite et connexe.

Symbolice. Primo. Symbolice multi sic explicant, *q. d.* Mundus stabit per sex millia annorum, quia sex diebus creatus est ; dies autem unus pro mille annis apud Deum computatur : sex dies ergo nostri faciunt apud Deum sex millia annorum. Audi S. Hieronymum, *Epist. ad Cyprianum* : « Ego arbitror ex hoc loco mille annos pro una die solitos appellari, ut scilicet quia mundus in sex diebus fabricatus est, sex millibus tantum annorum credatur subsistere, et postea venire ad septenarium numerum et octonarium, in quo verus exercetur sabbatismus, et circumcisionis puritas redditur : unde et octo beatitudinibus bonorum operum præmia promittuntur. »

Hæc opinio alia solidiora habet fundamenta, ideoque multorum est Patrum et Doctorum : unde probabilis est, nec temeritatis argui potest, uti ostendam *Apocal.* XX, 5, ac plane diversa est a Chiliastarum sententia, quam Beda, *De Ratione temp.*, cap. LXVI, hæreticam appellat.

Secundo. Rursum Joannes Ferdinandus, in *Thesauro Script.*, verbo *Dies*, num. 40, citat S. Augustinum sic explicantem : Dies una apud Dominum est sicut mille anni, id est, dies una pœnæ in purgatorio adeo acerba est, ut æquiparetur pœnæ mille annorum hujus vitæ. Testis est ille miles, qui cum horam tantum unicam fuisset in Purgatorio, putavit se ibi fuisse annos plurimos, de quo S. Antoninus, IV *part.*, tit. 14, cap. X, § 4. Tempus enim breve in gravissimis doloribus videtur esse longissimum.

Denique nonnulli olim sic explicuerunt S. Petrum, *q. d.* Dies judicii, ut exactum de singulis fiat examen, durabit per mille annos ; quare Sancti qui habebunt aliquas culpas leves, per mille annos igne purgabuntur, ut eas expient. Verum hos recte refellit Beda : « Sed hi, ait, non vident quantæ sit impudentiæ credere, quod tantus perfectorum et justorum cœtus receptis in ictu oculi corporibus beatis et immortalibus, per mille annorum spatia debeat in aere, vel in terra finem exspectare judicii, et tunc demum præparatis ad integrum sociis, diu exspectatam audire sententiam : Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum. » Simile fuit de annorum judicii centuriis delirium Mahometi, quod refert et confutat Dionysius Carthusianus, lib. III *Confut. Alcorani*, cap. XV et seq.

Tropologice : Hinc concipe, æstima et pondera quanta sit brevitas temporis humani, et quam longa Dei et Sanctorum æternitas ; nam, ut ait S. Ephrem, tom. I serm. *Adhort. ad pietat.* : « Mille anni hujus sæculi in æterno et incorruptibili illo mundo tantam habent comparationem, quantam minima arena maris cum tota arena ejusdem. » *Speculum exemplorum*, dist. IX, cap. LXV, narrat monachum quemdam in choro canentem versum jam dictum : « Mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna quæ præteriit, » mirantem quomodo id verum esset, meditabundum egressum in nemus, ibi audiisse aviculam suavissime canentem, quæ eum demulsit et detinuit per trecentos annos sine cibo, potu, somno : avolavit illa deinde, ac ipse rediens ad se, reversus ad monasterium et chorum quasi Tertiam ejusdem diei cantaturus (putabat enim adhuc eumdem diem, quo e choro exierat, perdurare), vidit alios monachos, alium chorum omniaque alia. Abbas sciscitatus nomen monachi, reperit in chronicis monasterii eum ante trecentos annos vixisse, et choro exiisse, nec amplius comparuisse ; sumpsit deinde monachus S. Synaxim, et illico expiravit, et ad gloriam cœlestem, cujus melodiam et gaudia prælibarat, evolavit. R. P. Franciscus Costerus historiam hanc diligenter investigavit, comperitque revera accidisse in monasterio Affliginiensi Ordinis S. Benedicti, quod in Belgio situm est inter Bruxellas et Alostum, uti ipse mihi olim in Belgio affirmavit. Sicut ergo S. Benedictus elevatus in Deum Deique immensitatem, vidit sub ea totum mundum instar globi collectum : ita qui elevatur in æternitatem Dei, sub ea videt omnia tempora collecta esse instar unius diei, imo instar puncti. Causam dat S. Gregorius, lib. II *Dialog.*, cap. XXXV : « Quia videnti Deum, inquit, angusta est omnis creatura. Quamlibet enim parum de luce Creatoris aspexerit, breve ei fit omne quod creatum est. Lux enim interior quæ videntis animum ad superiora rapuit, ei quam angusta essent omnia inferiora monstravit. »

Hæc ruminemus, hæc profunde meditemur, ut a vanitate ad veritatem, a brevitate ad æternitatem, non miseram, sed beatam transire mereamur. Ita ea ruminabat Thomas Morus, Angliæ Cancellarius et Martyr, qui ab Henrico VIII, rege Angliæ, omnibus machinis oppugnatus, ac tandem per uxorem suam sortem miseram lamen-

tantem, et promittentem aliam lautissimam, si regis votis se accommodaret, respondit : « Et quanto tempore illa sorte lauta, o uxor, fruemur? » cumque illa diceret : « Adhuc facile ad viginti annos, » respondit : « Certe stulta es mercatrix. Quid enim sunt viginti anni ad æternitatem? vis ut viginti annis deliciarum prodigam æternitatem gaudiorum cœlestium, mihique accersam æternitatem dolorum infernalium? » Ita refert Thomas Stapletonius in ejus Vita. Nihil ergo magnum, nisi æternum; nullum verum bonum, nisi æternum; nullum vere malum, nisi æternum, ut quidam sanctorum dixit. Nam, ut ait S. Augustinus, lib. XII *De Civitate*, XII : « Considerent nihil esse diuturnum, in quo aliquid est extremum; et omnia spatia sæculorum definita, si æternitati interminæ comparentur, non exigua existimanda esse, sed nulla. »

Quocirca nervose Esdras, vel quisquis est auctor, lib. IV *Esdræ*, cap. II, vers. 34 : « Exspectate, ait, pastorem vestrum, requiem æternitatis dabit vobis; quoniam in proximo est ille, qui in fine sæculi adveniet. Parati estote ad præmia regni, quia lux perpetua lucebit vobis per æternitatem temporis. Fugite umbram sæculi hujus, accipite jucunditatem gloriæ vestræ, » etc. Fluvius enim est tota hæc vita, isque currens, rapidus, præceps, rapiens omnia secum. Nam, ut ait Poeta :

Omnia prætereunt more fluentis aquæ.

Et Heraclitus : « Vita hominum, ait, non aliud est quam flumen, *imo* homo bulla. » Et Pythagoras rogatus quid esset humana vita? ingressus cubiculum, subito egressus est, innuens vitam introitum esse et simul exitum, adventum et discessum. Deus vero est ipsa immortalitas et æternitas, ideoque nostræ mortalitatis refugium, ait S. Augustinus. Unde vocatur « Jehova, » sive, « qui est, » sive, « ego sum qui sum, » *Exodi* III, 14. Deus enim est ipsum esse constans, ipsa unitas, omniumque rerum simplicissima et incorruptibilis perfectio. Quod si mille annis, o homo, vixisses in omnibus divitiis, deliciis, honoribus et pompis mundi, quid inde jam haberes? omnia præteriissent instar fluminis : idem erit de reliqua tua vita, quæ modica tibi restat : qua exacta morieris et citaberis ad Dei tribunal, omniumque dictorum et factorum exacta tibi reddenda erit ratio, ut vel cœlo, vel gehennæ addicaris. Idem est de mille annis in pœnitentia, labore et martyrio transactis : transit enim dolor, manet præmium. Vita ergo tua est quasi momentum unde pendet æternitas. Vive ergo, si sapis, æternitati. Audi S. Augustinum in *Psalm.* LXXXIX : « Quoniam mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna quæ præteriit : ideo debemus ad refugium tuum, ubi sine ulla mutabilitate tu es, ab his prætereuntibus labentibusque converti; quoniam quantumlibet huic vitæ longum tempus optetur, mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesternus est qui præteriit; non saltem tanquam dies crastinus qui venturus est : ita omnia quæ temporis fine clauduntur, pro transactis habenda sunt, » etc.

Vita ergo nostra quantumvis longæva, æternitati comparata est tantum una dies hesterna, ait S. Petrus, et unum hodie, ait S. Paulus, *Hebr.* III. 13; ita ut ephemeri, vel hemerobii vocari possimus, similes animalculis una tantum die viventibus, de quibus Aristoteles, lib. I *Histor. animalium*, cap. V, et Cicero, I *Tusculan.* : « Confer, ait, nostram longissimam ætatem cum æternitate, in eadem propemodum brevitate qua illæ bestiolæ reperiemur. » Spernamus ergo nugas nugarum et vanitates vanitatum, ait S. Augustinus, lib. VIII *Confess.*, cap. XI; cœlo et æternis inhiemus, cruces omnes diurnas velut momentaneas fortiter toleremus, utpote per quas ad æterna bona transimus; nil nisi æternam pœnam et ignem, æque ac culpam serio formidemus : cætera sive læta, sive tristia flocci æstimemus, ac per utraque tendamus alacriter et constanter ad beatam æternitatem. Hoc est enim omnis homo.

9. NON TARDAT DOMINUS PROMISSIONEM. — Græce, ὁ Κύριος τῆς ἐπαγγελίας, id est *Dominus promissionis*, scilicet auctor, sive qui promisit, *non tardat*, inquam, præstare promissionem, hoc est, id quod promisit, puta diem judicii, ad præmiandum bonos et puniendum malos; sed tempore a se statuto, quod ipsi breve est, licet nobis longum videatur, cum exhibebit.

SED PATIENTER AGIT (græce μακροθυμεῖ, id est *longanimiter agit*), PROPTER VOS. — Legit Interpres ὑμᾶς, id est *vos*; alii legunt ἡμᾶς, id est *nos, q. d.* Ideo differt Deus diem judicii a se promissum, non quia tardus est, sed ut det vobis vestrisque amicis et sociis spatium pœnitendi, « nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti. » Causa ergo cur Deus prolonget diem judicii, est Dei longanimitas et amor erga homines peccatores, quia nimirum eos exspectat, ut resipiscant et salventur. Unde Tigurina clare vertit : « Haud tardat Dominus, qui promisit, quemadmodum nonnulli tarditatem existimant : verum longanimus est erga nos, dum non vult ullos perire, sed omnes ad pœnitentiam recipere, aut complecti, vel venire. » Hæc enim omnia significat Græcum χωρῆσαι.

Alludit ad illud *Isaiæ* XXX, 18 : « Exspectat Dominus, ut misereatur vestri, et ideo exaltabitur parcens vobis, quia Deus judicii Dominus. » Ubi S. Hieronymus : « Grandis, ait, misericordia Dei, ut exspectet nostram pœnitentiam, » et ideo major hominis ingratitudo et impœnitentia, si Deo tanta patientia et desiderio exspectanti per pœnitentiam non occurrat : idcirco « quo magis lento ad vindictam gradu divina procedit ira, tanto tarditatem supplicii majore gravitate compensabit, » ait Valerius Maximus, lib. I, cap. I. Rursum

S. Hieronymus, in cap. II *ad Roman.* (vel quisquis est auctor : nam non videtur esse S. Hieronymus, ut ibidem ostendi) : « Ideo, inquit, hominibus videtur Deus diu exspectare peccantes, quia nos cum parvi temporis simus, annos centum æternitatem putamus. Ille autem apud quem mille anni pro uno sunt die, centum annos unius horæ suæ spatio non coæquat. Quapropter hoc parum est apud eum : cum etiam homines soleant multo tempore correptionem sperare peccantium. »

Hinc patet Deum velle omnium salutem, et nolle alicujus damnationem, ac consequenter neminem reprobare ante prævisa ejus demerita et mortem in peccato, quæ voluntas in Deo non tantum est signi, ut quidam censuerunt, sed etiam beneplaciti, uti solide ostendit Gabriel Vasquez, I *part., Quæst.* XIX, disp. 83, cap. II. Prophetæ enim passim clamant Deum nolle, imo dolere et irasci peccatoribus, quod se perditum eant. Hoc est quod clamat Paulus : « Deus vult omnes salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire, I *Timoth.* II, 4. Et Christus : « Non est voluntas, ait, ante Patrem nostrum, ut pereat unus ex pusillis istis, » *Matth.* XVIII, 14. Et S. Augustinus : « Nefas, ait, est Deo adscribere causas peccatorum et ruinarum omnium. » Vide eum, lib. *De Artic.* sibi falso imposito, cap. X et XIII, et Prosperum ad *Object. Gallorum.* Pluribus idipsum confirmavi *Oseæ*, cap XI, 8.

Facessat ergo impia Calvini vox in cap. IX *ad Roman.*, vers. 17 et 28 : « Deus impios destinavit creare ut damnaret. » Audiat ipse, ut alios taceam, S. Clementem, lib. II *Constitut.*, cap. LV : « Audivimus, ait, ex ore Domini nostri Jesu Christi, et optime edocti dicimus, quænam sit voluntas Dei bona, beneplacens et perfecta, quæ nobis per Jesum Christum declarata est, scilicet ne ullus pereat, sed potius omnes homines, cum ei uno consensu crediderint, laudibus eumdem uno animo et ore celebrantes, iidem in sempiternum vivant. » Nam, ut recte notat S. Ambrosius in I *Timoth.* II : «Vult Deus omnes salvos fieri, sed si accedant ad eum : non enim sic vult, ut nolentes salventur ; sed vult illos salvari, si ipsi velint. » Hinc pariter liquet error eorum, qui censebant Christum non pro omnibus esse passum, sed tantum pro prædestinatis. Ita senserunt olim Prædestinatiani, Arnobius in *Psalm.* CXLVII, Faustus, lib. II *De Lib. arbitr.*, cap. XIV et XVI ; Remigius Lugdunensis, lib. I *Contra tres epistolas trium Episcoporum*, et moderni nonnulli. Verum contrarium docent S. Petrus hic, S. Paulus, et passim S. Scripturæ et Patres omnes.

10. ADVENIET AUTEM DIES DOMINI UT FUR. — « In nocte » addunt Græca nonnulla, et S. Paulus, I *Thessal.* V, 2. Nota : Proprie non ipse Christus (hoc enim incongruum et inconcinnum videtur), sed dies Domini, id est dies judicii, iræ et vindictæ, comparatur furi. Ita Theophylactus, *in Matth.* XXIV, [illegible] : « Furem, ait, mundi consummationem nominat, et uniuscujusque mortem. Porro insinuat Dominus noctu adventum suum futurum. Sicut igitur fur clam venit, ita et meus adventus, ut negligentes non sitis. » Quare quod Dominus dicit *Apocal.* III, 3 : « Veniam ad te tanquam fur, et nescies qua hora veniam ad te ; » et cap. XVI, vers. 15 : « Ecce venio sicut fur, » metonymice accipe, ut judex ponatur pro judicio dieque vindictæ, *q. d.* Adventus meus, sive judicium et dies vindictæ, erit improvisus tibique inexspectatus, opprimet te in peccatis stertentem, sicut fur opprimit dormientem. Aut proprie, non quod ipse Christus sit quasi fur, sed quod peccatoribus tam erit improvisus et noxius, quam est adventus furis : unde ipsi eum æstimabunt et comparabunt furi ; justi vero, eum exspectantes et desiderantes, eum æstimabunt et comparabunt amico et hospiti amantissimo. Loquitur ergo ex sensu impiorum, qui Christi adventum horrebunt quasi adventum furis ; nam, ut ait Christus *Matth.* XXIV, 37 : «Sicut in diebus Noe, ita erit et adventus Filii hominis ; sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes et bibentes, nubentes et nuptui tradentes usque ad eum diem quo intravit Noe in arcam ; et non cognoverunt, donec venit diluvium et tulit omnes : ita erit et adventus Filii hominis. »

Secundo, multi censent diem Domini comparari furi nocte domum invadenti, eo quod noctu hic dies futurus et inchoandus sit. Unde *Matth.* XXV, 6 : « Media, ait, nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exite obviam ei. » Ita S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius ibidem ; imo S. Hieronymus ait hanc esse Apostolicam traditionem, ut ideo in paschate populum dimittere non liceat ante mediam noctem, quod eo tempore venturus sit Christus, quo typice percussit primogenita Ægyptiorum, *Exodi* cap. XII, vers. 29. Judæi quoque suum Messiam media nocte venturum exspectant.

Alii tamen censent judicium Christi extremum fore mane : decet enim ut Christus non in tenebris, sed in clara luce clarissime judicet. Ita S. Thomas, III *part.*, in Supplem., *Quæst.* LXVII, art. 3 ; Abulensis in *Matth.* XXV ; Suarez, III *part.*, tom. II, disp. 57, et alii.

Utrumque verum esse potest, et forte verum erit, scilicet ut ipsum judicium a Christo proprie peragatur mane, juxta illud hymni Ecclesiæ : « Et mane illud ultimum, quod præstolamur cernui. » Consummatio tamen mundi incipiet noctu ad majorem impiorum terrorem, nimirum noctu velociore impetu magnoque stridore agitabuntur cœli, excitabuntque ignem quo conflagrabit mundus : quo igne splendente noctu tanta erit claritas, ut videatur esse mane et dies. Rursum cœli tanta velocitate agitabuntur, ut illico mane adducant, noctemque in diem vertant, præsertim accedente claritate Christi et Sanctorum : « Fulgebunt enim justi sicut sol, » *Matth.* XIII, 43. Hoc est quod

diserte ait Sibylla, et ex ea Lactantius, lib. VII, cap. XIX :

——— Cum venerit ille,
Ignis erit mediaque horrenda in nocte tenebræ.

« Tunc aperietur cœlum medium intempesta et tenebrosa nocte, ut in toto orbe lumen descendentis Dei tanquam fulgur appareat. Hæc est nox quæ nobis propter adventum regis ac Dei nostri pervigilio celebratur. »

Moraliter, Cassiodorus in *Psal.* CXVIII, 62, ad illud : « Media nocte surgebam ad confitendum tibi, » docet fidelibus cum Ecclesia noctu esse orandum et psallendum, quod noctu venturus sit Christus ad judicium. « Scit, inquit, ea tempestate Petri, Pauli et Silæ in carcere positorum vincula resoluta, scit quoque sponsum media nocte esse venturum : ideoque eodem tempore surgit ad laudes, ne inter fatuas virgines janua clausa remaneat. » Et S. Augustinus, *epist.* 120, cap. XXXIV, et serm. 22 *De Verbis Domini secundum Matth.* : « Media nocte, ait, veniet, cum valde obscurum, id est occultum est an veniat, et quando non speratur » Unde infert : « Ergo vigila nocte, ne furem patiaris. »

IN QUO COELI MAGNO IMPETU (græce ῥοιζηδόν, id est *impetuose*, stridenter, et cum sibilo, qualis ab igne flagranti edi solet, inquit Œcumenius, vel a procella ac ventis validis : unde Tigurina vertit, *cœli in morem procellæ* stridentis) TRANSIENT. — Græce παρελεύσονται, id est *præteribunt*, dissolventur; S. Augustinus, XX *De Civit.* XXIV, legit, *transcurrent*.

Cœli transibunt, qui? Multi censent cœlos sidereos igne comburendos.

Quæres *primo*, quinam hi cœli? Multi accipiunt cœlos præcise et proprie dictos, puta sidereos : distinguuntur enim hic ab elementis, ac consequenter ab aere, ut aereos intelligere non liceat; hos enim cœlos censent factos esse ex aquis, ideoque non esse solidos, sed fluidos instar aeris, ac proprie esse ætherem, qui mutationis et corruptionis sit capax; quia « omne alterabile est corruptibile, » ait Aristoteles, lib. I *De Generat.* Sic enim Mathematici in sole, luna et stellis per dioptram deprehenderunt, mihique ostenderunt maculas, non tantum stabiles, sed et mobiles, euntes et redeuntes. Quin et iidem ultimum cometem, qui ingens apparuit anno Domini 1618, instar trabis, splendoris tenuissimi, gladii figuram referens, cujus mucro die 18 novembris sub Cratere apparebat, ima vero pars oblique ad Centauri humeros pertingebat : mox vero die 30 novembris mucro per 12 et 13 ad Hydræ cor dirigebatur; pars vero inferior sub 22 ejusdem Hydræ conspiciebatur. Hunc, inquam, cometem judicarunt Mathematici insignes non fuisse in aere, sed longe super aerem in ipsis cœlis sidereis, imo super omnes cœlos inferiores, idque demonstrarunt ex ingenti ejus parallaxi, quæ non nisi in cœlis sublimibus et vastissimis fieri potuisse videtur : errasse ergo Aristotelem, qui censuit mundos esse æternos et incorruptibiles.

Probant id ex hoc loco S. Petri et *Psalm.* CI, 27 : « Ipsi (cœli) peribunt; » *Isaiæ* XXXIV, 4 : « Complicabuntur sicut liber cœli; » et cap. XXX, 26 : « Erit lux lunæ sicut lux solis; » *Apocal.* VI, 14 : « Cœlum recessit sicut liber involutus; » *Matth.* XXIV, 29 : « Sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum : et stellæ cadent de cœlo, et virtutes cœlorum commovebuntur. » Rursum cœlum empyreum, inquiunt, constat æthere : nec enim Beati in eo, quasi in muro solido et duro compingentur, sed in eo naturaliter moveri, ambulare et loqui poterunt, uti nos in aere hoc. Si in cœlo empyreo est æther, sed incorruptibilis : ergo æther divisibilis quoque est in cœlis inferioribus et sidereis. Mars enim, Venus, Mercurius (qui duo ultimi modo supra solem, modo infra apparent) cæteræque planetæ motus habent tam miros et varios, tot gyros, flexus et reflexus, ut moveri videantur in æthere divisibili, sicut pisces in aqua, uti censuit S. Basilius, S. Ambrosius, et alii : unde Mathematici ut hos eorum motus repræsentarent, tot epicyclos, excentricos, concentricos, etc., commenti sunt. Ita diserte sentit, et S. Petrum explicat ejus discipulus et successor S. Clemens, lib. II *Recognit.*, ubi narrat S. Petrum disputantem cum Simone Mago distinxisse duplex cœlum : unum nobis invisibile in quo habitant Beati, quod ait esse æternum et immutabile; alterum visibile et stellis distinctum, illudque esse corruptibile et corrumpendum, cum scilicet homines in terra esse desierint, quorum causa creatum est. Idem, lib. III, ex ore S. Petri ait, quod sicut pullus ex ovo prodit effracta testa alter et diversus ab ovo, ita dissoluta hac cœli et mundi machina orietur et pandetur Beatis novus cœlorum status. Verba ejus sunt : « Sicut testa ovorum quamvis pulchre facta, necesse est tamen eam frangi et resolvi, ut inde pullus procedat, et illud pro quo totius ovi forma expressa videtur, appareat : ita ergo et hujus mundi necesse est transire statum, ut status ille sublimior regni cœlestis effulgeat. » Et S. Basilius, lib. III *Hexaem.*, asserit interitum mundi futurum ab igne, qui cum cœlo et aquis inspersus sit plurimus, ac nunc quidem aquarum superne atque inferne circumstantium incredibili copia temperetur, in fine tamen sæculi aquis absumptis cuncta sit communi incendio devoraturus. Videtur ergo S. Basilius cœlum ex parte facere igneum et igneæ naturæ cum Stoicis : ita enim Zeno, Cleanthes, Chrysippus, teste Eusebio *De Præpar. Evangel.*, tradiderunt æthereo igne omnia tandem interitura. Idem de cœlis sidereis interituris igneque comburendis senserunt S. Justinus, S. Hieronymus, Theodoretus, S. Ambrosius, Nyssenus, Hilarius, Œcumenius, et ex modernis Catharinus, Salmeron, et Serarius nervose id probans hic, Hieronymus Magius, Franciscus Valesius, Ludovicus Molina et alii, quos citavi *Isaiæ* XXXIV, 4, ubi plura hac de re dixi.

Idem cecinere Sibyllæ, ac ex eis Virgilius poeta,

Æneid. VI et X; Lucretius et Manilius, lib. I; Plinius, lib. II, cap. IX; Ptolomæus in *Quadrip.*, et alii, qui censuerunt sidera ali vaporibus, quibus in fine mundi sublatis et exustis, illa interitura. Hinc et Lucanus, lib. I *Pharsal.*, de fine mundi ita canit:

> Sidera sideribus concurrent, ignea pontum
> Astra petent, tellus extendere littora nolet,
> Excutietque fretum, fratri contraria Phœbe
> Ibit, et obliquum bigas agitare per orbem
> Indignata diem poscet sibi, totaque discors
> Machina divulsi turbabit fœdera mundi.

Si objicias illud *Job* XXXVII, 18: « Tu forsitan fabricatus es cœlos, qui solidissimi quasi ære fusi sunt, » respondent, « solidissimi, » id est *firmissimi*, perinde ac si ære fusi essent. Hebræa enim sic ad verbum habent: « Numquid extendisti cum illo cœlos fortes, qui sunt velut aspectus rei fusæ. » Ita Vatablus; vel, ut Pagninus, « qui sunt fortes sicut speculum fusum. » Unde Cajetanus, Pineda, Tigurina et alii ibi per cœlos intelligunt aerem, vel ætherem, quem Deus supra nos extendit et extenuavit, sed simul ita confirmavit et consolidavit, ut sit res stabilis, constans, fortis, valida: est enim aeris agitati et impulsi vis incredibilis, ut patet in ventis validis, qui arbores, domos, turres, arces dejiciunt et sternunt.

Alii per cœlos accipiunt aerem.

Verum alii passim veteres et moderni cœlos hic accipiunt aereos, non sidereos. Cœlum enim in Scriptura significat omne quod super nos expansum est, sive aer sit, sive proprie cœlum: unde vocantur volucres cœli, id est aeris: et sic paulo ante dixit S. Petrus, cœlos, id est, partem imam cœlorum, puta aerem, dedisse aquas diluvii. Per elementa vero accipiunt aquam, et aerem infimæ regionis terræque vicinum: ex his enim quasi elementis facta sunt, et conflata omnia corpora mixta. Ita diserte S. Augustinus lib. XX *De Civit.*, cap. XIV, XVI, XVIII et XXIV; S. Epiphanius, *Hæres.* 64; Damascenus, lib. II *De Fide*, cap. VI; S. Gregorius, lib. XVII *Moral.*, cap. V.

Ratio est *prima*, quia cœli sunt incorruptibiles, non tantum ex Aristotelis et Philosophorum, sed etiam, ut videtur, ex Scripturarum sententia, ut *Job* cap. XXXVII, vers. 18, juxta versionem Latinam jam citatam; et Psaltis, qui loquens de cœlestibus corporibus: « Statuit, ait, ea in æternum et in sæculum sæculi, » *Psalm.* CXLVIII, 5.

Secunda, quia ignis non potest agere in cœlos; unde nec ad eos pertinget, sicut ad eos non pertigit aqua diluvii; sed quousque hæc pertigit, eodem pertinget et ignis, scilicet ut quindecim cubitis excedat omnes montes, ait Augustinus, XX *De Civit.*, XXIV, et ex eo Scholastici in IV, distinct. 47 et 48.

Tertia, quia in cœlo nullæ sunt sordes, vel peccata hoc igne purganda et expianda. Hinc iidem censent cœlos hos aereos corrumpendos, non quoad substantiam, sed quoad qualitates, ut videlicet manente eadem forma et materia, a vaporibus aliisque fæcibus et sordibus expurgentur, ac mutentur in melius, nimirum majorem subtilitatem et lucem accipiant. Ita S. Augustinus, Gregorius, Epiphanius, locis citatis; S. Hieronymus in *Isaiæ* cap. LXV; Scholastici in IV, dist. 48, et I *part. Q.* LXVII et LXVIII. Sicut enim homo idem resurget, sic et eadem elementa quæ homini servierunt, cum eo resurgent, illudque quasi erit præmium laboris et passionis eorum, uti insinuat S. Paulus *Roman.* cap. VIII, vers. 20. Audi S. Cyrillum, lib. IV in *Isaiæ* cap. LI: « Isaias, ait, mortem elementorum proprie nominat, et apte mutationem in melius, ut etiam Paulus inquit: Creatura liberabitur a servitute corruptionis; quo autem modo liberaliter ostendit Christi discipulus, dicens: Veniet dies Domini ut fur, in qua cœli procellæ in morem transibunt, elementa ardentia dissolventur. Igitur creaturæ renovationem, velut ex mortuis resurrectionem, sicut in humanis corporibus, fore ait. « Et S. Hieronymus in *Isaiæ* cap. XXX: » Erit, ait, lumen lunæ sicut lumen solis, quando dederit Dominus cœlum novum et terram novam, et transierit habitus mundi hujus, ut luna et sol laboris et cursus sui præmia consequantur. Etenim exspectatio creaturæ revelationem filiorum Dei præstolatur. »

Mihi media sententia placet, scilicet per cœlos hic intelligi tam sidereos quam aereos: utrique enim magno impetu transibunt; alibi enim S. Scriptura docet cœlos proprie dictos esse immutandos, adeoque solem et lunam majori lumine esse decoranda. Hinc Christus *Matth.* XXIV, 29: « Virtutes, inquit, cœlorum commovebuntur. » Et Ecclesia in Officio defunctorum: « Quando cœli movendi sunt et terra. » Ita Cajetanus hic, Viegas in cap. XXI *Apoc.*, Suarez III *part.*, tom. II, disp. LVIII, sect. 3, ubi ait probabile esse in die judicii cœlos sidereos velocius esse agitandos, ut secum cœlos aereos rapiant, et ad ignis accensionem mundique conflagrationem, tum suo illo velociore motu, tum etiam influentia et actione concurrant.

Transibunt cœli. Primo. Secundo

Transibunt ergo cœli *primo*, quia velocius raptabuntur; *secundo*, quia mox eorum motus cessabit, uti docet S. Ambrosius, lib. V, *epist.* 21, et passim Doctores. Sol ergo in uno hemisphærio, luna in opposito in æternum consistet, ut quisque suum illuminet; non enim est necesse ut omnes cœli suum cursum absolvant: sic enim cœlum stellarum ut suum cursum ob ortu in occasum absolveret, deberet moveri per 36 millia annorum, uti censet Ptolomæus; mundus autem tamdiu non stabit. Satis ergo est ut moveantur quamdiu homines quibus serviunt, in terra degunt. Hominibus abolitis, incidetur cœlorum cursus, ac consequenter sublunarium omnium: « Cessante enim motu cœli cessat motus inferiorum, » ait Aristoteles, lib II *De Cœlo.*

Tertio, transibunt, id est, dissolventur, quoad

inferiorem sui partem, scilicet quoad cœlos aereos; unde explicans de iis subdit, vers. 1 : « Cœli ardentes solventur; » quoad superiorem vero sui partem, scilicet quoad sidereos immutabuntur, et in alium statum, majoremque lucem et gloriam transibunt. Sic Christus ait, *Matth.* XXIV, vers. 35 : « Cœlum et terra transibunt, » scilicet a statu præsente corruptibili in futurum incorruptibilem. Et *Psalm.* CI, vers. 27 : « Omnes sicut vestimentum veterascent, et sicut opertorium mutabis eos, » puta quasi vestem inversam. Sicut enim vestis exterius detrita invertitur, ut interior pars integra fiat exterior, itaque nova videatur esse vestis : sic vetus cœlorum forma et status mutabitur in novum magis lucidum et gloriosum, itaque videbuntur esse cœli alii et novi.

Quarto. *Quarto,* transibunt, quia tonitruis, fulgetris, nubibus, cometis, stellis cadentibus, aliisque meteoris, procellis et tempestatibus, ita aer perturbabitur, ut cœli transire et e mundi cardinibus convelli, subrui et evanescere videantur, juxta illud *Job* cap. IX, vers. 6 : « Qui commovet terram de loco suo, et columnæ ejus concutiuntur. » Et cap. XXVI, vers. 11 : « Columnæ cœli contremiscunt et pavent ad nutum ejus. » Ubi Didymus in *Catena Græcor.* ait, illo terræ motu qui in passione Christi contigit, ipsam terram totam fuisse conquassatam et e suo centro convulsam. Quod si verum est, utique idem fiet in die judicii, quando summus erit terror, omniumque rerum commotio, finis et terminus, juxta illud Ecclesiæ paulo ante citatum : « Quando cœli movendi sunt et terra. » Vide dicta *Apocal.* VI, in fine.

Nova aliquorum opinio de liquatione cœlorum. Denique nonnulli viri eruditi, ut priores duas sententias concilient et S. Scripturæ locis omnibus satisfaciant, ingeniose novam opinionem adinvenerunt, dicendo cœlos qui jam sunt solidi, in fine mundi redigendos et redituros in materiam fluidam, e qua quasi chao et abysso primum formati sunt, *Genes.* I.

Verum hæc sententia suas quoque patitur difficultates : nam *primo,* remanet quæstio, quomodo ignis conflagrationis aget in cœlos solidos et incorruptibiles, ut eos redigat in materiam fluidam.

Secundo, cœli post diem judicii videntur fore solidiores quam modo sint, quia duraturi in æternum.

Tertio, cœli cum Beatis quibus servierunt in hac vita, in die judicii quasi resurgent in perfectiorem statum et formam : ergo erunt perfectiores, ac perfectiores et solidiores habebunt formas et dotes quam habeant modo. Nam Apostolus *Roman.* VIII, 20, docet omnem creaturam vanitati, id est mutationi et corruptioni, jam esse subjectam, exspectare vero resurrectionem ut per eam in libertatem gloriæ filiorum Dei asseratur. Et Isaias, ac ex eo S. Petrus hic, cœlos novos creandos promittit. Rursum Isaias, cap. XXX, vers. 26, ait lucem lunæ fore instar solis; solis vero septuplo fore majorem : quæ omnia arguunt cœlos in fine mundi non redituros in suum chaos suamque primævam materiam; sed longe elegantiores, formosiores et præstantiores fore quam sint modo.

Quocirca alii insignes Philosophi et Theologi, ut plane verbis S. Scripturæ ac præsertim S. Petri hoc loco satisfaciant, utque cum iis concilient Philosophiam et Aristotelem, qui potius S. Scripturam sequi quam præire debet, dicunt *primo,* cœlos esse incorruptibiles hoc modo, quod naturaliter nec a se, nec a corporibus sibi subjectis, puta ab elementis, corrumpi possint : eosdem tamen corrumpi posse a virtute superiori et potentiori, ideoque a Deo corrumpendos esse sub diem judicii per ignem conflagrationis mundi, qui a Deo de novo excitabitur ad hoc, eritque nostro igni elementari superior, efficacior et ardentior. Sunt enim rerum incorruptibilium varii gradus et ordines, alii aliis perfectiores. Angeli enim magis sunt incorruptibiles quam cœli : carent enim materia, suntque substantiæ plane simplices, incorporeæ et spiritales, ideoque plane incorruptibiles. Quare cœli respectu angelorum sunt corruptibiles, incorruptibiles vero respectu corporum inferiorum et elementorum.

Secundo, asserunt cœlos per ignem conflagrationis arsuros et liquandos, utpote ex aqua compactos, constrictos et quasi conglutinatos, ut ab omni sorde et fæce purgentur, fiantque puriores et subtiliores. Id enim diserte ait hic S. Petrus, et Isaias cap. XXXIV, vers. 4, et cap. LI, vers. 6, ac inter recentiores fuse noster Adamus Tannerus *Dissertatione de cœlis,* Quæst. XI. Audi Isaiam, cap. XXXIV : « Et tabescet (id est, liquescet instar ceræ) omnis militia cœlorum, et complicabuntur sicut liber cœli, et omnis militia eorum defluet, sicut defluit folium de vinea et de ficu, » hoc est, ut explicat Christus *Matth.* cap. XXIV, 29 : « Stellæ cadent de cœlo; » militia enim, id est, milites cœlorum non sunt alii, quam stellæ et sidera. Cœli ergo et stellæ liquabuntur et solventur, ita tamen ut iidem quoad substantiam maneant, eamdemque numero materiam et formam substantialem retineant; sed ea ratione, ut utraque perficiatur, novamque unionem dotesque et qualitates illustriores recipiat, adeo ut videantur effici novi cœli, nova terra, novus mundus, ut ait Isaias, et *Apocal.* XXI, 5 : « Ecce nova facio omnia; » nam cum lux ex substantia solis et cœlorum naturaliter quasi profluat, cum tunc perfectior futura sit lux, videtur perfectior quoque futura substantia solis et cœlorum. In resurrectione enim universali erit resurrectio, renovatio et glorificatio non solius hominis, sed cœlorum, terræ et totius mundi, qui hominibus electis servivit et compassus est. Quare in præmium hujus passionis et servitutis, cum homine resurgente resurget ad gloriam. Sicut ergo homo moriens post mortem resurget idem nu-

mero quoad substantiam, sed jam perfectam et gloria donatam, ideoque immortalem et incorruptibilem : sic pariter cœli per conflagrationem liquati et purgati, manente eadem numero forma et substantia, quasi resurgent ad suam gloriam cum majori luce, subtilitate, unione, indeque incorruptione et æternitate donabuntur. Quare sicut homo idem resurget, non alius, ne unus patiatur et mereatur, et alter qui nec passus, nec meritus est; resurgat: sic iidem prorsus cœli qui homini patiendo servierunt, resurgent, non alii, ne illi qui homini servierunt intereant, et alii pro eis præmientur. Exemplum est in metallis, ut ferro, ære, auro, argento. Sicut enim aurum igne liquatur, ut ex eo fiat pulcher scyphus aureus, ita ut manente eadem forma et substantia auri, illa ipsa tamen per ignem arte et figura perficiatur et illustretur : sic quoque cœli et elementa igne conflagrationis solventur et liquabuntur instar glaciei et ceræ, sed ita, ut eadem manente forma et substantia, ad novam perfectionem et gloriam reformentur et resurgant. Eosdem enim numero quoad substantiam mansuros cœlos et elementa, colligitur ex illo *Eccles.* I, 4: « Generatio præterit, et generatio advenit; terra autem in æternum stat. » Et cap. III, vers. 14: « Didici quod omnia opera quæ fecit Deus, perseverant in perpetuum. » Et *Psalm.* CXLVIII, 6: « Statuit ea in æternum et in sæculum sæculi : præceptum posuit, et non præteribit. » Hoc est quod diserte ait Apostolus *Rom.* VIII, 20 : « Vanitati enim creatura subjecta est non volens, sed propter eum qui subjecit eam in spe; quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis. » Eadem ergo creatura quæ nunc vanitati, id est passioni et corruptioni, subjecta servit homini, speratque ab ea liberari, cum homine resurgente liberabitur, et resurget ad gloriam, non alia : alioqui enim non esset resurrectio, sed alterius creaturæ creatio. Et Isaias, cap. XXX, vers. 26 : « Erit, ait, lux lunæ sicut lux solis, et lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum. » Manebit ergo eadem luna, idem sol, sed septuplo clarior; erit enim tunc novum gloriæ, felicitatis et æternitatis sæculum, cujus auctor erit Christus, qui proinde vocatur « pater futuri sæculi, » *Isaiæ* IX, 6.

Quare tunc cœli, sol, luna et stellæ non redibunt ad primævam abyssum fluidam, quæ creata est initio mundi, *Genes.* I, 1. Sic enim redirent ad suum rude et informe chaos, et miseriora essent quam modo sint; sed longe speciosiora, quam ex abysso formata sunt, resurgent, ut conformentur hominibus sanctis resurgentibus ad gloriam, eosque sua specie oblectent et beent. Hac ratione nihil detrahitur, sed potius additur Aristoteli. Ille enim solum naturam spectavit, juxta quam dixit cœlos esse incorruptibiles; quod verum est. Sed S. Scriptura præter naturam tradit Dei decretum, ac gratiam et gloriam, qua Deus supernaturaliter homines, et propter homines cœlos, totumque orbem reformabit et beabit : reformari autem nequit, nisi quod prius periit, id est, dissolutum aut liquatum est. Fides ergo hic corrigit, imo elevat naturam, ac S. Scriptura Philosophiam, ac Paulus Aristotelem informat et perficit. Denique liquari non est corrumpi : aurum enim liquando non corrumpitur, sed perficitur : sic cœli, licet incorruptibiles, liquabuntur, ut magis solidentur. Confirmantur hæc omnia per maculas et faculas, quas recentiores Mathematici per tubum opticum conspexerunt in sole et planetis, ipseque ego conspexi. Item per Mercurium, Venerem et Martem, qui circa solem assidue gyrare per eumdem tubum sunt deprehensi. Rursum, per novas duas stellas quæ circa Saturnum, et quatuor alias quæ circa Jovem per eumdem sunt visæ. Ad hæc per cometas qui supra lunam apparuerunt, qualis fuit nuperus anno Domini 1618, quem supra lunam exstitisse Mathematici ex ingenti ejus parallaxi, sive ex nulla aspectus mutatione in qualibet intuentium distantia asseverarunt. Insuper per novas stellas quæ in cœlo sidereo subinde apparuerunt et rursus disparuerunt, qualis apparuit in Cassiopœia, anno Domini 1572. Omitto *Josue*, cap X et XII, stetisse solem, eumque retroactum sub Ezechia, IV *Reg.* XX, 11, ac eclipsim inusitatam passum patiente Christo, *Matth.* XXVII, 45. Quæ omnia significant cœlos non omnino esse immutabiles et incorruptibiles, sed Deum ut suam in eis ostendat potentiam, ac herile jus et dominium, pro libito illos alterare et immutare, ac disponere et præparare ad ultimam plenamque immutationem, qua eos plane incorruptibiles ac immutabiles, imo gloriosos efficiet in omnem æternitatem; quare tunc perfectiores et solidiores quam modo, sint oportet. Hæc omnia videntur exigere verba Scripturæ toties et tam clare de cœlis immutandis, imo perituris, novisque faciendis iterata ab Isaia, S. Petro, S. Paulo, S. Joanne, Davide et aliis: illaque ad illorum explicationem et expletionem videntur sufficere, ut patet ea inter se conferenti. Vide S. Augustinum, lib. XXI *De Civit. Dei*, VIII, ubi narrat Dei nutu stellam Veneris miro portento mutasse colorem, magnitudinem, figuram, cursum ad stuporem Astrologorum. Idem, lib. *De Urbis excidio*, refert prodigium, quo ardente cœlo terraque tremente, Constantinopolitanæ urbi excidium Deus comminari videbatur, anno Domini 396. Denique si ignis agit Dei virtute in spiritus, puta in dæmones et animas damnatas, cur idem non agat eadem virtute in cœlos corporeos?

Ex dictis colligunt nonnulli (licet alii id negent) in fine mundi a Deo cœlos innovandos esse non tantum accidentaliter, sed et substantialiter. Hoc enim significat illud *Isai.* cap. LXV, vers. 17 : « Ecce creo cœlos novos et terram novam. » Et *Apocal.* XXI, 1 : « Vidi cœlum novum et terram novam. Primum enim cœlum et prima terra

abiit. » Sicut enim in resurrectione, licet idem numero homo resurrecturus sit, tamen is, ut videtur, substantialiter perfectior erit quam fuerit prius; accipiet enim novam substantialem perfectionem et unionem, qua anima intimius, arctius, perfectius, nobilius unietur corpori, quam ante fuerit unita, ita ut homo novus resurgat quasi homo cœlestis, gloriosus, impassibilis, immortalis; tam enim arcta erit unio animæ cum corpore, ut amplius solvi non possit, ita ut ex ea homo fiat immutabilis et incorruptibilis, qui antea erat mutabilis, mortalis, miser et corruptibilis; quare tunc perfectius esse accipiet, quod semper subsistere et durare possit, imo corrumpi aut alterari nequeat : idem proportionaliter fiet in cœlis. Ita inter alios docet D. Thomas, et ex eo D. Soto in IV, dist. XLIX, *Quæst.* IV, art. 5, ubi impassibilitatis et immortalitatis corporum beatorum causam intrinsecam dat, eorumdem perfectam cum anima unionem. Dos, inquit, impassibilitatis non est qualitas, sed ipsa animæ informatio perfecta et indissolubilis, quæ dat corpori esse perpetuum. Anima enim beata potens est corpus resurgens indissolubiliter informare, ad eum modum quo forma cœli suam informat materiam. Ita enim arcte alligat sibi potentiam materiæ, ut non sit amplius ulli alterationi aut passioni pervia, quæ a sua natura corpus distrahat. Adde quod anima tunc informans corpus, id ad quemdam spiritualitatis gradum elevabit, ut sibi ad nutum subdatur et serviat, juxta illud I *Corinth.* XV, 44 : « Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale, » uti explicat S. Augustinus, lib. XIII *De Civit.* cap. XX. Hæc D. Soto. Idem docet noster Salmeron in hunc S. Petri locum, Delrio in cap. I *Genes.*, et multi alii initio citati, quorum dicta Lectori expendenda et dijudicanda relinquo.

ELEMENTA VERO CALORE (græce καυσούμενα, id est *æstuantia*, hoc est, præ æstu et ardore, ut ait vers. 12) SOLVENTUR. — Per *elementa* accipe aerem inferiorem et aquam : nam de terra mox subdit eam esse exurendam. Ignis vero vel purgatione non eget, vel si in crassiore et fumosa sit materia, eam urendo et consumendo seipsum purgat et clarificat. « Elementa » ergo hic accipe media inter cœlum et terram, puta mare et aerem nobis vicinum, ex quibus omnia mixta conflantur et constant.

Porro τὸ *solventur* sic aliqui explicant, *q. d.* Corrumpentur, peribunt et evanescent. Ita Beda hic censet in die judicii peritura plane duo elementa, scilicet ignem et aquam, duo vero renovanda, scilicet aerem et terram. De qua idem docent Andreas Cæsariensis, Aretas, Anselmus, Haymo et Rupertus in *Apocal.* XXI, 1, ubi dicitur : « Et mare jam non est. » Verum alius illius loci est sensus. Quare longe verius est, elementa alteranda tantum esse ut mutentur in melius, non vero corrumpenda; pertinent enim omnia ad integritatem universi. « Solventur » ergo, id est, vi ignis extenuabuntur, et quasi liquabuntur, ut ab iis separentur vapores, fæces, exhalationes aliæque res crassæ et impuræ eis permixtæ; sicut in conflatorio solvitur aurum, dum vi ignis liquatur ut ab eo separentur scoria, æs omnisque alia impuritas ei commixta, ut purum putum restet et effulgeat aurum. Ita S. Thomas, Titelmannus, Cajetanus hic, et Doctores Scholastici in IV, dist. XLVIII.

An aqua et ignis evanescent?

TERRA AUTEM, ET QUÆ IN IPSA SUNT OPERA (tum a natura, tum arte ab hominibus facta, puta mixta omnia), EXURENTUR. — Hinc patet mixta omnia esse exurenda, ac in cinerem terramque convertenda, ut in primigenium sui elementum remeent et redeant. « Cum enim, ut docte ait noster Lessius loco jam citato, omnia illa ad usum temporalis vitæ hominum condita sint, cessante illa vita nulli erunt usui, ac proinde resolvenda sunt in sua principia ex quibus compacta, et suis elementis restituenda. Itaque exuretur terra profundissime, et omnia opera quæ in ea sunt; exurentur montes et montium fundamenta; dissolventur omnia saxa et metalla, et rupes instar ceræ liquescent; exuretur mare, ita ut consumatur quidquid in eo est terrenum vel concretum; denique exuretur quidquid in aere est materiæ inflammabilis. » Et paulo inferius : « De mari exurendo non habemus locum expressum : colligitur tamen ex verbis S. Petri, cum dicit : Elementa ignis calore solvenda. Est enim quid valde mixtum et impurum; unde debet dissolvi et purgari : facile erit Deo per ignem accendere et dissolvere quidquid in mari est inflammabile. Hinc, *Apoc.* XXI, facta renovatione mundi dicit Joannes : Et mare jam non est; non quod elementum aquæ sit abolendum (cum ad constitutionem mundi pertineat tanquam una ex principalibus ejus partibus), sed quia hoc mixtum quod proprie mare dicitur, non amplius erit; nec aqua, quæ est portio istius mixti, alveo eodem continebitur, ita ut speciem maris præbeat; sed erit limpida instar crystalli, terramque undique operiet, sicut tempore diluvii, ut multi volunt; vel si non totam operiat, alia ejus erit dispositio et forma quam modo sit, cum navigationi, et aliis usibus nostræ mortalitatis inservit. Hippolytus, oratione *De Consummatione sæculi* : Fluvius igneus, inquit, egrediens cum furore instar maris sævi, exuret montes et colles, et mare delebit, et æthera inflammatione dissolvet. Delebit mare; intellige non consumendo aquarum naturam, sed purgando, sicut dictum est; aget enim hic ignis non solum vi naturæ, sed ut instrumentum divinæ potentiæ : sicut ventus quo siccatæ sunt aquæ diluvii, *Genes.* VIII. Itaque non mirum si possit brevi tempore terram profundissime exurere, montes, saxa et metalla dissolvere, et in ipsis aquis quidquid admixtum est absumere. Fient hæc omnia incredibili fragore et strepitu, saxis ignitis et cinere in aerem altissime ejectis, flamma

fumo permixta in cœlum exeunte, torrentibus sulphuris, et liquatorum vi ardoris saxorum, passim decurrentibus. Si enim hæc omnia interdum in uno monte ardente fiunt, idque cum tanta elementorum perturbatione, ut mundus periturus videatur : quid fiet cum tot montes et tota terra ab imo ardebit? »

An paradisus exurendus? Ex dictis patet improbabile esse quod censet Moses Barcepha, lib. *De Parad.*, cap. XVIII, nimirum paradisum terrestrem ab igne conflagrationis mundi fore immunem, quamvis vacuum et nulli usui futurum; nam paradisus aquis diluvii obrutus interiit. Minus male dicunt alii paradisum servandum esse parvulis, ut post judicium in eo degant per omnem æternitatem. Sed et hi errant; tota enim terra et omnia quæ in ea sunt exurentur, uti significat hic S. Petrus.

Lignum crucis ab igne intactum. Porro lignum crucis Christi ab hoc igne fore immune, illudque quasi triumphale Christi trophæum cœlis esse inferendum canit Sibylla, lib. VI *Carm.*, dicens :

> O lignum felix, in quo Deus ipse pependit!
> Nec te terra capit, sed cœli signa videbis
> Cum renovata Dei facies ignita micabit.

Idem innuit Christus *Matth.* XXIV, 13 : « Tunc parebit signum Filii hominis, » quod licet Abulensis et Jansenius, ac Anselmus in *Elucid.*, accipiant de signo crucis in aere picto, tamen de ipsissima Christi cruce exponit S. Chrysostomus, hom. *De Cruce et latrone*; Waldensis, tom. III *De Sacram.*, tit. 20, cap. CLVIII. Idque innuunt S. Cyrillus; *Catechesi* 13, et S. Ephrem, serm. *De Vera pœnit.*, cap. IV. Ac probabile esse censent Gretserus, lib. I *De Cruce*, cap. XCII, et Suarez, III *part.*, tom. II, disp. LVII, sect. 2.

Moraliter cor a terra avellendum. Moraliter, hinc disce nulli rei terrenæ cor tuum affigere, quia omnis illa exurenda est in die judicii : igne enim conflagrationis exurentur omnes flores, omnes gemmæ, omne aurum, omnia metalla, omnes equi, omnia jumenta, omnia animalia, omnes plantæ, omnes arbores, omnes horti, omnia palatia, omnes picturæ, omnes agri, omnes libri, etiam S. Augustini, S. Ambrosii, S. Basilii, quin et S. Scripturæ omnes Bibliothecæ. Et si ita ardebunt res inanimæ et insensibiles quæ culpa carent, quomodo ardebunt cupiditas et voluntas hominis tot culpis inquinata et scatens? Ite nunc, mortales, ædificate palatia, hortos adornate, aurum sine fine congerite, deliciis affluite. Hæc omnia vobiscum brevi exuret ignis ille divinus : « Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis. »

Vers. 11. 11. CUM IGITUR HÆC OMNIA DISSOLVENDA SINT, QUALES OPORTET VOS ESSE IN SANCTIS CONVERSATIONIBUS ET PIETATIBUS. — Est conclusio, qua acrem adhibet fidelibus stimulum ad Christianam vitam ac pietatem, omnemque virtutem et studium bonorum operum.

Vers. 12. 12. EXSPECTANTES ET PROPERANTES IN ADVENTUM DIEI DOMINI. — S. Augustinus, *De Fide et Operib.*, cap. XIV, legit, « ad præsentiam diei Domini, » quasi hunc unum spectantes, hoc unum agentes. « Qui enim unum quid mature transigit, is properat; qui multa simul incipit neque perficit, is festinat, » ait Agellius. Hoc est enim unum illud, quod necessarium asserit Christus Marthæ, *Lucæ* cap. X, vers. 42. Nam hoc uno adepto, omnia adipiscimur; uno hoc perdito, omnia perdimus. Ita ad diem Domini properabat S. Joannes, utpote sibi bene conscius et avidissimus ut suo Jesu frueretur : « Veni, inquit, Domine Jesu, » *Apoc.* cap. ultimo. Hoc est quod quotidie ex præscripto Christi oramus : « Adveniat regnum tuum. » Causam dat S. Augustinus in *Psalm.* LXVI : « Gaudere judicandum, qui timuerit judicaturum. » Idem exemplum dat seipsum ante conversionem, lib. VI *Confess.*, cap. ult. : « Nec me revocabat, inquit, a profundiore voluptatum carnalium gurgite, nisi metus mortis et futuri judicii, qui per varias quidem opiniones, nunquam tamen recessit de pectore meo. Et disputabam cum amicis meis Alipio et Nebridio de finibus bonorum et malorum : Epicurum accepturum fuisse palmam in animo meo, nisi ego credidissem post mortem restare animæ vitam et fructus meritorum, quod Epicurus credere noluit. » Nam, ut ait Paulus, II *Tim.* cap. IV, vers. 8 : « Justitiæ corona reposita est iis, qui diligunt adventum ejus. » Quo loco Anselmus : « Adventum judicis, inquit, non diligunt, nisi qui in causa sua habere se justitiæ meritum sciunt. » Et Theodoretus : « Amat Domini adventum, qui illius leges sequitur, et ex illis vitam instituit. »

Præparatio ad adventum Christi.

Quærit autem S. Chrysostomus quonam modo quis diligat adventum Christi? et respondet : « Si de ejus præsentia gaudet; qui vero in ejus gaudet præsentia, digna gaudio facit; opes omnes, si opus sit, atque ipsam animam ponet ut bonis fruatur æternis, ut secundum ipsius adventum congruo habitu mereatur aspicere cum fiducia, cum gloria, cum claritate : hoc est diligere adventum ejus. Qui illius adventum diligit, omnia faciet ut ante universalem illum, singularis fiat ad eum quidam Salvatoris adventus. Quis vero iste est? audi dicentem ipsum Dominum nostrum : Qui diligit me, mandata mea servabit, et veniemus ego et Pater, et mansionem apud eum faciemus. »

Quin et Seneca *ad Martiam*, cap. XXIII : « Sapientis, ait, animus totus in mortem prominet : hoc vult, hoc meditatur, hac semper cupidine fertur in exteriora tendens. » Et Plato in *Gorgia*, quem citat Theodoretus, lib. XI *De Curand. Græcorum affect.* : « Rhadamanthus (quem Gentiles credebant esse judicem mortuorum), inquit, nihil sane aliud hominis novit, neque quis sit ille, neque ex quibus parentibus ortus, sed solum curat malus-ne ille sit : quod ubi comperit, ad Tartarum eum demittit; animam vero conspica-

Platonis præparatio ad judicium.

tus quæ sancte vitam peregerit, idiotæque aut alterius qui veritatem coluerit, Philosophi præsertim animam nactus, qui soli sibi vacaverit, neque multarum præterea rerum in vita sollicitus fuerit, amanter illam excipit, atque ad beatorum insulas mittit. » Unde refert Plato : « Mihi quidem, o Callicles, his rationibus persuasum plane jam est, idque unum maxime aspicio, ut quam sanissimam animam judici Rhadamantho ostendam. Missas igitur faciens quas multi appetunt dignitates, veritatique incumbens curabo, ut quantum in me sit, quam optimus homo vivam ; cumque mihi moriendum sit, mori homo quam optimus. » Et mox quemlibet ad idem studium adhortans : « Neque enim, ait, tibi ipsi ullas afferre poteris suppetias, cum tibi causa ibi fuerit, statueturque judicium; sed cum veneris in conspectum judicis, hiabis attonitus, tenebrasque et vertiginem patieris, » etc. Si hæc Plato, quid faciet Christianus?

Davidis. Hæc profunde meditans regius Propheta *Psalm.* LXXVI, 6 : « Cogitavi, inquit, dies antiquos, et annos æternos in mente habui. Et meditatus sum nocte cum corde meo, et exercitabar, et scopebam spiritum meum. » Alii legunt *scopabam*, id est, variis cogitationibus et meditationibus quasi verrebam, versabam, excutiebam : vel a scopo, *q. d.* Ad scopum suum dirigebam : ita Genebrardus Hebræa; unde Symmachus vertit, *rimabar;* S. Augustinus et Theodoretus, *scrutabar;* Romanum Psalterium, *ventilabam;* S. Hieronymus ad Suniam, *sarriebam,* uti sarculo ex agro eruuntur herbæ inutiles et noxiæ ; idem S. Hieronymus in *Psalterio* vertit, *fodiebam tanquam agrum ut ibi mitterem semen doctrinarum Domini ;* Aquila, *scalpebam;* Chaldæus, *pervestigabam;* alii, *vexabam spiritum meum.* Hæc omnia significant exactum, profundum et frequentem retractatum, discussionem et examen cogitationum et operum quod faciebat regius Propheta, et quilibet justus parans se ad mortem et diem Domini quotidie facere debet.

S. Basilii. Quocirca S. Basilius in *Psalm.* XXXIII : « Si quando, ait, senseris te ad peccatum incitari, ad mentem revoca formidabile illud, nec ulli mortalium tolerabile Christi judicium, in quo quidem judex præsidet in alto throno, astabit autem omnis creatura pertrepida et intremiscens ; eo singuli quoque sistentur, de his examinandi quæ quisque gessit in vivis. Deinde eos qui mala perpetrarunt, horrendi quidem et tristes circumstabunt ignem spirantes, vultum præ se ferentes nocti assimilem præ mœrore et hominum odio. Subinconspicient barathrum in imum patens, tenebras impermeabiles, ignemque obscurum, urendi quidem vim habentem, luce autem destitutum. »

PER QUEM COELI ARDENTES SOLVENTUR. — « Cœlos » intellige inferiores, puta aereos. Superior enim aeris pars pingui vapore et halitu inflammabili plena est, ait S. Augustinus XX *De Civit.*, XVIII. Addunt alii cœlos etiam superiores, puta sidereos (hi enim proprie vocantur cœli, præsertim cum ab elementis distinguuntur, uti hic fit), quos æthereos et ætherem esse, ideoque inflammari posse et debere arbitrantur, ut superius dixi. Ita Serarius hic nervose contendit igne exurendos esse, *primo*, cœlos sidereos; *secundo*, aerem; *tertio*, aquam; *quarto*, terram, ita ut hæc quatuor quoad substantiam, puta formam, intereant, solaque supersit eorum materia cum igne devorante et cœlo empyreo. Vide dicta vers. 10.

ET ELEMENTA IGNIS ARDORE (καυσούμενα, id est *æstuantia*) TABESCENT, — τηκήσεται, id est, liquescent instar metalli in fornace liquati, ut dixi vers. 10. S. Augustinus loco citato legit : « Ardore ignis decoquentur. » Sicut enim aurum in conflatorio tabescit, id est liquatur et extenuatur, ut ab eo omnis fæx et materia extranea abradatur, illudque purius et splendidius evadat : ita et tabescet, id est extenuabitur aer et æther, ut omnes exhalationes et fæces abradantur, illeque purior et splendidior enitescat. Nam sicut per resurrectionem corpora hominum non mutabuntur in aliam substantiam aut corpus, sed quasi per fornacem colabuntur et ab omni corruptione purgabuntur, itaque quasi coquentur ut sint æterna : ita plane fiet toti mundo per ignem conflagrationis. Scriptura enim mundum dicit fore æternum, *Psal.* XCII, vers. 2, et *Psalm.* CXVIII, 89; atque ita explicat et conciliat hæc loca Psaltes *Psalm.* CI, 27 et 28; unde et hic, vers. 13, S. Petrus ait cœlos innovandos, id est, non substantia, sed qualitate tantum et perfectione fore immutandos. Idem docet S. Paulus, *Rom.* VIII, 21. Atque eodem modo paulo ante, vers. 6, dixit S. Petrus mundum diluvio periisse, cum tamen substantia mundi diluvio non perierit, sed tantum ejus species et decor. Ita S. Augustinus, XX *De Civit.*, XVI et XVIII ; S. Hieronymus in cap. XVIII *Isaiæ*, et alii. Per *elementa* accipe terram, aquam et aerem eis vicinum; superior enim aeris regio cœlis vicina cœlorum nomine comprehendi videtur, uti dixi vers. 7.

13. NOVOS VERO COELOS, — tum sidereos, tum aerios; « novos, » ut Sanctorum novitatem et gloriam repræsentent, ait Œcumenius : « novos, » inquam, vel quoad substantiam, ut multi volunt citati vers. 10; vel potius secundum qualitatem : « Quia lux lunæ erit sicut lux solis, et lux solis septempliciter sicut lux septem dierum, » ait *Isaias*, XXX, 26. Idem proportionaliter accidet cæteris stellis ipsisque cœlis. Ita S. Gregorius, lib. XVII *Moral.*, cap. III : « Utraque hæc (cœlum et terra), inquit, per eam quam nunc habent imaginem transeunt, sed tamen per essentiam sine fine subsistunt. » Figura enim mundi, id est imago, transibit, non substantia, ait S. Augustinus, vel potius Gennadius *De Eccles. dogmat.*, cap. LXX. Dicit ergo S. Petrus ad consolandos animandosque fideles, tot ærumnis et mortibus exagitatos, ut cogitantes revirescentes veteris mundi in novis cœlis exuvias, meminerint Sanctis pariter damna fugientis vitæ in immortalitatis lucra converti, ac Vers. 13.

cum novis cœlis novum exspectent corpus beatum et gloriosum.

Ad cœlum suspirabat Simeon Stylites.

Quocirca hos cœlos novos continuo suspexerunt, et ad eos aspirarunt omnes Sancti. Celebris fuit Simeon Stylites, qui stetit in columna usque ad extremum senium, eique pedem ferrea catena astrinxit. Causam dat Theodoretus oculatus testis in ejus Vita, puta in *Philotheo*, cap. XX : « In ea, ait, degit cœlum assidue visione apprehendens, et ut ea quæ sunt super cœlos contemplaretur, sibi vim afferens ; mentis enim volatum non impediebat ferri vinculum. » Et inferius : ut se magis ab hominum consortio et contactu abduceret, « primum, inquit, jussit ædificari columnam sex cubitorum, deinde duodecim, postea autem viginti, nunc autem sex et triginta ; cupit enim in cœlum evolare et ab hac terrena conversatione liberari. » Et sub finem : « Accepit etiam doctrinæ donum, et bis quotidie facit admonitiones, jubens in cœlum suspicere et evolare, et a terra discedere, et regnum quod exspectatur visione apprehendere, et gehennæ minas timere, et terrena contemnere, et futura exspectare. »

S. Mechtildis.

Mirum est quod de S. Mechtilde scribit Ludovicus Blosius in append. *De Quatuor sanctis feminis* : « S. virgo Mechtildis, inquit, cum feria quarta post diem Paschæ in Missa inchoaretur : Venite, benedicti Patris mei, ipsa ingenti et insolita lætitia repleta dixit ad Dominum : O si una essem ex illis benedictis, qui hanc dulcissimam tuam vocem audituri sunt ! Et Dominus ad eam : Certo scias, te unam ex illis esse, et ut nihil dubites, ecce ego do tibi cor meum in pignus amoris, et in domum refugii, ut semper maximeque in hora mortis tuæ consolationem et requiem in eo invenias. Ab eo tempore cœpit mira devotione erga cor Jesu affici. Unde et frequenter dicebat : Si scribi deberent omnia bona quæ a benignissimo corde Domini mei accepi, nullo quamlibet grandi volumine scribi possent. Instante autem hora mortis Dominus Jesus eam lumine divinitatis suæ totam illustrans, blanda voce invitavit his verbis : Veni, benedicta Patris mei, posside paratum tibi regnum a constitutione mundi. Igitur beata illa anima expirans in cœlum ad suavissimum Jesu cor evolavit. »

Quocirca viri timorati et sancti quotidie crescunt et proficiunt in abdicatione rerum temporalium et studio cœlestium, ut hac quasi scala Jacob (*Genes.* XXVIII, 12) in cœlum conscendant, juxta illud Davidis *Psalm.* LXXXIII, 5 : « Beati qui habitant in domo tua, Domine : in sæcula sæculorum laudabunt te. Beatus vir cujus est auxilium abs te : ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum, in loco quem posuit. Etenim benedictionem dabit legislator ; ibunt de virtute in virtutem ; videbitur Deus deorum in Sion. » Id

Et Polychronius.

fecit magnus ille Polychronius, de quo Theodoretus in *Philotheo*, cap. XXIV : « Est, inquit, divino incensus desiderio, et est terrenis omnibus superior, et corpori alligatus mentem habet alatam, et quæ fertur in sublime, aeremque trajicit et ætherem, et cœlis fit sublimior, et perpetuo divinam visione apprehendit contemplationem ; nec potest illinc unquam mentem detrahere ; quin etiam cum iis qui adveniunt colloquens, superna mente peragrat. »

ET NOVAM TERRAM, — novo decore, puritate et fulgore splendentem, ut cum Sanctis, quibus servivit, quasi glorificetur, eorumque oculos mentesque oblectet. Paludanus in IV, dist. XLVIII, Quæst. I, censet quod hic fulgor terram pervadet et pertinget usque ad limbum puerorum, eorumque oculos et corpora postquam resurrexerint, illuminabit et recreabit ; alioqui enim ipsi velut cæci in perpetuis degerent tenebris. Alii, ut Catharinus et Salmeron, hic censent pueros hosce futuros in terra quasi in quodam paradiso terrestri, ideoque perficiendos in cognitione naturali, ut Philosophos omnes superent, contemplaturos Deum in suis creaturis, eumque amaturos et laudaturos, quin et visitatione ac revelationibus angelorum gavisuros. Sed falluntur, dum eos censent fore beatos beatitudine naturali ; cum enim damnandi sint pœna damni (licet non sensus), puta carentia visionis beatificæ, ad quam creati erant, uti contra Pelagianos docet S. Augustinus, *hæres.* 88, *epist.* 106, lib. I *De Peccat. merit.*, cap. XXIII, et alibi : damnati dicendi sunt potius quam beati. Cæteroqui probabile est eos in terra vitam commodam acturos. Nam limbus puerorum eorum corpora, quæ resument in die judicii, non capiet : erunt enim facile mille milliones parvulorum, qui toto orbe per tot sæcula sine baptismo mortui erunt in peccato originali. Adde tot corpora ibi naturaliter esse non posse sine mœrore et pœna sensus (quam tamen parvulis communiter adimunt Theologi) ; hanc enim causaret loci obscuritas, conclusio, depressio, squalor, angustiæ, etc. Recte enim ait Tobias, V, 12 : « Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, et lumen cœli non video ? » Vide Lessium *De Attribut. divin.*, lib. XIII, cap. XXIII, ubi ex S. Thoma, Scoto, Marsilio, D. Soto aliisque Scholasticis, docet parvulos hosce comparituros in judicio universali, excepturos pœnam damni, sed perficiendos in intellectu, voluntate, aliisque naturæ facultatibus (erit enim tunc communis totius naturæ renovatio et instauratio), ut contenti et læti in omnem æternitatem concorditer et amice vivant, ac Deum ament et laudent, quod se a peccato actuali et gehenna præservarit, tantisque naturæ donis ornarit, ut res creatas, ac præsertim animæ suæ excellentiam, æque ac angelorum contemplari valeant, indeque Creatorem admirari et glorificare ; alioqui enim essent otiosi per omnem æternitatem. Nec enim credendum est Deum tot milliones animarum velle esse semper in otio, et quasi frustra in orbe. Si enim, ut passim docent Doctores in II, dist. XXXIII, quos citat et sequitur Gabriel Vasquez,

Parvuli in peccato originali mortui ubi et qualiter vivent ?

I II, disp. 134, cap. III, parvuli, Deo ita providente, non sentient mœrorem ob amissionem regni cœlestis, eo quod illud sua culpa non amiserint: cur non credamus eos in communi totius orbis instauratione pariter perficiendos in ordine bonorum naturalium, ut Deum cognoscere, amare et laudare valeant, itaque vitam quietam et jucundam agant? Hæc Lessius, eaque multis rationibus confirmat. Quæ si vera sunt, quis locus parvulis hisce aptior erit quam terra? utpote in qua solem, cœlos, astra, mare cæteraque creata intueri et contemplari poterunt, ex iisque Deum amare et laudare.

Dices, *Job* XXVI, 10, dicitur : « Terminum circumdedit aquis, usque dum finiantur lux et tenebræ, » id est, vicissitudo diei et noctis; ergo ea cessante, uti cessabit in die judicii, aquæ excedent suos terminos, rursumque operient terram, uti operuerunt in mundi primordio; itaque futurum censent probabiliter S. Bonaventura, D. Soto in IV, dist. XLVII, *Quæst.* II, art. 4, et alii. Sed responderi potest, *primo*, τὸ *usque dum finiantur lux et tenebræ*, esse proverbium, significans idem quod semper et perpetuo. Sic enim explicat *Jeremias*, cap. V, vers. 22, dicens : « Qui posuit arenam terminum mari, præceptum sempiternum quod non præteribit; » alioqui enim terra aquis operta esset invisibilis, et ad primum chaos rediret, ex quo a Deo fuit educta die tertia mundi, cum discooperta fuit et ab aquis separata, *Genes.* I, 9, tuncque suam formam et decorem accepit. *Secundo*, dici potest quod mare in fine mundi multas rursum terras operiet, at non omnes; saltem parvulis locum vacuum relinquet. Ut ut est, Deo facile erit parvulis resurgentibus locum congruum sive in terra, sive sub terra, sive ubi ei libuerit, instruere et aptare.

Porro Guilielmus Parisiensis apud Dionysium Carthusianum in IV, dist. XLVII, asserit viros sapientissimos censere, quod post diem judicii et conflagrationem mundi terra rursum floribus, gemmis, arboribus, fontibus aliisque similibus ornamentis sit vestienda, tum ad ejus mundique decorem, tum ad Sanctorum oblectationem, tum ad parvulorum sine baptismo defunctorum, qui in ea degent, recreationem. Idem censent Catharinus hic, Picus Mirandullus in *Heptaplo*, Abulensis in cap. XXV *S. Matth.*, Quæst. DXLII et DXLVIII, ac Serarius in *Judith*, cap. XVI, Quæst. II. Audi Anselmum in *Elucidario* : « Terra, inquit, quæ in gremio suo corpus Domini confovit, tota erit ut paradisus, et quia Sanctorum sanguine est irrigata, odoriferis floribus, rosis, violis immarcescibiliter erit perpetuo decorata. » Alii tamen, ut Œcumenius, idipsum negant.

SECUNDUM PROMISSA EJUS EXSPECTAMUS. — Novos enim cœlos novamque terram promisit Deus, *Isai.* LXIII, 17, et cap. LXVI, vers. 22, et cap. LXIV, vers. 4 : « Oculus, inquit, non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti exspectantibus te; » quo alludit S. Petrus, ideoque ait : « Exspectamus. » Rursum Christus sæpe suis promittit regnum cœlorum; hoc autem erit in cœlis novis. Denique S. Joannes, *Apocal.* XXI, 1, promittit cœlos novos et terram novam, sed post S. Petrum; post hanc enim epistolam scripta est a S. Joanne *Apocalypsis*. « Grandis audaciæ puræque conscientiæ est regnum Dei postulare, et judicium Dei non timere, » ait S. Hieronymus in cap. VI *Matth.*

IN QUIBUS JUSTITIA HABITAT. — Quænam justitia? omisso errore Origenis, I *Periarchon.*, cap. VII, qui Platonem secutus cœlis animam et mentem, ac consequenter peccatum, justitiam et sanctitatem tribuit : *primo*, Philippus Solitarius, lib. III *Dioptræ*, cap. VI, per *justitiam* accipit Deum; hic enim quasi sol justitiæ in cœlis novis habitabit.

Secundo et melius, *q. d.* In cœlis hisce nostris habitat misericordia tolerans peccatores; in cœlis vero novis habitabit justitia, quæ non admittet quidquam coinquinatum in illas ingredi, *Apocal.* XXI, 27. Rursum justitia divina cuique vel in cœlis novis, vel in terra nova assignabit pro meritis locum ad præmium; vel pœnam, eumque constantem et perpetuum absque ulla mutationis spe vel metu : nam Sanctis assignabit cœlum, impiis infernum, pueris in peccato originali decedentibus terram. Hoc est quod Cyrillus, lib. III *in Genes.*, ait Christum omni maledictione terram liberaturum, cum dabit cœlos novos et terram novam; et, ut ait S. Ambrosius, lib. V, *epist.* 21, tunc omnia creata quæ prius fuerunt instrumenta flagitiorum, iis exstinctis, quantum in ipsis est, pietatem et justitiam colent, quæ idcirco dicitur in iis habitare. Hinc aliqui per catachresin per *justitiam* accipiunt mundi innovationem, splendorem et decorem. Hic enim congruit justitiæ ac mundo jam a peccatis et peccatoribus expiato, ideoque quasi justo et sancto. Ita S. Ambrosius loco citato.

Tertio, simpliciter et plane, « justitia, » id est sanctitas, puta justi et sancti, *q. d.* Mundus hic vetus instaurationem exspectans omnium scelerum est officina et sentina : at mundus per Christum judicem innovatus, exclusis et in tartara relegatis sceleribus et sceleratis, erit duntaxat locus et sedes justitiæ ac justorum et sanctorum; hi enim erunt incolæ et domini novi cœli et novæ terræ : tunc enim Deus erit omnia in omnibus, I *Corinth.* XV, 28.

Mystice, cœli novi et terra nova, sed animata, sunt sancti; in his enim habitat justitia, omnisque virtus et sanctitas, juxta illud : « Cœli enarrant gloriam Dei. In omnem terram exivit sonus eorum, » *Psalm.* XVIII, vers. 1 et 5; quod de Apostolis mystice explicat S. Paulus, *Rom.* X, 18.

14. PROPTER QUOD, CHARISSIMI, HÆC EXSPECTANTES, SATAGITE (σπουδάσατε, id est, omni studio, omni cura, omnibus viribus et nervis contendite) IMMACULATI (ἄσπιλοι, id est, *sine macula*, scilicet graviori et mortali : nam omnes veniales in hac

vita cavere est impossibile) ET INVIOLATI (ἀμώμητοι, id est *irreprehensibiles*) INVENIRI EI. — Nam, ut ait S. Paulus, *Ephes.* I, 4 : « Elegit nos in ipso (Christo) ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate. » Et *Coloss.* I, 22 : « Reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem exhibere nos sanctos, et immaculatos, et irreprehensibiles coram ipso. » Præclare S. Bernadus, *De Triplici Jud.* : « Debet, ait, quisque quantum potest se irreprehensibilem exhibere, primum quidem coram Deo, sed deinde etiam coram hominibus. » Tum allatis S. Petri verbis subjicit : « Tribus siquidem modis providemus bona coram hominibus, id est habitu, actione, sermone. Habitu ne sit notabilis, actione ne sit reprehensibilis, sermone ne sit contemptibilis. Tribus etiam modis coram Deo, cogitatione, affectione et intentione; nam et cogitatio debet esse sancta. Unde scriptum est : Cogitatio sancta servabit te; et affectio pura et intentio recta. Sunt autem tria ista, id est, cogitatio, affectio, intentio in anima; sed in ea quoque propriis singula locis distincta videntur. Nam cogitatio in memoria est, affectio in voluntate, intentio in ratione. »

Nota τὸ *ei*, cum ait, « inveniri ei, » *q. d. Primo*, « ei, » id est, ab ipso quem nihil latet. *Secundo*, « ei, » id est, in judicio ipsius, quod falli nequit, quodque nemo potest evadere. *Tertio*, « ei, » id est, in conspectu ejus qui omnia præsens intuetur. *Quarto*, « ei, » id est, ad honorem et gloriam illius, ut illi placeatis, non hominibus; ut illius honorem promoveatis, non vestrum; ut ab illo præmium et gloriam recipiatis, non a mundi principibus. Ita Deus Abrahæ perfectionis ideam præscribens : « Ambula, ait, coram me, et esto perfectus; » Septuaginta : « Place in conspectu meo, et esto inculpabilis seu irreprehensibilis. » S. Augustinus, lib. XVI *De Civit.*, cap. XXVI, legit absolute : « Place, et esto sine querela. » Cum simile Thaletis Milesii monitum recitasset Tullius, lib. III *De Legibus*, nimirum assidue volutandum animo esse, non solum facta atque dicta, verum etiam cogitata divinis oculis patere, præclare adjecit : « Omnem virtutis Philosophiam hoc uno verbo Thales complexus est. » Addit explicatius Valerius Maximus, lib. VII, cap. II, § 7 : « Ut non solum manus, sed etiam mentes puras habere vellemus, cum secretis cogitationibus nostris cœleste numen adesse credidissemus. » Ita Jacob patriarcha moriturus benedicens filiis Joseph, ait : « Deus in cujus conspectu ambulaverunt patres mei; » Septuaginta : « Deus, cui placuerunt patres mei in conspectu ejus. » Ita David, *Psal.* CXIV, 9 : « Placebo, ait, Domino in regione vivorum; » hebraice, *ambulabo coram Domino in terra viventium*. Ita Abel « in omnibus quæcumque gerebat, Deum putabat esse præsentem, » ait Josephus, I *Antiq.* IV. Ita Henoc « ambulavit cum Deo; » Septuaginta, *beneplacuit Deo*, *Gen.* V, 24. Quidni placeat Deo, qui ita vivit, ut cogitet semper Deum sibi esse præsentem? Ita « Noe vir justus atque perfectus cum Deo ambulavit; » Septuaginta, *placuit Deo*, *Genes.* VI, 9. Ita Abraham : « Dominus, ait, in cujus conspectu ambulo; » Septuaginta, *Dominus Deus, cui placui ante ipsum*. Seneca Gentili Lucilo hoc vitæ honestæ dat consilium, *epist.* 25 : « Sic vive, tanquam sub alicujus boni viri, ac semper præsentis oculis. » Pientius S. Augustinus, *Soliloq.*, cap. XIV, Christianis hunc sanctæ vitæ dat stimulum : « Magna nobis est indita necessitas juste recteque vivendi, qui cuncta facimus ante oculos Judicis cuncta cernentis. »

Moral. de Dei præsentia.

Addit S. Petrus τὸ *in pace*, ut scilicet existentes immaculati et inviolati, *primo*, pacem habeatis cum Deo, cum proximo et cum propria conscientia : magnum enim bonum est pax conscientiæ, qua anima, domitis passionibus, tranquilla est, suique regina et domina. Unde hæc pax exsuperat omnem sensum, et custodit corda et intelligentias nostras, ait S. Paulus, *Philipp.* IV, 7. Vide ibi dicta. *Secundo*, ut adventum Domini, mortem scilicet et judicium, vobis bene conscii exspectetis animo pacato, sereno, hilari et fidenti; hæc ergo pax est effectus et præmium immaculatæ et inviolatæ mentis.

Antistropha huic S. Petri sententiæ est illa S. Pauli monentis Titum, cap. II, vers. 12 : « Ut abnegantes impietatem et sæcularia desideria, sobrie et juste et pie vivamus in hoc sæculo, exspectantes beatam spem et adventum gloriæ magni Dei. » Et illa, II *Corinth.* VII, 1 : « Has ergo habentes promissiones, charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei, » etc. Uterque vero eam accepit et didicit a Christo dicente et docente, *Lucæ* cap. XII, vers. 35 : « Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris, et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum. » Ubi vide S. Gregorium, S. Augustinum et S. Ambrosium. Anterius idem monuerat, *Ecclesiasti.* cap. XVIII, 19, dicens : « Ante judicium interroga teipsum, et in conspectu Dei invenies propitiationem. » Et : « Ne verearis usque ad mortem justificari, quoniam merces Dei manet in æternum. » Quin et Salomon : « In omnibus viis tuis, ait, cogita illum, et ipse diriget gressus tuos, » *Proverb.* cap. III, 6. Et Tobias ad filium, cap. IV, 6 : « Omnibus, ait, diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum. » Et David, *Psal.* XVII, 13 : « Quoniam omnia judicia ejus in conspectu meo, et justitias ejus non repuli a me; et ero immaculatus cum eo, et observabo me ab iniquitate mea. » Et Michæas, cap. VI, vers. 8 : « Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te, utique facere judicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo. » S. Ignatius quoque *ad Heronem* : « Memento, ait, Dei, et non peccabis. » Et Clemens Alexandrinus, III *Pædag.*, cap. V : « Hac so-

lum ratione fit ut quis nunquam labatur, si Deum semper sibi adesse existimet. »

15. ET DOMINI NOSTRI LONGANIMITATEM SALUTEM ARBITRAMINI. — *q. d.* Hortatus sum vos, ut sancte vivendo exspectetis et desideretis adventum Domini; interim tamen nolo vos queri de ejus tarditate, ac dicere : « Tardat Dominus promissionem suam, » vers. 9. Sed potius arbitrari; sentire et existimare quod hæc ejus longanimitas protendatur, nobisque exhibeatur ad salutem, tum nostram, tum malorum aliorum, ut scilicet omnes a peccatis resipiscant, aut certe virtutes et merita bonorum operum accumulent, quorum coronas et præmia æterna a Christo judice accipient : sicut de facto hæc Dei longanimitas multis est saluti, qui alioqui periissent, adeoque per eam completur omnis Sanctorum et electorum numerus.

SICUT ET CHARISSIMUS FRATER NOSTER PAULUS SECUNDUM DATAM SIBI SAPIENTIAM SCRIPSIT VOBIS, — commendans tum Dei longanimitatem peccatores exspectantem ad pœnitentiam, tum puritatem vitæ, fidem, spem, etc., quæ hac epistola vobis commendavi. Id facit Paulus, tum epist. *ad Rom.*, cap. II, vers. 4 : « An ignoras, ait, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? » ita Œcumenius; tum epist. I *ad Corinth.*, cap. III et XII, sed præsertim epist. *ad Hebr.*, III, VI et X, vers. 36, ubi Dei longanimitatem nobis debere esse saluti hisce verbis significat : « Patientia, ait, vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes reportetis repromissionem. Adhuc enim modicum aliquantulum qui venturus est veniet, et non tardabit; justus autem meus ex fide vivit. » Cum enim ait Petrus : « Scripsit vobis, » videtur denotare Hebræos; ad Hebræos enim præcipue scripta est hæc S. Petri epistola, utpote quorum ipse quasi Christi successor et vicarius, propriam sibi curam assumpserat. Ita Catharinus, Salmeron et alii hic, ac Baronius, anno Christi 60, et Bellarminus, lib. I *De Verbo Dei*, cap. XVII. Nota hic charitatem et unionem S. Petri cum S. Paulo, cui tam luculentum sapientiæ divinæ dat elogium et testimonium; ex quo sane S. Paulo ejusque epistolis magna accessit auctoritas. S. Petri enim et summorum Pontificum ejus successorum est, Canonicas Scripturas a non Canonicis secernere, probare et definire. S. Petri judicium secutus S. Dionynius Areopagita, cap. II et VII *De Divin. Nomin.*, S. Paulum vocat solem, perfectorem, ducem et sapientiæ abyssum, ab eoque se suam Cœlestem et Ecclesiasticam Hierarchiam accepisse testatur. Et S. Hieronymus, epist. 61 *ad Pammachium*, S. Paulum ejusque vocem vocat « vas electionis, tubam Evangelii, rugitum leonis nostri, flumen eloquentiæ Christianæ. » S. Augustinus in *Psal.* CXLVII : « Nihil, ait, nobis isto viro notius, nihil suavius, nihil in Scriptura familiarius est. » Nazianzenus, *orat.* 33, Paulum vocat discipulum piscatorum (Apostolorum) simul et magistrum. Vide dicta Proœmio in S. Paulum, ubi sapientiam aliasque dotes S. Pauli multis demonstravi.

Moraliter : Mirare hic et imitare candorem, humilitatem, integritatem et charitatem S. Petri, qui divini honoris studiosus, sui negligens, adeo dilaudat, imo canonizat Epistolas S. Pauli, cum tamen sciret in iis se taxari, suumque errorem et lapsum toti orbi propalari; nam, *Galat.*, II, 11, de eo sic scribit S. Paulus : « Cum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat, » etc. Notent hoc doctores et Scriptores, qui aliorum dicta et scripta suis contraria vituperant, impugnant, lacerant. Notent et discipuli qui suos antagonistas supplantare satagunt, qua in re magis se quam suos æmulos infamant; produnt enim suam superbiam, invidiam, odium, immodestiam, insipientiam. Quanto satius acerbius contra se dicta dissimularent, et silentio premerent? sic enim se sapientes, magnanimos, Christianos, religiosos ostenderent, horum enim decus in unica virtute consistit.

16. IN QUIBUS SUNT QUÆDAM DIFFICILIA INTELLECTU. — Græcum ἐν αἷς, est masculinum; unde non potest referre Epistolas, utpote generis feminini, sed ipsa dicta et scripta, sive ea quæ scripsit Paulus, in quibus sunt multa difficilia. Unde liquet contra Calvinum et Lutherum, Scripturas non esse faciles, et cuique etiam idiotæ perspicuas. Respondet Calvinus, ejusque hyperaspistes Beza, τὸ ἐν αἷς referri ad τούτων, quod præcessit, puta ad res de quibus scripsit Paulus : hæ enim cum sint de Deo trino et uno, Christo crucifixo similibusque fidei arcanis, sunt intellectu difficiles. « Ne quis ergo, ait Beza, hinc putet errorem stabiliri; impius enim et blasphemus est qui nuper scripsit, verbum Dei ita esse obscurum, ut quocumque modo illud accipias, controversiis religionis decidendis non sufficiat. » Hæc ille, sibi Lucifer, aliis tenebrio, imo erro et impostor. Subdit S. Petrus : « Quæ indocti et instabiles depravant, sicut et cæteras Scripturas. » Ubi nota τὸ *cæteras*; hæc enim vox denotat ipsas S. Pauli Epistolas; hæ enim numerantur inter cæteras Scripturas Canonicas, *q. d.* Depravant Epistolas S. Pauli, sicut et cæteras Prophetarum et Apostolorum Scripturas, quas, quia difficiles sunt intellectu, in alienos sensus detorquent. Adde difficultatem Epistolarum S. Pauli sat convinci ex tot et tantorum Patrum et Doctorum in eas Commentariis, qui tamen sensa mentemque Pauli non adæquant, multoque minus exhauriunt. Item ex perpetuo hæreticorum de earum intellectu tum inter se, tum cum Catholicis litigio et dissidio. Denique ex ipso earum instituto et lectione. Legat quilibet Epistolam ad Hebræos, et mille in ea inveniet difficultates.

DEPRAVANT. — Græce στρεβλοῦσιν, id est *detorquent* S. Scripturas, quæ sunt « originalia instrumenta Christi, » ait Tertullianus, cap. II *De Carne Christi*. Idem *De Præscript.*, cap. XVII : « Tantum, ait, veritati obstrepit adulter sensus, quantum corruptor

stylus. » Nam, ut ait S. Augustinus, tract. 18 *in Joan.*, non aliunde « natæ sunt hæreses, nisi dum scripturæ bonæ intelliguntur non bene, et quod in eis non bene intelligitur, etiam temere et audacter asseritur. » Vide Vincentium Lirinensem, *Contra hæreses*. Sic etiamnum hodie nostri hæretici depravant Epistolas S. Pauli, eisque suas hæreses tuentur, adeo ut Calvinus clamet pro se, puta pro suo prædestinationis et reprobationis fato, pro fide sola justificante, pro servo arbitrio, etc., stare Paulum et Augustinum. Lutherus vero inter alia ausus fuit depravare verba illa Pauli *Roman.* III, 23 : « Arbitramur justificari hominem per fidem, » addendo *solam*.

Moraliter : Notent hic concionatores, qui nimis licenter S. Scripturam ad suos conceptus, volentes nolentes trahunt et torquent, se id faciendo illam depravare. Qui enim in alienos sensus eam detorquent, hi eam depravant : vis enim et mens S. Scripturæ non in verbis, sed in sensu consistit; qua de re plura dixi in Procemio *in Min. Prophet.* Quin imo S. Gregorius, lib. VI, *epist.* 7, reprehendit eos, qui in Cyriaci Episcopi ordinatione præ gaudio clamaverant : « Hæc est dies quam fecit Dominus, » eo quod hæc verba proprie dicta sint de Christo, *Psal.* CXVII : « In creaturæ autem laudem, inquit, vox illa dari non debuit, quæ soli convenit Creatori. »

AD SUAM IPSORUM PERDITIONEM. — Quia ipsa Dei verba, oracula et diplomata violant et depravant. Si enim qui litteras regis falsificat, reus est læsæ majestatis humanæ, utique qui litteras Dei falsificat, reus est læsæ majestatis divinæ, ideoque perditioni et gehennæ obnoxius.

17. VOS IGITUR, FRATRES, PRÆSCIENTES (puta præmoniti a me de periculo) CUSTODITE (id est, ut vertunt Tigurina, Pagninus et S. Augustinus, *De Fide et Oper.* cap. XIV, « cavete ») NE INSIPIENTIUM (græce ἀθέσμων, id est *impiorum*, nefariorum, exlegum, puta hæreticorum qui depravant Epistolas S. Pauli aliasque Scripturas) ERRORE TRADUCTI (Tigurina, *abducti*; græce συναπαχθέντες, id est *simul cum aliis abducti*) EXCIDATIS A PROPRIA FIRMITATE, — fidei, pietatis, gratiæ et virtutis Christianæ. Unde ait Paulus : « Optimum est gratia stabilire cor, » *Hebr.* XIII, 9. Pro *errore* græce est πλάνῃ : unde stellæ erraticæ vocantur planetæ, quo innuit hæreticos esse planetas et errones, qui nusquam fixi consistant, sed per varias hæreses oberrent, et ab una in aliam et aliam, ac tandem in atheismum dilabantur.

18. CRESCITE VERO IN GRATIA ET IN COGNITIONE DOMINI NOSTRI ET SALVATORIS JESU CHRISTI. — Idem precatur et hortatur Paulus : « Non cessamus, inquit, pro vobis orantes, ut impleamini agnitione voluntatis Dei, in omni bono opere fructificantes, et crescentes in omni scientia Dei, in omni virtute confortati, » *Coloss.* I, 10. Nam, ut ait S. Leo, serm. 8 *De Passione* : « Omnes de die in diem proficiendo per pietatis augmenta reno-ventur : quantumlibet enim quisque justificatus sit, habet tamen dum in hac vita est, quo probatior esse possit et melior : qui autem non proficit, deficit; et qui nihil acquirit, non nihil perdit. » Gratiam præponit cognitioni, quia crescere in gratia utilius est et magis necessarium, quam crescere in cognitione; multi enim plebeii et rudes crescunt in gratia, et non in cognitione, hique superabunt multos doctos et litteratos in gloria cœlesti. Crescere autem in cognitione Jesu Christi Salvatoris, est crescere in cognitione divinitatis, humanitatis, redemptionis, resurrectionis, gratiæ, gloriæ, omnibusque mysteriis et beneficiis Jesu Christi; unde sequitur incrementum charitatis et amoris ejusdem. Sane quisque Christianus quotidie deberet crescere in cognitione, meditatione et amore Jesu Christi Salvatoris sui; ita cresceret pariter in meritis, et in corona ac gloria cœlesti. Dicit hoc Petrus contra hæreticos qui se *Gnosticos*, id est scientes et in cognitione perfectos, vocabant et jactitabant, cum essent ignorantes et errantes. Veri enim Gnostici sunt fideles qui suam ignorantiam fatentur, ac student crescere in cognitione rerum salutis, ideoque assidue orant cum Psalte : « Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua. »

IPSI GLORIA ET NUNC, ET IN DIEM ÆTERNITATIS. AMEN. — Puta in omnem æternitatem, quamdiu durat dies æternitatis. Æternitas enim est quasi una dies, unumque hodie constans semper et perennans, ut dixi vers. 8. Vel « in diem, » id est in tempus æternitatis, puta æternum quod imaginamur æternitati Dei coexistere, ut illam animo concipere et aliquo modo apprehendere possimus; *dies* enim sæpe pro tempore capitur : imaginamur enim millia et milliones annorum semper sibi succedentium, idque sine fine, ut æternitatem mente concipiamus. Sic David ait *Psalm.* LXXVI, 6 : « Annos æternos in mente habui. » Significat hic S. Petrus fideles debere perpetuo vita et voce glorificare Deum, ipsique optare gloriam non præsentem et hodiernam duntaxat, sed perennem et æternam, ac jugiter cum Ecclesia canere : « Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto; sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. » Hoc enim faciunt canuntque perpetim Beati in cœlo, quorum vitam, laudem et felicitatem nos in hac vita inchoare decet, ideoque mentem abstrahere a rebus terrenis, caducis et momentaneis, eamque figere in cœlestibus, stabilibus et æternis. Præclare S. Leo, serm. 2 *De Passione*, in fine : « Magni nominis militiam, inquit, magnæ professionis suscipimus disciplinam. Sectatores Christi discedere a regia non licet via, sed dignum est temporalibus non occupari ad æterna tendentes. » Idem, serm. 1 *De Resurrect.* : « Ex qualitate, ait, temporalium actionum, differentiæ retributionum pendent æternarum. » Et inferius : « Pro transactis habeantur quæ ex maxima parte jam non sunt : et mens intenta

mansuris ibi desiderium suum figat, ubi quod offertur, æternum est. » Quocirca Ecclesia nos docet Deum orare, « ut eo rectore et duce sic transeamus per bona temporalia, ut non amittamus æterna; » transeundum enim est per temporalia et transitoria, hærendum in fixis et æternis. Et S. Basilius in *Psalm.* XLVIII, agens de divitiarum contemptu : « Ne esto, inquit, circa præsentia hæc pusillo aut dejectiori animo, quin potius vitam illam exspectato beatam prorsus, nec ullo fine claudendam. » Pathetice vero B. Petrus Chrysologus, *serm.* 124 : « Quid stupemus? ubi sumus? Quis est iste qui nos eludit somnus? Quæ est ista quæ nos tenet oblivio lethalis? Quare non cœlo mutamus terram? Quare non caducis emimus æterna? Quare non perituris manentia comparamus? » Næ ille alte stertit qui ad hæc vehementia tonitrua fulminaque verborum non expergiscitur. Nec minus ardenter in sæculi asseclas intonat Nazianzenus, *orat.* 16 : « Quis prætereuntia præteribit? Instabilibus et æternis mentem adjunget? Quis de præsentibus rebus tanquam de abeuntibus cogitabit? Quis picturam a veritate, quis umbram a vita sempiterna discernet? » Congruenter et Seneca, *epist.* 110 : « Quid miraris? Quid stupes? Pompa est. Ostenduntur istæ res, non possidentur; et dum placent, transeunt : ad veras potius te converte divitias. » Denique S. Bernardus in *Meditat.* cap. II, clare et nervose : « Dic mihi, ait, ubi sunt amatores mundi, qui ante pauca tempora nobiscum erant? Nihil ex eis remansit, nisi cineres et vermes. Attende diligenter quid sunt, vel quid fuerunt. Homines fuerunt sicut tu : comederunt, et biberunt, riserunt, duxerunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descenderunt. » Unde concludit idem in *Sententiis* : « Infelix proinde qui in hujus vitæ lubrico fidens, perituram insumit operam; nec advertit quoniam vapor est, et ad modicum parens, et vanitas vanitatum. » Si sapis ergo optasque esse felix,

VIVE VERITATI,
VIVE IMMORTALITATI,
VIVE ÆTERNITATI.

« Hæc sollicitissima meditatio debet esse sapientis, ut quoniam brevis dies istius vitæ, et incerta sunt spatia, nunquam sit mors morituro improvisa, nec inordinatum incidat finem, qui se novit esse mortalem, » S. Leo, serm. 5 *De Jejunio 7 mensis.*

COMMENTARIUS

IN PRIMAM

SANCTI JOANNIS

EPISTOLAM.

PROŒMIUM.

Tria hic ex more præmitto : *primum*, de Epistolæ auctoritate ; *secundum*, de auctore ; *tertium*, de argumento.

Quoad *primum*. De fide est hanc Epistolam esse Scripturam Canonicam. Hic est sensus communis totius Ecclesiæ, expressus tum alibi, tum in Concilio Tridentino, *sess.* IV.

Ubi nota duplices esse libros Canonicos S. Scripturæ : *Primi* vocantur Protocanonici, quasi primi canonis, eo quod omni ævo apud omnes habiti sint Canonici, ita ut de eorum auctoritate nullus unquam orthodoxus dubitarit.

Secundi vocantur Deuterocanonici, quasi secundi canonis, eo quod aliquando Ecclesia aut Patres de eorum auctoritate dubitarint, posteriori tamen ævo ab omnibus in canonem sunt recepti. Tales sunt liber Esther, Baruch, Danielis pars, Tobias, Judith, Sapientia, Ecclesiasticus, duo Machabæorum, partes quædam Evangeliorum S. Marci, Lucæ et Joannis, Epistola ad Hebræos, Epistola Jacobi, secunda Petri, secunda et tertia Joannis, Epistola Judæ, Apocalypsis. Cæteri omnes sunt Protocanonici : ergo inter eos est et Epistola hæc S. Joannis, excepta una ejus particula, de qua suo loco. Vide Bellarminum, lib. I *De Verbo Dei*, cap. IV. Hoc est quod de ea ait Eusebius, lib. III *Hist.*, XXIV : « Inter ea quæ Joannes scripsit post Evangelium, etiam prior illius Epistola cum a recentioribus, tum a veteribus absque ulla hæsitatione recipitur, » quin et ab hæreticis priscis æque ac modernis. Et S. Augustinus, tract. 7 *in epist.* I *Joannis* : « Canonica, ait, est ista Epistola, per omnes gentes recitatur, orbis terræ auctoritate retinetur, orbem terrarum ipsa ædificavit. » Et Dionysius Alexandrinus apud Eusebium, lib. VII *Histor.*, XX : « Evangelium, ait, et prima Joannis Epistola non solum vitio carent, sed etiam summa cum verborum elegantia maximo sententiarum pondere et concinna elocutionis dispositione perscripta sunt : tantum abest ut vox aliqua barbara, aut solœcismus, aut imperitus, aut rudis sermo in iis reperiatur. »

Quoad *secundum*, consentiunt pariter Orthodoxi auctorem Epistolæ esse S. Joannem Apostolum, uti habet ejus inscriptio. Idipsum satis indicat stylus Epistolæ per omnia consentiens Evangelio S. Joannis, utpote candidus et charitate melleus, plane indicans suum fontem, puta pectus S. Joannis candidum et charitate melleum. Ad hæc, eadem in hac Epistola quæ in Evangelio inculcat, ut solerter advertit Eusebius, lib. VII *Hist.*, XXV : « Qui attente legit, inquit, inveniet utrimque frequenter vitam, lucem, dehortationem a tenebris, creberrime veritatem, gratiam, gaudium, carnem ac sanguinem Domini, judicium, peccatorum remissionem, dilectionem Dei erga nos, præceptum nos invicem diligendi, servanda esse cuncta præcepta, redargutionem mundi, diaboli et Antichristi, promissionem Spiritus Sancti, adoptionem Dei, fidem ubique a nobis expetitam, ubique Patrem et Filium ; et si per omnia character utriusque notetur, prorsus unus et idem Evangelii et Epistolæ color reperietur. »

Quis, qualis et quantus fuerit S. Joannes, colligitur, *primo*, ex ejus stirpe et cognatione. Ipse enim præ Apostolis cæterisque viris omnibus, sanguine proxime attigit Christum, ejusque fuit consanguineus in secundo vel tertio gradu. Fuit enim S. Joannes filius Zebedæi et Salomes, quam multi putant fuisse filiam S. Annæ, æque ac fuit B. Virgo. Unde S. Chrysostomus, *Actor.* I, 5, Joannem vocat fratrem Domini. Et S. Brigida, lib. I *Revel.*, X, S. Joannem vocat sororium Christi, quod natus sit ex matris Christi sorore, ac consequenter B. Virginis fuerit nepos et Christi consobrinus. Idem sentiunt Beda, *Præfat. in S. Joannem* ; S. Bernardus, *De Lament. Virg.* ; Hugo de S. Victore, et Glossa in cap. I *ad Galat.* ; Albertus Magnus in cap. XIX *Joan.* ; Abulensis in cap. XX *Matth.*, 4, Quæst. LIV, § 3 ; S. Antoninus, Gerson et alii multi :

adeo ut Joannes Eckius, serm. 2 *De S. Anna*, asserat eos qui negant S. Joannem fuisse Christi consobrinum, repugnare SS. Patribus et Ecclesiæ, ipsique Scripturæ. Verum hoc aliis minus placet, qui censent S. Annam non nisi unam habuisse prolem, scilicet B. Virginem, id enim magis videtur decuisse et gravitatem S. Annæ, et dignitatem B. Virginis ac Christi, ut docent Euthymius, Theophylactus, S. Thomas, Jansenius, Canisius, Baronius, Canus, quos citat et sequitur Franciscus Suarez, III *part.*, tom. II, disp. II, sect. 4. Iidem tamen sentiunt S. Joannem fuisse consanguineum Christi.

Porro L. Dexter ejusque continuator Helecas, Episcopus Cæsaraugustanus, in *Chronico*, quod nuper in Hispania prodiit, tradunt Zebedæum fuisse fratrem S. Barnabæ, ac habuisse duos filios, Jacobum et Joannem Apostolos, ac duas filias, quarum una nupta fuerit S. Petro, altera S. Andreæ. Additque Helecas : « Zebedæus qui et Aristobulus, pater Joannis et Jacobi Apostolorum, fuit e septuaginta duobus discipulis. Hic cum S. Petro Romam venit : inde missus in Angliam Episcopus, martyr occubuit anno secundo Neronis. Salome, uxor Zebedæi, mater SS. Joannis et Jacobi, anno ætatis 90, Christi 42, die 24 maii sanctissime decessit Verulis in Italia, quæ prius cum Jacobo filio peragravit Germaniam, Angliam et Italiam prædicando. » Verum horum fides sit penes Dextrum et Helecam. Nam, ut alia taceam, Verulis quiescit Maria Jacobi, ut habet Martyrologium Rom. 25 maii. Hæc autem passim censetur fuisse mater Jacobi minoris, non majoris, qui fuit frater S. Joannis ; nam *Marci* XV, 40, expresse Maria hæc vocatur mater « Jacobi minoris et Joseph, » ac distinguitur a Salome : unde et Mariæ Salome, quæ fuit mater SS. Joannis et Jacobi majoris, transitus in Martyrologio Rom. consignatur alio die, puta 22 octobr., ubi et Hierosolymis diem obiisse dicitur. Quare viri eruditi suspicantur hæc et similia non esse genuina L. Dextri (cui S. Hieronymus dedicavit lib. *De Script. Eccles.*), sed sinistri alicujus tenebrionis, qui Dextri sibi nomen arrogarit, ut eo se suique cerebri sensa tegeret et honestaret.

Ex quo colligitur S. Joannis sapientia et sanctitas. Sicut enim sol radiis suis ea magis illustrat, quæ magis ipsi sunt vicina, ita ut quo aliquid soli est vicinius, eo magis ab ipso illustretur : sic pariter Christus quasi sol justitiæ oriens ex alto per incarnationem, radios suæ gratiæ magis diffudit in eos quos carne conjunctos habuit, et ex quorum carne carnem assumpsit. Ita B. Virginem summis gratiæ donis præ omnibus hominibus et angelis dotavit, quia illam in matrem elegit : pari modo S. Josephum præ cæteris illius ævi viris sanctificavit, quia eum in nutricium et quasi in patrem elegit. Idem fecit S. Annæ quasi aviæ suæ, S. Joachimo quasi avo, S. Jacobo majori et minori, S. Judæ, S. Simoni Thadæo, quos sibi cognatos creavit Apostolos ; ac Joanni Baptistæ, quem sibi cognatum, ut patet *Lucæ* I, 36, suum fecit paranymphum, ideoque inter natos mulierum eo non surrexit major, *Matth.* XI, 11.

Secundo, quantus fuerit S. Joannes colligitur ex eo quod inter Apostolos fuerit præcipuus, et post Petrum quasi primus, imo Petri socius, ut patet *Actor.* I, 13, et cap. III, 1, et cap. VIII, 14. Unde Paulus *Galat.* II, 9 : « Jacobus, ait, Cephas et Joannes, qui videbantur columnæ esse, dexteras dederunt mihi et Barnabæ societatis. » Socius S. Petri

Tertio, ex eo quod inter quatuor Cherubinos repræsentantes quatuor Evangelistas, *Ezech.* I, 10, *Apocal.* IV, 1, S. Joannes comparetur aquilæ, eo quod mentis acie et volatu omnes transcendens, ad ipsum Dei sinum penetrarit, indeque intonarit mysterium generationis Verbi, dicens : « In principio erat Verbum, » etc. Aquila enim dicta est ab acute videndo, quasi acuta ab acumine, licet nonnulli ab aquilo colore vocem ducant : est enim aquilus color fuscus et subniger ab aqua denominatus, ait Pierius, *Hierog.* XXIX, cap. XXI. Unde S. Hieronymus, *De Script. Eccles.*, in *Joanne et Papia* : « Clangat, ait, tuba Evangelica filius tonitrui, quem Jesus amavit plurimum, qui e pectore Salvatoris doctrinarum fluenta potavit. » Origenes, hom. 2 *in Diversos*, loquens de S. Joanne : « Vox, ait, spiritualis aquilæ auditum pulsat Ecclesiæ, vox altivoli volatilis non aerem corporeum, vel æthera, vel totius mundi sensibilis ambitum supervolitantis, sed omnem theoriam ultra omnia quæ sunt et quæ non sunt, citivolis intimæ Theologiæ pennis, clarissimæ supernæque contemplationis obtutibus transcendentis. Supervolat itaque B. Joannes Theologus non solum quæ intelligi ac dici possunt, verum etiam quæ superant omnem intellectum et significationem supervehitur, extraque omnia ineffabili mentis volatu in arcana unius omnium principii exaltatur. » Et mox : « O beate Joannes, non immerito vocaris Joannes, id est, cui donatum est. Cui enim Theologorum donatum est, quod tibi donatum est, abdita videlicet penetrare mysteria? » Deinde cum dixisset Petrum typum gerere actionis, Joannem vero contemplationis, subdit : « Spiritale igitur petaurum, citivolum, deivolum, Joannem dico Theologum, omnem visibilem et invisibilem creaturam superat, omnem intellectum penetrat, et deificatus in Deum intrat se deificantem, etc.; non enim aliter potuit ascendere in Deum, nisi prius fieret Deus. » Additque Paulum raptum in tertium cœlum et Paradisum, Joannem vero plusquam hominem raptum supra omnes cœlos in paradiso paradisorum, hoc est, in causa omnium audisse unum verbum, per quod facta sunt omnia; ideoque in Deum quasi transmutatum fuisse. Hinc S. Dionysius Areopagita, epistola *ad S. Joannem*, eum vocat « solem Evangelii. » Aquila

Rursum, quod S. Joannes a Christo nuncupatus sit Boanerges, id est, filius tonitrui, *Marci* III, 17,

hoc est, fulmen. Fuit ergo ipse Ceraunius, id est, fulmineus, tonans et fulminans; « ejus enim oratio erat tonitru, quia vita ejus erat fulmen; » quod de S. Basilio ait Nazianzenus, in ejus *Elogio*. Unde S. Epiphanius, *hæresi* 73 : « Joannes, ait, revera tonitrui filius per propriam suam grandiloquentiam, velut ex quibusdam nubibus a sapientiæ ænigmatibus, piam nobis de Filio intelligentiam persuasit. »

Virgo. *Quarto*, quod unus ipse omnes Sanctorum gradus et laureas meruit, eosque heroicos et primos. Joannes enim *primo*, ob excellentem animi puritatem fuit terrestris angelus, angelos superans, non natura, sed virtute illibatæ virginitatis; *secundo*, idem fuit Patriarcha, quia solus ipse cæteris Apostolis diutissime superstes fuit, communis omnium fidelium pater, basis et columen. Unde S. Hieronymus, *De Script. Eccles.*, in *Joanne* : « Totas, ait, Asiæ fundavit rexitque Ecclesias; » *tertio*, idem fuit Apostolus, Episcopus, Hierarcha, Doctor, Evangelista, Propheta in Apocalypsi, Martyr, tum quia Christo in cruce assistens, omnes ejus dolores et mortis agones per compassionem et amorem intimum sustinuit; tum quia Romæ a Domitiano in dolium ferventis olei fuit immissus, esto per miraculum illæsus exiverit. Unde Polycrates apud Eusebium, lib. V *Hist.*, XXIII, scribens ad Victorem Romanum Pontificem : « His accedit, ait, Joannes, qui super pectus Domini recubuit, qui sacerdos fuit, qui laminam auream gestavit, qui Martyr et Doctor extitit, qui tandem Ephesi morte consopitus occubuit. » De lamina aurea, quam in fronte gestavit S. Joannes, quasi coronam, Episcopatus insigne, astipulatur S. Hieronymus, *De Script. Eccles.*, in *Polycrate*, et Nicephorus, lib. II, cap. XLIV. Idem de S. Jacobo dixi in Epistolæ ejus Proœmio. Quocirca apte vocatus est *Joannes*, Hebr. *Jehochanam*, et crasi *Jochanan*, id est *gratia Dei*, vel potius *misertus est Deus*, aut *gratiosus Deo*; perinde ac Baptista ille coævus eadem de causa ab angelo vocatus est Joannes, *Lucæ* I, 13. Joannis enim Baptistæ gratias ac dotes habuit Joannes Evangelista, et insuper alias majores, quas jam recensui et recensebo, adeo ut Christus inter duos hos Joannes fuerit quasi sol inter Jovem et Lucinam; Baptista enim fuit præcursor, Evangelista pedissequus Christi. Fuit ergo Joannes, quasi filius Charitum, filius gratiarum, in quo scilicet ornando et decorando omnes Charites, omnes gratiæ conspirasse videantur, adeoque tres Christianorum Charites sunt Christus et uterque Joannes.

Patriarcha.

Apostolus, Evangelista, Prophetа, Martyr.

Joannes, id est, gratiosus Deo.

Christi secretarius. *Quinto*, quia Joannes Christo præ cæteris Apostolis fuit familiaris, et quasi a secretis : unde ipse passim se vocat discipulum quem diligebat Jesus. Hinc et transfigurationi ejus ac orationi in horto, secretisque ejus miraculis interfuit; unus ipse in ultima cœna super pectus Christi recubuit, quod summum mutui et reciproci amoris fuit indicium, eaque ac fomentum et augmentum : e Christi enim pectore arcana divinæ sapientiæ, et gratiarum altiora præ cæteris fluenta potavit, ut ait S. Augustinus, tractatu 18 *in S. Joannem*; atque supra templum Verbi recumbens, aulam divinæ plenitudinis scrutatus est, ait S. Ambrosius in *Psal.* CXVIII, Octon. 2, et S. Hieronymus in cap. II *Ezechielis* : « Joannes, ait, recubuit in pectore ejus, ut hauriret fluenta sapientiæ, ut posset dicere : In principio erat Verbum; quia enim in pectore Christi sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi, merito super pectus ejus recumbit, quem majore cæteris sapientiæ et scientiæ singularis munere donat, » ait Beda, homil. *De S. Joanne*; et Laurentius Justinianus, libro *De Agone Christi*, cap. V : « Sapientiæ, ait, arcana contemplando rimaris, curris per angelos, discurris per archangelos cæterasque spirituum legiones considerationis penna percurrendo rimaris : tibi nunc panduntur indicibiles sapientiæ thesauri, tibi reserantur revelationum sacra mysteria, divinitatis altitudo, æterna Verbi generatio, et cœlestis gloriæ triumphale regnum. » Quin et Plutarchus, lib. I *Conviv.*, Quæst. III : « Locus, inquit, infra dominum uxoris et liberorum est, qui in sinu esse dicebantur. » Fuit ergo Joannes filius Christi, ideoque in sinu ejus, quasi Benjamin recubuit.

Zelator. Porro, quanta ex eo charitatis zelique incendia hauserit, patet ex gestis ejus, non tantum in fundandis Ecclesiis quaquaversum, sed etiam in curanda singulorum, etiam perditorum, salute. Ex uno exemplo disce cætera. Narrat Eusebius ex Clemente Alexandrino, lib. III *Hist.*, XXIII, S. Joannem Episcopo cuidam commendasse adolescentem quemdam, qui seductus a sociis tandem factus sit princeps latronum. Reversus S. Joannes ad Episcopum : « Age, inquit, o Episcope, depositum repræsenta, quod tibi ego plane et Christus commendavimus, Ecclesia teste quam regis. Juvenem illum repeto a te et animam fratris. » Cumque ille suspirans diceret eum mortuum esse, Deo scilicet, factumque principem latronum. « His auditis, Apostolus vestem continuo qua erat indutus, scidit, et cum ingenti gemitu feriens caput suum : Bonum te, inquit, custodem fratris animæ dereliqui. Sed jam nunc mihi equus paretur, et dux itineris. Et confestim ab ipsa ecclesia ascendens concitus properabat. Cumque pervenisset ad locum, attinetur ab his latronibus qui custodias observabant. At ille neque effugere, neque prorsus declinare usquam nitens, ingenti tantum voce proclamabat : Quia ad hoc ipsum veni, adducite mihi principem vestrum. Qui cum veniret armatus, eminus agnito Joanne Apostolo, pudore actus in fugam vertitur. Ille equo post eum admisso, confestim insequitur fugitantem, etiam ætatis oblitus, simul et clamans : Quid fugis, o fili, patrem tuum? Quid fugis inermem senem? Miser, hære, noli timere, habes adhuc spem vitæ. Ego Christo rationem reddam pro te :

certe et mortem libenter pro te excipiam, sicut et Dominus excepit pro nobis, et pro tua anima dabo animam meam. Sta tantum, et crede mihi, quia Christus me misit. At ille audiens, restitit, ac vultum demisit in terram; post hoc arma projecit, tum deinde tremefactus flebat amarissime, et accedentis ad se senis genibus provolvitur, gemitibus et ululatibus quibus poterat satisfaciens; et uberrimis lacrymarum suarum fontibus iterum baptizabatur, occultans solam dexteram suam. Apostolus vero jurisjurandi sacramento se eia Salvatore impetraturum veniam pollicens, simulque genibus ejus provolutus, atque ipsam dexteram, ex cujus cædis conscientia torquebatur, tanquam jam per pœnitentiam purgatam deosculans, ad ecclesiam revocat, et indesinenter pro eo orationes profundens, et cum ipso pariter ducens crebra jejunia, indulgentiam a Deo, quam ei pollicitus fuerat, expetebat. Sed et variis sermonum consolationibus, velut quibusdam præcantationibus efferos et exterritos ejus animos mitigabat. Nec prius abstitit, quam eum in omnibus emendatum etiam ecclesiæ præficeret. »

Ex quo Joannis exemplo discant Episcopi, Pastores, Præfecti, Magistri, quantum cujusque fidelis, etiam juvenis et perditi, suæ curæ crediti, curam gerere debeant; ac rursum si perditus sit, modum eum revocandi esse eum quem hic usurpavit S. Joannes, nimirum summam commiserationem, humilitatem, dilectionem. Unde S. Chrysostomus Theodoro lapso hoc S. Joannis factum proponens, hortansque ad pœnitentiam, commendat « S. Joannis condescensum et mansuetudinem, et suavitatem illicem, quoniam prior cruentam dexteram exosculatus est, hærens in amplexu adolescentis, et ea via reduxit ad amissam virtutem. »

In sinu Christi recubuit, cur?

Porro hoc summi amoris et honoris privilegium recumbendi in sinu Christi, Joanni soli præ omnibus Apostolis concessum fuit quatuor de causis.

Prima causa.

Prima, ut ipse ejus incarnationis et secretorum esset testis omni exceptione major, utpote qui proximus illi et familiarissimus extitisset, adeoque in sinu ejus recubuisset. Unde Rupertus explicans illud *Joan.* XIII, 23 : « Erat ergo recumbens unus ex discipulis ejus in sinu Jesu, quem diligebat Jesus, » ait hoc dicere Joannem, ut suo Evangelio fidem astruat : « Hic enim, inquit, præcipue dignus fide testis est, qui adeo veritati quam narrat, præsens cognitor interfuit, ut recumberet in sinu ejus familiaris ac dilectus, et illi Verbo præ cunctis mortalibus prope admissus, quod eructatum de corde Patris, et caro factum, altius personare decreverat per linguam et calamum ejus. » Unde S. Joannes eodem quasi sigillo obsignans Evangelii sui fidem cap. ult., cum vers. 20 dixisset de se : « Qui et recubuit in cœna super pectus ejus, » subjungit vers. 24 : « Hic est discipulus ille qui testimonium perhibet de his et scripsit hæc, et scimus quia verum est testimonium ejus; » et initio *Epistolæ* : « Quod fuit ab initio, ait, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, quod manus nostræ contrectaverunt, de Verbo vitæ, etc., testamur et annuntiamus vobis. »

Secunda.

Secunda, ad commendandum decus virginitatis : ob hanc enim meruit a Christo præ cæteris diligi et in sinu ejus recumbere. Ita ibidem Rupertus ait in S. Joanne completum illud Sapientis dictum *Prov.* XXII, 11 : « Qui diligit cordis munditiem, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum regem; quia videlicet propter excellentem castitatis decorem dignus fuit de ipso sacro Dominici pectoris fonte divinitatem ejusdem Verbi, et æterni potare secreta principii. »

Unde S. Cyrillus, lib. IX *in Joann.*, cap. XV, ait S. Joannem nos hortari ad bene vivendum, si volumus divinarum rerum cognitionem adipisci. Exemplo enim seipsum nobis proponit, qui sic diligebatur a Christo, ut in sinu ejus sederet. Illi enim summopere Deo propinquant, qui mundo corde sunt, quibus præcipuum a Salvatore munus attribuitur. Beati enim sunt, inquit, homines mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Nempe ista beatificatio vera extitit in Joanne. Vidit enim gloriam Christi, ut ipse testatur, gloriam quasi Unigeniti a Patre. Nullus enim Patrem vidit, nisi qui a Deo est, id est, Filius Dei : qui vero procul se a turpitudine removent, et inanibus hujus vitæ curis mente non agitantur, illis supra quam animus per se hominis ferre potest, gloriam suam Christus revelare solet. » Hinc et ipse Joannes *Apoc.* XIV, 1, vidit virgines proximas Agno, ipsum per omnia sequi, ac cantare canticum novum, quod nemo alius cantare potest.

Tertia.

Tertia, recubuit Joannes in sinu Christi, ut inde secretiora et sublimiora Evangelii et Apocalypseos mysteria hauriret quæ mundo panderet. Unde Ecclesia in officio S. Joannis, Respons. lectionis 8, canit : « Iste est Joannes, qui super pectus Domini in cœna recubuit. Beatus Apostolus cui revelata sunt secreta cœlestia : fluenta Evangelii de ipso Dominici pectoris fonte potavit. » Ideoque, ut ait Beda, Evangelium S. Joannis cætera omnia sublimitate transcendit; et S. Augustinus, tract. 18 *in Joannem* : « Joannes Evangelista, ait, inter consortes et comparticipes suos alios Evangelistas, hoc præcipuum et proprium donum accepit a Domino, super cujus pectus in convivio discumbebat, ut per hoc significaret, quia secreta altiora de intimo pectore ejus potabat, ut ea diceret de Filio Dei, quæ parvulorum mentes fortassis intentas excitare possint, implere autem nondum capaces non possint. » S. Chrysostomus, *Præfatione in S. Joannem*, ait angelos multa didicisse a S. Joanne, ac proinde ipsos etiam Cherubinos et Seraphinos avide eum suum Evangelium et Apocalypsin intonantem audiisse.

Quarta.

Quarta, ut ex pectore Christi sugeret delicias

amoris ejusdem, juxta illud *Cantic.* II, 5 : « Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. » Causam subdit : « Læva ejus sub capite meo, et dextra illius amplexabitur me ; » et S. Joannes, *Evang.* cap. I, dans causam cur per Christum solum gratia et veritas facta sit, subdit : « Deum nemo vidit unquam; Unigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarravit nobis, » *q. d.* Christus in sinu Patris hausit omnem Patris gratiam, amorem et sapientiam, eaque nobis communicavit, sic et Joannes eadem hausit e sinu Christi, ac nobis communicavit. Ferunt aquilam (quod est stemma et insigne S. Joannis) illum pullum præ cæteris adamare, cui corde suo incubavit : ita Christus plus adamavit Joannem, cui pectore et corde incubuit. Unde S. Bernardus, serm. 23 *in Cantic.*, cum dixisset Magdalenam devotionis suæ fructum invenisse apud pedes Christi, subdit : « Porro Thomas in latere, Joannes in pectore, Petrus in sinu Patris, Paulus in tertio cœlo secreti hujus gratiam sunt assecuti, etc. Prior mulier (Magdalena) stravit sibi in tuto humilitatis et spei, Thomas in solido fidei, Joannes in lato charitatis, Paulus in intimo sapientiæ, Petrus in luce veritatis. » Idem, vel quisquis est auctor, serm. 3 *De cœna Domini* : « Jesus, ait, valde eum diligebat, quem tanto honore sublimabat. O quam bene quiescebat, qui super pectus Christi quiescebat ! O beate Apostole Dei, discipule Jesu Christi, Joannes beate, utinam mererer illius dulcissimos pedes osculando lacrymis rigare, in cujus pectore tu meruisti dormire ! Utinam faciem illius a longe saltem possem contemplari, in cujus pectore tam dulciter dormire meruisti. Per sinum sive pectus significabatur illud secretum, de quo bibit divinitatis sacramentum. Hinc diligebat Joannem non plus omnibus, sed familiarius, ut per pacem exiret de vita, non per passionem. »

Quinta. *Quinta*, Christus collocans Joannem in sinu et pectore, eum quasi in filium adoptavit. Solent enim parentes filios quasi pignora charissima ad pectus et ubera admovere, iisque complecti. Hinc Christus moriens in cruce eum matri quasi filium pro se substituit dicens : « Mulier, ecce filius tuus ; » et Joanni : « Ecce mater tua. » Solent enim nepotes, moriente filio, avis et aviis in us proximum filiationis et hæreditatis succedere. O commutationem ! exclamat S. Bernardus, serone in illud *Apoc.*, *Signum magnum apparuit cælo* : Joannes tibi pro Jesu traditur, servus ro domino, discipulus pro magistro, filius Zebedæi pro Filio Dei, homo purus pro Deo vero. »

Benjamin Christi et B. Virginis. Fuit ergo S. Joannes Benjamin B. Virginis, imo Benjamin Christi ; et quasi Benjaminus, id est, minimus natu Apostolorum, et præ omnibus gratiosus ac tenere dilectus, in sinu Christi requievit. Officium ergo S. Gabrielis Archangeli sortitus est, ut esset præco Christi et custos B. Virginis, ideoque nonnulli censent S. Joannem, cum vellet adorare angelum, ab eo prohibitum cum diceret : « Vide ne feceris : conservus tuus sum, » *Apoc.* XIX, 10.

Cruci Christi astitit. *Sexta*, S. Joannes Christo in cruce toto tempore passionis usque ad mortem astitit, ubi sane Christum se immolantem, et immolatum pro salute generis humani jugiter aspiciens, miros ab eo rerum divinarum sensus, ac virtutum omnium ardores accepit. Idem primus post Christi resurrectionem cum Petro ad monumentum cucurrit, imo Petro præcucurrit. Idem Christo apparente piscantibus primus eum agnovit, dicens : « Dominus est; » quod S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovinianum*, virginitatis merito adscribit : « Solus, inquit, virgo virginem agnoscit; » et alibi : « Prior virginitas virginale corpus agnoscit; » et Cyrillus : « Joannes, inquit, propter mentis puritatem et cordis oculorum acumen ad intelligendum erat aptissimus ; unde solus signum statim intellexit, et Christum adesse cognovit, et aliis nihil dubitans significavit. » Chrysostomus vero Joannem cum Petro comparat : « Proprios, inquit, mores referunt Petrus et Joannes ; ille ferventior, hic altior erat; ille vehementior, hic perspicacior : ideo Joannes prior novit Jesum, Petrus prior ad eum properavit ; » et Origenes : « Petrus, inquit, in forma actionis ac fidei ponitur, Joannes autem contemplationis et scientiæ typum imitatur : unus siquidem recumbebat super pectus Dominicum, quod est contemplationis sacramentum ; alter sæpe titubabat, quasi trepidæ actionis symbolum. »

Hinc patet S. Joannem præ cæteris Apostolis a Christo fuisse dilectum, uti expresse ait S. Augustinus, tract. 16 et 124 *in Joannem*, et S. Chrysostomus, homil. 71 *in Joannem*, Theophylactus et Euthymius in *Joannis* cap. XIII, ac consequenter S. Joannem vicissim præ cæteris maxime dilexisse Christum. Ille enim magis diligitur a Christo, qui magis eum diligit, majoremque habet charitatem, *Joan.* XIV, 21 ; et *Proverb.* VIII, 17, ait Sapientia : « Ego diligentes me diligo. » Porro S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovinian.*, Joannem a Christo plus dilectum censet, eo quod esset virgo et minimus natu Apostolorum. Sic et Euthymius in cap. XXIII *Joannis*, asserit Joannem « tantam a puero curam habuisse puritatis, ut ne turpem quidem cogitationem unquam in cor suum ascendere permiserit. » S. Chrysostomus addit alteram amoris causam, excellentem animi humilitatem ac mansuetudinem, quas adeptus erat postquam de præeminentia correptus fuerat. *Tertiam* indicat Theophylactus : « Joannes, ait, innocentissimus, simplicissimus, mansuetissimus omnium erat, et ideo diligebatur. » D. Thomas enumerat inter amoris causas sapientiam singularem et amoris Dei vehementiam. Alibi juventutem ait majora sibi benevolentiæ ac familiaritatis indicia vindicasse.

Filius B. Virginis. *Septima*, quod Christus in cruce moriens Joannem quasi fratrem sibi substituit, assignans eum

pro se quasi filium B. Virgini : « Mulier, inquit, ecce filius tuus ; » ac vicissim Joanni eam assignans quasi matrem : « Ecce, inquit, mater tua. » Unde et Joannes quasi filius Virginis curam tota vita egit, ejusque fuit custos, tutor et provisor, ac cum ea Ephesi habitavit, ex cujus continua familiaritate et colloquiis quanta cœlestium arcanorum lumina, quantos charitatis ignes, quanta virtutum omnium documenta et incitamenta hauserit, cuilibet facile est conjicere. Hoc est quod citatis Christi verbis subdit Joannes, *Evang.* XIX, 27 : « Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua » (alii legunt *in suam*, scilicet *matrem*), græce εἰς ἴδια, id est *in propria*, scilicet *bona*, inquit S. Ambrosius, *Enchir. ad Virgin.*, non temporalia, quæ jam Christi amore reliquerat, sed spiritualia : « Accipite, inquit, Spiritum Sanctum ; neque enim mater Domini nisi ad possessionem gratiæ demigraret, ubi Christus habebat habitaculum ; » et S. Augustinus, tract. 119 *in Joan.* : « Suscepit, ait, eam discipulus in sua, non prædia, quæ nulla propria possidebat, sed officia, quæ propria dispensatione exequenda curabat ; » et S. Cyrillus, in cap. XIX *S. Joan.* : « Commendavit, ait, Christus Matrem discipulo, ut officium filii in eam servaret. Matrem similiter admonuit, ut parentis in discipulum auctoritatem haberet : amore videlicet atque charitate non minus illos conjungi voluit, quam si naturæ maxima propinquitate conjuncti essent ; » et S. Cyprianus, tractatu *De Passione* : « Passus est, ait, æquanimiter Joseph sibi Joannem in hoc servitio præponi, quem digniorem se judicabat, et ideo maxime, quia Magistri electio sic negotium ordinabat. »

In revelationibus S. Brigidæ quas defendit Cardinalis Turrecremata, probantque non solum eruditi Theologi, ut Michael Medina, Alphonsus Mendoza, Petrus Canisius, Martinus Delrio, etc., sed et Bonifacius IX et Martinus V Pontifices, in Canonizatione ejusdem, hæc de S. Joanne habentur : S. Joannes apparens S. Brigidæ monensque eam contemnere omnia mundi bona, eaque respectu æternorum non pluris facere quam siliquas porcorum, ac sequi viam crucifixi Dei, quæ in principio est arcta, sed in fine gaudiosa : « Ego, inquit, sum ille qui scripturam auream plenius agnovi, et agnoscendo augmentavi. Ego fui nudatus ignominiose, sed quia patienter sustinui, Deus vestivit animam meam veste immortali. Ego etiam fui intinctus oleo ; ideo nunc gaudeo oleo lætitiæ sempiternæ. Ego insuper post Matrem Dei levissima morte de mundo transivi, quia custos Matris Dei factus fui, et corpus meum est in loco quietissimo et securissimo. » Ita refert S. Brigida, lib. IV *Revelat.*, cap. I ; et cap. XXIII, narrat se audisse B. Virginem dicentem S. Joanni : « Tu inter Apostolos vicinius mihi appropinquasti, majoraque signa dilectionis expertus es præ aliis, et amarior tibi passio Filii mei facta est, quam præ cæteris clarius aspexisti ; et quia præ cæteris fratribus tuis longius vixisti, et quasi in ipsorum omnium martyr fuisti (planius legit Codex Farnesianus : *et inter eos quasi martyr fuisti*), ideo placuit Deo te vocare de mundo morte levissima post me, quia Virgo virgini fuit commendata, ideo fiet quod petisti, et non prolongabitur. »

Denique S. Joannem adhuc vivere cum Elia et Henoch in Paradiso terrestri, ac cum eis venturum in fine mundi, ut contra Antichristum decertet, censuit Hippolytus, tractat. *De Consummatione sæculi*, et alii plures, teste Theophylacto et Euthymio in cap. XXI *Joan.* Verum certum est S. Joannem esse mortuum : nam Ecclesia ejus quasi post mortem jam beati, et cum Christo in cœlo regnantis, festum celebrat die 27 decembris. Audi S. Hieronymum, *De Scripturis Ecclesiæ*, in *Joannis* : « Confectus senio, ait, sexagesimo octavo post passionem Domini anno (qui fuit annus Christi 101), mortuus juxta eamdem urbem sepultus est. » Idem docent Tertullianus, S. Augustinus, Chrysostomus, Euthymius et alii, quos citat et sequitur Cardinalis Baronius, initio tom. II *Annal.* Plura de S. Joanne dicam *Præfatione in Apocalypsin.*

Argumentum Epistolæ.

Quoad *tertium*, argumentum Epistolæ est, *primo*, docere veram fidem, spem et charitatem. Fidem, tum de S. Trinitate, tum de Verbo incarnato : quod sane nullus uberius præstitit S. Joanne in Evangelio, æque ac in hac Epistola ; eaque de causa a S. Dionysio, epist. *ad S. Joannem*, Athanasio in *Synopsi*, Cyrillo, *Catechesi*, 12 Chrysostomo, Epiphanio et aliis, passim Joannes, cognominatur *Theologus*. Inde spem excitat commemorans præstantiam status Evangelici, ac charitatem Patris ; qui secrevit nos a filiis diaboli, deditque nobis ut filii Dei nominemur et simus, ideoque Filium suum misit in carnem, ut passione et morte sua peccata tolleret et dissolveret opera diaboli. Denique præ cæteris inculcat charitatem, ut non diligamus mundum, sed Deum qui prior dilexit nos, et Christum, qui nostri amore mortuus est, ac proximum, quem Deus et Christus jubent diligi. Pene ergo tota Epistola charitatis ardorem et vehementiam spirat. Unde S. Augustinus in *Præfat. hujus Epistolæ* : « Maxime, ait, commendatur charitas ; locuturus est enim multa et prope omnia de charitate. Qui habet in se unde audiat, necesse est gaudeat ad quod audit. Sic enim erit illi lectio ista tanquam oleum in flamma. » Refert S. Hieronymus, in cap. ult. *ad Galat.*, S. Joannem senio gravem in collectis non aliud prædicasse, quam : « Filioli, diligite invicem. » Cumque audientes tædio afficerentur quod semper idem audirent, causamque rogarent, dixisse : « Quia præceptum Domini est, et si solum fiat, sufficit. »

Secundo, hæresim duplicem tum subnascentem confutat. *Prior* erat Cerinthi, Ebionis et asseclarum, qui negabant Christi divinitatem. *Secunda* Basilidis cum suis, qui negabat veram Christi

carnem et humanitatem, dicebatque eam tantum apparentem et phantasticam fuisse, ut et omnia Christi gesta, ideoque Christi causa non esse subeundum martyrium.

Utramque evertit S. Joannes tum in Evangelio, tum in hac Epistola, docetque Christum fuisse verum hominem et verum Dei Filium, et qui id negant esse Antichristos. Unde hortatur ut concupiscentiæ et peccati, quasi operum diaboli turpitudinem fugientes, Christum mediatorem quasi lucem et ducem salutis sequamur per veram fidem, spem, sive fiduciam, et charitatem. Ita S. Ignatius, epist. *ad Philadelph.*; Tertullianus, lib. *De Præscriptione*; Epiphanius, *hæresi* 27, 28 et 30; S. Hieronymus, *De Viris illust.*, in *Joanne*; Eusebius, lib. III *Histor.*, cap. XXVII, et S. Augustinus, tract. 122 *in Joan.*, qui et addit, lib. *De Fide et Oper.*, cap. XIV, S. Petrum, Joannem, Jacobum et Judam maxime confutasse errorem Simonis Magi et asseclarum, docentium solam fidem sufficere ad salutem, et ad hoc abutentium Epistola S. Pauli *ad Romanos*, ideoque eos diserte contrarium docere, scilicet præter fidem requiri bona opera ad salutem. Quocirca S. Joannes cuique ætati, puta pueris, adolescentibus, senibus operum vitæque Christianæ præcepta præscribit (1).

Ad Parthos scripta.

Porro, Epistola hæc est Catholica, id est circularis et universalis, scripta ad omnes fideles ubivis degentes, uti et Epistolæ S. Petri, Jacobi et Judæ. Veteres tamen nonnulli hanc Joannis scriptam aiunt nominatim ad Parthos. Ita Hyginius Pontifex, *epist.* 1; Joannes II Pontifex, epist. 1 *ad Valerium*; S. Augustinus, lib. II *Quæst. Evangel.*, cap. XXXIX; Idacius, lib. *De Trinit.*, et alii. Suspicatur noster Serarius hic pro *Parthos* legendum *Patmios*; in Patmos enim insulam a Domitiano relegatus S. Joannes, incolas ad Christum convertit. Junius Calvinista scribens contra Bellarminum, lib. II *De Verbo Dei*, cap. XV, num. 22, per Parthos intelligit non incolas Parthiæ, sed pios exules dispersos extra natale solum. Nam sermone Scythico, olim exules dicebantur *Parthi*, teste Justino, lib. XLI, ab Hebræo פור *pur*, id est *dividere*. Idem ergo est *ad Parthos*, quod « tribubus quæ sunt in dispersione, » ut ait Jacobus initio Epistolæ, et quod « electis advenis » dispersionis, ut ait S. Petrus initio Epistolæ. Verum a Scythis exules tam impii quam pii vocati sunt Parthi, non a Græcis vel Hebræis, qualis fuit S. Joannes : alioqui enim S. Petrus et Jacobus qui ad dispersos scribunt, pariter et ad Parthos scripsissent : vide Serarium. Proprie ergo hic Parthos accipio, quorum tunc imperium æque ac nomen erat amplum, ut Orientis nationes plures complecteretur, etiam Persas, teste Tertulliano, lib. *De Pallio*, cap. II; Justino, lib. XLI et XLII; Solino et Plinio, lib. VI, cap. XXV. In Parthia autem multos fuisse Judæos æque ac Christianos, partim e Judæis, partim e Gentilibus ad quos omnes scribit hic S. Joannes, colligitur *Act.* II, 9; et ex Tertulliano, lib. *Contra Judæos*; ac Josepho, lib. XIV *Antiq.*, cap. XII, et lib. XVI, cap. X, et lib. XVIII, cap. XII.

Scripsit ergo ad Parthos S. Joannes, sive quod eos antea adierat, et fide Christi imbuerat, uti censet Baronius aliique plures; sive quod Ephesii et Asiani quibus prædicavit S. Joannes, permulti ab eo ad Christum conversi ex Asia migrarunt in vicinam Parthiam et Persidem; sive quod fideles a Simone Chananæo, Bartholomæo et Thoma (hos enim prædicasse Parthis et Persis tradit Sophronius, *De Viris illustribus*, et alii) in Perside et Parthia conversi, iis morte et martyrio functis, petierint a S. Joanne grandævo monumentum aliquod Ecclesiæ, quo in fide et vita Christiana confirmarentur, aut ultro id eis ingesserit S. Joannes, utpote conversionis Gentium et propagandi Evangelii sitientissimus. Apostoli enim cum ubique præsentes adesse et Evangelizare non possent, id absentes præstabant per Epistolas; ἀποστολὴς ergo, id est apostolatus, vice fungebatur ἐπιστολή, ipsaque Epistola erat quasi apostola. Sane Antonius Quadrius, Provincialis Societatis Jesu in India Orientali, et Michael Barulus in Epistolis Goa datis anno Christi 1555, scribunt etiamnum nonnullos e Persis fidem Christianam profiteri, eamque S. Joanni acceptam ferre (2).

Epistola est Apostola.

Græce scripta.

Græce scriptam esse Epistolam, æque ac cæteras SS. Petri, Jacobi et Judæ consentiunt Interpretes : Græcus enim sermo a tempore Alexandri Magni plurimas gentes pervasit.

Porro quod Joannes initio Epistolæ nomen suum subticuerit, quid mirum? Idem fecit S. Paulus, epistola *ad Hebræos*. Idem facimus hodie plerique omnes, qui Epistolis nomen non præfigimus, sed subscribimus, præsertim cum

(1) Resenmullerus aliud, saltem ex parte, hujus Epistolæ argumentum assignat. Locum nempe, cap. IV, 2, *Jesum Christum in carne venisse*, ita interpretatur, ut caro hic significet vitæ conditionem tenuem et miseram, adeoque omnem Christi ταπείνωσιν. Porro, multi ex Judæis *humilitate* Jesu offendebantur, eamque ob causam negabant eum esse Dei Filium, Messiam. Judæorum votis illa quidem ætate Messiam avide expetitum esse novimus, at non *in carne* venientem, id est humilem, obscurum, ignominiosæ morti obnoxium, sed potentem, sed splendore externo conspicuum, hostium debellatorem, publicæ libertatis vindicem. Ad hos carnalium Judæorum errores confutandos, inquit Rosenmullerus, per universam epistolam sermo recurrit de Jesu Messia, de ejus humilitate in terra et morte cruenta, per quam impunitatem et salutem consequamur.

(2) A quorumdam Patrum opinione, hanc Epistolam ad Parthos fuisse scriptam, hodiernorumque, plerique recedunt. Juxta D. Glaire, encyclica fuit, nec ad certam ac singularem Ecclesiam missa. Probabilius Allioli censet, Joannem scripsisse ad Ecclesias Asiæ minoris, easdem scil. ad quas scripserant Jacobus, Petrus et Judas; nam tota Epistola eo spectat, ut confirmetur Christianorum constantia, quam omni ope labefactare nitebantur illi impostores, et falsi doctores, quos Jacobus etiam, Petrus et Judas notant in suis Epistolis.

Epistolæ hujus auctor fuerit Spiritus Sanctus potius quam S. Joannes. Auctor ergo « valde supervacue » quæritur, ait S. Gregorius, præfat. *in Job*, cap. 1, « cum auctor libri Spiritus Sanctus fideliter credatur. Ipse igitur hæc scripsit, qui hæc scribenda dictavit. Si magni cujusdam viri susceptis Epistolis legeremus verba, eaque quo calamo fuissent scripta quæreremus, ridiculum profecto esset,» etc. (1).

Videtur S. Joannes jam senex et omnium quasi terrenorum oblitus, ac anhelans ad Christum, hic æque ac in Evangelio, magnitudine mysterii et charitatis Christi absorptus, omisso nomine æque ac salutatione, ab ipso mysterio tam sublimi ordiri, ut eo secum rapiat lectorem, itaque insinuet se Epistolæ hujus, æque ac Evangelii esse auctorem. Ita Thomas Anglicus. Idipsum satis indicant primæ Epistolæ verba, quibus cum Christo incarnato mire deliciatur et dissuaviatur.

In senio

Denique S. Joannem in senio has Epistolas scripsisse, patet ex ipsis ejus verbis, quibus se seniorem vocat, fideles vero filiolos, ac quasi senex non aliud pene quam charitatem inculcat. Quo anno præcise scripserit, incertum est. Videtur sub idem tempus quo scripsit Evangelium, eas scripsisse; magna enim earum cum Evangelio est consonantia. Unde Baronius tam illud quam has consignat anno Christi 99, qui fuit Clementis Pontificis septimus, Nervæ imperatoris primus.

Claudat argumentum aurea S. Gregorii sententia, hom. 15 *in Ezech.* : « Succendi, ait, cor nostrum igne charitatis quærimus? Joannis verba pensemus, cujus omne quod loquitur, charitatis igne vaporatur. » Non enim aliud spirat, repetit et inculcat quam amorem Dei, Christi et proximi : perinde ac senes et amantes non aliud cogitant et loquuntur, quam illud quod amant et tota vita amaverunt.

(1) Hanc causam esse putat Grotius, cur hæc Epistola neque in fronte nomen titulumque Apostoli, neque in fine salutationes Apostolici moris contineat, quia nimirum in terras (Parthorum), hostiles Romanis, hæc Epistola per mercatores Ephesios mittebatur, multumque nocere poterat Christianis, si deprehensum fuisset hoc, quanquam innocens, litterarum commercium.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

***Prædicat Verbum incarnatum** a se visum, auditum et manibus contrectatum, ut cum illo et per illud societatem habeamus cum Deo Patre. Inde, vers. 5, docet Deum esse lucem expertem plane tenebrarum, ac proinde Christianos in luce vitæ Christi debere ambulare. Tertio, vers. 8, docet neminem a peccato esse immunem, ac proinde quemlibet debere confiteri se esse peccatorem : quod si faciat, sanguis Christi emundabit eum ab omni peccato.*

1. Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ : 2. et vita manifestata est, et vidimus, et testamur, et annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, et apparuit nobis : 3. quod vidimus et audivimus, annuntiamus vobis, ut et vos societatem habeatis nobiscum, et societas nostra sit cum Patre, et cum Filio ejus Jesu Christo. 4. Et hæc scribimus vobis ut gaudeatis, et gaudium vestrum sit plenum. 5. Et hæc est annuntiatio, quam audivimus ab eo, et annuntiamus vobis : Quoniam Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ. 6. Si dixerimus quoniam societatem habemus cum eo, et in tenebris ambulamus, mentimur, et veritatem non facimus. 7. Si autem in luce ambulamus, sicut et ipse est in luce, societatem habemus ad invicem, et sanguis Jesu Christi, Filii ejus, emundat nos ab omni peccato. 8. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est. 9. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, et justus, ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate. 10. Si dixerimus quoniam non peccavimus, mendacem facimus eum, et verbum ejus non est in nobis.

Vers. 1. 1. QUOD FUIT AB INITIO. — Junge cum eo quod sequitur, « de Verbo vitæ, » hoc est, ipsum Verbum vitæ, quod fuit ab initio, annuntiamus vobis; dicit tamen *de Verbo*, non *Verbum*, quia τὸ *de Verbo* proxime pendet ab eo quod immediate præcedit : « Manus nostræ contrectaverunt, » de quo mox. Ita Lyranus, Hugo, Catharinus, Gagneius. Unde Syrus vertit, *evangelizamus vobis illud quod erat ab initio*. Initium Epistolæ antistrophon est Evangelii S. Joannis : « In principio erat Verbum. » Et rursum : « Quod vidimus oculis nostris, et manus nostræ contrectaverunt, » antistrophon est Evangelii cap. I, vers. 14 : « Et verbum caro factum est, et habitavit in nobis; et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre. » Primo ergo S. Joannes hic, uti et in Evangelio, astruit æternitatem et divinitatem Christi, deinde ejus incarnationem; quæ sunt duo præcipua mysteria, et quasi duo cardines, duoque poli in quibus vertitur tota summa gyrusque fidei Christianæ.

Nota : Pro *fuit* græce est ἦν, id est *erat*; unde initio Evangelii ita vertit Interpres : « In principio erat (græce ἦν) Verbum; » vox enim *erat* « ducit nos ad æternitatem, » ait S. Basilius ibidem; « ut intelligeremus omnia tempora prævenisse coæternum Patri Verbum, » ait Beda; quodcumque enim tempus assignes, vel imagineris anticipando, semper verum est dicere : Jam tunc erat Verbum. Nam in principio mundi erat Verbum, mille annis ante mundum erat Verbum, mille millionibus annorum ante mundum erat Verbum, ac quotcumque annos antevertendo anticipes, semper vere dicam : Jam tunc erat Verbum, quia omnes annos imaginabiles Verbum prævenit, fuitque ab æterno.

Porro τὸ *erat* non significat Verbum antecessisse illud principium de quo dicitur : « In principio erat Verbum, » ita ut per *principium* accipi debeat principium temporis et mundi, ante quod fuit Verbum, sed quod in principio durationis, vel æternitatis (ita enim nos primordia æternitatis mente imaginamur, cum a parte rei nulla ejus fuerint primordia, nullum ejus principium) quo prius et anterius non fuit Verbum, nisi ratione tantum, hoc est, quod jam olim ab omni æterni-

Verbum *erat* notat primo æternitatem Verbi.

tate erat Verbum. Ubi nota potius dici *erat verbum*, quam *fuit Verbum*, quia *fuit* significat rem præteriisse, *erat* etiamnum esse, sive esse perennem. Ita S. Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus, et alii in cap. I *Evangel. S. Joannis*. Posuit τὸ *erat* S. Joannes contra Arianos futuros, quorum hæc fuit vox : « Erat quando non erat, » hoc est, erat tempus quando non erat Verbum, quia antequam nasceretur non erat : negabant enim Verbum esse æternum. Unde hanc eorum vocem damnat Concilium Nicænum, æque ac S. Joannes initio Evangelii, ubi proinde quater repetit τὸ *erat, erat, erat, erat, q. d.* Quodcumque cogites tempus, jam in eo erat Verbum; quodcumque ævum, jam erat Verbum; quidquid anticipes, jam erat Verbum : ita S. Basilius, lib. II *Contra Eunom.* : « Quantumcumque, ait, volueris mentis inquisitione retrocurrere, pertransire tamen quod erat, et ultra illud ferri cogitationibus non poteris. »

Secundo, generationem. *Secundo, erat* significat generationem æternam Verbi. Nam « in principio erat Verbum » idem est quod ab æterno genitum est Verbum : hæc enim generatio in ratione Verbi divini includitur, uti mox dicam.

Tertio, divinitatem. *Tertio*, Elias Cretensis in Nazianzeni orat. 4 *Theolog.*, notat verbum substantivum *sum, est, erat*, proprium esse Dei. Deus enim substantiæ, sive essendi est plenitudo et immensitas, puta pelagus essentiæ immensum, et oceanus entis : indeque hebr. vocatur *Jehova*, id est *qui est*, græce ὁ ὤν, *Exodi* cap. III, vers. 14, et cap. VI, vers. 3; unde Didymus hic, et Cyrillus, lib. I *in Joannem*, cap. I, et Ambrosius, lib. I *De Fide*, cap. V, solerter observant de singulis creaturis dici tantum quod sint aliquid; de solo Deo autem dici absolute *quod est*.

Quarto. *Quarto*, τὸ *erat* significat ita fuisse Verbum, ut tamen etiamnum maneat et perseveret; hæc enim perseverantia significatur verbo imperfecto, ut docet S. Thomas in cap. I *S. Joannis*, quin et Plinius, Præfat. *Natur. histor. Erat* ergo idem est quod *fuit, est* et *erit, q. d.* Verbum semper fuit, semper est, semper erit, estque prorsus æternum. Audi S. Basilium, lib. *De Spiritu Sancto*, cap. VI : « Cum dixit Joannes : In principio erat Verbum, duabus vocibus cogitationem intra præscriptos terminos reclusit. Hæc enim vox, *erat*, nullum cogitationi præbet exitum; quemadmodum hæc, *principium*, non dat transitum humanæ mentis cogitationi; quantumvis enim cogitatione curras ad anteriora, non excedis *erat*; et quantumvis institeris videre quæ sint ultra Filium, non poteris tamen superare *principium*. » Quanquam si proprie de Deo loquamur, nullo tempore ejus æternitas circumscribi potest; nam, ut ait S. Gregorius Nazianzenus : « Deus et semper erat, et est, et erit; vel, ut rectius loquar, semper est : nam erat et erit hujus nostri temporis, fluxæque et caducæ naturæ segmenta sunt; ille autem semper est, atque hoc modo se ipsum nominat, cum Mosi oraculum dedit. » Quod approbans S. Augustinus : « Mentis quippe, ait, aspectu omnem mutabilitatem ab æternitate sejungo, et in ipsa æternitate nulla spatia temporis cerno, quia spatia temporis præteritis et futuris motibus constant; nihil autem præterit in æterno, et nihil futurum est, quia et quod præterit, esse desinit; et quod futurum est, nondum esse cœpit; æternitas autem tantummodo est, nec fuit quasi non sit, nec erit quasi adhuc non sit. » Atque ita Plato : « Erat, inquit, et erit, quæ nati temporis species sunt, non recte æternæ substantiæ assignamus; dicimus enim de illa : Est, erat et erit; sed illi revera solum esse competit : fuisse vero et fore deinceps ad generationem tempore procedentem referre debemus. Motus enim quidam duo illa sunt; æterna autem substantia cum eadem semper et immobilis perseveret, neque senior seipsa fit unquam, neque junior, neque fuit hactenus, nec erit in posterum, neque recipit eorum quidquam quibus res corporeæ mobilesque ex ipsa generationis conditione subjiciuntur. »

Dices : Cur ergo interpres Latinus τὸ ἦν, id est, *erat*, hoc loco vertit, *fuit* ? Respondeo, quia præteritum *fuit* poscunt cætera præterita quæ subdit Joannes, scilicet « quod vidimus, quod audivimus, quod perspeximus, » ut sit apta verborum ejusdem temporis connexio. *Secundo*, quia τὸ *fuit* clarius significat Verbum nunquam incœpisse, ut volebat Ebion, sed fuisse ab æterno. *Tertio, fuit* sæpe capitur pro *erat*, et *erat* pro *fuit*, unde S. Ambrosius, lib. I *De Fide*, cap. V, hic æque ac in *Evangel.* vertit, *quod erat in principio*. Denique Scriptura Deo et Verbo nunc tribuit verbum *est*, nunc *erat*, nunc *fuit*, nunc *erit*, quia Dei æternitas omnia tempora ambit et complectitur. Audi S. Augustinum, tractat. 99 *in Joan.* : « Quanquam natura Dei immutabilis et ineffabilis non recipiat *fuit* et *erit*, sed tantum *est* : ipsa enim veraciter est, quia mutari non potest : tamen propter mutabilitatem temporum in quibus versatur nostra mortalitas et mutabilitas, non mendaciter dicimus, et fuit, et erit, et est; » fuit, quia nunquam defuit; erit, quia nunquam deerit; est, quia semper est.

AB INITIO. — Ἀπ' ἀρχῆς. In Evangelio Joannes ait ἐν ἀρχῇ, id est *in principio*. Alludit ad *Gen.* cap. I, vers. 1. Sicut enim Moses genesim et primordia mundi enarraturus ita orditur : « In principio creavit Deus cœlum et terram; » sic Joannes enarraturus genesim et quasi primordia Verbi, ita orditur : « In principio erat Verbum, » ubi vides discrimen inter *creavit* et *erat* : mundum enim Deus creavit in principio temporis, Filium autem genuit in principio æternitatis; idque significat τὸ *erat*. Recte Tertullianus, *Contra Hermogenem*, asserit Evangelium esse supplementum veteris Testamenti. Sic enim Joannes supplet exor-

Principium Verbi quod ?

dium Mosis, dum prævenit ejus principium creationis mundi per principium Verbi, quo post multa sæcula creatus est mundus.

esp. Primo. Quæres quid significet hic initium sive principium? Respondeo, *primo*, S. Cyrillus et Origenes in *Evang. S. Joannis*, cap. I, per *principium* accipiunt Deum Patrem, *q. d.* In principio, id est, in Patre, ejusque sinu æterno, erat Verbum.

Secundo. *Secundo*, simplicius, S. Augustinus et Beda ibidem, et Hilarius, lib. II *De Trinit.*, accipiunt principium mundi vel temporis omnis, etiam ejus quod ante mundum imaginamur coextitisse æternitati Dei : ante omne enim hoc, Verbum non est factum, sed jam erat ab æterno, quia nunquam est factum, juxta illud *Psalm.* CIX : « Ante luciferum genui te. » Et *Prov.* VIII, 25 : « Ante colles ego parturiebar. Adhuc terram non fecerat et flumina, » etc. Audi S. Hilarium : « Quid est istud, In principio erat? transeunt tempora, transcenduntur sæcula, tolluntur ætates, pone aliquid quod voles, tua opinione principium; non tenes tempore : erat enim. » Ac nonnullis interjectis : « Meus piscator (S. Joannes) vicit omne principium : erat enim quod est, neque tempore aliquo concluditur, ut cœperit quod erat potius in principio, quam fiebat.

Tertio. *Tertio* et simplicissime, S. Augustinus, Chrysostomus, Theophylactus in cap. I *Evang. S. Joannis*, et alii : « In principio, » inquiunt, id est ante omnia, vel ab initio omnis durationis et æternitatis, ab omni æternitate, longe ante omnes angelos, homines omnesque res creatas erat Verbum. Principium enim verum, non imaginarium, intelligit Joannes, æque ac Moses *Gen.* I, 1. Unde Patres passim ex τῷ *in principio*, probant æternitatem Verbi contra Arianos. Alludit enim Joannes ad *Prov.* cap. VIII, vers. 22 : « Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio. » Unde et Nonnus Pentapolitanus, qui heroico carmine Græco reddidit Evangelium S. Joannis, τὸ *in principio* exponit, *primo*, intemporaneum; *secundo*, Patri coævum; *tertio*, Patri natura æquale; *quarto*, incomprehensibile; *quinto*, ineffabile : hæc enim quatuor vicissim et gradatim ex primo consequuntur. Verba Nonni sunt :

Ἄχρονος ἦν, ἀκίχητος, ἐν ἀῤῥήτῳ λόγος ἀρχῇ
Ἰσοφυής, γενετῆρος ὁμήλικος, υἱὸς ἀμήτωρ,

hoc est :

Sine tempore erat, incomprehensibile, in ineffabili
Verbum principio,
Æqualis naturæ, Patri coævum, Filius sine matre.

Τὸ ergo *in principio* idem est quod ab æterno, et ut Michæas ait, cap. V, vers. 2 : « Egressus ejus ab initio a diebus æternitatis. » Æternitas enim est principium sine principio, et principium omnis principii. Ita S. Athanasius, orat. *Contra Arian.*, Clemens, Hugo Glossa, Dionysius, Catharinus, hic, et S. Ambrosius, lib. I *De Fide*, cap. V : « Joannes, ait, in epistola dicit : Quod erat in principio, indefinite tenditur *erat*; quidquid excogitaveris, erat Filius; quod erat in principio, non includitur tempore, non principio prævenitur. » S. Augustinus, serm. 6 *De Temp.* : « Qui in principio erat, inquit, intra se concludit omne principium. » Et Nazianzenus, oratione *De Fide* : « Quodcumque principium assignare volueris, præjudicatum habebis, quia in principio erat. » Expressius vero S. Cyrillus lib. I *in Joan.*, cap. I : « In principio, inquit, si quidem definitionem principii retinet, nihil antiquius est; nunquam enim principii principium poterit excogitari : nam si aliud quiddam ante principium intelligitur, excidet profecto, nec erit vere principium. Præterea si ante vere principium aliud inveniri poterit, in infinitum nobis erit procedendum, aliud semper ante aliud quærentibus, nec in uno simpliciter principio consistentibus. »

Posset *quarto*, τὸ *quod fuit ab initio* sic exponi, Quarto. *quod fuit initium*. Verbum enim fuit initium sive principium tum spirationis Spiritus Sancti, tum creationis rerum omnium. Alludit enim ad *Proverb.* VIII, 22 : « Dominus possedit me in initio viarum suarum, » ubi Septuaginta vertunt, « Dominus creavit, » id est, fecit me « principium viarum suarum in opera sua. » Verbum enim fuit idea per quam et ad quam Deus opera omnia produxit.

Porro S. Joannes per τὸ *in principio* astruit æternitatem Filii Dei contra Cerinthum et Ebionem, qui eodem tempore docebant Christum fuisse merum hominem, ac proinde principium accepisse, cum ex Beata Virgine natus est more cæterorum hominum. Unde contra Ebionem scriptum esse a S. Joanne Evangelium, ad adstruendam Christi divinitatem, testatur S. Hieronymus, lib. *De Scriptur. Eccles.*, in *Joanne*. Hunc Ebionis errorem secutus est Paulus Samosatenus sub annum Christi 196, et Photinus sub annum Christi 350, teste Cassiodoro, lib. III *Tripart.*, cap. V. Idem ex parte senserunt Ariani : licet enim concederent Verbum fuisse antequam nasceretur in carne, tamen negabant illud ab æterno genitum, sed in tempore creatum primamque Dei creaturam esse asserebant.

Nota : Hæc sententia unimembris : « Quod fuit ab initio, » implicite complectitur illam trimembrem in Evangelio S. Joannis, cap. I, vers. 1, nimirum : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum; » unde eo tacite lectorem hic remittit S. Joannes. Quod enim fuit a principio, puta ab æterno, necesse est ut fuerit apud Deum, sitque ipse Deus : nihil enim est æternum nisi Deus.

Denique *primum* sententiæ membrum, scilicet, « in principio erat Verbum, » proprie et explicite significat Verbi *quando*, puta æternitatem. *Secundum*, scilicet « Verbum erat apud Deum, » significat Verbi *ubi*, et a Patre distinctionem.

Tertium, scilicet « et Deus erat Verbum, » clare significat Verbi essentiam, et essentiæ cum Patre identitatem. Hæc tria nobis contulit Verbum in sua incarnatione, in qua humanitatem quasi sponsam Verbo despondit æterno, ut totum per genus humanum eidem jungeret et desponderet, ut hac ratione nos temporales fieremus æterni, terrestres fieremus cœlestes, homines fieremus dii; ut scilicet nostrum quando, nostrum ubi, nostra essentia defixa esset in Verbo divino et æterno.

Præclare S. Gregorius Nazianzenus, orat. 38 *De Christi Nativit.* : « Ipse Dei Filius, inquit, ille sæculis antiquior, ille invisibilis, ille incomprehensibilis, ille incorporeus, illud ex principio principium, illud ex lumine lumen, ille fons vitæ et immortalitatis, illa archetypi expressio, illud immotum sigillum, illa per omnia similis imago, ille Patris terminus et ratio, ille, inquam, ad imaginem suam se confert, et carnem ob carnem gerit, et cum intellectuali anima propter animam meam jungitur, ut simile per simile repurget. » Et mox : « Progressus autem Deus cum humanitate, unum ex duobus inter se contrariis, carne nimirum et spiritu, quorum alterum deificavit, alterum deificatum est. O novam mixtionem ! o admirandam temperationem! Qui est, fit : qui creatus non est, creatur : qui nullo loco contineri potest, per interventum animæ intellectualis inter divinitatem et carnis crassitiem continetur. Qui locupletes alios ditat, paupertate afficitur : carnis enim meæ paupertatem subit, ut ego divinitatis ipsius opus consequar. Qui plenus est, exinanitur : sua enim gloria ad breve tempus exinanitur, ut ego plenitudinis ipsius particeps efficiar. Quænam hæ bonitatis divitiæ? quodnam me circumstat mysterium? Divinam imaginem accepi, nec custodivi : ille carnis meæ particeps fit, ut et imagini salutem, et carni immortalitatem afferat.»

Quod audivimus, quod vidimus. — Lyranus hoc refert ad prædicationem et judicium Christi factum a Joanne Baptista. Didymus, Hugo et alii referunt ad oracula Prophetarum, quibus prædixerant Christum in carne appariturum et docturum homines viam salutis, ut Baruch, cap. III, vers. 36, et ad apparitiones Dei quibus apparuit Adæ, Abrahæ, Jacob, Mosi et Prophetis in veteri Testamento. In his enim licet apparuerit tota Trinitas, tamen speciatim apparuit, hoc est, repræsentatum fuit in iis Verbum sive Filius Dei, ut significaret et quasi præluderet se suo tempore vere carnem assumpturum, et in ea appariturum, uti docent Clemens Romanus, lib. V *Constit.*, cap. XXI; Justinus *Contra Tryphonem*; Origenes, hom. 1 in cap. VI *Isaiæ*; Eusebius, I *Hist.*, cap. II; Hippolytus, *De Consummat. sæculi*; Tertullianus, lib. *Contra Judæos*; S. Leo, epist. 13 *ad Pulcheriam*; S. Augustinus, lib. *Contra Adiman.*, cap. IX; Prudentius in *Apotheo. contra Patripassian.*; S. Hieronymus in *Isaiæ* VI. Licet enim in omnibus apparitionibus veteris Testamenti, ac præsertim in nobilissima illa, qua a Deo data fuit lex Mosi et Hebræis in Sina, *Exodi* cap. XIX, proprie apparuerit persona non Dei, sed angeli, uti docet S. Paulus *ad Galat.* cap. III, vers. 19, et S. Dionysius, *Cœlest. Hier.*, cap. IV; S. Hieronymus, *ad Galat.* III; S. Augustinus, lib. III *De Trinit.* XI; S. Gregorius, XXIV *Moral.* II, tamen angelus hic repræsentabat Deum, ac speciatim Verbum, sive Filium Dei Patris. Ad has ergo Dei et Verbi apparitiones referunt auctores paulo ante citati hæc verba S. Joannis, sed minus congrue : nam sic audiverunt et viderunt Verbum Patriarchæ et Prophetæ, sed typice et ænigmatice, non autem Joannes et Apostoli, qui clare et personaliter, idipsum viderunt et audierunt, quod hic significare intendit S. Joannes. Sensus ergo est, *q. d.* Nos Apostoli et discipuli Christi vidimus Verbum carne humana indutum, illudque ore humano loquens et docens audivimus, juxta id quod consonanter ait Paulus *Hebr.* cap. I, vers. 1 : « Multifariam multisque modis olim loquens Deus Patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio. » Ita Beda, Clemens, Hugo, Dionysius. Alludit ad illud Dei Patris de Verbo : « Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite, » *Matth.* XVII, 5.

Porro S. Joannes præmittit auditum visui, dicens primo : « Quod audivimus, « deinde, » Quod vidimus, » tum quia auditus, ait Aristoteles, est sensus disciplinæ et fidei : « fides » enim est « ex auditu, » *Rom.* X, 17; tum quia gradatim crescit ejus oratio, ac a minoribus et minus certis ascendit ad majora et certiora : certior est enim visus quam auditus. « Pluris enim est testis de visu, quam auriti multi, » ait Plautus in *Truculento* : sed utroque certior est tactus; unde de eo subdit : « Et manus nostræ contrectaverunt, » *q. d.* Nos Verbum incarnatum non tantum audivimus auribus, et oculis vidimus, sed et ipsis manibus palpavimus et contrectavimus : illud ergo vere incarnatum firmissime credite, amate et adorate. Præclare S. Augustinus, serm. 52 *De Diversis* : « Homo, ait, sequendus non erat, qui videri poterat : Deus sequendus erat, qui videri non poterat. Ut ergo exhiberetur homini et qui ab homine videretur, et quem homo sequeretur, Deus factus est homo. » Idem in *Psalm.* XXXIII : « Ne dedignaretur homo imitari hominem humilem, Deus factus est humilis, ut vel sic superbia generis humani non dedignaretur sequi vestigia Dei. » Et S. Gregorius, XXIX *Moral.*, cap. I : « In nativitate divina Christus ab humano genere cognosci non poterat : proinde in humanitate venit, ut videretur; videri voluit, ut imitaretur. » Idcirco in carne et sanguine nostro voluit nobis fieri consanguineus et frater. Nam, ut ait S. Augustinus in *Psal.* XLVIII : « Qui dicit Deo, Pater noster, Christo dicit, Frater. » Denique Hugo Victorinus in lib. *Sententiarum* paucis incarnationis causas complectens : « Deus, ait, homo factus est, *primo*, ut idem esset redemptor qui creator; *secundo*, ut de suo

liberaretur homo; *tertio*, ut familiarius ab homine diligeretur Deus in similitudine hominis apparens; *quarto*, ut uterque sensus in ipso beatificaretur, et reficeretur oculus cordis in ejus divinitate, et oculus corporis in ejus humanitate, ut sive ingrederetur, sive egrederetur, in ipso pascua inveniret natura ab ipso condita. » Hoc est quod admirans, et cum Christo dissuavians ait Paulus *ad Tit.* III : «Apparuit benignitas,» græce φιλανθρωπία, id est, singularis ille erga homines amor, « Salvatoris nostri Dei. »

QUOD PERSPEXIMUS. — Græce ἐθεασάμεθα, id est, « quod oculis intuiti, quod admirati sumus : θεᾶσθαι enim est cum admiratione et stupore inspicere,» ait Œcumenius; item curiose, exacte, sagaciter inspicere et perspicere; denique publice quasi in theatro mirum novumque spectaculum, sed omnibus conspicuum inspicere : unde Vatablus vertit, *quod spectavimus velut in hoc expositum*. Sic Paulus ait : « Spectaculum, » græce θεατρόν, id est *theatrum*, « facti sumus mundo, et angelis, et hominibus, » I *Corinth.* IV, 9. Unde τὸ *perspeximus* ad oculos non tantum corporis, sed et phantasiæ et mentis pertinet : hac enim sola Christi divinitatem perspexerunt Apostoli, eam colligentes ex Christi doctrina, sanctitate, miraculis, etc. Ita Didymus. Nota : Verbum cum sit subtilissimus spiritus, in se videri oculis, aut cerni oculis nequit : unde carnem assumpsit, ut per eam videri et audiri posset. Per carnem ergo visum et auditum est, perinde ac Rex videtur per purpuram, et sol transparet per nubem, ignis per ferrum ignitum, candela ardens per laternam, anima per carnem, substantia per sua accidentia, angelus per corpus assumptum : Verbum enim humanitate tectum et vestitum fuit quasi purpura, nube, ferro, laterna, carne, etc.; omnibus enim unionibus hisce similis fuit unio Verbi cum humanitate, sed iis longe perfectior : omnes enim jam dictæ uniones, excepta animæ cum carne et corpore, sunt accidentales aut locales, qualis est unio ignis cum ferro : manet enim substantia ferri, sed in ejus poros se insinuat ignis, ut in eodem loco sit cum ferro, ac per illud traluceat : Verbi vero unio cum humanitate est substantialis, qualis est animæ cum corpore. Unde S. Athanasius in *Symbolo* : « Sicut, inquit, anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus; » sed hoc discrimine, quod anima carni uniatur essentialiter, ita ut cum ea faciat unum compositum essentiale, unamque essentiam hominis : at vero Verbum cum carne non unitur essentialiter; non enim informat carnem ut facit anima, nec cum ea unam constituit essentiam, utpote cum in Christo maneat essentia divina plane discreta et distincta ab essentia humana; sed unitur ei hypostatice sive personaliter : nam in eadem persona Verbi subsistit humanitas æque ac divinitas. Simili modo in Eucharistia videtur Christus, ejusque deitas et humanitas abscondita per species panis et vini : hæ enim sunt species, non panis, utpote qui jam desiit, sed corporis Christi. Unde de ea vere dixit S. Chrysostomus, hom. 60 *ad Populum* : « Ecce enim (Christum) vides, ipsum tangis, ipsum manducas. »

Uniones similes unioni Verbi cum carne.

ET MANUS NOSTRÆ CONTRECTAVERUNT. — Ἐψηλάφησαν, id est *palparunt*, uti faciunt cæci manu rem attrectantes, scrutantes et indagantes. S. Thomas enim post resurrectionem palpavit corpus Christi ejusque cicatrices, indeque ex incredulo factus est fidelis, *Joan.* XX, 27. Rursum cæteri Apostoli die Dominica Resurrectionis videntur palpasse Christum, ut de ejus resurrectione dubii, de eadem per tactum plagarum certi fierent, utque eas devote venerarentur, juxta ejus jussum : « Palpate, inquit, et videte quia spiritus carnem et ossa non habet, » *Luc.* XXIV, 39. Ita S. Leo, *epist.* 97; et S. Augustinus, serm. 147 et 160 *De Temp.*; S. Athanasius, orat. *Contra Arianos*; Beda hic; Suarez, III *part.*, tom. II, disp. 49, sect. 4; Maldonatus in cap. XXIV S. *Lucæ*, vers. 39; Canisius, lib. IV *De B. Virg.*, cap. II : licet Euthymius censeat solum Thomam tetigisse plagas Christi. Denique in mensa et conversatione quotidiana, ac præsertim aliunde venientes, vel abeuntes Apostoli Christum amplexati sunt, et contrectaverunt ex amore, devotione et reverentia, præsertim ubi eum esse Deum agnoverunt. « Unus enim, ait Œcumenius, erat indistinctus, idem spectabilis et inspectabilis, perceptibilis et imperceptibilis, tangibilis et intangibilis, humane loquens et tanquam Deus miracula operans. ».

Denique credibile est S. Joannem peculiariter Christo devotum, familiarem et amicum, peculiari modo et affectu, tum, ut ait Beda, in cœna, cum supra Christi pectus recubuit, tum alias eum contrectasse. Unde Clemens Alexandrinus hic : « Fertur, ait, in traditionibus, quoniam Joannes ipsum corpus quod erat extrinsecus tangens, manum suam in profunda miserit, et duritiem carnis nullo modo reluctatam esse, sed locum manui præbuisse discipuli. » Quod cum grano salis accipe; videtur enim dicere Clemens plagas Christi fuisse obductas carne et nervis, ideoque duras, sed per miraculum cessisse discipulis, ut viderentur sibi eas apertas tangere. Certum enim est ipsas plagas apertas, puta foramina pedum, manuum et lateris mansisse et manere in corpore Christi, uti docent SS. Augustinus, Ambrosius, Cyrillus, Cyprianus et alii, quos citat et sequitur Suarez, III *part.*, tom. II, disp. XLVII, sect. 2.

Nota : Joannes tot verbis inculcat et exaggerat Verbi incarnationem et apparitionem in carne, tribus de causis. *Prima*, ut contra Basilidem illo ævo docentem Christum assumpsisse carnem apparentem et phantasticam, non veram, ac proinde non vere esse crucifixum, sed in imagine duntaxat, doceret Christum veram et realem carnem assumpsisse; in eaque realiter passum, realiter

nos redemisse et sanctificasse. Ita Epiphanius, *hæresi* 24.

Secunda, ut fideles in fide incarnationis plene confirmet, infidelibus vero ejus fidem persuadeat, petito argumento a tribus sensibus, qui fidelissimi et perspicacissimi habentur : tales enim sunt visus, auditus et tactus. Asseverat ergo se cum Apostolis Verbum incarnatum vidisse, audisse, attente perspexisse et contrectasse. Sic Petrus Christum resurrexisse probat testimonio oculari suo et Apostolorum, dicens : « Hunc Deus suscitavit tertia die, et dedit eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus præordinatis a Deo, nobis qui manducavimus et bibimus cum illo, » *Actor.* X, 40. Nam, ut ait Tertullianus, lib. *De Anim.,* cap. XVII, « falsa utique testatio, si oculorum et aurium et manuum sensus natura mentitur. »

Tertia, ut ostendat Verbi dignationem et Apostolorum dignitatem. Verbum enim dignatum est e cœlo in terram descendere, ac se limo, carni, inquam, nostræ ex limo formatæ, ac Deum homini arctissimo ejusdem hypostaseos et personæ vinculo sociare et nectere, ita ut omnia attributa Dei sint attributa hominis, et vice versa, ac proinde per attributa hominis deitatem ejusque attributa Apostolis ostendit.

Hac de causa Verbum caro factum est, ut intactile fieret tactile, ait Nazianzenus, *orat.* 38, indeque cognoscibile. Dei enim, utpote spiritus, effigiem in mente nobis efformare non possumus : ut ergo eum concipere, invocare, imo cernere, alloqui et tangere possemus, factus est homo. Unde S. Paulinus, epist. *ad Florentinum* : « Hic, ait, Dominus et Deus noster qui in terris visus est, et inter homines conversatus est pro nobis, ovis et pastor in nobis est, quia nos invisibili baculo et salutari virga intus reget, ut etiamsi ambulemus in umbra mortis, non timeamus mala, quia nobiscum Deus est, Emmanuel ille Dominus majestatis et filius ancillæ, quorum alterum natura, alterum factus est. Idem creator hominis et redemptor, Deus ex Deo, homo pro homine; Filius Dei ante sæcula, filius hominis pro sæculo; forma servi pro libertate servorum, et pauper factus, ut pauperes sua egestate locupletet; quia ipse est dives in omnes omnis boni, qui omnia in omnibus adimplet, plenitudo divinitatis, spes omnium finium terræ, et in mari longe, Deus salutaris noster, mediator hominum et Dei, homo Christus Jesus, qui est in gloria Dei Patris super omnes Deus benedictus in sæcula. »

Christus homo nobis est patrimater, cur? Resp. Primo.

Hic ergo Deus, qui olim in deitate tantum erat pater, per humanitatem assumptam factus est hominibus quasi mater, ideoque πατριμήτωρ, id est *patri-mater,* non tantum ob quatuor modos et causas quas recensui *Actor.* XVII, 24 et 29, sed etiam quia Deus quasi sponsus humanitatem matrem nostram, quasi sponsam, sibi perenni conjugio arctissime copulavit, assumpsit et induit, idque repræsentatum est per matrimonium Adæ cum Eva, de quo dictum est *Genes.* II, 24 : « Et erunt duo in carne una. » Per humanitatem igitur nos nostramque naturam sibi despondit, ut esset nobis mater, qui prius fuerat pater, itaque ad eum fidenter accederemus. Solent filii timentes patris severitatem adire matrem, et per eam impetrare id quod volunt a patre : tenerior enim est amor matris in filium, quam patris. Ita fideles et Ecclesiæ per humanitatem Christi invocant Deum, omniaque ab eo impetrant : unde Ecclesia omnes collectas et orationes concludit, dicendo : « Per Christum Dominum nostrum. » Ad hæc humanitas Christi est quasi mater, quia sicut mater suum infantem magno et continuo dolore in utero gestat, format, parturit, lactat, fasciat, bajulat, educat et in virum efformat : ita et Christus quasi mater per 34 annos magnis et continuis laboribus et doloribus, præsertim in cruce et morte nos concepit, parturivit, aluit, pavit, efformavit. Secundo.

Tertio, quia incarnatio Filii Dei fuit opus tum summæ mentis et sapientiæ, tum summæ bonitatis, quæ attribuitur Spiritui Sancto, sicut illa attribuitur Verbo; sapientia autem, sive idea ac bonitas sese habent quasi mater respectu omnipotentiæ, quæ est quasi pater; Deus enim Pater Verbo suo quasi idea, mente et matrice concepit, formavit et produxit omnia. Idem sua bonitate quasi matre viscera misericordiæ in nos effundit, præsertim per incarnationem, de qua Zacharias, *Lucæ* I, 78 : « Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto. » Hinc Deus quasi mater per Isaiam, cap. XLIX, vers. 15, homines quasi filios blande ad se advocat, illicitque, dicens : « Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui. » Hinc et Christus veniens in carnem, ex matre sola nasci voluit sine patre, ut instar Melchisedech esset ἀπάτωρ, sicut in cœlis est ἀμήτωρ, quasi ex matre maternitatem assumpturus, materque nobis futurus. Unde Psaltes de eo ait : « Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus; » et : « Miserationes ejus super omnia opera ejus. » Quare apposite Gentiles, ait Clemens, lib. V *Strom.,* Deum μητροπάτορα, quasi patrem matrem, vel, ut exponit S. Augustinus, lib. VII *De Civit.,* cap. IX, progenitorem genitricemque simul vocaverunt. Tertio.

Porro ut immensitatem beneficii incarnationis Verbi aliqua ratione concipiamus et ponderemus, S. Joannes quatuor ejus circumstantias expendendas suggerit et proponit, nimirum quis, quid, cui, cur.

In incarnatione cogita, primo, quis?

Primo, quis est ille qui carnem nostram induit, imo assumpsit? Est Verbum, quod fuit ab initio; est Verbum æternum, est Deus omnipotens, creator cœli et terræ, Dominus Universorum, Rex regum, et Dominus dominantium. Verbum ecce æternum per quod facta sunt omnia, fit caro, fit homo. « Et vocabitur nomen ejus, ait Isaias, Emmanuel, »

id est *nobiscum Deus*, « admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, princeps pacis, pater futuri sæculi, magni consilii angelus; » quæ singula expendi, *Isaiæ* IX, 6. Hoc est quod canit Ecclesia in Præfat. Nativit. Christi : « Per incarnati Verbi mysterium nova mentis nostræ oculis lux tuæ claritatis infulsit, ut dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur. » Porro natura divina per incarnationem non est mutata, nec passa, sed sui similis inviolata et impassibilis permansit.

Præclare S. Leo, serm. 10 *De Nativit.*: « Idem, ait, est in forma Dei, qui formam suscepit servi. Idem est incorporeus manens, et corpus assumens. Idem est in sua virtute inviolabilis, et in nostra infirmitate passibilis. Idem est e paterno non divisus throno, et ab impiis crucifixus in ligno. » Quocirca S. Cyrillus, in cap. I *Evang. S. Joannis*, Verbum humanatum comparat carboni, vel ferro ignito. Sicut enim ignis non consumit ferrum ignitum, sed utriusque substantia illæsa et integra permanet : sic nec deitas mutavit humanitatem, nec humanitas deitatem, sed utraque integra et illæsa permanet. Id significatum est per ignem in rubo, quem vidit Moses, *Exodi* III, 2 : ignis enim in rubo est Verbum in carne ; sed sicut ignis rubum non adussit, sic Verbum humanitatem non læsit. Vide Theodoretum in tribus Dialogis, primo, *Immutabilis* ; secundo, *Inconfusus* ; tertio, *Impassibilis*, ubi contra Euthychetem ex Patribus pulchre explicat, quomodo Verbum manens immutabile, inconfusum et impassibile, factum sit caro. Quocirca Damascenus, oratione 1 *De Nativit.* : « Tantus, ait, Domine, tuus in me fuit amor, ut non per angelos, aut per ullam aliam creaturam salutis meæ negotium obieris, verum ut primam fictionem, sic etiam ipsam instaurationem ipsemet efficiendam duxeris. » Et S. Augustinus, serm. 59 *De Verbis Domini* : « Ad sanandum, ait, grandem ægrotum, descendit omnipotens medicus, humiliavit se usque ad mortalem carnem, tanquam usque ad lectum ægrotantis. »

Secundo, quid? *Secundo*, quid fit Deus in incarnatione? fit caro, id est homo. « Caro, ait S. Augustinus, tract. 2 *in Joannem*, te cæcaverat ; caro te sanat. Carnalis enim anima facta erat consentiendo affectibus carnalibus, inde fuerat cordis oculus cæcatus : Verbum caro factum est. Medicus tibi fecit collyrium, ut de carne vitia carnis extingueret. » Nam caro hominis est præ cæteris animalibus misera, infirma, putida, mille ærumnis et morbis subjecta, et per concupiscentiam corruptissima ; hanc assumpsit Verbum, eo se inclinavit illa majestas, ut Seraphinos, Cherubinos et cæteros angelorum ordines præteriens descenderet in imam hanc miseriarum vallem et carnem, eamque sibi arctissimo hypostaticæ unionis vinculo copularet. Cogita si ovis duceretur ad lanienam, et homo quispiam eam amans et miserans (uti S. Franciscus eas pecunia redimebat ob amorem Christi, qui repræsentatur Agno Dei) vellet pro ea mori, imo mutari in ovem, ut ovem illam redimeret, an non diceretur hic ejus in ovem esse insanus et exstaticus amor? Longe major fuit amor Christi in nos, dum ex Deo factus est homo ; infinities enim amplius Deus excedit hominem, quam homo excedat ovem. Hoc ergo est « magnum pietatis (et divinæ dignationis et philanthropiæ) Sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria, » 1 *Timoth.* cap. III, vers 16. Hoc cum Seraphinis admirari et obstupescere debemus, ac cum videmus parvulum in præsepio, cum stupore dicere : Ita-ne iste parvulus est Deus meus, Rex cœlorum, creator Universi? Deus, ait D. Thomas, *opusculo* 60, communicat se, *primo*, omnibus creaturis per præsentiam ; *secundo* et magis, justis per gratiam ; *tertio* et maxime, carni nostræ per substantiam, *primo*, naturaliter ; *secundo*, supernaturaliter ; *tertio*, personaliter, ait Cajetanus. Porro Verbum per humanitatem suam omnes homines, et per eos totum universum (hujus enim nexus et vinculum est homo, ideo microcosmus appellatus) ad se elevavit, sibique univit, ut sit Deus omnia in omnibus, ait Damascenus, orat. *De Transfigurat.* ; et Cajetanus in III *part., Quæst.* I, art. 1 : « Incarnatio, inquit, est elevatio totius Universi in divinam personam ; » imo S. Dionysius, lib. *De Divin. Nomin.*, cap. IV : « Quæ major, ait, Dei communicatio cum creatura, quam ea qua Verbum caro factum est, cogitari potest? » Rursum junxit se Verbum homini, id est primum ultimo : in creatione enim homo fuit ultimo a Deo creatus ; atque sic Deus quasi in circulo ad punctum unde cœperat, Verbo creando omnia, per incarnationem rediit, hominem jungendo Verbo. Ita Clictovæus in Damasceni lib. III *De Fide*, cap. I.

Tertio, cui? *Tertio*, cui Verbum factum est caro? homini peccatori et vilissimo instar vermiculi. « Parvulus enim natus est nobis, et Filius datus est nobis. » Christus ergo non assumpsit hominem propter se, quasi egeret aut delectaretur illa humanitate quam assumpsit, sed propter nos. Ultimatus ergo terminus incarnationis sumus nos. Ideo enim natus est in carne corporaliter, ut in anima nostra nasceretur spiritualiter. Hinc canit Ecclesia in Symbolo Concilii Nicæni : « Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cœlis. » S. Anselmus, lib. II *Cur Deus homo*, cap. XX : « Quid, ait, misericordius intelligi valet, quam quod peccatori æternis tormentis deputato, et unde se redimeret non habenti, Deus Pater dicit : Accipe Unigenitum meum, et da pro te ; ipse Filius : Tolle me, et redime te? » Celebratur Atheniensium dux Codrus, qui orto cum Spartanis bello, cum respondisset oraculum illos esse vincere, quorum dux periisset, deposita

ducali trabea, vilem militis vestem induit, itaque hostium castra adiens, illic jurgio eos in suam cædem instigavit, ac moriens sua morte victoriam, vitam et libertatem suis peperit. Sed quid Codrus ad Christum? quid homo ad Deum, qui carnem induens nos sua morte ab æterna morte et gehenna liberavit, ac regni cœlestis et æternæ gloriæ hæredes effecit?

Quarto, cur Verbum factum est homo? ut hominem inferno, morte, peccato omnique miseria corporis et animæ liberaret. Verbum enim nihil sibi acquisivit nisi exinanitionem, opprobria, paupertatem, dolores, mortem et crucem, ut per ea nobis benefaceret. « Natus est Christus in carne, ut nos nasceremur in spiritu, ait S. Gregorius Nazianzenus : « Natus est in tempore, ut tu nascereris in æternitate. Natus est in stabulo, ut tu nascereris in cœlo. » Audi S. Augustinum, serm. 9 *De Nativit.* : « Dominus noster Jesus Christus, qui in æternum cunctorum est creator, hodie nascendo de matre, factus est nobis Salvator. Natus est nobis hodie in temporis volubilitate, ut nos perducat ad Patris æternitatem. Factus est Deus homo, ut homo fieret Deus : ut panem angelorum manducaret homo, Dominus angelorum hodie factus est homo. » Et Nazianzenus in *Distichis* : « Patris Verbum est homo noster, ut hujusmodi mixtione Deum hominibus misceat. Unus utrimque Deus est, hactenus homo effectus, ut me ex mortali Deum efficiat. »

Quocirca Clemens Alexandrinus, *Adhortat. ad Gentes*, ait Christum sua incarnatione terram in cœlum mutasse, ac ex hominibus angelos, imo deos fecisse ; ideoque ipsum pulchrum esse aurigam qui currum sive bigam fidelium, puta Judæorum et Gentium, agat in cœlum, dirigatque ad beatam immortalitatem. Hoc est quod S. Joannes, *Evangel.* I, 12, ait : « Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus, etc. Et Verbum caro factum est, » *q. d.* Ideo Verbum caro factum est, ut homines faceret filios Dei. Audi Origenem, hom. 2 *in Diversos*, hæc verba tractantem : « Si Filius Dei factus est homo, quid mirum si homo credens in Filium Dei, Filius Dei futurus sit? Ad hoc siquidem Verbum in carnem descendit, ut in ipsum caro, id est homo, credens in Verbum ascendat, ut per naturalem Filium unigenitum, multi filii efficiantur adoptivi ; non propter seipsum Verbum caro factum est, sed propter nos, qui non nisi per Verbi carnem potuissemus in Dei filios transmutari. Solus descendit, ut cum multis ascenderet. De hominibus facit deos, qui de Deo fecit hominem. Et habitavit in nobis, id est naturam nostram possedit, ut suæ naturæ participes faceret nos. » S. Leo, serm. 6 *De Nativit.* : « Ideo, ait, Christus Filius hominis factus est, ut nos filii Dei esse possimus. » Vide S. Anselmum, lib. *Cur Deus homo.*

Vide ergo immensitatem hujus beneficii : Deus hic non pluit e cœlo manna, sed totum cœlum quasi disrumpens, omnes deitatis suæ thesauros et viscera misericordiæ suæ, imo totum se, quantus quantus est, cum omnibus suis donis et gratiis in terram effudit. Hoc est quod optabat Isaias, cap. XLV, vers. 8 : « Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum ; aperiatur terra, et germinet Salvatorem. » Audi S. Augustinum, serm. 27, vel alio computu 23 *De Temp.* : « Laudem Domini, inquit, loquetur os meum. Ejus Domini per quem facta sunt omnia, et qui factus est inter omnia. Qui est patris revelator, matris creator. Filius Dei de patre sine matre, filius hominis de matre sine patre. Magnus dies angelorum, parvus in die hominum ; Verbum Dei ante omnia tempora, Verbum caro opportuno tempore. Conditor solis, conditus sub sole. Cuncta sæcula ordinans de sinu Patris, hodiernum diem consecrans de utero matris. Ibi manens, hinc procedens. Effector cœli et terræ, sub cœlo exortus in terra. Ineffabiliter sapiens, sapienter infans. Mundum implens, in præsepio jacens ; sidera regens, ubera lambens. Ita magnus in forma Dei, brevis in forma servi, ut nec ista brevitate magnitudo illa minueretur, nec illa magnitudine ista brevitas premeretur. Neque enim quando membra humana suscepit, opera divina deseruit; nec attingere a fine usque ad finem fortiter, et disponere omnia suaviter destitit, quando infirmitate carnis indutus virginali utero receptus est, non inclusus ; ut nec angelis subtraheretur sapientiæ cibus, et nos gustaremus quam suavis est Dominus. »

Audi et S. Gregorium Nazianzenum jubilantem *orat.* 38 : « Christus gignitur : glorificate; Christus e cœlis; obviam prodite. Christus in terra : subvehimini; cantate Domino, omnis terra. Atque ut hæc duo in unum contraham, lætentur cœli et exultet terra, propter cœlestem, ac postea terrestrem. Christus in carne : tremore et gaudio exultate : tremore propter peccatum, gaudio propter spem. Christus ex Virgine : mulieres, virginitatem colite, ut Christi matres sitis. Quis eum qui a principio est, non adorat? Quis eum qui postremus est, non laudat ac celebrat? » Et mox : « Omnes gentes, plaudite manibus, quoniam parvulus natus est nobis filius, et datus est nobis, cujus principatus super humerum ejus (cum cruce etenim extollitur), ac vocatur nomen ejus magni consilii, hoc est paterni, angelus. Clamet Joannes : Parate viam Domini ; ego quoque diei hujus vim ac potentiam clamabo. Carnis expers incarnatur ; Verbum crassescit ; invisibilis cernitur ; intactilis tangitur ; tempore vacans initium sumit ; Dei Filius, hominis filius efficitur, Jesus Christus heri et hodie, idem et in sæcula. » Et S. Bernardus, serm. 1 *De Epiphan.* : « Quid tantopere declaret ejus misericordiam, quam quod ipsam suscepit miseriam? Quid ita pietate plenum, quam quod Dei Verbum, propter nos factum est fœnum? Quanto enim minorem se fecit in humanitate, tanto majorem se exhibuit in bonitate; et quanto pro me vilior.

tanto mihi charior. » Idem serm. 46 *in Cant.* : « O suavitatem, o gratiam, o amoris vim! summus omnium, imus factus est omnium. Quis hoc fecit? Amor dignitatis nescius, dignatione dives, affectu potens, suasu efficax. Quid violentius? Triumphat de Deo amor, ut scias amoris fuisse; quod plenitudo effusa est, quod altitudo æquata est, quod singularitas associata est.

Quare ut hoc manna immensum cœlo depluens excipiamus, pandamus totum cor, ampliemus ejus sinum per immensum ejus desiderium, ut totam ejus copiam, gratiam et suavitatem capiamus et sapiamus. Imitemur Patres in limbo, qui per tria et quatuor annorum millia sedentes in tenebris et umbra mortis, illud avidissime et sitientissimis animis desiderabant, clamantes : « Utinam disrumperes cœlos, et descenderes! » *Isaiæ* LXIV, 1. Imitemur B. Virginem, quæ concepto Verbo anhelabat ad ejus partum, tota avulsa a mundo, et tota Christo unita, in eumque transformata, ut deitas in utero latens per corpus Virginis, in omnibus ejus partibus et motibus resplenderet; atque idcirco Christus jussit hanc suam nativitatem quotannis solemniter recoli et celebrari, ut nobis id præstet, quod olim præstitit Pastoribus, Magis, Annæ, Simeoni, Joseph, dum realiter natus est; quia enim tunc præsentes esse non potuimus, hinc nobis quotannis per commemorationem fit præsens, ut easdem gratias impertiat. Quisque ergo suas necessitates Christo nato proponat, carnis infirmitates, ac præsertim vitium et tentationem, quæ maxime eum premit, dicatque confidenter cum S. Catharina Senensi : « Domine, habeo te præsentem, meus es, non dimittam te donec hanc tentationem sustuleris, hanc virtutem vel gratiam dederis, donec totum cor meum possederis, et tuo amore imbueris. » Ideo enim Verbum caro factum est, ut carnis ærumnas et infirmitates curaret vi Verbi, uti curavit omnes in ea carne quam assumpsit. Rogandus est ut idem faciat in carne nostra, ut in ea habitans eam sanet, sanctificet et quasi in spiritum transmutet; cum nova nativitate det novam vitam, ut vivamus angelice, cum Angelo cœlesti. Ita S. Hieronymus cum S. Paula migravit in Bethlehem, ut ibi jugiter mentis oculis intuerentur Christum nascentem. Ita S. Franciscus sub montem Græcii solemniter celebravit Christi natalem cum bove et asino, ac prædicans non aliud dicebat quam : « Amemus parvulum nostrum, parvulum de Bethlehem. » Sic et S. Bernardus in hoc mysterio se superat, totusque melleus est et divinus. Christus se totum tibi, tu te totum da Christo; Christus tibi natus est, Verbum tibi incarnatum est, Deus tibi humanatus est : tu vicissim nascere Christo, Verbo te insere, Deo te desponde, imo trade et redde.

Denique exclamat S. Bernardus, vel quisquis est auctor, serm. *in Cœna Domini*, qui habetur sub finem operum ejus, pag. 391 : « O stupenda Dei miseratio! Verbum carnem, Deus cinerem, figulus lutum, vita morticinum induit, ut jumenta manducarent panem angelorum. Homines jumenta erant. » Et inferius : « Eapropter cibus cœlestis mutavit se in pabulum pecoris, homine mutato in pecus; panis enim angelorum factus est fœnum; unicus Patris, filius hominis : omnis enim caro fœnum, *Isaiæ* XL. Comedunt igitur angeli Verbum de Deo natum; comedunt homines Verbum fœnum factum. Pane suo vivunt angeli in cœlis, et beati sunt; fœno suo vivunt homines in terris, et sancti sunt. Fœnum quippe istud de prato virginalis uteri collectum, factum est refectio jumentorum; Verbum ut fœnum fieret, latuit in Virgine, sol in sidere, artifex in opere. »

ET MANUS NOSTRÆ CONTRECTAVERUNT DE VERBO. — Hoc est, Verbum ipsum quod contrectavimus, æque ac vidimus et audivimus. Est hebraismus; dicit tamen « de Verbo, » non Verbum, quia Apostoli non ipsummet Verbum in se, utpote divinum et spiritale, sed ejus vestem, puta humanitatem, contrectaverunt. Ergo non Verbum, sed aliquid « de Verbo, » puta adjacentem Verbo carnem quasi vestem contrectaverunt. Rursum, « quod contrectavimus, » id est, quod contrectando invenimus et deprehendimus, « de Verbo » (est metalepsis), scilicet Verbum vere carnem humanam, non autem phantasma vel spectrum inane carnis assumpsisse. Quam felices Apostoli qui Verbum incarnatum videre, audire, tangere meruerunt! « Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis quod multi Prophetæ et reges voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt; et audire quæ auditis, et non audierunt, » ait Christus, *Lucæ* X, 23.

Porro Didymus hæc omnia refert ad mysterium resurrectionis Christi, *q. d.* Vidimus, audivimus, contrectavimus Christum, postquam resurrexit. Credite ergo eum resurrexisse, hoc enim resurrectionis mysterium orbi erat novum et paradoxum; ideoque illud ipsum S. Petrus et Paulus in *Actis. Apost.* et *Epistolis* suis assidue confirmant et inculcant. Glossa restringit ad transfigurationem Christi : tunc enim vidit Joannes gloriam Christi, et audivit vocem Patris : « Hic est Filius meus. » Verum melius alii referunt ad totam Verbi incarnati œconomiam.

DE VERBO VITÆ. — Syrus, *Verbum vitæ*. Sic Joel ait : « Effundam de spiritu meo, » id est, spiritum meum, *Actor.* II, 17. « Dabitur ei de auro (id est *aurum*) Arabiæ, et adorabunt de ipso (id est *ipsum,*) » *Psal.* LXXI, 15, græce περὶ τοῦ λόγου, id est *de illo Verbo*, scilicet eximio, increato, æterno et divino, puta de Filio Dei, ut fatebantur, ipsi etiam Ariani convicti ex eo, quod Verbum hoc in Evangelio, cap. I, paulo post vers. 14, vocet Unigenitum Dei, ac passim alibi Scriptura illud appellet Filium Dei; licet enim S. Basilius putet etiam Spiritum Sanctum dici posse Verbum, tamen id improprie diceretur, ait D. Thomas. Verbum, in-

tellige non oris, sed mentis. Ita S. Augustinus, Chrysostomus et alii in cap. 1 *Evangelii* S. *Joannis*.

Filius vocatur Verbum, cur? Causa prima.

Quæres *primo*, cur S. Joannes Filium Dei non vocat Filium, sed Verbum? Respondeo *primo*, quia in suo Evangelii et Epistolæ principio alludit ad principium Mosis, quo Deus verbo creavit cœlum, terram omniaque quæ iis continentur, *Genes.* I, 2.

Secundo, quia, ut docet S. Chrysostomus in *Evang. S. Joann.* I, Verbum hoc quod est in sinu Patris, omnem habet sapientiam, ac carne vestitum eamdem nobis enarravit : illam autem sapientiam tam Evangelio quam Epistola hac enarrare statuit S. Joannes. Unde etiam S. Joannes magis verbis et doctrinæ Christi enarrandæ insistit, cum alii tres Evangelistæ magis rebus et gestis Christi insistant. Christum ergo vocat Verbum, quia Verbi hujus verba nobis recensere intendit.

Tertio, ne, si Filium dixisset, cum corporeum et passibilem quis imaginaretur ; tales enim sunt filii quos novimus in terra. Ita S. Cyrillus in cap. 1 *Evang. S. Joannis*. Vox ergo *Verbum* significat generationem Filii non esse humanam, sed spiritualem, mentalem et divinam, ideoque puram, integram et incorruptibilem, scilicet eum generari a mente divina ut verbum mentis.

Quarto, quia Verbum in divinis significat filium. Verbum enim significat conceptionem mentalem Dei Patris, quæ est ipsa generatio Filii, qui quasi Verbum repræsentat et manifestat sapientiam et voluntatem Patris. Et hæc est causa cur Filius sit incarnatus, non Pater, aut Spiritus Sanctus, quia scilicet incarnatio idcirco facta est, ut per eam Deus se manifestaret hominibus : Verbi autem est rem manifestam facere. Rursus sicut Verbum a Patre genitum est spiritu, ita decuit idem gigni a matre in carne. S. Joannes ergo nos quasi manu ducit ad Verbum, ac per illud ad Deum, ut cum eo secum jugiter commorari, colloqui et dissuaviari nos doceat. In Joanne enim et similibus verum est illud Senecæ, *epist.* XLI : « Quemadmodum solis radii contingunt quidem terram, sed ibi sunt unde mittuntur : sic animus magnus et acer, et in hoc demissus ut propius divina nosse mus, conversatur quidem nobiscum, sed hæret origini suæ. Illinc pendet, illud spectat ac nititur ; » et, ut ait S. Ambrosius, « Verbo innubit æterno ; » nam, ut inquit S. Augustinus, serm. 38 *De Verbis Evang. secundum Joannem* : « Homo fit beatus contingendo illud quod semper beatum manet, et est illud ipsa beatitudo perpetua ; et unde fit homo vivus, vita perpetua ; unde fit homo sapiens, sapientia perfecta ; unde homo fit illuminatus, lumen sempiternum est. »

Quæres *secundo*, cur Filius dicatur λόγος, sive *Verbum*? Respondeo *primo*, λόγος verti potest *ratio*, quia sicut ratio nobis intima est, ita et Patri intimus est Filius. Ita Nazianzenus, orat. 4 *De Theolog.* *Secundo*, sicut ratio vel notitia procedit a mente, ita Verbum sive Filius procedit a Patre. Ita Origenes, S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, in cap. 1 *Evangel. S. Joannis* ; Nazianzenus, orat. 4 *De Theolog.* ; S. Basilius in illud : « In principio erat Verbum. » *Tertio*, quod a nobis auferat omne quod rationi repugnat, itaque nos faciat rationi obsequentes, ait Origenes, lib. I *in Joan.* I ; et ibidem Rupertus : « Verbum, inquit, Dei perpetua ratio est, sapientia sempiterna, etc. Cur non ipsa ratio sempiterna Verbum dicatur, unde nobis inest rationalitas ? » et Eusebius, V *Demonstr.*, V : « Verbum, ait, earum omnium rerum quæ factæ sunt, rationes in se fert, quare et Sapientia et Verbum Dei appellatur. » Verum ratio non ita exprimit processionem a Patre, sicut exprimit verbum, uti notat S. Augustinus, Quæst. LXIII, inter 83. Adde rationis nomen esse essentiale, non notionale et personale, ideoque commune S. Trinitati. Audi S. Dionysium, *De Divin. Nomin.*, cap. VII : « Deus, inquit, dicitur ratio in S. Litteris, non modo quia rationis sensus et sapientiæ indultor est, sed quia et omnium causas in se uniformiter ante complexus est, et quia per omnia pergit penetrans usque ad omnium finem, » *Sapient.* VIII ; et super hæc etiam, quia super simplicitatem omnem divina expanditur ratio, estque ab omnibus, super omnia supremæ substantiæ ratione absoluta. » Denique ratio esse potest in eo qui actu non intelligit, ut in dormiente ; verbum autem est ejus qui in actu intelligit, qualis est Deus.

Secundo, λόγος id est opus.

Secundo, λόγος verti potest *opus* ; est enim Verbum Patris opus ei commensum, coævum et adæquatum, juxta illud *Sapient.* VII, 25 : « Vapor est virtutis Dei, et emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera. »

Tertio, λόγος id est virtus.

Tertio, λόγος verti potest *virtus* ; Verbum enim est virtus, potentia, brachium et dextera Patris, qua creavit et fecit omnia : nam Verbum, qua Deus, est virtus creandi ; qua homo, est virtus redimendi et salvandi omnes, juxta illud Pauli, I *Cor.* I, 23 : « Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam ; ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis Christum Dei virtutem et Dei sapientiam ; » et : « Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum, *Psal.* XXXII, vers. 6 ; et : « Portans omnia verbo virtutis suæ, » *Hebr.* I, 3.

Quarto, λόγος id est forma.

Quarto, λογος verti potest *forma* ; Verbum enim est Patris forma, pulchritudo, « candor lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius, *Sapient.* VII, 26, splendor (græce ἀπαύγασμα, id est *refulgentia*, resplendentia) gloriæ, et figura substantiæ ejus, » *Hebr.* I, 3. His adde a magno Dionysio Areopagita duas divinas personas, Filium et Spiritum Sanctum, productas dici veluti infinita quædam germina, veluti fragrantissimos quosdam flores, veluti lumina quædam splendidissima ; etenim in

lib. *De Divinis Nom.*, cap. II, in fine primæ partis hæc scribit : « Quod primordialis et fontana sit deitas Pater, Filius vero et Spiritus Sanctus fecundæ deitatis (si fas est dicere) germina plantata divinitus et veluti flores, ac supersubstantialia lumina, a Scripturis sanctis accepimus. Quonam vero modo ista sint, neque eloqui, neque intelligere possumus. » Hinc et S. Augustinus, lib. VI *De Trin.*, cap. X : « Quidam (is est S. Hilarius, lib. *De Synodis*, non longe a principio), ait, cum vellet clarissime singularum in Trinitate personarum insinuare propria : Æternitas est, inquit, in Patre, species in imagine (in Filio), usus in munere, » puta in Spiritu Sancto, qui est donum et munus Patris et Filii. Idem S. Augustinus, serm. 38 *De Verbis Evang. secundum Joannem* : « Non enim verbum, inquit, proficit, aut crescit accedente cognitore, sed integrum manet, si permanseris ; integrum, si recesseris ; integrum, cum redieris, manens in se et innovans omnia : ergo est forma omnium rerum, forma infabricata, sine tempore et sine spatiis locorum. »

Quinto, λόγος verti potest *definitio*, quia quasi rerum omnium definitio Patris naturam omnesque res definite et plene exprimit. Unde S. Gregorius Nazianzenus, orat. 4 *De Theolog.* : « Eodem modo, ait, Filius se habet ad Patrem, quo definitio cum definito ; nam hoc quoque λόγος dicitur. Qui enim Filium videt, videt et Patrem, » *Joann.* cap. XIV ; ac brevis facilisque paternæ naturæ declaratio est Filius ; » sic et Euthymius in cap. I *Evang. S. Joann.* Rursum λόγος verti potest *computus, calculus, supputatio*. Verbum enim est calculus et computus omnium angelorum, Sanctorum, imo creaturarum totius universi.

Sexto, λόγος verti potest *causa*, quia Verbum est causa per quam singula facta sunt et subsistunt. Ita S. Hieronymus, epist. *ad Paulinum*. Philostratus in *Heroicis* : « Trojanis, inquit, Hector manus, Æneas mens fuit ; » at Verbum creaturis tam manus, quam mens fuit ; tam causa efficiens, quam idea concipiens.

Septimo, aliqui λόγος vertunt *sermo promissus*, sive quem voces et sermones Prophetarum promiserunt venturum orbis Salvatorem : ita Beza, quem recte refutat noster Salmeron, tom. II, tract. 4. Nam ante Prophetas eorumque oracula, ab æterno Verbum erat Verbum, eratque apud Deum, ut ait S. Joannes. Reipsa ergo Beza negat λόγον, æque ac Alogiani, teste Epiphanio, *hæresi* 51, et Centuriatores Magdeburgenses, *centur.* 1, lib. I, cap. IV, qui negant λόγον dici respectu Patris, quasi ab eo genitus sit per cognitionem. Hi ergo sunt hostes Verbi et Filii Dei, ideoque semiathei.

Octavo et optime, λόγος, cum Nostro et Patribus pene omnibus, vertas, *verbum*, utique non oris et vocis, sed cordis et mentis. Sicut enim nos dum cogitamus vel intelligimus quippiam, formamus nobis conceptum rei cogitatæ vel intellectæ, qui dicitur verbum mentis : ita Pater æternus intelligendo et comprehendendo suam essentiam, et omnia quæ in ea sunt, formavit et produxit hoc Verbum æternum sibi adæquatum et simillimum, quo fit ut Verbum hoc sit Deus, Deique Filius a Patre genitus. Dixi, « omnia quæ in ea sunt, » quia in essentia Patris est virtus spirandi Spiritum Sanctum, et omnipotentia producendi omnes creaturas possibiles ; quare ex cognitione Spiritus Sancti et creaturarum possibilium pariter ac essentiæ divinæ producitur et procedit Verbum, uti docet Franciscus Suarez, lib. IX *De Deo trino et uno*, cap. IV, V et VI, et alii.

Ubi nota : Verbum Dei est duplex : unum essentiale, quod est ipsa intellectio Patris, quam cum essentia, intellectu et voluntate communicat Filio et Spiritui Sancto. Et hoc videntur intellexisse Trismegistus, Plato et Philosophi (de quibus mox). Similiter Ariani Verbum internum essentiale, id est intellectionem Patris et Filii et Spiritus Sancti ponebant in uno Deo ipsi coæternam ; sed addebant Deum cœpisse esse Patrem in tempore, cum Verbum notionale a se distinctum produxit, quasi primam creaturam, et per eam cæteras. Alterum Verbum est notionale, sive personale, quod est Verbum a Patre productum et genitum, ideoque ipsum est persona subsistens, puta Filius Dei Patris. De notionali agit S. Joannes tam hic, quam in Evangelio. Vere S. Cyrillus, lib. VII *Thesauri*, cap. I : « Nomen Verbi, inquit, elegit (S. Joannes), quia est maxime proprium et significativum divinitatis, et processionis propriæ secundæ personæ. » Unde, *Apocal.* XIX, dicitur : « Et nomen ejus erat Verbum Dei. » S. Augustinus vero, lib. XV *De Trinit.*, cap. XIV, Verbum essentiale a notionali distinguens, sic ait : « Novit omnia Pater in seipso, novit in Filio, sed in seipso tanquam seipsum, » puta essentialiter ; « in Filio tanquam Verbum suum, » puta notionaliter.

Verbum duplex : essentiale.

Et notionale.

Adverte, λόγος idem est quod *verbum, sermo, oratio*. Unde Tertullianus, S. Cyprianus, S. Ambrosius, Hieronymus et alii veteres sæpe Filium vocant sermonem. Renovavit idipsum hoc ævo Erasmus ; unde pro, *In principio erat Verbum*, vertit, *In principio erat Sermo*, ob quam novationem a Theologis vapulavit. Erasmum secutus est et defendit Calvinus in cap. I *Evangel. S. Joannis*. « Miror, ait, quid Latinos moverit ut τὸν λόγον transferrent Verbum. Sic enim vertendum potius fuisset τὸ ῥῆμα. Verum ut demus aliquid probabile secutos esse, negari tamen non potest, quin Sermo melius conveniat ; unde apparet quam barbaram tyrannidem exercuerint Theologastri, qui Erasmum turbulente adeo vexarunt, ob mutatam in melius unam vocem. » Erras, Novator, cum errantem et novantem sequeris.

Quod enim hoc loco melius conveniat verbum quam sermo, liquet *primo*, ex eo, quod Verbum simplicius sit sermone ; sermo enim est compo-

bum quam sermo. situm quid ex verbis : simplicissimus autem est Dei Filius. *Secundo*, quia verbum generalius est sermone; omnis enim sermo est verbum, at non Primo. Secundo. omne verbum est sermo. *Tertio*, quia conceptus Tertio. mentis semper verbum mentis, nunquam sermo dicitur. Filius autem est conceptus mentis divinæ Quarto. et paternæ. *Quarto*, sicut mens gignit verbum mentis, hocque fit vocale dum in os et linguam carneam deducitur, et quasi ex ore nascitur : ita Pater genuit Verbum mentale, quod factum est vocale per incarnationem, dum induens carnem, os et vocem hominis, per eam locutum annuntiavit nobis voluntatem Patris. Et huc subinde alludit Scriptura dum Christum, qua homo est, vocat Verbum, eo quod qua homo fuerit legatus, nuntius et interpres voluntatis Dei apud homines, ut patet I *Joannis* v, 7; *Apocal.* XIX, 13. Ita S. Chrysostomus et Theophylactus in capite I *Evangelii S. Joann.*, et S. Epiphanius, *hæres.* 71 : « Filius, ait, Verbum nominatur, quia interpres est voluntatum Dei; » et S. Augustinus, lib. *De Fide et Symbol.*, cap. III : « Verbum, ait, Patris dictum est, quia per ipsum innotescit Pater. Sicut ergo verbis nostris id agimus, ut noster animus innotescat audienti, sic illa Sapientia quam genuit Pater, quoniam per ipsam innotescit animus secretissimus Patris, Verbum ejus convenientissime nuncupatur. » Verum S. Joannes tam hic, quam in Evangelio, Christum vocat Verbum ratione divinitatis, Quinto. non humanitatis. *Quinto*, licet aliqui apud S. Augustinum, lib. *De Princip. Dialect.*, cap. VI, verbum derivent a verberando, quod verberato lingua intra palatum aere, omne verbum proferatur, melius tamen ipse S. Augustinus, lib. XV *De* Verbum dicitur quasi verum. *Trinit.*, cap. XI, ex Varrone, Servio et aliis, verbum deducit a vero et veritate, quod verum verbo concipiamus et loquamur. Verbum ergo, uti et verum menti est intimum; sermo vero innuit potius aliquid foras jactatum, diciturque a sero: seritur enim sermo inter plures et sæpe falsus. Nam, ut ait Servius : « Sermo est consertio orationis, et confabulatio duorum vel plurium. » Melius ergo Filius Dei vocatur Verbum quam sermo.

Denique Verbi hujus dignitatem et attributa describens S. Basilius, lib. II *Contra Eunomium*, processionis hujus admirandæ alia similia iis ver- Similia Verbo. bis proponit : « Oportet (inquit) dignam de Deo generationem intelligere impassibilem, impertibilem, indivisibilem, sine tempore, instar resplendentis a luce radii; intelligere autem imaginem invisibilis Dei, nec secundum artificiosas has imagines ad exemplar postea elaboratam; sed existentem et consubsistentem cum prototypo, qui ipsi substantiam dedit, itemque cum archetypo existentem; nec imitatione figuratam, sed tanquam sigillo aliquo tota Patris natura Filio impressa. Aut si vis, qualis artium sit constitutio tota ex docentibus in discipulos immissa; cum nihil desit docentibus, et perfectio adsit iis qui didicerunt, vel id quidem non ita congruum ad similitudinem, propter temporis spatium; illud commodius, qualis est intellectionis natura, motibus mentis sine tempore constituta. » Hæc Basilius.

Tertullianus his etiam utitur collationibus in libro *adversus Praxeam*, cap. VIII : « Protulit Deus sermonem, id est, verbum, sicut radix fruticem, et fons fluvium, et sol radium; nec frutex a radice, nec fluvius a fonte, nec radius a sole discernitur, sicut nec a Deo sermo, » etc.

Divinius S. Gregorius Thaumaturgus, Verbum hoc æque ac Patrem et Spiritum Sanctum depingit in Symbolo, quod ei cœlitus traditum est a nostro S. Joanne, jussu B. Virginis, uti scribit Gregorius Nyssenus in Vita Thaumaturgi. Symbolum hoc toto Oriente celeberrimum ita se habet : « Unus est Deus, Pater Verbi viventis, sapientiæ subsistentis, et potentiæ et figuræ æternæ, perfectus perfecti genitor, Pater Filii unigeniti. Unus Dominus, solus ex solo, Deus ex Deo, figura et imago deitatis, verbum efficax, sapientia constitutionis rerum universarum comprehensiva, et potentia totius creaturæ effectrix. Filius verus veri Patris, visum effugiens visum effugientis, et corruptioni non obnoxius non obnoxii corruptioni, et morti non obnoxius morti non obnoxii, et æternus æterni. Unus Spiritus Sanctus ex Deo ortum et existentiam habens, quique per Filium apparuit, videlicet hominibus, imago Filii perfecti, perfecta vita viventium, causa, fons, sanctus, sanctitas sanctificationis suppeditatrix, per quem manifestatur Deus Pater, qui est super omnia et in omnibus; et Deus Filius, qui per omnia permanat; Trinitas perfecta, quæ gloria atque æternitate et regno non dividitur, neque abalienatur. »

Porro idem per umbram viderunt Gentiles, id- Gentiles cognoverunt Verbum. que didicerunt vel ex libris Mosis et Hebræorum. Unde Plato vocatur Moses Atticus ab Eusebio, lib. XIII *De Præpar.*, cap. VII; et a Theodoreto, lib. II *De Cur. Græc. affect.* : « Oceanus Theologiæ, a quo fluvii omnes et maria derivantur; illinc enim Anaxagoras, Pythagoras et Plato parva quædam veritatis lumina desumpserunt. » Vel ex Sibyllis, vel lumine naturæ, vel instinctu divino. Audi Lactantium, lib. IV *De Sapientia*, cap. IX : « Hunc, ait, Sermonem, » id est Verbum divinum, « ne Philosophi quidem ignoraverunt. Siquidem Zenon naturæ dispositorem atque opificem universitatis λόγον prædicat, » quem et fatum, et necessitatem rerum, et Deum, et animum Jovis nuncupat. Nam Trismegistus, qui veritatem pene universam, nescio quomodo investigavit, virtutem majestatemque Verbi sæpe descripsit. Id enim de Mercurio Trismegisto testatur S. Augustinus, lib. *De Quinque hæresib.*, cap. III. Idem Mercurius in *Pimandro* : « Mens (inquit) Deus, utriusque sexus fecunditate plenissimus, vita et lux, cum verbo suo mentem alteram opificem peperit, qui quidem Deus, ignis atque spiritus numen. » Acce-

dit his vulgata illa ejusdem sententia : « Monas genuit monadem, et in se suum reflexit ardorem ; » hoc est, unus Deus genuit unicum Filium, et in se amorem reflectens, produxit Spiritum Sanctum. Illud quoque in *Pimandro* : « Mens Deus tuus, mentis vero germen lucens Dei Filius. » Similiter Theodoretus, lib. II *De Principiis* : « Plotinus (inquit) ac Numenius explicantes Platonis mentem, tria aiunt posita esse a Platone æterna, ipsum videlicet bonum, mentemque et hujus universi animam ; vocat enim bonum, quem nos Patrem dicimus ; mentem vero seu intellectum, quem nos Filium Verbumque appellamus ; potentiam vero quæ animet omnia et vivificet. Animam vocat eam quam sacræ Litteræ Spiritum Sanctum appellant. Atque hæc ipsa, ut sæpe jam dixi, ex Hebræorum sapientia et Theologia subducta sunt. » Verum recte notat Cardinalis Bessario, lib. II *Apolog. Platonis*, cap. IV, Platonem non christiane, sed ariane de Filio et S. Trinitate esse locutum ; nam statuit gradus in divinitate. Primum enim entium statuit primum Deum, post hunc quasi inferiori gradu ponit mentem ab eo productam ; ac denique tertio loco et gradu ponit mundi animam, quæ universum hoc quasi animal animet et vegetet. Docuit ergo Plato, Deum ingenitum *primo* genuisse mentem ; *secundo*, animam mundi. Quare arianizat ; ponit enim mentem et animam mundi, quasi res distinctas a Deo ingenito, eoque minores. Huc facit illud Serapidis oraculum datum cuidam regi Ægyptio :

> Principio Deus est, tum sermo, et spiritus istis
> Additur : æquæva hæc sunt, et tendentia in unum.

Sic et Orpheus aliique Græci, Chaldæi et Ægyptii Deum Patrem vocarunt νοῦν, id est *mentem*, Filium vero λόγον, quasi mentis prolem, ait Theodoretus, lib. II *De Curand. Græc. affect.*, et S. Augustinus, lib. VII *Confess.*, cap. IX. Alii Patrem vocarunt animam, vel spiritum ; Filium vero νοῦν, id est *mentem* et notitiam Patris. Quanquam multi valde probabiliter censent Orpheum, Trismegistum, Platonem et Platonicos per νοῦν et λόγον non Verbum notionale, hoc est Filium, sed essentiale, hoc est, ideam mentis divinæ, per quam omnia produxit, intellexisse. Hinc et illud Trismegisti : « Monas genuit monadem, et in se suum reflexit ardorem, » quod multi sic explicant, *q. d.* Pater genuit Filium, ipsumque reflexo amore amans spiravit Spiritum Sanctum. S. Thomas, in cap. I *Evang. S. Joan.*, sic explicat, *q. d.* Unus Deus unum creavit mundum, propter sui ipsius amorem. Plura vide apud Theodoretum, Eusebium, Augustinum, locis citatis, et Augustinum Steuchum, *De Perenni Philosoph.*, ac nostrum Barradium, tom. I, lib. IV, cap. III.

Quæres *tertio* an Verbum hoc divinum simile sit nostro verbo mentis, an vero dissimile ? Respondeo, partim esse simile, partim dissimile. Simile est *primo*, quia sicut nostrum est immateriale et spirituale, ita et divinum. Primo. *Secundo*, sicut homo mente parit conceptum sive verbum mentis, ita Pater intellectu et intellectione sua comprehendens suam essentiam omniaque ejus attributa, gignit Verbum. Verbum ergo est notitia et notio Patris. Unde S. Augustinus, serm. 38 *De Verbis Evang. secundum Joannem* : « Verbum Dei, ait, incorporaliter, inviolabiliter, incommutabiliter, sine temporali nativitate, natum tamen intelligamus a Deo. » *Tertio* sicut per nostrum verbum concipimus res omnes, ita et Deus per suum. Secundo. *Quarto*, sicut nostrum est menti internum, ita et Dei : est enim apud Patrem et in sinu Patris, *Joan.* I, 18, sicut nostrum menti inhæret, illique est intimum. *Quinto*, sicut nostrum est idea, juxta quam omnia fabricamus et facimus, ita et Dei, juxta illud : « Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, » *Joan.* I. Hinc Timæus Platonicus Deum Deique Verbum vocat κόσμον ἐνδαλμικόν, *mundum exemplarem* ; quia Verbum est mundus increatus et immensus, qui est idea et exemplar mundi creati. Est ergo Verbum maximus mundus sapientiæ, sanctitatis, intelligentiæ, vitæ, rationum, formarum ; nam, ut ait Plato : « Omnia quotquot sunt animalia intelligibilia, ille in se complexus servat et continet ; non secus ac mundus nos et omnia creata, quæcumque cernuntur, suo ambitu cingit. » *Sexto*, sicut nostrum verbum mentale fit vocale, dum loquimur : ita Verbum divinum factum est vocale, dum in carne assumpta locutum est. *Septimo*, sicut verbum nostrum est imago rei quæ intelligitur, ita Verbum divinum est imago Dei Patris. *Octavo*, sicut verbum, puta conceptus noster, tamdiu durat, quamdiu durat intellectio, sic et divinum Verbum. In æternum autem permanet Patris intellectio : quare in æternum quoque gignitur, manetque ejus Verbum, quod per illam producitur ; quia enim intellectio Patris semper est in actu, hinc et Verbi generatio semper est in actu. Quapropter vera est hæc propositio : Verbum semper gignitur, et semper est genitum ; quia in divinis idem est fieri et factum esse. Hoc est quod ait Michæas, cap. V, vers. 2 : « Egressus, » Hebr. *egressiones*, « ejus ab initio a diebus æternitatis. » Unde Patres concilii Ephesini : « Coexistere, inquiunt, semper, et coæternum esse Patri Filium splendor tibi denuntiet, impassibilitatem nativitatis illius ostendat Verbum, consubstantialitatem nomen Filii pandat. » Et S. Basilius, homil. I *in Joannem.* : « Cur Verbum ? ut ostendat quod ex mente processit. Cur Verbum ? quia citra passionem natus est. Cur Verbum ? quia imago est genitoris, totum in se ipso genitorem ostendens. *Nono*, sicut conceptus mentis præcedit opus, ita et Verbum præcedit opus Dei. Nam, ut ait S. Augustinus, XV *De Trin.*, XI : « Hominis opera nulla sunt, quæ non prius dicantur in corde. » Unde scriptum est : « Initium omnis operis verbum. » Nec ita multo post : « Est (inquit) et hæc in ista similitudine

verbi nostri similitudo Verbi Dei, quia potest esse verbum nostrum quod non sequatur opus; opus autem esse non potest nisi præcedat verbum : sic et Verbum Dei potuit esse nulla existente creatura; creatura vero nulla esse potest nisi per ipsum per quod facta sunt omnia. »

Dissimile est. Primo. Dissimile est primo, quia verbum nostrum, æque ac angelorum, est accidens, puta actus vitalis, menti quasi subjecto inhærens : Verbum Dei vero est substantia et persona subsistens. Ita S. Athanasius, serm. 1 *Contra Arian.*, et S. Chrysostomus, homil. 1 *in Joann.* : « Hoc Verbum divinum, ait, substantia quædam est in persona, ex ipso Patre sine passione proveniens. » Hinc sequitur aliud discrimen, scilicet quod verbum creatum est forma creata constituens in actu secundo intelligentem, a quo producitur. Per verbum enim quod concipit et producit, actu intelligit. Verbum vero divinum non est forma Patris intelligentis a quo producitur, quia est res per se subsistens, quæ nequit esse forma rei alterius distinctæ. Ita Suarez, lib. IX *De Deo trino*, cap. II.

Secundo. *Secundo*, verbum nostrum est temporale ac mente posterius : Verbum Dei est æternum Deoque coævum. Rursum verbum nostrum producitur ex indigentia intelligentis, quia sine eo nequit rem actu concipere et intelligere; et Verbum Dei non ex indigentia aut potentialitate, sed ex infinita perfectione et fecunditate intellectus paterni producitur, ideoque supponit illum non solum constitutum in actu primo, sed etiam in actu secundo intelligendi.

Tertio. *Tertio*, verbum nostrum est imperfectum et mutabile, ideoque varium et multiplex : Verbum Dei est perfectum, ideoque constans, immutabile, unum et simplex, « cum in uno sint omnia, » ait S. Augustinus in *Psalm.* XLIV, et S. Athanasius, serm. 3 *Contra Arian.*

Quarto. *Quarto*, verbum nostrum est a mente distinctum et ἑτεροούσιον, id est *alterius naturæ* : Verbum Dei est ὁμοούσιον et consubstantiale Dei Patris. Ita S. Anselmus in *Monol.*, cap. XXVIII.

Quinto. *Quinto*, verbum nostrum est in nostra hypostasi : Verbum Dei est hypostasis et persona distincta a Patre, per quam Pater dixit et fecit omnia.

Sexto. *Sexto*, verbum nostrum non est filius noster : Verbum Dei est Filius Dei. Rursum Pater producens Verbum, ipsissimam suam intellectionem communicat Verbo, quod non facit mens nostra verbo suo, imo potius vice versa ipsa per verbum constituitur in actu secundo intelligendi. Ita Suarez loco citato. Hinc Filius vocatur Sapientia genita. Unde S. Augustinus, *Quæst.* XXIII inter LXXXIII, dicit Patrem esse sapientem sapientia genita, hoc sensu quod eam genuerit. Verum hanc phrasim retractans, lib. I *Retract.*, cap. XXVI, lib. VI *De Trinit.*, I : « Ergo Pater, inquit, ipsa sapientia est, qua sapiens est. Filius vero dicitur sapientia Patris et virtus Patris, non quia Pater per eum sit sapiens, vel potens, sed quia Filius sapientia et virtus est de Patre sapientia et virtute. Ex his ergo patet quod Pater non est sapiens sapientia genita, sed seipso sapientia ingenita. »

Septimo, verbum nostrum est impotens et inefficax : Verbum Dei est efficax et omnipotens; dixit enim, et protinus facta sunt omnia, *Gen.* I.

Octavo, verbum nostrum tam oris quam mentis, mox ut effertur et nascitur, dilabitur et diffluit : Verbum Dei est æternum, quia æterna est intellectio, puta dictio et generatio Patris. « Cessat, ait S. Hilarius, lib. II *De Trinitate*, sonus vocis et cogitationis eloquium : Verbum hoc res est, non sonus; natura, non sermo; Deus, non inanitas est. » Plura de Verbo vide apud D. Thomam et Suarez loco citato.

Itaque licet aliquo modo ascendamus ex verbo mentis nostræ ad Verbum Dei, tamen hic ascensus per lumen naturæ tantum fit ad Verbum essentiale. Per hoc enim Deus omnia concipit, intelligit et producit; sed quod intellectio Dei sit dictio, id est productio, quæ dixerit, produxerit et genuerit Verbum notionale quasi Filium, hoc incomprehensibile est, et non nisi per revelationem Dei sola fide cognoscitur et creditur : superat enim omnem intellectum angelicum et humanum, quod in SS. Trinitate « in personis proprietas, et in essentia unitas, et in majestate adoretur æqualitas, » uti canit Ecclesia in festo SS. Trinitatis. Ipsa ergo casto mutoque potius admiranda et adoranda est silentio, quam curioso et exili scrutanda et declaranda ingenio, ut cum Seraphinis stupentibus stupentes ei acclamemus : « Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth; plena est omnis terra gloria ejus, » *Isai.* VI. « Hoc (Dei Verbum) doctus Plato nescivit, hoc Demosthenes eloquens ignoravit. Perdam, inquit, sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo, » ait S. Hieronymus *ad Paulinam*. « Eructavit cor meum verbum bonum; dico ego opera mea regi, » ait Psaltes *Psalm.* XLIV, 1. « Vides hoc Verbum Filium Dei esse, quem non aliunde quam de paterno pectore, et ut ita dicam, de utero cordis Dei, credimus exstitisse, » ait Nazianzenus *De Fide*, juxta illud : « Ex utero ante luciferum genui te, » *Psalm.* CIX; ubi S. Hieronymus : « De utero generavit, inquit, id est, de sua natura, de suis visceribus, de sua substantia : ex utero, id est, de medullis divinitatis suæ, totum quidquid Pater est in divinitate, dedit Filio. »

Tropologice : quomodo Verbum loquatur cordi hominum explicant S. Augustinus XI *Confess.*, IX, et S. Bernardus, serm. 45 *in Cant.* : « Pulchritudo, inquit, illius dilectio ejus, et ideo major, quia præveniens. Medullis proinde cordis et intimarum vocibus affectionum, tanto amplius atque ardentius clamitat sibi diligendum, quanto id prius sensit diligens quam dilectum. Itaque locutio verbi, infusio doni, responsio animæ, cum gratiarum actione admiratio. Et idcirco plus diligit, quod sentit se in diligendo victam; et ideo plus

miratur, quod præventam agnoscit.» Et S. Ambrosius, III *De Virgin.* : « Vulnerat, ait, Dei Verbum, sed non ulcerat. Est vulnus boni amoris, sunt vulnera charitatis. Ideoque dixit (sponsa *Cant.* II), Vulneratæ charitatis ego sum. Quæ perfecta est, vulneratæ charitatis est. Bona sunt igitur Verbi vulnera, bona sunt amantis vulnera.»

VERBO VITÆ. — « Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso, » *Joan.* V, 26 : hinc Patri attribuitur esse, Verbo vivere, Spiritui Sancto diligere.

Nota : Triplex est vita : divina, angelica, humana. Divina est perfectissima, immensa, æterna, increata, origo et fons vitæ angelicæ et humanæ. Angelica est creata, sed spiritalis. Humana partim est spiritalis, partim corporea. Estque duplex, naturalis et supernaturalis. Naturalis rursum est triplex : vegetativa, sensitiva et rationalis. Supernaturalis est duplex : inchoata per gratiam, qua homo justus per fidem, spem et charitatem servit Deo, vivitque vitam supernaturalem in Deum supernaturaliter credendo, sperando, eumque super omnia amando; altera vita supernaturalis est consummata per gloriam, qua Beati Deo fruuntur, deliciantur et beantur in æternum. Porro divina vita est duplex : formalis et causalis. Formalis est qua Deus in se ipso vivit vitam divinam, increatam, summe immortalem, sanctam, jucundam, perfectam, beatam et æternam. Causalis est duplex : naturalis et supernaturalis. Naturalis, quæ causat vitam naturalem omnium plantarum, animalium, hominum et Angelorum; supernaturalis, quæ causat vitam supernaturalem, tum gratiæ, tum gloriæ, tam hominum quam Angelorum. Vide S. Dionysium, lib. VI *De Divinis Nominibus,* ubi docet Deum esse originalem vitam, *primo,* vitæ angelicæ; *secundo,* humanæ; *tertio,* animalium; *quarto,* plantarum; *quinto,* justorum; *sexto,* Beatorum. Dicitur ergo Verbum vitæ, id est, vitale et vivificum, quia habet in se vitam, imo ipsum in se est vita divina, tum formalis, tum causalis jam dicta. Alludit, imo citat Joannes illud sui Evangelii cap. I, vers. 4 : « In ipso vita erat, » quod interpretes tripliciter de triplici vita exponunt. *Primo,* de vita formali, *q. d.* Ipsa Verbi substantia est vita, ipsum Verbum est vita subsistens, ait Œcumenius. Ipsum Verbum per essentiam et essentialiter est vita : ipsa enim ejus essentia est vivere et vita : in Deo enim et Verbo omnia sunt de essentia Dei et Verbi; nullum enim ibi est accidens. Unde Deus et Verbum per essentiam est sapientia, vita, bonitas, potentia, virtus, etc.; licet enim hæc in nobis sint accidentia, in Deo tamen sunt essentialia, adeoque realiter idem sunt cum essentia Dei. Ita S. Dionysius, loco citato, et S. Thomas, I *part., Quæst.* XXVIII. Alludit ad illud *Psal.* XXXV : « Apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen, » hoc est, ait Theodoretus : « Apud te est Verbum æternum, fons vitæ, et in lumine Spiritus Sancti lumen Unigeniti tui cernemus. »

Secundo, accipi potest de vita non causali, sed naturali, *q. d.* In Verbo est vita, hoc est in Verbo quasi in idea vivunt sempiternæ rerum omnium rationes, ut ait S. Augustinus. Verbum enim est omnium creaturarum idea : idea autem est ipsa essentia et vita Dei. Ita S. Augustinus, tract. 1 *in Joan.* : « Sapientia Dei (inquit), secundum artem continet omnia : terram vides, cœlum, solem, lunam; sunt ista in arte : sed foris corpora sunt, in arte vita sunt.» Alio vero loco : « Propterea (ait Joannes) quod factum est, in ipso vita erat; omnia quæ facta sunt et vitam non habent, in ipso Verbo Dei vita sunt, in seipsis vita non sunt. » Quod ipsum sensisse videtur auctor homiliarum ex diversis, quæ tribuuntur Origeni. « Cœlum, ait, et terra, abyssus et quæcumque in eis in Verbo vivunt, et vita sunt, et æternaliter subsistunt, et quæ nobis omni motu vitali carere videntur, in Verbo vivunt. » Rursus : « Omnia quæ per Verbum facta sunt, in ipso vitaliter et uniformiter et causaliter subsistunt. » Denique : « In ipso vivimus, movemur et sumus, » *Actor.* cap. XVII, vers. 28.

Præclare Philo, lib. *De Mundi opificio* : « Ubi decrevit, inquit, ingentem hanc urbem condere, prius formas ejus concepit, ex quibus postquam intelligibilem mundum constituit, ad illius exemplar sensibilem hunc mundum condidit. » Et post multa : « Si cui (inquit) libeat apertioribus uti vocabulis, nihil aliud dixerit esse mundum intelligibilem, quam Verbum Dei jam mundum condentis. » Rursum aliquanto post : « Liquet autem quod archetypum sigillum, quem dicimus esse mundum intelligibilem, ipse sit archetypum illud exemplar, idea idearum, Verbum Dei.»

Rursum in Verbo quasi in causa efficiente est vita, id est omnium rerum vigor, duratio et conservatio, quia hæc per Verbum fiunt : Verbum enim omnibus rebus dat vigere, vivere, durare et permanere. Ita S. Chrysostomus, S. Cyrillus, Theophylactus, Euthymius in cap. I *Evangelii S. Joan.*, vers. 4. Unde Jansenius ibidem sic exponit, *q. d.* Vita naturalis viventium pendet a Verbo, quasi sensim Joannes a vita viventium descendat ad hominem ejusque vitam acceptam a Verbo, et Clemens Alexandrinus, lib. *Exhort. ad Gentes* : « Verbum, ait, quod erat apud Deum, doctor apparuit, Verbum per quod omnia sunt fabricata, et quod cum eo qui finxit vitam simul præbuit, ut opifex; bene vivere docuit, cum apparuisset ut magister, ut postea semper vivere suppeditaret ut Deus. »

Tertio et magis genuine, tam hic quam in Evangelio, per *vitam* accipias vitam causalem supernaturalem, *q. d.* In Verbo quasi in fonte et causa erat vera nostra vita, tum gratiæ, tum gloriæ. Unde ut hanc vitam et lucem hominibus communicaret, ad eos in carnem descendit, factus homo, ut, sicut per Verbum magnus hic mun-

dus creatus est, ita per idem mundus parvus quoque (id est homo) recrearetur, et a morte peccati ad vitam gratiæ et gloriæ revocaretur. Ita enim se explicat Joannes, dum subdit in Evangelio : « Et vita erat lux hominum, » et hic mox Verbum vocat vitam æternam, dicens : « Et vita manifestata est, et vidimus, et testamur, et annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, et apparuit nobis. » Et cap. v, vers. 11 : « Et hoc est testimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus. » Ita Chrysostomus, Augustinus, Ammonius, Theophylactus in *Evangel.* cap. I; S. Ambrosius, lib. III *De Fide,* cap. III; S. Athanasius, lib. VIII *De Assumptione hominis contra Marcellinum.* Atque hac de causa S. Joannes et Scripturæ passim alibi Christum vocant vitam, ut Joannes cap. III : « Ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. » Et cap. IV : « Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. » Et cap. V : « Non vultis venire ad me, ut vitam habeatis; » cap. VI : « Qui credit in me, habet vitam æternam; » cap. 8 : « Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ; » cap. X : « Ego veni ut vitam habeant; » cap. XI : « Ego sum resurrectio et vita; » cap. XIV : « Ego sum via, veritas et vita, etc.; » cap. XVII : « Ut omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam. » Paulus *ad Coloss.* III, 4 : « Cum apparuerit Christus vita vestra. » Alludit ad lignum vitæ *Genes.* II, 9 : « Verbum » enim « vitæ » est quasi arbor vitæ, quia vitam homini prorogat, non in longum tempus, ut illa arbor, sed in omnem æternitatem.

Idem per umbram viderunt Gentiles, qui proinde Jovem græce vocarunt Ζῆνα, id est *vitam.* Audi Aristotelem, lib. *De Mundo* : καλοῦσι δὲ τὸν θεὸν Ζῆνα καὶ Δία, παραλλήλως χρώμενοι τοῖς ὀνόμασιν, ὡς κἂν εἰ λέγοιμεν δι' ὃν ζῶμεν, id est « Deum quidem tum Ζῆνα, tum Δία vocant, inter se compositis atque e regione collatis nominibus, tanquam duabus iis vocibus significare velint per quem vivimus. » Ita posteriores Græci : priores enim alia de causa Jovem vocarunt Ζῆνα, quam assignat Lactantius, lib. I, cap. XI : « Ipse autem, inquit, furto servatus, furtimque nutritus ζεὺς sive ζῆν appellatus est : non, ut isti putant, a fervore cœlestis ignis (quasi ἀπὸ τοῦ ζέειν), vel quod vitæ sit dator, vel quod animantibus inspiret animas, quæ virtus solius Dei est : quam enim possit inspirare animam qui ipse accipit aliunde? Sed quod primus ex Saturni maribus vixerit. »

Vers. 2. 2. ET VITA MANIFESTATA EST (1). — *q. d.* Verbum quod est vita immortalis et beata, tum formalis, tum causalis, uti jam dixi, sed abscondita apud Deum in sinu Patris, jam per incarnationem sese manifestavit, ac hominibus aspectabilem et tractabilem se præbuit; itaque nos Apostoli, qui vidimus illud, testamur et annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, et nunc in fine sæculorum per carnem assumptam apparuit nobis. Hoc est quod præcinuit Isaias, cap. XL, vers. 5 : « Revelabitur gloria Domini, et videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum est, » nimirum, ut explicat S. Lucas, cap. III, vers. 5 : « Et videbit omnis caro salutare Dei, » id est, videbit omnis homo Christum Dei, ait ibidem S. Ambrosius. Idem S. Ambrosius in *Psalm.* XXXVI, 19 : « Non confundentur in tempore malo. Ipse (Christus), inquit, nostra in omnibus vita est, ipsius divinitas vita est, ipsius æternitas vita est, ipsius caro vita est, ipsius passio vita est. Unde et Jeremias ait : In umbra ejus vivemus; umbra alarum, umbra crucis, umbra est passionis. Ipsius mors vita est, ipsius vulnus vita est, ipsius sanguis vita est, ipsius sepultura vita est, ipsius resurrectio vita est universorum. Vis scire quoniam mors ipsius vita est? In morte, inquit; ipsius baptizati sumus, ut cum ipso in novitate vitæ ambulemus. Et ipse ait : Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram moriatur, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Ipse granum pro nobis corpore solutus et mortuus est, ut fructum multum afferret in nobis; mors itaque ejus fructus est vitæ. »

ET TESTAMUR, — quasi martyres, id est testes Dei, tum voce, tum vita, tum passione, morte et martyrio, uti S. Joannes ob hoc testimonium de Christo a Domitiano Romæ missus est in dolium olei bullientis, sed illæsus exiens ab eodem relegatus est in Patmos, ubi scribens Apocalypsin, ita de se orditur vers. 2 : « Qui testimonium perhibuit Verbo Dei, et testimonium Jesu Christi, quæcumque vidit; » et vers. 9 : « Ego Joannes frater vester, et particeps in tribulatione et regno, et patientia in Christo Jesu, fui in insula quæ appellatur Patmos, propter Verbum Dei et testimonium Jesu. » Rursum « testamur, » id est protestamur et obtestamur minando incredulis terribile Dei judicium. Ita Cassianus, lib. V *De Incarnat.,* cap. VI : « Deinde, ait, addit Verbum vitæ, et vitam manifestatam : hoc se vidisse, hoc annuntiare, hoc protestari, simul scilicet, et exequens officium fidei, et ingerens terrorem incredulitati : ut cum ille utique protestatur se prædicare, sibi imputaret periculum suum, qui eum noluisset audire. » Sic de Heliodoro ab angelis flagellato dicitur; II *Machab.* III, 36 : « Testabatur (id est protestabatur, celebrabat, glorificabat) autem omnibus ea quæ sub oculis suis viderat opera magni Dei. »

ET ANNUNTIAMUS VOBIS VITAM ÆTERNAM (puta Christum, qui, qua Verbum Dei, est vita æterna, increata et per essentiam), QUÆ ERAT APUD PATREM, ET APPARUIT NOBIS, — ut ex invisibili fieret visibilis nobis per incarnationem, prædicationem, miracula, ac præsertim per transfigurationem,

(1) *Et* pro *nam,* ut sæpe alibi, et parenthesi includendus hic versus.

ait Cajetanus, resurrectionem et ascensionem in cœlum : ibi enim ostendet Christus se non tantum qua Verbum, sed et qua homo erat, vivere vitam gloriosam et æternam.

Nota : Τὸ *quod erat apud Patrem* alludit ad id quod ait in *Evang.* cap. I, vers. 1 : « Et Verbum erat apud Deum, » quod pulchre Nonnus vertit :

Πατρὸς ἐὴν ἀμέριστος, ἀτέρμονι σύνθρονος ἕδρᾳ,
A Patre erat indivisum, æterna una sedens in sede.

Occurrit S. Joannes objectioni. Dicet enim quis : Si ab æterno erat Verbum, ubi erat, cum nihil, vel nullus locus esset in rerum natura? Respondet Joannes Verbum loco non eguisse, sed fuisse apud Deum Patrem, utpote a quo originem duceret, hoc est fuisse in sinu Patris, uti explicat vers. 18, vel etiam in domo paterna, quæ est Deus ipse, fuisse absconditum nobis. Præpositio ergo *apud* notat tria : *primo,* Verbum esse personam distinctam a Patre, contra Sabellium : ita S. Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus, Leontius in Joannis *Evangel.* cap. I, vers. 1; *secundo,* « apud » significat amicam et summam Filii cum Patre conjunctionem; *tertio,* « apud » significat æqualitatem Filii cum Patre. Nam esse apud Deum est esse juxta Deum, sive sedere ad dexteram Dei : eo enim post ascensionem rediisse dicitur *Marci* XVI, 19, et alibi. Hinc ruit hæresis Eunomii dicentis Filium non esse Verbum. Duplex enim ponebat ipse Verbum : unum internum ὁμούσιον Deo, alterum externum, quod a Verbo interno reciperet ea quæ annuntiaret nobis, et hoc esse creatum, esseque Christum. Hoc refutat S. Joannes dicens illud idem Verbum, quod erat apud Patrem, apparuisse nobis per carnem. Porro ne Ariani et Eunomius inferrent : Verbum erat apud Deum, ergo ipsum non erat Deus; prævenit id Joannes, dum subdit in Evangelio : « Et Deus erat Verbum. » Sic enim personæ divinæ inter se sunt distinctæ, et una apud aliam, ut tamen omnes habeant unam eamdemque numero essentiam, puta divinitatem. Quare ineptus fuit Arianus ille, de quo S. Fulgentius, lib. III *Contra Monimum,* cap. II et III, qui arripiens pileum e capite Catholici : Hic pileus, inquit, est apud te an apud me? cumque responderet Catholicus : Est apud te; intulit : Ergo Verbum quod erat apud Deum, illi externum erat, non ὁμούσιον et consubstantiale. Recte enim respondet S. Fulgentius, Verbum non esse apud Patrem sicut pileus est apud me : pileus enim est res distincta a me : Filius autem cum Patre est eadem res et essentia, ideoque dicitur esse in sinu Patris. Filius ergo est apud Patrem eo modo quo calor est apud splendorem in eodem igne, aut potius eo modo quo memoria est apud intellectum in eadem mente et anima, præsertim si cum nonnullis Philosophis dicamus potentias; puta intellectum, memoriam, voluntatem, ab anima non distingui, sed cum ea realiter esse unum et idem.

ET APPARUIT NOBIS. — Vox *apparuit* significat in Christi incarnatione ἐξαίφνης τὸ ἀφανὲς factum esse ἐμφανές, ait S. Dionysius, epist. 3 *ad Caium,* scilicet « repente invisibilem apparuisse visibilem, et ex obscuro deitatis arcano eum qui omni essentiæ præstat, hominem effectum, in nostrum conspectum prodiisse. Occultus autem est Deus etiam post ipsam declarationem, aut, divinius dicam, in ipsa declaratione. Hæc enim Jesu divinitas abscondita est, neque ullo sermone vel cognitione, quod circa ipsum peractum est, mysterium depromitur, seu ex tenebris educitur : sed et cum dicitur, inexplicabile manet; et cum intelligitur, occultum. » Idem epist. 4 *ad eumdem,* loquens de Christo : « Cum ad essentiam assumendam venisset, inquit, essentiam accepit, qui omni essentia superior est; et quæ hominis sunt, supra hominem gerebat : quod declarat et virgo, quæ supra naturam parit. » Unde subdit incarnationis, perinde ac deitatis, mysterium magis per negationem quam per affirmationem, cognosci. « Nam, inquit, ne homo quidem erat, non quod non esset homo, sed quod ex hominibus natus, homines longe superaret, et supra hominem vere homo factus sit : et divina, non quatenus Deus est, perfecit; neque humana, quatenus homo, sed postquam Deus factus est homo (græce significantius ἀνδρωθέντος Θεοῦ, id est Deo virum induto, Deo humanato, Deo hominem vestito), novam quamdam θεανδρικήν, id est Dei-virilem, sive ex divina et humana compositam, operationem apud nos instituit. »

3. UT ET VOS SOCIETATEM HABEATIS NOBISCUM (1). Vers. 3. — « Societatem, » græce κοινωνίαν, id est communionem, commercium, societatem, scilicet in eadem fide, religione et Ecclesia Christi, ubi eadem Sacramenta omnes participant : hæc est communio Sanctorum de qua in Symbolo dicimus : « Credo sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem. » Porro bona et fructus hujus societatis et communionis subdimus dicentes : « Remissionem peccatorum, » quæ fit per gratiam Christi, « carnis resurrectionem et vitam æternam : » vide nostrum Canisium, Ludovicum Granatensem et alios in symbolum. Porro « habeatis, » id est, habere pergatis et in ea proficiatis et confirmemini; significatur enim actus continuatus et crescens, non inchoatus. Loquitur enim fidelibus, qui jam habebant hanc societatem. Œcumenius tamen refert quoque ad infideles, quasi illos velit Joannes allicere ad fidem et Ecclesiam Christi. Hoc est quod ait Paulus, *Hebr.* XII, 22 : « Accessistis ad Sion montem (id est, ad Ecclesiam quæ cœpit in Sion), et civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem, et multorum

(1) « Quod vidimus, *inquam,* et audivimus, annuntiamus, » etc. Præsens *annuntiamus* non solum, recte monente Allioli, pertinet ad hanc epistolam, sed aut in universum ad prædicandi munus, quo perpetuo fungebatur Apostolus, aut in specie ad doctrinam quam in *Evangelio* proposuerat.

millium angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis, et judicem omnium Deum, et spiritus justorum perfectorum, et testamenti novi mediatorem Jesum, et sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel. » Cum his omnibus in Ecclesia est nobis societas, puta cum angelis, cum Apostolis, cum primis Christianis, cum viris justis et perfectis, cum Beatis, cum Christo et Deo. Unde subdit Joannes :

ET SOCIETAS NOSTRA SIT CUM PATRE, ET CUM FILIO EJUS JESU CHRISTO, — non cum Deo Simonis Magi et mediatoribus angelis, quos ipse cum Platone quasi semideos inducit. Societas ergo Ecclesiæ est societas cum Deo et Christo, « nec habere societatem cum Deo quisquam valet, qui non prius unitur Ecclesiæ societati, » ait Beda. Nam, ut ait S. Cyprianus, lib. *De Unitate Ecclesiæ* : « Quisquis ab Ecclesia segregatus adulteræ jungitur, a promissis Ecclesiæ separatur, nec perveniet ad Christi præmia; qui reliquerit Ecclesiam Christi, alienus est, profanus est, hostis est; habere jam non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet matrem. Si potuit evadere quisquam qui extra arcam Noe fuit, et qui extra Ecclesiam foris fuerit, evadit. Monet Dominus, et dicit : Qui non est mecum, adversus me est, et qui non mecum colligit, spargit; qui pacem Christi et concordiam rumpit, adversus Christum facit; qui alibi præter Ecclesiam colligit, Christi Ecclesiam spargit. » Et aliquanto post : « Cum Deo manere non possunt, quia esse in Ecclesia Dei unanimes noluerunt. Ardeant licet flammis, et ignibus traditi vel objecti bestiis animas suas ponant, non erit illa fidei corona, sed pœna perfidiæ; nec religiosæ virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus : occidi talis potest, coronari non potest. » Hinc excommunicati separati ab Ecclesia pariter separati sunt a Deo et Christo. Græca significantius et efficacius habent : καὶ ἡ κοινωνία δὲ ἡ ἡμετέρα μετὰ τοῦ Πατρὸς καὶ μετὰ τοῦ Υἱοῦ αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ; quæ sic vertas, *nostra vero societas est cum Patre et cum Filio ejus Jesu Christo*. Ita Vatablus et alii. Explicat enim nobilitatem societatis Ecclesiæ, quod scilicet sit societas cum ipso Christo et Deo : illius enim sponsa est Ecclesia. Hinc in ea fimus « divinæ consortes naturæ, » II *Petri* I, 4. Nam « qui adhæret Domino, unus spiritus est, » I *Corinth.* cap. VI, vers. 7. Hoc est quod admirans celebrat et gratulatur Paulus, I *Corinth.* I, 9 : « Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem Filii ejus Jesu Christi Domini nostri. » Omnes ergo fideles sunt socii Christi et Dei per fidem, spem et charitatem; sed eo majorem cum eo habent societatem, quo magis in ejus fide, spe et charitate proficiunt, magisque ejus vitam et mores imitantur, præsertim ejus fidem et gloriam celebrando, et magis magisque propagando, uti fecerunt Apostoli, qui proinde in hac societate fuere primi et summi, quia pro Christo multa egerunt et multa passi sunt, adeoque totos se ejus gloriæ et animarum saluti impenderunt.

Vera amicitia est justa cum Deo.

Societas ergo hæc est amicitia cum Deo : hanc enim vere intercedere inter animam sanctam et Deum docet hic Joannes, ac consequenter ipsa continet omnes conditiones veræ amicitiæ, quas recenset Aristoteles, Cicero et alii Ethici, tractat. *De Amicitia*, puta reciprocum amorem, mutua colloquia, officia, gaudia, communicationem bonorum, etc. : quæ sane mira et divina est animæ dignitas, æque ac utilitas. Unde S. Augustinus, tract. 76 *in Joan.* : « Facit, inquit, Spiritus Sanctus cum Patre et Filio in Sanctis mansionem, intus utique, tanquam in templo suo. Deus Trinitas, Pater, Filius et Spiritus Sanctus, veniunt ad nos, dum venimus ad eos; veniunt subveniendo, venimus obediendo; veniunt illuminando, venimus intuendo; veniunt implendo, venimus capiendo : ut sit nobis eorum non extranea visio, sed interna, et in nobis eorum non transitoria mansio, sed æterna. » Vide dicta in illud quod de Abraham dicitur, *Jacob.* II, 23 : « Et amicus Dei appellatus est. » Vide et Dionysium Carthusianum hic, post medium cap. I, ubi pulchre et pie explicat quomodo fideles quasi socii et amici cum Deo agere et conversari debeant.

Est multiplex.

Porro recte Joannes Hesselius, Doctor Lovaniensis, et ex eo noster Lorinus : Societas, inquit, sive communio hæc nostra cum Christo tam homine quam Deo, est tanquam domini et servi, patris et filii adoptivi, illuminantis et illuminati, justificantis et justificati, regentis et subditi, dantis et accipientis, invocantis et exaudientis, donantis munera et gratias agentis, beatificantis et beati, denique ut adhærens Deo unus cum illo sit spiritus, et in luce ambulans, sicut ipse est in luce, societatem habeat cum ipso. Secundum humanam naturam cum Christo est, ut magistri ad discipulos, sacerdotis ad eos pro quibus sacrificat et interpellat; solventis pro alio pœnam debitam, et promerentis seu consequentis gratiam indebitam; gratias agentis cum iis, pro quibus gratias agit; regis rursum et subditorum. Explicant Scripturæ societatem hujusmodi parabola Pastoris et ovium, capitis et membrorum, cibi et edentium, vitis et palmitum, et aliis ejusdem generis; tandem qui socii passionum, socii et consolationum. Vocavit nos quoque Christus amicos suos, fratres, sorores, matres; dixit eumdem Deum suum et Deum nostrum, Patrem suum et Patrem nostrum. Hoc est quod ait Paulus, *Ephes.* cap. II, vers. 19 : « Estis cives Sanctorum, et domestici Dei; » et *Joan.* III, 1 : « Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut Filii Dei nominemur et simus. » Rursum Paulus, II *Cor.* XI, 2 : « Despondi, ait, vos uni viro virginem castam exhibere Christo; » et *Oseæ* cap. II, vers. 19 : « Sponsabo te mihi in sempiternum, et sponsabo te mihi in justitia et judicio, et in misericordia, et miserationibus; et sponsabo te mihi in fide. »

Vers. 4. 4. ET HÆC SCRIBIMUS VOBIS UT GAUDEATIS (in societate Ecclesiæ Christi et Dei, ejusque bonis gratiæ quæ percipitis, et gloriæ quæ percipietis in cœlo), ET GAUDIUM VESTRUM SIT PLENUM, — indies scilicet fiat majus et plenius, donec in cœlo fiat plenissimum, per hoc quod in societate hac indies crescatis et proficiatis, juxta illud S. Pauli, *Philippens.* cap. II, vers. 2 : « Implete gaudium meum ut idem sapiatis, eamdem charitatem habentes unanimes, idipsum sapientes; » et illud Christi, *Joan.* XVII, 13 : « Hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur. » Hoc gaudium nititur et nascitur ex testimonio bonæ et sanctæ conscientiæ, quæ confidens se esse in Dei gratia, sperat ab eo omne bonum et gloriam beatam, juxta illud Pauli, II *Cor.* I, 12 : « Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. » Vere S. Bernardus *ad Eugenium* : « Quid ditius, quid in terra quietius est et securius bona conscientia? Damna rerum non metuit, non verborum contumelias, non corporis cruciatus, quæ et ipsa morte magis erigitur, quam deprimitur. » Quin et II *Tuscul.* M. Tullius : « Nullum theatrum virtuti, ait, conscientia majus. » Rursus in *Catone Majore* : « Conscientia bene actæ vitæ multorumque benefactorum jucundissima est. » Itemque illud *pro Cluentio* præclare : « Si optimorum (ait) consiliorum atque factorum testis in omni vita nobis conscientia fuerit, sine ullo metu summa cum honestate vivemus. Denique conscientia rectæ voluntatis maxima consolatio est rerum incommodarum. » Et Horatius, lib. I, *epist.* 1 :

—— Hic murus aheneus esto,
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.

Idem, *ode* 22, lib. I :

Integer vitæ scelerisque purus,
Non eget Mauri jaculis, nec arcu,
Nec venenatis gravida sagittis,
Fusce, pharetra.

Sive per Syrtes iter æstuosas,
Sive facturus per inhospitalem
Caucasum, vel quæ loca fabulosus
Lambit Hydaspes.

Merito itaque Apostolus integræ puræque conscientiæ spem et fiduciam pollicetur. Vere namque scripsit Augustinus : « Ipsa charitas bene operantis dat ei spem bonæ conscientiæ; spem enim gerit bona conscientia : quomodo mala conscientia tota in desperatione est, sic bona conscientia tota in spe. »

Rursum, « plenum, » id est, reale et solidum, est fidelium « gaudium : » hoc enim mentem satiat et implet, quale est gaudium in Domino; cum gaudium in deliciis, opibus et honoribus sæculi mentem titillet, non impleat. Audi S. Gregorium, homil. 11 *in Evang.* : « Quia præsentia gaudia sequuntur perpetua lamenta, hic, fratres charissimi, vanam lætitiam fugite, si illic flere formidatis; nemo enim potest et hic gaudere cum sæculo, et illic regnare cum Christo. Temporalis itaque lætitiæ fluxa restringite, carnis voluptates edomate, quidquid in animo ex præsenti sæculo arridet, ex consideratione æterni ignis amarescat; quidquid in mente pueriliter hilarescit, hoc disciplinæ juvenilis censura coerceat, ut dum sponte temporalia fugitis, æterna gaudia sine labore capiatis. » Et S. Chrysostomus, hom. 18 *ad Popul.* : « In Domino gaudens, ex accidente nullo hac voluptate excidere potest; alia nempe cuncta in quibus gaudemus, mutabilia sunt, nec tantam nobis afferunt voluptatem, ut ex aliis nascentem tristitiam expellant et obumbrent. Dei vero timor hæc habet utraque; stabilis enim est, et immotus, atque tantam emittit lætitiam, ut nullus nos aliorum malorum sensus capiat. Deum enim sicut oportet timens, et in ipso confidens, voluptatis radicem lucratus est, et omnem habet lætitiæ fontem. Et sicut in immensum mare decidens scintilla, brevi facile extinguitur : sic quantacumque Deum timenti illidantur, velut in vastum lætitiæ pelagus incidentia extinguuntur atque perduntur. Et revera, hoc est maxime mirabile, quod cum adsint quæ contristare solent, permanet ipse gaudens. » Et S. Augustinus, lib. X *Confess.*, cap. XXII, verum gaudium a falso secernens : « Absit, ait, Domine, absit a corde servi tui, qui confitetur tibi, absit ut quocumque gaudio gaudeam, beatum me putem; est enim gaudium quod non datur impiis, sed iis qui te gratis colunt, quorum gaudium tu ipse es, et ipsa est beata vita gaudere ad te, de te et propter te, ipsa est, et non est altera; qui autem aliam putant esse, aliud sectantur gaudium, neque ipsum verum; » et post nonnulla : « Beata quippe vita est gaudium de veritate; hoc est enim gaudium de te, qui veritas es, Deus, illuminatio mea, salus faciei meæ. »

Gaudium bonæ conscientiæ quantum.

Vers. 5. 5. ET HÆC EST ANNUNTIATIO. — Græce compositum ἐπαγγελία, id est *promissio*, ponitur pro simplici ἀγγελία, id est *annuntiatio*. Ita Œcumenius (1). Jam « annuntiatio » ponitur pro re annuntiata, per metonymiam, qua actus ponitur pro objecto. Sic Deus vocatur spes, timor, amor noster, id est objectum spei, timoris et amoris nostri, sive in quem speramus, quem timemus et amamus. Ostendit S. Joannes societatem fidelium cum Deo consistere in eo, ut ambulent in luce cognitionis, obedientiæ et amoris Dei, eo quod Deus sit ipsa lux; in qua si permaneamus, invicti peccato efficimur, ait Œcumenius.

QUONIAM DEUS LUX EST, ET TENEBRÆ IN EO NON SUNT ULLÆ. — Alludit ad *Evang.* I, 4, ubi S. Joannes explicans illud : « In ipso vita erat, » illico subdit : « Et vita erat lux hominum, » ut significaret, ait Toletus, ad vitam assequendam necessarium

(1) Multi codices legunt ἀγγελία, hancque lectionem in textum receperunt Griesbachius, Matthæius, Knappius, etc.

esse lumen, quo Verbum hoc luceat in cordibus nostris; non enim vivere facit, nisi quod fide sua illuminat Christus; ideo *Joan.* VIII dicebat : « Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ;» quod planius, *Joan.* XVII, exposuit : « Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum; » ac si diceret : Vita non sum, nisi iis quibus lux sum. Unde recte Gregorius Nazianzenus, orat. 4 *Theolog.*, hæc verba Joannis sic interpretatus est : « Quia lux erat, vita erat. » Verbum ergo est lux hominum, quo scilicet homines illuminantur spiritualiter per fidem, spem, charitatem : de spirituali enim, non de naturali rationis luce hic agi, patet ex sequenti. Sensus ergo est, *q. d.* Vita nostra, quam dixi esse in Verbo, imo esse ipsum Verbum, est hæc Verbi illuminatio, qua homines cognitione Dei et salutis suæ illuminat. Et hæc est causa cur Verbum sit caro factum, in eaque se manifestarit hominibus, ut scilicet daret eis vitam æternam (1).

Verbum est lux triplex.

Quomodo Deus et Verbum sit lux, non accidentalis et creata, uti est nostra, sed substantialis et increata, eaque triplex, *primo,* formalis; *secundo,* idealis; *tertio,* causalis omnis lucis corporeæ et spiritalis hominum et angelorum, justorum et beatorum, gratiæ et gloriæ, vide apud S. Dionysium, *De Divin. Nom.* cap. II, vers. 4 et 7 : « Lucis nomine, inquit, ipsum bonum celebratur, quasi in imagine primum exemplar expressum. » Hinc Deus dicitur « amictus lumine sicut vestimento, » *Psalm.* CIII; hinc et vocatur « Pater luminum » a Jacobo, cap. I, 17, et a Paulo dicitur « habitare lucem inaccessibilem, » I *Timot.* VI, 16. Vide utrobique dicta. Lux enim nobilissima est qualitas, quæ maxime Dei ejusque illuminationis et gratiæ decus et dotes repræsentat. Inter Deum ergo, Deique gratiam et lucem, maximæ et pulcherrimæ sunt analogiæ : lux enim cœlestis et nobilissima inter naturales est qualitas, celerrima, efficacissima, impassibilis, purissima, quæ nullis sordibus licet iis immixta fœdari potest, afferens calorem, splendorem, lætitiam, faciens res omnes videri, vitam et vigorem omnibus viventibus afferens. Talis est et Deus Deique gratia : contrarium est in peccatis, quorum proinde symbolum sunt tenebræ. Adde quod gratia ad æternam lucem et gloriam, peccata ad imas et summas tenebras ducant.

Analogiæ triginta et

Audi S. Dionysium, cap. XV *Cœlest. Hierarch.*, triginta et unam ignis et lucis proprietates, Deo et gratiæ mire congruentes, recensentem : *primo,* « ignis (et lux), inquit, in omnibus et per omnia sine admixtione funditur; *secundo,* secernitur a rebus omnibus; *tertio,* lucet totus simul; *quarto,* abstrusus est, incognitusque manet ipse per se, nisi adhibeatur materia, in qua vim actionemque suam declaret; *quinto,* cohiberi vincique non potest; *sexto,* omnia ipse per se obtinet; *septimo,* ea in quibus fuerit, ad vim suam actionemque commutat; *octavo,* sui ipsius particeps facit quidquid ipsi propius quoquo modo adhibetur; *nono,* renovat omnia vitali calore; *decimo,* illustrat aperto lumine; *undecimo,* teneri non potest; *duodecimo,* nec misceri; *decimo tertio,* dissipandi vim habet; *decimo quarto,* commutari non potest; *decimo quinto,* sursum fertur; *decimo sexto,* celeritate magna est præditus; *decimo septimo,* sublimis est nec humilitatem ullam ferre potest; *decimo octavo,* immobilis est; *decimo nono,* per se movetur; *vigesimo,* aliis motum affert; *vigesimo primo,* comprehendendi vim habet; *vigesimo secundo,* ipse comprehendi non potest; *vigesimo tertio,* non eget altero; *vigesimo quarto,* clam se amplificat; *vigesimo quinto,* in materiis quæ ipsius capaces sunt, magnitudinem suam declarat; *vigesimo sexto,* vim efficiendi habet; *vigesimo septimo,* potens est; *vigesimo octavo,* omnibus inest, nec videtur; *vigesimo nono,* si negligitur non esse videtur; *trigesimo,* attritu quasi inquisitione quadam repente apparet, rursumque ut comprehendi et detineri nequeat avolat; *trigesimo primo,* in omnibus sui communionibus minui non potest. »

una inter lucem et Deum.

Denique apposite Damascenus, lib. II *De Fide,* cap. XI, S. Trinitatem comparat luci, sive soli reflexo in nube, puta in parhelio in quo tres videntur soles, cum revera unicus tantum sit sol. « Indivisibilis enim, inquit, in divinis est divinitas, ac velut in tribus solibus inseparabili nexu inter se cohærentibus una eademque est lucis temperatio atque conjunctio. » Sic et S. Dionysius, cap. II *De Divin. Nom.*, S. Trinitatem repræsentat per tria lumina eamdem domum illuminantia, una luce, et indistincta quadam distinctione. Atque hac de causa lux illa Deitatis et Trinitatis licet in se sit clarissima, tamen nobis est obscura caligo, eo quod acies nostra solem illum tam fulgidum, tam sublimem, tam supernaturalem, rectis et irretortis mentis oculis intueri et aspicere non valeat. Unde ut eam contemplemur, cum Mose caliginem subire oportet. Audi S. Dionysium : « Caligo, inquit, lux est tum invisibilis, propter eximiam et substantiæ supereminentem claritatem; tum inaccessibilis, pro immensa supersubstantialis luminis ex se manantis copia. Ad hanc pertingit et absorbetur quisquis Deum nosse ac videre meruerit, eoque ipso quod nec videt, nec cognoscit (hoc est, non comprehendit), Deo visionem omnemque cognitionem transcendenti familiarius jungitur, hoc ipsum noscens quod post et super omnia est, quæ in sensum cadunt; et cum

(1) *Lux*, res purissima et gratissima, cui magna beneficia et commoda debemus, est imago *rectæ cognitionis,* moralis *perfectionis, felicitatis.* Per se igitur hæc verba significare possunt : Deus est *scientissimus,* vel *dator felicitatis.* Hoc loco autem verti debent, ait Allioli, *Deus est sanctissimus,* nam totus locus agit de hominum similitudine cum Deo, ea parte, ut et homines fugiant vitia et sint sancti. Non excluditur tamen veri et boni cognitio. Contrarium est σκοτία, *moralis imperfectio.* Nam *tenebræ* ingratæ sunt, symbolum ignorantiæ et vitiorum.

Propheta exclamat : Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, et non potero ad eam; et Apostolus eam agnoscens, vias ejus investigabiles, judicia inscrutabilia, donum ejus inenarrabile, pacem omnem sensum superantem testatus est » Deus ergo Pater lumen est luminosum et primum, v. g. lux solaris lumen producens. Filius est lumen rectum, primo productum, suæque luci commensum et adæquatum. Spiritus Sanctus est quasi lumen reflexum, puta splendor; producitur enim ex mutuo, ideoque reflexo amore Patris et Filii. Idem per umbram viderunt Gentiles. Parmenides Deum definivit « esse coronam continentem ardorem, lucis orbem qui cingit cœlum. » Democritus Deum aiebat « esse mentem in igne orbiculari. » Ægyptiis hieroglyphicum Dei erat stella : « Depicta Ægyptiis stella Deum significat, » inquit Horus Apollo, *Hierogl.* lib. II, cap. I.

Nota : Christus qua Deus et Verbum est lux formalis increata, qua homo est lux creata, quia plenus sapientia, gratia et gloria; est etiam lux causalis, quia causa est omnis sapientiæ, gratiæ et gloriæ nostræ. Unde S. Joannes in *Evangel.* cap. I, Christum qua homo est, vocat lucem, quia « illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; non tantum dans eis lumen naturale rationis, uti explicant Origenes et Cyrillus, sed etiam et potius dans eis lumen supernaturale fidei et sapientiæ. Unde a Malachia, cap. IV, vers. 2, vocatur « sol justitiæ. » Vide ibi dicta. Deliravit autem Manichæus, cum solem istum materialem censuit esse Christum, teste S. Augustino, tract. 34 *in Joann.* Luxit ergo Christus maxime post incarnationem; fuit tamen etiam lux ante eam a mundi exordio; nam sicut sol antequam horizontem ascendat, aliquos auroræ radios præmittit, quibus mundum illuminat, sic et Christus. Ita S. Augustinus, tract. 1 *in Joann.* Hoc est quod ait Pater ad Christum : « Dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ, » *Isaiæ* XLIX, 6; et Christus : « Ego sum lux mundi, » *Joann.* VIII; ac de eo Simeon : « Lumen ad revelationem Gentium, et gloriam plebis tuæ Israel, » *Lucæ* II, 32. Pulchre S. Augustinus, *hom.* 43, inter 50 : « Ideo, ait, venit Christus illuminator, quia diabolus fuerat excæcator. Fecit summus medicus infiniti collyrium pretii, ut excæcatos sanaret oculos. Vide quale, quamque salutiferum fecerit collyrium, ex Verbo et carne. Verbum, inquit, caro factum est, etc. Refecti autem hominis oculi ita sunt, itaque illuminati, ut angelorum exæquare possint oculos, Deique ipsius cœlestem gloriam tueri. »

Hanc lucem Christus suis fidelibus, præsertim viris Apostolicis communicat, adeo ut et ipsi sint lux mundi, juxta illud *Job* XXXVIII : « Auferetur ab impiis lux tua; » et : « Domine, in lumine vultus tui ambulabunt, » *Psalm.* LXXXVIII. Et Christus Apostolis : « Vos estis lux mundi. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est, » *Matth.* V. Idem de Joanne Baptista : « Ille erat lucerna ardens et lucens, » *Joann.* V. Et Paulus *Ephes.* V, 8 : « Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate. Fructus enim lucis est in omni bonitate et justitia et veritate, probantes quid sit beneplacitum Deo. »

ET TENEBRÆ IN EO NON SUNT ULLÆ. — Sicut lux est symbolum Dei, sapientiæ et gratiæ : ita tenebræ symbolum sunt diaboli, ignorantiæ et peccati, quæ proinde longe sunt a Deo. Ita Didymus et Œcumenius, qui citans illud *Evang. S. Joannis*, cap. I, vers. 5, *Lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt* : « Tenebras (inquit) peccatricem nostram substantiam vocans, in qua Christus natus, id est, qua assumpta, Christus ejus inquinationum particeps non fuit; peccatum enim non fecit. » Sic David : « Rectus Dominus Deus noster, et non est iniquitas in eo. » Et Moses : « Deus, inquit, fidelis absque ulla iniquitate. » Et rursus David : « Non Deus volens iniquitatem tu es. » Et alibi : « Sanctus in omnibus operibus suis. » Denique Habacuc : « Mundi sunt oculi tui ne videant malum. » Hoc est quod ait S. Jacobus, cap. I, vers. 17 : « Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. » Vere S. Thomas, in I *Timoth.* VI : « Res, ait, quæ actus quidem sunt, sed non purus, lucent tantum, non etiam lux sunt; divina autem essentia cum actus purus sit, lux est. Unde de hominum sanctissimo dicitur : Non erat ille lux; de Dei autem Verbo : Erat lux vera omnem hominem illuminans. » Et S. Gregorius Nazianzenus, *oratione* 40 : « Deus, ait, summum et inaccessibile lumen est, quod nec mente percipi, nec verbis explicari potest, naturam omnem ratione præditam illuminans; hoc in intelligibilibus, quod sol in sensibilibus; hoc se magis contemplandum nobis præbens, quo accuratius animos purgaverimus; eo rursus magis amandum, quo magis contemplati fuerimus; eo denique magis cognoscendum, quo magis amaverimus; se ipse speculans et comprehendens, ac per exigua ad externa diffundens. Lumen porro hoc dico quod in Patre, et Filio, et Spiritu Sancto consideratur, quorum opulentia naturæ identitas est, atque una eademque splendoris prosultatio. » Quæ sane omnia aperte indicant vere dictum esse a Joanne Deum esse lucem tenebrarum prorsus expertem, et lucem, ut ait Œcumenius, intelligibilem, quæ oculos animæ nostræ ad perceptionem ejus illustrat, et ab his materialibus omnibus avocans, ad ipsam solam appetitum nostrum amatorio affectu incitat.

Antistropha est hæc sententia illius cap. I *Evangelii*, 4 : « Et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt, » de qua S. Gregorius Nyssenus, orat. *De Nativit. Christi* : « Puritas, ait, in nostris sordibus versatur; sordes vero puritatem non attingunt, sicut ait Evangelium, quod lux

in tenebris et tenebræ eam complexæ non sint. » Et S. Augustinus, epist. 120 *ad Honoratum* : « Filius, ait, Dei non est absens etiam mentibus impiorum, quamvis eum non videant ; sicut nec illa lux videtur oculis præsentata cæcorum. » Idem, lib. I *De Pec. mer.*, cap. XXV : « Sicut sol a cæcis quamvis eos suis radiis quodammodo vestiat, sic a stultitiæ tenebris lumen Dei non comprehenditur. » Lucet autem lux Verbi in tenebris impiorum hominum per lumen rationis, per creaturarum voces, quæ omnes Creatorem esse, esseque venerandum et amandum clamant, per legem naturæ menti inscriptam, per legem novam, per Scripturam, doctores, concionatores, sanctas inspirationes, etc.

Unde idem Augustinus, tract. 2 *in Joann.* : « Noli cadere, ait, in peccatum, et non tibi occidet hic sol. Si tu feceris casum, tibi faciet occasum. » Si videre lucem cupis, esto et tu lux ; si enim tenebras et tenebrosas cupiditates ames, obtenebrabunt, imo excæcabunt te.

Viderunt id per umbram Gentiles quos citat Clemens Alexandrinus, lib. IV *Strom.* Antiphanes, inquit, dixit : « Plutus (id est divitiæ) cum aliquos plus aliis videntes acceperit, cæcos facit : hinc a Poetis prædicatur ab ortu cæcus ; » sic Venus, Bacchus, omnisque cupido videntes excæcat. Citat deinde Aristophanem, dicentem : « Agite, obscuræ vitæ homines, generationi foliorum similes, imbecilles, ceræ figmenta, folia instar umbræ reddentia, evanidi, involucres, unius tantum diei vitam viventes. »

Porro ridiculi et stolidi, æque ac blasphemi sunt Thalmudistæ, qui dicunt Deum instar lunæ pati eclipsin et tenebras, ac nominatim eas passum, cum lumen injuste a luna ademptum soli attribuit, ideoque ad culpam hanc suam expiandam instituisse festum Neomeniæ, sive novilunii, in qua per statuta a se sacrificia initio cujusque mensis hoc peccatum purgaret, uti refert Sixtus Senensis, lib. II.

Vers. 6. 6. SI DIXERIMUS QUONIAM (quod) SOCIETATEM HABEMUS CUM EO, ET IN TENEBRIS (ignorantiæ Dei et Christi, errorum et peccatorum) AMBULAMUS, MENTIMUR. — « Quæ enim societas luci ad tenebras? » II *Cor.* VI, 14. « Ambulare in tenebris, » est vivere in peccatis, in iisque progredi in pejus ac peccata peccatis cumulare. Perstringit Gnosticos illo ævo docentes (uti nostro docent Lutherani et Calvinistæ) fideles omnes esse prædestinatos, eosque sola fide salvari, ac proinde etiamsi peccent et turpiter vivant, manere tamen in Dei prædestinatione et gratia, certoque salvandos. Item Ebionitas, qui ambulantes in tenebris se Deo placere jactabant, ac ut cæteri Judaizantes censebant se per frequentes lotiones et baptismata peccata eluere. Nota : Peccata passim a S. Joanne in Evangelio et hic vocantur tenebræ, ob multas utrimque analogias. *Prima* est, sicut tenebræ sunt privatio lucis, ita peccata sunt privatio gratiæ.

Analogiæ tenebrarum et peccati. Prima.

Secunda, sicut in tenebris ambulans nihil videt, et crebro impingit : ita peccantes in via salutis cæcutiunt, et crebro impingunt. Secunda. *Tertia*, tenebriones uti noctuæ oderunt lucem : ita et peccatores oderunt lucem Dei et hominum, juxta illud Christi : « Qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut arguantur opera ejus. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta, » *Joann.* III, 20. Tertia. *Quarta*, quia peccata sunt opera principis tenebrarum, puta diaboli ; hic enim uti primus peccati est auctor, ita omnes ad peccatum instigat. Quarta. *Quinta*, quia pleraque peccata in tenebris fiunt, juxta illud Ovidii : Quinta.

> Nox et amor, vinumque nihil moderabile suadent :
> Illa pudore vacat, Liber amorque metu.

Sexta, quia peccata oriuntur ex tenebris, puta ex errore practico, quo peccator judicat sibi hic et nunc indulgendum esse cupiditati exili cum jactura Dei, cœli et bonorum æternorum, quæ sane summa est cæcitas et stoliditas. « Cæcitas mentis, ait S. Augustinus, lib. V *Contra Julianum*, quam solus removet illuminator Deus, et peccatum est, quo in Deum non creditur ; et pœna peccati est, qua cor superbum digna animadversione punitur ; et causa peccati est, cum mali aliquid cæci cordis errore committitur. » Sexta. *Septima*, quia mentem magis obtenebrant et excæcant. Septima. *Octava*, quia ducunt ad tenebras æternas gehennæ : « Terram, inquam, miseriæ et tenebrarum, ubi umbra mortis et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat, » *Job* X, 22. Octava. Sicut ergo lux est salutifera et vitalis viventibus rebusque omnibus, tenebræ vero noxiæ et mortiferæ : ita fides et gratia Christi est salutifera, vitamque affert æternam ; peccata vero sunt pestifera, mortemque creant æternam. Unde Horus Apollo, lib. I *Hierogl.*, cap. LXVII : « Ægyptii, inquit, tenebras significantes crocodili caudam pingunt. Neque enim aliter ad exitium et internecionem perducit crocodilus quodcumque apprehenderit animal, nisi cauda prius cæsum, invalidum reddiderit ; namque in hac corporis parte præcipua est crocodili vis ac robur. » Sicut ergo crocodilus exitialis est, ita et tenebræ.

Hinc tenebræ vocantur « umbra mortis, » juxta illud Zachariæ : « Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent, » *Lucæ* I, 79 ; et illud *Isaiæ* IX, 2 : « Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam ; habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. »

MENTIMUR, ET VERITATEM NON FACIMUS. — « Mentimur » verbo, et « veritatem, » quam loquimur et profitemur, « non facimus » ipso facto ; veritas enim hic non tam speculativa mentis et oris, quam practica operis et moris intelligitur. Verum ergo est bonum honestum, sive officium cujusque quod præstare debet ; si id non præstet, veritatem, id est, quod justum est et æquum, non facit, esto id simulet, ideoque personatus est hypocrita, et simia hominem vestita, ut ait Nyssenus epist. *ad*

Harm. Sic de diabolo dicitur *Joannis* cap. VIII, vers. 44 : « Ille in veritate non stetit, » quia in integritate, perfectione et officio angelico, in quo creatus erat, non perseveravit; hinc factus est « mendax et pater mendacii. »

7. SI AUTEM IN LUCE (rationis, fidei, Evangelii, virtutis, gratiæ) AMBULAMUS (proficiendo et eundo de virtute in virtutem), SICUT ET IPSE (Deus) EST IN LUCE (id est, est lucidus, imo ipsa lux substantialis et divina, ideoque omnia sua facit in luce sapientiæ, prudentiæ et sanctitatis divinæ), SOCIETATEM HABEMUS AD INVICEM. — Vatablus, *mutuam,* scilicet tum cum invicem, tum consequenter cum Deo, uti dixit vers. 3. Ita Dionysius. Vere S. Augustinus, lib. IV *Confess.*, cap. IX : « Beatus, inquit, qui amat te, et amicum in te, et inimicum propter te. Solus enim nullum charum amittit, cui omnes in illo chari sunt qui non amittitur. » Hoc est quod ait Sapiens, *Proverb.* I, 18 : « Justorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectam diem. Via impiorum tenebrosa, nesciunt ubi corruant. » Et Paulus *Philipp.* II, 25 : « Lucetis sicut luminaria in mundo in medio nationis pravæ et perversæ. » Audi S. Augustinum, serm. 15 *De Verbis Apostoli* : « Videtis, ait, quia viatores sumus. Quid est ambulare? breviter dico, proficere, ne forte non intelligatis et pigrius ambuletis; semper tibi displiceas quod es, si vis pervenire ad id quod nondum es. Nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti. Si autem dixeris : Sufficit, et peristi : semper adde, semper ambula, semper profice ; noli in via remanere, noli retro redire, noli deviare. Remanet, qui non proficit; retrocedit, qui ad ea revolvitur, unde jam abscesserat; deviat, qui apostatat. Melius it claudus in via, quam cursor præter viam. »

ET SANGUIS JESU CHRISTI, FILII EJUS, EMUNDAT NOS AB OMNI PECCATO. — Non quasi faciat nos impeccabiles, uti somniant hæretici : contrarium enim docet S. Joannes verbis proxime sequentibus; sed « emundat, » id est, emundavit a peccatis per baptismum, et emundat in præsenti a peccatis venialibus, sine quibus non ducitur hæc vita mortalis, et emundabit in futuro ab iisdem, et a periculis peccatorum mortalium. Denique in cœlo emundabit nos, non tantum ab omni culpa et pœna, sed et ab omni concupiscentia. Ideo enim S. Joannes utitur præsenti *emundat*, ut sub eo quasi medio præteritum et futurum complectatur. Ita S. Augustinus et ex eo Beda hic, ac S. Hieronymus, lib. II *Contra Pelagianos* : « Quod, inquit, scriptum est, Et sanguis Jesu Filii ejus emundat nos ab omni peccato, tam in confessione baptismatis, quam in clementia pœnitudinis accipiendum est. » *Emundat* ergo, id est, emundandi vim habet, emundareque potest et solet instar lixivii.

Nota *primo* : Deus non radit peccata, ut volunt hæretici, sed prorsus emundat, id est, expurgat et abolet sicut macula a facie, lutum e veste, sordes e domo everruntur et emundantur. Ita Concilium Tridentinum, *sess.* VI, cap. VII, ubi asserit neminem posse esse justum, « nisi cui merita passionis Domini nostri Jesu Christi communicantur; » idque fieri in justificatione impii, « dum ejusdem sanctissimæ passionis merito per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum qui justificantur, atque ipsis inhæret. » Porro Clemens VI, Extravag. *Unigenitus,* de pœna et remissione, asserit unam sanguinis Christi guttulam universum mundum redimere potuisse, quia erat sanguis Verbi per unionem hypostaticam.

Quocirca S. Gregorius Nazianzenus : « Nullum, ait, cum salutis meæ miraculo conferendum est, in quo exiguæ cruoris guttæ orbem universum instaurarunt, atque idem quod lacti coagulum hominibus præstiterunt, in unum nos conjungentes et constringentes. » Et S. Augustinus in *Psal.* LXV : « Quæritis quid emerit? Videte quid dederit, et invenietis quid emerit. Sanguis Christi pretium est, tanti quid valet? Quid nisi totus orbis, quid nisi omnes gentes ? » Alibi vero, serm. 128 *De Temp.* : « Pretium vitæ nostræ sanguis est Domini, et totius mundi incolumitas sempiterna, pecunia illa totius mundi copiosa possessio est. » Et S. Ambrosius, lib. III *De Virgin.* : « Omnia igitur habemus in Christo, omnis anima accedat ad eum, sive corporalibus ægra peccatis, sive clavis quibusdam sæcularis cupiditatis infixa, sive imperfecta adhuc quidem, sed intenta tamen meditatione proficiens, sive multis aliqua sit jam perfecta virtutibus, omnis in Domini potestate est, et omnia Christus est nobis. Si vulnus curare desideras, medicus est; si febribus æstuas, fons est; si gravaris iniquitate, justitia est; si auxilio indiges, virtus est; si mortem times, vita est; si cœlum desideras, via est; si tenebras fugis, lux est; si cibum quæris, alimentum est. »

Nota *secundo* : Emundat nos sanguis, id est, sanguinis effusio, puta passio et mors Christi : hæc enim est lytrum et pretium pro peccatis totius mundi; est metonymia. Hinc sequitur sanguinem Christi emundare peccata non physice, sed meritorie. Christus enim sanguinis effusione, passione ac morte satisfecit pro peccatis nostris, eorumque veniam nobis promeruit. Addit D. Thomas, III *part.*, *Quest.* XLVIII, art. 6, et *Quæst.* L, art. 6, sanguini et carni Christi inesse quoque vim physicam sanctificandi, eo quod ipsa sint instrumentum physicum divinitatis ad sanctificandum homines, de quo disputant ibidem Theologi. Sed audi D. Thomam, *Quæst.* XLVIII, art. 6 : « Ad tertium dicendum, quod passio Christi secundum quod comparatur ad divinitatem ejus, agit per modum efficientiæ ; in quantum vero comparatur ad voluntatem animæ Christi, agit per modum meriti ; secundum vero quod consideratur in ipsa carne Christi, agit per modum satisfactionis, in quantum per eam liberamur a reatu pœnæ; per modum vero redemptionis, in quantum per eam

liberamur a servitute culpæ; per modum autem sacrificii, in quantum per eam reconciliamur Deo, ut infra dicitur. »

Vers. 8. 8. SI DIXERIMUS, QUONIAM PECCATUM NON HABEMUS, IPSI NOS SEDUCIMUS. — Quod et quale peccatum? *Primo*, Cajetanus accipit peccatum originale; hoc enim omnes contrahimus ex Adamo, excepta B. Virgine, uti habet pius fidelium sensus, et aperte colligitur ex S. Augustino, lib. V *Contra Julianum*, cap. XV, ubi asserit eum qui caret peccato actuali, caruisse etiam originali; atqui B. Virgo caruit peccato actuali, uti docet Ecclesia: ergo et caruit originali. «Sanctificavit ergo tabernaculum suum Altissimus,» *Psalm.* XLV, 5, quia «in ipso inhabitavit plenitudo divinitatis corporaliter,» ut ait Paulus *Coloss.* II, 9. Imo purissimam ex ejus carne utique pariter purissima, carnem assumpsit. Superat ergo ipsa puritate omnes angelos, et Cherubinos et Seraphinos, ait S. Chrysostomus in *Liturgia*, Nazianzenus in *Tragœdia*, sub finem; Ephrem, in *Laudibus Deiparæ*, et S. Ambrosius, lib. II *De Virgin.*: « Quid nobilius, ait, Dei matre? Quid splendidius Dei matre? Quid splendidius ea quam splendor elegit?» S. Anselmus, *De Concept. Virg.*, cap. XVIII: « Decebat, ait, ut ea puritate qua major sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater unicum Filium suum, quem de corde suo æqualem sibi genitum tanquam seipsum diligebat, ita dare disponebat. » Denique de ea dicitur *Cantic.* IV: « Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te. »

Secundo, Lyranus accipit peccatum mortale; licet enim justi eo careant, tamen quia nemo scit certo se esse in gratia Dei, esseque justum: hinc pariter nemo præsumere debet, certoque asseverare se immunem esse a peccato mortali.

Tertio, Hugo, Dionysius et alii passim accipiunt peccatum veniale: licet enim infans et adultus recens baptizatus, aut plene contritus ab omnibus peccatis absolutus careat omni peccato, etiam veniali; tamen tota vita, imo longo tempore eo carere nequit, quin brevi in aliquod labatur: ita definit Concilium Tridentinum, *sess.* VI, can. 23, ubi tamen excipit B. Virginem: « Si quis, inquit, hominem semel justificatum dixerit, etc., posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia, anathema sit. » Ubi nota, quod ait Joannes «habemus» in prima persona, significare se quoque, æque ac cæteros Apostolos, habere peccatum; licet enim confirmati essent in gratia, ut non peccarent mortaliter, poterant tamen peccare, et peccabant aliquando venialiter: quanto magis ergo nos nati et enutriti in peccatis, peccata multa et gravia committimus? Unde jugiter nos humiliare eaque plangere debemus, uti egregie ostendit Bellarminus, lib. *De Gemitu columbæ*, sub initium lib. II.

Quarto, alii per «peccatum» accipiunt, non solum culpam, sed et reatum sive obligationem ad pœnam temporalem, qui remissa culpa et pœna æterna communiter remanere solet. Ita D. Thomas in IV, dist. 21, *Quæst.* II, art. 1, ad 4.

Quinto, alii per « peccatum » accipiunt concupiscentiam, quæ subinde in Scriptura, ut *Rom.* VII, 13 et 17, et a S. Augustino vocatur peccatum, non quod proprie et formaliter peccatum sit, uti volunt hæretici, sed metonymice, quia est effectus, pœna et causa peccati. Concupiscentia enim, remissa culpa, manet in omnibus renatis et justificatis, uti docet Concilium Tridentinum ipsaque experientia. Huc accedit Gennadius, lib. *De Eccles. dogmat.*, LXXXVI (qui liber falso ascribitur S. Augustino), ubi docet omnes veraciter asserere se peccatores, « quia in veritate habent quod plangant, si non reprehensione conscientiæ, certe mobilitate et mutabilitate prævaricatricis naturæ. »

Fateor omnes hosce sensus simul nos posse complecti, ut generalem S. Joannis propositionem generaliter accipiamus de quovis peccato, ejusque effectu, puta reatu et concupiscentia, et tunc verbum *habemus* ample accipitur, et ampliandum est ad præteritum et futurum, *q. d.* Habuimus peccatum originale, et habemus vel habebimus peccatum aliquod actuale, si diu vivamus. Unde mox vers. 10, mutat præsens in præteritum, dicens: « Si dixerimus quoniam non peccavimus, » etc.; vult enim docere omnes obnoxios esse peccato, et egere redemptore Christo: ejus enim sanguis emundat nos ab omni peccato, tam quoad culpam, quam quoad pœnam, et concupiscentiam, uti paulo ante dixit. Quare sicut sanguis Christi emundat nos ab omni peccato originali, mortali, veniali, etc.; ita pariter illud omne hic accipi potest: proprie tamen et directe accipiendum est hic peccatum actuale, sive mortale id sit, sive veniale. Illud enim solum confitendum est, uti de peccato hoc subdit Joannes: « Si confiteamur peccata nostra, » etc.; et de eo solo verum est quod subjicit vers. 10: « Si dixerimus quoniam non peccavimus, » id est, commisimus actuale peccatum.

Sensus ergo est: « Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, » id est, quod peccatum non facimus, non committimus aliquando, sed vivimus sine peccato, sumusque ἀναμάρτητοι, id est *expertes peccati*, vel impeccabiles, « ipsi nos seducimus. » Peccatum ergo non habere, idem est quod non peccare; sicut habere spem, idem est quod sperare, *Proverb.* XXIII, 18; habere fidem, est credere; habere quietem, est quiescere, *Apocal.* IV, 8; finem habere, est finire, *Marci* III, 26. Per «peccatum» ergo accipe actuale, præcipue veniale, quia in illud crebro cadunt homines, etiam justi, ita ut parvo, et vix ullo tempore omni veniali careant; sicque de eo potest dici in præsenti, quod «peccatum habemus,» id est, peccamus sæpe venialiter: ita explicat et definit Concilium Milevitanum, *can.* 6; Tridentinum, *sess.* VI, can. 23; S. Augustinus. *De Perfectione justitiæ*,

cap. XXI; S. Hieronymus, dial. 3 *Contra Pelag.*; S. Basilius, hom. *De Pœnit.*; S. Cyprianus, lib. III *ad Quirin.*, cap. LIV; S. Gregorius, XVIII *Mor.*, IV; S. Ambrosius, *De Fug. sæc.*, cap. I, et alii. Succenturiatur S. Jacobus, dicens cap. III, 2 : « In multis offendimus omnes. » Vide ibi dicta. Perstringit enim Joannes, æque ac Jacobus, Simonianos, Gnosticos aliosque illius ævi hæreticos docentes solam infidelitatem esse peccatum; fideli enim omnia esse munda, etiamsi turpiter vivat. Idem hoc sæculo docuit Lutherus et Libertini. Beguardi vero et Beguinæ censuerunt se suique similes ad tantam posse perfectionem ascendere, ut fiant impeccabiles, quantacumque tentatio exurgat. Pelagius quoque docuit peccata omnia, etiam venialia, sine gratia Christi, solis naturæ viribus posse vitari, quæ omnia damnat hic S. Joannes. Ab his non longe abit Durandus in II, dist. 28, Quæst. III, qui putat omnia venialia deliberata posse vitari, non autem omnia venialia indeliberata, quæ fiunt ex subreptione. Hoc est quod ait Sapiens *Eccli.* VII, 21 : « Non est homo justus in terra, qui faciat bonum, et non peccet. » Et *Proverb.* XXIV, 16 : « Septies in die cadit justus, et resurgit. »

Hæc est ergo humiliatio nostra in medio nostri, ut jugiter agnoscere debeamus nos esse peccatores, ideoque quotidie juxta Christi doctrinam orare : « Dimitte nobis debita nostra, etc., et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo. » Audi S. Augustinum, *De Natura et Gratia*, cap. XXXVI : « Excepta, inquit, S. Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi volo quæstionem; inde enim scimus quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum. Hac ergo Virgine excepta, si omnes illos sanctos et sanctas, cum hic viverent, congregare possemus, et interrogare utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus? Utrum hoc quod iste dicit, an quod Joannes Apostolus? Rogo vos quantalibet fuerit in hoc corpore excellentia sanctitatis, si hoc interrogari potuissent, nonne una voce clamassent : Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est? » Et S. Gregorius, hom. 39 *in Evang.*: Sine culpa, ait, in mundo esse non potuit, qui in mundum cum culpa venit. »

Qui ergo ob scientiam inflaris, qui ob ingenium, opes, vires, formam, dignitatem, cervicem attollis, cristas pone, pedes cum pavone inspice. Nosti quis sis? peccator es. Scis quid sit peccatum? est summa hominis vilitas, summa miseria, summum orbis malum; summe enim summo bono adversatur. Peccatum enim est summus Dei contemptus, summa ingratitudo, summum odium, summa offensa, adeoque est Christicidium, imo quasi Deicidium. Si enim Deus occidi posset, utique non alio telo quam peccato perimeretur.

Porro Cassianus, lib. XXIII *Collat.* cap. XIX, exemplum dat orationis, in qua vix quisquam est qui non mente evagetur, et venialiter delinquat. Caute tamen legendus est ipse, cap. V et seqq., ubi videtur asserere malum esse, quidquid nos etiam invitos a jugi Dei contemplatione abstrahit, ut comedere, bibere, dormire, laborare manibus, uti fecit S. Paulus ad comparandum victum; sed explicandus est de malo pœnæ, ex quo tamen facile oriatur malum culpæ. Explicat enim illud Apostolus, *Rom.* VII, 19 : « Non enim quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago; » et per « bonum » accipit jugem Dei memoriam et præsentiam, per « malum » distractionem mentis ab hac Dei præsentia, *q. d.* Apostolus : Vellem jugiter contemplari Deum præsentem, sed ob corruptæ naturæ necessitates id præstare nequeo, ideoque culpæ periculum incurro.

IPSI NOS SEDUCIMUS, — ipsi nos decipimus et decipimur, quia falsum nobis ipsis persuademus in perniciem animæ nostræ. Ita OEcumenius. Qui enim putat se plane a peccato purum, negligit quærere remedium peccati sui, ob quod puniendus est. Rursus, dicens se carere omni peccato, superbe et præsumptuose errat; contradicit enim Scripturæ asserenti nos omnes esse peccatores, et evacuat gratiam et passionem Christi, dicens se non egere emundatione sanguinis ipsius, ideoque blasphemus est et ingratus : quare nisi resipiscat, condemnabitur.

ET VERITAS IN NOBIS NON EST. — *q. d.* « Mentimur, » uti legit Cyrillus, *catech.* 5. Hinc S. Augustinus in *Sententiis*, sent. 365 : « Divinitus, ait, dictum est, *Eccli.* cap. VII, 17 : Noli esse justus multum, quoniam non est justitia sapientis, sed superbia præsumentis. Qui ergo sic fit nimis justus, ipso nimio fit injustus. Quis est autem qui se facit justum, nisi qui dicit se non habere peccatum? »

9. SI CONFITEAMUR. — Suggerit S. Joannes peccati, cujus omnes reos esse dixit, remedium, scilicet veram ejus agnitionem et humilem confessionem ac pœnitentiam; per hanc enim applicatur nobis sanguis Christi, qui nos ab eo emundat, uti dixit vers. 7. Sed quam confessionem exigit S. Joannes, generalemne quæ fit Deo, an specialem quæ fit sacerdoti in sacramento Pœnitentiæ? Hæretici solam generalem quæ fit Deo admittunt, Catholici etiam specialem requirunt. Respondeo S. Joannem utramque exigere, generalem pro peccatis levibus, specialem pro gravibus : mortalia enim peccata non sufficit confiteri Deo, sed eadem sacerdotibus confitenda sunt, ut ab eis absolvamur; eis enim solis tradidit Christus potestatem absolvendi, dicens, *Joannis* XX, 23 : « Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; quorum retinueritis, retenta sunt. » Quare cum Vers. 9.

S. Joannes hoc loco nec sibi in Evangelio, nec Christo sit contrarius, dicendum est eum sic esse explicandum, *q. d.* Si confiteamur peccata nostra, eo scilicet modo, quo Christus voluit et instituit, nimirum mortifera confitendo sacerdoti, venialia ipsi Deo, vel etiam sacerdoti, si velimus, fidelis est Deus ut nobis confitentibus ea remittat. Ita Thomas Anglicus, Dionysius ac Serarius hic, et Bellarminus, lib. I *De Pœnit.*, cap. XIII, et lib. III, cap. IV, qui duo pluribus idipsum confirmant.

Actus sitentis. Audi S. Cyprianum, serm. *De Lapsis* : « Hoc ipsum (peccatum), ait, apud sacerdotes Dei dolentes ac simpliciter confitentes exomologesin conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam parvis licet ac modicis vulneribus exquirunt. » Et Tertullianus, lib. *De Pœnitent*, cap. VIII : « Tantum, ait, relevat confessio delictorum, quantum dissimulatio exaggerat; confessio enim satisfactionis consilium est, dissimulatio contumaciæ. » Deinde actus Pœnitentis veræ confessionis indices et comites subjungit : « Itaque exomologesis prosternendi et humilificandi hominis disciplina est, conversationem injungens misericordiæ illicem. De ipso quoque habitu atque victu mandat, sacco et cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere, illa quæ peccavit tristi tractatione mutare, pastum et potum pura nosse, non ventris scilicet, sed animæ causa. Plerumque vero jejuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari, et mugire dies noctesque ad Dominum Deum tuum; presbyteris advolvi, et caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ injungere. » Breviter S. Chrysostomus, hom. *De Pœnit* : « Pœnitentia, ait, est contritio in corde, confessio in ore, in opere tota humilitas. »

Moral. de virtute confessionis. Moraliter : Vide hic quam utilis sit confessio, quæ illico Dei iram placat, ejusque gratiam accersit, juxta illud *Isaiæ* XLIII, 26, secundum Septuaginta : « Dic tu prius peccata tua ut justificeris. » Ita David : « Quoniam iniquitatem, inquit, meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper, » *Psal.* L, 4; et *Psal.* XXXI, 5 : « Dixi : Confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei. » Vide S. Chrysostomum in *Psal.* L, et S. Augustinum, *homil.* 12, inter 50. Audi Origenem, homil. 2 *in Psal.* XXXVII : « Sicut ii qui habent intus inclusam escam indigestam, aut humores, vel phlegmata stomacho graviter et moleste imminentia, si vomuerint, relevantur : ita etiam ii qui peccaverunt, siquidem occultant et retinent intra se peccatum, intrinsecus urgentur et propemodum suffocantur a phlegmate, vel humore peccati; si autem ipse sui accusator fiat, dum accusat semetipsum et confitetur, simul evomit et debitum, atque omnem morbi digerit causam. » Unde S. Diadochus, lib. *De Perfect. spirit.*, cap. ult., hunc S. Joannis locum explicans de confessione quam facit Religiosus suo directori et patri spirituali, tentationes et lapsus suos ei manifestando, docet eam esse singulare tentationum et peccatorum omnium remedium. Et S. Franciscus ex S. Augustino in *Sententiis* : « Si te excusas, inquit, Deus te accusat; et si te accusas, Deus te excusat. »

Porro docet S. Joannes nos eo quod crebro peccamus, crebro debere confiteri; esto enim levia sint peccata, tamen si negligantur, evadunt multa et gravia. « Levia multa faciunt unum grande, multæ guttæ implent flumen, multa grana faciunt massam, » ait S. Augustinus hic. Idem, *epist.* 108 : « Quid enim interest ad naufragium, utrum uno grandi fluctu navis operiatur, an paulatim aqua subrepens sentinam, et per negligentiam derelicta atque contempta impleat navim, atque submergat? » Hoc est quod ait Ecclesiastic., XIX, 1 : « Qui spernit modica, paulatim decidet. » Et, ut ait Gregorius : « Si curare parva negligimus, insensibiliter seducti audenter etiam majora perpetramus. » Et alibi : « Qui enim peccata minima flere ac devitare negligit, a statu justitiæ non quidem repente, sed partibus totus cadit. Admonendi sunt qui minimis frequenter excedunt, ut sollicite considerent, quia nonnunquam in parva deterius quam in majore culpa peccatur. Major enim quo citius quia sit culpa agnoscitur, eo etiam celerius emendatur; minor vero dum quasi nulla creditur, eo pejus quo et securius in usu retinetur. Unde fit plerumque ut mens assueta malis levibus, nec graviora perhorrescat, atque ad quamdam auctoritatem nequitiæ per culpas nutrita perveniat, et tanto in majoribus contemnat pertimescere, quanto in minimis didicit non timendo peccare. »

FIDELIS EST. — « Quia qui orare nos pro debitis et peccatis monuit, paternam misericordiam promisit, et veniam secuturam, » ait S. Cyprianus, *De Orat. Domin.*

Remissio peccati est actus justitiæ. ET JUSTUS. — Quomodo justus? Non enim tenetur Deus ex justitia remittere peccatum peccatori, etiam pœnitenti; nam illud remittere et condonare est meræ ejus misericordiæ et clementiæ. Respondeo, « justus, » id est æquus. Æquum enim est et congruum Deoque dignum ut pœnitenti peccatum remittat, tum quia id ipse promisit pœnitentibus, non ut operis mercedem, sed ut pœnitentiæ donum et præmium, *Joann.* XX, 23; *Ezech.* XVIII, 32, et alibi : promissum autem est debitum, quod proinde solvere est justum; tum quia Deo et divinæ bonitati, ac clementiæ conveniens et dignum est, ut pœnitentes in gratiam recipiat sibique reconciliet. « Justum est, ait S. Anselmus, *Prosol.*, cap. IX et X, o Deus, ut parcas malis, sed et justum est ut malos punias. » Unde aliqui exponunt, « justus, » id est, benignus et misericors; misericordia enim maxime congruit Deo; tum denique quia pœnitentia quasi ex natura rei, est proxima ad reconciliationem et gratiam dis-

positio. Sicut ergo naturaliter justum est ut in lignum calidum ut octo, quasi habens ultimam dispositionem, inducatur forma ignis: sic supernaturaliter æquum est, ut posita pœnitentia quasi ultima dispositione, inducatur forma gratiæ, qua peccator reconcilietur Deo. Ita Lyranus et Dionysius.

Secundo. *Secundo,* « justus, » quia Christus suo sanguine et morte promeruit nobis hanc veniam, eique Deus illam promisit. Justa ergo est, et ex justitia debita hæc peccatorum remissio, sed Christo, non nobis : ita Cajetanus. Porro Christus sua merita pœnitenti communicat, applicat et quasi appropriat, ut ea pœnitens quasi peccatorum suorum lytrum proprium Deo offerat. Quare justus est Deus, qui lytrum hoc accipiens peccata remittit; sed quia hæc merita sunt propria Christi, ab eo vero nobis duntaxat appropriata, id est applicata, hinc ratio justitiæ in remissione peccatorum proprie est respectu Christi, non nostri, tum quia ejus sunt merita; tum quia ei remissionem promisit, et ex pacto præstat Deus, non nobis; alioqui enim non solus Christus, sed et nos ipsi essemus redemptores nostri, quod est impium et injurium Christo.

Tertio. *Tertio,* subtilius noster Suarez, 3 part., tom. III, *disp.* XI, sect. 1, concl. 3 : « Fidelis, » inquit, est Deus cum condonat pœnitentibus peccata mortalia; « justus, » cum justis condonat venialia: quia scilicet justi per opera pœnitentiæ, charitatis, etc., merentur de condigno hanc condonationem, uti docet S. Augustinus, *De Corrept. et Grat.*, cap. XIII.

Quarto. *Quarto,* quadam etiam ratione justus est Deus, cum condonat pœnitenti et confitenti peccata mortalia, eo quod confessio, ejusque pœnitentiæ actus, paulo ante ex Tertulliano recensiti, sint quasi satisfactio quædam, qua satisfacimus Deo pro offensa contra ipsum admissa. Sicut enim offendens qui proximum vilipendit, juste satisfacit ei, dum se humiliat et ab eo veniam petit; unde offensus ex justitia tenetur acceptare hanc satisfactionem: sic et pœnitens satisfacit aliqua ratione Deo cum offensam humiliter confitetur, veniamque petit cum gemitu, lacrymis, ac præsertim si id faciat ex vera et perfecta animi contritione. Contritio enim, cum ex amore Dei super omnia procedat, est quasi compensatio quædam injuriæ, qua peccator Deum vilipendit et postposuit creaturæ, quam peccando adamavit; amor enim Dei amans eum super omnes creaturas compensat quasi odium Dei, ac honor et pretium Dei compensat ejusdem vilipendium et contemptum, licet non ex æquo.

Quare aliqua ratione justum est ut Deus pœnitenti ob hosce actus offensam condonet; atque hac de causa pœnitentia ponitur a Theologis virtus affinis et connexa justitiæ, ejusque pars potentialis. Unde D. Thomas, III *part., Quæst.* LXXXV, art. 3, docet pœnitentiam esse partem et speciem justitiæ vindicativæ, ac consequenter commutativæ large sumptæ, sicut est pietas, observantia, religio, quæ deficiunt a ratione justitiæ strictæ, quia respiciunt majus debitum quam sit justitiæ, et quia respiciunt Deum, inter quem et hominem non est æqualitas quam requirit justitia. Imo Durandus, in IV, dist. 14, Quæst. II, censet pœnitentiam esse ipsammet justitiam commutativam, quatenus ei imperant virtutes theologicæ, ut reddat Deo debitam satisfactionem (qualem scilicet potest) pro offensa. Verum alii passim verius censent pœnitentiam esse specialem virtutem, a justitia stricta et moralibus cæteris distinctam. Addit Richardus in IV, dist. 15, art. 1, Quæst. II, in corp. et ad 1, positis meritis Christi, posse pœnitentem pro peccatis satisfacere ex justitia; et dist. 17, art. 2, Quæst. VII, asserit contritionem, si præcedat remissionem peccatorum, ex condigno eam mereri. Sic et nonnulli alii docent contritionem æquivalere peccato mortali, et ex æquo pro eo satisfacere, idque deducunt ex principiis S. Thomæ. S. Thomas enim I II, *Quæst.* CXIII, art. 8, docet in justificatione peccatoris prius esse infusionem gratiæ sanctificantis, quam sit contritio et remissio peccati; ex gratia enim sanctificante manare contritionem, ex contritione remissionem peccati. Idem docent discipuli S. Thomæ, ut Cajetanus et Medina ibidem, Ferrariensis, lib. III *Contra Gentes*, cap. CLIII; D. Soto, lib. II *De Natura et Gratia,* cap. XVIII. Quo posito, sequitur contritionem quasi ex æquo mereri remissionem peccati. Si enim contritio manat ex gratia sanctificante, et præcedit remissionem peccatorum, ergo eamdem meretur, perinde ac meretur gloriam æternam, ex sententia S. Thomæ; gratia enim sanctificans naturaliter et quasi jure suo expellit peccatum, imo per se et formaliter id facit, ac proinde sine intermedio contritionis.

Verum contrarium sentiunt passim alii Doctores, scilicet contritionem non manare ex gratia sanctificante, sed ex auxilio speciali, sive ex gratia præveniente et excitante. Ratio est, quia nulla dispositio potest manare ex forma ad quam disponit, ut patet inductione aliarum dispositionum et formarum. Ergo cum contritio sit dispositio ad gratiam sanctificantem, non potest ex ea manare; sed necessario eam præit et præcedit, uti diserte docet Concilium Tridentinum, *sess.* VI, cap. VI, VII et VIII, ubi consequenter docet nos gratis justificari, ideoque non mereri justitiam quæ includit remissionem peccatorum. Ita pariter docent Scotus in IV, dist. 14, Quæst. II; Gabrielis, ibid. Quæst. I; Durandus in IV, dist. 17, Quæst. II; Andreas Vega in Concilio Tridentino, lib. VI, cap. XXVIII et XXIX; Bonaventura in IV, dist. 15, art. 1, Quæst. I, Almainus, Marsilius et alii ibid. Idem docent Patres, uti S. Augustinus, Ambrosius, Tertullianus, Chrysostomus, tract. *De Pœnitentia.*

EMUNDET NOS AB OMNI INIQUITATE. — Plus significat « iniquitas, » quam peccatum, ait S. Grego-

rius, XI *Moral.*, cap. XXI aut XXII, quia facilius fert quis se vocari peccatorem, quam iniquum. Negat id S. Ambrosius, *De Apolog. David*, imo vero, inquit, turpius est esse et vocari peccatorem quam iniquum. Verum quidquid sit de hac re, sæpe hæc duo pro eodem sumuntur; unde hic quasi synonyma ponuntur.

Vers. 10. 10. SI DIXERIMUS QUONIAM NON PECCAVIMUS. — *Primo*, peccato originali, quo peccavimus jam olim in Adamo, quodque in nobis ipsis contraximus, dum primum concepti et animati fuimus : ita nonnulli. Verum quorsum S. Joannes inculcaret hic peccatum originale omissis actualibus? *Secundo*, « peccavimus, » id est peccare potuimus peccato actuali mortifero ob innatam concupiscentiam. Sed quis hoc nescit? Quare verius est S. Joannem loqui de peccatis venialibus; more enim suo repetit, idemque dicit et inculcat hic cum eo quod dixit vers. 8 : « Si dixerimus quoniam peccatum non habemus. » Unde Syrus vertit, *si dixerimus nos non esse peccatores*, vel *nos non peccare*. Hebraizat S. Joannes; Hebræi enim præterito utuntur pro præsenti quo carent, et pro futuro. Præteritum enim apud eos est ipsum thema et radicale verbum a quo cætera tempora, modos et personas derivant.

Illustrat idipsum variis exemplis S. Ambrosius, lib. I *De Abraham*, cap. VIII, ut *Joannis* XV, 8 : « In hoc clarificatus est (id est clarificatur et clarificabitur) Pater meus, ut fructum plurimum afferatis, et efficiamini mei discipuli. » *Lucæ* I, 47, canit B. Virgo : « Magnificat anima mea Dominum; et exultavit, » id est exultat, « spiritus meus in Deo salutari meo. » *Matth.* XXIII, 2 : « Super cathedram Mosis sederunt, » id est sedent, « Scribæ. » Sensus ergo est : « Si dixerimus quoniam non peccavimus, » id est quod non peccamus, quod sine peccato tam veniali, quam mortali vivimus, quod nec peccavimus, nec peccare solemus. Dicit tamen *peccavimus* in præterito, quia scribit ad Parthos (uti dixi in procemio), qui recenter a gentilismo ad Christum conversi, multa in gentilismo eaque gravia peccata commiserant. Rursum inter conversos olim erant qui baptismum diu differebant, etiam usque ad mortem, adeoque ægri in lecto baptizabantur, ut per baptismum expiati ab omni culpa et pœna illico puri evolarent in cœlum, indeque Clinici, id est Lectuarii, vocabantur, in quos graviter invehuntur Patres, ut S. Ambrosius, serm. *De Sanctis*; S. Basilius, Nazianzenus et Nyssenus, oratione *De Baptismo*. Hi sane ante baptismum, utpote in peccato originali existentes et gratia Dei destituti, multa peccata committebant. Qui vero pueri baptizati erant, jam adulti multa peccata saltem venialia admiserunt. Loquitur enim Christianis adultis. Quare vere asserit omnes peccavisse in præterito, quia vult monere eos, ut deinceps in futuro, utpote jam renati in Christo, a peccatis studiose caveant; unde mox initio cap. II, subdit : « Filioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis amplius. »

MENDACEM FACIMUS EUM (quia Deus in Scripturis asserit omnes homines esse peccatores, nec vivere sine peccato, ut *Eccles.* VII, 21; *Proverb.* XXIV, 16; *Psalm.* CXLI, 2; *Jacobi* III, 2, et alibi. Et docet nos orare quotidie : « Dimitte nobis debita nostra. » Quocirca) VERBUM EJUS NON MANET IN NOBIS, — *q. d.* Non intelligimus, non amplectimur, non retinemus veram ejus doctrinam, aut certe ejus obliviscimur; non credimus Scripturis et verbo Dei, quod asserit omnes obnoxios esse peccato, sed illud, ipsumque Deum facimus mendacem. Ita Clemens, Didymus, Cajetanus, Dionysius et Catharinus. Aliter Glossa : « Verbum Dei, » inquit, id est Christus per quem fit remissio peccatorum, non manet in nobis, utpote incredulis et superbis, quia evertimus redemptionis Christi mysterium, dicimusque nos utpote justos ipso redemptore non eguisse, nec egere. Aut « verbum » quod locutus est Deus *Eccles.* III, 20 : « Quanto magnus es, humilia te in omnibus, » non manet in nobis, quia ejus contrarium facimus; cum enim simus parvi et peccatores, volumus esse magni et impeccabiles.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docuit, cap. I, *fideles per Christum in novam lucem et vitam renatos societatem habere cum* **Deo**; *nunc docet ut in ea studiose persistant, ideoque caveant a peccatis, Deique præcepta observent, præsertim charitatis tam Dei quam proximi, quod vocat mandatum vetus et novum. Inde, vers.* 13, *singulas hominum ætates, puta patres, adolescentes, infantes, juvenes compellat, singulosque ad Dei cultum et amorem accendit; ideoque hortatur ut caveant a mundo transeunte, utpote in quo non est aliud quam concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitæ. Tertio, vers.* 18, *perstringit hæreticos, monetque ut eos quasi Antichristos execrentur, fidem vero in Deum Patrem et Filium et Spiritum, ejusque unctionem constanter retineant, ut in eo maneant, nec confundantur in adventu ejus, sed ab eo accipiant vitam æternam.*

1. Filioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis. Sed et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum; 2. et ipse est propitiatio pro peccatis nostris : non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. 3. Et in hoc scimus quoniam cognovimus eum, si mandata ejus observemus. 4. Qui dicit se nosse eum, et mandata ejus non custodit, mendax est, et in hoc veritas non est. 5. Qui autem servat verbum ejus, vere in hoc charitas Dei perfecta est : et in hoc scimus quoniam in ipso sumus. 6. Qui dicit se in ipso manere, debet, sicut ille ambulavit, et ipse ambulare. 7. Charissimi, non mandatum novum scribo vobis, sed mandatum vetus, quod habuistis ab initio. Mandatum vetus est verbum, quod audistis. 8. Iterum mandatum novum scribo vobis, quod verum est et in ipso, et in vobis, quia tenebræ transierunt, et verum lumen jam lucet. 9. Qui dicit se in luce esse, et fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc. 10. Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, et scandalum in eo non est. 11. Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, et in tenebris ambulat, et nescit quo eat, quia tenebræ obcæcaverunt oculos ejus. 12. Scribo vobis, filioli, quoniam remittuntur vobis peccata propter nomen ejus. 13. Scribo vobis, patres, quoniam cognovistis eum, qui ab initio est. Scribo vobis, adolescentes, quoniam vicistis malignum. 14. Scribo vobis, infantes, quoniam cognovistis Patrem. Scribo vobis, juvenes, quoniam fortes estis, et verbum Dei manet in vobis, et vicistis malignum. 15. Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo. 16. Quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ, quæ non est ex Patre, sed ex mundo est. 17. Et mundus transit, et concupiscentia ejus. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum. 18. Filioli, novissima hora est : et sicut audistis, quia Antichristus venit : et nunc Antichristi multi facti sunt, unde scimus, quia novissima hora est. 19. Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum, sed ut manifesti sint quoniam non sunt omnes ex nobis. 20. Sed vos unctionem habetis a Sancto, et nostis omnia. 21. Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem, sed quasi scientibus eam : et quoniam omne mendacium ex veritate non est. 22. Quis est mendax, nisi is qui negat quoniam Jesus est Christus? Hic est Antichristus, qui negat Patrem et Filium. 23. Omnis qui negat Filium, nec Patrem habet; qui confitetur Filium, et Patrem habet. 24. Vos quod audistis ab initio, in vobis permaneat; si in vobis permanserit quod audistis ab initio, et vos in Filio et Patre manebitis. 25. Et hæc est repromissio, quam ipse pollicitus est nobis, vitam æter-

nam. 26. Hæc scripsi vobis de his qui seducunt vos. 27. Et vos unctionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis. Et non necesse habetis ut aliquis doceat vos; sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, et verum est, et non est mendacium. Et sicut docuit vos, manete in eo. 28. Et nunc, filioli, manete in eo : ut, cum apparuerit, habeamus fiduciam, et non confundamur ab eo in adventu ejus. 29. Si scitis quoniam justus est, scitote quoniam et omnis, qui facit justitiam, ex ipso natus est.

1. FILIOLI MEI, HÆC SCRIBO VOBIS, UT NON PECCETIS, — *q. d.* In fine cap. præcedentis, dixi omnes adultos peccavisse, vel in gentilismo mortaliter, vel in christianismo venialiter; jam hortor singulos ut a pristinis in gentilismo commissis sceleribus plane caveant, a venialibus vero abstineant, quantum possunt; licet enim omnia collectim vitare sit impossibile, singula tamen distributive vitare est possibile, præsertim ea quæ non ex subreptione, sed prævia animadversione, ideoque deliberate committuntur.

SED ET SI QUIS PECCAVERIT, ADVOCATUM HABEMUS. — Est occupatio. Objiciet enim quis : Si omnino peccata fidelibus fugienda sunt, quid faciet is, qui ex humana fragilitate in peccatum aliquod lapsus est, præsertim enorme, verecundum et pudendum? Respondet : Si quis lapsus sit, non idcirco desperet, nec animum abjiciat; quia apud Deum, qui est pater noster amantissimus, advocatum habemus Christum Dominum, qui suum sanguinem, crucem et mortem pro nobis obitam Patri repræsentans, facile nobis, si vere nos pœniteat, veniam impetrabit; Deus enim est clementissimus, et Christi merita sunt maxima. Sicut ergo peritiam et gloriam medici commendat magnitudo vulneris et morbi quem curat et sanat : sic magnitudinem gratiæ, clementiæ et redemptionis Christi commendat magnitudo peccatorum nostrorum, quorum ipse est medicus et propitiator. Hujus rei specimen dedit in S. Magdalena et S. Paulo, qui proinde hanc in se Christi gratiam celebrans I *Timoth.* I, 15 : « Fidelis, ait, sermo et omni acceptione dignus, quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum; sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primo ostenderet Christus Jesus omnem patientiam, ad informationem eorum qui crediturus sunt illi in vitam æternam. » Vide ibi dicta.

Nota *primo* : « Advocatus » idem est latine quod græce παράκλητος. Unde tam Christus quam Spiritus Sanctus est paracletus, id est, advocatus noster; ita enim vocatur hic a S. Joanne in textu Græco, æque ac in *Evang.* XIV, 16. Vatablus, παράκλητος vertit, *patronus, mediator, intercessor.* Laurentius Valla, lib. IV, patronum ab advocato distinguit, quod patronus sit orator, qui reum dicendo defendit; advocatus, qui reo ad defensionem astat, etiamsi nihil dicat. Et Asconius Pedianus : « Qui defendit, ait, aliquem in judicio, aut patronus dicitur, si orator est; aut advocatus, si jus suggerit, aut præsentiam suam commodat amico. » Verum hic et alibi « advocatus » idem est quod patronus; sic enim causidicos, qui causas forenses agunt, vocamus advocatos. Ita Ulpianus : « Advocatos, ait, accipere debemus omnes omnino, qui causis agendis quoquo studio operantur. » Et Quintilius, lib. XII, cap. I : « Non, inquit, forensem quamdam instituimus operam, nec mercenariam vocem, nec (ut asperioribus verbis parcamus) non inutilem sane litium advocatum, quem denique causidicum vulgo vocant. »

Nota *secundo* : Christus est advocatus noster. *Primo,* oratione interpretativa, scilicet exhibendo se et suas plagas, vulnerumque cicatrices, ac consequenter sua merita allegando divino conspectui, uti omnes Doctores consentiunt. Idcirco enim resurgens has cicatrices retinuit, et in cœlum intulit, ut eas jugiter Deo Patri quasi Pontifex et mediator noster repræsentet, ac per eas veniam et gratiam nobis obtineat.

Secundo : multi valde probabiliter censent Christum etiam esse advocatum nostrum, oratione propria dicta, qua pro nobis in cœlis Patrem oret et interpellet : oratione, inquam, non qua denuo mereatur vel impetret (qualis fuit dum viveret in terris, eratque viator), sed qua jam comprehensor petit, rogatque Patrem exigendo jus in vita hac promeritum, sibique promissum, ideoque debitum, scilicet gratiam et salutem nostram. Hoc enim significat Paulus in epistola ad Hebræos, ubi docet Christum esse Pontificem nostrum æternum in cœlis, qui « per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa, » cap. IX, vers. 12; et cap. VII, vers. 25 : « Semper vivens, inquit, ad interpellandum pro nobis. » Et Christus, *Joannis* XIV, 16 : « Ego, ait, rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis. » Et Paulus, *Rom.* VIII, 34 : « Christus Jesus, etc., qui est ad dexteram Patris, qui etiam interpellat pro nobis. » Vide ibi dicta. Christus ergo, qua homo jam beatus in cœlo, et mente, et corpore ac voce debitum Deo cultum religionis exhibet, eum adorando, laudando, gratias agendo, cur non et postulando? hoc enim est officium advocati, qualis est Christus.

Tertio, hæretici hinc contendunt Sanctos non esse nostros advocatos, nec orare pro nobis, ac consequenter non esse invocandos, eo quod hoc sit officium Christi, qui solus est advocatus noster; ac proinde nos facere injuriam Christo, si Sanctos quasi advocatos invocemus. Audi Bezam

hic : « Joannes cum nominat Christum, cæteros excludit. Quid ergo illis fiet qui B. Virgini hanc faciunt injuriam, ut Christi spoliis velint eam exornari ; imo etiam contentissima voce Christum illi tanquam matri infantulum subjiciunt? » Falleris et fallis, impostor, dum asseris nos Christum subjicere B. Virgini, eamque Christi spoliis exornare. Scimus et profitemur Christum esse Deum, Deique Filium ; B. Virginem non esse deam, sed Dei incarnati matrem, ac proinde infinitis partibus Christo esse inferiorem. Unde Christus solus vocatur a S. Joanne advocatus, scilicet talis, qui, ut ipse illico subdit, sit « propitiatio pro peccatis mundi, » quique sua passione et morte placavit Patrem, imo et justo sanguinis sui pretio satisfecit. At B. Virgo et Sancti sunt advocati nostri, ut deprecatores et intercessores per merita Christi. Unde B. Irenæus, lib. V, cap. XIX : « Sicut, ait, Eva seducta est ut effugeret Deum, sic Maria suasa est obedire Deo, ut virginis Evæ virgo Maria fieret advocata. » Et S. Bernardus, serm. in illud *Apocal.* XII, *Signum magnum* : « Opus est, inquit, mediatore ad mediatorem istum, nec alter nobis utilior quam Maria. » Vide dicta I *Timoth.* II, 5, ad illud : « Unus mediator Dei et hominum homo Christus Jesus; » et Bellarminum, tract. *De Invocat. Sanct.*

JESUM CHRISTUM JUSTUM. — « Justum, » id est, innocentem et sanctum, qui sua sanctitate gratissimus Patri meretur ab eo exaudiri. *Secundo* et potius, « justum, » id est, qui juste pro peccatis nostris satisfecit, justumque pro eis dedit pretium et lytrum, scilicet sanguinem suum et vitam. Unde explicans subdit : « Et ipse est propitiatio. » Alio ergo sensu vulgo vocatur advocatus justus, qui justam causam defendendam suscipit, non injustam, uti faciunt nonnulli lucri causa : unde Cassiodorus, lib. XI, *epist.* IV : « Si in advocationis, ait, studio justitiæ claritate fulsistis. » Hic scilicet bonus est advocatus apud homines, non apud Deum, utpote a quo non justitiam, sed misericordiam et gratiam postulamus. Apud Deum ergo habemus tribunal gratiæ duntaxat, non justitiæ.

2. ET (id est *quia, ç. d.* Christus est advocatus noster, quia) IPSE EST PROPITIATIO (id est *propitiator*) PRO PECCATIS NOSTRIS, — quia scilicet se offerens in cruce victimam pro peccatis, pro eis Deo Patri satisfecit, eumque nobis reconciliavit. Alludit ad propitiatorium imminens arcæ fœderis ; hoc enim repræsentabat Christum propitiatorem, uti dixi *Rom.* III, 25, et *Exodi* XXV, 27. S. Augustinus, lib. *De Fide et Opere*, legit : « Et ipse est exoratio pro peccatis nostris. » Orat enim Christus pro nobis etiam in cœlis, uti paulo ante dixi, et propitiare est exorare. S. Cyprianus, lib. IV, *epist.* 2 vel 52, pro *exoratio* legit *deprecatio*. Significat S. Joannes Christum talem nobis esse advocatum, ut certo causam nostram obtineat, imo eo patrono causa cadere non possimus, eo quod ipse sit ex officio redemptor et propitiator noster, qui ex justitia pro peccatis nostris satisfecit.

Hoc est quod ait S. Joannes, *Apoc.* I, 5 : « Dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. » Nam, ut ait S. Leo, serm. 12 *De Passione* : « Effusio pro injustis sanguinis justi tam potens fuit ad privilegium, tam dives ad pretium, ut si universitas captivorum in redemptorem suum crederet, nullum tyrannica vincula retinerent. » Et paulo post : « Quamvis enim in conspectu Domini multorum Sanctorum pretiosa mors fuerit, nullius tamen insontis occisio propitiatio fuit mundi. Acceperunt justi, non dederunt, coronas ; et de fidelium fortitudine exempla nata sunt patientiæ, non dona justitiæ. Singulares quippe in singulis mortes fuerunt, nec alterius quisquam debitum suo funere solvit, cum inter filios hominum solus Dominus noster Jesus extiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes sepulti, omnes etiam sint suscitati. »

Hac de causa S. Augustinus, S. Bernardus, S. Franciscus, S. Elzearius cæterique Sancti qui aliquando peccarunt, confugerunt ad vulnera Christi, quasi ad asylum, in eoque habitarunt. Eorum gnomas recensui *Zachar.* cap. XIII, 6. Vere S. Ambrosius, Præfat. *in Psalm.* XXXV : « Bonum, ait, aurum est sanguis Christi, dives ad pretium, profluus ad levandum omne peccatum. »

NON PRO NOSTRIS AUTEM TANTUM, SED ETIAM PRO TOTIUS MUNDI. — *q. d.* Non pro peccatis Judæorum tantum, sed et gentium omnium, ait Œcumenius et Cyrillus. Melius Clemens Alexandrinus et alii, *q. d.* Non pro peccatis nostris qui sumus fideles tantum, sed pro peccatis infidelium totius mundi. Pro his enim quoque passus est Christus, eisque meruit gratiam et gloriam, si in eum credere ejusque merita amplecti velint. Unde et jussit prædicari Evangelium hoc omnibus gentibus, easque baptizari in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, *Marci* XVI, 15. Rursum Christus ut hostia propitiatoria offertur in sacrificio Missæ pro omnibus hominibus, etiam infidelibus, ac defunctis in Purgatorio existentibus, uti fuse docet hic noster Justinianus ; Ecclesia enim tantum excipit excommunicatos : pro his enim vetat sacrificari.

3. ET IN HOC SCIMUS (non certo et demonstrative, sed probabiliter et conjecturaliter ex signis et effectis) QUONIAM (id est quod) COGNOVIMUS EUM (cognitione non tantum speculativa, sed et practica, quæ cum amore et affectu conjuncta est, ac in opus derivatur : « cognovimus » ergo, id est novimus et diligimus eum), SI MANDATA EJUS OBSERVEMUS. — Referenda sunt hæc ad id quod præcessit : « Advocatum habemus Jesum Christum ; » præscribit enim modum quo hunc advocatum nobis conciliabimus, nimirum si eum cognoscamus per fidem, spem et amorem ; eum vero cognituros, si mandata ejus observemus, id quod pluribus deinde sententiis prosequitur et inculcat. Vere S. Augustinus, lib *De Fide et Oper.*, cap. XII : « Ne

quaquam, ait, mens fallatur ut se existimet Deum cognovisse, si cum fide mortua, hoc est, sine bonis operibus confiteatur. » Sic David ait *Psalm.* CII, 18 : « Memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea; » et moriturus ad filium : « Tu, ait, Salomon fili mi, scito Deum patris tui; » *scito,* scilicet practice, id est crede, reverere, ama, obedi ei. Unde explicans subdit : « Et servi ei corde perfecto, et animo voluntario; » et *Oseæ* cap. VI, vers. 6 : « Volui, ait, scientiam Dei plusquam holocausta. » Chaldæus vertit, *voluntas mea,* vel beneplacitum meum, complacentia mea, *in operantibus legem Domini magis quam in offerentibus holocausta.* Qui enim non observat legem Dei, utique eum non novit, quia non æstimat practice, non ponderat uti debet, Dei immensam majestatem, bonitatem, potentiam, sapientiam, justitiam. Si enim eam justo rationis libramine ponderaret, utique toto corde eum amaret, coleret, obediret. « Nam quisquis Deum non amat, ait Beda, profecto ostendit quia quam sit amabilis non novit; et quam sit suavis Dominus et dulcis gustare ac videre non didicit, qui ejus conspectibus placere continua dilectione non satagit. » Hinc Θεὸν S. Dionysius, *De Divinis Nominibus,* deducit ab αἴθειν, eo quod accendat affectum eorum, qui ipsum rite cognoscunt. Hoc est quod ait S. Joannes, cap. III, vers. 7 : « Omnis qui diligit, ex Deo natus est, et cognoscit Deum. Qui non diligit, non novit Deum, quoniam Deus charitas est. »

Quare ex τῷ *scimus* non recte colligit Catharinus, justos certo scire posse se esse justos et in gratia Dei; esto enim habeant in anima gratiam et charitatem Dei, tamen eam non vident. Rursum, licet mandata Dei exterius observent, tamen nesciunt an ea observent ex amore Dei et eo modo quo Deus jussit. Denique esto sentiant se amare Deum, tamen nesciunt an hic amor sit talis qualis esse debet, puta supernaturalis pure propter Deum, utque eum ament super omnia : ita definit Tridentinum, *sess.* VI, cap. IX. Vide Bellarminum, lib. III *De Justific.,* cap. I et seq.

Vers. 4. 4. QUI DICIT SE NOSSE EUM (vera et salutifera notitia, puta, practica, quæ noscentem conducat ad vitam æternam. « Nosse » ergo, id est ita nosse ut amet Deum eique per omnia obediat), ET MANDATA EJUS NON CUSTODIT, MENDAX EST. — Nam de Philosophis cognoscentibus Deum, sed speculative et aride, ideoque eum non colentibus ait Apostolus : « Qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, » *Rom.* I, 21.

Vers. 5. 5. QUI AUTEM SERVAT VERBUM EJUS (jussa et mandata Dei), VERE IN HOC CHARITAS DEI PERFECTA EST. — Per antithesin contrariæ sententiæ priorem sententiam confirmat, *q. d.* Qui mandata Dei non servat, Deum non novit, id est, non diligit; quia a contrario qui Dei mandata servat, hic Deum diligit, adeoque habet charitatem perfectam. Unde dicit « verbum ejus » in singulari, quia præcipue respicit legem charitatis; hæc enim cæteras omnes in se comprehendit, uti radix comprehendit frondes et fructus, totamque arborem.

« Perfectam charitatem » vocat quæ implet illud verbum, sive legem charitatis : « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua, » *Matth.* XXII, 37. Qui enim mandata Dei observat, diligit Deum ex toto corde, esto aliquando peccet venialiter; hoc enim in corruptione hujus vitæ est malum necessarium. Porro in hac perfectione charitatis et vitæ Christianæ varii sunt gradus. *Primus* est, ita diligere Deum ex toto corde, ut nunquam offendas eum mortaliter. *Secundus,* ut nolis deliberate eum offendere venialiter, etiamsi totum mundum posses lucrari. *Tertius,* si amore Dei omni amori creaturæ renunties, totumque te mancipes Dei cultui et obsequio, uti faciunt religiosi. *Quartus,* si non aliud cogites, velis vel ames, quam Deum aut propter Deum, uti faciunt Beati in cœlo. Tertium expressit S. Paulus cum ait *Rom.* VIII, 35 : « Quis me separabit a charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? etc. Certus sum quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, » etc. Gradus charitatis.

Præclare Origenes, Præfat. *in Evangel. S. Joannis* : « Quisquis, ait, perfectus est, non amplius vivit ipse, sed in ipso vivit Christus, cumque in ipso vivat Christus, de eo dicitur Mariæ : Ecce filius tuus Christus. » Et S. Augustinus in serm. 39 *De Temp.* : « Sicut radix, ait, omnium malorum est cupiditas, ita et radix omnium bonorum est charitas. Totam magnitudinem et latitudinem divinorum eloquiorum possidet charitas, qua Deum proximumque diligimus. » Et aliquanto post : « Quapropter, fratres, sectamini charitatem, dulce et salubre vinculum mentis, sine qua dives pauper est, et cum qua pauper dives est. Hæc in adversitatibus tolerat, in prosperitatibus temperat, in duris passionibus fortis, in bonis operibus hilaris, in tentatione tutissima, in hospitalitate lautissima, inter veros fratres lætissima, inter falsos patientissima; in Abel per sacrificium grata, in Noe per diluvium secura, in Abrahæ peregrinationibus fidelissima, in Moyse inter injurias lenissima, in David tribulationibus mansuetissima; in tribus pueris blandos ignes innocenter exspectat, in Machabæis sævos ignes fortiter tolerat. Casta in Susanna erga virum, in Anna post virum, in Maria præter virum. » Vires charitatis.

Egregie quoque S. Bernardus *ad Fratres de Monte Dei* : « Ab omnibus vobis, inquit, perfectio exigitur, sed non uniformis; sed si incipis, incipe perfecte; si jam in profectu es, et hoc ipsum jam perfecte age. Si autem perfectionis aliquid attigisti, teipsum in temetipso metire, et dic cum Apostolo : Unum autem, quæ retro sunt obliviscens, et ad ea quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor bravium supernæ vocationis in Christo Jesu; in quo manifeste Apostolo docente declaratur, quia perfecta eorum quæ

retro sunt oblivio, et perfecta in anteriora extensio, ipsa est hominis justi in hac vita perfectio; et perfectio perfectionis hujus ibi erit, ubi erit bravii supernæ vocationis perfecta apprehensio. Hoc autem modo sicut stella a stella distat in claritate, sic cella a cella in conversatione, scilicet incipientium, proficientium et perfectorum. Incipientium status dici potest animalis, proficientium rationalis, perfectorum spiritualis. » Et inferius : « Primus status circa corpus se habet, secundus circa animam se exercet, tertius non nisi in Deo requiem habet. Quorum singuli sicut habent certam proficiendi rationem, sic in genere suo certam habent perfectionis suæ mensuram. Initium boni in conversatione animali, perfecta obedientia est. Profectus subjicere corpus suum, et in servitutem redigere. Perfectio usu boni consuetudinem vertisse in delectationem. Initium vero rationalis est, intelligere quæ in doctrina fidei apponuntur ei. Profectus, talia præparare, qualia apponuntur. Perfectio, cum in affectum mentis transit judicium rationis. Perfectio vero hominis rationalis, initium est hominis spiritualis. Profectus ejus, revelata facie speculari gloriam Dei. Perfectio vero, transformari in eamdem imaginem a claritate in claritatem, sicut a Domini spiritu. »

Perfecta charitas, quæ ?

Et S. Maximus *De Charitate*, centur. 3, num. 97: « Anima, ait, perfecta est; cujus vis affectibus obnoxia, prorsus ad Deum declinavit. » Idem, centuria 4, num. 17 : « Nondum, ait, perfectam charitatem consecutus est, neque divinæ providentiæ secundum profunditatem cognitionem, qui in tempore tentationis, in doloribus et molestiis sibi accidentibus, longanimitate non perdurat, sed seipsum a spiritualium fratrum charitate abscindit. » Et S. Franciscus in opusculo *Decem perfectionum* : « Perfectio perfecti Christiani est, inquit, quod cor suum ab omni mundana et humana creatura eradicet, nec quærat cur inveniat fundamentum aut radicem, nisi in illo qui fecit sibi cor; sed consuescat cor suum projicere in ipsum Deum, et de fœcibus terrenis frequenter elevare : ita quod sine pœna quandocumque voluerit, revertatur ad Christum, cogitando et afficiendo se ad cordis Creatorem; et intentus sit in omni loco et tempore altissimo benefactori. Rursum tantam habeat patientiam, quod illum qui sibi malum aliquod fecerit vel dixerit, conetur plus diligere et amare ex toto corde, et ex bona voluntate ei libenter servire sine omni amaritudine cordis. Quia sicut Deus ex vera liberalitate omnia bona sibi tribuebat, ita omnia mala credat eum occulte promittere, ad hoc ut peccatori ostendat sua peccata, sicque leviter ea puniat in præsenti, ut non flagellet durius in sempiternum. Illum igitur qui malum sibi fecit aut dixit, multum diligat, quia mediante illo tanquam nuntio, Deus magnum bonum illi confert; et tanquam retinaculum quo mediante Deus eum detinet, ne in profundum abyssi projiciatur, et tanquam tersorium quo Deus eum tergit, et tanquam dolabrum quo Deus eum dolat et perficit. »

IN HOC SCIMUS QUONIAM (quod) IN IPSO SUMUS. — S. Augustinus addit : « Si in illo perfecti fuerimus, » atque explicat, *q. d.* Si perfecte ei adhæreamus, eumque diligamus, ita ut ejus amore etiam inimicos amemus. Sic quoque legit Dionysius et alii nonnulli. Verum Romana et Græca passim illa delent. Sensus ergo est, *q. d.* In hoc scimus quod in eo sumus, si videlicet verbum ejus servemus, uti paulo ante dixi. Effectus enim et signum dilectionis, qua adhæremus et copulati sumus Deo, est observatio legis ipsius. Porro per charitatem sumus et manemus in Deo, et Deus in nobis ea ratione qua amatum est in amante, et amans in re amata : magis enim est anima ubi amat, quam ubi animat; vicissim Deus se amantes sibique adhærentes redamat, inhabitat, curat, dirigit, protegit. Unde Hugo sic explicat, *q. d.* Qui amamus Christum, sumus in Christo, sicut membra sunt in capite, et sicut id quod regitur est in regente, nempe regimine peculiari et sancto. Antistropha est hæc sententia Joannis illi in *Evang. Joann.* XIV, 23 : « Si quis diligit me, sermonem meum servabit; et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. » Diligentis ergo Deum anima est quasi templum, in quo realiter inhabitat Pater, Filius et Spiritus Sanctus. Ubi nota S. Joannem delectari verbo *manendi*, illudque crebro usurpare, ac per illud significare *primo*, intimam conjunctionem; *secundo*, moram permanentem et perseverantiam, juxta illud Christi, *Joannis* cap. XV, vers. 4 : « Manete in me, et ego in vobis. » *Tertio*, continuam præsentiam, amicam conversationem, mutuam familiaritatem, omniaque veræ amicitiæ obsequia et officia.

6. QUI DICIT SE IN IPSO MANERE, DEBET SICUT ILLE AMBULAVIT, ET IPSE AMBULARE, — procedendo semper in virtute, præsertim charitatis, ac in dies majora ejus opera exercendo, uti Christus crescebat « ætate et gratia apud Deum et homines, » *Lucæ* II, 51. Sancti enim eunt de virtute in virtutem. S. Leo, serm. 2 *De Quadrag.* : « Hæc, ait, est perfectorum vera justitia, ut nunquam præsumant se esse perfectos, ne ab itineris nondum finiti actione cessantes, ibi incidant deficiendi periculum, ubi proficiendi deposuerint appetitum. » Hoc est quod ait Paulus *Ephes.* V, 1 : « Estote imitatores Dei sicut filii charissimi, et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos. » Vers. 6.

Profectus in quo sistus ?

Pulchre S. Prosper, lib. II *De Vita contemplat.*, cap XXI : « Quid, ait, est ambulare sicut ille ambulavit, nisi contemnere omnia prospera quæ contempsit, non timere adversa quæ pertulit, docere quæ docuit, sperare quod promisit, etc., præstare beneficia etiam ingratis, non retribuere secundum merita malevolis, orare pro inimicis, misereri perversis, invitare adversos, æquanimi-

ter pati subdolos atque superbos? ac denique, juxta verbum Apostoli, mortui simus carni, ut duntaxat Christo vivamus. Sicut enim carne mortuus nulli jam detrahit, nullum aversatur aut despicit, nullius pudicitiam callida circumventione corrumpit, non invidet, non adulatur, non ambit : sic qui carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis, nulla horum possunt agere aut pati. »

Unde Nyssenus, epist. *ad Harmonium*, « Christianismum definit esse imitationem divinæ naturæ. » Idem *ad Olympium* : « Quid igitur, ait, oportet eum facere, qui magno Christi cognomine dignus effectus est, nisi ut omnia sua tum cogitata, tum dicta, tum facta diligenter exploret, et utrum eorum singula ad Christum tendant, an ab illo sint aliena, dijudicet. »

Præclare S. Augustinus, *De Vera Religione*, XV, docet quod Verbum factum sit caro, hoc fine ut viam virtutis doceret, non vi cogendo, sed exemplo præeundo. Dum enim omnia mundi bona contempsit, contemnenda docuit; dum omnia vitæ mala sustinuit, sustinenda monstravit : « Doctrina enim Deus apparebat, ætatibus homo. Satellites voluptatum divitias perniciose populi appetebant : pauper esse voluit. Honoribus et imperiis inhiabant : rex fieri noluit. Carnales suos filios magnum bonum putabant : tale conjugium prolemque contempsit. Contumelias superbissime horrebant : omne genus contumeliarum sustinuit. Injurias intolerabiles esse arbitrabantur : quæ major injuria, quam justum innocentemque damnari? Dolores corporis execrabantur : flagellatus atque cruciatus est. Mori metuebant : morte mulctatus est. Ignominiosissimum mortis genus crucem putabant : crucifixus est. Omnia quæ habere cupientes non recte, non recte vivebamus, carendo vilia fecit; omnia quæ vitare cupientes a studio deviabamus veritatis, perpetiendo dejecit; non enim ullum peccatum committi potest, nisi dum appetuntur ea quæ ille contempsit, aut fugiuntur quæ ille sustinuit. Tota itaque vita ejus in terris, per hominem quem suscipere dignatus est, disciplina morum fuit. »

Huc facit stimulus S. Cypriani, tract. *De Zelo et livore* : « Si hominibus, inquit, lætum est et gloriosum filios habere consimiles, et tunc magis generasse delectat, si ad patrem lineamentis paribus soboles subsiciva respondeat, quanto major in Deo Patre lætitia est, cum quis sic spiritualiter nascitur, ut in actibus ejus et laudibus divina generositas prædicetur? » Et paulo anterius : « Qualis cœlestis, tales et cœlestes. Quomodo portavimus imaginem ejus qui de limo est, portemus et imaginem ejus qui de cœlo est; imaginem autem cœlestem portare non possumus, nisi in eo quod esse nunc cœpimus, Christi similitudinem præbeamus; hoc est enim mutasse quod fueras, et cœpisse esse quod non eras, ut in te divina nativitas luceat, ut ad Patrem Deum deifica disciplina respondeat, ut honore et laude vivendi Deus in homine clarescat, ipso exhortante, et eis qui se clarificant vicem mutuam pollicente. Eos, inquit, qui clarificant me, clarificabo, » *Joann.* XII.

7. CHARISSIMI, NON MANDATUM NOVUM SCRIBO VOBIS, SED MANDATUM VETUS. — Loquitur de mandato dilectionis Dei et proximi : in hac enim includitur observatio mandatorum omnium, de qua sermo præcessit. De lectione enim se explicans illico sermonem infert S. Joannes, vers. 9, 10, 11. Vocat hoc « vetus mandatum, » non « novum, » quia datum fuit Judæis in veteri Testamento, *Lev.* XIX, 18; imo datum fuit Adæ et omnibus hominibus in lege naturæ, æque ac angelis ab initio creationis suæ. Est enim hoc mandatum juris naturæ dictatum a ratione et lege æterna, quæ fuit in mente Dei ab æterno. Sic τὸ *vetus* explicat Joannes cum subdit : « Mandatum vetus est verbum quod audistis. » Ita S. Augustinus et Didymus : « Objiciebatur, ait, Apostolo novam ab illo doctrinam tradi, ac prorsus inauditam : tacite ergo illi occurrens negat se novum aliquod præceptum proponere, sed prisca et vetera inculcare. » Vers. 7

Rursum, mandatum hoc est *vetus*, quia jam ab olim, puta ab initio christianismi, mox a baptismo illud audistis et accepistis. Ita explicat S. Joannes τὸ *vetus*, dum subdit : « Quod habuistis ab initio (1). »

8. ITERUM MANDATUM NOVUM SCRIBO VOBIS, — *q. d.* Iterum inculco vobis jam quidem antiquum, olim vero novum mandatum, dilectionis et observationis mandatorum Dei, quod desuetudine et naturæ corruptæ vitio antiquatum Christus renovavit et auxit, nobisque identidem in memoriam revocare et innovare præcepit. Alludit, imo citat illud Christi *Joannis* XIII, 33 : « Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. » *Novum* dicitur, quia novi Testamenti præcipuum, et præcipue a Christo verbis et exemplis commendatum est præceptum non timoris, uti olim apud Judæos, sed dilectionis, illudque explicatius (ut patet *Matth.* V, 38 et seqq., *Joann.* XIV, XV et XVI), arctius et firmius quam antea fuerat, ac proinde novum nobis tradidit Christus. Vers. 8

Novum ergo dicitur per omnia genera causarum. *Primo*, ratione novæ causæ efficientis, puta novi legislatoris, scilicet Christi, qui arctius et quasi novum illud nobis tradidit. Rursum ratione novæ originis, charitatis et gratiæ, scilicet Spiritus Sancti, qui primo visibiliter et copiose effusus fuit in Pentecoste : unde consequenter ad charitatis hujus officia nove, novaque obligatione obstringimur, eaque magis obligamur nunc quam ante Christum; Judæi enim obscuraverant hoc dilectionis præceptum pravis interpretationibus, dicentes proximos esse amicos : solos ergo ami- Mandatum charitatis novum. Primo.

(1) Scil. religionis Christianæ, quod vos docuerunt Apostoli. Novum tamen dici potest hoc mandatum, vers, 8, etc.

cos esse diligendos, inimicos autem odiendos : per amicos autem intelligebant homines suæ gentis, puta Judæos ; unde censebant se Christianis omnibusque gentibus posse fœnerari, eorumque opes per usuras exhaurire. Quocirca Christus illa corrigens et innovans, *Matth.* v, 43 : « Audistis, inquit, quia dictum est antiquis : Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis : Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, » etc.

Secundo, mandatum dilectionis est « novum » ratione novæ causæ materialis, puta novorum diligentium Christianorum, qui antea fuerant in tenebris infidelitatis et odii, ut subdit hic S. Joannes ; jam vero charitate et spiritu Christi innovati, nove et ardentius Deum et se invicem diligere debent, quam ante.

Tertio et maxime, « novum » dicitur ratione novæ causæ formalis, puta novi objecti (objectum enim est instar formæ) et novæ rationis formalis diligendi, puta novæ incarnationis Verbi, novæque in eo fidelium unionis ; Christo enim, qui caput est Ecclesiæ et fidelium, incarnato, facta est in eo singularis unio et communicatio membrorum Ecclesiæ, tum inter se, tum cum Christo capite suo jam homogeneo, id est, ejusdem rationis et naturæ : unio, inquam, per naturam, per gratiam et per Sacramenta, præsertim Eucharistiæ ; quæ unio fundamentum est majoris et singularis obligationis ad arctiorem amorem Dei, Christi et Christianorum, ut scilicet jam Christianos diligere debeamus, non tantum ut proximos propter Deum, sed ut fratres et membra ejusdem capitis et patris Christi incarnati, qui parens est et legislator legis amoris, uti Moses tulit legem timoris. Indicat hanc rationem Christus dum subdit : « Sicut dilexi vos. » Sicut ergo dilectio Christi in nos fuit summa, nova et inaudita, ita et præceptum ejus, quo jubet nos hanc suam dilectionem imitari, summum est, novum et inauditum. Ita Cyrillus. Antiqua enim dilectionis lex a Mose lata sic habet : « Diliges amicum tuum sicut teipsum, » *Levit.* XIX, 18. Nova vero a Christo lata sic habet : « Diligite invicem sicut dilexi vos, » *Joan.* XIII, 33 ; quæ major est et perfectior, tanto scilicet, quanto Christus (cujus dilectio quasi exemplar nobis imitandum proponitur et præcipitur) cæteris hominibus major et perfectior est. Porro per incarnationem non soli Christo, sed et toti SS. Trinitati, puta Patri, Filio et Spiritui Sancto, majorem quam antea, et novum amorem debemus, tum ratione majoris unionis : jam enim unito nobis per carnem assumptam Verbo, consequenter quoque nobis magis unita est tota SS. Trinitas : hæc enim est ubi Verbum est ; tum ob nova et maxima beneficia per incarnationem nobis præstita. Per incarnationem ergo Verbi novam relationem et unionem habemus ad Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, et inter nos invicem, quam non habuimus ante, ac consequenter novam diligendi causam et rationem formalem. Per incarnationem enim Verbum factum est noster consanguineus et frater, ac consequenter Pater factus est novo modo Pater, uti Christi incarnati, ita et Christianorum fratrum ejus ; Spiritus Sanctus vero totum se in eos effudit. Christianis enim proprie hoc novum dilectionis mandatum a Christo datur (non omnibus hominibus, nisi indirecte et consequenter, quatenus scilicet Deus vult omnes fieri Christianos), ut se invicem non tantum quasi proximos, sed quasi fratres et unius corporis Christi membra ament propter Christum, uti recte advertit Toletus et Franciscus Lucas in cap. XIII *S. Joan.*

Quarto, « novum » dicitur ratione novæ causæ exemplaris, puta Christi Domini : Christus enim suam vitam, sanguinem et totum seipsum pro salute suorum, ex puro amore impendit et exhausit. Idem fecit B. Virgo, Apostoli et primi fideles, ut darent nobis perfectæ dilectionis exemplar, quod imitaremur, juxta illud : « Inspice, et fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est, » *Exodi* cap. XXV, vers. ult. Et idipsum significat τὸ *sicut dilexi vos*, quæ verba meditanti multam confusionis, dicenti multam exaggerationis materiam suppeditant. Cogita enim quanta dilectionis argumenta nobis ostenderit Christus singulis momentis nascendo, laborando, prædicando, patiendo, moriendo, etc., et videbis quam parva sit hominum omnium dilectio. Cogitabat illa S. Joannes Eleemosynarius, Archiepiscopus Alexandriæ, qui cum quispiam effusam ejus in pauperes liberalitatem laudaret et suspiceret, dicere solebat : « Frater, nondum pro te sanguinem fudi, sicut mandavit mihi Dominus. »

Quocirca per Christum didicimus proximos non tantum diligendos esse, sicut nos ipsos, uti habebat vetus lex, sed plusquam nos ipsos. Christus enim mortuus est, ut nos licet inimicos vivificaret ; eoque nobis dedit exemplum et exemplar dilectionis, ut nos idem faciamus pro proximis : qui sane diligendi modus apud Judæos et in orbe erat novus et inauditus. Ita S. Cyrillus in *Joan.* cap. XIII. Unde Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius et Rupertus, « novum » dici censent ratione novi modi. Modum hunc explicat Arias, ut sit, inquit, dilectio ad exemplum dilectionis Christi ferventissima et officiosissima, erga omnes, etiam inimicos, ad omne officium prompta, ad exponendum sanguinem et vitam pro salute fratrum, uti fecit Christus : sic et Cajetanus, Gagneius, Joannes Major et alii.

Quinto, « novum » ratione novi finis, quia per hoc dilectionis mandatum voluit Christus nos facere novos homines, cœlestes, non terrestres. Rursum voluit nos illud crebro renovare, ut per crebras synaxes, conciones, meditationes, etc., illud sæpe excitemus, novaque et recenti voluntate, conatu et fervore, perinde ac si nunc primum daretur, illud capessamus. Huc respexit

hoc loco S. Joannes dicens se mandatum vetus scribere, sed novum, id est, crebro renovandum. Unde ipse jam senex per singulas collectas illud refricabat, nec aliud inculcabat quam : « Filioli, diligite alterutrum; quia præceptum Domini est, et si solum fiat, sufficit, » ut dixi in procemio, et hac Epistola crebro idipsum repetit et inculcat.

Audi S. Bernardum, serm. 5 *in Cœna Domini* : « Mandatum novum do vobis. Unde novum? nuper inventum, non quia in veteri Testamento non sit scriptum : Diliges Dominum Deum tuum. Quid ergo est novum? Novum, quia vetera ad novitatem perducit, et veteres homines transformat in juvenes. Novum, quia exuit veterem hominem, et induit novum, qui secundum Deum creatus est in sanctitate et justitia veritatis. Novum, quia olim genus humanum a paradisi gaudiis expulsum, nunc et quotidie transmittit in cœlum. » Et S. Augustinum hic : « An ideo est mandatum novum, quia exuto vetere homine induit nos hominem novum? Innovat quippe audientem, vel potius obedientem non omnis, sed ista dilectio, quam Dominus mandat, et, ut a carnali dilectione distingueret, addidit : Sicut dilexi vos. » Et mox : « Dilectio ista nos innovat, ut simus homines novi, hæredes Testamenti novi, cantatores cantici novi facit, et colligit populum novum. » Hoc spectans S. Gregorius, homil. 32 *in Evang.* : « Quia, inquit, Dominus ac redemptor noster novus homo venit in mundum, nova præcepta dedit mundo : vitæ enim nostræ veteri in vitiis enutritæ contrarietatem opposuit novitatis vitæ, » puta concupiscentiæ charitatem, amori sui amorem Dei et proximi.

Sexto, Maldonatus « novum » exponit excellens et præstantissimum, quia cæteris omnibus mandatis hoc dilectionis præceptum est sublimius, excellentius, utilius magisque necessarium; sic dicitur *Psal.* XCV, 1, et XCVIII, 1 : « Cantate Domino canticum novum, » id est præstans, eximium, egregium : *egregium* enim dicitur quasi e grege selectum (hinc victimæ vocabantur egregiæ, quasi e grege selectæ, juxta illud *Æneid.* lib. VI :

—— Lectas de more bidentes) ;

eximium, quod quasi singulare eximatur e grege cæterorum, ideoque rarum et novum.

Huc pertinet illud aliorum : « novum, » inquiunt, id est postremum; quia hoc mandatum ultimum suis dedit Christus jam iturus ad mortem: non quod novum significet postremum, sed quia postremum respectu priorum jam visorum, auditorum et præteritorum, ideoque veterum, videatur novum. A novo enim in superlativo fit novissimus, id est ultimus, postremus; eo quod quæ recenter fiunt, ultimum locum habeant. Sic homines novi vocantur, quorum nulli majores clari fuere, sed ipsi per seipsos clari esse incipiunt : qua ratione Cicero Romæ vocatus est « homo novus. » Sensus est, *q. d.* Mandatum nunc vobis do, quod hucusque nondum dedi, sed in hunc extremum discessum reservavi; nunc primo hoc mandatum vobis trado, ideoque novum appello : hucusque enim hoc mandatum talibus verbis expressum discipuli a Christo non audierant. Ita Sebastianus Barradius, qui et addit : Præterea dicitur *novum*, quia volebat Christus tunc illos noviter incipere illud observare : sicut si pater filiis mandatum traderet, quod vellet noviter filios deinceps exequi; recte diceretur mandatum novum. Et Franciscus Lucas : Do, inquit, mandatum novum, quod hucusque non dedi, sed in abitum reservavi, quo tenacius inhæreret memoriæ omnium vestrum, quod pro meo, hoc est mihi proprio mandato habeo, ut quod præ omnibus aliis vobis commendatum, inculcatum et observatum velim, quale nullus unquam suis discipulis dedit, lene, adeoque suave mandatum. Est ergo novum, tum quia nove in ultima cœna a Christo datum, tum quia Christi proprium, ut ait S. Basilius, *De Baptismo,* cap. ult., tum quia singulari est studio ab ipso commendatum.

Septimo, « novum » ratione effectus, quia novos edit effectus, puta nova opera heroica, et a sæculo inaudita, qualia fuerunt S. Pauli et cæterorum Apostolorum, qui nova cœlestique vita, nova doctrina, novis miraculis, novis et inauditis laboribus et persecutionibus, nova alacritate; ardore et spiritu orbem subegerunt Christo. An non nova charitas fuit S. Pauli, qui optabat esse anathema pro fratribus? S. Paulini, qui se in servum tradidit Wandalis, pro filio viduæ redimendo? S. Dominici, S. Francisci, S. Ignatii, qui se et suos saluti animarum consecrarunt? S. Francisci Xaverii, qui ad extremos Japones, Sinas et Indos tantis sudoribus, æque ac ardoribus pervexit, ut eos ad Christum converteret? B. Jacoponi, qui optabat et orabat omnia omnium damnatorum tormenta subire, ut eos illis eximeret, omnesque salvaret, si Deo id placuisset?

Octavo, « novum, » ait S. Thomas, quia charitas ad novum Testamentum pertinet; et Lyranus : « novum » dicitur, inquit, quia novum Testamentum distinguit a veteri; vetus enim fuit timoris et servorum, novum est amoris et filiorum. Unde subdit Christus : « In hoc cognoscent omnes quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem; » ubi S. Cyrillus : « Facies, inquit, et imago Christi nobis insculpta, qua sui esse cognoscimur, charitatis gloria est. » Hinc illud *Cant.* II, 4 : « Ordinavit in me charitatem. » Alii ex Hebræo vertunt, *vexillum ejus super me amor.* Et *Cantic.* cap. VIII, vers. 6 : « Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum : quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio; lampades ejus, lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. Si dederit homo omnem

substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. »

Talis fuit dilectio primorum Christianorum : « Multitudinis enim credentium erat cor unum et anima una, erantque illis omnia communia, » *Actor.* IV, 32. Vide ibi dicta. Unde Tertullianus in *Apolog.*, ait Ethnicos de Christianis dicere solitos : « Videte ut invicem se diligant, et ut pro alterutro mori sint parati. » Additque Christianos se invicem vocasse fratres, utpote « qui unum Deum Patrem agnoverunt, qui unum spiritum biberunt sanctitatis, qui de uno utero ignorantiæ ejusdem ad eamdem lucem expaverint veritatis, etc. Item ex substantia familiari fratres sumus, quæ penes vos dirimit fraternitatem. Itaque quia animo animaque miscemur, nihil dè rei communicatione dubitamus : omnia indiscreta sunt apud nos, præter uxores. »

QUOD VERUM EST, ET IN IPSO ET IN VOBIS. — Pronomen ὅ, id est *quod*, cum sit neutrum, non potest referre *mandatum*, eo quod græce sit ἐντολὴν femininum. Quare technice vel substantive sumitur, *q. d.* « Quod, » id est, quæ res vera est « in ipso, » id est in seipsa, quia mandatum hoc dilectionis cum sit juris naturæ, in seipso certissimum et verissimum est, æque ac antiquissimum, licet quoad praxin et executionem sit novum. Idem verum est « in vobis, » quia vos illud ipsum cum nova vita in Christo complexi estis. Ita S. Augustinus, Junilius et Œcumenius. Hoc sensu τὸ *in ipso* refertur ad mandatum. Melius alii referunt ad Christum : licet enim eum non nominet hic, tamen eum nominavit vers. 1, 2, 3, 4 et seq. Cor enim S. Joannis plenum erat Christo, ut, cum « ipsum » nominat, non alium intelligat quam Christum, utpote amorem suum, quo plenum erat os ejus æque ac cor; unde simili modo ait Magdalena Christo, quem putabat hortulanum : « Domine, si tu sustulisti eum, » *Joan.* XX, 15. Quem? utique Christum : præter eum enim aliud non cogitabat, aliud non quærebat, aliud non amabat Magdalena. Tota ênim absorpta in Christo, putabat omnes ibi habere cor, ubi ipsa habebat suum. Hæ sunt phrases amantium, quas proinde usurpat sponsa in *Canticis*. Ita S. Hieronymus, qui proinde, lib. II *Contra Jovinianum*, legit : « Mandatum novum scripsi vobis, quod est verissimum et in Christo et in nobis. » Nonnulli enim codices legunt ἡμῖν, id est *nobis* : Noster tamen cum aliis plerisque legit ὑμῖν, id est *vobis*, sed eodem redit sensus. Jam aliqui exponunt, *q. d.* Hoc mandatum charitatis est res quæ facit vos tam vere esse in Christo, quam estis in vobis ipsis.

Secundo et planius, *q. d.* « Quod, » id est quæ res, puta novum hoc dilectionis mandatum, locum habet tam in Christo, quam in vobis, tum quia mandatum est, tum quia practicatum et executioni datum : quia, sicut Christus ut caput Ecclesiæ summe amat Christianos, quasi membra sua, ita ipsi se invicem summe ut membra amare debent (ac reipsa amant), atque Christum in hoc amore imitari, ut sicut ipse mandato Patris nostro se totum impendit amori, ita et nos vicissim totos amori Dei, Christi et Christianorum impendamus. Rationem subdit.

QUIA TENEBRÆ (ignorantiæ, concupiscentiæ, peccatorum, æque ac umbrarum, timoris et cæremoniarum veteris Testamenti) TRANSIERUNT : ET VERUM LUMEN JAM LUCET. — Syrus, *incipit apparere* : puta lumen Evangelii, fidei, gratiæ, amoris omnisque sanctitatis. Simili modo ait Paulus : « Nox præcessit, dies autem appropinquavit, » *Roman.* XIII, 12. Et : « Eramus aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, » *Ephes.* V, 6. Vide ibi dicta. Hoc vocatur lumen « verum, » id est perfectum, plenum, divinum. Sic Joannes de Christo ait : « Erat lux vera, » id est perfecta, et essentialis, *Joan.* I, 9. « Ego sum vitis vera, » id est perfecta, dans vinum divinum, *Joan.* XV, 1. Sic Eucharistia vocatur « panis verus, » id est perfectus, plene cibans et satians, *Joan.* VI, 55.

Hujus rei symbolo, luminis hujus sol et lucifer Christus Dominus, incarnatus est in æquinoctio verno, puta die 25 martii, ut significaretur eum abacta caligine judaismi et gentilismi invecturum veram lucem Evangelii et christianismi, uti advertit S. Chrysostomus, hom. *De S. Joan. Bapt.* Eadem de causa natus est Christus in solstitio hiberno, cum incipiunt crescere lux et dies, uti annotavit S. Augustinus, serm. 22 *De Temp.*

9. QUI DICIT SE IN LUCE ESSE (Evangelii, fidei, gratiæ et charitatis Christi), ET FRATREM SUUM ODIT (mentitur se esse in luce. Unde S. Cyprianus, lib. III *Contra Judæos*, cap. III, legit vel potius interpretando supplet, « mendax est, quia ») IN TENEBRIS EST — ignorantiæ saltem practicæ, iræ, odii, concupiscentiæ et peccatorum; quibus excæcatus non videt quantum malum sit odium, quam Deo, qui est lux charitatis, exosum, quantas strages afferat, quanta sibi damna conciliet, quanta gehennæ tormenta accersat. « Ipso scelere cæcatus est, vadit nesciens in gehennam ignis, et præceps fertur in pœnam, » ait S. Chrysostomus, homil. *De Erudit. disciplinæ*. Vere dixit Sapiens : « Error et tenebræ peccatoribus concreata sunt, » *Eccli.* cap. XI, vers. 16.

Præclare S. Cyprianus *De Zelo et livore* : « Si homo lucis, ait, esse cœpisti, quæ sunt Christi gere : quia lux et dies Christus est. Quid in zeli tenebras ruis? Quid te nubilo livoris involvis? Quid invidiæ cæcitate omne pacis et charitatis lumen extinguis? Quid ad diabolum cui renuntiaveras redis? Quid Cain similis existis? » Rursum : « Qui odit fratrem, in tenebris est, » scilicet gehennæ et inferni, tum quia eo tendit, tum quia dæmon eum possidet, Audi S. Basilium, homil. *De Ira* : « Sicut, ait, qui charitatem habet, Deum in se habet : ita qui odium et iram habet, dæmonem in se continet. » Et iterum : « Habetis, inquit, iram,

dæmonem pessimum vestris animabus innatum;» et S. Chrysostomus « iram voluntarium dæmonem » appellat. In irato ergo quasi in Orco contemplari licet Cerberum tricipitem, Megæram, Alecto et alias Furias. Seneca, lib. II *De Ira*: « Qualia, ait, Poetæ inferna monstra finxerunt succincta serpentibus et igneo flatu, quales ad bella excitanda, pacemque lacerandam teterrimæ inferi exeunt furiæ, qualem Cerberum » tricipitem flammas vomentem, « talem nobis iram figuremus. »

USQUE ADHUC, — usque ad hoc tempus quo baptizatus est, et Christianus, *q. d.* Baptismus licet sit illuminatio, tamen has odii tenebras depellere nequit, si adhuc voluntariæ sint, aut si baptismum sequantur : ita S. Augustinus, Beda et Hugo.

Vers. 10. 10. QUI DILIGIT FRATREM SUUM, IN LUMINE MANET, — fidei et amoris Christiani. Est antithesis vers. præced.

ET SCANDALUM. — Scandali etymon dat S. Hieronymus in cap. XV *Matth.*: « Quia crebro teritur, inquit, in Ecclesiasticis Scripturis scandalum, breviter dicamus quid significet προσκομμα, et σκάνδαλον. Nos offendiculum, vel ruinam et impactionem pedis possumus dicere : derivant a σκάζω sive σκάω, id est claudico, quod cogat claudicare pedibus objectum offendiculum; aut, ut aliis placet, σκάνδαλον lignum est curvum quo sustinetur decipula vel tendicula, et in quod animal, dum impingit, in sui ipsius ruinam evertit decipulam; aut postremo impedimentum insidiose positum in via, ut transiens offendat. »

Sanctis non est scandalum. Cur?

ET SCANDALUM IN EO NON EST. — *q. d.* Qui diligit, nusquam offendit, nusquam impingit. Scandalum ergo, id est offensio vel offendiculum, in eo non est, sive activum, ut ait S. Augustinus, sive passivum, ut ait Glossa : diligens enim nulla re, nulla injuria, nullis moribus offendit vel offenditur; quia « charitas patiens est, benigna est, etc., non irritatur, non cogitat malum, etc., omnia suffert, omnia credit, omnia sustinet, » I *Corinth.* XIII, 4. Hoc est quod ait Sapiens, *Proverb.* XV, 19 : « Viæ justorum absque offendiculo. » Et Psaltes *Psalm.* CXVIII, 165 : « Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum. » Dicunt enim sibi : Offendit me frater, ira mihi suggerit eum meum esse inimicum, qui id fecerit ex mei odio et contemptu. At falso id suggerit, non credo iræ, quia odio cæca est, suspicax et mendax : sed esto vera esset, verumque diceret, num idcirco deseram charitatem, deseram tot bonos, deseram Deum et Christum? Absit : vincam in bono malum, sequar Christum, ostendam quam diligam fraternitatem, quam amem Deum : pugnabo non contra fratrem, qui me læsit, sed contra fratris morbum : iram ejus et malevolentiam charitatis fluminibus obruam et extinguam (1).

Audi S. Augustinum : « Qui sunt, inquit, qui patiuntur scandalum, aut faciunt? qui scandalizantur in Christo et in Ecclesia : qui in Christo scandalizantur, tanquam a sole uruntur; qui in Ecclesia, tanquam a luna. Dicit autem psalmus : Per diem sol non uret te, neque luna per noctem, id est si tenueris charitatem, nec in Christo scandalum patieris, nec in Ecclesia; nec Christum relinques, nec Ecclesiam. » Idem, sermone 59 *De Temp.* : « Plus diligendi sunt inimici, quam amici : qui enim inimici sunt, corpori adversantur, et animæ præparant æterna præmia; quia qui carnalia nostra et terrena rapiunt, cœlestia nobis et spiritualia congregant. Nonne magis diligendus est quam odiendus, qui nobis dat æternas opes? Amici vero carnis nostræ nobis suavia suadere contendunt, quæ animæ nostræ præparant æternam mortem. »

Et in eamdem sententiam Basilius in *Reg. brevior.*, Reg. 176 : « Quid, inquit, est quod ab amico magnum adeo beneficium possit proficisci, quantum est illud quod ab inimicis nobis datur, quorum opera fit ut beatitudinem illam assequamur, de qua Dominus dicit : Beati estis cum vos oderint homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos mentientes propter me. » Rursum S. Augustinus, serm. 61 *De Temp.* : « Tot, ait, viri, tot mulieres, clerici, pueri, tantæ et tam delicatæ puellæ, flammas et ignes et bestias æquanimiter pertulerunt, et nos hominum convicia dicimus tolerare non posse. Unde nescio qua fronte, vel qua conscientia cum omnibus Sanctis partem in æterna beatitudine habere desideramus, quorum exempla sequi in rebus minimis non acquiescimus. »

Vers. 11. 11. QUI AUTEM ODIT FRATREM SUUM, IN TENEBRIS EST. — « Non potest in lumine Christi esse, et ad Christum pertinere, ait Œcumenius, qui eum pro quo Christus mortuus est, odit. » S. Joannes more suo idem repetit et inculcat.

Ira est cæca.

ET NESCIT QUO EAT. — « It enim, ait S. Cyprianus, *De Zelo et livore*, nescius in gehennam, ignarus et cæcus præcipitatur in pœnam, recedens scilicet a Christi lumine monentis et dicentis : Ego sum lux mundi; qui me secutus fuerit, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ. » Vere auctor Imperfect. *homil.* 13 : « Odium, ait, spiritus est tenebrarum, et ubicumque insederit, sordidat pulchritudinem sanctitatis. » Additque : « Cum mundus iste scandalis plenus sit, si amicos tantum voluerimus diligere, non poterimus invenire quod diligamus. » Hoc est quod ait Sapiens *Proverb.* IV, 19 : « Via impiorum tenebrosa, nesciunt ubi corruant. » Et *Sophoniæ* I, vers. 17 : « Ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt. » Et *Isaiæ* LIX, 10, eorum personam et sensa exprimens : « Palpavimus, inquit, sicut cæci parietem, et quasi oculos non habentes palpavimus; impegimus meridie quasi in nocte, in desertis quasi mortui sine spiritu. »

(1) Allioli : « Scandalum in eo non est, » id est, non labitur aut offendit, quippe qui non in tenebris, sed in luce ambulat.

tem, et quasi absque oculis attrectavimus : impegimus meridie quasi in tenebris, in caliginosis quasi mortui. »

Sane nullum vitium ita rationem excæcat, atque ira, invidia, odium; hæc enim faciunt hominem non sapere, sed furere, ut videatur esse non homo, sed furia faces inferni vomens, juxta illud Virgilii, X *Æneid.* :

His agitur furiis, totoque ardentis ab ore
Scintillæ absistunt, oculis micat acribus ignis.

Idem, lib. III *Georg.* :

In furias ignemque ruunt, amor omnibus idem.
Tempore non alio catulorum oblita leæna
Sævior erravit campis, nec funera vulgo
Tam multa informes ursi stragemque dedere.

Unde Seneca, lib. I *De Ira,* cap. I, «iram» definit «esse brevem insaniam.» Et Cicero, *Tuscul.* cap. IV : «Nihil, ait, esse similius insaniæ, quam iram, quam bene Ennius dixit initium insaniæ.» Ac S. Chrysostomus, hom. 47 *in Joan.*: «Inter iram et insaniam, inquit, nihil differt,» juxta illud : «Ira furor brevis est.»

Porro adeo cæca est ira et odium, ut hasce suas furias furore cæcata non videat, imo non furias, sed justas vindicias æstimet, ut non odio, sed ratione se agi censeat; ut culpam omnem non sibi lædenti, sed a se læso ascribat. Repræsentat idipsum lepide Seneca, *epist.* 51, in Harpaste, uxoris suæ ancilla, sed cæca et fatua, quæ cum in cæcitatem incidisset, negabat se cæcam, culpamque non videndi conferebat in domum, dicens eam esse tenebrosam : unde ex illa educi, et in aliam deduci postulabat. « Hoc, inquit, quod in illa videmus, nobis accidere liqueat tibi : nemo se avarum esse intelligit, nemo cupidum; cæci tamen ducem quærunt, nos sine duce erramus, et dicimus : Non ego ambitiosus sum, sed nemo aliter Romæ potest vivere : non ego sumptuosus, sed urbs ipsa magnas impensas exigit. Non est meum vitium, quod iracundus sum, quod nondum constitui certum genus vitæ, adolescentia hæc facit. Quid nos decipimus? non est extrinsecus malum nostrum, intra nos est, in visceribus ipsis sedet. Et ideo difficulter ad sanitatem pervenimus, quia nos ægrotare nescimus. » Democritus Philosophus excæcavit se splendore solis, ut non videret malorum felicitatem : ita invidi et odio lividi, livore excæcant seipsos, ne videant æmulorum prosperitatem. Audi Laertium apud Gellium, lib. X, cap. XVII :

Democritus effodere ut posset splendore æreo, radiis
Solis aciem effodit luminis, malis bene
Esse ne videret civibus : sic ego
Fulgenti splendore in pecuniam volo
Lucificare exitium ætati meæ,
Ne in re bona videam esse nequam filium.

12. SCRIBO VOBIS, FILIOLI. — Descendit S. Joannes a thesi ad hypothesin, a genere ad speciem. Quæ enim de Dei cognitione et dilectione commendavit omnibus Christianis in genere, hic eadem singulis eorum gradibus et statibus commendat. Distinguit autem eos in tres gradus et classes, juxta tres eorum ætates, scilicet in pueros, juvenes et senes. Pueros vocat «filiolos» et «infantes,» juvenes vocat «adolescentes,» senes vocat «patres.» Hisce sigillatim gratulatur donum christianismi, quod scilicet per illud Deum agnoscant, colant et diligant, ac gratulando tacite hortatur, ut in eodem perseverent et proficiant. Triplici autem hoc ætatis gradu, triplicem Christianorum in virtute gradum, et quasi ætatem repræsentat; pueri enim repræsentant incipientes et neophytos, juvenes repræsentant proficientes, senes perfectos. Quo tacite innuit S. Joannes Christianos virtute, æque ac ætate debere crescere et proficere, ut Christum imitentur, de quo scribit S. Lucas, cap. II, vers. 52 : « Jesus proficiebat sapientia et ætate, et gratia apud Deum et homines : » ita Clemens, Œcumenius, Dionysius, Gagneius, Cajetanus et Catharinus; licet S. Augustinus aliter sentiat, nimirum hæc tria ad eosdem pertinere, puta singulos Christianos vocari filiolos, quia baptismo renati sunt, et patres, quia Christum patrem et antiquum dierum agnoscunt, et adolescentes sive juvenes, quia fortes sunt et validi : « In filiis, inquit, significatur nativitas, in patribus antiquitas, in juvenibus fortitudo. » Sed prius quod dixi, uti simplicius, ita germanius videtur. Primis ergo, puta pueris, dicit Joannes : «Filioli,» recenter in mundo nati, æque ac baptismo renati, gaudete, gratulamini vobis, et Deo gratias agite, illumque diligite et colite, «quoniam remittuntur,» id est baptismo remissa sunt, et si quæ deinceps committatis, remittentur per pœnitentiam, «vobis peccata vestra,» in quæ puerilis ætas, utpote debilis et fragilis, parvæque mentis, judicii et animi, prona et proclivis est, «propter nomen ejus,» puta Christi, uti dixi vers. 8. Nomen Christi metonymice vocat vel ipsum Christum, quem crebro nominare et invocare debemus, vel ipsam invocationem nominis Christi, *q. d.* Propter nomen Christi professum et invocatum, vel auctoritatem et potestatem Christi : hanc enim significat nomen, et hac remittuntur peccata per gratiam et merita Christi (1).

Moraliter docet hic S. Joannes, magnam educationis et institutionis puerorum habendam esse curam, uti ipse se habere ostendit exemplo pueri quem Episcopo commendavit, quod recensui in Proœmio : a pueritia enim pendet tota hominis

(1) Rectius Allioli : Quæ hic intendit Joannes, vers. 15-17 exprimuntur. Hæc est cohærentia cum præcedentibus : Non modo hortor vos ad Deum et proximum diligendum, sed ab amore mundi etiam dehortor. « Filioli, » id est *dilectissimi;* hac compellatione generaliori omnes Christianos complectitur quos deinde, vers. seqq., pro varia ætate singulos alloquitur.

vitæque deinceps conformatio. Quod enim pueri discimus, hoc retinemus viri :

> Quo semel est imbuta recens, servabit odorem
> Testa diu,

ait Horatius. Hac de causa S. Ignatius, fundator Societatis nostræ, in ea scholas instituit, in quibus pueri cum litteris pietatem probosque mores imbiberent : e quibus quanta in Ecclesiam universam commoda redundent, experientia docet : vide Ribadeneiram fuse de puerorum institutione et scholarum commodis disserentem, lib. III *Vitæ S. Ignatii,* cap. XXIV, ubi non solum ex Scriptura, Patribus et Conciliis, sed et ex Platone, Aristotele, Xenophonte, Cicerone, Plutarcho, Quintiliano aliisque Philosophis idipsum confirmat.

Mystice septem ætates animæ sanctæ.

Mystice : Audi S. Augustinum mysticas septem viri justi ætates describentem, lib. *De Vera Religione,* cap. XXVI : « Iste, ait, dicitur novus homo, et interior et cœlestis, habens et ipse proportione non annis, sed profectibus distinctas quasdam spiritales ætates suas. *Primam* in uberibus utilis historiæ, quæ nutrit exemplis. *Secundam* jam obliviscentem humana, et ad divina tendentem, in qua non auctoritatis humanæ sinu continetur, sed ad summam incommutabilem legem passibus rationis innititur. *Tertiam* jam fidentiorem, et carnalem appetitum rationis robore maritantem, gaudentemque intrinsecus in quadam dulcedine conjugali cum anima menti copulatur, et velamento pudoris obnubitur, ut jam recte vivere non cogatur, sed etiamsi omnes concedant, peccare non libeat. *Quartam* jam idipsum multo firmius ordinatiusque facientem, et emicantem in virum perfectum, atque aptam et idoneam omnibus etiam persecutionibus et mundi hujus tempestatibus, ac fluctibus sustinendis atque frangendis. *Quintam* pacatam atque ex omni parte tranquillam, viventem in opibus et abundantia incommutabilis regni, summæ atque ineffabilis sapientiæ. *Sextam* omnimodæ mutationis in æternam vitam, et usque ad totam oblivionem vitæ temporalis transeuntem in perfectam formam, quæ facta est ad imaginem et similitudinem Dei. *Septima* enim jam quies æterna est, et nullis ætatibus distinguenda beatitudo perpetua. Ut enim finis veteris hominis mors est, sic finis novi hominis vita æterna. Ille namque homo peccati est, iste justitiæ. »

13. SCRIBO VOBIS, PATRES, QUONIAM COGNOVISTIS EUM QUI AB INITIO EST. — A filiis transit ad patres, id est, grandævos et senes : hi gloriari solent se multa vidisse et expertos esse, juxta illud *Job* XII, 12 : « In antiquis est sapientia, et in multo tempore prudentia. » His proinde antiquis accommode ad suum genium gratulatur S. Joannes, quod cognoverint antiquum dierum, puta Deum, qui « ab initio, » hoc est ab æterno « est. » Nam, ut ait S. Augustinus : « Novus est Christus in carne, sed antiquus in divinitate ; » qui et addit : « Mementote vos patres esse. Si obliviscamini eum qui a principio est, perdidistis paternitatem. »

SCRIBO VOBIS, ADOLESCENTES, QUONIAM VICISTIS MALIGNUM. — Ab utraque ætate extrema, scilicet puerili et senili, transit ad mediam, puta adolescentiam. Hæc gloriatur in viribus, gaudetque luctis et pugnis, in quibus suum robur exerat et ostentet : hæc etiam ob sanguinis fervorem abundat concupiscentiis, quas dæmon accendit, cum quibus et assidue luctandum est. Adolescentibus ergo gratulatur quod vicerint malignum, puta dæmonem, cum suis quas suscitat concupiscentiis. Loquitur enim adolescentibus Christianis christiane viventibus, qui per Christi gratiam tentationes fortiter illo ævo superabant : quales fuere virgines (sub adolescentibus enim utrumque sexum, puta adolescentulas quoque intelligit) quæ protractæ ad lupanar fortiter pro virginitate decertarunt, ideoque illæsæ et intactæ pene omnes a Deo per miraculum conservatæ sunt, uti fuit S. Agnes, S. Lucia, S. Agatha et aliæ innumeræ. Talis quoque fuit adolescens, qui, ut scribit S. Hieronymus in *Vita S. Pauli* primi Eremitæ, a persecutore ligatus inter rosas et lilia, a speciosa meretrice impudicis tactibus sollicitatus est ad scelus. « Quid faceret, ait, miles Christi, et quo se verteret nesciebat : quem tormenta non vicerunt, superabat voluptas ; tandem cœlitus inspiratus præcisam morsu linguam in osculantis se faciem expuit, ac sic libidinis sensum succedens doloris magnitudo superavit. » Hæc fortitudo et victoria suggeritur a Christo, unde ait Paulus : « Qui dat nobis victoriam per Christum, » I *Corinth.* XV, 57. Et S. Augustinus hic : « Si malignus, ait, a juvenibus vincitur, pugnat nobiscum : pugnat, sed non expugnat ; quare ? quia nos sumus fortes, an quia ille est fortis in nobis, qui inter manus persequentium infirmus inventus est ? Ille nos fortes fecit, qui persequentibus non restitit : crucifixus est enim ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei. »

14. SCRIBO VOBIS, INFANTES. — More suo S. Joannes redit in orbem, singulisque ætatibus repetit quod dixit, sed aliis verbis, ut id eis inculcet. Quos enim, vers. 12, vocavit τεκνία, id est *filiolos,* hic vocat παιδία, id est *pueros, puellos,* quos Noster vocat *infantes.* Sic *Job* cap. XXI, 11, dicitur : « Infantes eorum exultant lusibus ; » *infantes,* græce παιδία id est *pueri* : nam infantes proprie dicti, uti fari, ita saltare nequeunt. Sic Plinius, lib. IX, cap. VIII, ait delphinos gestare fœtus in infantia, id est in pueritia, ideoque infirmos. Et lib. XXII, cap. XXII : « Nec tunicæ, ait, gratia minor in cibo infantis, » id est parvi, et nondum adulti « boleti. » Sic Cicero, *De Claris Orator.,* ait Scipionem non fuisse infantem, id est infacundum.

QUONIAM COGNOVISTIS PATREM. — Dum didicistis Symbolum, dicentes : « Credo in Deum Patrem omnipotentem. »

Moraliter : Pulchre Catharinus : « Incipientium

vita, ait, est esse quodammodo sub Patre, qui blanditiis et paternis foveat complexibus, prohibens tantisper duriores tentationes; postea ut crescant ac plenius erudiantur tradit Filio, demum hic Spiritui Sancto confirmandos et perficiendos. »

Post : « Scribo vobis, infantes, » subjiciunt antiqui codices : « Scribo vobis, patres, quia cognovistis eum qui ab initio est. » Suffragantur codices Græci et Syri : adstipulantur Augustinus, Beda, Thomas et Œcumenius. Audi Franciscum Lucam in *Notat.* hic : « Videtur hic versiculus omissus fuisse, tum quia proxime præcedenti verbis ac re simillimus est, tum quia paulo ante idem prorsus lectus est. Cum enim Apostolus omni animum addidisset ætati, ut servatoris aucta beneficiis in Domino gauderet, glorieturque cupiens majori id pondere mentes penetrare, fixumque inhærere, iterum idipsum egit. Et infantes quidem sive pueri, atque adolescentes, quos plerique libri *juvenes* hic vocant (Græcis eadem est vox quæ prius νεανίσκοι) ab omnibus concorditer repetuntur : patres, sive senes, cur præteriti sint? an quod sufficeret senes, quippe per se sapientes, semel monuisse? una est Complutensis editio Græca (Regia namque eadem est) quæ, vulgaribus Latinorum codicibus similiter, omittat. »

SCRIBO VOBIS; JUVENES (Græce νεανίσκοι, quos vers. 13 Noster vertit *adolescentes,* gaudete, gratias agite Deo, eumque colite et diligite), QUONIAM FORTES ESTIS (græce ἰσχυροί, id est, *viribus validi,* ideoque) VICISTIS MALIGNUM. — Græce τὸν πονηρόν, id est, *illum malignum* antonomastice, puta principem et caput malignitatis, scilicet Diabolum, *q. d.,* ait S. Augustinus : « Scribo vobis, juvenes, etiam atque etiam considerate, quia juvenes estis : pugnate, ut vincatis; vincite, ut coronemini; humiles estote, ne cadatis in pugna, » etc. Et rursum : « Magna gratiæ commendatio, fratres mei, corda instruit humilium, ora obstruit superborum. »

ET VERBUM DEI MANET IN VOBIS. — *q. d.* Custoditis Dei verba et præcepta, quæ vobis ego et socii mei prædicavimus, et in hac custodia manetis et perseveratis. Alii Verbum increatum et incarnatum accipiunt, puta Christum, *q. d.* In Christi fide et amore persistitis per ipsius gratiam, ideoque statis fortes et constantes contra omnes hostium insultus, ac vincitis malignum. Audi Œcumenium : « Adolescentibus et juvenibus, qui robusti cum sint, ad luctam et certamina instruendi sunt, victoriæ gloriam attestatus, eos generosis ac militaribus collocutionibus indigere ostendit. » Et S. Prosper, epist. *ad Demetriadem,* quæ habetur lib. II epist. S. Ambrosii, num. 33 : « Operante, inquit, spiritu Dei juvatur arbitrium, non aufertur; hoc agit gratia, ut voluntas peccato corrupta, vanitatibus ebria, seductionibus circumscripta, difficultatibus impedita non remaneat in languoribus suis, sed per opem miserantis medici curata revalescat. » Et mox nonnullis interjectis : « Vigilant tentatoris insidiæ, ut ubi proficit devotio, subrepat elatio, et ut homo de bono opere in se potius, quam in Domino glorietur. Sed Apostolus nos contra hoc periculum monet, dicens : Cum timore et tremore salutem vestram operamini; Deus est enim qui operatur in vobis et velle et operari pro bona voluntate. Quanto ergo excellentius mandatis Dei quique proficiunt, tanto majores habent causas formidinis et tremoris; ne de ipsis probitatis augmentis mens sibi bene conscia, et laudis avida, in superbiæ rapiatur excessus, et fiat immunda vanitate, dum sibi videtur clara virtute. »

15. NOLITE DILIGERE MUNDUM. — Suasit amorem Dei, nunc suadet odium mundi, quia amor mundi parit odium Dei. Audi S. Augustinum : « Duo sunt amores, mundi et Dei : si mundi amor habitet, non est qua intret amor Dei. Recedat amor mundi, et habitet Dei : melior accipiat locum. Amabas mundum, noli amare mundum; cum exhauseris cor tuum amore terreno, hauries amorem divinum, et incipiet habitare jam charitas, de qua nihil mali potest procedere. Audite ergo verba purgantis, modo quasi agrum invenit corda hominum, sed quomodo invenit? Si silvam invenit, extirpat; si agrum purgatum invenit, plantat : plantare ibi vult arborem charitatem. Et quam silvam vult extirpare? amorem mundi. Audi extirpationem silvæ : Nolite diligere mundum. » Vers. 15.

Mundi descriptio.

Isaias Abbas, orat. 21 *De Pœnitentia,* cum ex eo quidam quæreret : « Quid esset mundus? respondit : « Mundus est, animi ad peccata destructio. Mundus est, cum ea quæ naturæ contraria sunt sequimur. Mundus est, cum carnis voluptates implemus. Mundus est, cum arbitramur diu nos in hoc sæculo permansuros. Mundus est, cum majorem corporis quam animæ curam gerimus. Mundus est, cum iis quæ caduca sunt gloriamur. Non ex me ipso ista confingo; sed Joannes Apostolus ita loquitur : Nolite diligere mundum, etc., quoniam omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ. » Quocirca S. Augustinus hic : « Charissimi, ait, in hac valle miseriæ, nihil tam pulchrum, tam delectabile possideatis, quo animus vester omnino occupetur. Fuge mundum, si vis esse mundus : si tu es mundus, jam non delectat te mundus. Fuge creaturas, si vis habere Creatorem. Omnis creatura vilescat, ut Creator in corde dulcescat. »

Vide S. Augustinum, lib. *De Contemptu mundi et de Fuga sæculi;* S. Ambrosium, *De Fuga sæculi;* S. Cyprianum, *De Mortal.;* S. Eucherium, epist. *ad Valerianum,* qui eleganter et pie docet quam vana sint et contemnenda omnia mundi bona.

SI QUIS DILIGIT MUNDUM, NON EST CHARITAS PATRIS IN EO. — Consonat S. Jacobus, cap. IV, vers. 4 :

« Adulteri, nescitis quia amicitia hujus mundi inimica est Dei? Quicumque ergo voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur. » Vide ibi dicta. Deus enim vult diligi « ex toto corde, ex tota anima, ex tota virtute. » Quare non patitur partiri cor et amorem nostrum, ut partem ejus demus Deo, partem mundo; sed totum sibi reddi vult, qui totum creavit et dedit. « Duo namque, ait S. Leo, serm. 5 *De Jejunio* 7 *mensis*, amores sunt, ex quibus prodeunt omnes voluntates, ita diversæ qualitatibus, sicut dividuntur auctoribus. Rationabilis enim animus, qui sine dilectione esse non potest, aut Dei amator est, aut mundi. In dilectione Dei nulla nimia, in dilectione autem mundi cuncta sunt noxia. Et ideo æternis bonis inseparabiliter inhærendum, temporalibus vero transeunter utendum est, ut peregrinantibus nobis, et ad patriam redire properantibus, quidquid de prosperitatibus mundi hujus occurrerit, viaticum sit itineris, non illecebræ mansionis. »

Vers. 16. 16. QUONIAM OMNE QUOD EST IN MUNDO, CONCUPISCENTIA CARNIS EST, ET CONCUPISCENTIA OCULORUM, ET SUPERBIA VITÆ. — Dices, in mundo proprie non est concupiscentia; hæc enim est in animabus et hominibus concupiscentibus. Respondeo, mundus tripliciter accipitur.

Mundus triplex. Primus. *Primo*, pro hominibus mundanis, mundique bona et illecebras sectantibus : in his proprie est concupiscentia; sic dicitur : « Mundus eum non cognovit : » mundus, id est mundani, mundi amatores, *Joan.* I, 10. Et : « Mundus vos odit, » *Joan.* XVI, 18. Sic S. Augustinus in *Psal.* LIV : « Ne forte, inquit, cum dixisset mundi, intelligeres dæmones esse rectores cœli et terræ; mundi dixit, tenebrarum harum; mundi dixit, amatorum mundi; mundi dixit, impiorum et iniquorum mundi, » et pro his passim in Evangelio S. Joannis accipit nomen *mundus*.

Secundus. *Secundo*, « mundus » proprie et physice significat mundum hunc creatum, puta orbem hunc sublunarem, terram hanc in qua vivimus et versamur : in hoc mundo, utpote inanimi, proprie et formaliter non est concupiscentia, utpote animata et viva; sed in eo est concupiscentia materialis, id est, objectum concupiscibile, quod hominum concupiscentiam irritat et ad se invitat, ut opes, deliciæ, honores. Est metonymia. Simili tropo Deus dicitur amor et timor noster, id est, objectum amoris et timoris nostri, puta quem amamus, timemus et reveremur. Porro quidquid est in mundo hoc, subaudi visibile et sensibile, hoc pariter est concupiscibile; omne enim sensibile sensum afficit, allicit et illicit in sui amorem et concupiscentiam : alioquin in mundo quoque sunt angeli, Sancti, virtutes, etc. Verum hæc visibilia et sensibilia, sensusque irritantia ideoque concupiscibilia non sunt, sed amabilia et venerabilia.

Tertius. *Tertio*, « mundus » sumi potest promissa mundana vita, vel mundana concupiscentia in genere; in hac enim generica concupiscentia continentur tres specificæ, sive tres ejus species, puta concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum et superbia vitæ. Hoc est totum quasi corpus concupiscentiæ et peccati, ex tribus hisce partibus quasi membris compactum et integratum. Hic est quasi mundus vitiorum, quatuor suis elementis constans : terra enim est concupiscentia carnis, aer et aqua est concupiscentia oculorum, ignis est superbia vitæ, quæ ardet desiderio dominandi omnibus. Vel, ut aiebat S. Antonius de Padua : « Terra est avaritia, aqua est luxuria, aer est inconstantia, ignis est superbia. » Sicut ergo partes sunt in toto, species in genere, membra in corpore, elementa in mundo : sic hæ tres concupiscentiæ particulares sunt in ipsa concupiscentia generali, quasi in generali complexu. Unde de ea subdit, vers. 16 : « Quæ non est ex Patre, sed ex mundo, » id est, mundano vitio et concupiscentia.

Omnibus hisce modis « mundus » hic accipi potest, et S. Joannes nunc ad unum, nunc ad alterum respicit; ludit enim in voce *mundus*.

Secunda tamen expositio uti simplicior, ita germanior est. De mundo enim hoc paulo ante dixit : « Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. » Non diligimus autem nec concupiscimus ipsam concupiscentiam, sed bona concupiscibilia, quæ in mundo sunt, puta opes, voluptates, honores. Ab his enim animum fidelium avocare vult S. Joannes, quia illa omnium peccatorum radices et fontes sunt, jubetque ut eum transferant in Deum, ut eum ament et bona cœlestia. Rursum, quia mundum a concupiscentia distinguit, dicens vers. 17 : « Et mundus transit, et concupiscentia ejus. » Ergo mundum hunc physicum accipit.

Sensus ergo est, *q. d.* Nolite diligere mundum hunc, bonaque mundo contenta, quia quidquid spectabili hoc mundo continetur, aut carnis cupidinibus et illecebris animum emollit et inquinat, aut opum cupiditate accendit, aut superbia et fastu extollit : quæ omnia sunt a Deo Patre ejusque amore aliena, atque ad hæc caduca mundi bona, vel potius bonorum umbras et simulacra pertinent.

Nota *primo* : Sicut concupiscentia oculorum est avaritia et curiositas, ita concupiscibile oculorum est aurum, argentum, gemmæ, prædia, opes, res curiosæ et pretiosæ, etc., quas concupiscit avarus et avaritia. Ita S. Augustinus, lib. III *De Symbolo*, cap. I : « Ad concupiscentiam carnis, ait, pertinent illecebræ voluptatum, ad concupiscentiam oculorum nugacitas spectaculorum, ad ambitionem sæculi insania superbiæ. » Dicitur « oculorum, » tum quia oculos irritat, et per oculos phantasiam et mentem. « Oculi, ait S. Augustinus in *Psalm.* XLI, membra carnis sunt, fenestræ sunt mentis; interior est qui per eas videt; » tum quia oculos tantum pascit; tum quia fere solis oculis

tenetur et possidetur. Avarus enim recondit opes, nec audet eas expendere, iisque frui, sed eas habet in arca ; unde non alium earum usum et fructum habet, quam quod subinde eas oculis lustrare et intueri cum voluptate possit, quæ sane ingens est miseria et fatuitas. Pari enim modo intueri posset aurum, argentum et gemmas in templis, iisque se pascere ; opibus vero propriis magis se pasceret, iisque frueretur, si eas in proprium amicorum et pauperum commodum, usumque et gustum expenderet.

Secundo, sicut concupiscentia carnis est gula et luxuria, ita concupiscibile carnis est vinum, cibus delicatus, mulier et res veneræ, quas concupiscit gulosus et luxuriosus. Dicitur « carnis, » quia carnem titillat et irritat, et quia carne tenetur et possidetur. Unde patet quam vilis, exigua, brevis et sordida sit : vilis, quia similis bestiis : hæ enim non nisi carnis oblectamenta quærunt ; exigua, quia spiritum et mentem non pascit, sed solam carnem, quæ per se inanimis et insensibilis est ; brevis, quia illico ut cibus transit per palatum, transit gulæ voluptas. Idem est de luxuria sordida, quia desinit in sputa, stercora, vomitus, vomicas, putredines, febres, dysenterias aliosque graves et fœtidos morbos. Unde S. Augustinus, lib. *De Vera Relig.,* cap. LV : « Non diligamus, ait, per carnis voluptatem corrumpere aut corrumpi, ne ad miserabiliorem corruptionem dolorum tormentorumque veniamus. » Sic Apostolus desideria et opera carnis opponit desideriis et operibus spiritus, *ad Galat.* V, 17 ; de quo vide Cassianum, *Collat.* IV, cap. X.

Tertio, sicut superbia vitæ est ambitio, fastus, appetitus excellentiæ et gloriæ, ita concupiscibile hujus superbiæ sunt superbæ vestes, palatia, famuli, rhedæ, dignitates, magistratus, prælaturæ, etc. Superbum graphice depingit Seneca in *Thyeste,* Actu V :

> Æqualis, *inquit,* astris gradior, et cunctos super
> Altum superbos vertice attingens polum.

Græce est ἀλαζονεία τοῦ βίου, quod Tigurina vertit, *fastus vitæ ;* Vatablus, *arrogantia,* insolentia et ostentatio facultatum ad vitæ sustentationem pertinentium ; Syrus, *fastus mundi ;* SS. Augustinus et Cyprianus, *ambitio sæculi ;* alii, *honoris, laudis et imperii cupiditas ;* alii, *jactantia,* gloriatio, suique venditatio et prædicatio. Omnia hæc apposita sunt : inde enim dicitur ταὼς ἀλάζων, id est *pavo superbus,* dum alas suas explicans pompatice incedit, qui est vera superbi et superbiæ imago, juxta illud Ovidii, XIII *Metamorph.* :

> Laudato pavone superbior.

Præclare S. Bernardus in Psalm. *Qui habitat,* serm. 6 : « Ambitio, ait, subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli opifex, mater hypocrisis, livoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, virtutum ærugo, tinea sanctitatis, excæcatrix cordium, ex remediis morbos creans, generans ex medicina languorem. » Unde ambitio vocatur « cos pravitatis, » quia omnia vitia excitat et exacuit, a S. Basilio, serm. *Ne affixi simus temporal.* Vide S. Gregorium, XIV *Moral.,* lib. XXXI, cap. XVII.

Hæ ergo tres passiones et concupiscentiæ sunt tres fontes omnium tentationum et peccatorum ; de quibus vide S. Augustinum, lib. X *Confess.,* cap. XXX et seq., et S. Thomam, I II, *Quæst.* LXXV, art. 5. Vere Poeta :

> Ambitiosus honos, et opes, et fœda voluptas,
> Hæc tria pro trino numine mundus habet.

Quocirca hisce tribus primitus serpens tentavit Adam et Evam protoplastos nostros : concupiscentia carnis, cum persuasit eis comedere de ligno vetito ; oculorum, cum eis falso promisit : « Aperientur oculi vestri ; » superbia vitæ, cum eis falso itidem pollicitus est : « Eritis sicut dii, » *Gen.* III. Ita S. Prosper, lib. II *De Vita contempl.,* cap. XIX. Iisdem diabolus tentavit Christum, *Matth.* IV : concupiscentia carnis, cum ei dixit : « Dic ut lapides isti panes fiant ; » at Christus eum repulit, dicens : « Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. » Superbia vitæ, puta cum eum ad inanem gloriam aucupandam ursit, ut de fastigio templi præcipitaret se, quod angelis Deus mandasset de eo ; sed abegit eum Christus, dicens : « Non tentabis Dominum Deum tuum. » Concupiscentia oculorum, cum ostendens ei omnia regna mundi et gloriam eorum, dixit : « Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me. » Sed profligavit eum Christus dicens : « Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies, » *Matth.* IV. Ita S. Augustinus, lib. *De Vera Relig.,* cap. XXXVIII.

Porro triplex hæc concupiscentia opponitur SS. Trinitati : concupiscentia oculorum, id est avaritia, Deo Patri : ipse enim est liberalissimus ; nam suam essentiam omniaque sua communicat Filio et Spiritui Sancto essentialiter, creaturis vero participative. Concupiscentia carnis opponitur Filio, cujus generatio non est carnalis, sed spiritalis ; gignitur enim a mente Patris, quasi Verbum, ideoque purissimus est Spiritus, ac omnis impuritatis carnalis osor et hostis. Superbia vitæ opponitur Spiritui Sancto, quia ipse est spiritus humilitatis et lenitatis. Rursum eadem opponitur tribus primariis virtutibus : nimirum concupiscentia carnis continentiæ, puta sobrietati et castitati ; concupiscentia oculorum, charitati et beneficentiæ ; superbia vitæ, humilitati. Plura vide apud S. Bernardum, serm. *in Octava Paschæ,* et serm. *De Diligendo Deo.*

QUÆ NON EST EX PATRE, SED EX MUNDO EST. — Τὸ *quæ* refer non tantum ad superbiam vitæ, sed ad concupiscentiam triplicem jam dictam. Unde Syrus in plurali vertit, *quæ non sunt ex Patre, sed ex ipso mundo.* Porro concupiscentia est ex mundo, id est, ex mundi et mundanorum corruptione et

vitio, qui rebus mundi nimio amore adhærent. Unde S. Cyprianus, tract. *De Mortal.* et alibi, legit : « Sed ex concupiscentia mundi aut sæculi. » Ludit enim eleganter S. Joannes in voce *mundus* hic, æque ac in *Evangelii* cap. I, vers. 10, dicens : « In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. » Prius enim mundum vocat orbem, posterius mundum vocat amatores mundi. Et cap. XVII, vers. 9 : «Non pro mundo, » id est mundo deditis, «rogo, sed pro his quos dedisti mihi, etc. Et jam non sum in mundo, et hi in mundo sunt, » puta in orbe hoc. Simili modo ludit Paulus in voce *peccatum*, dicens : «Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum, » id est, hostiam pro peccato, « fecit, » II *Corinth.* V, 21. Et « Christus de peccato damnavit peccatum, » *Rom.* VIII, 3. Sicut ergo caro in Scriptura sæpe significat carnis corruptionem, concupiscentiam et vitia : sic pariter mundus significat mundi, id est hominum mundanorum corruptos mores et amores.

Dat rationem cur mundus mundique concupiscentia non sit diligenda, quia scilicet non est ex Deo, sed ex mundo, id est ex mundana vita. Sub concupiscentia accipe bonum concupiscibile : hoc enim natum est ex concupiscentia. Hæc enim fecit ut res bona fieret concupiscibilis, perinde ac æstimatio et appretiatio hominum ponit pretium auro, argento cæterisque rebus. Unde ante Adami peccatum nullum erat in orbe bonum concupiscibile, sed Adam peccans et concupiscens fecit illud concupiscibile.

Concupiscentia ergo et bona concupiscibilia nata sunt ex Adamo concupiscente et peccante ; nam ab eo trahimus cum peccato originali concupiscentiam, indeque consequenter fit ut mundus hic fiat nobis objectum concupiscibile, ut scilicet opes, honores, deliciæ, etc., a Deo in bonum hominis creatæ, vertantur nobis in illecebras et irritamenta concupiscentiæ, dum eas nimio et immoderato amore appetimus et concupiscimus, juxta illud : « Creaturæ Dei factæ sunt in laqueum, et in tentationem animabus hominum, et in muscipulam pedibus insipientium, » *Sapient.* XIV, 11. Et cap. IV, vers. 12 : « Fascinatio, ait, nugacitatis obscurat bona, et inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum sine malitia, *q. d.* Fascinum vanitatis vel concupiscentiæ obscurat ea quæ honesta sunt. Species enim voluptatis, quæ est in concupiscentia et vanitate peccati, fascinat mentem, ut peccati turpitudinem et pœnas non videat, nec virtutis pulchritudinem et præmia consideret : vide dicta *Jacobi* I, 14.

Porro, quia concupiscentia et peccatum Adæ factum est instigante dæmone, hinc Œcumenius τὸ *ex mundo*, exponit *ex dæmone*. « Si vero, inquit, pravus opponitur bono Patri, qui concupiscentiis mundi servit, non est ex Patre, sed ex mundo. Eum qui ex Patre non est, sed ex mundo, ex diabolo esse perspicuum est. Quemadmodum in Evangeliis quoque ad Judæos ait : Vos ex patre diabolo estis, hoc est, mundanis studiis, quorum diabolus est et sator et cultor. »

Ita dæmon sæpe a S. Joanne vocatur « princeps mundi » in *Evangel.*, ut cap. XI, vers. 31; cap. XIV, vers. 30; cap. XVI, vers. 11.

17. ET MUNDUS TRANSIT ET CONCUPISCENTIA EJUS. — *Et*, id est *quia* : ita enim sæpe sumitur Hebr. *vau*, id est *et* ; est enim hic secunda ratio, cur mundus non sit diligendus, quia scilicet transit æque ac omnis concupiscentia ejus, id est, omne quod in eo est delectabile et concupiscibile, ut opes, deliciæ, voluptates, honores. Hoc est quod ait Christus : « Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt, » *Matth.* XXIV, 35. Et Paulus : « Præterit enim figura hujus mundi, » I *Corinth.* VII, 31. Et S. Petrus, *epistola* II, cap. III, vers. 11 : « Cum igitur hæc omnia dissolvenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus et pietatibus exspectantes, et properantes in adventum diei Domini. » Plura vide *Sapient.* V, 9 et seqq., et S. Bernardum, *epist.* 107, et Nazianzenum, *De Vitæ itiner.*, ac Plutarchum in *Orat. consolat.*, et Senecam, lib. *De Brevit. vitæ.*

Porro mundus transit, quia tempus transit : mundus enim alligatus est tempori quasi suæ mensuræ, mensuratur enim tempore. Sicut ergo transit hora, dies, annus, et sol transit ab Oriente ad Occidentem : sic transit et mundus. « Truditur dies die, » ait Horatius, mensis mense, annus anno ; et Ovidius, lib. III *De Arte* :

Venturæ memores jam nunc estote senectæ,
Sic nullum vobis tempus abibit iners.
Dum licet, et veros etiam nunc editis annos,
Ludite : eunt anni more fluentis aquæ.
Nec quæ præteriit rursum revocabitur unda,
Nec quæ præteriit hora redire potest.
Utendum est ætate, cito pede labitur ætas :
Nec bona tam sequitur, quam bona prima fuit.

Et Virgilius, III *Georg.* :

Fluxere interea pede tempora lapsa fugaci.

Præclare S. Hieronymus, *epist.* 3 : « Debemus, ait, nos animo præmeditari, quod aliquando futuri sumus, et quod, velimus nolimus, abesse longius non potest. Nam si nongentos vitæ excederemus annos, ut ante diluvium humanum vivebat genus, et Mathusalem nobis tempora donarentur, tamen nihil esset præterita longitudo, quæ esse desiisset : etenim inter eum qui decem vixit annos, et eum qui mille, postquam idem vitæ finis advenerit, et irrecusabilis mortis necessitas, transactum omne tantumdem est, nisi quod senex magis onustus peccatorum fasce proficiscitur. » S. Cyprianus, lib. *ad Demetrium*, fuse ostendit mundum senescere. « Deficit, ait, in agris agricola, in mari nauta, miles in castris, innocentia in foro, justitia in judicio, in amicitiis concordia, in artibus peritia, in moribus disciplina. » Et mox : « Hæc sententia mundo data est, ut om-

nia orta occidant, et aucta senescant, et infirmentur fortia, et magna minuantur, et cum infirmata et diminuta fuerint, finiantur. » Et S. Anselmus in cap. XII *ad Rom.* : « Nolite, ait, constanter mundum diligere; quando ipse quem diligitis non potest constare : incassum cor quasi manenter figitis, dum fugit ipse quem amatis. » Hæc ratio est a posteriori : tempus enim saltem natura posterius est mundo, perinde ac duratio posterior est re quæ durat. Prius ergo est mundum transire, quam tempus; sed a posteriori recte colligas : Transit tempus, ergo et mundus. Ratio a priori cur mundus transeat, est, quia creatus est ex non ente sive nihilo; unde a Deo accepit esse participatum, ideoque tenue et mutabile, quod proinde natura sua tendit ad non esse, ut eo redeat unde venit.

Ex adverso æternitas est propria Deo, quia Deus habet esse per se increatum, ideoque stabile, constans, immutabile et æternum. Rursum mundus non est simplex, sed compositus, partim ex variis corporibus, partim ex materia et forma, partim ex actu et potentia, partim ex substantia et accidente, partim ex aliis corporibus, uti mixta constant elementis; omne autem compositum in suas partes quibus constat, quasi in sua principia et elementa resolvitur. Causa finalis est, ut a creaturis transeuntibus et mutabilibus mentem transferamus ad immutabilem, semperque stantem Creatorem. Hoc enim mutabilitate sua quasi muta voce inclamant omnes creaturæ, imo cor nostrum, juxta illud S. Augustini, lib. I *Confess.*, cap. I : « Fecisti nos, Domine, ad te, et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te. » Hanc causam subdit Joannes dicens :

QUI AUTEM FACIT VOLUNTATEM DEI, MANET IN ÆTERNUM, — tum quia anima semper manet, quæ migrans e corpore, si fecit voluntatem Dei, beabitur in æternum; tum quia corpus post mortem mox resurget immortale et gloriosum : sic enim Deus statuit et suis promisit. Hoc est quod ait Psaltes *Psalm.* CXVIII, vers. 96 : « Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis. » Et Christus : « Si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit in æternum, » *Joann.* V, 52. Ratio a priori est, quia amor instar chamæleontis amantem conformat rei amatæ; amor enim est animæ impulsus et quasi exitus in rem amatam : intellectio vero et cognitio e contrario est introitus et ingressus rei cognitæ in intellectum cognoscentem. Ita S. Augustinus : « Talis, ait, est quisque, qualis ejus dilectio est. Terram diligis, terra eris. Deum diligis, quid dicam, Deus eris? non audeo dicere ex me : Scripturas audiamus. Ego dixi : Dii estis, et filii Altissimi omnes. Si ergo vultis esse dii et filii Altissimi, nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. » Res enim amata hic est Deus, Deique voluntas, quæ est stabilis et æterna; ergo et amans eam evadit æternus Id insinuat Oseas cap. IX, vers. 10, dicens : « Facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt. » Hebræus, *sicut amores eorum*. Et Jeremias, *Thren.* I, 8 : « Peccatum peccavit Jerusalem, ideo instabilis facta est. » Vide ibi dicta. Vis ergo esse æternus? ama bonum æternum. Vis perpetuo frui re amata? ama rem æternam. Si enim amas rem caducam et labilem, cades, transibis et laberis cum labili; sin mentem et amorem figas in re stabili, cœlesti, divina, æterna, evades stabilis, cœlestis, divinus, æternus. Hæc est sapientia vera et sapientia Sanctorum. Fatui ergo sunt mundi amatores, qui pro stabilibus amant transitoria, pro æternis caduca, pro cœlestibus terrena, pro divinis humana, pro increatis creata; ideoque cum eis transeunt, imo pereunt et cruciantur in æternum. « Filii hominum, ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? » Ut quid non res, sed inanes et fugaces rerum opumque umbras sectamini? Tenere umbram non potestis, nec opes et honores umbraticos tenere poteritis. Da, Domine, nobis hanc sapientiam, « ut inter mundanas varietates, ibi nostra fixa sint corda, ubi vera sunt gaudia. »

Præclare S. Augustinus hic : « Quare, ait, non amem quod fecit Deus? Quid vis? utrum amare temporalia, et transire cum tempore; an mundum non amare, et in æternum vivere cum Deo? » Deinde amatores mundi plusquam Dei, cum mundus a Deo creatus et datus sit ad hoc ut per eum homines recordarentur Dei creatoris, comparat cum sponsa quæ annulum aureum datum a sponso plus amat quam sponsum, qui sane adulterinus est amor, cum ipsa ad hoc eum dederit, « ut in arrha sua ipse ametur. Ergo dedit tibi Deus omnia ista, ama illum qui fecit ista. Plus est quod tibi vult dare, id est seipsum qui ista fecit : si autem amaveris hæc, quamvis illa Deus fecerit, et neglexeris Creatorem, et amaveris mundum, nonne tuus amor adulterinus deputabitur? » Et Didymus : « Quicumque, ait, omnia contemnit, et supra mundum erit diligens Deum, et faciens voluntatem ejus qui permanet in æternum. » Et mox : « Justitia immortalis est, sic enim scriptum est : Justitia ejus permanet in sæculum sæculi. » Et : « Quasi tempestas transiens non erit impius, justus quasi fundamentum sempiternum, » *Proverb.* X, 25.

Idem per umbram viderunt Philosophi. Audi Senecam, *epist.* 59 : « Quæcumque videmus ac tangimus, Plato in illis non numerat quæ esse proprie putat : fluunt enim, et in assidua diminutione atque adjectione sunt. » Idemque : « Omnia ista quæ sensibus serviunt, quæ nos accendunt et irritant, negat ex his esse quæ vere sint. » Itaque subdit Seneca : « Igitur ista imaginaria sunt, et ad tempus aliquam faciem ferunt : nihil horum stabile ac solidum est. » Et mox : « Mittamus animum ad illa quæ æterna sunt, miremur in sublime volitantes rerum formas, Deumque inter illas versantem. »

18. FILIOLI, NOVISSIMA HORA EST, etc. — Probat

id quod dixit vers. præced.: «Mundus transit, et concupiscentia ejus,» ex eo quod jam novissima sit mundi hora, id est, novissimum tempus. Est synecdoche : per *horam* enim, utpote usitatissimam temporis mensuram, significat ipsum tempus. Sensus est, *q. d.* Scitote, o fideles, novissimum jam mundi tempus instare, vel propemodum jam adesse, quo tempore Antichristum esse venturum sæpius audistis. Jam enim plures Antichristi in lucem prodierunt, quod signum est hanc ultimam esse mundi jam senescentis, imo pene agonizantis ætatem, et instare diem judicii; ac proinde cogitate vitam vestram in hoc mundo senescente non posse esse longam. Quare si sapitis, avellite vestram mentem et amorem a mundo, ejusque concupiscentiis vanis et caducis; eamque totam in res cœlestes et æternas, ac in Deum ipsum defigite, juxta illud Pauli : « Hora est jam nos de somno surgere,» *Roman.* XIII, 11. Rursum cum in mundi vitæque brevi hac hora tot instent ab hæreticis et impostoribus pericula, omni cura, attentione et sollicitudine cavete, ne ab eis in hæresim, impietatem et gehennam abducamini. Ita Œcumenius et Didymus : « Merito, inquit, ad proprium finem considerandum unumquemque inducit, ut quasi extrema vitæ hora unicuique instet, sobrietas subsequatur, atque ita vita immaculata et actionum puritas inter Christianos semper versetur, » juxta illud S. Petri, *epist.* II, cap. III, vers. 14 : « Propter quod, charissimi, hæc exspectantes, satagite immaculati et inviolati ei inveniri in pace; » nam, ut idem ait vers. 8 : « Apud Dominum mille anni sicut dies unus. » Vide ibi dicta.

Hora novissima quæ?

Nota : « Horam novissimam » vocat tempus novissimum. Ita Syrus, aut potius et magis præcise, hora non significat tempus, sed temporis unam partem. Tempus enim partimur in horas; novissima ergo hora est novissima temporis pars, sive ultima sæculi mundique ætas, de quo mox plura. Ita S. Augustinus, epist. 80 *ad Hesychium*. Dicitur novissima respectu originis et durationis mundi, ac præcedentium ejus partium, statuum et ætatum, si videlicet tempus omne ab origine mundi dividas in primum, medium et novissimum, ait ex S. Chrysostomo Œcumenius, puta in tempus legis naturæ, legis Mosaicæ et legis gratiæ. Vocat novissimam, ut significet hanc ultimam esse legem, religionem et statum Ecclesiæ, nec aliam exspectandam, uti exspectant Judæi suum Messiam, ejusque regnum et Ecclesiam.

Addit ex S. Chrysostomo Œcumenius : « vel novissima, inquit, id est pessima. » Sicut enim dicimus de ægro jam desperato : Iste æger ad extremum mali et morbi pervenit, sic de mundo dicit S. Joannes, eum ad novissimum, id est summum malorum pervenisse. « Extremam horam, inquit, appellavit, quasi pessimam dicas, ut quæ ultimo loco quasi fæx et sentina desederit. » Huc accedit Ribera in epist. *ad Hebr.* in cap. IX, num. 113 et seqq. : « tempus novissimum, » inquit, est tempus seductionis et impostorum, puta hæreticorum et Antichristianorum : horum enim caput erit Antichristus, qui novissima mundi ætate venturus est. Hæc expositio valde huic loco congrua et propria est : probat enim S. Joannes hanc esse ultimam mundi horam, id est ætatem, ex eo quod jam Antichristus, imo Antichristi multi exorti sint; Antichristus autem venturus sit ultima mundi ætate. Accedit Glossa, Cajetanus, Dionysius et alii, qui horam novissimam interpretantur similem novissimæ, quia scilicet hæreses et persecutiones suscitat, quales suscitabit finis mundi, puta Antichristus.

Porro, hæc novissima mundi hora, id est ætas, magnam habet latitudinem. Sicut enim primæ mundi hora, id est ætas, in lege naturæ duravit bis mille annos, ac totidem secunda in lege Mosis; sic pariter nonnulli conjectant quod totidem durabit ætas tertia in lege Christi, de quo plura *Apocal.* XX, 5 et 7. Quare falsi sunt primævi fideles, qui putabant instare diem judicii, ac Neronem censebant esse Antichristum, quos redarguit S. Paulus, II *Thessal.* II. Sic S. Cyprianus suo ævo censuit instare finem mundi, lib. IV *epist.* 6, et S. Hieronymus, *De Monogam.*, et S. Gregorius, lib. IV, *epist.* 38, et Lactantius, lib. VII, cap. XXV. Causam erroris indicabo *Apocal.* XX.

Sic « hora » sumitur pro ætate et sæculo, *Matth.* cap. XX, ubi Deus vocat operarios in vineam, id est, Ecclesiam suam, hora prima, sexta, nona et undecima diei, id est prima, secunda, tertia et quarta, sive ultima mundi ætate. Huc alludit S Joannes, et horam undecimam vocat novissimam. Ratio phrasis est hebraismus : Hebræi enim horam vocant עת *et*, id est *tempus*, quasi notissimam temporis partem, licet Chaldæi horæ proprium dent nomen שעה *scaa* a verbo שעה *scaa*, id est *respexit, intuitus est*; quod homines in actionibus suis respiciant ad horas, eisque actus suos dirigant et mensurent. Sic Christus ait *Joan.* cap. V, vers. 25 : « Venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, » *hora*, id est tempus. Et cap. IV, vers 21, *horam* vocat tempus Christi et legis novæ : « Venit hora, » id est tempus, « judicii ejus. » Familiaris est ergo S. Joanni hæc phrasis, ut omne hoc tempus ob brevitatem vocet *horam*. Sic et Latinis ac Græcis *hora*, teste Calepino, tempus significat, hoc est, quamcumque durationis partem, sive annuum, sive diurnum, sive nocturnum spatium complectens.

Hinc quatuor anni tempora, hoc est hiems, ver, æstas, autumnus, *horæ* dicuntur, juxta illud Horatii, lib. I *Carm.*, ode 12 :

Variisque mundum temperat horis.

Item partes ipsæ in quas distinctus est dies, similiter *horæ* vocantur. Hæ apud Hebræos erant quatuor, puta *prima*, quæ incipiebat cum ortu

diei; *tertia,* quæ post tres nostrates horas ab ortu solis; *sexta,* quæ in meridie; *nona,* quæ incipiebat post tres nostrates horas a meridie, et finiebatur in solis occasu. Unde et Romani noctem dividebant in quatuor vigilias, quasi horas. Postea tamen diem in duodecim horas partiti sunt, cujus partitionis hæc origo fuisse memoratur. Quodam tempore Hermes Trismegistus cum esset in Ægypto sacerdos, intuitus quoddam animal Serapi dicatum, eo quod illud in toto die duodecies urinam fecisset, pari semper interposito tempore, per duodecim horas diem dividi debere conjecit: ita ex Cicerone Pierius, *Hierog.* VI, cap. IV. Sic et Cynocephalus, qui per diem duodecies, puta horis singulis argutiore ululatu vociferatur, duodecim diei horas indicat, ait Pierius ibidem. Sic Plinius « horam anni » vocat partem anni, lib. IX, cap. XXXV; et Terentius in *Eunuch.* : « Hora abiit, » id est, tempus elapsum est. Hinc et Ovidius, II *Metamorph.,* horas fingit esse deas et ministras solis. Et Cicero, act. 3 *in Verrem* : « Ut cum horis nostris, inquit, nos essemus usi, tu binis ludis interpositis quadragesimo post die responderes. » Horas suas, ait Asconius, vocat dies viginti, qui accusatori dabantur ad accusandum legitimi, totidemque defensori. Hinc et Pierius, *Hierogl.* XXIX, cap. XVIII, ait Ægyptios significare horas per equum fluviatilem, qui stato tempore stata mensura agri partem depascitur; hora enim pro tempore cujuscumque maturitatis accipitur. Unde Græci omnes fructus æstivos horæos dicunt, et tempus maturitatis, per excellentiam vocant horam; ὥρα enim sive ὡραιότης est decor, pulchritudo, maturitas, tempestivitas, tempus florens et opportunum. Idem, lib. XXXIII *Hieroglyph.,* cap. XLIX, horas dictas censet ab Horo, rege Ægypti, qui a nomine suo quatuor anni tempora, quibus res quæque maturantur, horas vocitavit; quod deinde ad 24 diei horas translatum est, quas Homerus solis filias dixit : de quibus exstat fabula, scilicet Horomazenus 24 deos in ovum inclusisse : id cum Arimanii perforassent, bona malis immixta prodiisse, atque ita quantacumque fruamur jucunditate, serus quid vesper vehat nescire. Plura de hora dixi *Isaiæ* cap. XXXVIII, vers. 8.

Moraliter : Disce hic brevitatem vitæ. Si enim totum hoc mundi sæculum est una hora, eaque novissima, sane vita cujusque hominis, quæ hujus sæculi minima est portio, nequit esse amplius quam hora, imo horæ istius minima portio. Vis ergo nosse quanta sit ætas tua, qui tibi Nestoris annos promittis, imo ita vivis ac si æternus fores? Hora est, horaria est vita tua : horarii sumus omnes; senes sunt in ultima vitæ hora, imo horæ unius parte; juvenes horam integram longamque sperant et sibi pollicentur, sed sæpe in horæ exordio abripiuntur et moriuntur, juxta illud S. Hieronymi : « Juvenis potest cito mori, senex diu vivere non potest. » Hinc Gentiles horam juventutis et pulchritudinis deam vocabant. Audi Ennium :

Teque, Quirine Pater, veneror, horamque Quirini.

Hora ergo monet nos diligentiæ, ut diligentissimam temporis nobis concessi, utpote brevissimi instar horæ, rationem habeamus. Sic Cicero, act. 3 *in Verrem* : « Hic tu fortasse, ait, eris diligens, ne quam ego horam de meis legitimis horis remittam. » « Horis, inquit Asconius, mire dixit, cum sint dies, ut ostenderet nimiam diligentiam. » Cogita si medicus vel judex tibi diceret : Para te ad mortem, post horam enim certo morieris : quanto studio et sollicitudine conscientiam expiares, quantos actus contritionis et charitatis eliceres, quam omnia tua in bona opera expenderes. Idem facito nunc; vita enim tua non est nisi hora. Rursum, affligeris, ægrotas, fames, æstuas, calumniam sustines, etc.: tolera, modicum sustine; horaria erit afflictio, post horam transibis ad beatam æternitatem. « Tempus breve est, ait S. Paulus, I *Corinth.* VII, 29; reliquum est, ut qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur. » Quocirca hac Joannis sententia Melania Romanorum nobilissima et ditissima, suis persuasit omnia vendere, Roma excedere, ac proficisci in Terram Sanctam : « Filii, inquit, plusquam quadringentis abhinc annis scriptum est : Ultima hora est. Quid ergo lubentes ac volentes immoramini in vanitate vitæ? ne forte veniant dies Antichristi, et non possitis frui vestris opibus et rebus majorum vestrorum. » Dictitabat enim (ut existimabat) cum urbe orbem pariter esse ruiturum, ut recte advertit Baronius. Profecta ergo est cum suis Hierosolymam, ibique quadragesimo die defuncta est, ac mox Barbari Romam vastarunt, adeo ut Roma fieret ῥώμη, id est *vicus,* uti prædixerat Sibylla. Tunc ei credentes asseclæ « laudaverunt Deum, qui rerum mutatione persuasisset incredulis, quod aliis omnibus redactis in servitutem, eæ solæ salvæ fuerint familiæ, quæ Domino fuerunt holocausta studio beatæ Melaniæ, » ait Palladius in *Lausiaca,* cap. CXVIII. Porro hæc vastitas Romæ illata est ab Alarico, rege Gothorum, anno Christi 410. Simili modo *Apocal.* X, 6, angelus apparens S. Joanni jurat per viventem in sæcula sæculorum, « quia tempus non erit amplius : » de quo ibidem plura.

Denique præclare S. Basilius in *Moral.,* regula LXXX, cap. XXI, in fine : « Quid proprium, ait, Christiani? Quotidie ac singulis horis vigilare, et assidue paratum esse ad eam perfectionem, per quam placeat Deo, illud scientem, venturum esse Dominum illa hora, qua non sperat. »

ANTICHRISTUS VENIT. — De Antichristo, quis, qualis, et quando futurus sit, fuse et plene dixi II *Thessal.* II : non habeo quod illis addam.

ET NUNC ANTICHRISTI MULTI FACTI SUNT. — « Antichristi, » id est, contrarii Christo, et veri Antichristi prodromi, quia æque ut ille Christi fi-

dem, religionem; Ecclesiam, Sacramenta, etc., imo ipsam Christi personam et naturam impugnant. Notat enim hæreticos sui ævi, quorum alii negabant Christum esse Deum, alii esse verum hominem. Tales fuere Ebion, Cerinthus, Saturninus, Basilides, Menander, Simon hæreticorum primipilus, eorumque asseclæ : de quibus ait Paulus : « Mysterium jam operatur iniquitatis, » II *Thess.* II, 7. Vide ibi dicta. Vere S. Augustinus (vel potius Rabanus) tract. *De Antichr.* : « Antichristus, ait, multos habet suæ malignitatis ministros, ex quibus multi in mundo præcesserunt, qualis fuit Antiochus, Nero, Domitianus. Nos quoque nostro tempore Antichristos multos novimus esse. Quicumque enim sive laicus, sive canonicus, sive monachus contra justitiam vivit, et Ordinis sui gloriam impugnat, et quod bonum est blasphemat, Antichristus est, minister Satanæ. » Hæretici ergo sunt Antichristi. Ita S. Hilarius scribens ad Constantium Imperatorem Arianum, eum vocat Antichristum. Verba ejus citavi I *Petri* III, 14.

UNDE SCIMUS QUIA NOVISSIMA HORA EST, — *q. d.* Novissimo tempore veniet Antichristus; jam autem videmus præcursores hæreticos : unde signum est appropinquare tempus novissimum, sicut cum videntur præcursores regis et exercitus, signum est eum appropinquare; et cum in aurora videntur radii solis, signum est eum oriri. Ita Œcumenius : « Si Antichristum, ait, exspectamus, nunc autem Antichristi multi versantur in hac vita, manifestum est quod tempus consummationis immineat, dum multi Antichristi unum præcedunt iterque illi parant. »

Vers. 19. 19. EX NOBIS PRODIERUNT. — S. Augustinus et S. Cyprianus legunt *exierunt*; omnes enim hæretici fuerunt Catholici, vel veri, vel ficti : hæreticus enim est qui a fide Christi semel suscepta apostatat et abit in hæresim. Audi S. Cyprianum, lib. I, epist. 8, et *De Unit. Eccles.*, sive *De Simplic. Prælat.* : « Cohærere non potest amaritudo cum dulcedine, caligo cum lumine, pluvia cum serenitate, pugna cum pace, cum fecunditate sterilitas, cum fontibus siccitas, cum tranquillitate tempestas. Nemo existimet bonos de Ecclesia posse discedere : triticum non rapit ventus, nec arborem solida radice fundatam procella subvertit; inanes paleæ tempestate jactantur, invalidæ arbores turbinis incursione evertuntur. Hos execratur et percutit Joannes Apostolus, dicens : Exierunt ex nobis, sed non erant ex nobis; hinc hæreses factæ sunt frequenter, et fiunt, dum perversa mens non habet pacem, dum perfidia discordans non tenet unitatem. » Et S. Hieronymus : « Foras (inquit) prodeunt ut publice colant, quod intus prius venerabantur. » Et S. Augustinus : « Ipso (inquit) exponente (Joanne Apostolo) intelligetis non posse exire foras nisi Antichristos; eos autem qui non sunt Christo contrarii, foras exire nullo modo posse. Qui enim non est Christo contrarius, in corpore ipsius hæret, et membrum computatur. » Paulo autem post explicans quomodo quidam sint nobiscum, nec tamen sint ex nobis : « Sic sunt (inquit) in corpore Christi, quomodo humores mali quando evomuntur : tunc relevatur corpus; sic et mali quando exeunt, tunc Ecclesia relevatur; et dicit quando humores os evomit atque projicit corpus : Ex me exierunt isti, sed non erant ex me. Quid est, non erant ex me? non de carne mea præcisi sunt, sed pectus mihi premebant cum inessent. Ex nobis exierunt; sed nolite tristes esse, non erant ex nobis. »

NON ERANT EX NOBIS (quia, ut explicans subdit, nobiscum non erant permansuri, nisi ad tempus); NAM SI FUISSENT EX NOBIS, PERMANSISSENT UTIQUE NOBISCUM, — constanter et semper, *q. d.* Non erant veri, genuini et solidi Christiani, quia non habebant virtutem et constantiam Christianam; unde veram et genuinam indolem fidei, gratiæ et spiritus Christiani radicitus, id est constanter et stabiliter non imbiberant, ut eo se plane imbuerent ad fortiter resistendum omnibus tentationibus : hinc orta tentatione et persecutione illi cesserunt, fidem deseruerunt, factique sunt apostatæ : sicut herba quæ ex suo solo in aliud transplantatur, solis ardore percussa, illico arescit, quia non imbibit indolem et succum alterius soli. Sic I *Machab.* V, 62, de Josepho et Azaria, æmulis Judæ Machabæi dicitur : « Ipsi autem non erant ex semine virorum illorum per quos salus facta est in Israel, » *q. d.* Ipsi non erant Machabæi, non habebant indolem, prudentiam, fortitudinem et opem Dei, quam habebat Judas cum fratribus; unde Israelem non salvarunt, sed perdiderunt. Sic de civium suorum proditore dicebant Romani : Iste non est noster, non est Romanus, sed Pœnus, quia non habet Romanorum fidem, sed Pœnorum perfidiam. Sic Aman qui fuit Macedo, ut patet *Esther.* cap. XVI, vers. 10, ob barbaram tyrannidem vocatur « Bugæus » XII, 6, id est, Agagæus : inde enim per aphæresin fit Gogæus, inde Bogæus et Bugæus; nam litteram B interdum poni pro G testatur S. Hieronymus in *Locis Hebr.*, ubi Byblum apud Ezechielem ait poni pro Gobel, vel Hyblo. Sensus ergo est, *q. d.* Aman tyrannus et proditor non tam videtur esse Macedo, quam Agagæus, id est, oriundus ex stirpe Agag, ut habent Hebræa. Sic filius qui a patrum indole, affectu et virtute degenerat, dicitur non esse legitimus, sed spurius. Ita Saul Jonatham, utpote amicum Davidis sui hostis, vocat filium meretricis et spurium, I *Reg.* XX, 30. Sic Virgilius ait :

Apostatæ non erant ex nobis, quo sensu? Resp. Primo.

O vere Phrygiæ, neque enim Phryges;

secutus Homerum dicentem Ἀχαιδες, οὐκ ἐτ' Ἀχαιοι, *q. d.* « Estis Achivæ, non Achivi; » estis feminæ, non viri, quia a virili Achivorum robore degenerastis, effeminati estis et transformati in feminas. Sic apostatæ a Religione dicuntur non fuisse vere Religiosi, quia veram indolem, spiritum et constantiam Religionis non imbiberunt; si enim im-

bibissent, non deficerent. Ita S. Augustinus hic : « Tentatio, ait, probat quia non sunt ex nobis : quando illis tentatio venerit, velut occasione venti volant foras, quia grana non erant. » Talis fuit Judas, ait idem, tract. 50 *in Joannem* : « Judas, inquit, iste non tunc perversus factus est, quando a Judæis corruptus Dominum tradidit. Non tunc periit, jam fur erat, et Dominum perditus sequebatur, qui non corde, sed corpore Dominum sequebatur. » Unde idem Augustinus hoc loco : « De voluntate sua, ait, unusquisque aut Antichristus est, aut in Christo est : aut in membris sumus, aut in humoribus malis. Qui se in melius commutat, in corpore membrum est; qui autem in malitia permanet, humor malus est, et quando exierit, relevabuntur qui premebantur. »

Secundo, multi exponunt sic : « non erant ex nobis, » scilicet per Dei præscientiam et prædestinationem, hoc est, non erant a Deo prædestinati et electi, quia præsciti erant quod caderent et apostatarent. Hic sensus sequitur ex primo ; quia enim sua sponte suaque inconstantia casuri erant, hinc a Deo tales fore præsciti sunt. Quidquid enim futurum est, id præscitur a Deo : ita Clemens Alexandrinus, Œcumenius, Lyranus, Glossa, Hugo. Intellige hæc de præscientia et prædestinatione ad fidem, gratiam et Ecclesiam, non autem ad gloriam beatitudinis æternæ. Hoc enim secretum tangere noluit S. Joannes, præsertim quia nonnulli qui exciderunt a fide et Ecclesia, resipiscunt, ad eam redeunt et salvantur, uti contigit Berengario, ac hodie multis ab hæresi resipiscentibus ; ex adverso multi sunt manentque in Ecclesia reprobi, qui non sunt prædestinati ad gloriam, sed ad gehennam. S. Augustinus tamen, lib. *De Bono persever.*, cap. VIII, hæc accipit de prædestinatis ad gloriam et præscitis ad gehennam ; quia qui usque ad finem vitæ manet in fide, Ecclesia et gratia, hic est prædestinatus ad gloriam ; qui vero ante vitæ finem egreditur, nec regreditur, hic est præscitus ad gehennam. Et plerique omnes hæresiarchæ, excepto uno Berengario, semel egressi ab Ecclesia nunquam deinceps ad eam redeunt, unde sunt præsciti et reprobi. Porro cavendus est error aliquorum, qui hinc inferebant Dei reprobationem esse causam exitus ab Ecclesia, lapsus et damnationis reproborum, quem Semipelagiani falso impegerunt S. Augustino. Unde ipse se purgans, art. 12 in articulis sibi falso impositis : « Voluntate, ait, exierunt, voluntate ceciderunt ; et quia præsciti sunt casuri, non sunt prædestinati ; essent autem prædestinati, si essent reversuri, et in sanctitate ac veritate mansuri : ac per hoc prædestinatio Dei multis est causa standi, nemini causa labendi. »

Tertio, aliqui sic exponunt : « Non erant ex nobis, » quia antequam per apertum schisma vel hæresim exirent publice ex Ecclesia et fidelium cœtu, jam ante in animo occulte exierant. Exierunt ergo « ut publice colerent, quod intus prius venerabantur, » ait S. Hieronymus, lib. I *in Jerem.*, sub finem. Hæresis enim est apex impietatis ; nemo autem repente fit impiissimus, sed gradatim ad apicem evadit, uti docet egregie S. Cyprianus, lib. I, epist. 8, et *De Unitate Ecclesiæ*, ac S. Cyrillus, *catechesi* 6. Hunc sensum suadet id quod sequitur : « Sed ut manifesti sint, quoniam non sunt omnes ex nobis. »

Catharinus et Melchior Canus, lib. IV *De Locis*, cap. ult., ad 7, hoc accipiunt de solis Apostolis, *q. d.* Non erant ex nobis, id est, non erant ex numero Apostolorum. Verum hic sensus æquo est arctior ; nam S. Joannes generatim loquitur de cœtu fidelium.

Præmunit hic S. Joannes Christianos, ne turbentur si videant fideles, imo Episcopos, apostatare et fieri hæresiarchas. Idem suos præmonuit Paulus *Actor.* XX, 30. Certe noster Salmeron ex Climaco censet ex 120 qui receperunt Spiritum Sanctum in Pentecoste, *Actor.* II, quatuordecim factos esse hæresiarchas. Vide Vincentium Lirinensem, *Contra profanas hæres. novitates*, et Tertullianum, *De Præscript.*, cap. I et seq. : « Ex personis, ait, probamus fidem, an ex fide personas? Avolent igitur quantum volunt paleæ levis fidei : eo purior massa frumenti in horreum Domini reponetur. » Simul tacite S. Joannes monet fideles, ut cum metu et tremore salutem suam operentur, ut sint humiles, itaque constantiam a Deo emereantur, ne et de ipsis quandoque dicatur : « Prodierunt ex nobis, sed non erant ex nobis. » Hoc est quod ait Paulus *Rom.* XI, 20 : « Tu fide stas, noli altum sapere, sed time, etc., alioquin et tu excideris. »

SED UT MANIFESTI SINT, QUONIAM NON SUNT OMNES EX NOBIS. — Clare Syrus, *sed egressi sunt e nobis, ut innotescat eos ex nobis non fuisse, q. d.* Deus permisit eos apostatare ut proderetur eorum interna levitas, inconstantia, superbia, perfidia, quodque fidem, indolem et constantiam Christianam plane pleneque non imbiberant, ut eos jam publice suam hæresim et perfidiam prodentes, quasi pestes fugerent et caverent fideles. Hoc est quod ait Paulus : « Oportet hæreses esse, ut et qui probati sunt, manifesti fiant in vobis, » I *Corinth.* XI, 19.

Hinc ergo nil habet Beza quo inferat, fideles a fide non posse deficere, sed tantum defectionem a fide signum esse eam non fuisse plene radicatam et roboratam, ut constans staret in omni tentatione et persecutione.

S. Augustinus locis citatis hæc refert ad prædestinatos et electos, *q. d.* Ex apostasia eorum manifestum evasit, eos non esse de numero prædestinatorum et electorum.

20. SED VOS UNCTIONEM HABETIS A SANCTO, ET NOSTIS OMNIA. — *q. d.* Docui vos in hac hora novissima cavendos esse Antichristos, Antichristum venturum in fine mundi, etc. ; sed non est necesse pluribus hæc docere, et Antichristos describere, ut eos dignoscatis, quia vos unctionem, id est,

gratiam et sapientiam habetis a Sancto, puta a Christo (ita Beda et Salmeron), et consequenter a Spiritu Sancto (ita Œcumenius, Lyranus, Catharinus), qui vos abunde de omnibus instruat, et Antichristos hos, qui Christo et unctioni ejus adversantur, demonstret. Voce enim unctionis notat Antichristos, ait Beda, æque ac Christum, ut mox dicam. Hoc est quod ait Christus, *Joan.* XVI, 13 : «Spiritus docebit vos omnem viritatem; et : Ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.»

Unctio docens omnia quæ? Resp. Primo. Quæres quænam hæc « unctio? » *Primo,* Œcumenius et S. Hieronymus, lib. II in cap. III *Habacuc,* et Cyrillus Alexandrinus, orat. *ad Presbyt., Diaconos et Monachos,* accipiunt baptismum, in quo ungimur in vertice capitis.

Secundo. *Secundo,* Cyrillus, *Catech.* 3 *mystag.,* et alii mox citandi, accipiunt sacramentum Confirmationis, in quo ungimur in fronte.

Tertio. *Tertio,* Emmanuel Sa accipit christianismum : sicut enim Christianus idem est quod unctus, sic christianismus idem est quod unctio.

Quarto. *Quarto,* alii accipiunt fidem Christianam.

Quinto. *Quinto,* alii gratiam.

Sexto. *Sexto,* alii donum sapientiæ et intellectus.

Septimo. *Septimo,* alii inspirationem Spiritus Sancti.

Hæc omnia licet inter se diversa, eodem tamen redeunt; omnia enim hæc complectitur christianismus, *q. d.* Unctio, id est, Christiana fides, Christiana doctrina, Christiana religio, Christi gratia et sapientia vobis aspirata per Baptismum et Confirmationem, docebit vos omnia dogmata et officia veri Christiani, ac dignoscere et fugere hæreticos quasi Antichristianos.

Ut hoc plenius intelligatur, notandum est, pro *unctionem* græce esse χρῖσμα, id est *unctio* et *unguentum.* Unctio ergo pro unguento sive oleo sumitur. Unde S. Hieronymus, lib. II in cap. III *Habacuc,* legit *unguentum;* hoc enim cum sit permanens, habetur, non ipsa unctio quæ transit. Alludit χρῖσμα ad nomen Christi, *q. d.* Habetis chrisma a Christo, unctionem ab ungente, indeque estis et vocamini Christiani, ac facti estis mystice reges et sacerdotes per unctionem, qua uncti Deoque consecrati estis, tam in sacramento Baptismi, quam Confirmationis, quod olim baptizatis, utpote adultis, dabatur mox a baptismo, tanquam τελείωσις, ut ait S. Dionysius, id est *complementum,* consummatio et perfectio baptismi ac christianismi; per unctionem ergo corporalem accepistis spiritualem, puta per chrisma accepistis charisma et donum Spiritus Sancti. Unde S. Cyrillus, *Catechesi* 3 *mystag.;* Turrianus, lib. II *Pro epist. Pontif.,* cap. XVIII, et Bellarminus, lib. II *De Sacram. Confirm.,* cap. V et VIII, hunc locum accipiunt de chrismate et sacramento Confirmationis, quia in eo perfectam unctionem, id est, gratiam et illuminationem Spiritus Sancti accipimus. Per unctionem enim hic non tam gratia sanctificans, quam donum prudentiæ et intellectus accipitur, et, ut S. Gregorius ait, V *Moral.,* XIX, alias XX, allocutio intimæ inspirationis, quæ humanam mentem contingendo sublevat. Unde et S. Irenæus, lib. IV, cap. XLIII, vocat chrisma veritatis, hoc est, doctrinam : hoc enim donum olim dabatur baptizatis in baptismo, et magis in Confirmatione : unde baptizati illico prophetabant, id est, sublimia de Deo et Christo mysteria eructabant, ut patet *Actor.* II, 6, cap. X, vers. 46, cap. XIX, vers. 6, et I *Corinth.* XIV. Idem etiamnum datur in baptismo; conjunctum enim est cum gratia sanctificante, uti dixi *Isaiæ* XI, 1, licet non in tanta abundantia nunc detur.

Ad hæc omnia jam dicta alludit « unctio, » præsertim ad regale sacerdotium, quod Christianis tribuit S. Petrus *epist.* I, cap. II, vers. 9. Olim enim uti etiamnum, reges, prophetæ et sacerdotes consecrabantur per unctionem : reges, ut a Deo illuminati et directi bene et prudenter regerent; sacerdotes, ut a Deo sanctificati et illustrati bene et prudenter sacra administrarent et docerent; prophetæ, ut a Deo inspirati futura præviderent et prædicerent. Sic et Christiani in Baptismo et Confirmatione inuncti gratiam accipiunt, qua et se suosque regant, quasi reges; futura bona et mala prævideant, quasi prophetæ, ideoque hostias bonorum operum Deo offerant, quasi sacerdotes. Unde Prudentius in *Psychom.:*

> Post inscripta oleo frontis signacula, per quæ
> Unguentum regale datur et chrisma perenne.

Sensus ergo est, *q. d.* Sicut unctio, id est, gratia et sapientia, quam in unctione recipiebant, docebat reges regere, prophetas prophetare, sacerdotes sacra tractare et docere : ita unctio, id est, gratia et sapientia Spiritus Sancti, quem in unctione corporalis Baptismi et Confirmationis accepistis, docebit vos, o Christiani, omnia quæ ad Christianam fidem et vitam pertinent. Hisce de causis S. Joannes gaudet nomine unctionis, quia illud repræsentat Christum amorem suum; de quo proinde dicitur *Cantic.* I, 2 : « Oleum effusum nomen tuum; » atque ob ejus assiduam prædicationem S. Joannes sub idem hoc tempus, Romæ a Domitiano missus est in dolium olei ferventis, sed unctione Christi munitus illæsus exivit. Hinc et de Christo præcinuit Psaltes, *Psalm.* XLIV, 8 : « Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis; » et Isaias, cap. LXI, 1 : « Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me; » et Petrus, *Actor.* cap. X, 38 : « Unxit eum Dominus Spiritu Sancto et virtute. »

S. Athanasius, epist. *ad Serapionem,* ait unguentum hoc esse Spiritum Sanctum, puta cum suis donis et gratiis. In justificatione enim infunditur non solum gratia et charitas, sed et ipsemet Spiritus Sanctus, ut docet Paulus *Rom.* V, 5, et Concilium Tridentinum, *sess.* VI, cap. VII, et S. Augustinus hic : « Unctio spiritualis, ait ipse Spiri-

tus Sanctus est, cujus sacramentum est in unctione visibili; » et in hymno *Veni Creator Spiritus*, etc., vocatur « spiritalis unctio. » Spiritus Sanctus ergo animam inhabitans, illuminans, dirigens, opportuno tempore monet et suggerit quæcumque ejus saluti opportuna sunt; hæc est ejus unctio, id est illuminatio. Unde Clemens, lib. III *Constit. Apost.*, cap. XVII, cæremonias Baptismi et Confirmationis explicans : « Baptismus, ait, datur in mortem Filii Dei, aqua adhibetur pro sepultura, oleum pro Spiritu Sancto, sigillum crucis pro cruce; chrisma, confirmatio confessionis est.» Imo S. Paulus II *Corinth.* I, 21 : « Qui, inquit, confirmat nos vobiscum in Christo, et qui unxit nos Deus, qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. »

Unctio est illuminatio, oleum est doctrina.

Porro licet oleum varias habet dotes et virtutes, scilicet refrigerandi, exhilarandi, roborandi athletas, nutriendi, medendi ægris, ignem fovendi, impinguandi, quas mystice præstat unctio Spiritus Sancti, juxta illud : « Impinguasti in oleo caput meum,» *Psal.* XXII, 5; et illud Ambrosii, lib. I *De Sacram.*, cap. II : « Occurrit presbyter, unctus es quasi athleta Christi; quasi luctamen hujus sæculi luctaturus, professus es luctaminis tui certamina; qui luctatur, habet quod speret : ubi certamen, ibi corona. » Tamen propria ejus virtus est illuminare, lumenque fovere. Quocirca per chrisma et oleum proprie significari donum illuminationis, puta sapientiæ et intellectus, quod in sacramento Confirmationis confertur, docent Patres. Amalarius, lib. I *De Eccles. Offic.*, cap. XXVII, cur chrisma conficiatur ex oleo et balsamo, hanc dat causam : Ut per oleum, ait, intelligamus rectam conversationem, quæ moderatur in mente per maturitatem sapientiæ; et per balsamum, doctrinam, quæ bonum odorem præstat foris. » S. Ambrosius, lib. *De iis qui initiantur mysteriis*, cap. VII : « Repete, ait, quia accepisti signaculum spiritale, spiritum scientiæ, spiritum sapientiæ et intellectus, spiritum consilii atque virtutis. Signavit te Pater, confirmavit te Christus Dominus, et dedit pignus Spiritus in cordibus tuis, sicut Apostolica lectione didicistis. Ordo Romanus, qui vel S. Gregorii jussu, vel paulo post ejus tempora est editus, hanc orationem ad benedicendum chrisma præscribens : « Dominator Domine Deus, inquit, in tuo nomine fiat hæc creatura jam chrisma et habeatur ut chrisma, forma crucis, signum frontis, sacri titulus bellatoris; in hoc chrismate mulceatur auditus, purificetur visus : ut talibus stipendiis Christi milites decorati, atque ambrosio rore madidi, imperanti serviant, non suadenti, et signati chrismate sancto, signiferi esse mereantur cœlestes. »

Rabanus Maurus, lib. I *De Instit. Cleric.*, XXX : « Signatur, ait, baptizatus cum chrismate per sacerdotem in capitis summitate, per Pontificem vero in fronte; ut priori unctione significetur Spiritus Sancti descensio ad habitationem Deo consecrandam; in secunda quoque, ut ejusdem Spiritus Sancti septiformis gratia cum omni plenitudine sanctitatis, et scientiæ et virtutis venire in hominem declaretur.» Tertullianus, *De Resurrect. carn.*, cap. VIII, agens de cæremoniis Confirmationis : « Caro, ait, ungitur, ut anima consecretur; caro signatur, ut et anima muniatur; caro manus impositione obumbratur, ut et anima spiritu illuminetur. » Hugo Victorinus, lib. II *De Sacram.*, part. VII, cap. VII, « unctionem » chrismatis in fronte servandam esse docet septem diebus. « Quia septem, inquit, sunt dona Spiritus Sancti : alium diem habet sapientia, alium intellectus, alium consilium, alium fortitudo, alium scientia, alium pietas, alium timor.» Origenes, hom. 7 *in Ezech.*: « Oleum, ait, quo ungitur vir sanctus, oleum Christi, oleum sanctæ doctrinæ. »

Denique hoc loco abutuntur Novantes et Enthusiasthæ, qui jactant se habere spiritum internum, quo illuminante intelligant S. Scripturam, et dirigantur per omnia, ut interprete et doctore, aut Ecclesiæ judicio non sit opus. Verum graviter errant; hæc enim unctio illuminat fideles in iis quæ didicerunt, ut scilicet sciant retinenda esse fidei dogmata, quæ initio christianismi audierunt, nec audiendos esse Antichristos, qui ea oppugnant. Si enim in fide dubium, vel in Scriptura difficultas aliqua oriatur, eadem Spiritus Sancti unctio docet non esse cujusque plebeii ea resolvere, sed consulendos esse Doctores et Prælatos Ecclesiæ. Hos enim eo fine posuit Deus in Ecclesia, uti docet S. Paulus, *Ephes.* IV, 11 : idipsum enim poscit ordo hierarchicus et recta ratio. Unde idipsum faciunt omnes respublicæ etiam Gentilium et Saracenorum.

Moraliter, in dubiis invocanda unctio Spiritus Sancti.

Moraliter hic docemur, in omnibus dubiis, perplexitatibus, difficultatibus, invocandam esse unctionem Spiritus Sancti, ac dicendum cum Josaphat rege : « Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui ut oculos nostros dirigamus ad te,» II *Paral.* XX, 12. Porro quam Spiritus Sanctus suorum mentes illuminet, quamque in eo omnia perspiciantur, egregie docet S. Cyrillus, *catechesi* 16 : « Cui, ait, Spiritus Sanctus donatus est, anima illius illustratur, et plus quam homo cernit. In terra erit corpus, et anima cœlos contemplabitur. Videt ut Isaias cernebat Dominum super throno excelso et elevato; videt ut Ezechiel eum qui sedebat super Cherubim; videt ut Daniel myriades myriadum, et millia millium. Exiguus homo cernit principium et finem mundi, et medium temporum, et regum successiones. Scit quæ non didicerit; adest enim verus ductor lucis. Intus consistens homo, et virtus scientiæ procul a Deo illi immittitur, ita ut ea quæ fiunt, ab aliis ipse cognoscat. Non adfuerat Petrus Ananiæ et Saphiræ cum sua bona vendebant, sed per Spiritum aderat. Quare, inquit, tentavit Satanas cor tuum, ut mentiaris Spiritui Sancto? nullus erat accusator, nullus testis. Unde igitur

hoc evenit ut nosset? Nonne, inquit, manens manebat tibi, et id quod vendidisti in potestate erat tua? Quare statuisti in corde tuo hanc rem? Qui erat absque litteris, per gratiam Spiritus illa didicit, quæ ne Græcorum quidem sapientes noverant. Habes simile huic de Elisæo, » qui absens vidit Giesi accipientem dona a Naaman, ideoque ei revertenti ait: « Nonne cor meum ibat tecum? Hic ego corpore fueram conclusus, sed spiritus a Deo mihi datus, ea quæ procul aberant, cernebat. Cernis quomodo illuminat animas Spiritus Sanctus: tollit ignorantiam, et scientiam reponit.»

Mystice, de triplici unctione, scilicet compunctionis, quæ sita est in peccatorum detestatione; devotionis, quæ sita est in beneficiorum Dei recordatione; pietatis, quæ sita est in proximorum commiseratione, vide S. Bernardum, serm. 10 et 22 *in Cant.* Idem, serm. 2 *De Pentecost.*: « Spiritus Sanctus suis tribuit, inquit, pignus salutis, robur vitæ, scientiæ lumen. Pignus quidem salutis, ut ipse Spiritus reddat testimonium spiritui tuo, quod Filius Dei sis, qui certissima signa prædestinationis tuæ cordi tuo imprimat et ostendat; qui donet lætitiam in corde tuo, et de rore cœli, si non continue, tamen sæpissime mentem tuam impinguet. Robur vitæ, ut quod per naturam tibi est impossibile, per gratiam ejus non solum possibile, sed etiam facile fiat. Scientiæ lumen, ut cum omnia benefeceris, te servum inutilem putes, et quidquid boni in te inveneris, illi tribuas, a quo omne bonum est, sine quo non parum aliquid, sed nihil omnino potes incipere, ne perficere dicam. »

ET NOSTIS OMNIA, — quæ scilicet jam dixi de retinenda fide, de cavendis Antichristis, de Antichristo venturo; *omnia* ergo intellige accommode, quæ fideles docentur, quæque eos scire convenit. Clarum enim est nec fideles, nec Doctores, nec ipsum Joannem et Apostolos scivisse omnia omnino. Unde Syrus vertit, *discernitis unumquemque hominem,* puta, ut Beda, *discernitis inter probos et improbos,* inter Christianos et Antichristianos. Simili modestia et phrasi ait Paulus, I *Thessal.* V, 1: « De temporibus et momentis non indigetis ut scribamus vobis; ipsi enim diligenter scitis.» Et S. Petrus, *epist.* II, cap. 1, vers. 12: « Incipiam vos semper commonere de his, et quidem scientes confirmatos vos in præsenti veritate. »

Vers. 21. 21. NON SCRIPSI VOBIS QUASI IGNORANTIBUS VERITATEM, SED QUASI SCIENTIBUS EAM. — Solent magistri laudare ingenium et scientiam discipulorum, ut eos sibi concilient et ad acrius studendum exstimulent. Ita hic facit S. Joannes, simulque insigne dat specimen modestiæ, *q. d.* Non hæc eo scripsi ut vos doceam, sed ut doctos confirmem et commonefaciam, « tanquam in memoriam vos reducens, » uti in simili ait Paulus, *Roman.* XV, 15.

ET QUONIAM (quod) OMNE MENDACIUM EX VERITATE NON EST. — Repete τὸ *scientibus*, *q. d.* Scripsi hæc vobis scientibus veritatem, ideoque pariter scientibus quod mendacium ex veritate non est; mendacium vocat non Ethicum, quod est contra mentem loqui; sed Theologicum, quod est error, falsitas, hæresis. Indicat fontem hæresis et hæreticorum, quos Antichristos nominavit, *q. d.* Hæreticorum dogmata sunt errores et mendacia, ideoque non manant a Deo et Christo, qui est prima veritas, sed a diabolo qui est mendax et pater mandacii, hoc est, omnis hæresis et erroris, *Joan.* VIII, 44. « Qui mentitur non est ex Christo,» ait Beda; unde colligit S. Augustinus: « Ecce, inquit, admoniti sumus quomodo cognoscamus Antichristum. Quid est Christus? Veritas ipse dixit: Ego sum veritas, *Joan.* cap. XIV, vers 6. Omne autem mendacium non est ex veritate; omnes igitur qui mentiuntur non sunt ex Christo. » Vide S. Augustinum, lib. *Contra Mendac.*, cap. XVIII. Nota hebraismum, *omne non*, id est, nullum mendacium est ex veritate. Aliter id accipiunt Logici in suis æquipollentiis; nam « non omne, » vel « omne non, » eis idem valet quod « aliquod non, » ut omnis homo non est doctus, vel, non omnis homo est doctus, idem est quod aliquis homo non est doctus. Sed secus se res habet apud Hebræos. Sic ait *Eccli.* VII, 14: « Noli velle mentiri omne mendacium, » id est; nullum mendacium velis mentiri: «Non erit impossibile apud Deum omne verbum, » *Luc.* I, 37, id est nulla res erit Deo impossibilis.

Vers. 22. 22. QUIS EST MENDAX (per antonomasiam, puta mendacissimus), NISI IS QUI NEGAT, QUONIAM (quod) JESUS EST CHRISTUS? — Ita Romani, sed alii Latini, Græci et Syri codices addunt *non,* leguntque, *quoniam Jesus non est Christus*; nam duplex negatio apud Hebræos magis negat, licet apud Latinos affirmet. Perperam aliqui apud Hugonem legunt, *quoniam Jesus non est homo.* Explicat quodnam *mendacium* intelligat, nimirum gravissimum in fide et religione, adeoque in fidei summa et capite, puta hæresim Antichristianorum, qui negabant hunc hominem, scilicet Jesum, esse Messiam et Christum, ac consequenter esse Filium Dei, uti negabant Simon, Ebion, Cerinthus, aliique Judaizantes prisci, æque ac moderni, contra quos S. Joannes tam Evangelium, quam Epistolam conscripsit. « In hujus enim comparatione mendacii, ait Beda, cætera aut parva videntur, aut nulla. » Quid enim mendacius aut perniciosius dici fingique potest, quam quod Jesus non sit Christus, id est redemptor et salvator mundi? hoc enim est præcidere omnem fidem et spem salutis. Talis ergo est mendax per excellentiam, quia falsarius, hæreticus, sacrilegus, atheus, Antichristus. Hoc significat hic « mendax; » alioqui mendax Latinis proprie dicitur qui contra mentem loquitur, aliud sciens vel cogitans, aliud proloquens; sed et hi contra mentem loquebantur, quia Jesum esse Christum sciebant, vel scire debebant.

Audi Tertullianum, *De Præscript.*, cap. XXXIII : « Joannes, inquit, in epistola eos maxime Antichristos vocat, qui Christum negarent in carne venisse, et qui non putarent Jesum esse Filium Dei. Illud Marcion, hoc Ebion vindicavit. » Et Œcumenium : « Simon, ait, alium Jesum, alium Christum asserebat; Jesum videlicet, qui ex S. Maria ortus fuerat, Christum qui in Jordanem de cœlo descenderat. » Et Cyrillus, *catech.* 6 : « Ex nobis, ait, prodierunt, sed non erant ex nobis. Horum dux et omnis hæreseos inventor et auctor est Simon Magus. Hic autem cum esset Romæ, posteaquam ab Apostolis rejectus est, et Græcam Selinen quamdam meretricem circumducens, ore nefando primus ausus est dicere seipsum esse Deum, qui in monte Sina tanquam Pater apparuit; ac deinde apud Judæos non in carne, sed in imagine tanquam Christus Jesus visus est; atque postea tanquam Spiritum Sanctum a Christo mittendum se esse promissum. Et ita seduxerat civitatem Romanam, ut Claudius illi statuam erexerit, cum ea inscriptione in lingua Romana : SIMONI DEO SANCTO. »

Anabaptistarum vesania.

Porro, quam fanaticos, insulsos et insanos Antichristos hoc sæculo produxerit hæresis, liquet ex *Historia Anabaptistarum* Arnoldi Meshovii, in qua inter alia, lib. I, cap. XVII, narrat Carolstadium eorum parentem ex Theologiæ Doctore se fecisse agricolam et aratorem, eo quod diceret, cuique ex labore manuum esse vivendum, juxta legem Dei, *Genes.* III : « In sudore vultus tui vesceris pane tuo; » ac tandem tradit eum a diabolo abreptum, nusquam deinceps comparuisse. Cap. vero XIX, narrat Jacobum quemdam jactitasse se esse Christum, et duodecim apostolos instituisse, qui miris fraudibus et imposturis populo imponebant, ac tandem hosce sycophantas in Silesia a matrona nobili mappam ad sacrificandum postulasse. « At mulier, inquit, fasciculum telæ illis obtulit; tunc illi : Hanc nobiscum accipiemus, et Christus tibi benedicet, ut tibi linum abundantius crescat, ostende aliam si habes. Quam cum similiter accipere vellent, mulier recusavit, maritum timens. Illi autem frustulum fomitis cum igne in telam clam involventes, mulieri reddiderunt. Itaque cista a tela, a cista vero domus accensa conflagravit. Viro domum reverso, uxor ob Christum cum apostolis male tractatum, hoc sibi juste contigisse dixit; at vir ira excandescens : Latro hic, inquit, nequissimus, et non Christus fuit. Itaque cum vicinis eos insequitur, et in quadam villa assequitur. Tum pseudochristus ad illum, qui vocatur Petrus, dixit : Jam mea passio, Petre, calixque quem bibiturus sum appropinquat. Cui Petrus : Et mihi, ut video, Domine, imminet. Ille vero dixit : Petre, ego aliter non possum nisi per fenestram hanc evadere; tum Petrus : Et ego te quoad vivam non derelinquam, sed quocumque fugeris sequar. Ergo per fenestram aufugit; cæteri quoque apostoli qua potuerunt evaserunt. Rustici eos secuti baculis fustibusque cecidere, dicentes : Prophetiza nobis, Christe, cum tuis apostolis, qua in silva baculi isti creverint. Ergo plagis emendati, vitam suam emendarunt, dicentes : Difficile est nobis Christi passionem apostolorumque tormenta subire. »

Deinde, lib. II, cap. XV, narrat extitisse mulierem Abacellam nomine, quæ cum cæteros Anabaptistas Spiritum Sanctum jactitare, quodque ab eo interpretationem sacræ Scripturæ discerent, audiret, ipsa quoque novi Testamenti, surrepto in manus codice sacrarum Litterarum, sensum cœpit populum docere; atque cum ad eum locum pervenisset, apud Deum nihil esse impossibile, Christum se verumque mundi Messiam, id possibile rata, constituit, conjunctis sibi ex fratrum grege viris duodecim, quibus ad propagandum Evangelium velut apostolis uteretur. Hi foris nonnunquam egrediebantur, ac ruri agricolis Messiæ suæ doctrinam prædicabant. Lib. V, cap. XI, narrat Joannem Matthiæ, arte pistorem, patria Harlemensem, finxisse se esse Henoc, missumque a Deo, ut quasi verissimus Dei testis, fidelem in Hollandia populum ad novam Hierosolymam convocaret. Inter alia enim paradoxa docebat, Christi regnum ante diem judicii civile in terra futurum, in quo soli Sancti, regibus ferro et vi sublatis, dominarentur; id autem regnum esse jam cœptum Anabaptistarum. Lib. VII toto, narrat Joannem Bocoldum, sartorem Leidensem, occupasse urbem Monasteriensem in Westphalia, ibique se regem creasse, ac Christum nominasse, duodecim apostolos elegisse, ut vicinos ad novum Messiam adorandum advocarent; sed post horrenda dogmata et flagitia, expugnata ab urbis Episcopo urbe, candentibus laminis toto corpore laceratum, meritas sacrilegiorum suorum pœnas dedisse.

HIC EST ANTICHRISTUS QUI NEGAT PATREM ET FILIUM, — quia negando Christum esse Filium Dei, negant Deum ejus Patrem, ut sequitur. Pater enim et Filius sunt correlativa, quorum lex est, ut mutuo se ponant et tollant. Filius enim est Patris Filius, et Pater est Filii Pater; posito ergo uno, ponitur et alterum; sublato uno, necessario tollitur et alterum. Œcumenius opinatur hic perstringi Valentinum, « qui alium esse Patrem innominabilem asserebat, præter eum qui pater Christi diceretur. Iidem vero hæretici, inquit, Filium quoque denegant, dum hominem solum esse ipsum, et non natura Deum affirmant. » Sic et Basilides alium quemdam Patrem confinxit, a quo νοῦς, id est *mens*, inde λόγος, id est *verbum*, productum sit. De quo Irenæus, lib. I, cap. XXIII; Tertullianus, *De Præscript.*; Epiphanius, *hæresi* 24, et alii.

23. OMNIS QUI NEGAT FILIUM, NEC PATREM HABET Ver. (tanquam in quo maneat, nec tanquam manentem in se, ait Cajetanus, quia generationem ejus æternam non credit, ait Dionysius); QUI CONFITE-

TUR FILIUM, ET PATREM HABET, — ita Romani et Latini omnes, ac Syri et Græci multi; nonnulli tamen delent τὸ *qui confitetur Filium, et Patrem habet.*

HABET — scilicet in mente et fide, ac consequenter in ore et confessione, id est, ut Syrus vertit, *credit*, vel confitetur Patrem. Alludit ad illud *Evang.* cap. V, vers. 38 : « Verbum ejus (Patris) non habetis in vobis manens, quia quem misit ille, huic vos non creditis, » ubi pariter τὸ *habetis* exponit per *creditis*. Simili phrasi dixit cap. I, vers. ult. : « Verbum ejus non est in nobis. » Et hoc cap. vers. 5 : « In hoc scimus, quoniam in ipso sumus. Qui dicit se in ipso manere, » etc.; et vers 24 : « Vos quod audistis ab initio, in vobis permaneat. » Per fidem enim, spem et charitatem Deus Pater, Filius et Spiritus manent in nobis; ac consequenter eos habemus in nobis, sicut templum in se habet et continet Eucharistiam : anima enim sancta realiter est templum Dei inhabitantis.

Perstringit hæreticos judaizantes; Judæi enim negant mysterium SS. Trinitatis. Dicunt enim unum tantum esse Deum, in una duntaxat persona, æque ac in una duntaxat natura existentem, ac consequenter negant Christum esse Deum, Deique Filium. Unde Christus in Evangelio S. Joannis passim contra eos disputat, probatque se esse Filium unigenitum Dei Patris. Vide cap. III, vers. 35; cap. V, vers. 18 et seq., et vers. 36 usque ad finem capitis; cap. VI, vers. 58, etc. « Si enim, ait Œcumenius, Patrem novissent, eum quoque Filii unigeniti Patrem esse procul dubio percepissent. » Præsertim quia qui ignorat Trinitatem, ignorat et Deitatis naturam, eam scilicet esse tam plenam et fecundam, ut personarum pluralitatem exposcat, et tribus se communicare efflagitet, adeo ut si unam personam sustuleris, totam divinitatem sustuleris, et hoc significat hic S. Joannes. Simili modo ait Christus Philippo : « Philippe, qui videt me, videt et Patrem, etc. Non credis quia ego in Patre, et Pater in me est? » *Joann.* XIV, 10. Qua sententia significatur et pluralitas personarum, et identitas essentiæ divinæ, ac intima et perfecta inhabitatio unius personæ in alia, et e converso, quam Damascenus, lib. I *De Fide*, cap. XI, vocat περιχώρησιν, ac ex Damasceno Doctores Scholastici *circumincessionem*. De quo sublimi mysterio sublimiter disputat S. Augustinus, lib. VI *De Trinit.*, cap. ult.; S. Hilarius, lib. IV *De Trinit.*; Ambrosiaster, in epist. II *ad Cor.*, cap. XIII. « Singula, ait S. Augustinus, sunt in singulis (personis), et omnia in singulis, et singula in omnibus, et omnia in omnibus, et unum omnia. »

Περιχώρησις S. Trinitatis.

Denique S. Cyprianus, *De Exhort. mart.*, cap. V, et Hilarius, lib. VI *De Trinit.*, ultima verba sic legunt : « Qui habet Filium, et Filium et Patrem habet, » scilicet benevolum et faventem. Sic quoque legit S. Augustinus, sed explicat de cultu et veneratione, *q. d.* Qui colit Filium, colit et Patrem; nequit enim colere Patrem, qui non colit Christum ejus Filium, juxta illud : « Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum, » *Joann.* V, 23.

24. VOS QUOD AUDISTIS AB INITIO, IN VOBIS PERMANEAT. — Est Hebraica verborum trajectio, quam latine sic ordines : Quod vos audistis ab initio, id in vobis permaneat, *q. d.* Constanter perseverate in fide, doctrina et vita Christiana, quam primitus accepistis; sic enim vera fides manebit in vobis, et vicissim vos manebitis in vera fide, religione et cultu Dei. Quare, « si quis evangelizaverit, præterquam quod accepistis, anathema sit, » ait Paulus *Galat.* cap. I, vers. 9. Ideoque « doctrinis variis et peregrinis nolite abduci, » *Hebr.* XIII, 9. Præclare S. Cyprianus, *epistola* 40 : « Admoneo, inquit, pariter et consulo ne perniciosis vocibus temere credatis, ne fallacibus verbis consensum facile commodetis, ne pro luce tenebras, pro die noctem, pro cibo famem, pro potu sitim, venenum pro remedio, mortem pro salute sumatis. » Vers. 24.

SI IN VOBIS PERMANSERIT QUOD AUDISTIS AB INITIO (eo modo quo jam explicui), ET VOS IN FILIO ET PATRE MANEBITIS. — *q. d.* Adhærebitis Filio et Patri per veram fidem, spem et charitatem, quod vers. præced. dixit : « Qui confitetur Filium, et Patrem habet, » adde et Spiritum Sanctum, quia hic in Patre et Filio includitur. Pater enim et Filius sunt spiratores Spiritus Sancti; unde in plena sui ratione et essentia includunt vim spirativam, imo actualem spirationem Spiritus Sancti. S. Joannes tamen non nominat Spiritum Sanctum, sed Filium et Patrem, quia de Spiritu Sancto tunc nulla erat quæstio, sed duntaxat de Filio, puta Christo, et consequenter de Patre. Simoniani enim et Cerinthiani negabant Jesum esse Deum, Deique Filium. Hinc et Filium præponit Patri, præsertim quia « nemo venit ad Patrem nisi per Filium, » *Joann.* XIV, 6. « Nullus enim divinæ gloriæ celsitudinem videbit, nisi qui per sacramenta humanitatis, quam Filius suscepit, renatus est, » ait Beda et Thomas Anglicus.

Porro ex eo quod « vos in Filio et Patre manebitis, » vicissim Filius et Pater manebunt in vobis. Nam, ut explicat Œcumenius : « In Filio, inquit, et Patre manebitis, hoc est, conjunctionem et communicationem cum eo habebitis, » juxta promissum Christi, *Joann.* XIV, 23 : « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. » Quo loco S. Augustinus : « Ecce, inquit, facit in Sanctis cum Patre et Filio Sanctus etiam Spiritus mansionem, intus utique tanquam Deus in templo suo. Deus Trinitas, Pater et Filius et Spiritus Sanctus veniunt ad nos, dum venimus ad eos; veniunt subveniendo, venimus obediendo; veniunt illuminando, venimus intuendo; veniunt implendo, venimus capiendo, ut sit nobis eorum non extraria visio, sed interna; et in nobis eorum non transitoria mansio, sed æterna. »

Vers. 25. Antiptosis S. Scripturæ.

25. ET HÆC EST REPROMISSIO (id est, res promissa), QUAM (Vatablus legit *qua*, sed græce est ἥν, id est *quam*) IPSE POLLICITUS EST NOBIS (si in ipso maneamus), VITAM ÆTERNAM. — S. Augustinus legit, *vita æterna*, idque clarius est et latinius. Est antiptosis Hebraica. Similis est vers. 27 : « Unctionem quam accepistis ab eo, maneat in vobis; » *unctionem*, id est unctio, et in *Evang.* cap. XIV, 24 : « Sermonem, » id est sermo, « quem audistis; » et *Psal.* CXVII, 22 : « Lapidem, » id est lapis, « quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. » Similis est apud Latinos, ut apud Terentium prolog. *Andr.* : « Populo ut placerent quas fecisset fabulas; » et Virgilius : « Urbem, » id est urbs, « quam statuo, vestra est. »

Aliter Gagneius : Manere, inquit, in Filio et Patre promissio est, quam nobis pollicitus est in Evangelio orans pro nobis Patrem Dominus, *Joann.* XVII, 20 : « Non pro eis rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum, ut omnes unum sint, et sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint. » Bene ergo ait de hoc Joannes : Hæc est promissio quam pollicitus est nobis, quæ quidem est vita æterna : vita enim æterna est manere in Deo, eoque frui hic per gratiam, in futuro per gloriam. Huc accedit Œcumenius, qui τὸ *et* accipit ut causale pro *quia*, *q. d.* Manebitis in Filio et Patre, quia hoc ille pollicitus est, cum vitam æternam pollicitus est. Verum prior sensus simplicior et germanior est.

Acer hic est stimulus, quem fidelibus ad constantiam in fide contra hæreticos, et omnem virtutem dat S. Joannes, nimirum promissio et merces vitæ æternæ : « Memoria promissæ mercedis perseverantem te faciat in opere, » ait Beda. « Videamus, inquit S. Augustinus, quid promisit. An argentum? An possessiones? An amœna prædia? Non est hæc merces ad quam nos hortatur, ut in labore duremus. Quid igitur merces ista? vita æterna. » Subjicit deinde Deum promissis jungere minas, ac ni pareamus minari mortem æternam, imo ignem æternum. « Minatur, ait, mihi potens homo, ut aliquid mali faciam : quid minatur? Carceres, catenas, ignes, tormenta, bestias : numquid ignem æternum? Exhorresce quod minatur omnipotens, ama quod pollicetur omnipotens, et vilescit omnis mundus, sive promittens, sive terrens. »

Vers. 27.

27. ET VOS UNCTIONEM QUAM ACCEPISTIS AB EO, MANEAT IN VOBIS. — Est hyperbaton, sive verborum trajectio, quæ sic clare ordinanda est : « Et quam vos accepistis unctionem ab eo, maneat in vobis. » Ita enim non solum Hebræi, sed et Latini loquuntur, ut ostendi vers. 25; unde nonnulli codices clare pro « unctionem » legunt, *unctio*. Sic et Syrus : *Sed et vos, inquit, si permanserit vobiscum illa unctio, quam accepistis ab eo, necesse non habetis ut quis vos doceat.* « Unctionem » vocat gratiam Spiritus Sancti, puta donum sapientiæ et intellectus fidelibus inditum in Baptismo, et auctum in Confirmatione. hæc enim gratia et sapientia ungit imbuitque animam quasi unguentum spiritale fragrantissimo odore et sapore rerum divinarum, æque ac unguentum corporale, puta chrisma ungit imbuitque corpus fragrantia corporali. Vide dicta vers. 20.

ET NON NECESSE HABETIS UT ALIQUIS DOCEAT VOS, SED SICUT UNCTIO EJUS DOCET VOS DE OMNIBUS. — Subaudi, *manete in eo*, uti post brevem parenthesin subdit S. Joannes. Aliqui codices supplent, *ita faciatis*. Agit contra pseudoapostolos, puta hæreticos, quos, vers. 18, vocavit antichristos. Idipsum S. Joannes clare vers. præced. significavit, dicens : « Hæc scripsi de his qui seducunt vos. » Sensus ergo est, *q. d.* Non est necesse ut pseudoapostoli et hæretici vos doceant veram fidem et doctrinam; jam enim eam didicistis ab ipsis Christi Apostolis, cooperante unctione Spiritus Sancti, quem in Baptismo et magis in Confirmatione accepistis; necesse est enim ut quod Apostoli foris per vocem docent, idipsum Spiritus Sanctus interius per gratiam et illuminationem vos doceat, juxta illud *Isaiæ* LIV, 13 : « Ponam universos filios tuos doctos a Domino; » quod S. Joannes, *Evangel.* cap. VI, vers. 45, vertit, *et erunt omnes docibiles Dei*. Deus enim est « qui docet hominem scientiam, » *Psal.* XCIII, 10. In hac ergo doctrina quam Apostoli exterius, Spiritus Sanctus interius vos docuit, manete et perseverate. Vide Bellarminum, lib. III *De Verbo Dei*, cap. III et seq., ubi et addit : « Simile, inquit, esset, si Catholicus Catholicis quos perturbarent hæretici, scriberet : Non necesse habetis ut Lutheranus aut Calvinista doctrinam vos doceat Christianam; quia quæ vos oportet scire, plene didicistis et tenetis ex prædicatione Ecclesiæ, adjuvante unctione Spiritus Sancti. »

Simili modo S. Petrus hortatur fideles ad constantiam in fide dicens, *epist.* I, cap. V, vers. 12 : « Breviter scripsi vobis, obsecrans et contestans hanc esse veram gratiam Dei, in qua et statis; » et Paulus, *Coloss.* I, 6 : « Cognovistis gratiam Dei in veritate, sicut didicistis ab Epaphra charissimo conservo meo. » Ita Interpretes ac S. Augustinus unctionem hanc explicant : « Quantum ad me pertinet, inquit, omnibus locutus sum; sed quibus unctio illa intus non loquitur, quos Spiritus Sanctus intus non docet, indocti redeunt. Magisteria forinsecus adjutoria quædam sunt, et admoniones; cathedram in cœlo habet, qui corda docet : de Domino dico. Propterea ait et ipse in Evangelio : Nolite vobis dicere magistrum in terra, unus est magister vester Christus; ipse vobis intus loquatur, quando nemo hominum illic est; quia etsi aliquis est a latere tuo, nullus est in corde tuo; et non sit ullus in corde tuo, Christus sit in corde, unctio ipsius sit in corde; ne sit

in solitudine cor sitiens, et non habens fontes, quibus irrigetur interior; ergo magister est qui docet, Christus docet, inspiratio ipsius docet: ubi illius inspiratio, et illius unctio non est, forinsecus inaniter perstrepunt verba. » Et S. Gregorius, homil. 30 *in Evang.*, citans hæc verba S. Joannis illaque Evangelii ejusdem explicans, *Ipse vos docebit omnia* : « Quia nisi idem Spiritus, ait, cordi adsit audientis, otiosus est sermo doctoris. » Mox autem recte subdit : « Non ergo docenti homini tribuat, quod ex ore docentis intelligit, quia nisi intus sit qui doceat, doctoris lingua exterius in vacuum laborat. Ecce unam loquentis vocem omnes pariter auditis, nec tamen pariter sensum auditæ vocis percipitis. Cum ergo vox dispar non sit, cur in cordibus vestris dispar sit vocis intelligentia, nisi quia per hoc quod vox loquentis communiter admonet, est magis interior qui de vocis intelligentia quosdam specialiter docet? »

Frustra docet doctor, nisi intus doceat Spiritus Sanctus.

Quod ergo ait : « Unctio ejus docet vos de omnibus, » commode accipe « de omnibus, » scilicet jam dictis, quæ audistis et scitis, puta de omnibus articulis fidei contra hæreticos retinendis, cæterisque quæ quemlibet fidelem scire oportet; quæ proinde quisque docetur et discit in prima sua catechesi et instructione, quod olim exacte faciebant fideles in primitiva Ecclesia : loquitur enim « scientibus, » ut ipse ait vers. 21. Alioqui enim non eguissent Doctoribus et Pastoribus, et frustra eos hac epistola doceret S. Joannes, uti recte arguit hic ipsemet Beza, ne quis hoc S. Joannis loco abutatur, et contendat spiritum privatum singulorum esse interpretem S. Scripturæ et judicem controversiarum fidei. Talibus enim intonans comminatur Deus : « Væ Prophetis insipientibus qui sequuntur spiritum suum, et nihil vident! » *Ezech.* XIII, 3.

Addunt aliqui hæc scribi a S. Joanne toti Ecclesiæ, in qua multi erant sapientes et illuminati a Deo, qui proinde docti erant de omnibus, ut et ipsi alios rudiores docerent, *q. d.* O fideles, non est quod vos doceant hæretici; Ecclesia enim vestra, vestrique doctores plene a Spiritu Sancto docti sunt de omnibus : ipsos ergo adite, ipsi vos docebunt de omnibus ad fidem et salutem necessariis.

Denique pro *unctio ejus*, scilicet Christi et Spiritus Sancti, Græca pleraque legunt τὸ αὐτὸ χρῖσμα, id est *ipsa unctio*; unde Syrus vertit, *sed sicut illa unctio a Deo est, ipsa vos docebit de omnibus.* Rursum per chrisma, id est *unctionem*, aliqui accipiunt Christum, id est unctum et ungentem, *q. d.* Christus per se et suos vos ungens, id est imbuens et instruens, docebit de omnibus, non Antichristi. Sic *Daniel.* IX, 26 : « Occidetur Christus; » Septuaginta pro *Christus* vertunt, *chrisma*, scilicet per abstractum *chrisma* significantes concretum *Christus*. Unde quod sequitur : « Et verum est, » Tigurina vertit, *et veræ*, scilicet Christus; sic et S. Augustinus legit, « et verax est, et non mendax. »

ET VERUM EST, ET NON MENDACIUM. — Græcizat interpres : quia enim χρῖσμα Græcis est neutrum, hinc pariter epithetum Latinum neutrum ei dedit, scilicet *verum*, *q. d.* Hoc chrisma verum est, puta hæc unctio vera est, et non mendax. *Secundo* et simplicius, hæc accipias technice, *q. d.* « Et, » id est *quia*, verum est, quidquid docet hæc unctio, et nullum est mendacium in iis, hinc secure ei auscultate in omnibus, in iisque manete et persistite usque ad mortem. Solent Hebræi asseverationem firmare per negationem contrarii, ut, « confessus est, et non negavit, » id est plane pleneque confessus est Joannes se non esse Messiam, *Joan.* I, 20. Sic hic, « verum est et non mendacium, » id est, verissimum est, et alienissimum ab omni mendacio et falsitate.

ET SICUT DOCUIT VOS (*et* ponitur pro *igitur*, ait Vatablus. Hebræis enim *vau* pene sola est conjunctio, quæ æquivalet cæteris Latinorum et Græcorum, *q. d.* Cum omnia quæ docet unctio, sint vera, carentia omni mendacio et falsitate; igitur) SICUT ILLA DOCUIT VOS, MANETE IN EO, — id est, in illius doctrina et fide perseverate. Gaudet Joannes verbo manendi. Pro *manete* græce est μενεῖτε, id est *manebitis*, hoc est, manete. Græci enim, æque ac Latini et Hebræi sæpe futurum usurpant pro imperativo. Adde, quidam codices legunt μένετε in imperativo, id est *manete*.

28. ET (id est igitur, idcirco) NUNC, FILIOLI. — Vox familiaris S. Joanni, utpote seni, patri et patriarchæ suorum amantissimo, ipsisque quasi filiis charissimis hac paterna voce blandienti. Vers. 28.

MANETE IN EO, — quod scilicet vos docuit unctio Christi et Spiritus Sancti, puta in orthodoxa fide, doctrina et vita Christiana constanter perseverate, nec hæreticorum blandiloquentia vos ab ea in hæresim, vel errorem abduci sinatis. Sollicite inculcat fidelibus inter tot exorientes in dies hæreses et hæreticos, in christianismo constantiam et perseverantiam, ob periculum apostasiæ, quia inter omnes virtutes sola perseverantia coronatur.

UT CUM APPARUERIT (Christus in gloria judicaturus orbem in fine mundi), HABEAMUS FIDUCIAM, — παῤῥησίαν, id est *libertatem*, securitatem, fiduciam, loquendi audaciam : cum cæteri sibi male conscii trepidabunt et obmutescent, juxta illud *Sapient.* V, 1 : « Tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt. » Nam, ut ait Paulus *Coloss.* III, 4 : « Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria. » Quare quod ait S. Basilius, hom. 11 *Hexaem.* : « Abraham quoque timebit in judicio, et agoniam patietur, » per exaggerationem dictum est, tantumque significat summum judicii et examinis in eo futuri rigorem, indeque pavorem, si videlicet illud in se spectes, juxta illud S. Petri, *epist.* I, cap. IV, vers. 18 : « Si justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt? » Nam

alioqui si spectes Dei gratiam et clementiam, illa Sanctos omnes assecurabit de sua salute et gloria : nam ipsa ante examen discernet illos a reprobis, eosque constituet a dextris, quasi amicos dilectos et electos suos.

ET NON CONFUNDAMUR AB EO IN ADVENTU EJUS. — *q. d.* Ne pudefiamus utrique, scilicet tam vos, si a doctrina Christi aberretis, quam nos Apostoli et Pastores, quod vos in ea non conservaverimus : sicut enim eruditio et probitas discipuli laus est et decus magistri, sic imperitia et improbitas discipuli probrum est et dedecus magistri. S. Basilius ad illud *Psalm.* XXXIII : « Timorem Domini docebo vos, » docet acerbissimam damnatis pœnam fore pudorem et confusionem æternam, quam subibunt coram Christo et angelis sanctis, dæmonibus cæterisque damnatis in die judicii, adeo ut damnati mallent manere et ardere in gehenna, quam inde egredi in vallem Josaphat ad judicium hoc sibi tam probrosum et infame subeundum. Unde dicent « montibus et petris : Cadite super nos, et abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira Agni; quoniam venit dies magnus iræ ipsorum, et quis poterit stare? » *Apocal.* VI, 17. Pudoris causæ erunt, quod Christus peccata omnia etiam pudenda, infamia et horrenda, licet secretissima et sola mente commissa, coram toto mundo publicabit; quod Sanctos in hac vita a se contemptos, vexatos et occisos videbunt super se elevatos in gloria, suosque esse judices, ac se pariter condemnare; quod tam fuerint stulti, ut exili voluptate emerint æternum hoc probrum; quod peccata et gehennam modica pœnitentia, et confusione confessionis expiare neglexerint, etc. Hoc est quod ait Isaias ultimis verbis suæ prophetiæ : « Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur, et erunt usque ad satietatem visionis omni carni; » et Daniel, XII, 2 : « Qui dormiunt in terræ pulvere evigilabunt, alii in vitam æternam, et alii in opprobrium, ut videant semper. »

Notat S. Cyrillus, *Catechesi* 3 *mystag.*, fideles in Confirmatione ungi in fronte, quæ sedes est pudoris, ne pudeat eos confiteri nomen Christi, neve aliquid pudendum committant, ob quod confundantur in die judicii. Præclare S. Augustinus hic : « Fidelis, inquit, est qui promisit, non te fallit, tantum tu noli deficere, sed exspecta promissorem; non enim novit fallere veritas, tu noli esse mendax, ut aliud profitearis, aliud agas. Tu serva fidem, et servabit ille pollicitationem; si autem non tu servaveris fidem, tu fraudasti, non ille qui promisit. » Et Œcumenius : « Quid illustrius atque admirabilius esse unquam poterit, quam cum apud quem labores nostros relaturi sumus, apud eum cum fiducia id faciemus, nulloque pudore in adventu ejus perfundemur? »

IN ADVENTU EJUS, — ἐν ἐπιφανείᾳ, id est *in apparitione*, in manifestatione, in illustratione illius, cum scilicet gloriosus apparebit, eritque judex omnium hominum. « Videmus enim nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, » I *Corinth.* XIII, 12.

29. SI SCITIS (id est, quia scitis, vel cum sciatis, quandoquidem sciatis : ita Dionysius) QUONIAM JUSTUS EST (Christus judex, de cujus adventu jam egi), SCITOTE QUONIAM ET OMNIS QUI FACIT JUSTITIAM, EX IPSO NATUS EST. — Dat modum et medium quo in die judicii non confundamur coram Christo judice, sed habeamus fiduciam, si nimirum faciamus justitiam, id est opera justa et sancta, quæ Christo justo judici offeramus. Ne quis enim putaret solam fidem orthodoxam sufficere, uti docebat Simon Magus, et moderni hæretici, addit hic requiri quoque justitiæ opera, *q. d.* Cum Christus futurus judex non tantum qua Deus, sed et qua homo, sit justus antonomastice, id est justissimus et sanctissimus, tum in se, tum in ferenda sententia; utique amat eos qui sunt justi, faciuntque opera justitiæ, pro eisque feret sententiam justam et salutiferam. Judicis enim justi est judicare de operibus cujusque, et bonis addicere præmium, malis pœnam. Qui ergo facit justitiam, in die judicii coram ipso non confundetur, sed habebit omnimodam fiduciam; quia judici suo justo similis, imo ex ipso natus est, hoc est, ipsius filius et hæres est. Quare non confundetur in ejus adventu, sed fidenter eum exspectabit, certus se per eum fore hæreditatis æternæ participem. Nam « si filii, et hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, » *Rom.* VIII, 17. Omnis enim justitia nostra manat a justitia, sanctitate et gratia Christi. « Justitiam » hic non specialem, sed generalem accipe, quæ est complexio omnium virtutum, a qua justi, sancti, Deo grati, amici et filii denominamur. Alludit ad illud *Evangelii* cap. I, vers. 12 : « Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. » Porro nullum certius est argumentum, quod quis natus sit ex Deo, quam si factis et moribus Deum exprimat velut lineamentis. Notat *primo* Didymus dici, « qui facit » in præsenti, non qui *fecit*, aut *faciet*, quia bona radix bonos dat fructus in præsenti; quia ergo per justitiam et gratiam ex Deo renascimur, et fimus divinæ consortes naturæ, ut ait S. Petrus, II *epist.* cap. I, vers. 4, (realiter enim participamus Dei substantiam per gratiam supernaturalem et divinam, quæ summa est participatio divinitatis) : hinc pariter nativitatem hanc et vitam divinam per opera vitalia divina, puta per opera justitiæ, in præsenti semper ostendere debemus. Sicut enim non est homo vivens, qui in præsenti opera vitæ humanæ non edit, puta qui non comedit, non ambulat, non respirat, non loquitur, non ratiocinatur : ita pariter non est justus, nec renatus aut vivens ex Deo, qui opera justa et divina non edit, præsertim quia filii est imitari patrem. Cum ergo Deus justus

Vers. 29.

justitiam ubique faciat, et nos ejus filii eamdem ubique facere debemus.

Notat *secundo*, noster Salmeron, generationem hanc divinam similem esse generationi carnali et humanæ. Sicut enim hæc fit ex viro et femina, sic et illa quodammodo : Christus enim, qua homo, patiens parturiit nos cum summo dolore; idem qua Deus agit et producit in nobis gratiam et justitiam, per quam renascimur in filios Dei.

Notat *tertio* Œcumenius, justos a Deo gigni, ut et ipso progignant et procreent alios sibi similes; « quippe cum justus, inquit, etiam justos procreet ac gignat, » uti homo generat hominem, bos bovem; et Didymus : « Operantem, ait, justitiam commendat virtus, cum sit scilicet actualis : nullus itaque antequam faciat quæ virtutis sunt, justus est, sed neque dum cessaverit operari; » intellige in actu exercito, non signato.

Denique S. Augustinus justitiam perfectam esse docet in angelis, inchoatam in hominibus : « In angelis sanctis, inquit, nullo lapsu aversis, nulla superbia cadentibus, sed manentibus semper in contemplatione Verbi, et nihil aliud dulce habentibus, nisi a quo creati sunt, in ipsis perfecta justitia est; in nobis autem ex fide cœpit esse secundum spiritum. » Et mox : « Initium justitiæ nostræ confessio peccatorum. Cœpisti non defendere peccatum tuum? jam inchoasti justitiam; perficietur autem in te, quando nihil aliud facere delectabit, quando absorbebitur mors in victoriam, quando nulla concupiscentia titillabit, quando non erit luctamen cum carne et sanguine, quando erit corona victoriæ, et triumphus de inimico. Tunc erit perfecta justitia : modo adhuc pugnamus, si pugnamus, in stadio sumus, ferimus et ferimur; sed qui vincat, exspectatur. Ille autem vincit, qui et quod ferit, de viribus suis non præsumit, sed de hortatore Deo. »

Justi ergo æmulantur angelorum justitiam, ut mentem ab omnibus terræ fæcibus, ac amorem ab omnibus creaturis avellentes, eum universum conferant in Creatorem, eum in omnibus tam prosperis, quam adversis amando, colendo, laudando, gratias agendo : ut eorum vox et vita, æque ac crux et passio, non sit aliud quam continua et assidua Dei laus. Talis enim est vox et vita angelorum, de quibus ait Job, cap. XXXVIII, vers. 7 : « Ubi eras, cum me laudarent simul astra matutina, et jubilarent omnes filii Dei? »

Insuper Christiani ex Christo renati æmulentur Christum, ac proinde « loquantur ut oracula, vivant ut numina; » quia Christus ex Deo natus, et ex Virgine renatus, « locutus est ut os et oraculum Patris, ac vixit ut numen. » Ita hominum, etiam peccatorum, corda ferient, convertent, gignentque Christo, instar S. Basilii, de quo scribit S. Gregorius Nazianzenus, orat. *in ejus funere* : « Sermo Basilii erat tonitru, quia vita ejus erat fulgur. »

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ostendit quam præstans sit nova ex Deo nativitas et filiatio ex fine et mercede, quæ est gloria æterna, in qua similes ei erimus. Ad illam retinendam et hanc consequendam modum præscribit : Primum, studium sanctitatis et fugam peccati, quia qui natus est ex Deo, peccatum non facit; qui vero facit peccatum, ex diabolo est. Secundum, vers. 11, amorem fraternum, ut diligamus invicem non verbo, neque lingua, sed opere et veritate. Denique, vers. 20, docet horum omnium fructum, scilicet eum qui puro est corde, amatque fratres, ac Dei mandata custodit, omnia quæ postulat a Deo, impetrare.

1. Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus. Propter hoc mundus non novit nos, quia non novit eum. 2. Charissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. 3. Et omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut et ille sanctus est. 4. Omnis qui facit peccatum, et iniquitatem facit, et peccatum est iniquitas. 5. Et scitis quia ille apparuit ut peccata nostra tolleret, et peccatum in eo non est. 6. Omnis qui in eo manet, non peccat; et omnis qui peccat, non vidit eum, nec cognovit eum. 7. Filioli, nemo vos seducat. Qui facit justitiam, justus est, sicut et ille justus est. 8. Qui facit peccatum, ex diabolo est, quoniam ab initio diabolus peccat. In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli. 9. Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit; quoniam semen ipsius in eo manet, et non potest peccare, quoniam

ex Deo natus est. 10. In hoc manifesti sunt filii Dei, et filii diaboli. Omnis qui non est justus, non est ex Deo, et qui non diligit fratrem suum. 11. Quoniam hæc est annuntiatio, quam audistis ab initio, ut diligatis alterutrum. 12. Non sicut Cain, qui ex maligno erat, et occidit fratrem suum. Et propter quid occidit eum? Quoniam opera ejus maligna erant: fratris autem ejus justa. 13. Nolite mirari, fratres, si odit vos mundus. 14. Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte. 15. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem. 16. In hoc ergo cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit; et nos debemus pro fratribus animas ponere. 17. Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? 18. Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate. 19. In hoc cognoscimus quoniam ex veritate sumus, et in conspectu ejus suadebimus corda nostra. 20. Quoniam si reprehenderit nos cor nostrum, major est Deus corde nostro, et novit omnia. 21. Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum. 22. Et quidquid petierimus, accipiemus ab eo; quoniam mandata ejus custodimus, et ea, quæ sunt placita coram eo, facimus. 23. Et hoc est mandatum ejus, ut credamus in nomine Filii ejus Jesu Christi, et diligamus alterutrum, sicut dedit mandatum nobis. 24. Et qui servat mandata ejus, in illo manet, et ipse in eo: et in hoc scimus quoniam manet in nobis de Spiritu, quem dedit nobis.

1. VIDETE QUALEM (græce ποταπήν, id est *quantam*) CHARITATEM DEDIT NOBIS (indignis, inimicis et peccatoribus) PATER, UT FILII DEI NOMINEMUR ET SIMUS. — Charitatem tum activam, puta actum amoris Dei quo nos mire amat, tum passivam nobisque a Deo communicatam et infusam accipe, *q. d.* Videte quantam charitatem, benevolentiam et amorem nobis dedit, id est, præstitit et exhibuit Deus. Vatablus, *quantum dilexerit nos*, cum gratiam et charitatem creatam nobis dedit et infudit, qua filii Dei nominamur et sumus. Ex charitate enim Dei increata manat charitas nostra creata, quasi radius a sole, rivulus a fonte, scintilla ab igne. Quos enim Deus amat charitate increata, eos facit sibi in amore respondere, seque redamare per charitatem creatam quam eis infundit. Charitas enim est amicitia, sive amor mutuus inter Deum et justum. Quocirca sicut Deo, quasi Deo et creatori, nos quasi creaturæ debemus omnem honorem, religionem et latriam; eidem quasi Domino nos quasi servi debemus timorem, reverentiam et obedientiam: sic eidem quasi Patri summo summum debemus amorem, adeoque totum cor, totam voluntatem, totum affectum.

In fine capitis præcedentis dixerat S. Joannes eum qui facit justitiam ex Deo esse natum, ideoque esse Dei filium; hic illius nativitatis et filiationis divinæ excellentiam, fructum et præmium docet et demonstrat, ut ex eo incitet fideles ad opera justitiæ paulo ante nominata, quibus Deo se gratos dignosque filios exhibeant, atque hanc ejus filiationem conservent, augeant, et ad bravium gloriæ æternæ perducant. Pro *videte* S. Augustinus legit « *ecce*, quasi admirando divinam charitatem extollat. » Singula S. Joannis verba, si penitius perpendantur, discutiantur et ponderentur, magnam habent emphasim, novosque amoris stimulos et ignes suggerunt.

Per « Patrem » accipe totam S. Trinitatem, vel potius proprie personam Patris; licet enim tota S. Trinitas nobis det gratiam et charitatem, qua nos sibi in filios adoptat, idipsum tamen appropriatur Patri, tum quia Patris est generare filios similes Christo Filio suo unigenito, juxta illud Evangelii S. Joannis, cap. III, vers. 6: « Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret; » tum quia Patri appropriatur vocatio, electio, prædestinatio, cujus effectus est justificatio et filiatio. Porro vere S. Augustinus, *De Natura et Gratia*, cap. ultim.: « Inchoata, ait, charitas inchoata justitia est; provecta charitas, provecta justitia est; perfecta charitas, perfecta justitia est. » Et S. Dionysius, *Eccles. Hierar.*, part. I, cap. II: « Prima, ait, mentis ad divina motio et contentio Dei est charitas; sanctæ autem charitatis ad divina perficienda præcepta prima omnino progressio est illa ineffabilis operatio, quia divine habemus. Si enim divinus status divino ortu, et, ut ita dicam, generatione efficitur, profecto qui statum divinum non accepit, is nihil unquam eorum quæ a Deo tradita sunt, sciet, nec operabitur. » Unde S. Cyrillus in cap. XLIV *Isaiæ*, et lib. XII *Thesauri*, cap. III, charitatem vocat characterem substantiæ Dei, sanctificationem, reformationem, pulchritudinem et speciem animæ.

UT FILII DEI NOMINEMUR (per adoptionem, sicut Christus est Filius Dei per generationem et nativitatem naturalem) ET SIMUS, — quia multi nominantur id quod non sunt; nos autem ita nominamur, ut revera simus pariter filii Dei. Audi S. Augustinum : « Nam qui vocantur et non sunt, quid illis prodest nomen, ubi res non est? Quam multi vocantur medici, qui curare non norunt? Quam multi vocantur vigiles, qui tota nocte dormiunt? Sic multi vocantur Christiani, et in rebus non inveniuntur; quia hoc quod vocantur non sunt, id est, in vita, in moribus, in fide, in spe, in charitate. Hic autem quid audistis, fratres? Ecce qualem dilectionem dedit nobis Pater, ut filii Dei vocemur et simus. » Hoc est quod ait Paulus : « Misit Deus spiritum Filii sui in corda nostra clamantem : Abba Pater, » *Galat.* IV, 6.

Notent hæc Novantes, qui censent nos revera et intrinsece justos non esse ob inhærentem semper concupiscentiam, sed tantum ita nominari propter justitiam Christi nobis imputatam, contra quos ait Concilium Tridentinum, *sess.* VI, cap. VII. Tò *simus* in multis Græcis codicibus deest, tuncque includitur in *nominemur;* quæ enim a Deo nominantur, revera talia sunt, imo efficiuntur a Deo, qualia nominantur. Si enim rex vocando aliquem nobilem, Magnatem, Principem, Ducem, hoc ipso facit eum nobilem, Magnatem, etc.: multo magis idem facit Deus, qui dona realia gratiæ iis quos filios nominat, infundit, quibus hoc nomine digni efficiantur : quod nequit facere rex. Unde Syrus vertit, *qui vocat nos, filios efficit.* Sicut enim Deus Pater generando Filium, ei communicat ipsissimam suam naturam et divinitatem, sic nos ex carne natos per spiritum regenerando, divinitatis suæ participationem summam nobis communicat per gratiam, fitque divinæ consortes naturæ, ut ait S. Petrus et Psaltes : « Ego dixi, dii estis, et filii Excelsi omnes, » *Psalm.* LXXXI, 6. Quare hoc ipso nos facit quasi deos, et similes Filio suo. « Hujus gratia Deus est quisque Sanctorum, » ait S. Basilius, hom. *De Spiritu Sancto.* Sicut ergo Deus est sanctus per essentiam, sic justus a Deo genitus participat hanc ejus sanctitatem, cæteraque omnia Dei attributa. Fit enim quasi omnipotens, ut cum Paulo omnia possit in Deo qui eum confortat, *Philipp.* IV, 13. Fit immutabilis, ut Deo inhærens nullis promissis, vel minis a recto dimoveri se sinat. Fit cœlestis, ut cœlestia concupiscens punctum hoc terræ despiciat. Fit quasi impeccabilis, quia quamdiu in gratia persistit, peccare nequit, de quo vers. 9. Fit optimus, quia charitatis viscera et beneficentiæ radios, quasi sol quidam salutaris ad omnes extendit. Fit quasi omniscius, quia theodidactus : unctio enim Dei eum docet de omnibus, ut ait Joannes, cap. II, vers. 27. Fit imperturbabilis, quia super omnes mundi sæculique vicissitudines mentem in Deo defixit. Fit liberalis, ut nulli invideat, sed ut omnium commoda quasi sua promoveat. Ardet charitate, ut æmulis reddat bona pro malis, itaque ex inimicis amicos efficiat. Fit rectus, patiens, constans, æquanimis, prudens, fortis, sincerus, quia talis est Deus Pater ejus. Vide S. Thomam, *Opusc.* LXII, si tamen ipse ejus est auctor : nam stylus alium indicat. Hoc est quod ait S. Jacobus, cap. I, vers. 18 : « Voluntarie genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus. » Et Osee, cap. I, vers. 10 : « Et erit in loco ubi dicetur eis : Non populus meus vos; dicetur eis : Filii Dei viventis. » Vide utrobique dicta.

Justus sit quasi Deus, omnipotens, immutabilis, etc.

Ex dictis sequitur nos per justificationem fieri filios Dei tripliciter, scilicet in præteritum, præsens et futurum. In præteritum, per generationem spiritualem, qua, ut ait Jacobus, « genuit nos verbo veritatis; » et S. Petrus, *epist.* II, cap. I, vers. 4 : « Ut simus divinæ consortes naturæ; » et S. Joannes in *Evang.*, cap. I, vers. 12 : « Dedit eis potestatem filios Dei fieri; » et hac *epist.* cap. IV, vers. 4 : « Vos ex Deo estis, filioli; » et vers. 6 : « Nos ex Deo sumus; » et cap. V, vers. 18 : « Omnis qui natus est ex Deo, non peccat, sed generatio Dei conservat eum. » Porro hæc generatio fit non tantum per gratiam, sed etiam per ipsam deitatem, quæ realiter nobis quasi filiis a Deo Patre communicatur, uti dixi II *Petri* I, 4. *Justus est filius Dei tripliciter. Primo.*

Secundo, fimus filii in præsens, per paternam curam, qua Deus quasi pater nos ut filios amat, regit et format, perficit, dirigit, tuetur, juxta illud *Psal.* LIV : « Jacta cogitatum tuum (Hebraice *sarcinam tuam, pondus tuum*) in Domino, et ipse te enutriet, » hebraice *sustentabit te;* et hac *epist.* cap. V, vers. 15 : « Scimus quia audit nos quidquid petierimus : scimus quoniam habemus petitiones quas postulamus ab eo. *Lucæ* cap. XII, 7 : « Capilli capitis vestri omnes numerati sunt. » Quæ mater ita amat filium, ut capillos ejus omnes numeret, conservet, restituat? Id tamen facit Deus : ergo plus quam mater nos curat. « Quid » ergo « times, o homo, in sinu Dei, » ait S. Augustinus, qui tibi pater est et mater? Vere B. Theodorus in *Vitis Patr.* : « Etiamsi, inquit, cœlum ruat in terram, Theodorus non timet, » scilicet : « Etiamsi fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinæ. » *Secundo.*

Tertio, in futurum per hæreditatem cœlestem, quam nobis quasi filiis dabit, ut simus hæredes Dei, et cohæredes Christi, juxta illud : « Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei, tu es qui restitues hæreditatem meam mihi, » *Psalm.* XV, 5. *Tertio.*

Sic Gentiles jactabant se a Jove vel diis genitos, sed falso : de qua re S. Augustinus, lib. III *De Civitate*, cap. IV : « Varro, inquit, utile esse civitatibus dicit, ut se viri fortes etiamsi falsum sit, ex diis genitos esse credant : ut eo modo animus humanus velut divinæ stirpis fiduciam gerens, res magnas aggrediendas præsumat audacius, agat vehementius, et ob hoc impleat ipsa securitate

felicius.» Sic Scipio nunquam elevari illam hominum existimationem voluit, quod divino semine ortus esset; et apud Lucianum *Dialog. Diogenis*, Alexander utile sibi ad res gerendas dicit fuisse, quod filius Jovis Ammonis sit habitus. Timebatur enim, nec aliquis repugnare ei audebat, nempe quem crederent Deum. Sic Romulum ex Marte genitum, Julium Cæsarem ex Venere finxerunt. Verum Christiani gloriantur se esse filios Dei, et vere sunt filii Dei, ideoque quo verior, eo acrior hic eis debet esse stimulus ad omnem virtutem, et ad heroica, imo divina opera. Audi S. Cyprianum, lib. *De Spectac.*: «Nunquam humana opera mirabitur, quisquis se cognoverit filium Dei; dejicit se de culmine generositatis, qui admirari aliquid post Deum potest.» Cum ergo sollicitat te caro, responde: «Filius Dei sum. Ad majora natus sum, quam ut me ventris mancipium efficiam.» Cum te tentat mundus, cum aurum et opes ostentat, responde: «Dei sum filius, cœlestibus opibus destinatus; indignum ergo est ut terræ albæ aut rubræ punctum consecter.» Cum te dæmon invadit, cum honores et pompas promittit, responde: «Vade, Satan, in gehennam: absit ut filium me efficiam diaboli, qui filius et hæres sum Dei. Regno æterno natus, omnem terræ honorem pompamque velut fumum calco et pedibus premo.» Dei filius es: ergo magna, ardua et divina opera, modico tempore vitæ quod tibi restat, et forte modicis horis, mente destina, qualia Christus, qualia Sancti peregerunt. Vocaris a Deo ad statum perfectionis, vocaris ad vitam pro salute animarum impendendam, vocaris ad Japones et Indos, vocaris ad crucem, ad martyrium? vocationi generose te offer, uti decet filium tanti Patris. Ita noster P. Balthasar Alvarez, uti refert Ludovicus de Ponte, in ejus Vita, hunc sibi suisque monitorem stimulum jugiter adhibebat: «Noli degenerare a præcelsis cogitationibus filiorum Dei.»

PROPTER HOC MUNDUS NON NOVIT NOS (Cajetanus, Vatablus et Isidorus legunt *vos*; sed Græca, Syrus, S. Augustinus et Latini legunt *nos*), QUIA NON NOVIT EUM. — *q. d.* Ideo homines mundani et Gentiles non æstimant, imo parvi pendunt et despiciunt hanc Christianorum ex Deo regenerationem et filiationem, quia Deum non noverunt saltem practice, quia Deum non colunt, non amant; multi etiam Deum non norunt speculative, ut athei, idololatræ, Pagani, etc. «Nesciunt, ait S. Chrysostomus, hom. 78 *in Joan.*, qui nos contumelia afficiunt, quales simus, utpote qui cœli cives, et supernæ patriæ ascripti, et Cherubim socii sumus. Scient autem in die judicii, cum stupentes et gementes dicent: Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum et in similitudinem improperii. Nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est,» *Sapient.* v, 4.

2. CHARISSIMI, NUNC FILII DEI SUMUS, ET NONDUM APPARUIT QUID ERIMUS (erimus autem Deo similes; unde subdit): SCIMUS AUTEM QUONIAM CUM APPARUERIT (Syrus, *cum ipse revelatus fuerit*), SIMILES EI ERIMUS. — «Similes ei,» scilicet Deo, non natura, sed qualitate, felicitate, gloria æterna, *q. d.* Mundus non novit nos, quia non videt internum nostrum decorem; sed videbit eum in die judicii, tuncque noscet nos, sed sero, quia tunc non erimus amplius obscuri, viles, despecti, sed splendidi; quia similes erimus Deo et Christo, puta erimus perfecte sancti, justi, puri, amantes Deum, quia erimus beati, gloriosi, divini: et sicut Deus se videt, eaque visione fruitur et beatur: ita et mens nostra videbit eum sicuti est, et omnia quæ in eo formaliter sunt, hacque visione fructur et beabitur in æternum, eaque perficietur nostra filiatio et adoptio, quia ut filii Dei gloriam, hæreditatem et felicitatem Dei adipiscemur. Vers. 2.

Nota: Similitudo Dei in nobis est triplex. *Prima* per naturam; sumus enim naturæ rationalis et intelligentis, sicut Deus est rationalis et intelligens. *Secunda* per gratiam, quæ, ut ait S. Bernardus *ad Fratres de monte Dei*, «in virtutibus consistit, in qua animus virtutis magnitudine summi boni quasi imitari gestit magnitudinem, et perseverantiæ in bono constantia æternitatis ejus incommutabilitatem.» Justus Deo similis triplici-ter.

Tertia similitudo Dei summa et perfectissima in nobis erit in cœlo per gloriam beatificam, in qua, ait S. Bernardus, «fit homo cum Deo unus spiritus, non tantum unitate volendi idem, sed expressiore quadam unitate virtutis aliud velle non valendi.»

Hæc ergo tertia similitudo de qua loquitur S. Joannes, consistit in gloria et felicitate cœlesti, quæ, ut docent communiter Theologi, consistit in visione Dei unius in essentia, et trini in personis, per lumen gloriæ. Unde τὸ *similes* explicans S. Joannes subdit: «Quoniam videbimus eum sicuti est.» Quocirca Œcumenius hanc Dei similitudinem ponit in adoptionis charitate et gloria, juxta illud *Psalm.* XV, 11: «Satiabor cum apparuerit gloria tua.» Et *Psalm.* XLVII, 9: «Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri.» Et *Psalm.* XXVI, 4: «Unam petii, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, ut videam voluptatem Domini.» Et *Psal.* XXXV, vers. 10: «Domine, apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen.» Et Paulus, I *Corinth.* XIII, 12: «Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.» Hinc Scholastici, I *part.*, *Quæst.* XII, docent Beatos videre ipsam Dei essentiam in se, ejusque tres personas et attributa omnia: Beati enim per visionem Deum possident, eumque quasi intra se trahunt, indeque sugunt omne bonum. Unde S. Augustinus, lib. *De Cognit. veræ vitæ*, in fine: «Talis, ait, visio, et talis gloria regnum cœlorum dicitur, quia soli cœli; id est

justi hac visione fruuntur, quorum primum summum bonum est, in quo habent plenum gaudium de plenitudine omnium bonorum.»

Rursum dum vident Deum, ejus speciem in mente sibi efformant, puta verbum mentis quod plane Deo est simile, Deumque eis refert et repræsentat. Unde S. Augustinus in *Enchirid.* cap. III : « Cum autem, ait, initio fidei quæ per dilectionem operatur, imbuta mens fuerit, tendit bene vivendo etiam ad speciem pervenire, ubi est sanctis et perfectis cordibus nota et ineffabilis pulchritudo, cujus plena visio est summa felicitas.» Hinc rursum Beati similes Deo erunt, quia participabunt beatam ejus æternitatem, eruntque feliciter æterni, sicut ille feliciter æternus est, uti explicat S. Gregorius, homil. 2 *in Ezechiel.*, et Evaristus Papa, *epistola* 1, et noster Vasquez I *part.*, *Quæst.* XII.

Ex visione sequitur amor Dei plenus in Beatis.

Ex hac similitudine gloriæ et visionis Dei quæ erit in intellectu, sequetur altera in voluntate, nimirum perfectus amor Dei visi et possessi. Unde S. Fulgentius ad Ferrandum Diacon., *Quæst.* III : « Similes ei erimus, inquit, imitatione justitiæ.» Nam hic Dei amor non tantum excludet omne peccatum etiam levissimum, sed et totum hominem rapiet in Deum, ut diligat eum ex toto corde, tota mente, tota anima et omni fortitudine ac viribus suis, ita ut nil diligat aut diligere velit vel possit, nisi Deum propter se, et cætera omnia propter Deum. Sicut enim Deus ita diligit seipsum, ut alio mentem et amorem flectere nequeat: sic et Beati Deum, utpote pulcherrimum, optimum, jucundissimum, et omnibus bonis cumulatissimum, ita diligunt, ut mentem alio avocare nequeant : inde fiunt non tantum impeccabiles, sed et immobiles a Deo, Deique contemplatione et amore. Unde S. Augustinus in *Confess.* : « Cum, ait, inhæsero tibi ex omni me, nusquam erit mihi dolor aut labor : viva erit vita mea tota plena te; nunc autem quoniam plenus tui non sum, oneri mihi sum. »

Porro hic amor idem semper durabit in omnem æternitatem, ideoque Beatos jugiter accendet ad Dei laudes. Unde S. Augustinus, serm. 118 *De Divers.*, cap. V : « Jam similes illi quando deficiemus, quo avertemur? Securi ergo sumus, fratres, non nos satiabit laus Dei : si deficies ab amore, deficies a laude : si autem amor sempiternus erit, quam satiabilis illa pulchritudo erit, noli timere ne non possis semper laudare, quem semper poteris amare. » *Tertio*, ex hac gloria et visione sequentur omnes dotes animæ et corporis, similes dotibus animæ et corporis Christi gloriosi : in anima enim erit summa pax, summa concordia, summa harmonia potentiarum, virium et actionum omnium.

Et dotes animæ et corporis gloriosi.

In corpore erit impassibilitas, claritas, subtilitas, agilitas, teste S. Paulo I *Corinth.* XV, 42. Unde Tertullianus, *De Resurrect.* cap. XX, ait : Similes ei erimus, scilicet quoad resurrectionem et immortalitatem corporis; erimus ergo similes ei, hoc est, erimus quasi Dii. Sicut enim sol in nube tralucens efficit parhelion, ut videatur esse novus, secundus et tertius sol : ita Deitas in Beatorum anima et corpore tralucens, efficiet tot quasi Deos, quot erunt Beati. Quanta felicitas, quanta gloria erit videre tot quasi angelos, imo tot quasi Deos quot erunt Sancti in cœlo? S. Joanni consonat S. Paulus *Coloss.* III, 3 : « Mortui, inquit, estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria; » et I *Corinth.* XV, 45 : « Primus homo (Adam) de terra terrenus, secundus homo (Christus) de cœlo cœlestis. Qualis terrenus, tales et terreni : et qualis cœlestis, tales et cœlestes. Igitur sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cœlestis. » Et *Philip.* III, 21 : « Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ; » et II *Corinth.* III, 18 : « Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tanquam a Domini spiritu; » et *Rom.* VI, 5 : «Si enim complantati sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus;» et *Rom.* VIII, 29 : « Quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus, » etc.

QUONIAM VIDEBIMUS EUM, — scilicet Deum, qui præcessit, et Christum : Christum enim quasi dilectum suum toto corde et ore gerebat S. Joannes: videbimus ergo Dei essentiam « sicuti est » in se, uti docent Scholastici I *part.*, *Quæst.* XII.

Rursum videbimus Christum hominem et carne indutum, « sicuti est, » id est sicut circumamictus est glorioso corporis decore et specie. Ita Bellarminus, lib. I *De Beatitud. Sanct.*, cap. III; Gregorius de Valentia, I II, disput. I *De Beatitud.*, quæst. IV, puncto 2, et alii.

Rursum, «videbimus eum sicuti est, » id est non per speculum et ænigma, sed facie ad faciem : in hac enim vita non videmus Deum sicuti est, sed sicut propter nostram dispensationem factus est, scilicet videmus carne vestitum, passum et crucifixum, ait S. Augustinus et Origenes, homil. 6 *in Genes.*, et S. Gregorius, hom. 2 *in Ezech.*

Vers. 3. Modi quibus quis fit Deo similis.

3. ET OMNIS QUI HABET HANC SPEM IN EO, SANCTIFICAT SE, SICUT ET ILLE SANCTUS EST. — Dixit S. Joannes nos in futura vita similes fore Christo et Deo, quia videbimus eum sicuti est; nunc modum id assequendi suggerit, scilicet *primo*, spem locare in Deo; Dei enim est dare gratiam, quæ nos ad rem tam arduam, qualis est similitudo Dei, perducat. «Fiducia sperantium misericordia Dei est,» ait S. Prosper in *Psalm.* CXXX. *Secundo*, studere sanctitati. Neque enim sufficit spem locare in Deo, nisi et ipse manum admoveas operi, Deoque collabores : nemo enim in cœlo erit Christo similis, qui in terra ei moribus fuit dissimilis. Ut ergo ei

similes simus in gloria, conniti debemus ut similes ei simus in sanctitate, virtute et gratia, puta in amore, labore, cruce et dolore, juxta illud : « Si tamen compatimur, ut et conglorificemur, » *Roman.* cap. VIII, 17; et : « Sine sanctimonia nemo videbit Deum, » *Hebr.* XII, 14; scriptum est enim : « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt, » *Matth.* V, 8. Pulchre S. Augustinus, *De Cognit. veræ vitæ,* in fine : « Ad hoc summum bonum, ait, justi quadam catena trahuntur, quæ de virtutibus hoc modo connectitur. In primis fides animam quasi quidam circulus complectitur, fides spe nutritur, spes dilectione tenetur, dilectio operatione expletur, operatio ad summum bonum intentione trahitur, intentio boni perseverantia clauditur, perseverantiæ Deus fons omnium bonorum dabitur. »

SANCTIFICAT SE, — ἁγνίζει ἑαυτόν, id est *castificat seipsum*, uti legit S. Augustinus, Didymus, Clemens, Œcumenius et alii; Tigurina, *purificat seipsum*; alii, *lustrat, expiat seipsum*. Putant nonnulli quod noster Interpres legerit ἁγιάζει, id est *sanctificat* : verum non est necesse eo confugere. Docte enim interpres ἁγνίζει, id est *purificat,* vertit *sanctificat*, quia « sanctitas, ut ait S. Dionysius, *De Divin. Nom.*, cap. XII, est omni inquinatione libera, incontaminatissima et perfectissima puritas. » Unde castitas, et præsertim virginitas, vocatur sanctitas, juxta illud Apostoli, I *Corinth.* cap. VII, vers. 34 : « Mulier innupta et virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta et corpore et spiritu. » Talibus enim a Christo datur certa spes visionis Dei, juxta illud : « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. »

Vera ergo hominum sanctitas consistit in emundatione peccatorum, et eradicatione vitiorum, juxta illud S. Pauli : « Qui emundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, et utile Domino, et ad omne opus bonum paratum, » II *Timoth.* II, 21.

Porro, hæc emundatio vitiorum fit per insitionem et exercitium contrarium virtutum, puta superbiæ, per humiliationem et humilitatem; libidinis, per carnis mortificationem et castitatem; impatientiæ, per patientiam; intemperantiæ, per temperantiam; odii, per charitatem, etc. Quare sanctitas non est aliud quam humilitas, castitas, patientia, temperantia, charitas cæteræque virtutes, quibus anima sanctificatur, Deoque quasi dicatur et consecratur. Sanctum enim dicitur, quasi sanguine sancitum, id est dicatum et oblatum Deo. Unde aliqui sic exponunt, « sanctificat se, » id est offert, dicat, consecrat se Deo, uti faciunt sacerdotes et Religiosi. Simili enim modo, licet imperfectiori, fideles omnes in baptismo unguntur et consecrantur Deo, fiuntque regale sacerdotium, id est, reges et sacerdotes mystici, uti dixi I *Petri* II, 9. Sic Christus ait : « Pro eis ego sanctifico meipsum, » id est, in sanctam victimam me offero, « ut sint et ipsi sanctificati in veritate, » justificati scilicet, Deoque deputati et dicati, *Joan.* XVII, 19.

Est Dei amor.

Denique S. Gregorius Nazianzenus, *Iambico* XV : « Quid, ait, est sanctitas? Cum Deo consuescere. » Et S. Bernardus, lib. V *De Consider.*, cap. XIV : « Sanctum, inquit, facit affectio sancta, et ipsa gemina, timor Domini et sanctus amor. His perfecte affecta anima, velut quibusdam duobus brachiis suis comprehendit, amplectitur, stringit, tenet et ait : Tenui eum, nec dimittam. » Idem, *serm.* 25 inter parvos : « Tria, ait, sunt quæ sanctum faciunt hominem, victus sobrius, actus justus, sensus pius. Victus sobrius erit, si continenter, si socialiter, si obedienter, id est caste, charitative, humiliter vixerimus. Per continentiam enim castitas, per socialitatem charitas, per obedientiam humilitas acquiritur. Et hæc est virtus quæ animam perfecte Deo subditam, sub umbra alarum ipsius secure facit vivere. Actus justus erit, si fuerit rectus, discretus, fructuosus. Rectus per bonam intentionem, discretus per mensuram possibilitatis, fructuosus per utilitatem proximorum. Sensus pius erit, si fides nostra Deum sentit summe potentem, summe sapientem, summe bonum : ut per ejus potentiam, nostram credamus adjuvari infirmitatem; per ejus sapientiam, nostram credamus corrigi ignorantiam; per ejus bonitatem, nostram credamus dilui iniquitatem. Tria sunt quæ mortem sanctorum faciunt pretiosam : quies a labore, gaudium de novitate, securitas de æternitate. »

Tria faciunt sanctum

SICUT ET ILLE SANCTUS EST. — Alludit Joannes, imo citat illud *Levit.* cap. XXVI : « Eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus. » Vide dicta ibidem, et *Levit.* cap. XXVII, XXVIII. Magnam a fidelibus sanctitatem requirit S. Joannes, nimirum quæ similis sit sanctitati Dei et Christi, ac proinde ut in dies studeant magis sanctificari, magnosque in sanctitate facere progressus, ut hac ratione quotidie similiores Christo, ejusque sanctitati efficiantur. Idem sanxit Christus, dicens : « Estote vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est, » *Matth.* V, 48.

Sanctitatis exemplar Christi vita inquenda.

Quisquis ergo satagis esse sanctus, ob oculos pone exemplar tuæ sanctitatis, ac meditare jugiter vitam et passionem Christi Domini, eamque imitare, ac factis et moribus exprime. Audi S. Ambrosium, lib. *De Isaac*, cap. VIII : « Exuat unusquisque animam suam involucris sordidioribus, et quasi aurum igne approbet detersam luto : sic enim purgatur anima velut aurum optimum; pulchritudo autem animæ sincera virtus et decor, verior cognitio supernorum, ut videat illud bonum, ex quo pendent omnia, ipsum autem ex nullo. » S. Gregorius autem Nazianzenus ad hoc ipsum nos excitans, ait : « Imaginis decus imagini reddamus, dignitatem nostram agnoscamus, exemplar nostrum honore prosequamur, mysterii vim intelligamus, et pro quo Christus morte functus est : simus ut Christus, quoniam

Christus quoque sicut nos. Efficiamur Dii propter ipsum, quoniam ipse quoque propter nos homo.» Idem Nazianzenus, *orat.* 6, de Deo loquens : « Neque enim purus, ait, tanto in pretio quidquam habet, quam puritatem aut purgationem. »

Vers. 4. 4. OMNIS QUI FACIT PECCATUM, ET (id est *etiam*) INIQUITATEM FACIT; ET (id est *quia*) PECCATUM EST INIQUITAS.— « Quia quicumque peccat, contrarius æquitati divinæ legis peccando existit, » ait Beda. Probat fideles se debere sanctificare, ut assimilentur Christo, qui est Sanctus sanctorum, a contrario, quia scilicet peccatum quod est contrarium, non est aliud quam iniquitas, græce ἀνομία, id est legis divinæ prævaricatio; ac proinde nos plane Deo dissimiles, difformes et exosos reddit; loquitur proprie de peccato perfecto, puta mortifero. Unde S. Augustinus, XXII *Contra Faustum*, XXVII, peccatum ita definit : « Est dictum, factum vel concupitum contra legem æternam. » Et S. Ambrosius, lib. *De Paradiso*, cap. VIII : « Quid aliud, inquit, est peccatum nisi divinæ legis trangressio, ac cœlestium inobedientia mandatorum? Idem significat vox *iniquitas*, id est, recessus ab æquitate, quam lex præscribit. Simili modo peccatum dicitur injustitia, quia contrarium justitiæ, id est justo, æquo et recto. Hoc ergo est ἄνομον, id est *illegitimum*, exlex, irregulare, devians a lege et regula. Hinc patet apud S. Joannem peccatum idem esse quod iniquitatem, licet in vulgari usu loquendi plus et pejus quid significet iniquitas, quam peccatum, uti docet S. Gregorius, XI *Moral.*, XXI vel XXIII. Esto S. Ambrosius, *Apolog. David*, cap. XIII, secus existimet, putetque plus sonare peccatum quam iniquitatem; quia « peccatum, inquit, est opus iniquitatis; iniquitas autem operatrix culpæ aut delicti.»

Porro omne peccatum, etiam contra legem humanam duntaxat, puta civilem vel Ecclesiasticam commissum, est contra Deum, quia est contra legem Dei æternam : ab hac enim omnis lex positiva et humana, quasi rivulus a fonte derivatur et descendit; lex enim æterna, ait S. Thomas, I II, *Quæst.* XCI, art. 1, est summa ratio in mente divina existens, secundum quam dirigit omnes creaturarum actiones et motus in suos fines. Sicut enim in Deo est ratio rerum creandarum, quæ dicitur idea : ita etiam est ratio rerum gubernandarum, quæ dicitur lex æterna. Et sicut illa ratio rerum creandarum non est aliud quam conceptus divinæ mentis, quo concipit rem, et judicat quomodo illa sit facienda : ita hæc ratio quæ est lex æterna, non est aliud quam conceptus ille, quo concipit et judicat quomodo quælibet creatura debeat suas functiones obire, adjuncta simul voluntate eam obligandi, vel imprimendi inclinationem ad eam regulam sequendam.

Lex æterna, quid?

Vers. 5. 5. ET SCITIS QUIA ILLE APPARUIT UT PECCATA NOSTRA TOLLERET. — « Ille, » scilicet summus rerum opifex, summe venerandus, colendus et amandus, puta Christus Dei Filius, quem toto corde et ore gero, cæterique omnes gerere debent, quasi suum Creatorem et redemptorem. Sic Moses Deum vocat « illum qui est, » *Exod.* III, 14. Et Pythagoras apud suos tantæ erat venerationis et auctoritatis, ut cum de quæstione quapiam contenderent ejus discipuli, dum citaretur sententia Pythagoræ, quasi magistri irrefragabilis, omnes dicerent αὐτὸς ἔφα, *ipse*, scilicet Pythagoras, *dixit*; ergo ei acquiescendum est, ac proinde cessent omnes disputationes et rationes. Porro Christus tollit peccata, quia, ut ait Beda : « Tollit dimittendo quæ facta sunt, et adjuvando ne fiant, et perducendo ad vitam ubi omnino fieri non possunt. »

Pro *tolleret* græce est αἴρειν, syriace נשא *nasa*, quorum utrumque tam *portare*, quam *auferre* significat : et utrumque huic loco convenit. Christus enim ita peccata nostra abstulit, ut ea in se luenda susceperit, itaque pœnam eis debitam portarit. Alludit, imo citat *Isai.* LIII, 4 : « Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit, » ubi hebraice est idem נשא *nasa*; et vers. 6 : « Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum; » et vers. 11 : « Justificabit ipse justus servus meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit. » Ad Isaiam alludens S. Joannes Baptista videns Christum de eo dixit : « Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, » *Joan.* I, 9. Huc quoque respicit hic illi homonymus noster S. Joannes. Antistropha S. Joannis est illa S. Petri sententia, *epist.* I, cap. II, vers. 24 : « Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum; » et illa S. Pauli : « Quem proposuit Deus propitiationem (propitiatorem) per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum. »

Moraliter, disce hic quam grave malum sit peccatum, utpote ad quod tollendum Christus e cœlo in terram et carnem descenderit, imo passus et crucifixus sit, ut nos idem facere doceret, ut scilicet pro abolendis peccatis et convertendis peccatoribus omnes labores, peregrinationes, dolores, pœnas et cruces libenter subeamus. « Non sane, ait Œcumenius, peccandi vobis locus ullus relinquitur; cum enim Christus ad peccatum destruendum advenerit, quippe qui peccati omnis prorsus fuerit immunis, vobis qui in ipso estis nati et fide in ipsum confirmati, peccare amplius non licet. » Oportet ergo quemlibet fidelem satagere ut aboleat in aliis, æque ac in seipso omne peccatum, ut destruat opus diaboli, eo studio (imo longe majori) quo venatores destruunt semina serpentum, ova accipitrum, catulos luporum.

ET PECCATUM IN EO NON EST.—« Et, » id est quia, *q. d.* Ideo Christus potens et idoneus fuit tollere peccatum, quia carebat omni peccato, imo potestate peccandi. Erat enim ipse naturaliter impeccabilis ob unionem hypostaticam; per hanc enim divina Verbi persona Christi humanitati ita assis-

tebat, ut illam per omnes actiones dirigeret, ne vel in minima offenderet : alioqui enim offensa et peccatum recidisset in ipsam personam Verbi (quod est impossibile), tum quia actiones sunt personæ sive suppositi, tum quia persona tenetur naturam quam sustentat, regere et gubernare, ne peccet. Denique « Christi voluntas cum tota deificata sit, Deo procul dubio non adversatur, » ait S. Gregorius Nazianzenus, *orat.* 36. Et S. Cyrillus, *De Recta fide ad Theodosium,* docet Verbum animam Christi sua sanctitate et immutabilitate plane imbuisse, sicut vellus imbuitur colore quo tingitur. « Sicut ergo, inquit, caro postquam Verbi omnia vivificantis caro effecta est, quod peccatum non novit, e vestigio statum firmum ac omnibus modis stabilem, peccatoque quod olim tyrannidem in nos exercebat, multis partibus potentiorem nacta est. » Citat S. Joannes *Isaiam* cap. LIII, vers. 9 : « Eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus. » Nam, ut ait S. Paulus, *Hebr.* VII, 26 : « Talis decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior cœlis factus. » Quia, ut ait S. Augustinus hic, « in quo non est peccatum, ipse venit auferre peccatum; » nam si esset et in illo peccatum, auferendum esset illi, non auferret.

6. OMNIS QUI IN EO MANET, NON PECCAT, — in sensu composito, quamdiu scilicet in Christo et Christi gratia manet, quamdiu ductum gratiæ sequitur, quia gratia et peccatum sunt contraria, quæ magis inter se pugnant, quam calor et frigus, albedo et nigredo; et quia Christi gratia roborat hominem ad vincendum omne peccatum. Porro in Christo manet, ait Œcumenius, « qui nulla intermissione facta virtutes exercet, et nunquam ab operatione ipsarum desistit. »

ET OMNIS QUI PECCAT, NON VIDIT EUM, NEC COGNOVIT EUM. — « Non vidit, » scilicet Christum, quoad humanitatem; « non cognovit » eumdem, per fidem quoad deitatem, ait Glossa. Verum hoc subtilius est. Idem ergo est « non vidit, » quod « nec cognovit; » qui enim peccat, non cognoscit Christum, scilicet practice, quia practice non considerat immensum Christi amorem, redemptionem, beneficia ac præmia gloriæ æternæ justis promissa, et pœnas peccantibus ab eo præparatas in gehenna : si enim hæc attente consideraret, utique non peccaret; unde S. Basilius in *Moral.*, Regula 80, in fine : « Quid proprium, ait, Christiani? Providere Dominum in conspectu suo semper. »

Rursum qui peccat non novit Christum, notitia scilicet sapida et affectuosa, quæ conjuncta est cum amore et charitate. « Non novit » ergo, id est, non amat Christum, non illi esse gratus satagit, non illi placere contendit. Si enim Christum vere amaret, ingruente quavis tentatione cum Paulo diceret : « Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio, an angustia? etc. Certus sum quia neque mors, neque vita, » etc. *Rom.* VIII; et cum Sponsa, *Cant.* VIII : « Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. » Ita passim S. Joannes hac epist. accipit τὸ *cognoscere* practice, pro amare, æstimare, affici.

Audi Bedam : « Omnis ergo, inquit, qui peccat, non vidit eum, nec cognovit eum; si enim gustasset et vidisset quam suavis est Dominus, nequaquam se peccando a videnda ejus gloria segregaret : et in quantum justi memoriam abundantiæ suavitatis ejus eructant, et justitiam ejus exaltant, in tantum se a peccatis abstinendo, justitiæ ejus incommutabili et incomparabili concordare satagunt. » Optime vero hoc loco Didymus : « Omnis, ait, qui peccat, factus extraneus Christi, non habet participium, nec scientiam ejus. Nam cum dicit : Non videt eum, significat quod participium non habet ejus; cui rei consequens est, ut neque scientiam internam ejus habere videatur. »

7. FILIOLI, NEMO VOS SEDUCAT, — *q. d.* Non vos seducat Simon, non Gnostici, qui docent sola fide hominem justificari, nec requiri ad justitiam bona opera; quare posse quemlibet esse justum, et simul indulgere suis cupiditatibus, et impure vivere : hæc enim non officere justitiæ, dummodo fidem retineat : quocirca Christianos libertate a Christo donatos, libere posse vivere et facere quidquid lubet. Contra hanc enim hæresim Epistolas suas scripserunt S. Petrus, Joannes et Jacobus : unde contra eam docent justificari nos non ex sola fide, sed et ex operibus. Hinc subdit S. Joannes : Vers. 7.

QUI FACIT (non qui credit) JUSTITIAM, JUSTUS EST. — Nota, non ait : Qui facit opera justa, sed, « qui facit justitiam; » peccatores enim et pœnitentes faciunt aliqua opera justa, et tamen non sunt justi (nisi dispositive et inchoative, quia scilicet disponunt se ad justitiam, ad eamque tendunt), quia non faciunt justitiam, scilicet plenam et integram, quia non faciunt omnia a lege Dei præscripta : legem enim Dei plene implere nemo potest, nisi per gratiam et charitatem, quam solus habet justus. Nam, ut ait S. Jacobus, cap. II, vers. 10 : « Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus : » vide ibi dicta.

Secundo, opponit hic S. Joannes natos ex Deo, uti dixit cap. II, vers. 29, natis ex diabolo, puta filios Dei filiis diaboli, sive justos injustis, in eo quod justus faciat opera Dei, puta opera justitiæ et sanctitatis : per justitiam enim hic generalem accipit, quæ est complexio omnium virtutum, sive omnis virtus, ut ait Nyssenus, lib. *De Beatitud.*; injustus vero faciat opera diaboli, puta opera injustitiæ et iniquitatis, sive peccata.

Tertio, « qui facit justitiam, justus est, » tum quia opera justitiæ quæ facit, indicant eum esse justum : manant enim ex habitu justitiæ et charitatis, quo ille a Deo donatus est, cum ex eo renatus est; tum quia opera justitiæ ejus augmentum promerentur, faciuntque magis justum; tum

quia justi est continuo exercere se in operibus justitiæ, si justitiam acceptam retinere et augere velit. Agitur enim hic non de infusione, sed de exercitatione justitiæ, ait Thomas Anglicus.

Moraliter ergo docet S. Joannes, justum debere se assidue exercere et crescere in operibus justitiæ et virtutis, ejusque augendæ perpetuum debere habere studium et conatum instar sponsæ, de qua dicitur *Cantic.* IV : « Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol? » et *Proverb.* IV : « Justorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectum diem. » Vere S. Augustinus in hanc epistolam, *tract.* 4 : « Tota vita Christiani boni, inquit, sanctum est desiderium. » Ita faciebat S. Paulus, dum ait : « Quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis, » *Philipp.* III, 14. Et de sanctis animalibus ait Ezech. I, 12 : « Unumquodque eorum coram facie sua ambulabat : ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur; » ubi vide S. Gregorium, *homil.* 3, et S. Bernardum, epist. 254 *ad Guarinum*, et S. Basilium, hom. 11 *Hexaem.*, et S. Hieronymum *ad Celantiam.*

SICUT ET ILLE JUSTUS EST, — quia semper et ubique facit justitiam, eamque plenam et perfectam, imo divinam, juxta illud : « Universæ viæ Domini misericordia et veritas, » *Psalm.* XXIV, 10; et : « Opera manuum ejus veritas et judicium, » *Psal.* CX, 7; et : « Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis. »

Nota : Τὸ *sicut* non æqualitatem significat, sed similitudinem : nulla enim creatura æquare potest justitiam et sanctitatem Creatoris, sed ejus umbram duntaxat imitatur et assequitur, perinde ut speculum umbram seu imaginem hominis exhibet, non ipsum hominem, ait Beda. Audi S. Augustinum : « Castificat nos sicut et ipse castus est, sed ille castus æternitate, nos casti fide : justi sumus sicut et ipse justus est, sed ipse in ipsa incommutabili perpetuitate, nos justi credendo ei, quem non videmus, ut aliquando videamus. Et cum perfecta fuerit justitia nostra, cum facti æquales angelis fuerimus, nec tunc illi æquabimur : quanto ergo modo ab illo longe est, quando nec tunc par erit? »

8. QUI FACIT PECCATUM, EX DIABOLO EST. — Est antithesis versus præcedentis, *q. d.* Sicut qui facit justitiam, justus est, et ex Deo natus : ita ex adverso qui facit peccatum, injustus est, et natus ex diabolo, quia ejus actiones et suggestiones sequitur, ex iisque quasi ex malo semine concipit et gignit peccatum. Esse ex diabolo, est imitari diabolum, ait S. Augustinus : « Nam neminem fecit diabolus, neminem genuit; sed quicumque fuerit imitatus diabolum, quasi de illo natus fit filius diaboli imitando, non proprie nascendo. » Itaque « qui facit peccatum, ex diabolo est, » id est ex diaboli regno, familia et prosapia est, eumque sequitur et imitatur, ceu filius patrem : non autem quasi ex traduce diaboli genitus sit, ut somniarunt Manichæi. Simili phrasi ait Ezechiel, cap. XVI, vers. 3, Judæis impiis : « Mater vestra Chetæa, et pater vester Amorrhæus : et soror tua major Samaria, etc., soror autem tua minor Sodoma. »

QUONIAM AB INITIO DIABOLUS PECCAT. — « Ab initio, » scilicet creationis suæ : nam licet non primo instanti (quia creatus est in gratia), paulo post illud tamen peccavit, superbiens et rebellans contra Deum. *Secundo*, « ab initio » peccati et peccatorum, quia ipse primo peccavit; unde Adæ cæterisque peccandi dedit initium et exemplum. Ita Cyrillus, *catech.* 2 : « Princeps, ait, peccati diabolus est, et pater malorum. » Et S. Augustinus hic : « Ab initio, ait, diabolus peccat, non ab initio ex quo creatus est, sed ab initio peccati, quod ab ipsius superbia cœperit esse peccatum. » Addit *tertio*, Didymus : « Ab initio diabolus peccat, quia primas, inquit, immittit suggestiones peccatorum, » *q. d.* Initium peccatorum omnium sibi vindicat plerumque diabolus, quia plerumque ea homini suggerit, ad eaque impellit. Denique τὸ *ab initio peccat* significat diabolum jugiter in suo peccato et rebellione perseverare, utpote damnatum et obstinatum in malo, juxta illud *Psalm.* LXXIII : « Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper. » Peccat ergo, id est, in affectu peccati primi superbiæ et aliorum semper persistit.

Alludit S. Joannes ad illud sui Evangelii, cap. VIII, vers. 44 : « In veritate non stetit, quia statim ut factus est, cecidit; fuit quidem in veritate conditus, sed non stando confestim a veritate est lapsus, » ait Isidorus, lib. I *De Summo bono*, cap. III. Addit Beda : « Quoniam, inquit, ab initio diabolus peccat : quia, ait, ex quo ab initio cœpit diabolus peccare, nunquam desiit, nec præsentium scilicet pœnarum enormitate, nec futurarum metu coercitus. Unde ex illo jure esse dicitur, qui a peccando se revocare negligit. » Cujusmodi autem fuerit primum diaboli peccatum, his verbis explicat Beda : « Ille qui primus est conditus, mox ut altitudinem suæ claritatis aspexit, contra conditorem cum suis sequacibus superbus intumuit, perque eamdem superbiam ab initio peccans de Archangelo in diabolum est versus. »

IN (ad) HOC APPARUIT FILIUS DEI, UT DISSOLVAT OPERA DIABOLI. — Confirmat id quod dixit, *q. d.* Adeo qui peccat est ex diabolo, non ex Deo, ut ad peccatum quasi hostem suum abolendum, Christum carnem assumere, in eaque apparere voluerit. Repetit more suo id quod dixit vers. 5 : « Et scitis quia ille apparuit ut peccata nostra tolleret. » Nota τὸ *ut dissolvat*. Peccata enim sunt quasi funes quos plectit diabolus, instar aranei captantis muscas, ut iis implicet, intricet et irretiat peccatorem, ne iis se extricare possit : quos proinde Christus venit dissolvere, ut iis peccatorem extricet et eripiat. Hoc est quod ait Sapiens

Proverb. v, 22 : « Iniquitates suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur ; » et Isaias, v, 18 : « Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, et quasi vinculum plaustri peccatum ! » Vide ibi dicta. Hinc Christus dedit Petro et Apostolis potestatem solvendi, *Matth.* XVI, 19, et *Joann.* XX, 23.

Ex hoc loco et similibus liquet Christum non fuisse incarnandum, si Adam non peccasset : negant id nonnulli Doctores Scholastici ; sed constanter asserit Scriptura et Patres, qui nullam aliam Christi incarnationis causam assignant, quam nostram a peccato expiationem et redemptionem. Audi Symbolum Nicænum : « Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cœlis. » Hinc ex S. Gregorio canit Ecclesia in benedictione cerei Paschalis : « O vere necessarium Adæ peccatum, quod Christi morte deletum est ! O felix culpa, quæ talem et tantum meruit habere redemptorem ! » S. Ambrosius, lib. *De Sacrament. Incarnat.*, cap. LXI : « Quæ, inquit, erat causa incarnationis, nisi ut caro quæ peccaverat, per se redimeretur ? » S. Augustinus, serm. 9 *De Verb. Apost.* : « Nulla, ait, causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, et nulla erit causa medicinæ. » S. Leo, serm. 3 *De Pentecost.* : « Si homo non deviasset, inquit, Creator creatura non fieret, neque aut sempiternus temporalitatem subiret, aut æqualis Deo Patri Filius formam servi, et similitudinem carnis peccati assumeret. » Idem dicunt cæteri.

QUONIAM SEMEN IPSIUS IN EO MANET. — Quodnam est hoc « semen ? » *Primo*, Œcumenius accipit Christum ; Christus enim est semen Patris et semen benedictum Abrahæ, *Galat.* III, 29. *Secundo*, S. Augustinus, Clemens Alexandrinus, Beda, Glossa et Hugo accipiunt verbum Dei, de quo extat parabola seminis et seminantis, *Lucæ* VIII, 11 ; *Jacobi* I, 18 ; I *Petri* I, 23. *Tertio* et aptissime, Lyranus, Cajetanus, Hugo et Thomas Anglicus : Semen, inquiunt, est gratia Dei, idque *primo*, quia ex gratia et charitate quasi ex semine pullulant cæteræ virtutes, item bona opera et merita. *Secundo*, quia gratia est semen gloriæ, uti pulchre docet S. Thomas, I *part.*, *Quæst.* LXII, art. 3. *Tertio*, quia, sicut semen mori debet ut pullulet et fructificet : ita gratia parit studium mortificationis et martyrii, ex quo omne bonum privatum et publicum profluxit et profluit, juxta illud Christi *Joannis* XII, 24 : « Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet ; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam suam, perdet eam ; et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. »

9. ET NON POTEST PECCARE, QUONIAM EX DEO NATUS EST. — Hinc Jovinianus olim, teste S. Hieronymo, lib. II *Contra eum*, et nuper Lutherus et Calvinus docuerunt fidelem non posse excidere a fide, gratia et justitia, esseque certum de sua perseverantia et salute. Sed hic est error damnatus a Scriptura et a S. Joanne, cap. II, vers. 1, ubi ait : « Filioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis ; » poterant ergo peccare : atqui illi erant fideles ; ac repugnat experientiæ quotidianæ, qua videmus in dies multos fideles fieri hæreticos et peccare. Denique contrarium definitum est a Concilio Tridentino, *sess.* VI, can. 23.

Justus non potest peccare, quo sensu ? Resp. Primo.

Alius ergo est sensus S. Joannis, nimirum qui natus est ex Deo, non potest peccare, scilicet graviter et mortaliter. *Primo*, in sensu non diviso, sed composito, quatenus scilicet ex Deo natus est, et quamdiu nativitatem hanc et semen gratiæ Dei, qua renatus est, conservat, ejusque ductum sequitur : ita Œcumenius, Thomas Anglicus, Cajetanus et S. Hieronymus, lib. II *Contra Jovinianum*. Sic dicunt Theologi eum qui habet gratiam efficacem, non posse non facere id ad quod eum gratia impellit, ac consequenter non posse peccare, nimirum in sensu composito, quia gratia efficax in suo conceptu includit effectum. Efficax enim dicitur, quæ prævisa est habitura effectum, quod scilicet libero arbitrio persuadebit consensum in bonum opus. Absolute tamen qui habet gratiam efficacem, potest ei resistere et peccare, uti liquet ex Concilio Tridentino, *sess.* VI, can. 4.

Secundo.

Secundo, qui natus est ex Deo, « non potest peccare » in sensu formali, quantum scilicet est ex parte nativitatis divinæ, si videlicet vim nativitatis et gratiæ divinæ spectes ; hæc enim si sinatur agere et operari, nec ei resistat liberum arbitrium, potens est et efficax, ut excludat omne peccatum, ne cum eo possit consistere. Ita S. Augustinus, *De Gratia Christi*, cap. XXI. Sic Adam in statu innocentiæ dicitur fuisse immortalis, quia quamdiu in eo perdurabat, non poterat mori ; sed sicut illum deserere poterat, sic et mori. Sic dicemus : hæc medicina, v. g. theriaca, tam potens est, itaque pesti resistit, ut qui eam sumit non possit peste mori, uti Mithridates sumens quotidie mithridaticum a se inventum et denominatum, ita induruit contra venenum, ut in angustias extremas a Romanis redactus, sumensque venenum, ut eo se enecaret (ne vivus in Romanorum potestatem veniret), diu id facere nequiverit, natura ita mithridatico roborata, ut omnem veneni vim elideret. Sed sicut quis potest theriaca, quam habet, non uti, imo sumptam ejicere et evomere, itaque peste tangi et mori : ita pariter qui habet gratiam Dei, potest ea non uti, eamque abjicere et peccare. Porro S. Joannes hic distinguit habitus supernaturales divinæ gratiæ ab habitibus virtutum moralium naturalibus, quod illi omne peccatum excludant, hi vero non. Nam habitus, v. g. temperantiæ, non perditur per unum actum intemperantiæ, sicut nec per unum actum temperantiæ acquiritur. Rursum distinguit gratiam Christi a gratia Adami, quod hæc Adamo dabat posse, non velle, illa Christianis licet infirmioribus det

posse et velle : vide S. Augustinum, *De Corrept. et Gratia*, cap. XII : « Provisum est, inquit, infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter et inseparabiliter ageretur, et ideo quamvis infirma non deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur, etc., ut ipso donante invictissime quod bonum est vellet, nec hoc deserere invictissime nollet. » Hoc modo explicat S. Joannes, cap. V, vers. 18, dicens : « Omnis qui natus est ex Deo, non peccat, sed generatio Dei conservat eum. »

Tertio, « non potest peccare, » id est, ægre, difficulter potest peccare : quia in novum hominem renatus, totus gratia Dei est indutus et imbutus, ut tanti Dei beneficii immemor et ingratus esse vix queat.

Huc accedit Œcumenius : « Non potest, » ait, id est, non vult peccare. Alii per metathesin, « non potest peccare, » id est, inquiunt, potest non peccare ; quia hoc proprie est posse et potentia, cum ex adverso posse peccare et peccare sit infirmitas et impotentia, *q. d.* : Semen, id est, gratia Dei, dat nobis potentiam et robur qua possimus non peccare, et vincere omne peccatum, si velimus ei cooperari.

Quarto, S. Augustinus, *De Natura et Gratia*, cap. XIV : « Non potest peccare, » scilicet de jure, non de facto, *q. d.* Jure non potest peccare, non decet, non congruit eum peccare ; si peccet, facit contra omne debitum, jus et fas ; quia ingratus est tantæ gratiæ, nativitati et filiationi a Deo acceptæ.

Quinto. *Quinto*, Gagneius : « Non potest peccare, » scilicet peccato infidelitatis affectatæ, vel impugnationis veritatis agnitæ, quod S. Joannes vocat peccatum ad mortem, cap. V, vers. 16.

Sexto, alii hæc accipiunt de prædestinatis et absolute electis ad vitam æternam ; hi enim licet possint aliquo tempore esse in peccato mortali, tamen in extremo vitæ articulo nequeunt esse in eo, cum eoque mori. Simili modo ait Christus, *Matth.* XXIV, non posse electos in errorem induci, et Joannes, X, neminem posse electos de manu sua rapere. Hinc S. Fulgentius *De Fide ad Petrum*, cap. XXV : « Firmissime tene, inquit, nullum eorum qui prædestinati sunt, posse perire ; » intellige hoc de impossibilitate non antecedenti, sed consequenti, quam logici consequentiæ vocant, quæ recte cum libertate arbitrii nostri consistit, quia illam includit et præsupponit.

Prima expositio et *secunda* maxime genuinæ videntur.

Anagogice S. Augustinus, lib. II *De Peccat. mer.*, cap. VII : Justus, ait, non potest peccare, non in re, sed in spe ; quia sperat, imo jus habet ad vitam æternam, in qua erit impeccabilis.

Simili modo S. Augustinus, lib. I *De Nuptiis et Concup.*, cap. XXIII et XXIX, et *De Spiritu et Littera*, cap. ult., ait præceptum : « Non concupisces, » et, « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, et ex omnibus viribus, » perfecte in hac vita non posse adimpleri, sed illo nos moneri ut eo contendamus, ubi illud perfecte adimplebimus, quod erit in cœlo. Intellige hæc in sensu anagogico. Nam eo jubetur cum dicitur : « Non concupisces, » ut nullum concupiscentiæ motum sentiamus, quod in hac vita facere non possumus, sed faciemus in cœlo ; in sensu enim litterali præcepto, Non concupisces, » tantum præcipitur ut, esto concupiscentias sentiamus, iis tamen non consentiamus, quod possumus præstare in hac vita. Idem dicendum est de illo : « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, et ex omnibus viribus, » uti dixi *Roman.* VII, 7.

Modus quo quis sit quasi impeccabilis. Moraliter S. Joannes docet hic fideles modum facilem et certum fugiendi quodlibet peccatum, ac faciendi ut moraliter fiant quasi impeccabiles, nimirum si intendant jugiter semini Dei, hoc est, sanctis inspirationibus et dictaminibus fidei, ac prudentiæ Christianæ, quas Deus per fidem et prudentiam menti suggerit et inspirat ; dum enim illis intendimus, mentemque affigimus, excludimus omne semen diaboli, id est, omnes suggestiones concupiscentiæ et peccati, itaque peccare non possumus. Qui enim peccat, necesse est ut attendat et intendat alicui concupiscentiæ a Deo vetitæ ; si ei non attendat, peccare nequit, quia appetitus et voluntas nil potest appetere et velle, nisi quod phantasia et mens ei proponit et suggerit quasi bonum appetibile et concupiscibile. Hinc Beati peccare nequeunt, quia Deum vident tanquam summum et immensum bonum ; unde ab eo oculos avertere nequeunt, sed in eo quasi omnis boni abysso merguntur et absorbentur.

Quocirca utilissimum est mentem semper occupare bonis cogitationibus, uti faciebat S. Xaverius, v. g. ruminare aliquam piam sententiam S. Scripturarum vel SS. Patrum, aut actum, vel virtutem aliquam cujuspiam Sancti ; hac enim cogitatione occupata mens excludit et elidit omnem aliam cogitationem illecebrosam, quæ appetitum movere posset ad peccatum : hoc de intellectu. Idem est de voluntate. Qui enim intendit semini Dei, hoc est, piis affectionibus, desideriis, impulsibus, terroribus, promissis, etc., quas Deus inspirat et indit voluntati, nequit intendere concupiscentiæ, ac consequenter nequit peccare. Dicit ergo cum S. Josepho sollicitato ab adultera : « Ecce Dominus meus omnia mihi tradidit præter te ; quomodo ergo possum hoc malum facere, et peccare in Deum meum ? » *Gen.* XXXIX, 3. Vide ibi dicta. Audi S. Leonem, serm. 8 *De Epiphan.* : « Qui, inquit, experiri cupit an in ipso Deus habitet, de quo dicitur : Mirabilis Deus in Sanctis suis, sincero examine cordis sui interiora discutiat, et sagaciter quærat qua humilitate resistat superbiæ, qua benevolentia obluctetur invidiæ, quam non capiatur adulantium linguis, quamque bonis delectetur alienis. An pro malo non cupiat malum reddere, malitque inultas oblivisci

injurias, quam imaginem et similitudinem sui conditoris amittere, qui omnes ad cognitionem sui generalibus incitans donis, pluit super justos et injustos, et solem suum oriri facit super bonos et malos. Ac ne in multis laboret sollicitæ discretionis inspectio, ipsam matrem virtutum omnium charitatem in secretis suæ mentis inquirat, et si in ea dilectionem Dei et proximi toto corde intenti reperit, ita ut etiam inimicis suis eadem velit tribui, quæ sibi optat impendi, quisquis hujusmodi est, Deum et rectorem et habitatorem sui esse non dubitet. »

10. IN HOC MANIFESTI SUNT FILII DEI, ET FILII DIABOLI (*q. d.* Hisce duobus indiciis manifeste secernas filios Dei a filiis diaboli; puta justos ab injustis; nimirum *primo*, quod) OMNIS QUI NON EST JUSTUS (Græca et Syrus, *omnis qui non facit justitiam*, opera justa et sancta), NON EST EX DEO; (*secundo*), QUI NON DILIGIT FRATREM SUUM,—puta proximum, præsertim Christianum repete : hic pariter, « non est ex Deo, » id est, non est filius Dei, sed diaboli. Unde a contrario colligendum relinquit, filium Dei esse *primo*, qui facit justitiam; *secundo*, qui diligit fratrem. Hæ sunt ergo duæ tesseræ, et quasi duo symbola filiorum et militum Dei, scilicet justitia et charitas; diaboli vero, injustitia et odium. Nota : Qui diligit fratrem, facit justitiam. Justitia enim generalis hic accipitur, quæ dilectionem omnemque virtutem complectitur, uti genus complectitur suas species; hic tamen ea secernit S. Joannes, ut ostendat inter omnes justitiæ species nullam magis ostendere, imo efficere nos filios Dei, quam charitatem et dilectionem proximi; nec ex adverso ullam injustitiæ speciem magis nos ostendere et efficere filios diaboli, quam odium et invidiam. Hinc S. Joannes, dilectus Jesu, non nisi dilectionem spirat. Proprie ergo charitas secernit inter filios Dei et diaboli. Audi S. Augustinum hic, *tract.* 5 : « Dilectio sola discernit inter filios Dei et filios diaboli. Signent se omnes signo crucis Christi; respondeant omnes : Amen; cantent omnes : Alleluia; baptizentur omnes; intrent omnes Ecclesias, faciant parietes basilicarum : non discernuntur filii Dei a filiis diaboli, nisi in charitate. Qui habent charitatem, nati sunt ex Deo; qui non, non sunt nati ex Deo. Quidquid vis, habe; hoc solum non habeas, nihil tibi prodest. Alia si non habeas, hoc habe, implesti legem. » Charitate autem diligitur Deus propter se, et proximus propter Deum; unde « plenitudo legis est dilectio, » *Rom.* XIII, 10. Idem Augustinus, *De Natura et Gratia*, cap. XLII : « Charitas, ait, est verissima, plenissima, perfectissimaque justitia. » Tertullianus autem, lib. *De Patient.*, eamdem vocat « summum fidei Sacramentum, Christiani nominis thesaurum, quam Apostolus totis viribus Spiritus Sancti commendat. » Clemens vero Alexandrinus, in Paræn. *ad Gent.*, « præcipuum » nominat « hominis Christiani munus; » Cyprianus *De Bono Patient.*, « fundamentum pacis, tenacitatem ac firmitatem unitatis, quæ et opera et martyria præcedit; » Basilius, *orat.* 3, « radicem mandatorum; » S. Gregorius Nazianzenus, *epist.* 20, « doctrinæ nostræ caput; » Hieronymus, epist. *ad Theophylactum*, « cunctarum virtutum matrem; » Ephrem, *Doct. de humil.*, « omnium virtutum columnam; » Augustinus, serm. 53 *De Temp.*, « omnium virtutum arcem; » Prosperus, lib. III *De Vita contempl.*, cap. XIII, « affectionum omnium potentissimam, in omnibus semper invictam, actionum bonarum summam, salutem morum, finem cœlestium præceptorum, mortem criminum, vitam virtutum; » Cyrillus in cap. XIII S. Joannis, « omni virtute constantem; » Gregorius, lib. VI, *epist.* 60, « matrem et custodem omnium bonorum; » Bernardus, *epist.* 2, « hominum matrem et angelorum, non solum quæ in terris, sed etiam quæ in cœlo sunt pacificantem. »

Tessera distinguens filios Dei et diaboli duplex. Justitia.

Denique S. Basilius, *De Inst. Monach.* : « Ubi deliquium, ait, patitur charitas, eo prorsus ejus loco odium succedit. Quod si, ut Joannes ait, Deus charitas est, sine dubio necesse est diabolum odium esse. Ut igitur qui charitatem habet, is Deum habet : sic qui odium habet, diabolum in se nutrit. » Hæc ante me congessit noster Benedictus Justinus.

11. QUONIAM HÆC EST ANNUNTIATIO, — hoc est, res annuntiata, et semper annuntianda ac prædicanda, *q. d.* Hoc est nuntium e cœlo a Christo allatum, quod nos Apostoli, nuntii Christi, vobis jugiter annuntiamus. Syrus, *hoc est præceptum*; præceptum enim subditis promulgandum et annuntiandum est. Græcum ἀγγελία alludit ad Evangelium, *q. d.* Summa Evangelii est diligere invicem. Rursum Evangelium, id est lætum nuntium, quod Christus nobis attulit e cœlo, fuit ut diligamus invicem, sicut Christus dilexit nos. Potuisset Deus a nobis, utpote peccatoribus, exigere multa opera pœnosa et ardua jejuniorum, ciliciorum, laborum, tormentorum, martyriorum, sed noluit : contentus est si amemus invicem. Hoc est Evangelium. Quid enim lætius, quid jucundius, quid facilius quam amare, et amare « alterutrum, » id est invicem, reciproce? Sicut enim Deus præcepit nobis ut diligamus fratres, sic vicissim præcepit fratribus ut reciprocum amorem nobis rependant. Hunc enim elicit et exigit noster amor; philtrum enim efficacissimum, lynx, magnes et illex amoris est amor, juxta illud Martialis : Vers. 11.

> Ut præstem Pyladem, aliquis mihi præstet Orestem;
> Hoc non fit verbis : Marce, ut ameris, ama.

Rursum hæc est ἀγγελία, puta angelorum annuntiatio, doctrina et vita; angeli enim se invicem ardentissime diligunt. Hanc jubet nos imitari Christus, ut angelorum mores et felicitatem æmulemur, et per mutuum amorem inchoemus.

Alludit, imo citat illud Christi : « Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi

vos, » *Joann.* XV, 12, ubi notat S. Augustinus, tract. 83 *in Joannem*, τὸ *sicut dilexi vos* distinguere charitatem a dilectione humana et carnali, *q. d.* Diligite invicem, non sicut se diligunt homines, quoniam homines sunt, sed sicut se diligunt, quoniam dii sunt, et filii Altissimi. « Ut quid enim, inquit, diligit nos Christus, nisi ut regnare possimus cum Christo? Pauci se propterea diligunt, ut sit Deus omnia in omnibus. »

12. UT DILIGATIS (græce ἀγαπῶμεν, id est *diligamus*) ALTERUTRUM; NON SICUT CAIN, — subaudi faciamus, vel diligamus. Cain enim seipsum tantum dilexit, fratrem vero suum Abelem odit, et occidit ex invidia; quod scilicet videret sacrificia fratris, utpote meliora, esse Deo grata, ideoque ab eo cœlesti igne inflammari; sua vero, utpote pejora, esse Deo ingrata, ab eoque respui. Hoc est quod Caino ait Deus juxta Septuaginta : « Nonne, si recte offeras, recte autem non dividas, peccasti? » Nam Cain « hoc ipso male dividebat, dans Deo aliquid suum, sibi autem seipsum, » ait S. Augustinus, XV *De Civit.*, VII : « Quod omnes, inquit, faciunt, qui non Dei, sed suam sectantes voluntatem, id est, non recto, sed perverso corde viventes, offerunt Deo munus, quo putant eum redimi, ut eorum non opituletur sanandis pravis cupiditatibus, sed explendis. » Quocirca notat Eusebius, lib. XI *De Præpar. Evangel.*, cap. IV, apposite et quasi omine divino vocatum esse Cain; licet enim mater Eva eum vocarit *Cain*, id est, possessionem et peculium suum, dicens : « Possedi hominem per Deum, » *Gen.* IV, 1, a radice קָנָה *kana* per ה, id est *possedit*, tamen æque commode *Cain* derives a קָנָא *kana* per א, id est æmulatus est, invidit; et sic *Cain* idem est quod *æmulus*, vel *invidus*, qualis ipse fuit. Vide Prosperum, lib. I *De Promis. et Prædest.*, cap. VI De dilectione proximi; vide S. Gregorium, X *Moral.*, VI; Chrysostomum, hom. 18 *in Matth.*, ubi novem dilectionis gradus assignat. Et S. Augustinus, lib. I *De Doctr. Christ.*, XXII : « Hæc, inquit, regula dilectionis divinitus constituta est : Diliges proximum tuum sicut teipsum, Deum vero ex toto corde, et ex toto anima, et ex tota mente, ut omnes cogitationes tuas, et omnem vitam, et omnem intellectum in illum conferas, a quo habes ea ipsa quæ confers. Cum autem ait, toto corde, tota anima, tota mente, nullam vitæ nostræ partem reliquit quæ vacare debeat, et quasi locum dare, quasi alia re velit frui. Sed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quo totius dilectionis impetus currit. Quisquis ergo recte proximum diligit, hoc cum eo debet agere ut etiam ipse toto corde, tota anima, tota mente diligat Deum. Sic enim eum diligens tanquam seipsum, totam dilectionem sui et illius refert in illam dilectionem Dei, quæ nullum a se rivulum duci extra patitur, cujus derivatione minuatur. »

Cain idem quod invidus.

QUI EX MALIGNO ERAT. — Puta ex diabolo, *q. d.* Cain erat filius non Dei, sed diaboli, non generatione, sed imitatione et suggestione. Diabolus enim ex odio Dei, cum ipsi nocere non possit, cupit nocere ejus imagini, puta homini, ipsum que perdere; sicut pardalis cum hominem lædere nequit, hominis imaginem discerpit, ait S. Basilius, hom. *De Invidia*. Malignitas ergo Cain æque ac diaboli consistit in odio et invidia, quæ sunt vitia tyrannorum, raptorum et homicidarum, « qui piscium vitam degunt; nam ii in quemcumque alium inciderint, devorant, robustior infirmiorem propellens, » ait Athenagoras, orat. *Pro Christianis*. Unde piscis apud Ægyptios erat hieroglyphicum odii, ait Clemens Alexandrinus, lib. V *Stromat.*

ET PROPTER QUID OCCIDIT EUM? QUONIAM OPERA EJUS MALIGNA (πονηρά, id est *mala et prava*) ERANT. — Quia scilicet Deum parvi, imo minoris seipso æstimans, pejores victimas ipsi offerebat, meliores et pinguiores sibi reservans, atque invidebat Abeli, quod meliora offerens Deo, ipsi gratior existeret, et ab eo cœlesti victimarum incendio honoraretur : peccatum ergo Cain fuit invidia, quod scilicet Abeli fratri invideret Dei benevolentiam et gratiam, qua ejus victimas cœlitus inflammando acceptabat, non Caini. Ex invidia natum est odium, ex odio homicidium, imo parricidium. Hæ sunt proles et fruges invidiæ.

Audi S. Cyprianum, tract. *De Zelo et Livore* : « Ambitionem zelus excitat, dum cernit quis alium in honoribus auctiorem : zelo excæcante sensus nostros atque in ditionem suam mentis arcana redigente, Dei timor spernitur, magisterium Christi negligitur, judicii dies non providetur; inflatur superbia, exacerbatur sævitia, perfidia prævaricatur, impatientia concutit; furit discordia, ira fervescit; nec se jam potest cohibere, vel regere, qui factus est potestatis alienæ. Hinc Dominicæ pacis vinculum rumpitur, hinc charitas fraterna violatur, hinc adulteratur veritas, unitas scinditur, ad hæreses atque ad schismata prosilitur, dum obtrectatur sacerdotibus, dum Episcopis invidetur, dum quis aut queritur non se potius ordinatum, aut dedignatur alterum ferre præpositum. Hinc recalcitrat, hinc rebellat de zelo superbus, de æmulatione perversus, animositate et livore non hominis, sed honoris inimicus. Qualis vero est animæ tinea, quæ cogitationum tabes, pectoris quanta rubigo, zelare in altero vel virtutem ejus, vel felicitatem, id est, odisse in eo vel merita propria, vel beneficia divina; in malum proprium bona aliena convertere, illustrium prosperitate torqueri, aliorum gloriam facere suam pœnam, velut quosdam pectori suo admovere carnifices, cogitationibus et sensibus suis adhibere tortores, qui se intestinis cruciatibus lacerent, qui cordis secreta malevolentiæ ungulis pulsent : non cibus talibus lætus, non potus potest esse jucundus : suspiratur semper, et ingemiscitur, et doletur; ' nque ab invidis ɔquam livor

Invidiæ hypotyposis.

exponitur, diebus ac noctibus pectus obsessum sine intermissione laniatur. »

FRATRIS AUTEM EJUS JUSTA, — puta innocentia, pia et sancta; quia Deum pluris se æstimans, meliores victimas ipsi offerebat, ideoque ex invidia a fratre Cain occisus est. Tria maxime præconia justitiæ in Abel fuere, scilicet virginitas, sacerdotium et martyrium, ait S. Augustinus, vel quisquis est auctor lib. *Divers. Quæst. ad Onosium;* unde et S. Cyprianus, lib. *De Bono Patient.* ante medium, ait Abelem initiasse martyrium, eumque Martyribus ad imitandum in exemplum statuit. Sic et Rupertus in *Isaiæ*, cap. LIX, Abelem vocat Protomartyrem. Hinc et Abel fuit typus Christi, qui fuit Martyrum caput et princeps, uti docet Irenæus, lib. IV, cap. XLII; S. Augustinus, lib. XII *Contra Faustum*, cap. IX et X; Prosper loco citato, et alii. Vide dicta de Cain et Abel, *Gen.* IV; et epist. *Judæ*, vers. 11. Hac de causa S. Augustinus civitatem Dei inchoat ab Abel, civitatem diaboli a Cain, lib. XV *De Civit.*, cap. VIII.

Abel Protomartyr.

Vers. 13. 13. NOLITE MIRARI, FRATRES, SI ODIT VOS MUNDUS. — Hanc sententiam quasi consequens deducit S. Joannes ex antecedenti antithesi filiorum Dei et filiorum diaboli, v. g. Caini et Abelis, *q. d.* Sicut Cain odit Abelem, quia Caini maligna, Abelis vero justa erant opera : ita pariter mundus, id est, Gentiles et mundani homines oderunt Christianos verosque fideles, quia ipsorum prava, fidelium vero sancta sunt opera. Alludit ad illud Christi in suo Evangelio, cap. XV, vers. 18 : « Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. » Quid mirum si filii diaboli oderint filios Dei, cum pater eorum diabolus extreme oderit Deum Deique filios? Sicut non mirum est filios serpentum odisse filios hominum : contrarium enim odit sibi contrarium, uti nigredo odit, id est aversatur, albedinem, frigus calorem, amaritudo dulcedinem, malitia bonitatem, vitium virtutem, etc.

Mundus odit sanctos quinque de causis. Prima.

Porro causæ cur mundus oderit et fideles et sanctos, sunt quinque. *Prima* est, dissimilitudo morum; mundani enim mundanos habent mores, sancti vero cœlestes. Illi tument ambitione, avaritia, gula, libidine; hi se deprimunt humilitate, paupertate, sobrietate, castitate. Nam sicut similitudo est causa amoris, sic dissimilitudo est causa odii, ait Aristoteles; hinc illud Horatii, lib. I, *epist.* 19 :

> Oderunt hilarem tristes, tristemque jocosi,
> Sedatum celeres, agilem gnavumque remissi.

Hanc causam dant impii, *Sapient.* II, 15 : « Gravis, inquiunt, est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, et immutatæ sunt viæ ejus. » Et S. Leo, serm. 9 *De Quadrages.* : « In bono ergo, inquit, proposito constitutis inimicitiæ dissimilium diabolo instigante non desunt, et facile in odia prorumpunt, quorum improbi mores detestabiliores sunt comparatione rectorum. Iniquitas cum justitia non habet pacem, temperantiam odit ebrietas, falsitati nulla est cum veritate concordia. Non amat superbia mansuetudinem, petulantia verecundiam, avaritia largitatem, et tam pertinaces habet diversitas ista conflictus, ut etiamsi exterius conquiescat; ipsa tamen piorum cordium penetralia inquietare non desinat; ut verum sit, quod qui voluerint in Christo pie vivere, persecutionem patientur; ut verum sit, quod omnis hæc vita tentatio est. » Mox vero aliam hujusce rei causam affert ab invidia malevolentiaque dæmonum desumptam. « Per istum, inquit, agonem, dilectissimi, ad præmia æterna tendentibus, in eo maxime diaboli insidiatur astutia, ut quorum pervertere non potest probitatem, subruat fidem. » Simili de causa inter bestias dissimiles intercedit antipathia et odium, v. g. inter hyænam et pantheram, de quo Plinius, lib. XXVIII, cap. VIII : « Hyænæ, inquit, pantheris terrori esse traduntur, ut ne conentur quidem resistere, et aliquid de corio earum habentem non appeti; mirumque dictu, si pelles utriusque contrariæ suspendantur, decidere pilos pantheræ » Simile odium est inter lupum et ovem, inter canem et leporem, inter murem et felem, inter elephantem et rhinocerotem.

Secunda. *Secunda* odii causa est invidia; quia enim mundani suis concupiscentiis irretiti non possunt assurgere ad puritatem, virtutes et sanctitatem Sanctorum, dolent, eamque illis invident; præsertim quia vident illos magnis certisque passibus tendere ad beatitudinem et gloriam cœlestem, se vero suis sceleribus tendere ad damnationem et gehennam. Sicut ergo damnati et dæmones oderunt Sanctos, sic et mundani.

Tertia. *Tertia* est, quod mundani videant Sanctos se separasse ab eorum consortio, illudque assidue fugere; unde eos quasi sui cœtus apostatas oderunt. Hanc causam assignat Christus, *Matth.* XV, 18 : « Si de mundo, inquit, fuissetis, mundus quod suum erat diligeret; quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. » Et impii, *Sapient.* cap. II, vers. 16 : « Tanquam nugaces æstimati sumus ab illo, et abstinet a viis nostris tanquam ab immunditiis. »

Quarta. *Quarta*, quia Sancti carpunt et redarguunt pravos mores mundi, imo sola Sanctorum vita est tacita mundanorum reprehensio. Hanc causam dant impii, *Sapient.* II, 12 : « Circumveniamus, aiunt, justum, quoniam inutilis est nobis, et contrarius est nobis, et improperat nobis peccata legis, et diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. » Et Christus, *Joann.* XV, 8 : « Cum venerit ille (Paraclitus), arguet mundum de peccato, et de justitia, et de judicio. »

Quinta. *Quinta*, quia mundani pleni sunt amore sui, cui contrarii sunt Sancti, utpote pleni amore Dei; hinc laudem dignitatem et gloriam acquirunt,

quam eis mundani invident. Tritum est illud vulgi :

Dum canis os rodit, socium quem diligit, odit.

Unde fremit et ringit, quia metuit ne socius canis, os vel partem ossis sibi eripiat. Et hæc est causa cur etiamnum mundus et mundani oderint viros religiosos, quia scilicet eos ob sapientiam et virtutem sibi vident præferri in concionibus, pulpitis, cathedris, etc., easque sibi eripi ; quod sane nascitur ex amore sui et mundi, non Dei : vide Philonem, lib. *Quod deterius potiori insidiatur*.

Succinit S. Joanni S. Jacobus, cap. XLIV : « Adulteri, inquit, nescitis quia amicitia hujus mundi inimica est Dei : » vide ibi dicta ; et S. Paulus dicens : « Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem, » *Galat.* I, 10. Nota : Pro *nolite mirari* S. Fulgentius, lib. III *ad Trasimundum*, et Tertullianus in *Scorpiaco*, cap. XII, legunt, *nolite expavescere*. Nonnulli enim Christiani verecundiores et timidiores mirabantur, quasi quid novum et insolens, se ob susceptam Christi fidem, sanctamque vitam a suis amicis Gentilibus despici, et odio haberi, imo vexari, et bonis spoliari, cum potius ob sanctitatem coli et amari juvarique debuissent, ideoque hæc odia expavescebant. Roborat ergo eos S. Joannes, docetque id non esse mirandum nec expavescendum, sed potius in eo lætandum et gloriandum ; quia quos odit mundus, hos amat Deus. « Magis mirabile esset, si pravi homines diligerent eos qui secundum Christum pie vivunt, » ait Didymus. Quare ob hæc odia ne vel hilum remittendum est de sanctitate vel amore, sed potius in iis obfirmandus, intendendus et majoribus incrementis perficiendus est animus ; sicut calor objecto frigore per antiperistasin sese intendit, corroborat et adauget ; adeo ut etiam mundanos nos odientes charitate superare, et ex inimicis amicos facere satagamus.

Hoc est quod ait S. Petrus, *epistol.* I, cap. IV, vers. 12 : « Charissimi, nolite peregrinari in fervore, qui ad tentationem vobis fit, quasi novi aliquid vobis contingat ; sed communicantes Christi passionibus gaudete, ut et in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes. » Vere Seneca, lib. *De Providentia*, cap. I et seq. : « Deus, ait, virum bonum in deliciis non habet, experitur, indurat, sibi illum præparat, etc. Omnia adversa (vir bonus) exercitationes putat, etc. : marcet sine adversario virtus ; tunc apparet quanta sit, quantum valeat polleatque, cum quid possit, patientia ostendit ; » et S. Basilius, *Admonit. ad filium spirit.* : « Fili, ait, patientiam arripe, quia maxima est virtus animæ, ut velociter ad sublimitatem perfectionis possis ascendere. » Causam dat S. Augustinus, serm. 11 et 149 *De Tempor.*, ut scilicet ex mundi odio Deus nos trahat ad amorem sui et cœli. « O infelicitas, inquit, generis humani ! amarus est mundus et diligitur, puta si dulcis esset, qualiter diligeretur ? flores ejus quomodo colligeres, qui a spinis non removes manum ? »

14. Nos SCIMUS, — non fide divina credendo nos esse justos et prædestinatos, ut volunt hæretici, sed certitudine morali et conjecturali, concepta ex testimonio bonæ conscientiæ, innocentis vitæ et consolationis Spiritus Sancti. Dicit hoc S. Joannes ad consolationem fidelium, ne timeant mundi odia, *q. d.* In hisce mundi odiis et persecutionibus soletur vos, o fideles, vobisque animos addat et exacuat, quod per fidem et Christianismum translati estis de morte peccati ad vitam cœlestem et divinam, scilicet in hac vita per gratiam, in futura per gloriam, quæ omnibus odiis superior est ; hujus autem vitæ certum est judicium, imo effectus, « quoniam (quod) diligimus fratres, » id est proximos. Dilectio enim hæc signum est, et effectus indubitatus gratiæ sanctificantis, et Spiritus Sancti, a quo quasi fonte increato manat omnis amor et dilectio. Vere S. Basilius in *Regulis brev.*, Regul. 11, et in *fusius disputat.*, Regul. 296 : « Quomodo, inquit, certo persuasus esse aliquis potest Deum sibi peccata remisisse ? Nempe si affectionem animi in se animadverterit similem illius qui dixit : Iniquitatem odio habui, et abominatus sum, » etc. Vers. 14.

Ubi tria dat signa inhabitantis gratiæ et justitiæ : *Primum*, odium peccati ; *secundum*, mortificationem carnis et omnium malarum cupiditatum ; *tertium*, zelum salutis proximi ex amore Dei provenientem, qualem habuit Paulus, dicens : « Quis infirmatur, et ego non infirmor ? quis scandalizatur, et ego non uror ? » II *Corinth.* cap. XI ; et S. Gregorius, lib. I *Dialog.*, cap. I : « Mens, inquit, quæ divino Spiritu impletur, habet evidentissima signa sua, virtutes scilicet et humilitatem ; quæ si utraque perfecte in una mente conveniunt, liquet quod de præsentia Sancti Spiritus testimonium ferunt. » S. Leo, serm. 8 *De Epiphan.*, hæc tria gratiæ et sanctitatis assignat indicia : *Primum*, humilitatem ; *secundum*, injuriarum condonationem ; *tertium*, ea tribuere quæ sibi cupit impendi : « Quisquis, ait, hujusmodi est, Deum rectorem et habitatorem sui esse non dubitet, » videlicet ita ut non pendeat animus, sed probabiliter id credat.

QUI NON DILIGIT (cum scilicet debet diligere, aut qui non diligit, id est qui odit, ut sit liptote aut miosis), MANET IN MORTE, — puta manet in macula peccati habitualis, remanente post actum peccati transeuntem, indeque manet in reatu et obligatione ad mortem æternam, ex quo exire per se nequit, sed tantum per gratiam Christi, ait Thomas Anglicus. Quomodo anima, immortalis cum sit, peccato tamen mori possit, eleganter explicuit S. Augustinus, lib. III *De Civit. Dei*, cap. I : « Mors animæ fit, cum eam deserit Deus ; sicut corporis, cum id deserit anima. Ergo utriusque rei, id est totius hominis mors est, cum anima a Deo deserta deserit corpus ; ita enim ne- Mors animæ quæ?

que ex Deo vivit ipsa, neque corpus ex ipsa. » Consentanee Cyrillus Alexandrinus, orat. *De exitu animæ* : « Mors proprie est, non quæ animam dirimit a corpore, sed quæ animam a Deo separat : Deus vita est, a quo qui disjungitur, perit. »

Quin potius hæc animæ mors absolute in arcano sermone appellatur mors; nam mors illa corporis quam tantopere horremus, umbra duntaxat est et imago hujus veræ mortis, cum illa ne conferenda quidem. Unde S. Gregorius, lib. IV *Moral.*, cap. XVII : « In Scriptura, ait, mors carnis dicitur umbra mortis ; quia sicut vera mors est, qua anima separatur a Deo, ita umbra mortis est, qua caro separatur ab anima. » Denique peccatum generat formidabilem illam æternæ damnationis mortem, de qua S. Augustinus, lib. VI *De Civitate Dei,* cap. ultim. : « Si anima in pœnis vivit æternis, mors illa potius æterna dicenda est quam vita ; nulla quippe major et pejor est mors, quam ubi non moritur mors. » Quocirca S. Basilius, homil. 5 *in Julittam Martyrem* : « Peccatum, ait, animæ est ægritudo, peccatum mors est animæ, alioqui immortalis. Peccatum luctu est et implacabilibus lamentis dignum. Ob peccatum profluant effusissimæ lacrymæ, nec desinat ab imo pectoris recessu jugiter posilire suspiriosus gemitus. » Ob hanc utique causam S. Hieronymus peccatorem vocat diaboli cadaver : « Cadaver, inquit, diaboli putridum, ob magnitudinem peccatorum dubitare non poterit, qui legerit peccatum esse fœtidissimum, ipso peccatore dicente : Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ : » ita ipse lib. VI in *Isaiæ* cap. XIV.

Vers. 15. 15. OMNIS QUI ODIT FRATREM SUUM, HOMICIDA EST. — Probat id quod dixit : « Qui non diligit, manet in morte, » hoc syllogismo : Omnis homicida manet in morte ; atqui omnis qui non diligit, sed odit fratrem suum, est homicida : ergo omnis qui non diligit fratrem suum, manet in morte. Porro S. Joannes pro eodem habet non diligere fratrem et odisse fratrem, tum per miosin, quia minus dicitur, sed plus intelligitur, puta per negationem intelligitur affirmatio contrarii ; tum quia non diligere fratrem cum debeas eum diligere, censetur interpretativum odium, et sæpe id oritur ex expresso et formali odio.

Porro, qui odit fratrem suum homicida est, non actu et opere, sed affectu et voluntate ; quia, ut ait S. Hieronymus, epist. 36 *ad Castorinum* : « Cum homicidium ex odio sæpe nascatur, quicumque odit, etiamsi necdum gladio percusserit, animo tamen homicida est. » Sic Christus ait, eum qui concupiscit uxorem proximi esse adulterum, quia eam mœchatus est in corde suo, *Matth.* cap. V, 28. *Secundo,* homicida est dispositive, quia odium disponit, et via est ad homicidium, sicut concupiscentia ad adulterium : ita Dionysius Carthusianus. Denique odium plenum est desiderium homicidii : difficillimum enim est ut quem oderis, superesse velis : vide Antiochum Monachum, *homil.* 28.

Mystice, qui odit fratrem homicida est sui ipsius, quia per odium occidit animam suam. Ita S. Ambrosius, *Precat. ad Missam* : « Qui, inquit, invidet, qui odit, non alium priusquam seipsum occidit ; qui exultat in adversis proximi, et affligitur in prosperis ejus, alieno proximum, se suo petit gladio ; » et S. Gregorius, lib. X *Moral.*, cap. XI, num. 18 : « Vitam, ait, animæ culpa polluit, servatus vero contra proximum dolor occidit ; menti namque ut gladius figitur, et mucrone illius ipsa viscerum occulta perforantur, qui scilicet a transfixo corde si prius non educitur, nihil in precibus divinæ opis obtinetur : quia et vulneratis membris imponi salutis medicamenta nequeunt, nisi ferrum a vulnere ante subtrahatur. » Pari modo qui odit fratrem, animam ejus sæpe occidit ; quia provocat eum ad odium, vindictam et rixas, quibus animam suam perimit.

Porro Alexander Papa, *epist.* 3, sic legit : « Omnis qui detrahit fratri suo, homicida est, et omnis homicida non habet partem in regno Dei. » Nam, ut ait hic Dionysius, triplex est homicidium : *primum* corporale, quod tollit esse naturæ ; *secundum,* detractionis, quod tollit esse famæ, occiditque civiliter ; *tertium*, odii.

NON HABET VITAM ÆTERNAM IN SEMETIPSO MANENTEM, — *q. d.* Non habet gratiam in se manentem, non manet in eo gratia, nec ipse in gratia, qua obtinetur vita æterna, ut sit metonymia : ita Cajetanus et alii. Aut proprie, « non habet, » id est non habebit, vel habere non potest gloriam vitæ æternæ, ut vertit Syrus, ut sit enallage temporum, qua præsens ponitur pro futuro, *q. d.* Qui odit, non habet spem vitæ æternæ, nec eam sperare potest, sed manet in morte peccati, inde transiturus ad mortem æternam gehennæ (est miosis, ut dixi), juxta illud S. Augustini, Præfat. *in Psalm.* XXXI : « Quomodo mala conscientia tota in desperatione est, sic bona conscientia tota in spe ; » unde Cain : « A facie, inquit, tua abscondar, et ero vagus et profugus in terra ; omnis igitur qui invenerit me, occidet me, » *q. d.* ait S. Hieronymus, epist. 121 *ad Damasum,* quæst. 1 : « Quisque ex tremore corporis et furiatæ mentis agitatu, eum me esse intelliget, qui mereatur interfici. » Sic Poetæ fingunt Orestem ob cædem matris continuis furiis agitatum : vide S. Augustinum hanc S. Joannis sententiam expendentem, *hom.* 40, inter 50, cap. II ; et *hom.* 42, cap. VII.

Vers. 16. 16. IN HOC COGNOVIMUS CHARITATEM DEI, QUONIAM ILLE ANIMAM SUAM PRO NOBIS POSUIT, ET NOS DEBEMUS PRO FRATRIBUS ANIMAS PONERE. — Redit S. Joannes ad vim, indolem et legem perfectæ charitatis, ejusque ideam et vivum exemplar proponit Christum, *q. d.* Christus eminentiam charitatis ostendit, ejusque legem fixit, non tam verbo quam facto, quando ipse animam, id est vitam suam posuit pro nostra : mortuus enim est, ut nos a

morte præsenti et æterna liberaret, ac ad vitam gratiæ et gloriæ beatæ traduceret; quo facto quasi in imagine nobis legem charitatis depinxit, scilicet nos pari modo pro fratribus debere animam, id est vitam, ponere. Dicit ergo : « In hoc cognovimus charitatem Dei, » *q. d.* In hoc elucet clare immensa Dei charitas superans omnem charitatem et amorem parentum, cognatorum, amicorum, quod scilicet Deus infinitus et immensus, pro suis creaturis, puta hominibus peccatoribus, indignis et ingratis, ultro et liberaliter sine ullo suo commodo, aut fructu, imo cum magno incommodo et probro, vitam suam posuerit; eoque simul nobis tacite præcepit ut se imitemur, et similiter pro fratribus animam ponamus.

Nota. Non licet animam, id est æternam animæ salutem, prodigere pro æterna salute animæ proximi, quia charitatis ordo poscit ut magis diligam meam salutem, gratiam et gloriam, quam proximi; quocirca bona spiritalia, puta gratiam et gloriam, eorumque augmentum magis mihi velle et procurare teneor, quam proximo; hoc enim dictat charitas ejusque ordo; licet tamen animam, id est temporalem animæ salutem et vitam prodigere prò æterna salute proximi, quia illa longe pluris facienda est quam temporalis propria. Unde cum ad illam comparandam necessarium est hanc prodigere, vel periculo exponere, id omnino faciendum est : hoc enim dictat et jubet ordo charitatis. Ita S. Paulus et Paulinus pro fratribus animas posuerunt. Ita S. Sebastianus vitam suam exposuit morti et martyrio, ut S. Marcum et Marcellianum ex tentatione parentum nutantes in fide confirmaret. Ita S. Vitalis Urcisinum medicum in martyrio nutantem corroborans, mortem et martyrii lauream adeptus est. Similia legimus in Actis aliorum Martyrum et Sanctorum.

An et quando vita exponenda pro vita proximi?

Sed quæres an liceat, et an quis teneatur animam, id est vitam temporalem, exponere pro vita temporali proximi? quia cum charitate tenear me magis diligere, quam proximum, videtur pariter quod magis debeam diligere vitam temporalem propriam, quam proximi.

Probatur Primo.

Respondeo : Ordinarie id verum est; extraordinarie tamen ob alias causas concurrentes, sæpe aliter faciendum est. *Primo* ergo tenetur vitam pro aliis exponere, qui ad id se pacto promisso aut jurejurando obligavit. Ita milites in prælio debent ex justitia pugnare, et vitam exponere; quamdiu est spes victoriæ, quia ad id ex pacto et juramento se obligarunt.

Secundo, ex justitia legali tenetur civis pro patria et civitate vitam exponere : recta enim ratio dictat partem esse exponendam periculo pro salute totius, v. g. Reipublicæ. Sic Samson collidendo postes domus, ejus ruina se cum Philistæis oppressit, ut eorum servitute populum Dei liberaret, *Judic.* cap. XVI. Sic Decii pro Romano exercitu, Codrus pro Atheniensi, Leonidas pro Spartano, morti se devoverunt, uti refert Livius, Plutarchus, Valerius Maximus et alii.

Tertio.

Tertio, amicus non tenetur pro vita amici suam exponere : hoc enim est diligere proximum, « non sicut seipsum, sed plus quam seipsum, » quod doctrinæ regulam excedit, ait S. Augustinus, lib. *De Mendacio*, cap. VI. Si tamen exponat, laudabiliter faciet : exponet enim illam pro honestate et bono virtutis amicitiæ; licet enim pro ea, æque ac pro alia virtute, v. g. castitate, vitam exponere. Majus enim est bonum virtutis, quam vitæ : illud enim est honestum et spiritale, hoc naturale duntaxat et corporale. Tunc ergo vita propria exponitur, non ex amore vitæ alienæ, sed ex amore virtutis et ad aliorum exemplum, ut eis ostendat dignitatem virtutis amicitiæ, utque in ea excellat : ita docet S. Augustinus, lib. *De Amicitia*, cap. X; S. Hieronymus in cap. VII *Michææ* : « Interrogatus, ait, quidam quid esset amicus? respondit : Alter ego. Unde Pythagorei duo vades sese invicem tyranno dederunt; » S. Ambrosius, lib. III *Offic.*, cap. XII; Franciscus Victoria, *Relect. de homicidio*, num. 24; Dominicus Soto, lib. V *De Justitia*, quæst. I, art. 6; imo S. Thomas, II II, *Quæst.* XXVI, art. 4, ad 2, et ibid. Valentia, qui et addit alium casum, nimirum si quis ex ira me invadat, itaque me stringat ut vel debeam occidi, vel invasorem occidere, licite posse me permittere occidi, ne alium occidam, quia non teneor cum tanta difficultate et incommodo cædis alienæ, vitam propriam conservare; præsertim quia si eum occidam, non tantum corpus, sed et animam ejus perdo, utpote existentem in flagranti delicto invasionis et conatus homicidii. Simili modo possum exponere vitam pro tuenda alterius castitate. Unde S. Ambrosius, lib. II *De Virginit.*, celebrat militem illum qui S. Theodoram damnatam ad lupanar, commutando cum ea vestes, periculo violationis exemit; pro ea enim jam habitu virili et militari egressa damnatus ad mortem, eam deinde sponte ad locum supplicii procurrentem, martyrii sociam habuit, ne eos tyranni gladius separaret, quos junxerat amor Christi. Simili modo S. Paulinus se pro filio viduæ exposuit servituti, quæ civilis est mors, ob amorem charitatis; ut scilicet heroicum actum, imo excessum charitatis posteris in exemplum relinqueret : quem proinde mire celebrat S. Augustinus, Ambrosius, Hieronymus, et alii passim. Denique clara est sententia Christi : « Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis, » *Joan.* XV, 13.

Idem viderunt Gentiles, qui laudant Pyladem et Orestem, Nisum et Euryalum, Damonem et Pythiam amicos, quorum unus pro altero morti se ultro obtulit. Vide Valerium Maximum, lib. IV, cap. VII, et Aristotelem, lib. VII *Mor. Eudemior.*, cap. VII : « Itaque, inquit, et simul esse et convivere, congaudere, condolere, absque se mutuo ne vivere quidem posse (una enim anima

sunt), sed commori, unius illius veræque amicitiæ est. » Seneca, *epist.* 9 : « In quid, ait, amicum paro ? ut habeam pro quo mori possim, ut habeam quem in exilium sequar. »

17. QUI HABUERIT SUBSTANTIAM (Syrus, *possessionem*) HUJUS MUNDI, ET VIDERIT FRATREM SUUM NECESSITATEM HABERE (S. Cyprianus, lib. *De Opere et Eleemosyna*, legit, *desiderantem*; vel, ut vetus Editio habet, *esurientem*), ET CLAUSERIT VISCERA SUA AB EO, QUOMODO CHARITAS DEI MANET (S. Augustinus legit, *manere poterit*) IN EO ?—Educit hanc sententiam quasi consequentiam ex versu antecedenti; estque argumentum a minus verosimili ad majus, *q. d.* Si charitas Dei et Christus nos obligat ut ponamus animam pro fratribus, quod est difficillimum; ergo multo magis nos obligat ut illi egenti demus eleemosynam, quod est facillimum. Rursum, quia casus ille quo obligamur dare animam pro fratribus, raro occurrit, crebro vero occurrit obligatio levandi ejus indigentiam per eleemosynam, hinc ab illo ad hunc transit, *q. d.* Si durum vobis est dare vitam, date saltem eleemosynam proximo, quod vobis est facile: ita Œcumenius et S. Augustinus. Ita Joannes Eleemosynarius, cum quis celebrabat profusam ejus in pauperes liberalitatem, respondebat : « Frater, nondum pro te sanguinem fudi, sicut mandavit mihi Dominus Deus Christus,» uti refert Leontius in ejus Vita.

Eleemosynæ lex obligat in gravi necessitate.

Ex hoc loco multi Doctores docent eleemosynæ præceptum obligare, non tantum in extrema proximi necessitate, sed etiam in gravi, adeo ut dives teneatur tunc erogare non tantum superflua, sed etiam necessaria statui suo, si minori suo incommodo possit avertere grave incommodum proximi. Ait enim S. Joannes : « Qui habuerit substantiam, græce βίον, id est *victum*, non superflua : victus enim et substantia, tam superflua quam necessaria complectitur. Rursum ait : « Et viderit fratrem suum necessitatem habere, » non extreme indigere; necessitas enim gravis vera est necessitas, esto non sit extrema. Vide Gregorium de Valentia, tom. III, disp. III, Quæst. IX, puncto 4, et Bellarminum, lib. III *De Bonis Oper. in partic.*, cap. VII. Hinc ait Ecclesiastic. cap. IV, vers. 1 : « Fili, eleemosynam pauperis non defraudes, » *q. d.* Injuriam et fraudem illi facis, si eleemosynam ipsi debitam neges. Et S. Ambrosius, lib. I *Offic.*, cap. XXXI : « Grandis culpa, ait, si sciente te fidelis egeat, si scias eum sine sumptu esse, fame laborare, ærumnam perpeti, qui præsertim egere erubescat. Vide S. Gregorium Nazianzenum, orat. *De Cura Pauperum*, et S. Chrysostomum, passim *De Eleemosyna*.

ET CLAUSERIT VISCERA SUA AB EO. — « Viscera » enim sunt sedes commiserationis et symbolum misericordiæ, juxta illud *Thren.* II, 11 : « Conturbata sunt viscera mea, effusum est in terra jecur meum, super contritione filiæ populi mei.» Vide ibi dicta. Œcumenius expendit τὸ *viscera*, *q. d.* Qui in viscera sua non admittit miserorum commiserationem, ex iis excludit et evacuat charitatem. Unde jubet Paulus, *Coloss.* III, 12 : « Induite viscera misericordiæ. » Viscera sunt symbolum paterni, imo materni amoris; patres enim et matres filios suos vocant « viscera sua, » uti Paulus vocat Onesimum filium suum spiritalem, epist. *ad Philemon*, vers. 7, ubi S. Hieronymus : « Omnes filii, inquit, parentum sunt viscera. » Significat ergo τὸ *viscera* nos omnes ex eadem carne constare, esseque filios unius Adæ, et magis Dei, ac proinde invicem misereri et subvenire debere tanquam fratres fratribus, juxta illud *Isai.* LVIII, 7 : « Carnem tuam ne despexeris. » Rursum, τὸ *viscera* significat eleemosynam dandam ex magno commiserationis affectu, et ut hunc semper ostendamus proximo, si effectum præstare nequimus. Vide S. Gregorium, XX *Moral.*, cap. XXVI : « Audiant, ait, duri et immisericordes tonitrua Sapientis, *Proverb.* XXI, 13 : Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, et ipse clamabit, et non exaudietur. »

Christo desunt omnia.

Ad hæc viscera miserationis induenda fideles incitat Salvianus, lib. IV *ad Ecclesiam Catholic.*, dum docet Christum in pauperibus esse mendicum, omnibusque indigere; quare in Christum crudeles esse qui bona sua erogant in cognatos qui non indigent, et Christum in pauperibus egere sinunt. « Sunt, ait, quibus etsi desint multa, non desint omnia. Christus tantummodo solus est, cui nihil est, quod in omni humano genere non desit. Nullus servorum suorum exulat, nullus frigore ac nuditate torquetur, cum quo ille non algeat. Solus cum esurientibus esurit, solus cum sitientibus sitit. Et ideo quantum ad pietatem illius pertinet, plusquam cæteri eget; omnis enim egestuosus pro se tantum, et in se eget: solus tantummodo Christus est, qui in omnium pauperum universitate mendicet. Et cum hæc ita sint, quid ais, o homo, qui Christianum te esse dicis, cum Christum egere videas, ut facultates tuas quibuscumque non indigentibus derelinquas? Christus pauper est, et tu opes divitum cumulas? Christus esurit, et tu delicias affluentibus paras? Christus etiam aquam sibi deesse queritur, et a te apothecæ ebriosorum vino replentur? Christus rerum omnium egestate conficitur, et a te luxuriosis copiæ congregantur? Christus tibi pro muneribus a te datis præmia sempiterna promittit, et tu nil præstituris cuncta largiris? Christus tibi et pro bonis bona immortalia, et pro malis mala æterna proponit; et tu nec bonis cœlestibus flecteris, nec malis perennibus commoveris; et credere te Domino Deo tuo dicis, cujus nec remunerationem desideras, nec iracundiam contremiscis. » Deinde demonstrat tales non habere fidem, nec credere Christo promittenti eleemosynariis amplam remunerationem : « Si ea quæ aliis relinquis, ideo relinquis, quia profutura ei cui reliqueris, certus es : sic pro-

fecto si quæcumque religiosis muneribus prorogasses, profutura esse tibi crederes, tibi absque dubio peculiariter deputares; quia quanto te plus amas quam eos quibus relinquis, tanto magis tibi relinqueres, si profutura ea tibimet, vel tenui opiniuncula judicares. Non enim te odisti, ut prodesse tibi nolis; sed quæ pauperibus dereliqueris, profutura tibi esse non credis: unde est quod aliis magis quam tibi consulis? quia profuturum tibi opus religiosum esse non credis; sicut credis itaque, sic recipies. Tu Salvatorem perpauci pendis, et te Salvator nihili. Tu Christum postponis aliis, et te omnibus Christus. Tibi in comparatione etiam hominum perditorum vilis est Dominus, et tu eris inter periturorum ultimos deputandus. » Deinde ostendit eos graviter peccare, tum quod pauperes non juvent, tum quod sua magno labore et dolore parta, conferant iis qui illis ad pompam, gulam et luxuriam abutuntur; unde exclamat : « O quanto melius quæcumque illa es, quanto melius et salubrius pauper fueras et egestuosa, quam dives! paupertas enim te Deo insinuare potuisset, divitiæ ream esse fecerunt. Rectius ergo per indigentiam salva fieres, quam per opes tuas et te et alios prægravasses : te scilicet, dum male aliis relinquis; alios, dum a te relicta et ipsi usu inhumanissimo male possident, et post se male aliis derelinquunt. Si vis ergo quæcumque illa es, si vis tibi esse consultum, si vis æternam habere vitam et cupis videre dies bonos, relinque substantiam tuam indigentibus sanctis, relinque claudis, relinque cæcis, relinque languentibus; sint facultates tuæ alimenta miserorum, sit opulentia tua pauperum vita, ut illorum refrigeria præmia tua sint, ut illorum refectio te reficiat.» Hæc enim omnia recipies a Christo, quia Christum in pauperibus fecisti hæredem; et inferius acrius in eos invectus : « Das, inquit, res tuas divitibus, et egenis negas. Das luxuriosis, et negas sanctis. Das cuicumque fortasse perdito, et negas Christo: prout ergo judicasti sic judicaberis, sicut elegeris sic recipies. Non habebis cum Christo partem quam despexisti, cum his habebis quos prætulisti. »

Notent hæc divites Christiani, præsertim Ecclesiastici, qui bona quæ ab Ecclesia acceperunt, Ecclesiæ et pauperibus reddere tenentur, peccantque graviter si iis ditent cognatos; « quia res Ecclesiæ nihil aliud sunt nisi vota fidelium, pretia peccatorum et patrimonia pauperum, » ait S. Prosper, lib. II *De Vita contempl.*, cap. IX et X; quem vide, æque ac S. Bernardum, epist. 24, ubi ait : « Væ tibi, Episcope, qui peccata populi comedis, ac si propria tibi minus sufficere viderentur, etc.; non licet tibi de facultatibus Ecclesiæ luxuriari, et in superfluitatibus consumere, sed solum vivere : non licet ditari, non licet consanguineos extollere, non licet palatia ædificare; denique quidquid præter necessarium victum ac simplicem vestitum de altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est. » Et S. Basilius, orat. in illud, *Destruam horrea mea* : « At tu, ait, Nonne spoliator es, qui quæ dispensanda accepisti, propria reputas? Est panis famelici, quem tu tenes; nudi tunica, quam tu in conclavi conservas; discalceati calceus, qui apud te marcescit; indigentis argentum, quod possides inhumane. Quocirca tot pauperibus injuriam facis, quot dare valeres.» Quare ethnica, inhumana, ferina et barbara est Stoicorum et Senecæ, lib. II *De Clementia*, cap. V, vox et sententia, misericordiam non esse virtutem, sed vitium mollis, flexilis et effeminati animi; æque ac illa Plauti, teste Lactantio, lib. VI, cap. XI :

> Male meretur qui mendico dat quod edat,
> Nam et illud quod dat perit,
> Et illi producit vitam ad miseriam.

Humanius, sapientius et pientius Valerius Maximus, lib. IV, cap. VIII : « Erat, inquit, opibus excellens Gillias, sed multo etiam animo, quam divitiis locupletior, semperque in eroganda potius quam in contrahenda pecunia occupatus, adeo ut domus ejus quasi quædam munificentiæ officina crederetur. Alimenta inopia laborantibus, dotes virginibus paupertate pressis, subsidia detrimentorum incursu quassatis erogabantur. Hospites quoque benignissime excepti, variis muneribus ornati dimittebantur. Quodam tempore quingentos simul Gelensium equites, vi tempestatis in possessiones suas compulsos, aluit ac vestivit. Quid multa? non mortalem aliquem, sed propitiæ fortunæ benignum diceres esse sinum; quod Gillias possidebat, omnium quasi commune patrimonium erat.» Quid hic dicent Christiani, qui a Christo Domino amplissimam promissionem audierunt : « Date, et dabitur vobis. »

18. FILIOLI MEI, NON DILIGAMUS VERBO, NEQUE LINGUA, SED OPERE ET VERITATE. — Sanxit S. Joannes præceptum dilectionis, hic declarat qualis illa esse debeat, scilicet non verbalis, sed realis; non otiosa, sed operosa; non linguax, sed verax, id est, non adulatoria, ficta et hypocritica, sed sincera, cordialis et vera, quia talis fuit Christi; linguam enim opponit veritati, quasi hypocrisin et simulationem sinceritati et cordiali amori, ut a Christiana charitate et fideli amore omnem fraudem, dolum et fictionem excludat. Nam multi sunt amici linguaces, quos Theognis vocat ἀπὸ γλωττῆς καὶ μέχρι προσηγορίας, qui verbis sunt liberales, re parci; qui montes aureos promittunt, sed obolum non dant; qui saccos blanditiarum effundunt, sed unciam auri, imo panis non præstant. Hi fucati sunt et hypocritæ, quia verba non satiant famem et sitim esurientis et sitientis, sed cibus et potus; nec promissa vestiunt nudum, aut carcere liberant, sed vestes et nummi. Unde de talibus ait S. Jacobus, cap. II, vers. 15 : « Si autem frater et soror nudi sint, et indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis illis :

lte in pace, calefacimini et saturamini; non dederitis autem eis quæ necessaria sunt corpori, quid proderit? Sic et fides quæ non habet opera, mortua est in semetipsa; » pari modo dilectio, quæ non habet opera, mortua est: vide S. Gregorium, XXI *Moral.*, XIV, ubi post multa concludit : « Dilectio nostra semper exhibenda est veneratione sermonis et ministerio largitatis. » Et S. Bernardus, sermone 50 *in Cantic.*, explicans illud : « Ordinavit in me charitatem, » citansque hæc S. Joannis verba : « Nec linguæ mentientis, inquit, in hac dilectione recipit fictum, nec rursum afficientis exigit sapientiæ gustum. Opere diligamus et veritate, quod videlicet moveamur ad bene operandum magis quodam vividæ charitatis impulsu, quam sapidæ illius charitatis affectu; » et inferius : « Da mihi hominem qui ex toto corde diligat Deum, se vero et proximum, etc., atque in hunc modum ad cætera quæque Dei ordinato intendat amore, despiciens terram, suspiciens cœlum, utens hoc mundo tanquam non utens, et inter utenda et fruenda intimo quodam mentis sapore discernens, ut transitoria transitorie, et ad id duntaxat, quod opus et prout opus est curat, æterna desiderio amplectatur æterno : talem, inquam, da mihi, et ego audacter illum sapientem pronuntio, cui nimirum quæque res revera sapiunt prout sunt, et cui in veritate atque securitate competit gloriari, et dicere : Quia ordinavit in me charitatem. Sed ubi ille, aut quando ista? »

Nota : Si quis non potest opere et effectu succurrere, quia v. g. est pauper, huic sufficit lingua et affectu succurrere consolando, orando, consulendo, etc. Rursum qui succurrit effectu, debet quoque succurrere affectu, ut non tristis, morosus, objurgans, sed hilaris et blandiens det eleemosynam, juxta illud Pauli : « Qui miseretur in hilaritate, » *Rom.* XII, 8; et *Eccli.* XVIII, 15 : « Fili, in bonis non des querelam, et in omni dato non des tristitiam verbi mali. Nonne ardorem refrigerabit ros? sic et verbum melius quam datum. Nonne ecce verbum super datum bonum, sed utraque cum homine justificato, » græce κεχαριτωμένῳ, id est *gratioso*, *q. d.* Vir justus utrumque præstabit, scilicet tam datum quam verbum bonum.

Denique præclare S. Gregorius, homil. 3 *in Evang.* : « Nec tamen, inquit, sibi aliquis credat, quidquid sibi animus sine operis attestatione responderit; de dilectione Conditoris lingua, mens et vita requiruntur; nunquam est Dei amor otiosus : operatur enim magna, si est; si vero operari renuit, amor non est. » Et S. Chrysostomus, hom. 53 et 68 *ad Popul.* : « Quo plura, inquit, dederis Deo, eo plus te diligit; quibus majora debet, plus tribuit et gratiæ; cum aliquem videt cui nihil debet, cum fugit et adversatur; cum vero intuetur eum, cui aliquid debet, continuo ad eum accurrit. Omnia ergo tibi facienda sunt, ut Deum habeas debitorem. » Qua vero id ratione fieri possit, sic plane explicat : « Nunc hujusce rei tempus est : nunc enim esurit, nunc sitit, nunc nudus est in pauperibus; cum vero hæc vita elapsa fuerit, tui non indigebit; et nunc indigere vult propter te. Cibari a te vult, ut te cibet; indui, ut te induat. Pecuniam ergo contemne, ne contemnaris; ut dives sis, tua largiter da; ut colligas, disperge, imitare seminantem. Semina in benedictionibus, ut de benedictionibus et metas. »

Et S. Leo, serm. 6 *De Jejunio* 10 *mensis* : « Constans, inquit, esto, Christiane largitor : da quod accipias, sere quod metas, sparge quod colligas. Noli metuere dispendium, noli de dubio suspirare proventu. Substantia tua cum bene erogatur, augetur; et concupiscere justum misericordiæ lucrum, æterni quæstus est sectari commercium. Munerator tuus vult te esse munificum, et qui dat ut habeas, mandat ut tribuas, dicens : Date, et dabitur vobis; amplectenda est tibi promissionis istius gratulanda conditio. » Paucis autem interjectis : « Qui ergo, ait, pecunias amat, et multiplicare opes suas immodicis optat augmentis, hoc potius sanctum fœnus exerceat, et hac usurarum arte ditescat, ut non hominum laborantium captet necessitates, ne per dolosa officia laqueos incidat insolubilium debitorum, sed illius sit creditor, illius fœnerator qui dicit : Date, et dabitur vobis, et qua mensura mensi fueritis, eadem remetietur vobis. » Et concludit : « Si benignus esset animæ suæ, illi bona sua crederet, qui et idoneus fidejussor est pauperum, et largissimus redditor usurarum. » Quocirca merito dixit Chrysostomus, « eleemosynam artem esse omnium quæstuosissimam. »

19. IN HOC (scilicet si diligamus non verbo et lingua, sed opere et veritate) COGNOSCIMUS QUONIAM (quod) EX VERITATE SUMUS, — id est, sumus veraces, veraciter ambulamus, veram habemus dilectionem, sumus quasi filii veritatis, id est, veræ et sinceræ charitatis. Vers. 19

Secundo, « ex veritate, » id est, ex Deo et Christo « sumus : » ita OEcumenius. Deus enim est prima et summa veritas, ac vera charitas, juxta illud : « Ego sum via, veritas et vita, » *Joann.* XIV, 6; et cap. XVIII, vers. 37 : « Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati. Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam. » Quocirca recte concludit S. Augustinus, *De Moribus Ecclesiæ*, cap. XXXIII : « Charitati victus, charitati sermo, charitati habitus, charitati vultus aptatur; coitur in unam conspiraturque charitatem; hanc violare tanquam Deum nefas dicitur; huic si quis resistit, expugnatur, atque excitur; hanc si quis offendit, uno die durare (in monasterio) non sinitur : sciunt ita commendatam esse a Christo et Apostolis, ut, si hæc una absit, inania; si hæc adsit, plena sint omnia. »

ET IN CONSPECTU EJUS SUADEBIMUS CORDA NOSTRA. — *Primo*, Hugo, Lyranus et Dionysius exponunt, 1 pmb 109 Suaden

q. d. Suadebimus corda nostra, ut studeant proficere in melius, et meliora excogitent, omnemque suam cogitationem, studium et intentionem dirigant in Deum, satagendo illi in dies magis magisque placere.

Secundo, Joannes Ferus explicat, *q. d.* « In conspectu ejus suadebimus corda nostra, » id est, fiduciam nanciscemur impetrandi quidlibet a Deo.

Tertio et magis genuine, « suadebimus corda nostra, » id est, suadebimus cordibus nostris, ut vertunt S. Augustinus, Pagninus et Tigurina; Vatablus vertit, *placabimus corda nostra*; Syrus, *persuasum reddituri sumus cor nostrum*; alii, *secura reddemus corda nostra, q. d.* Conscientiam habebimus pacatam et securam in conspectu Dei; vere enim persuadebimus cordi nostro nos esse ex veritate, hoc est, vere charitati studere, dum diligimus non verbo et lingua, sed opere et veritate. Græcum enim πείθω, id est *suadeo*, construitur cum accusativo, qui Latina syntaxi vertendus est per dativum : ita S. Augustinus, Beda et alii. Græcizat ergo interpres hic, æque ac *Judith* XII, 10 : « Suade Hebræam illam, » pro suade *Hebrææ illi*. Verum quia hic sensus includitur in eo quod proxime præcessit : « In hoc cognoscimus quoniam ex veritate sumus, » ut ab eo distinguamus id quod sequitur : « Et in conspectu ejus suadebimus corda nostra, » hinc,

Quarto, genuine. *Quarto* et planissime, sensus est, *q. d.* Si diligamus non lingua, sed opere et veritate, « in conspectu ejus, » id est, Deo et Christo omnia conspicienti « suadebimus, » id est probabimus et persuadebimus « corda nostra, » scilicet esse ex veritate, uti paulo ante dixit; dat enim fructum dilectionis operosæ et veræ, ut ad eam fideles invitet, *q. d.* Qui diligunt duntaxat verbo et lingua possunt mentiri hominibus, ac fingere se ex corde diligere, at non Deo; hic enim cor intuens videt dilectionem illam esse labialem, non cordialem. Qui vero diligunt proximum opere et veritate, non reformidant oculum et judicium Dei; sed audent comparere in ejus conspectu, audent libera fronte se ejus tribunali sistere, audent ei corda sua pandere ac probare, et ostendere ea in veritate, veraque charitate esse fundata : se scilicet vere Deum et proximum propter Deum diligere, se Dei legi et voluntati satisfacere, illique soli placere contendere : ita Œcumenius. Simili modo Paulus ait, *Galat.* I, 10 : « Modo hominibus suadeo, an Deo? » *q. d.* Ego causam meam probare et persuadere satago Deo, non hominibus : ita S. Chrysostomus. Unde S. Augustinus legit : « Ego Deo, non hominibus, probatum me reddere cupio. » Vide ibi dicta, et S. Augustinum, lib. I *Contra Secundinum*, cap. I : « Senti de Augustino quidquid libet, sola me in oculis Dei conscientia non accuset. »

Moraliter docet hic nos S. Joannes omnia opera nostra examinare ad regulam et limam intuitus et judicii divini; sæpe enim nos concupiscentia, mundus aut dæmon decipit, ut putemus nos agere pure ob amorem Dei, quod agimus impure ob concupiscentiam, vel amorem nostri. Quare antequam actionem aliquam aggrediare, ad hanc normam eam conformato : « Ita sincere age hanc actionem, tanquam qui conspiciaris a Deo, qui omnia videt et notat, quique omnium exactam a te exiget rationem; ita perfecte hoc age, quasi ultimum sit hoc opus tuum, quasi illico post illud moriturus. » Cum dubitas quid agendum, dubium resolve ex hoc principio : « In dubio hoc elige, quod in hora mortis voles te elegisse. In hoc negotio hoc age, sicut cupis rationem reddere Christo in die judicii. »

Ita faciebat Psaltes : « Providebam, inquit, Dominum in conspectu meo semper, » *Psal.* XV, 8. Eliseus Joram regi : « Vivit, ait, Dominus, in cujus conspectu sto, » IV *Reg.* cap. III, vers. 14. Ita Paulus : « Gloria nostra, ait, hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis et sinceritate Dei, et non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati simus in hoc mundo, » II *Corinth.* I, 12.

Ita S. Xaverius : « Ubicumque fuero, inquit, meminero me in orbis theatro, et in oculis Dei versari. » Ita noster Campianus agonem martyrii obiturus : « Spectaculum, ait, facti sumus mundo, et angelis, et hominibus, » I *Cor.* IV, 9. Hos imitemur, ita « in conspectu ejus suadebimus corda nostra. »

20. QUONIAM SI REPREHENDERIT (καταγινώσκῃ, id est arguat, condemnet, ut vertit Œcumenius) NOS COR NOSTRUM (quod lingua diligamus, non opere et veritate, esto idipsum dissimulemus, et exterius jactemus contrarium, frustra id facimus, quia) MAJOR EST DEUS CORDE NOSTRO, ET NOVIT OMNIA. — *q. d.* Si tuam hypocrisin non potes celare cor tuum, multo minus celabis eam Deum, qui corde tuo major et profundior est, ac intimius illud videt, magisque illi præsens est quam tu ipse. Si conscientia tua te reprehendit et condemnat, quanto magis reprehendet et condemnabit te Deus, qui est præses et judex conscientiæ? Unde Syrus vertit, *quod si cor nostrum reprehendat nos, quanto major est Deus corde nostro?* « Si cor nostrum, ait Œcumenius, quod exiguum est, latere nequimus, quo pacto Deum qui nusquam non adest, latere valeamus; » et S. Augustinus : « Cor tuum, ait, abscondis ab homine, a Deo absconde si potes; » et mox : « Perhibeat tibi testimonium conscientia tua, quia ex Deo est. Si ex Deo est, noli illam velle ante homines jactare, quia nec laudes hominum te levant in cœlum, nec vituperationes inde te deprimunt; ille videat, qui coronat; ille sit testis, quo judice coronaris. » Vere Diadochus, *De Perfect. spirit.*, cap. C : « Longe majus, ait, est judicium Dei conscientia nostra. » Unde Paulus : « Mihi, ait, pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die. Qui autem judi-

cat me, Dominus est:» ita ipse, I *Corinth.* IV, 1; et Psaltes, *Psal.* LXIII, 7: « Accedet homo ad cor altum (græce βαθεῖα, id est *profundum*), et exaltabitur Deus, » *q. d.* Homo profundo et abdito corde et consilio multa mala, dolos et simulationes excogitabit; sed Deus eo altior et profundior erit; profundius enim illud subit, ut intueatur et judicet ejus consilia dissipando et vindicando. Unde Symmachus, Aquila et Theodotion pro ירום *jarum*, id est *exaltabitur*, legentes יורם *jorem*, id est *sagittabit*, vertunt, *mentem et cor profundum hominis Deus configet*, vel *sagittabit*.

Quare accommodatitia, non genuina, est expositio Thomæ Anglici, *q. d.* Si magna est cordis offensa, suique reprehensio, major est Dei misericordia ad eam condonandam. Impia enim est Caini vox, *Gen.* IV, 13: « Major est iniquitas mea quam ut veniam merear. » Et illa aliorum: « Major, » id est, liberalior, ditior, plenior, perfectior, « est Deus corde nostro; » quia solus ipse cordis nostri desideria satiat et explet, imo exuberat in immensum, nec iis capi potest, sicut mare capi nequit cochleari.

21. SI COR NOSTRUM NON REPREHENDERIT NOS. — Καταγινώσκῃ, quod S. Augustinus vertit, « si cor nostrum non male senserit; » Œcumenius, « si non condemnet, ut indemnati apud nos ipsos simus, fiduciam habemus ad Deum, » quod omnia quæ petimus, quibusque indigemus, ab eo impetrabimus, ut sequitur. Hoc est quod canit Psaltes *Psal.* CXVIII, 6: « Tunc non confundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis. » Ex adverso de impio male sibi conscio, ait Sapiens, *Proverb.* XXVIII, 9: « Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis. » Nam, ut ait S. Gregorius, X *Mor.*, cap. XV vel XVII: « Diffidit accipere se posse quod appetit, qui profecto reminiscitur nolle se adhuc facere, quod divinitus audivit; et cor nos in petitione reprehendit, cum resistere se præceptis ejus quem postulat meminit. » Auctor Imperfecti, hom. 15 *in Matth.*: « Sicut oleum, ait, accendit lumen lucernæ, ita bona opera dant animæ confidentiam; nam justus quasi leo confidit, » *Prov.* XXVIII, 1.

22. ET QUIDQUID PETIERIMUS (quod petendum est, puta revera bonum ad Dei gloriam, nostramque et aliorum salutem pertinens, vel conducens. Ita se explicat Joannes, cap. V, vers. 14, dicens: « Quæcumque petierimus secundum voluntatem ejus, audiet nos »), ACCIPIEMUS AB EO, — aut certe aliquid melius eo quod petimus. Explicat hic fiduciam quam parit bona conscientia apud Deum, ex effectu, qui est quod impetret omnia quæ postulat a Deo. Causam dat: « Quoniam mandata ejus custodimus, et ea quæ sunt placita coram Deo facimus. » Congruum enim est, et congrua merces obedientiæ et amicitiæ, ut si homo faciat voluntatem Dei, Deus vicissim faciat voluntatem hominis, juxta illud: « Voluntatem timentium se faciet, » *Psal.* CXLIV, 19. « Mandata » dilectionis intelligit, ut diligamus alterutrum, uti præcessit. Ita S. Augustinus.

Alludit ad illud promissum Christi: « Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis, petetis, et fiet vobis, » *Joan.* XV, 7. Oratione enim operatio, et vicissim operatione fulciri debet oratio, juxta illud S. Gregorii, lib. IX, *epist.* 45: « Inanis fit oratio, ubi prava est actio; actio enim preces orationum superat. » Hoc est quod ait Jeremias, *Thren.* III, 41: « Levemus corda nostra cum manibus ad Deum in cœlos. » Nam, ut explicat S. Hieronymus, vel potius Rabanus: « Cor cum manibus levat, qui orationem suam operibus roborat. Nam quisquis orat, sed operari dissimulat, cor levat et manus non levat: quisquis vero operatur, et non orat, manus levat, et cor non levat. Juxta ergo Joannis vocem, tunc cor fiduciam in oratione accipit, cum sibi vitæ pravitas nulla contradicit, et bonorum operum oratio orationi concinit. » Quin et Laconum, teste Plutarcho in *Lacon.*, erat proverbium: « Admota manu fortunam esse implorandam, » quo significabant, « frustra Deum invocari, nisi quis addens industriam manum rotæ admoveret. »

Docet ergo hic S. Joannes orationem habere vim ex fiducia, fiduciam vero oriri ex observatione mandatorum; nam impiis qui ea violant, minatur Dominus, *Isaiæ* I, 15: « Cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis; cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. » Alibi: » Aggravata est auris ejus ut non exaudiat, sed iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum; » et *Malach.* II, 2: « Maledicam benedictionibus vestris. » Et in eamdem sententiam Salomon, *Proverb.* XXVIII, 9: « Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis. » Denique David: « Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? » *Psal.* XLIX, 16. Idipsum expertus regius Propheta psallit: « Me autem propter innocentiam suscepisti, et confirmasti me in conspectu tuo in æternum, » *Psalm.* XL, 13; et: « Oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum, » *Psalm.* XXXIII, 16; et: « Anima nostra sustinet Dominum, quoniam adjutor et protector noster est: in eo lætabitur cor nostrum, et in nomine sancto ejus speravimus, » *Psalm.* XXXII, 20. Unde idem alios docens: « Delectare, inquit, in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui, » *Psalm.* XXXVI, 4. Imo petitiones ipsas præveniet, juxta illud: « Desiderium pauperum exaudivit Dominus, » *Psalm.* IX, 17. Igitur non ipsas modo preces, sed etiam tacitas cogitationes ac desideria, antequam orando expromantur, prævenit et adimplet Dominus in iis qui vere pauperes sunt spiritu. Ita S. Dominicus dictitabat se nihil a Deo postulasse, quod non accepisset. Idem professus est S. Thomas Aquinas,

S. Scholastica, soror S. Benedicti; S. Catharina Senensis et alii.

ET EA, QUÆ SUNT PLACITA CORAM EO, FACIMUS. — «Placita,» quia ab eo jussa. Placita ergo sunt præcepta Dei, sicut placitum Regis est præceptum Regis. Placita tamen quoque sunt consilia Dei, puta consilia Evangelica. Qui enim perfecte Deo placere satagit, hic ejus non tantum jussa et præcepta, sed et nutus ac consilia amplexatur: quod uti arduum, ita Deo gratissimum est; unde S. Bernardus, serm. 1 *De Dedic. Ecclesiæ*, religiosum vel monachum vocat perpetuum miraculum. In hoc ergo omnis nostra sanctitas consistit, puta in studio et conatu placendi Deo semper, ubique et in omnibus. Hic enim est actus purissimæ et perpetuæ charitatis.

Amor duplex. Concupiscentiæ.

Ubi nota : Duplex est amor, concupiscentiæ scilicet, et amicitiæ. Amor concupiscentiæ est, quo studemus placere Deo, ut ab eo gloria æterna quasi mercede donemur; qui est actus bonus, sed magis spei, quam charitatis, juxta illud : « Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem, » *Psal.* CXVIII, 112. Amor amicitiæ est, quo pure satagimus placere Deo, eique placita adimplere non ob spem mercedis, sed ex puro amore; quia scilicet eum amamus, cupimusque ei rem placentem et gratam facere, in qua ipse sibi complaceat seque oblectet, ut ejus oculos, animum et mentem pascamus. Hic est actus puræ et perfectæ charitatis (1).

Et amicitiæ.

Hunc habuit Christus a primo instanti conceptionis suæ, eumque tota vita continuavit, donec ultimum in cruce spiritum in manus Patris resignavit. «Ego, inquit, quæ ei placita sunt, facio semper, » *Joan.* VIII, 29; et : « In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam. Deus meus volui, et legem tuam in medio cordis mei,» *Psalm.* XXXIX, 9. Ita Paulus monet *Romanos*, XII, 2, ut studiose perquirant, « quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens et perfecta; » et *Colos.* cap. I, vers. 9, « postulantes ut impleamini agnitione voluntatis ejus, in omni sapientia et intellectu spirituali, ut ambuletis digne Deo per omnia placentes. »

Praxis augendi gratiam Dei.

Unde viri sapientes docent optimam esse praxim augendi Dei gratiam et merita, si qualibet hora cogites : Quid hac hora a me requirit Deus? quid hoc momento vult me facere? quid hoc instanti magis beneplacitum est? Illudque agnitum statim exsequare et opere compleas. Sic famuli regis qualibet hora cogitant quid placeat regi, quid ipse velit, omnesque regis nutus observant, et illico quod innuit perficiunt, ut non tam ire quam volare videantur : quanto magis nos Domini Dei nostri nutus observare debemus, illique in omnibus obsequi? Dei, inquam, qui est augusta illa et summa majestas, summa æquitas, summa sanctitas, summa sapientia, summa bonitas, summa potentia; Dei, qui est summus noster et omnium dominus, legislator, judex et vindex; Dei, qui nos creavit, conservat, redemit, sanctificat, singulisque momentis innumeris beneficiis cumulat. Hoc est quod ait S. Gregorius, lib. VI *Moral.*, cap. XII vel XIV : « In cunctis quæ agimus, vim supernæ voluntatis inquiramus.» Ammon Abbas apud S. Ephrem, tom. II, *in cap. parenet.* X et seq.: «Voluntatem Dei, ait, tanquam vere regnum cœlorum, ac coronam vitæ perfectæ, desidera quovis tempore perficere, credens toto corde illud omnem humanam prudentiam utilitate superare, et in quacumque re primum probes oportet, an Dei sit voluntas ista. » Joannes Abbas moriens gaudebat, aliosque idem docebat dicens : « Numquam meam feci voluntatem, » uti refert Cassianus, lib. V *De Instit. renunc.*, XXVIII. Noster B. Aloisius Gonzaga dictitabat se læte mori, nec ullius rei, ac præsertim nimiæ austeritatis, habere scrupulum, quod nihil fecisset nisi ex voluntate Dei, cujus interpres erat superior. Hoc est quod Deus laudat et celebrat, dicens : « Vocaberis voluntas mea in ea, » *Isaiæ* LXII, 4. Vide S. Bernardum, serm. 38 *in Cant.*, et tract. *De Diligendo Deo.*

23. ET HOC EST MANDATUM EJUS (dixerat S. Joannes nos accepturos quidquid petierimus ab eo, « quoniam mandata ejus custodimus : » hic explicat quænam sint illa mandata, aitque esse duo. *Primum*), UT CREDAMUS IN NOMINE (id est in nomen, est hebraismus : Græce ὀνόματι, id est *nomini*) FILII EJUS JESU CHRISTI (hoc est, ut credamus in Jesum Christum Dei Filium : *nomen* enim ponitur pro re nominata metonymice, juxta illud : « In nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum, » quod explicans subdit : « Et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus in gloria est Dei Patris, » *Phil.* II, 9. *Secundum*), ET DILIGAMUS ALTERUTRUM. — In his enim duobus quasi fundamentis et radicibus cætera continentur : credere enim in Jesum Christum, est simul in eum sperare, eum amare, colere, adorare et per omnia obedire. Ita Œcumenius. Rursum credere in Jesum Christum Filium Dei, est pariter credere in Deum Patrem et in Spiritum Sanctum. Pater enim est Filii Pater; ac Pater et Filius includunt vim, imo actum spirandi Spiritum Sanctum, ut alibi dixi. Denique præceptum dilectionis proximi includit et præsupponit præceptum dilectionis Dei : propter Deum enim diligendus est proximus. « In his » autem « duobus mandatis universa lex pendet et Prophetæ, *Matth.* XXII, 40. « Minus enim, ait S. Augustinus, lib. X *Conf.*, cap. XXIX, te, Domine, amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat. O amor qui semper ardes, et nunquam exstingueris, cha-

(1) Tertius a S. Thoma distinguitur amor, scilic. *benevolentiæ*, seu simplex actus voluntatis, quo volumus alicui bonum, sine redamatione ex parte ejus: ut cum videmus duos ignotos cursores in certamine, quorum unum volumus vincere. Ita Doctor Angelicus, II II, Quæst. XXVII, art. 2.

ritas Deus meus, accende me. Continentiam jubes; da quod jubes, et jube quod vis. »

SICUT DEDIT MANDATUM NOBIS. — Vox *mandatum* toties repetita significat Christum unice et crebro mandasse et commendasse dilectionis mutuæ præceptum, tum Apostolis, ut idipsum ubique prædicarent et sæpe inculcarent; tum fidelibus, ut illi plane et plene obedirent.

24. ET QUI SERVAT MANDATA EJUS, IN ILLO MANET, ET IPSE IN EO. — Vox *manet* significat moram et habitationem, item intimam conjunctionem et societatem. Manet ergo Deus in obediente.

Primo, per « mandatum » et legislationem : lex enim, et consequenter legislator, manet in subdito, qui ei obedit; sicut doctrina doctoris manet in discipulo, qui eam audit et haurit, juxta illud : « Verbum Dei manet in nobis, » cap. II, vers. 14; ac vicissim subditus manet in lege et legislatore per disciplinam et obedientiam, qua ei inhæret et obedit.

Secundo, per amorem : qui enim mandata Dei custodit; Deum diligit, ac ab eo diligitur. Unde manet in Deo, sicut amans per affectum et amorem manet in amato. Anima enim magis est ubi amat quam ubi animat; vicissim manet in Deo, sicut amatum objective manet in amante. Eodem modo Deus manet in eo, scilicet et tanquam amans et tanquam res amata : « Qui enim adhæret Domino, unus spiritus est, » I *Cor.* VI, 17. Vide S. Bernardum, serm. 71 *in Cant.*

Tertio, diligens et obediens manet in Deo per clientelam; vicissim Deus manet in diligente per patrocinium, directionem et regimen quasi ejus tutor et custos, juxta illud *Psalm.* XC, 1 : « Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur. » Unde Syrus vertit : *Qui servat præceptum ejus, per ipsum servatur.* Hoc est quod ait Zacharias, cap. II, vers. 8 : « Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. » Parum fuit dicere, me tangit; sed eam partem nominavit quæ est in homine charissima, eademque ad sensum mollissima. Et Deus ad Abraham : « Noli, ait, timere; ego protector tuus, et merces tua magna nimis. » Hinc orat Psaltes : « Esto mihi in protectorem et in domum refugii. » *Psalm.* XXX, 3. Unde eleganter Beda : « Sit, inquit, tibi domus Deus, et esto domus Dei : mane in Deo, et maneat in te Deus. Manet in te Deus, ut te contineat : manes in Deo, ne cadas. Serva mandata ejus, tene charitatem, noli te divellere a fide illius, ut glorieris in præsentia ipsius, et securus manebis in eo, modo per fidem, tunc per speciem. Manebit et ipse perennis in te, juxta quod ei Psalmista decantat : In æternum exultabunt, et habitabis in eis. » *Psalm.* V, 12. Et S. Chrysostomus in cap. VIII *ad Rom.* explicans illud, vers. 14, *Quicumque spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei* : «Ad comparandam, ait, filiorum hæreditatem non satis est divino semel imbui spiritu, nisi ejus ducatu perpetuo regamur, cum nauclerus sit animæ nostræ, auriga et ductor, agens nos in prælium contra spirituales nequitias in cœlestibus. »

Quarto, manet Deus in amante, quasi locatum in loco : Anima enim sancta est thronus, templum et cœlum Dei, uti docet Paulus I *Corinth.* III, 17; et Isaias cap. LXVI, vers. 1 et 2.

Denique Deus manet in justo substantialiter, quia suam essentiam et substantiam justo communicat; facit enim eum consortem divinæ naturæ, II *Petri* I, 4. Vide ibi dicta.

ET IN HOC (per hoc) SCIMUS (*q. d.* Hoc indicio cognoscimus) QUONIAM (quod) MANET IN NOBIS, (nimirum) DE SPIRITU (Græca et Syrus, *ex spiritu*) QUEM DEDIT NOBIS. — Probat servantes mandata, ideoque diligentes Deum manere in Deo, ac Deum in ipsis, *q. d.* Ex Spiritu Sancto ejusque charitate quæ facit nos alterutrum diligere, cæterisque ejus virtutibus et donis quasi ex effectibus, cognoscimus quod ipse Spiritus Sanctus, ac consequenter Pater et Filius maneant et habitent in nobis, juxta illud : « Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, » *Roman.* V, 5. Unde sequitur nos vicissim manere in Deo. « Deus enim charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo, » cap. IV, vers. 16. Ita S. Augustinus, Beda, Œcumenius et alii. « Ista connexio, ait S. Augustinus, satis aperteque declarat fraternam dilectionem non solum ex Deo, sed etiam Deum esse, quam videmus tanta auctoritate prædicari. Cum ergo de dilectione diligimus fratrem, de Deo diligimus fratrem (1). »

Nota, τὸ *scimus*, non fide divina, quam hæretici specialem vocant, quasi fideles certo credere debeant se habere fidem et gratiam Dei; non etiam certitudine physica et absoluta, ut vult Catharinus, sed certitudine morali et conjecturali, qualis ex signis et conjecturis, puta ex fuga peccatorum, studio virtutum, præsertim humilitatis, mortificationis, charitatis, contemptus mundi, etc., haberi solet : et quo majora quis in se hæc signa experitur, eo majorem habet certitudinem, quod sit in gratia Dei. Unde quo magis crescit in virtutibus, eo certior sit de sua gratia et salute; adeoque Andreas Vega, lib. IX *in Concilium Tridentinum*, cap. ultimo et penultimo, docet Sanctos posse habere tantam certitudinem quæ excludat omne dubium et metum contrarii, ut moraliter non dubitent de sua gratia : quomodo certo credimus Constantinopolim esse ex communi omnium assertione, esto eam non viderimus; aut potius sicut sacerdos rite ordinatus certo scit se esse sacerdotem, et baptizatus scit se esse baptizatum, vel quia id a viris fide dignis audivit, vel quia adultus se baptizari vidit; qua ratione dicebat S. Antonius : « Ego Deum meum amo, non

Certitudo gratiæ in Sanctis nonnullis quanta?

(1) Alii : Est autem certissimum argumentum, nobis Deum inhabitare, quod nobis dedit de Spiritu suo, scil. dona Spiritus Sancti, quibus certe nihil majus in hac vita nobis dari poterat.

timeo. » Hoc paucorum est et eximie Sanctorum, qui diu et ferventer Deo servierunt ; qui tamen si spectent suam infirmitatem, formidare possunt ne forte fallantur in hac sua credulitate, esto actu non formident. Cæteri et formidare possunt, et actu formidant. Ita S. Hieronymus in cap. VI *Michææ* : « Nulla hora, ait, dormire, nullo tempore securi esse debemus, sed semper exspectare diem judicii. » S. Gregorius, lib. VI, epist. 22 *ad Gregoriam*, Augustæ cubiculariam : « Secura, ait, de tuis peccatis fieri non debes, et quousque veniat ultima vitæ tuæ dies, semper suspecta, semper trepida metuere culpas debes. » S. Bernardus, sermone 3 *De Adventu* : « Cum et meam et proximi conscientiam debeam servare, neutra mihi satis nota est : utraque abyssus est imperscrutabilis, utraque mihi nox est. » Vide Concilium Tridentinum, *sess.* VI, cap. XVI. Communiter ergo Sanctorum certitudo et fiducia mixta est cum metu et formidine de opposito, juxta illud Pauli : « Cum metu et tremore vestram salutem operamini, » *Philipp.* II, 12. Voluit id Deus, ut hic metus nobis esset frenum ad humilitatem et stimulus ad acrimoniam virtutis.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit inculcare veram Christi fidem, et charitatem tam Dei quam proximi. Primo, a vers. 1 *usque ad vers.* 7, *docet discernendos esse spiritus, an sint veritatis, an erroris, hoc signo, quod spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo sit; qui vero solvit Christum, sit ex mundo et diabolo. Secundo, a vers.* 7 *ad* 13, *multis commendat charitatem, eo quod Deus sit charitas, et ex charitate Filium suum per incarnationem nobis dederit, etc. Tertio, a vers.* 13 *usque ad finem, tres præcipuos charitatis fructus et effectus recenset : primus est, quod habens charitatem in Deo maneat, et Deus in eo; secundus, quod charitas datura sit fiduciam in die judicii; tertius, quod charitas foras mittat timorem.*

1. Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint, quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum. 2. In hoc cognoscitur spiritus Dei : omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est; 3. et omnis spiritus qui solvit Jesum, ex Deo non est, et hic est Antichristus, de quo audistis quoniam venit, et nunc jam in mundo est. 4. Vos ex Deo estis, filioli, et vicistis eum, quoniam major est qui in vobis est, quam qui in mundo. 5. Ipsi de mundo sunt : ideo de mundo loquuntur, et mundus eos audit. 6. Nos ex Deo sumus. Qui novit Deum, audit nos; qui non est ex Deo, non audit nos : in hoc cognoscimus spiritum veritatis, et spiritum erroris. 7. Charissimi, diligamus nos invicem, quia charitas ex Deo est. Et omnis qui diligit, ex Deo natus est, et cognoscit Deum. 8. Qui non diligit, non novit Deum, quoniam Deus charitas est. 9. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum. 10. In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, et misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris. 11. Charissimi, si sic Deus dilexit nos, et nos debemus alterutrum diligere. 12. Deum nemo vidit unquam. Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, et charitas ejus in nobis perfecta est. 13. In hoc cognoscimus quoniam in eo manemus, et ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis. 14. Et nos vidimus, et testificamur, quoniam Pater misit Filium suum Salvatorem mundi. 15. Quisquis confessus fuerit quoniam Jesus est Filius Dei, Deus in eo manet, et ipse in Deo. 16. Et nos cognovimus, et credidimus charitati, quam habet Deus in nobis. Deus charitas est : et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo. 17. In hoc perfecta est charitas Dei nobiscum, ut fiduciam habeamus in die judicii; quia sicut ille est, et nos sumus in hoc mundo. 18. Timor non est in charitate; sed perfecta charitas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet : qui autem timet, non est perfectus in charitate. 19. Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus

prior dilexit nos. 20. Si quis dixerit quoniam diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere? 21. Et hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum.

1. CHARISSIMI, NOLITE OMNI SPIRITUI CREDERE. — « Spiritum » vocat suggestionem, inspirationem, impulsum, doctrinam, suasionem; aut potius ipsum suggerentem, inspirantem, impellentem, docentem, suadentem, puta ipsum doctorem, aut magistrum, *q. d.* Nolite credere omni illi quod a quolibet doctore, vel suasore vobis suggeritur aut suadetur. Doctores enim varii, imo contrarii, vario et contrario spiritu aguntur. Boni, sapientes et orthodoxi aguntur spiritu bono Dei; mali et errantes, uti hæretici, aguntur spiritu malo diaboli. Illi ergo aguntur spiritu veritatis, hi vanitatis, erroris et mendacii, adeoque spiritus bonus vel malus per doctorum ora loquitur, ait Dionysius. Sic Abbas Serenus apud Cassianum, *Collat.* VII, cap. XXXII, testatur se audisse dæmonem confitentem, quod per Arium et Eunomium impias hæreses condidisset. Sic diabolus per os serpentis loquens tentavit et seduxit Evam, *Genes.* III, 1. Respicit ad nautas qui non credunt omni spiritui, id est, vento, nec ei obsecundant; quia, si id facerent, aberrarent a destinato portu, et sæpe agerentur in syrtes, scopulos certumque exitium. Porro doctores vocat « spiritus, » tum quia scientia et doctrina est spiritus et spiritalis; tum quia doctorum occultis rationibus et impulsibus, quasi spiritibus, aguntur hi ad bonum et verum, illi ad malum et falsum. Unde jubet examinari et indagari quo spiritu agantur, antequam eis fidem adhibeamus. Hoc est quod præmonuit Paulus, I *Timoth.* IV, 1 : « Spiritus, inquit, manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris et doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, » etc.; et *Ephes.* IV, 14 : « Ut jam non simus parvuli, et circumferamur omni vento doctrinæ. »

Alludit ad illud sui Evangelii cap. III, vers. 8 : « Spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, aut quo vadat : sic est omnis qui natus est ex spiritu. » Cujus loci sensus est, *q. d.* Sicut spiritus, id est ventus, quocumque eum trahit voluntas, id est, appetitus naturalis, ibi spirat, et tamen eum ejusque determinatum locum non cognoscis nec pervides, sed tantum ejus effectum et stridorem percipis : ita multo magis regenerationem hanc spiritalem ex aqua et spiritu, o Nicodeme, ejusque finem et terminum, nec sensu nec ratione naturali percipere vales, sed tantum ex revelatione et afflatu Spiritus Sancti, etiamsi symbola externa aquæ et ablutionis in Baptismo videas. Ita S. Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus, Euthymius, Jansenius ibidem. Ludit enim Christus analogice in voce *spiritus*, et prius per spiritum intelligit ventum, posterius Spiritum Sanctum, cujus typus et symbolum est ventus.

SED PROBATE (sicut aurum probatur Lydio lapide; Syrus, *discernite*) SPIRITUS SI EX DEO SUNT. — Quia, ut ait Ambrosiaster in cap. V epist. I *ad Thessalon.*, solent spiritus immundi fallaciter quasi per imitationem dicere bona, et inter hæc superinducere prava, ut per hæc quæ bona sunt, accepta ferantur et mala, ut quia unius spiritus dicta putantur, non discernantur ab invicem, sed per id quod licitum est, commendetur illicitum auctoritate nominis, non ratione virtutis. »

Porro Lydius lapis, quo probandi sunt spiritus et doctrinæ, est non spiritus privatus cujusque, ut voluit Suencfeldius : hic enim a diabolo esse agique potest, et sæpe est ac agitur, ut cum unus alteri est contrarius (inde enim prognatæ sunt tot sectæ inter se dissectæ, quot capita Cerbero Poetæ affinxerunt); sed doctrina Apostolorum et Ecclesiæ : hæc enim est certa et communis fidelium omnium. Talis enim illa est, quam quasi suo ævo maxime accommodam et necessariam suggerit S. Joannes, dicens : « Omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est, » etc. Perperam ergo hæretici ex hoc loco contendunt hæreses suas esse examinandas et probandas. Jam enim illæ ab Ecclesia examinatæ et damnatæ sunt, ut privato cuilibet eas probare non sit opus, imo nec liceat. Ita S. Hieronymus *ad Pammachium* : « Cur post quadringentos annos, ait, docere niteris, quod ante nescivimus? usque ad hanc enim diem sine ista doctrina mundus Christianus fuit. » Et S. Augustinus, lib. II *Contra Crescentium*, cap. XXXV : « Ecclesiam, ait, periisse dicite, et vos unde nati fueritis ostendite. » Et Vincentius Lirinensis, *Contra hæres.* : « Si vitanda est novitas, retinenda est antiquitas : si profana est novitas, sacrata est vetustas. » Acute autem Primasius in *Apocal.* cap. II : « Jam, inquit, probati sunt spiritus ab Ecclesia, quid vis tu probare quod jam improbatum est? »

Moraliter docet hic S. Joannes, quemlibet fidelem non debere credere omnibus internis suis motibus, impulsibus, inspirationibus, desideriis, rationibus in speciem bonis, sed solerter examinandam esse ejus originem et auctorem, ut si is bonus et amicus sit, acceptetur; si malus et hostis, refutetur omnique vi ei resistatur. Si melancholicus sentit motus et impulsus tristitiæ, acediæ, pusillanimitatis, suspicionum, ne eis credat; quia si originem examinet, inveniet ea oriri a spiritu malo melancholiæ, qui falsus est et fallax, juxta illud S. Eucherii *ad Valerianum* : « Si vis esse verax, suspicax non eris : non enim sus- Moraliter de examine spirituum.

picamur nisi quod nescimus. » Cholericus agitur æstibus iræ, vindictæ, indignationis, putatque se agi zelo justitiæ; sed sedata mente et ratione originem perquirat, ac inveniet ea oriri a spiritu malo bilis et choleræ. Ita cum Samaritani non reciperent Christum, ideoque Jacobus et Joannes dicerent: « Domine, vis dicimus ut ignis descendat de cœlo et consumat illos? » Respondit: « Nescitis cujus spiritus estis; » putatis enim vos spiritu Dei agi, et agimini spiritu humano impatientiæ, *q. d.* Vultis imitari zelum Eliæ, ut habent Græca et Syrus, puta spiritum vindictæ, quo Elias quinquagenarios igne cœlesti consumpsit: at nescitis hunc spiritum non esse Evangelicum, et præsertim non esse meæ personæ; meus enim spiritus est mansuetudinis, tolerantiæ, beneficentiæ. « Nam Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare, » *Lucæ* IX, 56. Sic multi putant se agi spiritu Dei, puta spiritu veritatis, sobrietatis, castitatis, charitatis, etc., qui si penitus, sincere et sine dissimulatione coram Deo fundum cordis examinent, invenient se agi contrario spiritu diaboli, puta vanitatis, gulæ, libidinis, concupiscentiæ, etc. Quocirca in illis animi æstibus, passionibus et tumultibus suspendendum est judicium, donec iis sedatis mens conquiescens possit discernere, videre et judicare quid a quo spiritu sit, quid bonum sit, quid malum; et ad hoc maxime invocandus est Spiritus Sanctus, ut det nobis donum discretionis spirituum, cujus regulas practicas tradit Richardus Victorinus, *part.* II, cap. XXXIII *in Cant.*; Gersonius, lib. *De Prob. spirit.*; Turrecremata, præfat. *in revelationes S. Brigittæ*; noster S. Ignatius in lib. *Exercit. spirit.*; Adrianus ab Adriano, lib. *De inspirat.*; Bernardinus Rossignolus, lib. III *De Discipl. Christ. perfect.*, cap. X et seq. Vide et S. Bernardum, serm. 57 et 74 *in Cant.*, et serm. *De Septem spiritibus*, ubi sex spiritus distinguit, scilicet divinum, angelicum, diaboli, humanum, carnis et mundi. Porro, quantum et quanti momenti sit hoc discretionis donum, multis sententiis, rationibus et exemplis docet Abbas Moses apud Cassianum, *Collat.* II, ubi inter alia ait cap. IV: « Tam beati Antonii, quam universorum sententia definitum est discretionem esse, quæ fixo gradu intrepidum monachum perducat ad Deum, prædictasque virtutes jugiter conservet illæsas, cum qua ad consummationis excelsa fastigia minori possit fatigatione conscendi, et sine qua multi etiam propensius laborantes perfectionis nequiverint culmen attingere: omnium namque virtutum generatrix, custos, moderatrixque discretio est. »

2. IN HOC COGNOSCITUR (legit Interpres γινώσκεται; jam legunt, γινώσκετε, id est *cognoscite*; alii, γινώσκομεν, id est *cognoscimus*; Syrus, *cognitum est*) SPIRITUS DEI. — *q. d.* Hæc est tessera veræ fidei, doctrinæ et veritatis, quam docet et suggerit spiritus Dei, nimirum: « Omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est. » Hæc ergo ævo S. Joannis erat quasi tessera et symbolum veræ et Christianæ fidei, nimirum credere et profiteri Christi Filii Dei incarnationem cæteramque in carne œconomiam; quia huic articulo quasi novo et paradoxo tunc adversabantur omnes hæretici et hæreses. Alii enim negabant Christi divinitatem, docebantque eum merum esse hominem, ut Cerinthus, Ebion, Menander, Carpocrates, et postea Cerdon, Marcion, Valentinus, Paulus Samosatenus, Theodotus, Montanus, Arius, uti videre est apud Irenæum, Epiphanium et S. Augustinum, lib. *De Hæres.* Alii negabant Christi humanitatem, eamque non veram, sed phantasticam fuisse asserebant, ut Simon Magus, Manichæus, Eutyches, Dioscorus, Apollinaris, Petrus Gnapheus cum Theopaschitis, sive Patropassianis, qui divinitatem in Christo passam et crucis fixam asserebant (1).

Addit S. Augustinus omnes hæreses repugnare Christo incarnato, quia Christi doctrinæ, Ecclesiæ, Sacramentis, Pontifici et ordini hierarchico a Christo instituto repugnant. Sic Pelagius negans gratiam Christi, licet ore confiteretur Christi incarnationem, reipsa tamen eam evertebat; quia incarnatio Christi non ad aliud facta est, quam ad conferendam nobis gratiam. Idem dicas de Luthero, Calvino et cæteris sectariis: qua de causa S. Joannes omnes hæresiarchas vocat Antichristos, quia omnes Christi doctrinæ et Ecclesiæ adversantur, ac proinde spiritum non Christi, sed Antichristi et diaboli habent. Hoc sensu sub uno articulo incarnationis Christi cæteros omnes fidei articulos, totamque Catholicam doctrinam complectitur S. Joannes, *q. d.* Omnis qui rectam Christi fidem complectitur, ex Deo est.

Tertio, alii sic exponunt, *q. d.* Omnis qui confitetur Christum in carne venisse, ex Deo est, scilicet quatenus idipsum quod verum est, confitetur: omnis enim veritas ex Deo est; idem tamen quatenus huic veritati falsos errores et hæreses admiscet, ex diabolo est.

Mystice Œcumenius: « Confessionem, ait, hanc adventus Christi in carne, non lingua, sed operibus fieri intelligit. » Multi enim non solum hæretici, sed et mali Catholici Christum verbis confitentur, sed factis negant, *q. d.* Qui Christum confitetur tam recte vivendo, quam recte de eo sentiendo, hic ex Deo est: ita Didymus et Beda. « Quid juvat, ait S. Cyprianus, verbis virtutem astruere, si factis veritatem destruimus? » et S. Augustinus: « Christum, inquit, confiteamini in carne venisse et verbis vera dicendo, et factis bene vivendo. Nam si confiteamini verbis, et factis negetis, fidei talium malorum prope est fides dæmoniorum. » Ex dictis liquet Transylvanos Arianos nuper in disputat. Albana, perperam et directe contra mentem S. Joannis hæc sic explicasse: Christus dicitur

(1) Alii τὸ *in carne venisse* significare aiunt, *in conditione humili et abjecta.* Cf.

venisse non in carnem, id est, assumpsisse carnem, sed « in carne, » id est, esse caro, hoc est, esse homo. Perperam, inquam : nam Hebræis idem est venire in carne et in carnem. Nec venire in carne est, esse carnem : aliud enim est esse, aliud venire. Nec enim venit aliquo, nisi diversus ab illo, quique prius extitit vel tempore, vel natura : quomodo anima dicitur venire in carnem, quando embryo animatur : prius enim natura est esse animam, quam eam carni se unire, cum eaque facere compositum, puta hominem : esto eodem instanti temporis hæc fiant; anima enim creando infunditur carni, et infundendo creatur. Verum Christus non est anima, sed persona Verbi integra et subsistens : hæc enim venit in carnem, cum eam assumpsit factus homo. « Sic se exinanivit formam servi accipiens, non formam Dei amittens. Forma servi accessit, non forma Dei discessit, hoc est confiteri Christum in carne venisse, » ait S. Augustinus, sermone 31 *De Verbis Apost.*, cap. IV. Idipsum patet ex antithesi, quam subdit S. Joannes, dicens :

3. ET OMNIS SPIRITUS QUI SOLVIT JESUM, EX DEO NON EST, — *q. d.* Jesus est quid colligatum et compositum ex deitate et humanitate, per vinculum et ligamen unionis hypostaticæ; qui ergo hoc compositum solvit, negans Christum esse Deum, ut Ariani; vel esse hominem, ut Ebionitæ : hic non est ex Deo, sed ex diabolo. Hic enim negat Christum Filium Dei e cœlo in carnem venisse, aitque eum vel esse Deum, vel hominem duntaxat. Hoc est quod Athanasius in *Symbolo* proponit de Christo credendum, dicens : « Qui licet Deus sit et homo, non duo tamen, sed unus est Christus; unus autem non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. Unus omnino non confusione substantiæ, sed unitate personæ. Nam sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus. » Ubi nota, τὸ *sicut* significare unionem et unitatem, non eamdem, sed similem : nam anima rationalis et caro faciunt unum compositum essentiale, puta unum hominem; deitas vero et humanitas juncta in Christo faciunt unum compositum, non essentiale, sed substantiale, sive hypostaticum. Nec enim deitas informat humanitatem, sicut anima informat corpus, sed integra et immista consistens, humanitatem sibi copulat in eadem hypostasi Verbi. Quare proprie Christum solvit Nestorius, docens in Christo duas esse personas, sicut sunt duæ naturæ, ac proinde in Christo hominem esse diversum et distinctum a Deo. Christus ergo Deus in humanitate est quasi margarita in concha, ex materia virginea et rore Spiritus Sancti conceptus et concretus, candidissimus per vitæ innocentiam, lucidissimus per sapientiæ lumen, rotundus per omnis perfectionis possessionem : habens pondus constantiæ, levorem mititatis, pretium beatitudinis. Ita noster Salmeron, tom. VII, *tract.* 11.

Nota : Syrus et Græca legunt : « Omnis spiritus qui non confitetur Christum in carne venisse, ex Deo non est. » Sic quoque legit S. Cyprianus, lib. II *Contra Judæos*, cap. VII, vel VIII; Tertullianus, lib. *De Carne Christi*, cap. XXIV, qui tamen pro *non confitetur*, legunt, *qui negat*. Verum passim Latini cæteri legunt : « Omnis qui solvit Christum, ex Deo non est. » Ita legit S. Leo, *epist.* X, cap. V; Prosperus, lib. I *De Vocat. Gent.*, cap. XXIII; Cassianus, lib. V *De Incarnat.*, cap. X; quin et Tertullianus, lib. *Contra Psychicos*, cap. I; Irenæus, lib. III, cap. XVIII, et S. Augustinus hic, qui tamen priorem quoque lectionem affert et exponit. Porro in Græcis pro ὁμολογεῖ, id est *confitetur*, olim lectum fuisse ἀναλύει, id est *solvit*, liquet ex Didymo hic, et S. Cyrillo, *De Fide ad Reginas*, atque ex eo quod scribit Socrates, lib. VII, cap. XXXII, agens de Nestorio, qui negabat Christum esse Deum, et Beatam Virginem esse Deiparam : « Ignorabat, inquit, in vetustis exemplaribus Catholicæ Joannis esse scriptum, omnem spiritum qui Jesum solvit, a Deo non esse. Hanc enim sententiam ex vetustis exemplaribus abstulerunt illi, qui divinitatem a dispensatione hominis separare voluerunt. »

Utraque lectio eodem recidit, unaque explicat aliam, scilicet quod solvere Christum idem sit quod negare Christum venisse in carne.

Allegorice solvit Christum qui corpus Christi, puta Ecclesiam, scindit per schisma. « Solvere, ait S. Augustinus, factis intelligitur : « Ille venit colligere, tu venis solvere. Quomodo non negas Christum venisse in carne, qui disrumpis Ecclesiam, quam ille congregavit? »

Tropologice solvit Jesum, qui ejus unionem, puta gratiam, ab anima fideli per peccatum vel scandalum tollit. Ita Œcumenius. Debemus enim, ut Beatus Paulus inquit, « ubique mortificationem Jesu circumferre, ut et vita Jesu in corpore nostro manifestetur. Qui igitur operantem habet Jesum, et mundo mortuus est, neque amplius mundo, sed Christo vivit, Christumque non in Christi tantum carne, sed in sua quoque circumfert, is est ex Deo. » Hæc Œcumenius. Hoc est, quod ait Sponsa *Cant.* I, 13 : « Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. »

ET HIC EST ANTICHRISTUS, — tum appellative, quia contrarius Christo; tum potius proprie, quia præcursor Antichristi. Unde Græca habent : « Et hic est Antichristi; » Syrus : « Hic est ab ipso pseudochristo; » S. Cyprianus, lib. II *Contra Judæos*, cap. VII vel VIII : « Qui autem negat in carne venisse, de Deo non est, sed de Antichristi spiritu. » Sic Joannes Baptista vocatur Elias *Matth.* XVII, 12, non in persona, sed in officio et spiritu : quia, sicut Joannes Baptista præcurrit primum Christi adventum, ita Elias præcurret secundum. Vide dicta cap. II, vers. 18 et 21 : « Quis, ait, est mendax, nisi is qui negat quoniam Jesus est Christus?

Hic est Antichristus, qui negat Patrem et Filium. »

QUONIAM VENIT, — ἔρχεται, id est *venit*, in præsenti, non in præterito, hoc est, certo veniet. Syrus, *quem audistis venturum.*

ET NUNC JAM IN MUNDO EST, — non in persona, sed in spiritu, puta in suis præcursoribus. Hoc est quod ait Paulus : « Mysterium jam operatur iniquitatis, » II *Thessal.* II, 7. Ita Lutherus viam stravit Mahometi, et consequenter Antichristo, cum præter alia docuit Turcæ non esse resistendum, idque probabat hoc sophismate : Flagello Dei non est resistendum, quia hoc idem est quod Deo flagellanti resistere ; atqui Turca est flagellum Dei : ergo, etc. Eodem argumento probasset latronibus, furibus et prædonibus non esse resistendum, quia hi omnes sunt flagellum Dei ; sed hoc flagellum a judicibus est flagellandum, quia a Deo est non positive, sed permissive. Et quid hoc aliud erat, quam Christianos omnes subjicere Turcæ, et efficere Turcas? Quocirca Solymannus, Turcarum Imperator, cum aliquando quæsivisset a legato Cæsaris, quem annum ageret Lutherus ? Legato respondente quod 48 ageret, dolere se dixit, quod ob imminentem senectutem non in posterum tantum, quantum antea, semper conatus suos posset adjuvare. De quo Solymanni de se judicio gloriatur Lutherus, lib. *Symposiac.*, ac Turcicum Cæsarem omnem sibi benevolentiam detulisse jactitat. Sic S. Hilarius Constantinum Arianum Imperatorem vocavit Antichristum, cujus ignea verba recensui I *Petri* III, 14.

4. VOS EX DEO ESTIS, FILIOLI, ET (id est idcirco) VICISTIS EUM, — *q. d.* Quia vos, o Christiani, estis a Deo, qui est prima et æterna veritas, idcirco vicistis eum, scilicet spiritum Antichristi, puta spiritum erroris et hæresis. Hinc Græca et Syrus legunt αὐτούς, id est *eos*, scilicet pseudoprophetas et spiritus erroris, *q. d.* Gratulor vobis, o Christiani, eo quod vicistis hæreticos jam subnascentes, puta Ebionem, Simonem, Menandrum, qui solvunt Christum, eorumque tentationes constanter repudiastis; quin et doctiores ex vobis disputando, cæteri christiane vivendo, eosdem confutarunt. S. Cyprianus, lib. *De Simpl. Prælat.*, legit νικᾶτε, id est *vincite illos*, ut sit vox adhortantis ad pugnam et victoriam; jam legunt νενικήκατε, id est *vicistis illos*, ut sit vox gratulantis et ob victoriam quasi triumphantis. Hoc est quod ait cap. V, vers. 4 : « Omne quod natum est ex Deo, vincit mundum; et hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra. »

QUONIAM MAJOR EST QUI IN VOBIS EST, QUAM QUI IN MUNDO. — Dat causam victoriæ, scilicet Christum, ejusque spiritum veritatis, qui regit fideles, quique major est diabolo, ejusque spiritu erroris, qui dominatur in mundo, puta in hominibus mundanis, hæreticis et impiis, qui non nisi caduca bona amant, sperant et prædicant, uti sequitur. Dicit hoc, tum ut commendet fidelibus humilitatem, ne suis viribus, sed gratiæ Dei victoriam humiliter acceptam ferant. « Esto humilis, ait S. Augustinus, porta Dominum tuum, esto jumentum sessoris tui. » Vide dicta *Apocal.* VI, 2. Tum ut eos animet ad fiduciam et constantiam in tentationibus, cogitando se magnum habere ducem et protectorem.

Alludit ad illud Evangelii sui cap. XVI, vers. 33 : « In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum. » Loquitur proprie de tentatione contra fidem, quam afferunt hæretici.

Idem tamen a pari vel simili extendas ad quamvis aliam tentationem. Unde *primo*, S. Cyprianus, *Exhort. ad martyr.*, extendit ad Martyres, hortando eos ad spem et constantiam. « Nec plus, inquit, ad dejiciendum potest terrena potentia, quam ad erigendum tutela divina; » et lib. I, *epist.* 9, ait, «timendas non esse injurias et pœnas persecutionum, quia major est Dominus ad protegendum, quam diabolus ad impugnandum. » Probat, dicens : « Major est qui in vobis est, quam qui in mundo. » Quin et ipse Joannes, *Apocalyp.* cap. XII, vers. 11 : « Ipsi, inquit, vicerunt eum propter sanguinem Agni et propter verbum testimonii sui, et non dilexerunt animas suas usque ad mortem. » Et Ecclesia in hymno Martyrum : « Tu vincis in Martyribus. »

Secundo, Œcumenius extendit ad fidelium et sanctorum contemptum, quod scilicet contemnantur a mundanis et impiis : his enim solatium est, quod major sit Christus, qui eos magnifacit, quam mundus, qui eos contemnit.

Tertio, S. Ambrosius, hom. I *De Elisæo*, in fine tom. I, extendit ad hostes et exercitus hostiles : « Sæpe, inquit, me dixisse memini, quod hostium tumultus bellicosos timere minime debeamus, nec quamlibet copiosam hostium multitudinem formidare, quoniam sicut ait Apostolus : Major est qui in nobis est, quam qui in mundo, hoc est, potentior est ad protegendos famulos suos Christus, quam diabolus ad instigandos inimicos. Quamvis enim idem diabolus colligat sibi turbas, et crudeli eas armet insania, tamen facile destruuntur, quia melioribus populum suum Salvator circumdat auxiliis. Ait enim Propheta : Immittet angelum Dominus in circuitu timentium eum, et eripiet eos. Quod si angelus Domini timentes eum de periculis eripit, non potest timere barbarum qui timuerit Salvatorem, nec potest metuere hostis impetum, qui Christi præcepta servaverit. » Causam subdit, arma Christi. « Præcepta enim Christi, arma sunt Christianis, et divinus timor terrorem a nobis expellit hostilem. Arma autem hæc nostra sunt, quibus nos Salvator instruxerit, oratio, misericordia atque jejunium. Jejunium enim melius quam murus tuetur, misericordia facilius liberat quam rapina, oratio longius vulnerat quam sagitta. Sagitta enim non nisi proxime conspectum percutit adversarium; oratio autem etiam longius positum vulnerat inimicum. » Deinde id confirmat exemplo Elisæi,

qui cinctus a Syris vidit castra Angelorum. Unde Giezi famulo suo paventi dixit : « Noli timere ; plures enim nobiscum sunt, quam cum illis. O fides sancti Prophetæ ! non timet adversarios quos prospicit, quoniam scit Angelos secum esse quos credit. Non metuit terrenas insidias, quia cœlestia adesse sibi novit auxilia. »

Quarto, S. Prosperus, lib. I *De Vocat. Gentium.*, cap. XXIV, extendit ad quotidianas fidelium tentationes, ut contra Palagium ostendat ad eas vincendas opus esse gratia Dei : « Victoria ergo sanctorum, inquit, est opus Dei habitantis in sanctis. »

Quinto, S. Gregorius, lib. IV, *epistola* 39, extendit ad insolentias Prælatorum et Principum. Scribens enim Sabiniano Diacono, jubet ut resistat Joanni, Patriarchæ Constantinopolitano, qui se nuncupabat Episcopum œcumenicum sive universalem, fretus potentia Imperatoris Constantini. « Sed nos, inquit, rectam viam tenebimus, nihil in hac causa aliud nisi omnipotentem Dominum metuentes. Unde tua dilectio in nullo trepidet. Omnia quæ in hoc sæculo videt alta esse contra veritatem, pro veritate despiciat ; in omnipotentis Dei gratia atque B. Petri Apostoli adjutorio confidat. Vocem veritatis recolat, dicentis : Major est qui in cœlis est, quam qui in mundo, et in hac causa quidquid agendum est, cum summa auctoritate agat. Majus est regnum (et reges impios) fastidire, quam accipere, » ait Tacitus. « Majus est regibus imperare, quam regnare, » aiebat Carolus Martellus respuens regnum Franciæ sibi oblatum.

Sexto, alii extendunt ad quodvis opus arduum, ut quisque fidelis se ad illud excitet et exacuat sibi, dicendo : « Major est qui in me est, quam qui in mundo ; » et cum S. Paulo : « Omnia possum in eo qui me confortat, » *Philip.* IV, 13 ; et cum S. Cypriano, lib. II, *epist.* 2 : « Nihil appetere de sæculo potest, qui seculo major est, » additque eum « majorem et fortiorem viribus fieri, ut in omnem adversarii grassantis exercitum imperioso jure dominetur, etc. Quidquid sub cœlo est, tanquam leve, fallax, inane et amore nostro indignum despiciamus. » Idem tract. *De Orat. Domin.* : « Qui renuntiavit sæculo, ait, major est honoribus ejus et regno, et ideo qui se Deo et Christo dedicat, non terrena, sed cœlestia regna desiderat ; » et cum S. Hilario in *Psalm.* CXXX : « Humiles corde, sed animo excelsi simus ; » portamus enim in capite robur, vires et omnipotentiam Christi. Vidi in Belgio Chiliarcham qui minantibus ei hæreticis respondit : « Neminem vestrum timeo, quia coronam Hispanicam porto in capite. » Idem dicat fidelis : In capite coronam porto, non Hispanicam, sed divinam : idcirco nullum hominum, vel dæmonum, imo totas inferni vires non metuo, sed ambio, omnesque ad duellum provoco, uti omnes Arianos, totumque orbem provocavit et prostravit S. Athanasius. Nam « si Deus pro nobis, quis contra nos ? » *Rom.* VIII. Per Deum quanta fecit S. Paulus, S. Antonius, Simeon Stylites, S. Franciscus, S. Vincentius, omnesque virgines, heroes et martyres ? Eadem per eumdem nos possumus, « qui triumphat, » id est, triumphare facit « nos in Christo, » II *Corinth.* II, 14 id promisit ipse per Isaiam, cap. LVIII, 14, dicens : « Sustollam te super altitudines terræ, » ut in cœlo quasi aquila habitans, despicias quidquid est in mundo, *Job* XXXIX, 27. Vidit hoc per umbram et secutus est Seneca, sed non assecutus. Sic enim scribit *epist.* 54 : « Quærendum est quid sit quod non fiat deterius in dies. Quid hoc est ? animus ; sed hic rectus, bonus et magnus. Quid aliud voces hoc, quam Deum in humano corpore hospitem ? » Ferunt Olympum montem adeo esse excelsum, ut supra nubes, nullis agitetur ventis, nullis turbinibus. Talis est animus celsus, supra terrena omnia erectus, in cœlo habitans, qui nullis mortalium laudibus, nullis minis et terroribus a recto dimoveri se sinit.

5. IPSI DE MUNDO SUNT, IDEO DE MUNDO LOQUUNTUR, ET MUNDUS EOS AUDIT, — *q. d.* Hæretici non sunt ex Deo, sed ex mundo, quia amant opes, honores, voluptates mundi, de iisque loquuntur et prædicant. Unde mundani, qui non nisi mundana sapiunt, libenter eos audiunt. Similes enim habent labra lactucas, ut vulgatum habet proverbium. Ita Œcumenius. « Hæreticus est, ait S. Augustinus, lib. *De Utilit. credendi*, cap. I, qui alicujus temporalis commodi, et maxime gloriæ, principatusque sui causa, falsas ac novas opiniones vel gignit, vel sequitur. » Tertullianus, lib. *De Præscript.* : « Omnes hæretici, inquit, tument, omnes scientiam pollicentur. » Et S. Hieronymus *in Abdiam* : « Quis hæreticorum in superbiam non extollitur ? » Rursum S. Augustinus, lib. *De Pastoribus* : « Una, ait, mater superbia omnes hæreses genuit, sicut una mater nostra Catholica omnes Christianos fideles toto orbe divisos. » Idem, lib. IV *in Julianum*, cap. IX, hæreticos confert cimicibus, « qui dum vivunt mordent, mortui autem fœtent. » Tropologice hanc sententiam recte adaptes hominibus mundanis, qui non nisi mundana, id est detractoria, spurca, insulsa, ridicula, fatua et vana loquuntur, ideoque a suis similibus mundanis libenter audiuntur.

6. NOS EX DEO SUMUS : QUI NOVIT DEUM, AUDIT NOS ; QUI NON EST EX DEO, NON AUDIT NOS, — juxta illud Christi : « Qui vos audit, me audit ; qui vos spernit, me spernit, » *Lucæ* X, 16. « Nos, » scilicet fideles omnes baptismo regenerati et charitate præditi : ita S. Augustinus, Œcumenius et Lyranus. *Secundo* : « Nos, » scilicet prædestinati, ait Dionysius. *Tertio* et genuine : « Nos, » scilicet Apostoli. Hæresiarchis enim, quos jam dixit esse ex mundo et de mundo loqui, id est, mundanas et carnales cupiditates docere, ait Œcumenius, opponit Apostolos, qui ex Deo nati et cœlesti doctrina imbuti, ab eoque missi, docent ambire spiritualia, cœlestia et divina. Unde « qui novit » practice « Deum, »

id est, Deum amat, « hic audit nos, » puta me Joannem, meique similes Apostolos et viros Apostolicos ; « qui » vero non amat Deum, ideoque « non est ex Deo, » sed ex mundo, hic non audit nos. Unde subdit : « In hoc cognoscimus spiritum veritatis, et spiritum erroris, in hoc scilicet, quod qui audit nos, habet spiritum veritatis ; qui non audit nos, spiritum habet erroris, » ait S. Augustinus. Rursum in hoc, quod hæretici qui aguntur spiritu erroris, doceant mundana ; Apostoli vero et Apostolici Doctores ex Deo nati doceant divina, *q. d.* Dixi : Probate spiritus utrum ex Deo sint ; jam do modum probandi, scilicet hoc signo dignoscetis veros Apostolos a falsis et hæreticis, quod veri ament et doceant vera et divina, falsi ament et doceant falsa et carnalia. « Nos ergo ex Deo sumus, » quia, ut ait Œcumenius, « a mundanis concupiscentiis abhorremus, et de futura vita solliciti contemnimus omnia caduca et mortalia bona. » Alludit ad illud Christi in Evangelio, cap. X, vers. 16 : « Oves, etc., vocem meam audiunt ; » et cap. VI, vers. 46 : « Omnis qui audivit a Patre et didicit, venit ad me ; » et cap. VIII, vers. 47 : « Qui ex Deo est, verba Dei audit : propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. » Vere S. Hieronymus *ad Heliodorum* : « Absque notitia creatoris sui homo pecus est. »

Vers. 7. 7. CHARISSIMI, DILIGAMUS NOS INVICEM. — Hæc recte cohærent præcedentibus. Dedit enim tesseram et signum quo dignoscatur spiritus veritatis a piritu erroris, puta quo secernantur Apostoli ab hæreticis, scilicet quod Apostoli doceant amare divina, hæretici mundana et carnalia. Nunc particulatim et quasi in individuo idipsum demonstrat, *q. d.* Spiritus erroris est spiritus cupiditatis, sed spiritus veritatis est spiritus charitatis ; puta errones et hæretici docent diligere honores, opes, Venerem et ventrem proprium : at Apostoli docent diligere Deum et proximum. Quare, charissimi, ut sequamur spiritum veritatis, non erroris, spiritum Apostolorum, non hæreticorum, « diligamus nos invicem. » Rationem subdit :

QUIA CHARITAS EX DEO EST. — *q. d.* Spiritus veritatis est spiritus charitatis, ut diligamus invicem ; quia sicut veritas, ita et charitas est ex Deo, imo Deus uti est ipsa prima et æterna veritas, ita magis et potius est ipsa summa et increata charitas. Unde consequenter sequitur, quod « omnis qui diligit (amore non naturali, sed supernaturali, puta charitate), ex Deo natus est, » quia renatus ex fide et charitate, quæ ex Deo est, factus est filius Dei ; charitas enim est habitus supernaturalis tribuens animæ facilitatem diligendi Deum et proximum. Porro ex Deo natus est, « ea generatione, vel potius regeneratione, quæ potestatis est, non naturæ. Adoptio enim potestatis est, generatio proprietatis, » ait S. Ambrosius, lib. IV *De Fide*, cap. IV. « Ut cognoscat Deum, » non solum speculative, sed et practice, quia Deum quem cognoscit esse summum bonum, amme amat. Rursum amor facit ut homo plenius cognoscat et quasi gustu spirituali sentiat et sapiat Deum : qui sensus et sapor in tantum crescit, in quantum crescit amor, præsertim quia Deus amanti seipsum manifestat, et clarius revelat per internas illustrationes, inspirationes, consolationes et gustus, juxta illud promissum Christi : « Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum, » *Joan.* cap. XIV, vers. 21 ; et *Apocal.* cap. II, vers. 17 : « Vincenti dabo manna absconditum, » etc.

Charitas ex Deo est quintupliciter. Primo. Secundo.

Nota : « Charitas ex Deo est, » *primo*, quia charitas essentialis increata promanat naturaliter ex ipsa essentia divina, sicut calor ab igne : imo charitas est ipsa essentia divina. *Secundo*, quia charitas notionalis est Spiritus Sanctus ; hic enim quasi amor notionalis procedit ex Patre et Filio per actum amoris, quo se invicem infinito amore diligunt. Ita hunc locum intelligit Hugo et Magister sentent. in I, dist. 31. Quare minus recte Origenes, homil. 1 *in Cant.*, et Hugo per charitatem accipiunt Filium, qui est ex Deo, quia a Deo genitus. Filius enim a Patre procedit, non ut amor et charitas (hoc enim est proprium Spiritus Sancti), sed ut verbum mentis ac notionalis veritas.

Tertio. *Tertio*, charitas creata est ex Deo, quia est donum summum et nobilissimum Dei, juxta illud *Roman.* V, 5 : « Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, » etc., non quasi charitas qua diligimus Deum sit ipse Deus, sive Spiritus Sanctus, uti voluit Magister in I, dist. 37 : hic enim est exploratus error ; sed quod Deus, qui est charitas increata, charitatem creatam qua eum diligamus, inspiret et in nobis accendat, sicut lumen illuminans producit lumen illuminatum, ait S. Augustinus, XII *Confess.* XV. Et hoc proprie hic intendit S. Joannes, quo tacite simul significat hoc donum non esse nostrarum virium, sed assidua prece postulandum a Deo, ait S. Augustinus, *De Gratia et lib. arbit.*, cap. XVIII, ubi et addit : « Quid aliud est charitas, quam bona voluntas ! » Rursum significat charitatem, quæ idem est quod gratia, aut individua gratiæ comes, esse virtutem maxime divinam, quæ nos faciat consortes divinæ naturæ, II *Petri* I, 4 ; ideoque quasi deos, quia Deus charitas est, ait Philo Carpathius in cap. IV *Cantic.*

Quarto. *Quarto*, charitas est ex Deo, quia Deus prior nos dilexit, I *Joann.* IV, 19, et amando nos ad redamandum accendit, præsertim cum sua viscera, puta Filium suum unigenitum ex immenso amore nobis per incarnationem fratrem dedit, juxta illud : « Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, » *Joan.* III, 19. Hanc rationem dat hic vers. 9.

Quinto. *Quinto*, charitas ex Deo est, quia Dei lege sancita est, et crebro unicèque commendata. Totus enim Decalogus non est aliud, quam lex charitatis Dei et proximi, juxta illud : « Omne mandatum in hoc verbo instauratur : Diliges proximum

tuum sicut teipsum; plenitudo ergo legis est dilectio, » *Rom.* XIII, 9.

Hinc sequitur quod Deus in se sit charitas formalis, in nobis autem causalis, idque omni genere causæ, puta materialis, quia ipse est objectum charitatis nostræ; formalis, quia ipse ejusdem est exemplar; efficientis, quia ipse eam in nobis producit; finalis, quia ipse finis est noster et amoris nostri.

Denique amor naturalis est a natura, carnalis a carne, mundanus a mundo, supernaturalis vero, puta charitas, non nisi a Deo. Vide S. Chrysostomum, hom. 1 *in epist. ad Coloss.*, et Cassianum, *Collat.* XVI, cap. II.

Vers. 8. 8. QUI NON DILIGIT, NON NOVIT DEUM. — Versu præced. dixit S. Joannes : « Omnis qui diligit, ex Deo natus est, et cognoscit Deum; » nunc idipsum probat a contrario, quod « qui non diligit, non novit Deum; » cujus rationem subdit : « Quoniam Deus charitas est, » *q. d.* « Qui non diligit » Deum et proximum, esto speculative noscat Deum, pratice tamen, id est, experimentaliter et sapide « non novit Deum; » sicut mellis saporem et dulcedinem nemo novit per experientiam et saporem, nisi qui illud gustat et sapit : sicut enim sapor sapiendo, ita amor amando practice cognoscitur, gustatur et sapitur. Unde Syrus hæc invertit hoc modo : « Quoniam Deus charitas est, et quisquis non diligit Deum, non cognoscit Deum. » Quocirca licet, ut advertit Didymus et Cajetanus, potuisset S. Joannes pari modo dicere : Qui non scit, non novit Deum, quia Deus scientia est : qui non sapit, non novit Deum, quia Deus sapientia est : qui non potest, non novit Deum, quia Deus potentia est : qui non est patiens, non novit Deum, quia Deus patientia est : qui non est humilis, non novit Christum, quia Christus humilitas est, etc. Maluit tamen dicere : « Qui non diligit, non novit Deum, quoniam Deus charitas est, » tum quia agit de charitate, non de scientia, sapientia, potentia, etc.; tum quia plenus charitate Dei et Christi non nisi eam spirat, in eaque deliciatur : nam, ut ait S. Bernardus, serm. 83 *in Cantic.*, inter sponsum et sponsam, puta inter amantes, nulla alia connexio quærenda præter amare et amari, quia sponsus iste non modo amans, sed et amor est. Hoc est quod ait Jeremias, cap. XXXI, vers. 3 : « Charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans tui. » Quocirca S. Joannes charitatem hic opponit cupiditati, omnique amori mundi, et cuivis illecebræ mundanæ; tum denique quia charitas uti omnium dotum et virtutum, ita et omnium Dei attributorum est princeps et regina.

QUONIAM DEUS CHARITAS EST, — tum formalis et increata, eaque vel essentialis vel notionalis, tum causalis et creata, idque per omnia genera causarum, uti paulo ante dixi. In Deo enim Deique essentia ob summam perfectionem et simplicitatem nulla sunt accidentia; sed quæ in nobis sunt accidentia, in Deo sunt idem cum essentia, uti sapientia, bonitas, amor, potentia sunt ipsa essentia divina, sicut contra Gilbertum definivit Concilium Remense. Vide S. Bernardum, serm. 80 *in Cant.* Porro Deus est charitas tum in abstracto, tum in concreto; quia est tum summa dilectio, tum summe diligens, ideoque vicissim a nobis summe diligendus et redamandus, *q. d.* Deus est charitas, quia summe nos dilexit : nam hujus suæ charitatis evidentissimum dedit indicium, cum pro nobis salvandis dedit misitque Filium suum unigenitum. Hoc proprie intendit S. Joannes : ita enim se explicavit vers. seq. Hinc *primo*, S. Augustinus et Beda docent eum qui proximum non diligit, contra Deum peccare, quia Deus charitas est. Ex adverso S. Augustinus, lib. VIII *De Trinit.*, cap. VII : « Qui proximum, ait, diligit, consequens est ut ipsam præcipue dilectionem diligat; Deus autem dilectio est : consequens est ergo ut præcipue Deum diligas. »

Rursum S. Chrysostomus, serm. *De fide, spe et charitate*, docet nil cum charitate posse comparari, cum ipsa sit Deus, qui est incomparabilis. *Secundo*, Origenes, Proleg. *in Cantic.*, infert charitatem in nobis perseverare debere; ferrique in res spiritales, eo quod Deus sit spiritus jugiter perseverans et immortalis. *Tertio*, Gagneius infert nos certos esse quod Deus supra modum nos diligat, eo quod sit ipsissima charitas. *Quarto*, hinc Patres inferunt charitatem cæteras omnes virtutes imperare et complecti : illas enim imperat et complectitur Deus. Unde S. Cyrillus in cap. XIII *S. Joannis* ait, « Charitatem omni virtute constare. » Quin et S. Paulus I *Corinth.* XIII, 1 : « Charitas, ait, patiens, benigna est, » etc. Vide ibi dicta, et S. Gregorium, lib. X *Moral.*, cap. VII et VIII, alias IV.

9. IN HOC APPARUIT CHARITAS. — Hic declarat cur dixerit : « Deus charitas est, » quia scilicet Deus immensam suam in nos charitatem declaravit, mittendo Christum in carnem pro salute nostra, ut hac ratione nos ad se redamandum invitaret, simulque legem et modum redamandi, quasi in viva idea et exemplari præscriberet, uti in sequentibus explicat S. Joannes. Nam « qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? » ait Paulus *Rom.* VIII. Vers. 9.

Alludit ad illud Evangelii, cap. III, vers. 19 : « Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam. » « Ecce, ait S. Augustinus, « ut diligamus Deum hortationem habemus : quomodo possemus illum diligere, nisi prior ille diligeret? Si pigri eramus ad amandum, non simus pigri ad redamandum. Prior amavit, sed iniquitatem solvit; iniquos amavit, sed non ad iniquitatem congregavit; ægrotos amavit, sed sanandos visitavit. Deus ergo dilectio est, in hoc manifestata est dilectio Dei in nobis. » Pathetice docteque S. Paulinus agens de Aurea S. Paulini gnoma.

S. Magdalena, epist. 4 *ad Severum* : « Ergo, inquit, illum amemus, quem amare debitum est. Illum osculemur, quem osculari castitas est. Illi copulemur, cui nupsisse virginitas est. Illi subjiciamur, sub quo jacere super mundum stare est. Propter illum dejiciamur, cui cadere resurrectio est. Illi commoriamur, in quo vita est : in quo et mortui vivimus : qui vicissim nobis hoc esse dignetur, quidquid illi fuerimus servuli sui, » etc.

Vers. 10. 10. IN HOC (scilicet Christo, ait Didymus. Planius alii, « in hoc, » id est in hac re, puta in Dei dilectione, qua, ut sequitur, prior dilexit nos, ideoque Filium suum misit in carnem) EST (et clarissime cernitur, ejus erga nos) CHARITAS, — id est charitatis magnitudo et immensitas. S. Joannes, dilectus Christi, charitatis Dei præconio non satiatur, sed jugiter illam, ceu vinum quo plenus erat, eructat. Hic ergo eamdem ponderat et exaggerat ex eo, quod Deus nulla dilectione, nullo officio vel obsequio nostro provocatus, imo multis injuriis et sceleribus nostris offensus, « prior dilexit nos, » dum nos peccatores suos inimicos et hostes, ipsum fugientes et aversantes insecutus charitate prævertit, ut ad se reductos salvaret. Nam « ad hoc nos dilexit, ut diligamus eum, ait S. Augustinus, ideoque misit Filium suum propitiationem, » qui scilicet esset propitiator et victima propitians et placans Dei iram « conceptam pro peccatis nostris ; » unde S. Augustinus legit *litatorem*, idque exponit *sacrificatorem*. Prior, ait S. Bernardus, sermone 9 in psalm. *Qui habitat*, Deus dilexit nos, quia ab æterno, juxta illud : « Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate, » *Ephes.* I, 4. Denique S. Augustinus hic, tract. 9 : « Dilexit, inquit, impios, ut faceret pios; dilexit injustos, ut faceret justos; dilexit ægrotos, ut faceret sanos. »

Vide hic quam elevatæ sint viæ Dei a viis hominum. Homines enim, si quis eos contemnat, vexet, spoliet, imo rideat et levi injuria afficiat, illico se contrahunt, aversantur, fugiunt, imo odio prosequuntur afficientem, ac par pari, imo majorem vindictam, ei irrogare cogitant. At Deus ab hominibus contemptus, irrisus, honore spoliatus, et mille injuriis affectus, dilatat erga eos viscera charitatis, charitate cum eorum odio certat, odio excitatur ad amorem ; odium Deo est flabellum charitatis, imo odium amore infinito superat, absorbet, obruit et extinguit, perinde ut rogus ingens guttulam aquæ absorbet. Dei ergo propria est beneficentia et charitas in inimicos et hostes, ut scilicet eos amore et gratia præveniat, ac ex inimicis amicos, filios et hæredes efficiat, imo ex maximis peccatoribus maximos efficiat sanctos : uti ex Saulo fecit Paulum, ex latrone præconem suum in cruce, ex peccatrice Magdalenam, hoc est speculum pœnitentiæ et sanctitatis. Idipsum celebrat et admiratur Paulus : « Fidelis, inquit, sermo et omni acceptione dignus, quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum ; sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primo ostenderet Christus Jesus omnem patientiam, ad informationem eorum qui crediturus sunt illi in vitam æternam, » I *Timoth.* I, 15.

Hanc Dei et Christi in se charitatem imitatus Paulus, Judæos, licet juratos suos hostes, omni modo Christo lucrifacere sategit, et crescentibus eorum odiis, crevit et magis accensus est in eos amor illius, adeoque pro iis optavit fieri anathema, *Roman.* IX, 2. Simili modo S. Magdalena ut amorem amori rependeret, sua omnia, seque ipsam devovit Christo. Idem fecere cæteri Sancti. Hanc Dei charitatem nobis quoque imitandam hic proponit S. Joannes. Unde subdit :

Vers. 11. 11. CHARISSIMI, SI SIC DEUS DILEXIT NOS, ET NOS DEBEMUS ALTERUTRUM DILIGERE. — « Si » non est dubitantis, nec conditionale, sed asseverantis et causale, idem valens quod *quia, q. d.* Quia sic Deus dilexit nos. Simili modo ait Christus : « Si, id est *quia*, ego lavi pedes vestros Dominus et magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes, » *Joan.* XIII, 14.

Dicit tamen Joannes potius *si*, quam *quia*, ad majus pondus et pathos, quasi admirans et obstupescens ad amorem Dei infinitum, cujus proinde nulla cum nostra possit esse æqualitas vel proportio. Unde solerter ex illo antecedenti, « si sic Deus dilexit nos, » non infert : « Ego et sic nos debemus Deum diligere; » hoc enim est impossibile, ut scilicet sic Deum amemus, sicut ipse amavit nos : nec enim amorem Dei æquare, vel ex minima parte possumus; sed infert : « Et nos debemus alterutrum diligere, » *q. d.* Cum non possimus amori divino par pari reddere, saltem diligamus invicem pro modulo nostro. Quod enim proximo facimus, Deus sibi factum æstimat, *Matth.* XXV, 40 ; idque, tum quia proximus est imago Dei, tum quia Deus nullius nostrum indigens sibi substituit proximum, ut in illum egentem amorem nostrum erga Deum expromamus, amando et succurrendo illi propter Deum. Jussit itaque et sanxit hunc proximi amorem enixe Deus, quia homo homini est similior et vicinior, quam Deus. Si ergo Deus adeo dissimilis et supereminens hominem sic dilexit, quanto magis homo hominem sibi congenerem, et per omnia similem diligere debet? ita Œcumenius : « Si Deus, inquit, ita nos amavit, qui nullam cum natura ejus communicationem habemus, multo magis etiam nos amare eos qui cognati nobis sunt, debemus ; et cum cognoscamus bonum quod ex charitate proficiscitur, id mutuo nobis præstare. »

Adde, τὸ *nos* complecti etiam proximos, *q. d.* Si Deus omnes naturæ nostræ consortes, ipse licet ejus exsors, suo amore dignatus, imo tanta charitate complexus est, quanto magis decet nos

eadem complecti invicem, qui omnes ejusdem naturæ sumus participes, in eaque pares. Vere S. Augustinus hic *tractat.* 7 : « Dilige, ait, et quod vis fac : sive taceas, dilectione taceas : sive clames, dilectione clames : sive emendes, dilectione emendes : sive parcas, dilectione parcas. Radix sit intus dilectionis ; non potest de ista radice nisi bonum existere. » Porro, si Christus sic dilexit nos, ut pro nobis animam poneret, multo magis nos debemus pro proximorum salute animam ponere. Praxim unam hujusce rei quotidie obviam assignat Abbas Pastor in *Vitis Patrum,* lib. V, cap. XVII, num. 10 : « Non est, inquit, aliquid majus dilectione, etiam ut ponat quis animam suam pro proximo suo. Nam si quis audiens sermonem tristem certet et sustineat, ac non recontristet, vel etiam si læsus in re aliqua patienter tulerit, non retribuens contristanti atque lædenti se, eo modo hujusmodi homo animam suam ponit pro proximo suo. »

Vers. 12. 12. DEUM NEMO VIDIT UNQUAM. — Quorsum hoc hic ingerit S. Joannes? *Primo,* S. Augustinus ingeniosius, quam germanius sic adaptat, *q. d.* Deus est invisibilis, ac proinde non oculo, sed corde quærendus est ; avocandum ergo est cor a sensibus, ac dandum dilectioni : hac enim tenetur Deus, qui non est aliud quam dilectio. « Ubi est, inquit, iste oculus ? Audi Evangelium : Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt, etc. Si vis videre Deum, Deus dilectio est. » Pergit S. Augustinus : « Qualem faciem habet dilectio ? qualem formam habet ? qualem staturam habet ? quales pedes habet ? quales manus habet ? Nemo potest dicere ; habet tamen pedes, nam ipsi ducunt ad ecclesiam ; habet manus, nam ipsæ pauperi porrigunt ; habet oculos, nam inde intelligitur ille qui eget. Beatus qui intelligit super egenum et pauperem. Habet aures de quibus dicit Dominus : Qui habet aures audiendi, audiat. Non sunt enim membra distincta per loca, sed intellectu totum simul videt. Qui habes charitatem, habita, et inhabitaberis : mane, et manebitur in te. » Et inferius : « Sed et si sævis aliquando propter correctionem dilectionis, propterea de columba demonstrata est charitas, quæ venit super Dominum. Species illa columbæ, in qua venit Spiritus Sanctus, in quo nobis charitas infunderetur. Quare hoc ? Fel columba non habet, tamen rostro et pennis pro nido pugnat, sine amaritudine sævit. Hoc facit et pater quando filium castigat, sed ad disciplinam castigat, sicut dixi. Amor ergo sævit, charitas sævit, quo modo ? sine felle, more columbino, non corvino. »

Secundo et genuine, hæc verba partim dant causam cur ex antecedenti : « Si sic Deus dilexit nos, » intulerit : « Et nos debemus alterutrum diligere, » non Deum, uti inferendum videbatur, quia scilicet Deum videre, et benefaciendo diligere non possumus : hinc vice Dei benefaciendo proximo quem videmus, testamur amorem nostrum erga Deum, quem videre, cuique benefacere non valemus. Partim invitant ad amorem proximi, cohærentque cum sequentibus, *q. d.* Studiose diligite proximum : hanc enim dilectionem sibi factam reputat Deus, licet enim eum non videamus, tamen si proximum diligamus, ipse invisibilis erit nobis præsentissimus, adeoque sedem et thronum suum in anima nostra manens constituet, imo charitas ejus in anima nostra plene exprimetur et perficietur. Ita Œcumenius. Ratio est, quia charitas invisibilis et divina Deo invisibili nos conjungit et confœderat. Adde, quod Deus in se invisibilis videatur in proximo visibili : hic enim Dei est imago.

Nota : « Deum nemo vidit unquam, » scilicet per essentiam, sive facie ad faciem in hac vita. Unde probabiliter docent Doctores, nec Mosen, nec Paulum, nec alium purum hominem (Christus enim vidit Deum, sed ipse erat Deus homo) in hac vita vidisse divinam essentiam, juxta illud *Exod.* XXXIII : « Non videbit me homo, et vivet, » licet contrarium opinentur S. Augustinus, et ex eo S. Thomas. Vide dicta II *Corinth.* XII, 4.

Rursum, « Deum nemo vidit unquam, » sed nec videre potest, per vires naturæ, uti voluerunt Anomæi et Eunomiani, quos refutat S. Chrysostomus et Basilius, lib. I *Contra Eunomium ;* ac postea Begardi et Beguinæ. Beati enim in cœlo vident Deum, sed per vires gratiæ : unde ibi mens eorum elevatur, et alium quasi accipit oculum ordinis divini, puta lumen gloriæ, quo videat Deum. Hac phrasi ergo significat S. Joannes Dei majestatem adeo esse sublimem, adeoque transcendere non tantum res omnes creatas, sed et intellectus omnium tam angelorum, quam hominum, ut licet ipse sit lux splendidissima, tamen ob sui puritatem, subtilitatem et sublimitatem a nulla mente vel oculo creato videri possit. Citat eamdem sententiam S. Joannes, *Evangelii* I, 18 ; sed ibi applicat Dei cognitioni, hic vero dilectioni ejusdem. Ibi enim ait : « Deum nemo vidit unquam ; unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit, » *q. d.* Hæc quæ dixi de divinitate Verbi et Dei Patris, adeo sublimia sunt, ut, cum nemo mortalium præter Filium, Deum viderit, nemo etiam præter Filium, ne Moses quidem, hæc perfecte hominibus enarrare potuerit : quocirca « unigenitus Filius qui est in sinu Patris, » id est, qui Patri est intimus, conjunctissimus, homousios, utpote ab eo genitus, ac consequenter sapientiæ et consiliorum ejus omnium est particeps, « ipse » veniens in carnem ea nobis « enarravit. » Ita S. Chrysostomus, Cyrillus, Augustinus, Theophylactus, Euthymius ibidem. Sic Nabuchodonosor Danielem ob interpretationem somnii divini ita compellat, cap. IV, vers. VI : « Daniel, cui nomen Baltassar, secundum nomen Dei mei, qui habet spiritum deorum sanctorum in semetipso. » Hic vero eamdem applicat dilectioni, *q. d.* Deus est invisibilis, ac poinde ab homine nul-

lum dilectionis officium percipere potest, quia transcendit omnes hominum opes, æque ac oculos et actiones, juxta illud *Daniel.* cap. II, 11 : « Exceptis diis, quorum non est cum hominibus conversatio. » Idem tamen tanti facit dilectionem, et eos qui diligunt proximos, ut ex summo cœlorum vertice ad eos se inclinet, et quasi descendat habitetque et maneat in cordibus eorum. Hoc est quod ait Paulus : « Qui solus habet immortalitatem, et lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominum videt, nec videre potest, » I *Tim.* cap. VI, vers. 16. Vide ibi dicta.

Denique S. Cyrillus Hierosolymitanus, initio *Catechesis* 9, censet Deum non posse videri oculis corporeis, quia ipse est incorporeus, ac proinde ipsum cœlum quasi velum prætendisse oculis nostris, ne fulgore divinitatis nos excæcaret, imo occideret. Hoc falsum est nisi commode exponatur, scilicet hoc modo, quod Deus licet in se incorporeus, habitans tamen in cœlo empyreo, quod corporeum est, et corporibus Beatorum se suamque gloriam ostendens, tantam lucem sensibilem ibidem spargat, quæ sui majestatem quodam modo repræsentet, ut illa oculos Beatorum excæcaret, imo eos occideret, nisi divina virtute fulcirentur et conservarentur. Qua de causa angelus repræsentans Dei gloriam, Mosi apparens in corpore assumpto, dorsum ei duntaxat ostendit, utpote in quo erat lux temperatior : facies enim ejus ita radiabat, ut Mosis oculos excæcasset, juxta illud : « Posteriora (id est dorsum) mea videbis, faciem autem meam videre non poteris. » Vide dicta *Exod.* XXXIII, 23, et XXXIV, 6. Hinc apud veteres pervagata erat opinio, eum qui vidisset Deum, puta angelum Deum repræsentantem in corpore assumpto, moriturum, juxta illud Manue, patris Samsonis, viso angelo : « Morte moriemur, quia vidimus Dominum, » *Judic.* XIII, 22.

Hinc S. Epiphanius, in VII Synodo, *Act.* VI, docet Deum secundum se non posse ulla imagine exprimi, quin et Moses vetans Judæis Dei imaginem, causam dat : « Vocem verborum ejus audistis, et formam penitus non vidistis, etc. Non vidistis aliquam similitudinem, ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, » *Deuteron.* cap. IV, vers. 12 et 15.

CHARITAS EJUS IN NOBIS PERFECTA EST. — « Perfectum » est, quod omnibus suis partibus quasi numeris integratur et completur. Charitatis autem partes et officia sunt duo : *primum*, diligere Deum; *secundum*, diligere proximum. Quare si solum prius habeat charitas ut scilicet diligat Deum, imperfecta est; perficitur vero et completur, si accedat secundum, scilicet si se extendat ad proximum. Rursum charitas qua diligimus Deum, perficitur per charitatem proximi, quia proximum non ob aliud quam propter Deum diligimus; amor ergo proximi propter Deum perficit amorem Dei, quia id quod est ratio cur amentur alia, et ipsum multo magis amatur. Cum ergo propter Deum amamus proximum, multo magis amamus ipsum Deum.

Secundo, hæc accipi possunt de charitate, non nostra, sed Dei : hoc enim significat τὸ *ejus*, *q. d.* Deus licet sit invisibilis, per charitatem tamen manet in nobis, quin et charitate perfecta se nos diligere ostendit, dum in nobis manens efficit, conservat et auget in nobis charitatem, qua non tantum ipsum, sed et proximum propter ipsum diligamus. Hunc sensum innuit versus sequens, et S. Augustinus : « Ama, inquit, eum qui in te cœpit habitare, ut perfectius inhabitando faciat te perfectum. »

Porro, charitas maxime perficitur dilectione inimicorum, si scilicet ultra amicos se extendat ad æmulos, hostes et persecutores. « Ignis charitatis, ait S. Augustinus hic, *tract.* 7, prius occupat proxima, et sic se in longinquiora distendit, antea in fratrem, deinde in ignotum, postea in adversarium. » Et inferius docet nos debere diligere inimicos, sicut medicus diligit ægrotos et phreneticos : « Sævit, inquit, in te homo : ille sævit, tu deprecare; ille odit, tu miserere. Febris animæ ipsius te odit, sanus erit et gratias tibi aget. Quomodo medici diligunt ægrotos? volunt ut semper ægrotent? Ad hoc diligunt ægrotos ne ægroti permaneant, sed ut ex ægrotis sani fiant; et quanta plerumque patiuntur a phreneticis? quales contumelias verborum? plerumque et percutiuntur : persequitur ille febrim, ignoscit homini. Et quid dicam, fratres? Amat inimicum suum, imo odit inimicum suum : morbum ipsum enim odit, et amat hominem a quo percutitur, odit febrem. A quo enim percutitur? a morbo, ab ægrotatione, a febre. Illud tollit quod adversatur, ut remaneat illud unde gratuletur. » Et inferius : « Unum ægrotum flebam qui te oderat, jam duos plango si et tu odisti. Sed persequitur rem tuam; ideo illum odisti, quia angustias tibi facit in terra : noli pati angustias, migra in cœlum sursum, cor ibi habebis ubi latitudo est, ut nullas angustias patiaris in spe vitæ æternæ. Quodammodo ferramentum Dei est, quo saneris, ipse inimicus tuus. De illo te curat, opta ut ille sanetur. »

13. IN HOC COGNOSCIMUS, QUONIAM IN EO MANEMUS, ET IPSE IN NOBIS, QUONIAM DE SPIRITU SUO DEDIT NOBIS. — « De spiritu, » id est, participium Spiritus, puta gratiam et charitatem, quæ sunt dona Spiritus Sancti. Vel, « de spiritu, » id est, spiritum suum dedit nobis, puta spiritum charitatis : sic enim Hebræi verba contactus, quale est *dedit*, construunt cum præpositione *ex*, vel *de*, cum ablativo. Vers. 13

Versu præcedenti dixit Deum per charitatem manere in nobis, et consequenter nos in Deo; sic enim manet amans in amante et in amato : tam enim Deus est amans nostri, quam nos Dei. Hic idipsum inculcat, exaggerat et quasi ratione confirmat. Ratio est talis : qui habet spiritum Dei, hic manet in Deo, et Deus in eo; atqui qui

habet charitatem, habet spiritum Dei : ergo qui habet charitatem, in Deo manet, et Deus in eo. Major patet, quia ubi est spiritus Dei, ibi est ipse Deus; ubi autem est Deus, ibi ipsum subjectum, sive locum in quo est, sibi unit, et quasi immensitate suæ essentiæ incorporat et absorbet, ut magis subjectum sive locus sit in Deo, quam Deus in subjecto vel loco. Qui ergo in se spiritum Dei experitur, puta charitatem, hic sentit Dei præsentiam et munificentiam, Deum scilicet esse in se, et se in Deo, utpote qui donum sibi conferat et imaginem perfectissimam in se exprimat, juxta illud : « Qui adhæret Domino, unus spiritus est, » I *Cor.* XII.

Vers. 14. 14. ET NOS VIDIMUS ET TESTIFICAMUR, QUONIAM PATER MISIT FILIUM SALVATOREM MUNDI. — Pertinent hæc ad vers. 9, ubi ait Deum charitatem suam in nos ostendisse mittendo Filium; hic idipsum probat et confirmat testimonio suo et Apostolorum : hi enim fuerunt testes oculati et auriti, qui viderunt, audierunt et conversati sunt cum Christo incarnato, uti dixit initio Epistolæ. Christi incarnationem repetit et inculcat S. Joannes, tum quia illo ævo erat nova et paradoxa, ideoque hæretici plures eam negabant; tum quia ipsa est basis et fundamentum charitatis, ut dixit vers. 9. Ad charitatem enim omnia hæc pertinent, adeoque S. Joannes non aliud quam eam spirat. Quem enim non accendat ad Deum redamandum amor Dei, quo Filium suum dedit nobis? Quomodo amor non ametur? Quis non diligat Jesum? Jesus enim est omne bonum nostrum. Jesus enim hebr. idem est quod græce σωτήρ, latine *salvator,* juxta illud *Oseæ*, XIII, 4 : « Ego Dominus Deus tuus, et salvator non est præter me; » et *Psalm.* LXVII, vers. 2 : « Deus noster Deus salvos faciendi. »

Alludit ad illud *Evangelii*, cap. III, vers. 17 : « Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. » Unde S. Bernardus, *De Amore Dei*, VIII : « Ipse (Christus), ait, est amor noster, quo ad te pertingimus, quo te amplectimur : alioquin o incomprehensibilis majestas, comprehensibilis esse videris animæ te amanti. Licet enim nullus sensus cujuslibet animæ vel spiritus te comprehendat, tamen totum te quantus es comprehendit amor amantis, qui totum te amat quantus es, si tamen est totitas, ubi non est particularitas : si quantitas, ubi non est tantitas : si est comprehensibilitas, ubi hæc omnia non sunt. »

Vers. 15. 15. QUISQUIS CONFESSUS FUERIT QUONIAM JESUS EST FILIUS DEI, DEUS IN EO MANET, ET IPSE IN DEO. — Commendat divinitatem Christi, quia eam tunc impugnabant Ebion, Cerinthus et alii plures. Hæc est quasi conclusio elicita ex vers. præced., *q. d.* Christus est salvator mundi; quisquis ergo in eum crediderit, ejusque fidem constanter professus fuerit, Deus in eo manet, et ipse in Deo. Manet, inquam, per veram vivamque fidem et confessionem quæ charitatem includit, quæque per dilectionem operatur. Sic Paulus ait « Christum per fidem habitare in cordibus nostris, » *Ephes.* cap. XIII, vers. 17; solet enim Scriptura fidei tribuere salutem, gratiam, amicitiam, etc., non soli, sed tanquam radici, quæ totam charitatis et virtutum arborem producit, sustentat et complectitur, uti alias sæpe ostendi. Unde S. Augustinus : « Qui confessus fuerit, inquit, non verbo, sed facto, non lingua, sed vita; nam multi confitentur verbis, sed factis negant. » Fidelis enim fidem suam probare et ostendere debet factis et bonis operibus, quæ dictat et præcipit fides; alioqui fides inanis est, otiosa et mortua, ut ait S. Jacobus, cap. II, vers. 18. Unde S. Hieronymus in illud *Isaiæ* XXVI, 1 : « Murus et antemurale ponetur in ea. Murus, inquit, bonorum operum, et antemurale fidei; non enim sufficit antemurale habere fidei, nisi ipsa fides bonis operibus confirmetur. »

Vers. 16. 16. ET NOS COGNOVIMUS ET CREDIDIMUS CHARITATI, QUAM HABET DEUS IN NOBIS. — Hisce verbis S. Joannes confirmat et inculcat quod dixit duobus versibus præcedentibus : totus enim est in eo ut asserat et inculcet charitatem Dei, quam exhibuit nobis mittendo et dando Christum, ob causas quas dixi vers. 14 : « Nos vidimus et testificamur, quoniam Pater misit Filium suum salvatorem mundi; » hoc idem hic aliis verbis repetit, dicendo : « Et nos cognovimus et credidimus charitati quam habet Deus in nobis, » *q. d.* Nos vidimus et testificamur Christum incarnatum, qui est charitas Dei; quia eum per experientiam et conversationem vere talem cognovimus, ac per fidem in eum credidimus. « Credidimus ergo charitati quam habet Deus in nobis, » id est, in nos, erga nos; quia credidimus Deum ex immensa erga nos charitate dedisse nobis Christum Salvatorem. Unde Syrus clare vertit, *et nos credidimus, et scimus quam charitatem habeat Deus ergo nos : Deus enim est charitas.* Et S. Augustinus, *Et nos cognovimus et credidimus, quia dilectionem habet Deus nobiscum.*

Alii sic exponunt, *q. d.* Sicut vera et certa sunt quæ dixi et docui de Christo, vers. 14; sic pariter vera et certa sunt, quæ doceo de charitate; vidi Christum a Deo datum, credo pariter quod ex mera charitate eum dederit.

Nota : S. Joannes it reditque in orbem; a Deo enim salit ad Christum, a Christo ad charitatem, a charitate ad dilectionem proximorum, a charitate et dilectione redit ad Deum, inde ad Christum, etc.; omnia enim hæc eo refert, « ut diligamus alterutrum, » ut dixi vers. 11. Ilic enim est ejus discursus; Deus immensa charitate nos, id est, omnes homines dilexit, dando pro eorum salute Christum Filium suum. Ergo par est ut ejus charitatem imitemur, eique in amore respondeamus, ut scilicet ejus amore amemus proximos, eisque benefaciamus, cum Deo ipsi benefacere non possimus.

Nota : Significantius dicit « credidimus chari-

tati, » quam « credidimus charitatem, » ut habent Græca, ut significet nos non tantum fide, sed et spe ac charitate cohærere charitati Dei, *q. d.* Nos non tantum cognovimus et fide credidimus incarnationis mysterium, in quo eximia Dei in nos charitas elucet, imo nimia, ut ait Paulus, *Ephes.* II, 4; sed etiam totos nos credidimus et commisimus charitati divinæ; omnem nostram fidem, spem et amorem in eam defiximus; omnem nostrum affectum in eam transfudimus, per omnia secure in ea conquiescimus, certi quod illa neminem suorum fallat; toti ab ea pendemus, ut ab ea quaquaversum moveamur et dirigamur ad omne bonum, et ad vitam æternam, dicentes cum Psalte : « Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram, Deus cordis mei et pars mea, Deus, in æternum? » *Psalm.* LXXIII, vers. 26.

DEUS CHARITAS EST. — Syrus, *Deus enim charitas est*; dat enim causam cur dixerit : « Et nos credidimus charitati, » et cur Deus charitatem habeat « in nobis, » id est, erga nos. Causa enim est, quod Deus sit ipsissima per essentiam charitas, ac proinde credentem, sperantem et amantem se fallere non possit; sed cum sit purus merusque amor, sua omnia totumque se ei communicet et in eum effundat.

Nota : Deus est charitas formalis in se, causalis in nobis, quia scilicet eam causat et producit in nobis; in se autem est formalis charitas duplex : *prima*, essentialis, quæ communis est toti S. Trinitati; *secunda*, notionalis, quæ propria est Spiritui Sancto; ut dixi vers. 7 et 8. Audi S. Bernardum, *epist.* 11 : « Dicitur, ait, recte : Charitas est Deus, et Dei donum. Itaque charitas dat charitatem, substantiam accidentalem. » Hinc infert Basilius, serm. *De Institut. Monach.* : « Quod si, inquit, ut Joannes ait, Deus charitas est, sine dubio necesse est diabolum odium esse; ut igitur qui charitatem habet, is Deum habet : sic qui odium habet, is diabolum in se ipso nutrit; » et orat. 1 *De Amore* : « Si Deus est charitas, ipsa invidia dæmon sit oportet; ut igitur qui charitatem habet, Deum in se manentem habet : sic qui invidiam fovet, dæmonem haud dubie in se ipso nutrit atque alit. » Sic et Nazianzenus in *Tetrastichis* :

> Vinum, *inquit*, libido, livor, et dæmon pares :
> Hos mente privant, quos tenent. His tu prece
> Medere fusis lacrymis, jejunio;
> Medela morbis hæc enim certa est meis.

Quæres cur potius dicatur : « Deus est charitas, » quam Deus est sapientia, Deus est potentia, Deus est justitia? Respondeo : Hæc omnia vere dici possunt; melius tamen dicitur : « Deus est charitas, » tum quia S. Joannes proprie agit de charitate; tum quia charitas est nobilissima dos et virtus quæ cæteras omnes transcendit, ac proinde in Deo pariter velut in sui origine est quid nobilissimum et præstantissimum : nostra enim charitas creata a charitate Dei increata, velut radius a sole effluit et dimanat. Charitas ergo est ordinis divini; est enim participatio Dei in summo gradu, scilicet non naturali, in quo eum participant omnes res naturales; sed supernaturali, qui omnem participationem creaturarum longe superat et transcendit.

Deus est charitas. Cur?

Porro, ratio cur Deus per essentiam sit charitas, est quod ipse per essentiam sit purum, merum et summum bonum, cujus natura est esse sui plane pleneque communicativum et diffusivum, ait S. Dionysius, quod proprium est charitatis : Deus enim est mare mellis, puta oceanus bonitatis et charitatis. Deus est quasi ignis semper ardens, omnia accendens et in se transmutans. « Etenim Deus noster ignis consumens est, » *Hebr.* cap. XII, 29. Audi S. Bernardum, serm. 83 *in Cant.* : Legi, inquit, quia Deus est charitas; et non quia honor est, vel dignitas, legi; non quia honorem non vult Deus, qui ait : Si ego pater, ubi est honor meus? Verum id pater; sed si sponsum exhibeat, puto quia mutabit vocem, et dicet : Si ego sponsus, ubi est amor meus? Nam et ante ita locutus est : Si ego Dominus, ubi est timor meus? Exigit ergo Deus timeri ut Dominus, honorari ut pater, ut sponsus amari. Quid in his præstat, quid eminet? nempe amor. Absque hoc et timor pœnam habet, et honor non habet gratiam, servilis est timor, quamdiu ab amore non manumittitur. Et qui de amore non venit honor, non honor, sed adulatio est. Et quidem soli Deo honor et gloria, sed horum neutrum acceptabit Deus, si melle amoris condita non fuerint. »

Vis divini amoris quanta?

Ergo Deus est charitas, quia charitas est quasi flamma spiritualis omnes inflammans, et quasi lumen ubique resplendens et omnia illuminans. Hinc S. Dionysius, *De Divin. Nom.*, cap. XIV, p. 1, ait « amorem divinum esse vim motricem et sursum trahentem in Deum, qui solus est ipsum per se pulchrum et bonum. » Item « esse manifestationem Dei per seipsum, et benignum processum eximiæ illius unionis, et amatoriam motionem, simplicem, per se mobilem, per se innatam, præexistentem in bono, et ex bono in ea quæ sunt exuberantem, et rursum in bonum revertentem. » Hisce verbis, ait noster Lessius, lib. IX *De Divin. Attrib.*, cap. II et III, significat D. Dionysius, *primo*, charitatem et amorem ex pulchro et bono tanquam fonte prodire. « Hoc enim ipso quo Deus suam pulchritudinem et excellentiam infinitam intuetur, exoritur in ipso infinitum amoris incendium, quo tantum illam amat, quantum amari digna est, id est, infinities infinite. Pulchrum enim et bonum cognitum statim amorem accendit : unde infinitum pulchrum et bonum infinite cognitum, infinitum amorem ciebit; infinitum, inquam, tum ardore, tum æstimatione, seu, ut Scholastici loquuntur, infinitum intensive et appretiative. *Secundo*, quod propter pulchrum

et bonum extendat se et descendat ad creaturas; nimirum ut illud creaturis communicet, vel totum, vel aliquos ejus radios et adumbrationes pro cujusque captu et meritis. Quod enim summe amamus, ejus præstantiam et pulchritudinem cupimus omnibus innotescere, et ejus dulcedinem ab omnibus percipi, ut ab omnibus laudetur. Idem facit amor in Deo. *Tertio*, quod creaturas sursum rapiat, et ad pulchrum bonumque convertat. Hoc maxime locum habet in angelis et hominibus; nam cætera divinam bonitatem et pulchritudinem non capiunt, sed in homine trahuntur quodam modo in Deum cætera, tum quia omnes naturæ gradus sunt in ipso, tum quia cætera omnia propter ipsum. *Quarto*, quod divinus amor sit exstaticus, quia amantem extra se trahit in amatum : Deum enim suæ celsitudinis quodam modo facit oblivisci, et inclinat ad humilitatem nostram, totumque in salutis nostræ negotio occupat. Cujus signum incarnatio, prædicatio, miracula, passio, mors, Sacramenta, missio Spiritus Sancti, assidua et admirabilis Ecclesiæ gubernatio, cura et directio singulorum. Hominem similiter extra se ponit, efficiens ut de se suisque commodis non cogitet, sed solum de Deo et bonis Dei. Unde magnus Dei amator seipsum abnegat, suis cupiditatibus renuntiat, suas utilitates negligit, sui obliviscitur, et totus in iis est quæ ad Deum pertinent. Est enim cogitatione et affectu totus extra se, et translatus in dilectum. Talis erat S. Ignatius Martyr, qui dicebat : Ἔρως ἐμός ἐσταύρωται, Amor meus crucifixus est. Talis erat S. Paulus Apostolus : Mihi, inquit, vivere Christus est, et mori lucrum. Hujus illustre exemplum est in sole. Sol enim in rebus corporeis est summum, pulchrum et bonum. Unde recte quodam loco D. Gregorius Nazianzenus : Ὥσπερ ἐν τοῖς αἰσθητοῖς ἥλιος, οὕτως ἐν τοῖς νοητοῖς ὁ Θεός, sicut in rebus sensibilibus est sol, ita in intelligibilibus Deus. Ex sole descendit calor ad res inferiores, descendit autem per lucem, et prius res illustrantur, quam calorem concipiant; calore concepto fiunt spirituales, leves, et sursum in cœlum vehuntur. Sol est symbolum Dei, lux sapientiæ, calor amoris, res terrenæ animarum et spirituum. A Deo descendit amor per sapientiam; prius enim mens illustratur cognitione pulchritudinis et bonitatis divinæ, deinde per cognitionem concipit amorem; amor conceptus efficit animam spiritualem, cœlestem, eamque mox sursum trahit et Deo conjungit, illique soli æterno similem veluti quemdam parhelium (qui solis est expressa imago) efficit. »

Amor summus deorum Gentilibus.

Idem viderunt Gentiles, sed tenuem per umbram, qui summum deorum fecerunt Cupidinem, Deum amoris, eique supplicem finxere Jovem cæterosque deos. Unde Poeta :

Amor Deum gubernat.
Amoris omne regnum est.
Hinc emblema Cupidinis est :

Sol calet igne meo, Neptunus flagrat in undis.
Quamvis liber erat, feci servire Tonantem;
Quamvis liber erat, Martem sine Marte subegi.

Hieroglyphicon amoris extat hoc lemmate : « Amor causa omnium, et ad ipsum omnia; » quod nimirum ex amore vero omnes res originem ducant, ipseque primum rerum sit principium. Vide Giraldum in *Syntag. Cupidinis*.

ET QUI MANET IN CHARITATE, IN DEO MANET (*et*, id est igitur, idcirco; infertur enim hæc quasi conclusio ex antecedenti, quod præcessit, *q. d.* Deus charitas est; ergo qui manet in charitate, manet in Deo, cum sint unum idemque Deus et charitas), ET DEUS IN EO, — quasi in templo charitatis. Deus enim quasi charitas increata manet in amante quasi in charitate sacra, sed creata; manet, inquam, non tantum per charitatem, sed et per suam essentiam ac substantiam novo quodam modo, ut dixi II *Petri* I, 4. Amans ergo « in Deo manet, » tanquam objectum cognitum et dilectum a Deo, ut vitam æternam ei conferat; et « Deus » manet « in eo, » tanquam objectum cognitum et dilectum, quod amans diligit dilectione supernaturali : amor enim est occupatio amantis circa amatum ipsius amati causa. Manet ergo sicut annulus in annulo reciproce : charitas enim est vis unitiva et reciproca, quæ amantem transformat in amatum, et amatum in amantem. Audi S. Dionysium, cap. IV *De Divin. Nom.* : « Hoc amoris verbum vim habet faciendi unum, et colligandi, præstantique modo res inter se miscendi; » et mox : « Dimovet etiam de statu divinus amor; » et rursus : « Itaque Paulus ille magnus jam divino amore captus, præditusque ejus vi, quæ hominem statu suo dimovit, divino ore : Vivo autem, inquit, jam non ego, vivit vero in me Christus : ut verus amator, et a mentis, sicut ipse ait, statu dimotus, Deo degit, non suam vitam, sed amantis tanquam valde diligendam. » Mox addit Dei erga nos amorem simili modo extra se fieri rerum omnium procreatione, suorumque donorum communicatione et effusione : ita tamen ut interim a seipso, puta a Deo, non discedat.

Pulchra Dei definitio.

Denique S. Bernardus, lib. V *De Considerat.*, cap. XI, Deum ita definit : « Quid est Deus? voluntas omnipotens, benevolentissima virtus, lumen æternum, incommutabilis ratio, æterna dulcedo, creans mentes ad se participandum, vivificans ad sentiendum, afficiens ad appetendum, dilatans ad capiendum, justificans ad promerendum, accendens ad zelum, fœcundans ad fructum, dirigens ad æquitatem, formans ad benevolentiam, moderans ad sapientiam, roborans ad virtutem, visitans ad consolationem, illuminans ad cognitionem, perpetuans ad immortalitatem, implens ad felicitatem, circumdans ad securitatem. » Idem S. Bernardus, *De Cœna Domini* : « Al-

taris Sacramentum, inquit, est amor amorum. »

Amor facit extasin.

Hinc amor facit exstasin et excessum amantis a seipso ut illum in amatum transferat, et illi arctissime uniat, unumque cum illo efficiat. Sic amor univit Deum homini, non solum affectu et cura, sed etiam effectu et substantia, unione nimirum hypostatica. Hominem vero unit Deo, ita ut prorsus a seipso deficiens in Deum transeat et veluti colliquescat, nihil amplius cogitans, intelligens aut sentiens præter Deum, nihil aliud appetens aut desiderans, nulla alia re gaudens quam bonis Dei. Qui sic adhæret Deo, unus cum eo efficitur spiritus, quia seipsum exuit et Deum induit; quare perinde ac si in divinam naturam transformatus esset, totus cogitatione et affectu est in Deo. Sic omnes Sancti in cœlo unum erunt cum Deo (quod Dominus illis precatur, *Joann.* XVII), quia omnes agnoscent suum nihilum quod ex se sunt, seque nihili æstimabunt, nisi quatenus sunt Dei, et propter Deum; et hoc modo penitus a seipsis deficient: cur enim hæreant in nihilo? Deinde intellectu et voluntate potentissime rapientur in illum, et toti in ipso erunt, et in ipsum veluti liquescent et transformabuntur, nihil aliud ibi sentientes et gustantes quam Deum, nihil aliud æstimantes quam bonum ipsius, perinde ac si ipsi in Deum essent transmutati. Itaque amor est vis unitiva, tum quia ipsum amantem transfert in amatum ut in eo vivat, sentiat, gaudeat; et ipsum illi quodam modo incorporat, ut sit unum cum illo : amans enim quantum in se est, optat a se deficere, et in amatum veluti « colliquescere, ut unum cum illo efficiatur; tum quia amante jam in dilectum translato, omne bonum dilecto vult et procurat quantum potest, tanquam sibi ipsi, quia jam unum est cum illo. » Audi S. Augustinum hic, *tract.* 8 : « Qui manet in dilectione, in Deo manet, et Deus in eo; vicissim se habitant, quod continet et quod continetur. Habitas in Deo, sed ut continearis; habitat in te Deus, sed ut te contineat ne cadas, ne forte sic te putes domum Dei fieri quomodo domus tua portat carnem tuam. Si subtrahat se domus in qua es, cadis; si autem tu te subtrahas, non cadet. Deus integer est, cum eum deseris; integer, cum ad illum redieris. Tu sanaris, non illi aliquid præstabis; tu mundaris, tu reficeris, tu corrigeris. Ille medicamentum est non sano, regula est pravo, lux est tenebrato, habitatio est deserto : omnia ergo tibi conferuntur; » et *tract.* 9 : « Sit tibi domus Deus, inquit, esto domus Dei. Mane in Deo, et maneat in te Deus. Manet in te Deus, ut te contineat; manes in Deo, ne cadas; quia sic de charitate dicit Apostolus : Charitas nunquam cadit; quomodo cadit quem continet Deus? »

Eucharistia fomes amoris.

Hac de causa, scilicet in symbolum charitatis, Christus instituit, et testamento nobis reliquit seipsum in Eucharistia, ut scilicet non per imaginem, ut volunt hæretici, sed realiter, substantialiter et personaliter maneat in nobis et nos in ipso, juxta illud Christi : « Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo, » *Joann.* cap. VI, 54. Est ergo Eucharistia fomes et follis charitatis, quam tota Epistola commendat S. Joannes; per eam enim fit, ut ait S. Chrysostomus, hom. 45 *in Joann.*, « ut non solum per dilectionem, sed reipsa in illam carnem convertamur; per cibum id efficitur, quem nobis largitus est. Cum enim suum in nos amorem indicare vellet, per corpus suum se nobiscum commiscuit, et in unum nobiscum redegit, ut corpus cum capite uniretur; hoc enim amantium maxime est. » Hoc ipsum indicat Leo Pontifex : « Non aliud, inquit, agit participatio corporis et sanguinis Christi, quam ut in id quod sumimus, transeamus. » Denique Cyrillus Hierosolymitanus : « Sic Christophori, inquit, erimus, hoc est, Christum ferentes, cum ejus corpus et sanguinem in membra nostra receperimus, atque ita, ut B. Petrus dicit, divinæ naturæ consortes efficiemur. » Quocirca S. Irenæus, lib. V, cap. 6, explicans illud I *Thessal.* V, 23 : « Ut integer spiritus vester et anima et corpus conservetur, » asserit perfectum hominem integrari ex corpore, anima et Spiritu Sancto inhabitante per charitatem.

Porro cum ait S. Joannes : « Qui manet in charitate, » tum increatam accipe : de illa enim paulo ante dixit : « Deus est charitas; » tum creatam : qui enim manet in charitate creata, manet quoque in charitate increata, puta in Deo; quia ubi est charitas creata, ibi est et increata, puta Deus, qui creatæ est auctor et conservator. Amans ergo manet in charitate creata, hinc manet pariter in charitate increata, quæ est ipse Deus.

Pulchre S. Bernardus, serm. 71 *in Cantic.* : « Atqui Deum, inquit, et hominem, quia propriis exstant et distant voluntatibus et substantiis, longe aliter in se alterutrum manere sentimus, id est, non substantiis confusos, sed voluntatibus consentaneos. Et hæc unio ipsis, communio voluntatum et consensus in charitate. Felix unio si experiaris, nulla si comparaveris. Vox experti : Mihi autem adhærere Deo bonum est; bonum plane, si omni ex parte adhæseris. Quis est qui perfecte adhæret Deo, nisi qui in Deo manens, tanquam dilectus a Deo, Deum nihilominus in se traxit, vicissim diligendo? » Mox vero de hac Dei hominisque unione subjicit : « Ergo cum undique inhærent sibi homo et Deus, inhærent autem undique intima mutuaque dilectione inviscerati alterutrum sibi, per hoc Deum in homine, et hominem in Deo esse haud dubie dixerim. Sed homo quidem, ab æterno in Deo, tanquam ab æterno dilectus, Deus vero in homine ex quo dilectus est. » Idem S. Bernardus citatus hic a Thoma Anglico : « Deus charitas est, inquit, quid ergo charitate melius? Et qui manet in charitate, in Deo manet : quid ergo charitate securius? et Deus in eo, quid ergo charitate jucundius? » Charitas enim se possidentes deificat, facitque quasi deos incarnatos, uti dixi vers. 8. Ve-

rum enim est illud Catonis : « Qui amant, quodam modo in corpore proprio mortui sunt, vivunt vero in alieno. » Voluit ergo Deus per amorem nos reducere ad nostrum principium, unire scilicet suæ bonitati et pulchritudini, transformare in seipsum. Hoc fieri non poterat per naturam : invenit igitur modum quo id perficeret per amorem, ut ejus ardore in eo colliquescamus et absorbeamur. « Quo totum divinum est, ait S. Bernardus *De Diligendo Deo*, quod sentitur ; sic affici, deificari est. Quomodo stilla aquæ modica multo infusa vino deficere a se tota videtur, dum et saporem vini induit et colorem ; et quomodo ferrum ignitum et candens igni simillimum fit, pristina propriaque forma exutum ; et quomodo solis luce perfusus aer in eamdem transformatur luminis claritatem, adeo ut non tam illuminatus, quam ipsum lumen esse videatur : sic omnem tunc in Sanctis humanam affectionem quodam ineffabili modo necesse erit a semetipsa liquescere, atque in Dei penitus transfundi voluntatem ; » nimirum hoc perfecte fiet in cœlo per gloriam, sed inchoate in terra fit per charitatem et gratiam. Idem, serm. 83 *in Cant.* : « Ipse, inquit, meritum, ipse præmium sibi est amor ; præter se non requirit causam, non fructum. Fructus ejus, usus ejus. Amo, quia amo ; amo, ut amer. Magna res amor, si tamen ad suum recurrat principium, si suæ origini redditus, si refusus suo fonti, semper ex eo sumat unde jugiter fluat. Solus est amor ex omnibus animæ motibus, sensibus atque affectibus, in quo potest creatura, etsi non ex æquo, respondere auctori, vel de simili mutuam rependere vicem. » Idem, *De Vita Solitaria* : « Formatio hominis, ait, institutio est moralis ; vita ejus, amor Dei. Hunc fides concipit, spes parturit, charitas format et vivificat ; » et mox : « Amorem ergo Dei in homine ex gratia genitum lactat lectio, meditatio pascit, oratio confortat et illuminat ; » et inferius : « In ipso vivimus, movemur et sumus. Et non sicut in aere isto, sic in Domino Deo nostro, sed in ipso vivimus per fidem, movemur per spem, agimur per amorem. Ab ipso enim et per ipsum conditus est rationalis animus, ut ad ipsum sit conversio ejus, ut sit ipse bonum ejus. »

Charitas transformat hominem quasi in Deum.

Effectus amoris. Primus.

Porro, Deus per charitatem manens in anima fideli, hos in ea producit effectus. *Primo*, eam a terrenis cupiditatibus purificat, ut non nisi cœlestia cupiat et sapiat. Ita Josaphat rex conversus a Barlaam tanto amoris igne æstuabat, ut relicto regno, opibus, deliciis, honoribus, in solitudinem secedens exclamaret : « Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Adhæsit anima mea post te, o Christe ; suscipiat me dextera tua. » Damascenus, *Histor.* cap. XXXVII.

Secundus.

Secundo, omnes potentias, sensus, affectus, amores, operationes, cogitationes, intentiones trahit in Deum, ut non nisi Deum cogitet, intendat, suspiret, juxta illud S. Basilii : « Jugem tibi imprime memoriam Dei, quasi indelebile signum. » Quid enim extra quærat, qui Deum intra se habet ? Deo enim, id est, abysso omnis boni se immergit. Et illud S. Pauli : « Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite, I *Cor.* X, 31. Itaque amans perfecte Deum non comedit ut satisfaciat gulæ, sed ut placeat Deo, ut scilicet sano vegetoque corpore et animo, melius possit servire Deo. Idem dicas de somno, studio cæterisque omnibus. Amor enim est vinculum quod acerrime amantem vincit amato. « Neque enim præsentior spiritus noster est ubi amat, quam ubi animat, » ait S. Bernardus *De Præcept. et Disp.* Imo cum in amoris fornace unus amantium animus conflatus e duobus videatur, alterum alterius dimidium esse necesse est, juxta illud : « O animæ dimidium meæ. » Nam, ut docet Aristoteles, IX *Ethic.*, cap. IV : « Amicus est alter ego. » Sic primorum fidelium amantium erat « cor unum et anima una, » *Actor.* cap. IV. Sic anima Jacobi pendebat ex anima Benjamin filii unice dilecti, *Genes.* XLIV, 20. « Et anima Jonathæ conglutinata est animæ David, et dilexit eum Jonathas quasi animam suam, » I *Regum* XVIII, 1. Animæ ergo fibula est amor.

Tertius.

Tertio, facit ut anima optet pro Deo dilecto suo magna et heroica agere, multaque pati, et Christo crucifixo assimilari. Ita Sponsa in *Canticis* dicens : « Dilectus meus mihi et ego illi, » dixit pariter : « Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur, » *Cant.* cap. I, 13. Quæ verba explicans S. Bernardus *serm.* 43 : « Myrrha, ait, amara res, dura et aspera tribulationem significat. Ea sibi dilecti causa imminere prospiciens gratulabunda id loquitur, confidens se omnia viriliter subituram. Ibant, inquit, gaudentes discipuli a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. Propterea denique non fascem, sed fasciculum dilectum dicit, quod leve præ amore ipsius ducat, quidquid laboris immineat et doloris. Bene fasciculus, quia parvulus natus est nobis. Bene fasciculus, quia non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Id enim, inquit, quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum pondus gloriæ operatur in nobis. Erit ergo quandoque nobis ingens cumulus gloriæ, qui modo est fasciculus myrrhæ. An non fasciculus, cujus jugum suave est, et onus leve ? Non quia leve in se : nec enim levis passionis asperitas, mortis amaritudo, sed levis tamen amanti. Et ideo non ait tantum : Fasciculus myrrhæ dilectus meus ; sed mihi, inquit, quæ diligo, fasciculus est. Unde et dilectum nominat, monstrans dilectionis vim omnium amaritudinum superare molestiam, et quia fortis est ut mors dilectio ejus, » nimirum,

Est amor æternus, nullisque domabilis undis.

Quartus.

Quarto, facit ut anima in dies crescat in amore ;

Deus enim est quasi flamma jugiter accendens et inflammans animam, donec eam totam amore incendat. Tradunt, vel fabulantur potius, salamandram igne pasci, ideoque esse symbolum amantis, qui amoris igne pascitur. Ita eo pascebatur S. Franciscus dicens :

Urit amor, me torquet amor, sum factus amoris
Alter amor; nostri est victor amoris amor.

Mira charitas S. Francisci. Audi S. Bonaventuram charitatem S. Francisci enarrantem, lib. I *Vitæ ejus,* cap. IX : « Totus, inquit, quasi quidam carbo ignitus divini amoris flamma videbatur absorptus. Subito enim ad auditum amoris Domini excitabatur, afficiebatur, inflammabatur, quasi plectro vocis extrinsecæ chorda cordis interior tangeretur; » et mox : « Contuebatur in pulchris pulcherrimum, et per impressa rebus vestigia prosequebatur ubique dilectum, de omnibus sibi scalam faciens, per quam conscenderet ad apprehendendum eum qui est desiderabilis totus. Inauditæ namque devotionis affectu fontalem illam bonitatem in creaturis singulis, tanquam in rivulis degustabat. » Et inferius : « Flagrabat erga Sacramentum Dominici corporis fervore omnium medullarum, stupore admirans permaximo illam charissimam dignationem et dignatissimam charitatem; sæpe communicabat, et quasi spiritu ebrius, in mentis ut plurimum rapiebatur excessum. » Et cap. XIII, agens de sacris ejus stigmatibus : « Excreverat, ait, in eo insuper amoris incendium boni Jesu in lampades ignis atque flammarum. Cum igitur Seraphicis desideriorum ardoribus ageretur in Deum, et compassiva dulcedine in eum transformaretur, qui ex charitate nimia voluit crucifigi, vidit Seraph unum sex alas habentem tam ignitas, quam splendidas; apparuit inter alas effigies hominis crucifixi : intellexit ex hoc se non per martyrium carnis, sed per incendium mentis totum in Christi crucifixi similitudinem transformandum; disparens igitur visio mirabilem in corde ipsius reliquit ardorem, sed et in carne non minus mirabilem signorum impressit effigiem. »

Quintus. *Quinto*, facit ut anima amore Dei accensa, eodem alios, totumque mundum accendere satagat, instar S. Pauli, dicentis : « Charitas Christi urget nos, etc. Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo, » II *Cor.* V, 14 et 20. Ita B. Jacoponus charitate ardens, audiens peccatum aliquod quo Deus offendebatur, mire cruciabatur, ideoque jugiter flebat. Rogatus cur? Respondit : « Quia amor non amatur. » Idem dicebat beatitudinem hujus vitæ in eo consistere, ut quis cum Deo vel de Deo assidue tractet. Ita habet ejus Vita. In amantibus enim Deus quasi sol animam vultumque occupat, ac radios sapientiæ virtutis et ardoris per eos in alios spargit, idque velociter et ardenter. Amor enim est ardens et alatus; nullæ in amore moræ. « Nihil enim aliud est amor, quam vehemens in bono voluntas, ait S. Bernardus *De Natura divini amoris,* cap. II : qui ergo non zelat, non amat. »

Sextus. *Sexto*, facit ut anima amans Deum per amorem et confidentiam ipsi quasi dominetur, et ab eo impetret omnia quæ petit, itaque fiat quasi omnipotens, uti Jacob luctans cum angelo Dei vicario, illi prævaluit, indeque vocatus est Israel, id est, dominans Deo, *Genes.* XXXII, 28. Hinc illud paradoxum : « Fideli totus mundus divitiarum est. » Et : « Fidelis mundi est dominus. » Unde S. Franciscus : « Fuge, inquit, creaturas, si vis habere creaturas; » fugiendo enim ad Creatorem per amorem dominaberis illi, et per illum omni creaturæ, quibus dominatur Creator. Sic S. Franciscus fugiendo mundum, et sequendo Deum, totum post se traxit mundum.

Septimus. *Septimo*, Deus animam amantem sibi amicat et assimilat in moribus et virtutibus divinis, adeoque secretorum suorum consciam facit : unde subinde ei revelat arcana cordium, res absentes et futuras, uti fecit Prophetis et Apostolis, juxta illud : « Jam non dicam vos servos, quia servus nescit quid faciat dominus ejus; vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis, » *Joann.* XV, 14.

Octavus. *Octavo*, eam tranquillat, serenat, illustrat, ut imperturbabilis, læta, hilaris tam in adversis quam prosperis jugiter exultet Deo, eique gratias agat, laudet et benedicat, canens cum Psalte : « In pace in idipsum dormiam et requiescam, » *Psal.* IV, 9. « Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo, » *Psalm.* XXXIII, 1; et cum S. Job cap. I, vers. 21 : « Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est : sit nomen Domini benedictum. » Atque hac ratione videtur sanctus esse homo cœlestis, et angelus terrestris, ac inchoare beatitudinem paradisi; vivit enim continuo in amore, jubilo et laude Dei, dicitque : « Quoties suspiro et respiro, ad te suspiro, o Deus meus ! »

Nonus. Denique amor hic in Sanctis eximiis ita crescit, ut languorem, et subinde mortem inducat, juxta illud Sponsæ *Cantic.* II, 5 : « Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me; » et cap. V, vers. 8 : « Adjuro vos, filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei quia amore langueo. » Ita B. Virgo non ex morbo, sed ex amore et desiderio fruendi Christo filio suo, languens et anhelans ad eum, animam in manus ejus expiravit, uti docent Franciscus Suarez, Canisius et alii. Vide S. Bernardum, *De Diligendo Deo*, et *De Amore Dei*, et *De Natura ac dignitate divini amoris,* ubi sic orditur : « Ars est artium ars amoris. » Et lib. *De Conscientia,* ubi post initium sic loquitur : « Qui evagationes mentis in unum colligit, et omnes cordis motus in uno æternitatis desiderio figit; profecto jam ad cor suum rediit, jam ibi libenter immoratur ac

mirabiliter delectatur; et cum ipsum præ gaudio capere non possit, supra seipsum ducitur, et per excessum mentis in summa elevatur; atque ita per semetipsum per cogitationem sui ascendit ad cogitationem Dei, ut discat eum solum indeficienter cogitare, et in eo delectabiliter requiescere, cum amor Christi totum absorbuit affectum hominis, ut negligens et immemor sui, nisi solum Jesum Christum, et ea quæ sunt Jesu Christi, sentiat: tunc demum, ut arbitror, perfecta est in eo charitas. Hic itaque sic perfectus est : non est onerosa ei paupertas, iste non sentit injurias, ridet opprobria, contemnit damna, mortem lucrum deputat, imo nec mori se putat, cum magis de morte ad vitam se transire sciat. » Et inferius : « Qui sic in amore Dei jugiter delectatur, frequenter mentis excessus patitur, frequenter ab omnibus præsentibus et terrenis raptus coram Deo præsentatur; et cum pulchritudinem considerat, et magnitudinem pulchritudinis, attonitus in ejus admiratione suspenditur, miratur regis gloriam, regni magnificentiam, supernæ civitatis nobilitatem. Et cum felicitatem contemplatur, gloriæ decorem, Dei bonitatem, internæ suavitatis dulcedinem, et æternæ quietis tranquillitatem, meditatur Patris potentiam, Filii sapientiam, Spiritus Sancti benignitatem, et angelicæ creaturæ beatitudinem; delectatur de Deo in Deum, dum ejus pietatem miratur et decorem contemplatur. O quam jucundum, si non esset tam modicum! Raptim rapitur, sola cœlestia contemplatur, contemplando jucundatur,» etc.

17. IN HOC PERFECTA EST CHARITAS DEI NOBISCUM, UT FIDUCIAM (παῤῥησίαν, id est *fiduciam*, securitatem, libertatem, audaciam loquendi) HABEAMUS IN DIE JUDICII. — *Primo*, « in hoc, » id est, hoc fine et fructu, *q. d.* Perfecta charitas parit hunc finem et fructum, scilicet fiduciam in die judicii, tum particularis, tum universalis. Hinc justi desiderant adventum Domini, cupiuntque cum Paulo dissolvi, et esse cum Christo, et ut ait hic S. Augustinus : « Cum patientia vivunt, et delectabiliter moriuntur. » Descendit Joannes a charitate ad ejus fructus, eosque tres recenset : primus est fiducia, puta fidenter vivere et mori; secundus est, quod amantem faciat timoris expertem ; tertius, quod omnia quæ postulat a Deo, impetret.

Secundo et nervosius, *q. d.* « In hoc, » id est, ad hoc Deus nos ita amavit amatque, et nos vicissim ejus charitate et gratia illecti, eum plene et perfecte redamamus, itaque manemus in eo, sicut ille manet in nobis : ad hoc, inquam, ut examinandi a Christo judice in die judicii de charitate fidenter respondeamus, nos toto corde amasse ipsum, non mundum, ideoque cœlo et felicitati ab eo adjudicemur. Nam, ut ait S. Augustinus, Præfat. *in Psalm.* XXXI : « Quomodo mala conscientia tota in desperatione est, sic bona conscientia tota in spe. »

Tertio, alii, *q. d.* « In hoc, » id est, in hoc signo cognoscimus perfectam nos habere charitatem, si nimirum, abjecta formidine, extremi judicii diem magna spe et confidentia præstolemur. Ita S. Augustinus : « Quisquis, ait, fiduciam habet in die judicii, perfecta est in illo charitas. » Unde concludit : « Ergo, fratres, date operam, intus agite vobiscum ut desideretis diem judicii, aliter non probatur perfecta charitas, nisi cum cœperit ille dies desiderari. Ille autem eum desiderat, qui fiduciam habet in illo ; ille autem fiduciam habet in illo, cujus conscientia non trepidat in charitate perfecta atque sincera (1). »

QUIA SICUT ILLE EST, ET NOS SUMUS IN HOC MUNDO. — Quis ille? *Primo*, « ille, » scilicet Deus, quem paulo ante nominavit, *q. d.* Ideo fiduciam habebimus in die judicii, quia in charitate sumus, et vivimus in hoc mundo in ea perfecti, adeo ut etiam diligamus inimicos, sicut Deus in eadem perfectus est, dum solem suum beneficum oriri facit super bonos et malos, et pluit super injustos æque ac justos. Ita S. Augustinus, Beda, Hugo, Lyranus et Dionysius.

Secundo et profundius, « ille, » scilicet Christus, quem quasi amorem meum mente et ore semper gero. Hac de causa enim S. Joannes cum dicit, « ille est, » intelligit Christum, ut dixi cap. III, vers. 3 et 5. Porro Christus « est, » id est, « fuit in mundo » hoc, ut vertit Syrus ; et etiamnum « est » per merita, providentiam, charitatem et familiaritatem, qua habitat in mentibus Sanctorum charitate præditorum. Sensus ergo est, *q. d.* Sicut ille, scilicet Christus, in mundo immaculate sancteque vixit, et charitate Dei nostri plenus ac mundo mortuus fuit et est, itemque manet in nobis : ita et nos illum imitantes in hoc mundo immaculate vivere satagimus, imo quasi mortui mundo Christique mortificationem jugiter cum Paulo in corpore nostro circumferentes, sancti, et charitate etiam erga inimicos pleni sumus, et manemus in ipso; ideoque fiduciam habemus nos in die judicii non confundendos fore, sed glorificandos, quia illum diem semper habemus præ oculis, ad eumque per opera charitatis et omnimodæ sanctitatis nos quotidie disponimus, imo ad eum anhelamus, scientes nos hic peregrinos esse, et unius diei hospites, juxta illud vers. 3 : « Omnis qui habet hanc spem, in eo sanctificat se, sicut et ille sanctus est. » Ita Œcumenius et Gagneius.

18. TIMOR NON EST IN (id est *cum*) CHARITATE, SED PERFECTA (S. Augustinus legit, *consummata*) CHARITAS FORAS MITTIT TIMOREM. — A fiducia quam parit charitas, transit ad fugam timoris, quam parit fiducia, et consequenter charitas. S. Augustinus, lib. LXXXIII, Quæst. XXXVI : « Charitatis Vers. 18.

(1) Vers. 17 : Ex hoc intelligimus amorem nostrum perfectum, seu sincerum esse, adeo ut etiam cum bona fiducia in illo die judicii apparere possimus, si sicut ille (Deus) animatus est (erga nos homines), ita et nos in hoc mundo simus animati (erga alios). Ita Allioli.

venenum, inquit, est spes adipiscendorum aut retinendorum temporalium; nutrimentum ejus est, imminutio cupiditatis; perfectio, nulla cupiditas; signum profectus ejus, imminutio timoris; signum perfectionis ejus, nullus timor. »

Quæres : Quis hic timor, quem pellit perfecta charitas ? Responsio est multiplex; est enim generalis et illimitata S. Joannis sententia, unde ad quoslibet timores extendi potest, *q. d.* Charitas nihil omnino timet, est expers timoris, libera, læta, animosa et liberalis. Itaque *primo*, Vatablus : Timor, ait, hic pro desperatione et consternata conscientia sumitur; illo enim peccatores timent se damnatum iri, et de sua salute desperant. Opponit enim S. Joannes timorem quasi diffidentiam fiduciæ in die judicii : hanc enim fiduciam parit charitas, sicut peccatum parit diffidentiam et desperationem.

Secundo, timor hic est quo anguntur recens conversi, quoque eos memoria præteritorum peccatorum vexat et cruciat, ne forte non sint eis plene condonata, juxta illud : « De propitiato peccato noli esse sine metu, » *Eccli.* v, 5.

Tertio, timor hic est servilis, quo servi et imperfecti metu pœnæ, non amore justitiæ, faciunt mandata Domini; hunc enim pellit pura, sincera et liberalis charitas, cum amore Dei facit ejus jussa. Hic timor, ait hic S. Augustinus, inducit charitatem, sicut seta inducit filum sutoris. Unde de eo ait *Eccli.* I, 28 : « Qui sine timore est, non poterit justificari. » Nam timor castus et filialis manet cum charitate, et quantum hæc crescit, tantum et ille; quo enim quis perfectior et sanctior est, eo magis filiali amore et timore timet et reveretur Deum, cavetque ne vel in minimo eum offendat. Hic enim timor est actus amoris, imo ipse timor est amor; quia enim amat, hinc timet displicere amato. Hoc timore jubentur omnes Sancti timere Deum, *Psal.* XXXIII, 10; nam hic timor permanet in sæculum sæculi, *Psalm.* XVIII, 10.

Quarto, timor hic accipi potest mundanus, quo quis timet parentes, cognatos, etc., ideoque ne eos offendat, violat præcepta Dei; hunc pellit charitas. Hi sunt timidi, quorum pars est in stagno ardenti, igne et sulphure, *Apoc.* XXI, 8; de hoc mundano timore hunc locum accipit Tertullianus in *Scorpiaco*, cap. XII.

Quinto, timor hic accipi potest pro anxietate et metu, quo scrupulosi et anxii formidolose metuunt ne in suis scrupulis offendant Deum. Scrupulos enim pellit perfecta charitas; hæc enim non est scrupulosa, sed libera, audax et magnanima, juxta illud *Rom.* VIII, 15 : « Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba, Pater. »

Sexto, timor hic accipi potest pœnæ et damnationis; hunc enim fugat charitas. « Sancti enim solliciti sunt de præmio, non adeo formidantes de supplicio, » ait Prosper, epist. *ad Demetriadem*. Ita noster Lessius narranti quemdam virum gravem optare Purgatorium subire usque ad diem judicii, ut eo sibi assecuraret æternam salutem, respondit, « spem Christianam majorem esse debere, quam ut certitudinem cœlestis gloriæ tam longis Purgatorii pœnis redimat. » Semper tamen Sancti in hac vita habent spem mixtam timore, si non actuali, certe potentiali; quia non sunt certi de sua salute, ut dixi vers. 13. Ita in morte timuerunt S. Hilarion, Arsenius et alii. Rursum Sancti timent, cum se et suam imbecillitatem considerant; confidunt vero, cum Dei in se amorem et fidelitatem intuentur.

Septimo, timor hic accipi potest persecutorum, damnorum, infamiæ, difficultatum, quæ occurrunt in heroicis charitatis operibus; hunc pepulit Magdalena ardens amore Christi, cum eum sepultum inter milites intrepida requisivit; unde de ea canit Ecclesia : « Pellit timorem charitas, » juxta illud Christi : « Nolite timere eos qui occidunt corpus, « *Matth.* X, 28; et illud S. Petri, *epist.* I, cap. III, vers. 14 : « Timorem eorum ne timueritis. » Sic Martyres non timebant tyrannos et tormenta, sed his exultabant, illis insultabant, ut Laurentius Valeriano, Vincentius Daciano, Sebastianus Diocletiano. Multi non audent dare eleemosynas, quia timent paupertatem, senium, casus sinistros; hunc timorem pellit perfecta charitas : nam, ut ait Tobias, cap. IV, vers. 12 : « Fiducia magna erit coram Deo eleemosyna omnibus facientibus eam. » Hinc S. Maximus in *serm.* 100, fideles infimos ponit *timentes*, medios *proficientes*, summos *perfectos*. Septimo.

Octavo, timor hic accipi potest initialis, quo quis ita timet culpam, ut etiam timeat pœnam; hunc pellit charitas, sed duntaxat ex parte posteriori, quia charitas perfecta timet et horret culpam, non pœnam.

Hos omnes timores vincit perfecta charitas, sed præsertim servilem et initialem, quo timide, pusillanimiter et diffidenter timemus pœnas, Deique judicium et vindictam; hic enim oritur ex amore sui, quem vincit et pellit amor Dei. Et de servili loqui S. Joannem censet S. Augustinus, Beda, Œcumenius et alii; et Diadochus, cap. XVI *De Perfect. spirit.*, ait timorem purgantem, qui est timor pœnarum, consistere cum mediocri charitate, sed pelli a perfecta. Hæc enim considerat Deum non ut judicem et vindicem, sed ut patrem et sponsum. Sicut ergo Sara sponsa Abrahæ ejecit servam Agar, ita charitas pellit timorem servilem : de quo vide Origenem, homil. 7 *in Genes.*, et Cassianum, *Collat.* XI, cap. XIII, S. Augustinum hic et D. Thomam II II, *Quæst.* XIX, art. 6 et 10. Opponit itaque S. Joannes timorem fiduciæ felicitatis et gloriæ æternæ, quam parit charitas : per timorem ergo accipit diffidentiam, anxietatem et metum pœnæ : hisce enim opponitur fiducia quasi contrarium contrario. Contraria enim sunt timor et amor, æque ac fiducia et diffidentia; timor enim

animum stringit et cruciat, amor dilatat et exhilarat. Hinc amor parit fiduciam, securitatem, audaciam; timor vero parit diffidentiam, trepidationem, pavorem.

Nota : Communiter initium justificationis in peccatore incipit a timore pœnarum et gehennæ, quo perculsus a Deo incipit cogitare de sua salute, et disponere se ad pœnitentiam, uti docet Concilium Tridentinum, *sess.* VI, cap. VI. Justificatus deinde sensim minuit hunc timorem. Unde S. Augustinus hic : « Quantum, inquit, illa (charitas) crescit, tantum ille (timor) decrescit, et quantum illa fit interior, tantum timor pellitur foras; major charitas, minor timor; minor charitas, major timor; si autem nullus timor, non est qua intret charitas. » Id vero mox apto exemplo confirmat : « Sicut videmus (ait) per setam introduci linum, quando aliquid suitur; seta prius intrat, sed nisi exeat non succedit linum : sic timor primo occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideo intravit ut introduceret charitatem; » et rursum : « Timor stimulat, sed charitas sanat quod vulnerat timor, etc. Opus est ergo ut intret timor primo, per quem veniet charitas : timor, medicamentum; charitas, sanitas. » Idem, serm. 3 *De Verbis Apostoli* : « Timor, ait, servus est charitatis; » et serm. 18 *De Verbis Apost.* : « Timor est custos et pædagogus legis, donec veniat charitas. » Et S. Basilius, hom. 8 *in Psalm.* XXXII : « Necessario, ait, velut introductorius ad pietatem timor assumitur, dilectio vero deinceps succedens a timore scientifice adoptatos perficit. » Audi S. Bernardum, serm. 51 *in Cantica* : « Cæterum, si paulatim per incrementum gratiæ cœperit deficere timor, et proficere spes, cum demum ad hoc ventum fuerit, ut totis viribus exurgens charitas in adjutorium spei foras mittat timorem, nonne ejusmodi anima singulariter in spe constituta videbitur, ac proinde etiam in pace in idipsum dormire jam et requiescere? Si dormiatis (inquit) inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ. Quod propterea dictum puto, quoniam est locus inter timorem et securitatem tanquam inter lævam et dexteram, media videlicet spes in qua mens et conscientia, molli nimirum supposito charitatis strato, suavissime requiescit. »

Denique S. Augustinus, lib. XIV *De Civit.*, cap. IX, et serm. 214 *De Temp.*, hæc accipit de gloria cœlesti; ibi enim securitas charitatis excludet omnem timorem : « Per bonam vitam, inquit, bona conscientia comparatur, ut per bonam conscientiam nulla pœna timeatur. Quapropter discat timere, qui non vult timere. Discat ad tempus esse sollicitus, qui semper vult esse securus; » et inferius : « Tanto minor fit timor, quanto patria quo tendimus propior. Major enim timor debet esse peregrinantium, minor propinquantium, nullus pervenientium. Sic et timor perducit ad charitatem, et perfecta charitas foras mittit timorem. » Verum hic sensus est anagogicus; ad litteram enim S. Joannes asserit perfectos in charitate pellere timorem in hac vita. Ita S. Antonius eum pellebat, dum dicebat : « Ego Deum jam non timeo, sed amo; quia perfecta charitas foras mittit timorem, » uti refertur in *Vitis Patrum*, lib. V, libello 17, tractat. *De Charitate*, num. 1. Et S. Ignatius, fundator Societatis nostræ, dictitabat, si sibi a Deo proponeretur optio vel moriendi, et certo eundi in cœlum, vel vivendi et augendi Dei gloriam, sed cum incertitudine et dubio salutis, se hoc posterius electurum : Quia, inquit, si ego Deum ita amo, ut amore ejus periculo salutis me exponam, utique ipse qui amorem meum longe superat, nec eo se vinci patitur, periculum hoc omne in se suscipiet, illudque mihi assecurabit. Idem dicant et faciant qui a Deo vocantur ad vitam activam et apostolatum, in qua varia occurrunt salutis pericula; sequantur, inquam, hanc Dei vocationem, quasi stellam cœlestem, sciantque eam sibi fore rectam viam in cœlum, imo securiorem vita abstracta et contemplativa. Ita S. Salvius jam defunctus, et cœlum ingressurus audivit vocem : « Revertatur ad corpus, adhuc Ecclesiæ meæ est necessarius; » cumque ille ingemiscens responderet : « Domine, si revertar, exponar periculo, et forte nunquam huc redibo; » audivit : « Vade, ego ero custos tuus, teque secure huc reducam, » uti narrat Gregorius Turonensis, lib. VII *Histor.*, cap. I.

Heroica charitas expers timoris.

QUONIAM TIMOR PŒNAM HABET. — Vulgo enim dicitur : « Pejor est bello timor ipse belli; » timor enim magis affligit, quam res quæ timetur. Pro *pœnam* græce est κόλασιν; S. Augustinus vertit, *tormentum*; Tigurina et Pagninus, *cruciatum*; Tertullianus, lib. *De Fuga*, IX, *supplicamentum*, id est supplicium; Syrus, *timor in perturbatione est*. Sensus est, *q. d.* Timor parit cruciatum animi, quo se ille cruciat, dum cogitat et timet sibi impendens malum et pœnam. Atqui charitas non habet pœnam et cruciatum, sed lætitiam et voluptatem. Ubi enim est amor, ibi non est labor, sed sapor, ait S. Bernardus. Ergo charitas excludit timorem; timor enim arctat et affligit, charitas vero dilatat et lætificat cor. Unde conclusionem hanc elicit, subditque Joannes dicens : « Qui autem (ergo) timet, non est perfectus in charitate. » Græcum enim δέ, id est *autem*, non tantum copulative, sed et συλλογιστικῶς, id est ratiocinative et circumscriptive sumitur, ait Gaza, lib. II.

19. NOS ERGO DILIGAMUS DEUM, QUONIAM DEUS PRIOR DILEXIT NOS. — Est conclusio, qua repetit et inculcat studium charitatis, ex eo quod Deus prior nos dilexerit, et diligendo dilectionem nobis inspirarit, suique dilectores effecerit, ait S. Augustinus, lib. *De Gratia Christi*, cap. XXVI. Vide eumdem in *Soliloq.*, cap. XIX, pie cum Deo prius amante dissuaviantem. Vers. 19.

20. SI QUIS DIXERIT, QUONIAM DILIGO DEUM, ET FRATREM SUUM ODERIT, MENDAX EST, — quia charitas Dei se extendit ad charitatem proximi, qui est Vers. 20

imago Dei, eamque continet et complectitur. Id probat duobus argumentis. Prius est :

QUI ENIM NON DILIGIT FRATREM SUUM QUEM VIDET (ἑώρακε in præterito, id est *vidit*, et assidue videt), DEUM QUEM NON VIDET, QUOMODO POTEST DILIGERE? — Quia natura comparatum est, ut amor et affectus rapiatur in sensibilia quæ videmus; oculi enim sunt in amore duces. Nam, ut ait S. Gregorius, hom. 11 *in Evang.* : « Ex his quæ animus novit, surgit ad incognita quæ non novit, ut per hoc quod scit notum diligere, discat et incognita amare. »

Vers. 21. 21. ET HOC MANDATUM HABEMUS A DEO, UT QUI DILIGIT DEUM, DILIGAT ET FRATREM SUUM. — Nam, ut ait S. Augustinus : « Si frater est, et eum non diligis, quomodo Deum diligis, cujus mandatum contemnis? » Vide S. Gregorium, lib. X *Moral.*, VI, ubi actus dilectionis quos proximo impendere debemus, fuse enarrat. Et S. Augustinus, *De Discipl. Christ.*, cap. II et III : « O pie Domine, ait, quid tibi ego sum, ut amari jubeas te a me? et minaris mihi ingentes miserias; irasceris, si non faciam; multa promittis, si faciam. Et quid, amor meus, quid delectaris in eo? Quis Rex dicit servo : Simus amici, et dabo tibi unam provinciam? »

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit commendare fidem et amorem erga Deum et Christum incarnatum, ejusque sex effectus et fructus assignat. Primus est, nativitas divina, vers. 1. *Secundus, victoria mundi, vers.* 4. *Tertius est, testimonium Dei, vers.* 7 *et* 10. *Quartus est, vita æterna, vers.* 11. *Quintus est, fiducia impetrandi quidlibet a Deo, dummodo non oret pro venia peccati ad mortem, vers.* 14. *Sextus est impeccabilitas, hoc est, præservatio a peccato et a diabolo, vers.* 18. *Est ergo hoc caput quasi conclusio Epistolæ in qua repetit, inculcat et confirmat jam dicta, uti Rhetores facere solent in Epilogo. Pleræque ergo sententiæ hujus capitis in præcedentibus jam explicatæ sunt. Quare ne dicta iterem, eo remittam.*

1. Omnis qui credit, quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus est. Et omnis qui diligit eum qui genuit, diligit et eum qui natus est ex eo. 2. In hoc cognoscimus quoniam diligimus natos Dei, cum Deum diligamus et mandata ejus faciamus. 3. Hæc est enim charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus, et mandata ejus gravia non sunt. 4. Quoniam omne quod natum est ex Deo, vincit mundum; et hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra. 5. Quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Jesus est Filius Dei? 6. Hic est, qui venit per aquam et sanguinem, Jesus Christus; non in aqua solum, sed in aqua et sanguine. Et spiritus est, qui testificatur quoniam Christus est veritas. 7. Quoniam tres sunt qui testimonium dant in cœlo : Pater, Verbum et Spiritus Sanctus; et hi tres unum sunt. 8. Et tres sunt, qui testimonium dant in terra : Spiritus, et aqua, et sanguis; et hi tres unum sunt. 9. Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est; quoniam hoc est testimonum Dei, quod majus est, quoniam testificatus est de Filio suo. 10. Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se. Qui non credit Filio, mendacem facit eum, quia non credit in testimonium quod testificatus est Deus de Filio suo. 11. Et hoc est testimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus. Et hæc vita in Filio ejus est. 12. Qui habet Filium, habet vitam : qui non habet Filium, vitam non habet. 13. Hæc scribo vobis, ut sciatis quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filii Dei. 14. Et hæc est fiducia, quam habemus ad eum, quia quodcumque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos. 15. Et scimus quia audit nos quidquid petierimus : scimus quoniam habemus petitiones quas postulamus ab eo. 16. Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petet, et dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem : non pro illo dico ut roget quis. 17. Omnis iniquitas, peccatum est; et est peccatum ad mortem. 18. Scimus quia omnis qui natus est ex Deo, non peccat, sed generatio Dei conservat eum, et malignus non tangit

eum. 19. Scimus quoniam ex Deo sumus, et mundus totus in maligno positus est. 20. Et scimus quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus, et vita æterna. 21. Filioli, custodite vos a simulacris. Amen.

Vers. 1. 1. OMNIS QUI CREDIT (fide viva quæ ad charitatem se extendit, et per dilectionem operatur, uti dixi cap. IV, 16), QUONIAM JESUS EST CHRISTUS (id est Messias, redemptor et salvator mundi), EX DEO NATUS EST — nativitate spirituali et divina, quæ fit per fidem, charitatem et gratiam, qua fit non tantum amicus, sed et filius hæresque Dei, ac consors divinæ naturæ, II *Petri* I, 5.

ET OMNIS QUI DILIGIT EUM QUI GENUIT, DILIGIT ET EUM QUI NATUS EST EX EO. — « Natus, » *primo,* proprie natus ex Deo Patre est Christus Dei Filius. Deinde natus ex Deo est quilibet fidelis, per Christi gratiam adoptatus a Deo. *Natus* enim analogice dicitur de Christo et nobis, sed de nobis per respectum ad Christum. Est ergo hæc ratiocinatio S. Joannis, qua probat diligendos esse proximos, quod in fine cap. præced. cœpit probare, et hic prosequitur, *q. d.* Quicumque diligit Deum Patrem, qui genuit, diligit pariter Deum Filium a Patre genitum; atqui qui diligit Deum Filium, diligit et cæteros Dei filios, quasi illius fratres et membra : ergo qui diligit Deum Patrem, diligit quoque omnes Dei filios ex eo natos. Hi sunt fideles proximi nostri; ergo hi diligendi sunt eadem charitate, qua Deum tam Patrem quam Filium diligimus. Ita S. Augustinus, Beda, Glossa, Hugo et alii hic, ac S. Hilarius, lib. VI *De Trinit.* Huic expositioni, ait S. Augustinus, favet, quod dicat *natus* in singulari, quasi intelligens unigenitum Dei per generationem Patris; mox vero vers. 2 dicat *natos* in plurali, quasi intelligens justos per adoptionem et regenerationem natos ex Deo.

Rursum, quod sententia præcedenti commendarit fidem in Christum, unde congrue mox hic subjungat et commendet amorem in Christum : non enim sufficit fide credere in Christum, nisi et amore diligamus eumdem.

Secundo, « natus » accipi potest non Christus, sed duntaxat quilibet Christianus et justus, de quo paulo ante dixit : « Omnis qui credit, etc., ex Deo natus est, » ut hæc sit sententia disparata a præcedenti, tantumque significet fideles sicut credunt in Christum, ita debere sese invicem diligere tanquam fratres, ab eodem Deo Patre genitos et natos. Si enim diligunt Deum qui genuit fideles, debent pariter eos qui ab eo geniti sunt diligere, tum quia Pater eos diligit, tum quia nobiscum conjunctissimi sunt, utpote fratres et filii ejusdem Patris. Ita Didymus, Cajetanus et Catharinus. Prior sensus uti magis connexus, ita et germanior ac nervosior est. Ubique enim Joannes spirat Christum tanquam centrum, vinculum et glutinum charitatis inter nos et Deum. Christus enim conciliavit nos Patri, unde mediator est, et causa cur Deum diligamus, et cur vicissim Deus diligat nos. Omnes enim fideles sunt corpus Christi et membra de membro, ait Paulus I *Corinth.* XII, 26 : « Cum ergo membra, ait S. Augustinus, Christi diligis, Christum diligis; cum Christum diligis, Filium Dei diligis; cum Filium Dei diligis, et Patrem diligis : non potest ergo separari dilectio. Elige tibi quid diligas, sequuntur te cætera; dicas, Deum solum diligo, Deum Patrem; mentiris, si diligis : non solum Deum Patrem diligis; sed si diligis Patrem, diligis et Filium. »

Vers. 2. 2. IN HOC COGNOSCIMUS QUONIAM DILIGIMUS NATOS (τέκνα) DEI, CUM (ὅταν, id est *quia,* quandoquidem) DEUM DILIGAMUS, ET MANDATA EJUS FACIAMUS. — « Cognoscimus, » id est concludimus, cognitum facimus, ostendimus, convincimus, demonstramus. Sic cap. IV, vers. 13, ait : « In hoc cognoscimus, » id est, certo signo et argumento concludimus : « Quoniam in eo manemus, et ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis, » *q. d.* Ex spiritu Dei concludimus et convincimus Deum manere in nobis, et nos in Deo. Similiter sumit S. Joannes τὸ *cognoscimus,* cap. III, vers. 16 et 19; cap. IV, vers. 2 et 6. « Cognoscimus » ergo, id est convincimus quod diligamus Christianos, quasi natos Dei, *q. d.* Dixi : « Omnis qui diligit Deum qui genuit, diligit et eum qui natus est ex eo, » puta omnes fideles et Christianos. Idipsum enim « cognoscimus, » id est, concludimus et convincimus hoc argumento, quod « Deum diligamus. » Hic enim est S. Joannis syllogismus et hæc demonstratio. Omnes filii Dei sunt fideles et Christiani; quicumque diligit Deum, diligit et filios Dei : ergo qui diligit Deum, diligit fideles et Christianos tanquam Christi fratres et membra, genitos ab eodem Deo Patre. Sicut enim ex amore proximorum inferimus et concludimus amorem Dei, sic vicissim et reciproce ex amore Dei inferimus et concludimus amorem proximorum. Rursum : Quicumque servat mandata Dei, servat et dilectionem proximorum : hæc est enim unum e mandatis; atqui qui servat mandatum dilectionis, hic diligit proximos : ergo quicumque servat mandata Dei, hic diligit proximos.

Porro S. Joannes hic non nominat omnes proximos, sed tantum natos ex Deo, puta fideles et Christianos, quia eorum inter se dilectionem accendere satagit, ut in fide et vita Christiana se invicem contra Gentiles tueantur, animent, juvent, promoveant. Eumdem fidelibus commendavit, et quasi testamento Christus ad Patrem abiturus reliquit *Joan.* cap. XV, 12, et S. Paulus cre-

bro, ut *Ephes.* IV, 2 et seq.; *Galat.* VI, 2; *Philip.* II, 1 et seq.

3. HÆC EST ENIM CHARITAS DEI, UT MANDATA EJUS CUSTODIAMUS, — *q. d.* Charitas consistit in observatione mandatorum Dei. Charitas enim est amor et amicitia Dei; hæc autem impellit amantes ut faciant voluntatem, puta mandata Dei a se summe amati, juxta illud *Sapient.* VI, 19 : « Dilectio, custodia legum illius est. » Sic ait *Eccle.* XII, 13 : « Deum time, et mandata ejus observa; hoc est enim omnis homo, » *q. d.* Omne hominis bonum, omne officium, omnis felicitas, finis et perfectio consistit in timore Dei. Aut, hoc est quo spectare debet omnis homo, quantus quantus est, in dictis factisque suis omnibus, et tota vita, ut scilicet sibi ubique timorem Dei ob oculos ponat, et ejus servet præcepta; unde Chaldæus vertit, *talem decet esse viam hominis*; S. Hieronymus, *ad hoc creatus est homo*; et Solonius : Quia, ait, qui aliter vivit, non est homo, sed bestia, quia non rationaliter, quæ est natura hominis, sed bestialiter vivit, si gulose, ut porcus; si dolose, ut vulpes; si superbe, ut leo, etc. Idem per omnia applices charitati.

ET MANDATA EJUS GRAVIA NON SUNT. — Multo minus impossibilia, ut blasphemant hæretici. Alludit ad illud Christi : « Jugum enim meum suave est, et onus meum leve, » *Matth.* XI, 30.

Mandata Christi ant leva, cur? Prima causa.

Ratio est : *Prima*, quia Christus Christianos liberavit ab onere gravi et multiplici tot mandatorum cæremonialium et judicialium veteris legis, tantumque moralia, sive Decalogum, puta decem præcepta legis naturæ, eis imposuit, paucis additis de fide, baptismo et cæteris Sacramentis. Præcepta enim affirmativa veteris legis 248, negativa 365, numerat R. Moyses, lib. III *More Hannebuchim*, cap. LVI et LVII : hisce omnibus liberavit nos Christus.

Secunda, quia charitati, et amanti Deum nihil est grave : « Quomodo enim est grave, cum sit dilectionis mandatum? Aut enim quisque non diligit, et grave est; aut diligit, et grave esse non potest, » ait S. Augustinus *De Natura et gratia*, cap. LXIX; et Sapiens, *Proverb.* IV, 11 : « Viam sapientiæ monstrabo tibi, et ducam te per semitas æquitatis, quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, et currens non habebis offendiculum. »

Tertia, quia Christus dat gratiam quasi alas, quibus præcepta impleamus, imo super ipsa quasi volemus, juxta illud : « Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum, » *Psal.* CXVIII; unde S. Augustinus, lib. *De Perfectione justitiæ*, ante medium, ait, « non esse grave quod diligendo fit, non timendo. Nam perfecta charitas foras mittit timorem, et facit præcepti sarcinam levem, non solum prementem onere ponderum, verum etiam sublevantem vice pennarum. Anima ergo quæ illa gravia sentit, oret gemitu voluntatis, ut impetret donum facilitatis. » Unde S. Bonaventura ait mandata gravia esse naturæ lapsæ et corruptæ, facilia vero naturæ sanæ et integræ. Gratia autem naturam sanat et integrat, sicut peccatum eamdem vulnerat et quasi mutilat, ideoque facit ut mandatum sit illi quasi « talentum plumbi, » *Zachar.* V, 7, et sicut « onus grave gravatum, » *Psalm.* XXXVII, 5. Ita Didymus et Œcumenius.

Quarta, quia, etsi quædam in se gravia sunt, ut mortificare omnes cupiditates, obire martyrium, pati omnia adversa, tamen hæc levia fiunt, si considerentur exempla Christi et Sanctorum, ejusque promissio de cœlesti gloria, juxta illud Pauli : « Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis, » *Roman.* VIII. Et : « Quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur, » II *Corinth.* cap. IV, vers. 17. Hinc ait Sponsa *Cant.* cap. I, vers. 13 : « Fasciculus, » non fascis, « myrrhæ dilectus meus mihi, » ubi vide S. Bernardum, cujus verba superius recitavi.

Audi S. Augustinum, serm. 18 *De Sanctis* : « Si quotidie, ait, oporteret nos tormenta perferre, si ipsam gehennam parvo tempore tolerare, ut Christum videre digni essemus in gloria venientem, et Sanctorum ejus numero sociari, nonne erat dignum pati omne quod triste est, ut tanti boni tantæque gloriæ participes haberemur? »

4. QUONIAM OMNE, QUOD NATUM EST EX DEO, VINCIT MUNDUM. — Probat quod dixit : « Mandata ejus gravia non sunt, » hac ratione, quod fideles fide et charitate renati, armatique a Deo vincant mundum, id est, mundi cupiditates æque ac terrores, quæ solæ resistunt charitati, faciuntque observationem mandatorum difficilem; iis ergo sublatis, mandata remanent facilia, non gravia : charitati enim sola contrariatur cupiditas : hanc tolle, remanet facilis et expedita charitas. « Testimonium cœlestis generationis est victoria tentationis, » ait S. Bernardus, serm. I *in Octava Paschæ*.

Nota : « Omne quod natum est, » id est, omnis qui renatus est ex Deo, « vincit mundum; » dicit tamen *omne*, non *omnis*, *primo*, ut significet hanc victoriam provenire fideli non a se, sed a fide, charitate et gratia Dei; unde explicans subdit : « Et hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra. » Sensus ergo est, *q. d.* Fides, charitas et gratia, quæ nata sunt et manant a Deo, vincunt mundum, ideoque pariter fideles per ea nati et renati vincunt mundum; unde Œcumenius per « omne quod natum est ex Deo, » intelligit charitatem fraternam : hanc enim vincere mundum.

Secundo, τὸ *omne* habet emphasin, et significat universitatem omnium gentium. Alludit enim ad animalia omnis generis munda et immunda, quæ erant in arca Noe, quæque per visionem vidit Petrus in linteo Ecclesiæ, *Actor.* X, 12. Quibus significabatur omne genus hominum ex qualibet gente,

statu; conditione, admittendum ad Ecclesiam per novam in baptismo nativitatem. Eadem causa et emphasi ait Christus : « Omne quod (pro *omnem quem*) dat mihi Pater, ad me veniet; » unde explicans subdit : « Et eum qui venit ad me, non ejiciam foras, » *Joann.* cap. VI, vers. 37; et cap. XVII, vers. 2 : « Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne, id est *omnis*, quod dedisti ei, det ei vitam æternam. »

Tertio, Thomas Anglicus : *Omne*, inquit, dicitur, non *omnis*, ut significet in generatione spirituali non esse distinctionem sexus. In Christo enim « non est masculus, neque femina, » *Galat.* cap. III, vers. 28.

Hinc S. Cyprianus, S. Leo et alii dicunt fidelem majorem esse mundo, et in cœlo versantem, hoc mundi punctum despicere. Citavi eorum verba cap. IV, vers. 4, ad illud : « Vicistis eum, quoniam major est qui in vobis est. » Præclare S. Augustinus, lib. II *De Symbolo ad Catechum.*, cap. II : « Admirabile, ait, spectaculum nostrum, plane admirabile, in quo Deus adjuvat, fides vires impetrat, innocentia pugnat, sanctitas vincit, præmium consequitur tale, quod et ille qui vicerit accipiat, et qui donaverit nihil amittat. »

ET HÆC EST VICTORIA QUÆ VINCIT MUNDUM, FIDES NOSTRA. — « Victoria, » id est, vincens et victor : proprie enim victoria non vincit, sed pugna vincentis quæ parit victoriam. « Victoria » ergo, id est, causa victoriæ, arma quibus comparatur victoria, est fides. Hæc igitur est victrix fides, non nuda et otiosa, sed charitate et bonis operibus vestita, puta operosa, certans et fortiter dimicans, juxta illud : « Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones, » etc. *Hebr.* XI, et I *Petr.* V : « Adversarius, ait, vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide. » Vide utrobique dicta; fide enim credimus vitam æternam esse summum bonum, pro quo omnia mala fortiter toleranda sint, et dimicandum contra omnes mundi tentationes usque ad mortem et martyrium. Unde per fidem hanc et spem tum divinæ opis et gratiæ Christi, tum mercedis et præmii gloriæ æternæ, Martyres omnia tormentorum genera alacres et læti vicerunt, juxta illud : « Et ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni, et propter verbum testimonii sui, » *Apocal.* cap. XII, vers. 11. Et illud Pauli, *Ephes.* VI, 16 : « In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. » Audi Tertullianum *ad Scapulam* : « Arius Antonius cum persequeretur instanter in Asia fideles omnes illius civitatis, Christiani ante tribunalia se manu facta obtulerunt; » et Nicephorus : « Diocletiani tempore (ait), cum natalis dies Christi festus adesset, viginti millia Christianorum in templo a tyranno conclusa igni conflagrare maluerunt, quam tantillum a Christianæ fidei stabilitate deflectere. » Quare vere S. Bernardus, serm. 6 *in Vigilia Nativit.* : « Fides, ait, est velut quoddam æternitatis exemplar, præterita simul et præsentia ac futura sinu quodam vastissimo comprehendit, ut nihil ei prætereat, nihil pereat, præeat nihil. »

Fides vincit mundum.

Pro *vincit* græce est νικήσασα, id est *vicit*, in aoristo, sub quo omne tempus intelligit, *q. d.* Vicit, vincit et vincet. Hac de causa Rupertus scripsit opus *De Victoria Verbi Dei*. S. Augustinus, lib. *De Utilit. credendi*, cap. XVII, docet fidem Christi totum mundum sibi subegisse sanctitate, castitate, patientia, constantia, etc., Apostolorum, Virginum et Martyrum, quibus conversæ sunt ad Christum gentes totius mundi. Œcumenius : « Omnem, ait, fides perfidiam vicit atque ejecit, ita ut neque Judæus, neque hæreticus quampiam vim adversus eam habeat. » Quocirca S. Augustinus, serm. 1 *De Verbis Apost.* : « Nullæ, ait, sunt majores divitiæ, nulli thesauri, nulli honores, nulla mundi hujus major substantia, quam est fides Catholica, quæ peccatores homines salvat, cæcos illuminat, infirmos curat, catechumenos baptizat, fideles justificat, pœnitentes reparat, justos augmentat, martyres coronat. » Denique S. Bernardus, serm. 76 *in Cant.* : « Fides, ait, attingit inaccessa, deprehendit ignota, comprehendit immensa, reprehendit novissima, ipsam denique æternitatem suo illo vastissimo sinu quodam modo circumcludit. Fidenter dixerim, æternam beatamque Trinitatem, quam non intelligo, credo et fide teneo, quod sana non capio mente. »

Cur?

Porro fides viva omnia impetrat a Deo, vincitque omnipotentem, ideoque fit omnipotens, adeo ut miracula quælibet operetur, juxta illud : « Omnia possibilia sunt credenti, *Marci* IX, 23. Hæc est fides miraculorum. Fides ergo vincit mundum, quia vincit Deum mundi dominum.

Vers. 5.

5. QUIS EST, QUI VINCIT MUNDUM, NISI QUI CREDIT QUONIAM JESUS EST FILIUS DEI? — Credendo enim sperat, sperando invocat, invocando amat Christum; itaque gratia Christi roboratus odit spernitque mundum, ac spernendo vincit, juxta illud Pauli : « Omnia possum in eo qui me confortat, » *Philip.* IV, vers. 13. Sub fide ergo complectitur charitatem, obedientiam, fortitudinem cæterasque virtutes a Christo sancitas et donatas, quibus vincitur mundus. Qui enim credit in Christum, debet Christi præcepta sequi, eique obedire, non mundo, imo contemnere mundum; hoc enim suis asseclis præcepit sanxitque Christus, *Joan.* XV, 18 et 19.

Audi S. Bernardum, serm. 1 *De tribus testimon. in cœlo et in terra* : « Quid ergo ait : Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quia Jesus est Filius Dei, cum et ipse jam mundus id credat? An non ipsi quoque dæmones et credunt et contremiscunt? sed dico : Putasne Filium Dei reputat Jesum, quisquis ille est homo, qui ipsius nec terretur comminationibus, nec attrahitur promissionibus, nec præceptis obtemperat, nec consiliis acquiescit? Nonne is, etiamsi fateatur se nosse

Deum, factis tamen negat? Porro fides sine operibus mortua est in semetipsa, nec sane mirum videri potest, si nequaquam vincit, quæ nec vivit quidem.

Probat S. Joannes thesin ex hypothesi, genus ex specie, imo speciem ex individuo : probat, inquam, fidem esse victoriam fidelium, ex eo quod fides Christi sit victoria mundi; simulque perstringit Cerinthum, Ebionem et alios illius ævi hæreticos, qui negabant Christi divinitatem. Hinc Petrus eam confitens, dicensque : « Tu es Christus Filius Dei vivi, » ab eo audire meruit : « Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam, » *Matth.* XVIII; et Paulus : « Quis nos separabit a charitate Christi? Certus sum quia neque mors, neque vita, » etc. *Rom.* cap. VIII. « Unde certus erat, nisi ex fidei firmitate? » ait S. Hieronymus in cap. II *ad Galat.*

6. HIC EST QUI VENIT PER AQUAM ET SANGUINEM, JESUS CHRISTUS. — *q. d.* Hic est Messias Dei Filius, Salvator et Redemptor mundi, quem Prophetæ venturum prædixerunt, ut suo sanguine orbem redimeret, et aqua baptismi expiaret, ut patet *Ezech.* XXXVI, 47, et *Zachar.* XII, 13; idemque præsignarunt omnia sacrificia legis veteris, in quibus fundebatur victimarum sanguis, ut repræsentarent Christi sanguine in cruce fundendo expianda fore peccata. Cum ergo Christus hæc Prophetarum oracula adimplens reipsa venerit, suoque sanguine nos redemerit, et aquæ baptismum dum in Jordane a Joanne baptizatus est, sanxerit, eique vim sanctificandi tribuerit : inde certo colligite ipsum esse verum Messiam et Christum mediatorem a Prophetis prædictum, ac proinde ejus fide nos vincere mundum. Probat Joannes quod Jesus Christus sit Filius Dei, puta quod Jesus sit verus homo et verus Deus, primo ex eo quod ipse sit ille « qui venit, » græce ὁ ἐλθών, id est *ille*, scilicet Messias, *veniens* antonomastice, quem scilicet Prophetæ venturum promiserunt, quem Scriptura, *Isaiæ* IX, 6 et alibi, significat fore Deum et Dei Filium. Unde « veniens, » vel « venturus, » est nomen Messiæ. Sic enim eum vocabant Judæi ex vaticiniis Prophetarum, ut patet *Apocal.* I, 4; *Joan.* I, 15; *Matth.* XI, 3; *Psalm.* CXVII, 26; *Aggæi* II, 8; *Malach.* III, 1 et 2, et alibi.

Rursum idipsum probat ex aqua et sanguine, quibus constitit Christi corpus, quodque pro nobis effudit. Hæc enim, *primo*, significabant Christum verum esse hominem, non phantasticum, uti volebant Simon et Manes : corpus enim humanum conflatur et constat aqua et sanguine, puta quatuor humoribus; sub aqua enim sive phlegmate accipe melancholiam, sive atram bilem : aqua enim sive phlegma, si crassescat, fit lutum, sive melancholia; sub sanguine accipe choleram, sive flavam bilem : sanguis enim, si incalescat, fit bilis. Hi quatuor humores continent quatuor elementa, quibus coagmentatur hominis corpus : phlegma enim continet aquam, melancholia terram, sanguis aerem, cholera ignem. Per aquam ergo et sanguinem significat S. Joannes corpus Christi constitisse quatuor humoribus et quatuor elementis, ac proinde vere et proprie fuisse corpus humanum.

Secundo, aqua et sanguis probabant Christum esse Deum, tum quia sanguis Christi fuit justum pretium redemptionis nostræ, ex æquo satisfaciens Deo pro offensa peccatorum nostrorum : ergo necesse est ut fuerit sanguis hominis Dei, sive hominis hypostatice uniti Deo : sanguis enim puri hominis non poterat esse justum et adæquatum pretium offensarum Dei; tum quia virtute sanguinis sui Christus instituens baptismum, illi indidit vim divinam expiandi omnia omnium hominum peccata. Ergo necesse est ut fuerit Deus : faciebat enim hoc Christus per se et auctoritative, non quasi minister pendens ab alio. Per se autem instituere Sacramentum remittens et expians peccata, est opus virtutis divinæ.

Alludit *primo*, ad aquam et sanguinem victimarum, quo vetus Testamentum sancivit Moses, *Exodi* cap. XXIV, 8, quo significabat Christum suo sanguine et aqua sanciturum novum Testamentum. Audi Paulum, *Hebr.* IX, 19 : « Lecto enim omni mandato legis a Mose universo populo, accipiens sanguinem vitulorum et hircorum cum aqua et lana coccinea et hyssopo, ipsum quoque librum et omnem populum aspersit, dicens : Hic sanguis Testamenti quod mandavit ad vos Deus. » Vide ibi dicta.

Alludit, *secundo*, ad aquam et sanguinem quæ miraculose fluxerunt ex latere Christi in cruce mortui : corpus enim mortuum pro sanguine et aqua viventis, naturaliter dat saniem; unde idipsum solus ex Evangelistis narrat S. Joannes, cap. XIX, 34. Hac enim Christi aqua et sanguine repræsentabatur, virtute sanguinis et mortis Christi fideles ab omnibus peccatis abluendos per aquam baptismi. Et hoc significat Sponsa, id est Ecclesia, *Cant.* V, 10 : « Dilectus meus, inquit, candidus et rubicundus; » aqua enim est candida, sanguis est rubicundus. Ita Cyrillus Hierosolymitanus, *Catechesi* 13; S. Augustinus, lib. II *De Catech. rud.*, cap. VI; S. Leo, *epist.* 45; Hieronymus, *epist.* 83; Damascenus, lib. IV *De Fide*, cap. X; Suarez, III *part.*, *Quæst.* LIII, disp. XLI, sect. 1, et alii. Hinc noster Salmeron hic opinatur Christum ubique sanguini aquam miscuisse, scilicet lacrymarum in circumcisione, in sudore sanguineo agoniæ, in flagellatione, in cruce ante mortem; ideoque jussisse aquam vino misceri in calice Eucharistiæ convertendam in sanguinem. Et Hugo ait Christum venisse per sanguinem, quando circumcisus est, ut legem observando significaret se Judæos velle redimere, per aquam vero Gentes, quia in aqua instituit baptismum præcipue pro Gentibus.

Porro distinguit S. Joannes baptismum Christi a baptismo Joannis Baptistæ, quod hic fuerit so-

lum in aqua, ideoque inefficax ad expianda peccata : Christi vero fuerit in aqua et sanguine, ideoque ad eadem abluenda efficax. Rursum perstringit Ebionitas qui aqua mera censebant placari Deum, ideoque quotidie aqua se abluebant, et in calice Eucharistiæ non vinum, sed meram aquam offerebant, quia negabant sanguine Christi nos esse redemptos, teste Irenæo, lib. V, cap. I.

Denique Tertullianus, lib. *De Baptismo*, cap. XVI, ait Christum venisse per aquam, cum baptizatus est a Joanne ; per sanguinem, cum passus est, ut « aqua, inquit, tingeretur, sanguine glorificaretur » per passionem et mortis victoriam. « Proinde, ut nos faceret aqua vocatos, sanguine electos, hos duos baptismos de vulnere perlossi lateris emisit ; quia qui in sanguinem ejus crederent, aqua lavarentur ; et qui aqua lavissent in baptismo, etiam sanguinem potarent in Eucharistia. »

Symbolice. Symbolice, per *aquam et sanguinem* accipiunt duplicem baptismum, scilicet fluminis et sanguinis, S Hieronymus, *epistola* 88 ; S. Augustinus, lib. II *De Symbol.*, cap. VI ; Cyrillus, *Catech.* 13, et alii. Alii censent repræsentari duplicem modum quo damnatus est Christus a Judæis vociferantibus : « Sanguis ejus super nos, » etc., et a Pilato manus aqua lavante, *Matth.* XXVII, 24 et 25.

Anagogice Cyrillus, *Catech.* 13, per *aquam* accipit baptismum, per *sanguinem* judicium ; eo enim reprobi damnabuntur ad sanguinem, id est gehennam et mortem æternam.

Allegorice S. Bernardus, serm. 1 *in Octava Paschæ* : « Moses, inquit, venit per aquam, quia ex aqua ereptus, ideoque vocatus Moses, id est extractus, populum Hebræorum per aquas maris Rubri illæsum deduxit in terram promissam : Jesus vero, legislator legis novæ, venit per aquam et sanguinem, quia per sanguinem introducet nos in sancta, puta in cœlum, *Hebr.* cap. IX, 12 : « Sic ergo hodie, inquit, quoque ad nos per aquam et sanguinem venit, ut sit aqua et sanguis testimonium ejus fideique victricis. »

Tropologice. Tropologice S. Bernardus, ibid., per *aquam et sanguinem* accipit duplicem baptismum duplexque martyrium, prius in lacrymis compunctionis, posterius in studio mortificationis : « Jam vero, inquit, quia baptismum aqua, martyrium diximus sanguine designari, memento et unicum et quotidianum esse baptismum, similiter et martyrium. Est enim et martyrii genus, et quædam effusio sanguinis in quotidiana corporis afflictione. Est et baptismus aliquis in compunctione cordis, et lacrymarum assiduitate. Sic quippe infirmis et pusillis corde necesse est, ut quem semel pro Christo ponere non sufficiunt, saltem mitiori quodam, sed diuturniori martyrio sanguinem fundant. Sic et baptismi Sacramentum quoniam iterari non licet, his qui sæpius in multis offendunt, frequenti oportet ablutione suppleri. Unde et Propheta : Lavabo, inquit, per singulas noctes lectum meum, et lacrymis meis stratum meum rigabo, » *Psalm.* VI, 7 (1).

HIC EST QUI VENIT PER AQUAM ET SANGUINEM (Græci codices nonnulli addunt, καὶ πνεύματος, id est, *et spiritum*). NON IN AQUA SOLUM, SED IN AQUA ET SANGUINE, — iidem addunt, *sed et in spiritu.*

ET SPIRITUS EST QUI TESTIFICATUR QUONIAM CHRISTUS EST VERITAS. — Græca habent ὅτι τὸ πνεῦμά ἐστιν ἡ ἀλήθεια, id est, *quoniam spiritus est veritas.* Sic quoque legit Syrus, Vatablus, Clarius, Cajetanus, *q. d.* Spiritus est qui recenter in Pentecoste testificatus est Christum esse Dei Filium. Illi ergo credendum est, quia hic Spiritus est veritatis, ipsaque veritas. Verum genuina lectio est, « quoniam Christus est veritas ; » de Christo enim hic agitur ; non de Spiritu, et Christi proprium nomen est veritas, non Spiritus Sancti.

Testimonio obscuro et quasi mortuo aquæ et sanguinis, adjungit S. Joannes clarum et vivum Spiritus Sancti : hic enim tum in vita Christi, utpote per eum ad hoc testandum operans miracula, tum post mortem et resurrectionem ab eo in Pentecoste missus in Apostolos, per eorum ora testatus est et prædicavit ubique, quod Christus esset veritas, id est verus Deus. Christus enim qua Deus, est Verbum, ideoque veritas et sapientia Patris ; qua homo, fuit verus Dei legatus et interpres, qui umbras legis veteris aperuit, claramque de Deo doctrinam et veritatem propalavit, juxta illud : « Ego sum via, veritas et vita, » *Joann.* XIV, 6 ; et illud cap. XVIII, 37 : « Ego ad hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati. » Hinc Pontifex Aaronicus gerens typum Christi, veri et veracis Pontificis, in Rationali pectoralis insigne intextum gestabat *Urim Vetummim*, id est, Doctrina et Veritas, *Exodi* cap. XXVIII, vers. 30.

Alii per *spiritum* accipiunt internam illuminationem Spiritus Sancti, qua nos impellit ad fidem et amorem Christi, juxta illud cap. II, vers. 27 : « Unctio ejus docet vos de omnibus, et verum est. »

(1) Rosenmullerus : *Hic* (Jesus) *est ille, qui non tantum per baptisma, sed et profusione sanguinis sui declaravit se esse Messiam.* Zachariæ : *Hic* (Jesus) *non modo tum, quum baptizatus esset, fuit Filius Dei* (Messias) ; *sed et tum, quum passus est, fuit idem,* scilic. ut corrigeretur Cerinthi error, qui statuebat in Jesum post baptisma descendisse æona Christum, figura columbæ ; in fine (vitæ) autem revolasse iterum Christum de Jesu, et Jesum passum esse et resurrexisse : Christum autem impassibilem perseverasse, existentem spiritualem, ut docet Irenæus, lib. I, cap. XXV. Denique Haneberg : Christus non ut aquosus vapor apparuit, quasi τὸ *Deus* inertem tantum materiam adoptasset ; sed sese univit sanguini per quem anima cum materia in commercium venit, ideoque animæ humanæ, verum corpus animans ; præterea in eo erat Spiritus. Tribus his terminis inest subsistentia, ita tamen ut nullus ab aliis separari possit. Tres simul verum Christum efficiunt. *Corporis* elementum per *aquam* designatur, propter quasdem, ut videtur, Docetarum opiniones vel locutiones.

Vers. 7. 7. QUONIAM TRES SUNT. — Testimonium aquæ, sanguinis et Spiritus de Christo jam allatum plenius hic S. Joannes explicat et confirmat; unde τὸ *quoniam* partim probat id quod dixit vers. 5, scilicet Jesum esse Filium Dei; partim probat id quod dixit vers. 6, scilicet Spiritum testificari quod Christus est verus Deus. Id enim hic confirmat ex eo quod Spiritus Sanctus sit unus ex tribus testibus, qui in cœlo testimonium perhibent Christo.

TRES SUNT QUI TESTIMONIUM DANT IN COELO (de cœlo) : PATER, VERBUM ET SPIRITUS SANCTUS, ET HI TRES UNUM SUNT. — Notat S. Hieronymus, *Præfat. in Epistolas Canonicas*, hæc ab infidelibus, scilicet Arianis (unde et moderni Ariani in Transylvania propter hæc verba totam S. Joannis Epistolam rejiciunt), fuisse abrasa e nonnullis Græcis codicibus. Quocirca non legit hæc Syrus, Clemens Alexandrinus, Beda, Œcumenius, et alii nonnulli, quos citat Franciscus Lucas in *Annot.* hujus loci, Annot. 612. Jam tamen constanter hæc legunt Biblia Latina, et correctiora Græca, multique veterum, ut S. Athanasius, Augustinus, Hieronymus, Cyprianus, Concilium Lateranense cui interfuerunt Græci, et alii quos citat Bellarminus, lib. I *De Christo*, cap. VI, Hesselius et alii hic. Certum ergo est hæc esse legenda esseque Canonicam Scripturam, ac proinde ex iis recte confirmari mysterium Sanctissimæ Trinitatis, ac divinitatis Christi et Spiritus Sancti contra Arianos et Macedonianos (1).

Sensus ergo est, *q. d.* Omnes tres personæ SS. Trinitatis in cœlo et de cœlo tum angelis, tum maxime hominibus (hoc enim præcipue intendit hic S. Joannes) testimonium perhibent de Christo, quod scilicet ipse sit verus Messias, Deique Filius : nimirum Pater, dum in baptismo et transfiguratione Christi, *Matth.* III, 17, et cap. XVII, vers. 5, publice proclamavit : « Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite. » Rursum, cum super Christum rogantem ut se clarificaret, e cœlo intonuit : « Et clarificavi, et iterum clarificabo, » *Joan.* XII, 18. Similiter et Spiritus Sanctus, dum descendit in Christum in specie columbæ, et effudit sese in Apostolos cæterosque Christianos in die Pentecostes, idque ex Christi prædictione, promissione et missione : unde idem Spiritus Sanctus per ora Apostolorum non aliud fere quam Christum præconizavit. Filius etiam sæpissime dixit, docuitque ac miraculis probavit, et convicit se esse Messiam, Deique Filium, ut patet ex toto Evangelio S. Joannis. Sic pariter tres Christi testes sunt in terra, scilicet Spiritus, aqua et sanguis, ut sequitur. Igitur mutuo inter se consentiunt cœli et terræ testes, ac consequenter iis omnimoda fides est adhibenda, quasi testibus divinis omni exceptione majoribus; et quia cœlum et terra, totus, inquam, mundus, in hoc Christi testimonium conspirare videntur. Alludit S. Joannes ad illud sui Evangelii, cap. VIII, vers. 18 : « Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso, et testimonium perhibet de me qui misit me Pater; » et cap. XVI, vers. 14, de Spiritu Sancto : « Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis. » Denique tres testes producit, quia scriptum est : « In ore duorum aut trium testium stabit omne verbum, » *Deuter.* XXIX, 15.

Tres Christi testes in cœlo.

ET HI TRES UNUM SUNT, — uti natura et essentia divina, ita pariter intellectu, voce, locutione et testimonio de Christo; hæc enim omnia in SS. Trinitate essentialiter unum idemque sunt. Complutensia et Regia habent, καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἓν εἰσι, id est, *et hi tres in unum sunt*. Sed Latini et alii Græci legunt, « et hi tres unum sunt; » significatur enim ὁμούσιον S. Trinitatis, quod scilicet tres personæ habeant unam eamdemque individuam deitatem. Nec aliud significat lectio diversa Complut. Nam in « unum sunt, » hoc est, in unum, puta in unam essentiam conveniunt et coeunt. Sic *Gen.* II, 24, de Adam et Eva conjugibus dicitur : « Erunt duo in carne una, » id est, erunt duo « una caro, » uti explicat Christus, *Matth.* XXIX, 6, hoc est, vir et mulier erunt quasi una persona civilis et politica. Sic *Jerem.* XXX, 33 : « Eritis mihi in populum, » id est, eritis mihi populus, et *Psalm.* XXX, 3 : « Esto mihi in Deum protectorem, » id est, esto mihi Deus protector, et sæpe alibi.

Euthymius, *Panopliæ* part. I, tit. VII, pag. 143, pro *tres* legit *tria*, indeque ostendit tres personas in divinis revera esse tria personaliter, sed unum essentialiter.

Idem multis ante S. Joannem sæculis dixit Serapis, qui Ægypti regi nomine Thuli postulanti : « Quis eo fortunatior esset? » respondit :

> Principio Deus, tum sermo, et spiritus illis
> Additur : æquæva hæc sunt, et tendentia in unum.

de quo superius dixi.

Vers. 8. 8. ET TRES SUNT QUI TESTIMONIUM DANT IN TERRA : SPIRITUS, ET AQUA, ET SANGUIS. — Dicendum erat *tria*; nam græce πνεῦμα, ὕδωρ et αἷμα, id est *spiritus, aqua et sanguis*, sunt generis neutri : dicit tamen « tres, » tum ut ostendat hos tres terræ testes conspirare, imo repræsentare tres cœli testes jam dictos, ait S. Augustinus : de quo mox plura; tum quia per prosopopœiam hisce tribus attribuit personam testium : testis enim in terra apud homines animatus sit oportet, adeoque homo; ideoque masculini generis, non neutri. Qui enim testatur, debet loqui, oreque suum efferre testimonium, quod non nisi hominis est. Opponit S. Joannes terrenum et humanum testimonium cœlesti et divino. Jam aliqui censent tres testes in cœlo esse testes divinitatis Christi; tres vero testes in terra esse testes humanitatis ejusdem, ait ocentius III, cap. *in quadam*, de ce-

Tres testes terræ.

(1) De authentia hujus commatis confer D. Glaire, *Introduction*, etc., tom. VI, pag. 317 seqq.; Wiseman, *Two letters on some parts of the controversy concerning* I John, V, 7.

libr. Missar., et D. Thomas. Sed verius est utrosque adduci ad probandam divinitatem Christi : hoc enim probandum sumpsit S. Joannes, vers. 5, quia hoc negabat Ebion, Cerinthus et alii. Unde et subdit mox : « Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se, » etc.

Mystice S. Bernardus, serm. 2 *in Octava Paschæ*, per τὸ *in terra* accipit homines in terra viventes, ut per hæc tria, Spiritum scilicet, aquam et sanguinem, distinguantur justi ab injustis, sicut per Patrem et Filium et Spiritum Sanctum in cœlo distinguuntur Beati a damnatis. Nam Beatis, inquit, visio Trinitatis testimonium perhibet : electis fructuosus est sanguis Christi ac merita, aqua baptismi et Spiritus Sancti gratia : de quo mox plura ; jam singula expendamus.

TRES SUNT. — Ponit S. Joannes duplicem trinitatem testium Christi, qui scilicet testantur ejus divinitatem, eumque esse Dei Filium, atque unam alteri opponit, imo componit in officio testificandi. Prior increata est, scilicet Pater, Filius, Spiritus Sanctus : posterior creata, scilicet aqua, sanguis et spiritus, quæ manat ab increata, eique ex æquo respondet, adeoque eam repræsentat. Aqua enim refert Patrem, sanguis Filium, spiritus Spiritum Sanctum. Pater enim est rerum omnium principium, sicut est et aqua. Ex aqua enim formati sunt cœli, aer, aves, pisces, uti ostendi initio Genesis; rursum aqua nutrit herbas, arbores, plantas, omniaque animantia et viventia. Unde *aqua* Latinis dicitur quasi *a qua nata sint omnia*; vel, ut Festus, *a qua juvamur*. Unde Thales aquam posuit principium rerum omnium; licet alii *aquam* dictam velint quasi *æquam*, quod æqua sit et æqualis, nisi ventis agitetur. Ita Deus Pater omnibus est æquus et idem. Orphici et symbolici contemplatores summum bonum, sive omnium bonorum Oceanum censuerunt esse aquam, ideoque repræsentare Deum. Hinc Virgilius secutus Homerum, lib. IV *Georg.*, Oceanum patrem rerum indigitat; et Plinius, lib. I, cap. XXXI : « Hoc elementum, ait, cæteris omnibus imperat, terras devorant aquæ, flammas necant, scandunt in sublime, et cœlum quoque sibi vindicant : quid esse mirabilius potest aquis in cœlo stantibus? » Unde et cœli hebraice vocantur *scamaim*, id est, *ibi aquæ*. Rursum aqua significat affluentiam bonorum et gratiarum quæ est in Deo Patre, juxta illud *Isaiæ* XII : « Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. » Scitum est Ægyptios Nilum pro Deo coluisse, quod a Nilo exundante omnis eis seges obveniret. Hinc illud Parmenonis : « Jupiter Ægypti Nile. » Insuper aqua apposite Dei Patris misericordiam et pietatem repræsentat. Quocirca Allemanos deorum loco aquam fluminum adorasse, testatur Agathius, lib. I et II *Pereg. hist.* Ibidem de Persis docet Arnobius, lib. VI *Contra Gentes*. Sic et hodie nonnulli Indi adorant aquam, ut refert Vasquez, lib. III *Navig.*, fol. 362. Brachmanes longissime vivere, eo quod non nisi aquam bibant, tradit Suidas verbo *Brachmanes*. Lucianus quoque in suis *Macrobiis* scribit per aquam vitam produci, ideoque Syros ad trecentos annos vixisse. Apollonius Tyanæus dictitabat bibentes aquam nunquam laborare capitis vertigine, uti refert Philostrates in *Vita Apollonii*. Plura de aquæ præstantia vide apud Tiraquellum, tract. *De Nobil.*, cap. XXXI; Plutarchum, quæst. *An aqua sit dignior igne?* Vide quoque Hydragiologiam M. Antonii Marsilii Columnæ.

Aqua repræsentat Patrem, sanguis Filium, spiritus Spiritum Sanctum.

Aqua quasi aqua omnia.

Vel aqua quasi æqua.

Porro, sub testimonio SS. Trinitatis increatæ intellige testimonium sanctorum angelorum : per hos enim quasi administratorios spiritus et legatos SS. Trinitas locuta est, et testimonium perhibuit Christo, tum in ejus nativitate, cum cecinerunt : « Gloria in excelsis Deo ; » tum in baptismo, *Matth.* III, 17; tum in transfiguratione, *Matth.* XXVII, 5; tum in resurrectione, *Matth.* XXVIII, 2; tum in ascensione, *Actor.* I, 10.

QUI TESTIMONIUM DANT — Jesu Christo, quod sit Filius Dei, ac consequenter quod ejus fide et ope vincamus mundum, quodque fides Christi sit victoria nostra.

IN TERRA, — de terra ; sicut tres primi in cœlo, id est, de cœlo testantur hominibus in terra agentibus.

SPIRITUS, ET AQUA, ET SANGUIS, — *q. d.* Spiritus quem Christus in cruce moriens emisit in manus Patris, item aqua et sanguis quæ de latere Christi profluxerunt, testificantur Christum verum fuisse non tantum hominem, sed et Deum; quia hisce quasi pretio adæquato et justo satisfecit Christus offensæ Dei, juxta oracula Prophetarum, quod facere non potuisset nisi fuisset Deus, uti dixi vers. præced. Rursum spiritus, quia a Christo cum clamore emissus, arguebat eum esse Deum. Unde « videns Centurio quia sic clamans expirasset, ait : Vere hic homo Filius Dei erat, » *Marci* XV, 39. Vox enim moribundos deficit; ergo clamor hic Christi miraculosus erat, non naturalis, significans Christum super hominem esse Deum, ideoque voluntate, non infirmitate mori, ait ibidem S. Hieronymus, Chrysostomus, Euthymius et Theophylactus; quin et Christus ipse : « Nemo, ait, tollit eam (animam) a me, sed ego pono eam a meipso, et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam, » *Joan.* cap. X, vers. 18.

Spiritus, aqua et sanguis quid?

Secundo, S. Augustinus, lib. III *Contra Maximum*, cap. XXII; Lyranus et Glossa per *spiritum* accipiunt Spiritum Sanctum a Christo in Pentecoste effusum; hic enim testificatus est Christum esse Deum, tum quia Christus mittebat hunc Spiritum, tum quia ipse Spiritus per ora Apostolorum protestabatur se mitti a Christo, eumque verum esse Dei Filium.

Tertio, Œcumenius per *spiritum* accipit Spiritum Sanctum qui datur in baptismo. « In baptismate, inquit, per aquam Jesus Patris testimonio

Filius Dei est declaratus; at per sanguinem, quando, cum prope erat ut crucifigeretur, dixit: Glorifica me tu Pater, et vox delata est quæ dicebat: Et glorificavi, et iterum glorificabo. Per spiritum vero est manifestatus, quando e mortuis tanquam Deus resurrexit. »

Huc pertinet expositio Didymi, nisi quod ipse testimonium hoc referat non ad Christum, sed ad nativitatem nostram spiritualem, quæ fit in baptismo. Hic enim, inquit, spiritus, id est, Trinitas invocatur, ac sanguis, id est, humanitatis Christi merita per aquam baptismi operantur et sanctificant. Ac illa S. Ambrosii, lib. X, in cap. XXII *Lucæ*: « Aquam, inquit, ad lavacrum, sanguinem ad pretium, spiritum tradidit ad resurrectionem. » Unde :

Anagogice, sed valde apposite ad litteram et pene litteraliter, aqua, et sanguis, et spiritus in cruce a Christo emissa, sed resumpta ab eodem in resurrectione, significabant ipsum vere esse Messiam promissum, victorem mortis et inferni, ideoque Dei Filium : Christus enim vi propria resurrexit, et hæc tria resumpsit : vi propria, inquam, tam humanitatis, quam divinitatis. Anima enim et spiritus Christi jam glorificatus vi propria accepta a divinitate, cui hypostatice erat unita, univit se corpori in sepulcro, illudque animavit, vivificavit et glorificavit; ac pari modo nostra corpora animabit, vivificabit et glorificabit in resurrectione, uti dixi I *Petri* III, 21 et 22.

Mystice. Mystice per *spiritum, aquam et sanguinem* significantur tria quæ ad justificationem nostram concurrunt; itaque testimonium perhibent Christo, utpote, cujus meritis et virtute peragitur nostra justificatio. Sanguis enim significat sanguinis et mortis Christi meritum, nobis in justificatione applicatum; aqua significat ablutionem et purgationem peccatorum; spiritus significat aspirationem et infusionem spiritus, id est, vitæ spiritalis, gratiæ, charitatis cæterarumque virtutum quibus justi efficimur. Unde S. Ambrosius, lib. *De Spiritu Sancto*, cap. XI, ait, « spiritu mentem renovari, aqua nos lavari, sanguinem esse pretium. » Sic et Cyrillus, *De Fide ad Reginas*, et S. Leo, *epist.* 10, cap. V : « Hi tres, inquit, sunt spiritus sanctificationis, sanguis redemptionis, aqua baptismatis. »

Allegorice, aqua est baptismus, sanguis est Eucharistia, spiritus est pœnitentia. Allegorice per hæc tria significantur tria præcipua Sacramenta, quæ testimonium perhibent Christo, utpote ab eo instituta, et ejus meritis ac virtute sanctificantia. « Aqua » significat baptismum, « sanguis » calicem Eucharistiæ, « spiritus » pœnitentiam. Unde et insufflando spiritum Apostolis, Christus dedit eis potestatem remittendi peccata, *Joannis* XX, 22. Hæc omnia probant Christum esse Deum, tum quia remissio peccatorum est opus Dei et divinæ potestatis, tum quia transsubstantiatio panis et vini in corpus et sanguinem Christi, non nisi divina vi et potestate perfici potest. Porro spiritus significat sacramentum Pœnitentiæ, tum quia per illud Spiritus Sanctus remittit peccata : hoc enim maximum est Dei donum : omnia autem Dei dona, præsertim gratiæ, in S. Scriptura appropriantur Spiritui Sancto, eo quod ipse sit primum Patris et Filii notionale donum : ab iis enim procedit per modum amoris et doni; tum quia ipse per pœnitentiam nobis per peccata mortuis spiritum vitæ, puta gratiæ, inspirat. Quocirca ex hoc loco, et ex fluxu aquæ et sanguinis e latere Christi Innocentius III docet et probat aquam in calice Eucharistiæ miscendam esse vino, ut convertatur in sanguinem Christi, ita ipse, cap. *in quadam*, de celebr. Missarum.

Symbolice, *primo*, S. Bernardus, serm. 1 *in Octava Paschæ* : « In aqua, inquit, baptismum intellige, in sanguine martyrium, in spiritu charitatem diffusam in cordibus nostris. » Rursum Catharinus per *aquam* accipit tribulationes, ad quas experiendas venit Christus, eoque vocat Christianos. Alii per *aquam* accipiunt sapientiam, juxta illud *Eccli.* XV, 3 : « Cibavit illum pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris potavit illum. » Alii per *aquam* accipiunt gentium multitudinem in Christum credentem, juxta illud : « Aquæ multæ populi multi, » *Apoc.* XI.

Secundo, Balduinus Cantuariensis (quem Lovanii manu scriptum evolvi), lib. I *De Eucharistia*, cap. XLVIII : « Spiritus justorum, inquit, aqua pœnitentium, sanguis Martyrum testantur Christum redemptorem. » Nam, ut ait Tertullianus, « sanguis Martyrum est semen Christianorum; » et S. Leo : « Non minuitur Ecclesia persecutionibus, sed augetur; et semper Dominicus ager segete ditiore vestitur, dum singula grana quæ cadunt, multiplicata resurgunt. »

Tertio, Clemens Alexandrinus hic « spiritum » accipit pro vita, « aquam » pro fide et regeneratione, « sanguinem » pro cognitione : quæ sunt salutiferæ virtutes Salvatoris. Rursum S. Ambrosius, lib. *De Spiritu Sancto*, cap. VI, sanguini mortem, aquæ sepulturam, spiritui vitam assignat in baptismo.

Quarto, S. Augustinus hic censet his tribus notari tres personas sanctæ Trinitatis, scilicet « spiritu » Patrem, « sanguine » Filium, « aqua » Spiritum Sanctum. De Patre enim dicitur : « Spiritus est Deus, » *Joan.* IV, 24. Filius assumpsit sanguinem et carnem humanæ naturæ. De Spiritu Sancto dicitur : « Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ, » *Joan.* VII, 18. Atque hac de causa dici « tres sunt, » non *tria*, ut dicendum erat, « qui testimonium perhibent. » Et rursum : « Et hi tres unum sunt, » *q. d.* Tres personæ sunt una essentia divina. Unde et Hyginus Papa, *epist.* 1, et Joannes II, *epist.* 1, testimonium eorum, qui in cœlo testantur, postponunt testibus in terra, quasi illi hos explicent. Quod vero hæc tria exierunt de corpore Christi, repræsentabat Ecclesiam, quæ est corpus Christi, prædicaturam Trinitatis unam eamdemque essen-

tiam, ait S. Augustinus. Congruentius « aquam » adaptes Patri, « sanguinem » Filio, « spiritum » Spiritui Sancto : uterque enim est spiritus : aqua autem est principium rerum omnium, sicut et Pater; ex aqua enim creati sunt cœli et cætera omnia, uti ostendi initio Genesis : eo enim alludit Joannes. Sicut enim initio mundi Deus creavit aquam, et spiritus Domini ferebatur super aquas, ut ex iis cætera efformaret : ita pariter in recreatione mundi, Deus per aquam baptismi dando Spiritum Sanctum, Christianos quasi novos homines ; spirituales et divinos efformavit, idque merito sanguinis Christi.

Tropologice S. Bernardus, serm. 2 *in Octava Paschæ* : « Sanguine, inquit, et aqua, et spiritu habere testimonium » justitiæ, quod renatus sis per Christum, « est si contines a peccatis, si dignos facis pœnitentiæ fructus, si facis opera vitæ. » Sanguis ergo significat continentiam, aqua lacrymas, spiritus opera spiritualia, quæ testantur nos esse regeneratos et sanctos. Et *serm.* 1, ostendit hæc tria opponi tribus quæ sunt in mundo, eaque vincere : concupiscentiam enim carnis vinci sanguine mortificationis; concupiscentiam oculorum, lacrymis compunctionis ; superbiam vitæ sive spiritum vanitatis, spiritu charitatis. « Certum quippe, ait, triumphati mundi testimonium est, si corpus castiges et subjicias spiritui, ne perniciosa libertate serviat voluptati ; si fletui præbeas oculos magis quam petulantiæ vel curiositati ; si denique spiritali dilectione flagrans, nulli animum dederis vanitati. Merito sane unus est qui in terra pariter et in cœlo testimonium perhibet spiritus, quia sive corporis afflictio cessabit, sive lacrymarum fons exsiccabitur, sed charitas nunquam excidit.» Hisce tribus suffragabitur testimonium SS. Trinitatis : « Magnum profecto habituri sunt testimonium, quos in cœlo Pater susceperit tanquam filios et hæredes, Filius adsciverit tanquam fratres et cohæredes, Spiritus Sanctus adhærentes Deo unum spiritum faciet esse cum eo. » Rursum per hæc tria possunt tropologice accipi tres fidelium gradus, scilicet incipientium, per aquam ; proficientium, per spiritum ; perfectorum, per sanguinem : hic enim est symbolum martyrii. Addit S. Bernardus, *serm.* 76, ex parvis, tres pariter in inferno esse testes, scilicet vermem quo roditur conscientia, ignem quo crematur corpus et anima, ac desperationem : « Quia vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur, » *Isaiæ*, LXVI, 24. « His qui in cœlo sunt, ait S. Bernardus, datur testimonium beatitudinis; his qui in terra, justificationis; his qui in inferno sunt, damnationis. Primum testimonium est gloriæ, secundum gratiæ, tertium iræ. »

Denique Baronius, tom. II, anno Christi 106, censet S. Joannem hic perstringere Elxai hæresiarcham, ejusque fratrem Jexeo, qui, ut ait S. Epiphanius, *hæres.* 19, « a Judæis oriundus, et cum Judæis sentiens, etc., introducens salem et aquam, et terram et panem, et cœlum, et æthera et ventum, jusjurandum ipsis in divinum cultum præfinivit ac tradidit. Aliquando vero rursus alios septem testes præscripsit, cœlum, inquam, et aquam, et spiritus et sanctos angelos orationis, et oleum, et sal, et terram; » et cap. XXX : « Cum, inquit, quis ex ipsis aut in morbum inciderit, aut a reptili morsus fuerit, descendit in aquas, et invocat cognomina in Elxai relata, cœli ac terræ, salis et aquæ, ventorum et angelorum justitiæ, et panis et olei, et incipit dicere : Opem ferte mihi et amovete a me dolorem. » Hisce ergo fictitiis et superstitiosis septem testibus Jexeo hæretici, S. Joannes opponit sex veros testes, tres cœlestes, et tres terrestres. Fuit enim hic Jexeo cum Elxai, synchronos et coævus S. Joanni ; floruit enim anno Christi 106, S. Joannes vero vixit ad annum Christi 101.

SPIRITUS, ET AQUA, ET SANGUIS. — Hyginus Pontifex, *epist.* 1, et Joannes II, *epist.* 1, ac Idacius, lib. *De Trinit.*, legunt, « aqua, sanguis et caro. » Sed perperam : Græci enim, Syri et Latini codices habent « Spiritus, » non, caro ; hæc enim includitur in sanguine.

ET HI TRES UNUM SUNT. — Quidam Latini codices et Græci, ut Complutenses et Regii, carent hisce verbis; vide Franciscum Lucam, *Annot.* 213. Unde S. Thomas, *Opusc.* XXIV, in 2 decretalem, ait hæc ab Arianis esse apposita, ut inde a pari colligerent tres personas dici unum non essentialiter, sed testificative ; plerique tamen Latini ea legunt et correctiores Græci; sed sic, « et hi tres in unum sunt; » et Syrus, « hi tres in uno sunt, » *q. d.* Hi tres, puta aqua, sanguis et spiritus Christi non sunt unum, sicut unum sunt Pater, Filius et Spiritus Sanctus ; sed « in unum, » id est ad unum, scilicet Christum, Christique humanitatem, aut mystice ad unam justificationem et perfectionem nostram referuntur. Unde Idacius, lib. *De Trinitate*, legit, « et tres in nobis sunt ; » sed contra fidem cæterorum codicum. *Secundo*, « in unum, » scilicet testimonium de Christo Deo et homine mediatore, redemptore et justificatore conspirant. Audi S. Augustinum lib. III *Contra Maximinum*, cap. XXII : « Unum sunt, inquit, aqua, sanguis, spiritus, concordia quadam testandi ; Pater, Verbum, Spiritus, unitate præterea naturæ. » Nam, ut ait Innocentius III, in Concilio Lateranensi, « inter Creatorem et creaturam non potest tanta similitudo notari, quin inter eos major sit dissimilitudo notanda. »

9. SI TESTIMONIUM HOMINUM ACCIPIMUS, TESTIMONIUM DEI MAJUS EST, — *q. d.* Si testimonio hominum fidem adhibemus, multo magis fidem adhibere debemus testimonio Dei de Christo, quia majus est, tum dignitate et auctoritate, tum veritate et certitudine ; est enim testimonium Dei, qui omnes homines et angelos in immensum superat majestate et veracitate, adeoque est ipsa prima et summa veritas, quæ mentiri, falli aut fallere ne-

quit. Quocirca asseverat Paulus, *Rom.* III, 4 : « Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax. » Porro testimonium Ecclesiæ, Apostolorum et Prophetarum est testimonium Dei ; Ecclesia enim regitur a Spiritu Sancto, qui est Spiritus veritatis ; ac « Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines, » ait S. Petrus I *epist.* I, vers. 21. Sic Joannes Baptista a Deo missus fuit, ut esset testis et præco Christi, *Joann.* I, 7. Sic elementa omnia, saxa fissa in morte Christi, terra contremiscens, sol et luna cum sideribus obscurata, mortui resurgentes, vim Christi divinam sentientia, ei testimonium perhibuerunt. Unde D. Thomas, serm. 1 *De Pentecoste*, numerat duodecim testes Christi : Christum enim testimonium habuisse, *primo*, a Deo Patre ; *secundo*, a Filio ; *tertio*, a Spiritu Sancto ; *quarto*, ab angelis ; *quinto*, a Sanctis ; *sexto*, a miraculis ; *septimo*, a cœlo ; *octavo*, ab aere ; *nono*, ab aqua ; *decimo*, a terra ; *undecimo*, ab igne ; *duodecimo*, ab inferno. Testimonia ergo Dei de Christo credibilia facta sunt nimis, adeo ut fideles, si fallantur, dicere possint : « Si fallimur, a Deo decepti sumus, » ait Richardus Victorinus, lib. I *De Trinit.*, cap. II.

QUONIAM HOC EST TESTIMONIUM DEI, QUOD MAJUS EST. — Vox *quoniam* non tam est causalis, quam exegetica et explicativa, idemque valet quod *porro*, vel *autem*, *q. d.* Hoc autem « est testimonium Dei, etc., quoniam, » id est *quod* (Græce enim est pronomen relativum ἥν) « testificatus est de Filio suo, » dum scilicet in baptismo Christi aliasque sæpe testatus est, et dixit de Christo : « Hic est Filius meus, ipsum audite, » ut dixi vers. 7. Porro « testimonium » hic idem est quod veritas a Deo testata. Est metonymia, de qua mox (1).

10. QUI CREDIT IN FILIUM DEI, HABET TESTIMONIUM DEI IN SE. — *Primo*, quia habet in se rem testatam a Deo, puta hanc veritatem quod Christus sit Filius Dei.

Secundo, quia habet in se ipsum Dei testimonium, ipsumque Deum attestantem. Ideo enim credit Christum esse Filium Dei, quia credit Deum hoc revelasse, Deumque hoc esse testatum per Prophetas, Apostolos, miracula, etc. : objectum enim formale fidei est Dei revelatio : ideo enim credimus articulis fidei, quia credimus eos a Deo, qui est prima et infallibilis veritas, esse revelatos et testatos.

Tertio, testimonium hoc est ipsa fides, qua credimus testimonio Dei, ut sit metonymia, qua objectum ponitur pro habitu vel actu tendente in objectum, *q. d.* Qui credit, habet singulare Dei donum, puta fidem, quæ includit testimonium Dei, Deumque attestantem, quod eum mire ornat et roborat ad Christi confessionem, et cultum retinendum et propagandum.

Quarto, hoc testimonium accipi potest de ipsa credentis regeneratione, adoptione, gratia et gloria, *q. d.* Qui credit in Filium Dei, hic habet in se testimonium Dei, quo scilicet Deus attestatur ejus animæ et conscientiæ ipsum per hanc fidem qua in Christum credit, eique obedit, esse fidelem, justum, filium et hæredem Dei, cohæredem autem Christi. Unde idipsum explicans S. Joannes mox subdit, vers. 11 : « Et hoc est testimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus, et hæc vita in Filio ejus est. » Ita Beda et Œcumenius (2).

QUI NON CREDIT FILIO, MENDACEM FACIT EUM. — *q. d.* Sicut qui credit Filio, Deique de eo testimonium recipit, hic veracem facit Deum eumque honorat et colit ; credendo enim Deo, testatur Deum esse primam et infallibilem veritatem : ita ex adverso, qui non credit Filio, Deique de eo testimonium respuit, hic mendacem facit Deum, eique gravem ignominiam et injuriam irrogat. Reipsa enim dicit Deum, qui dicit Christum esse Filium suum, mentiri, quod est blasphemia execranda.

Nota : Pro *credit* græce est πεπίστευκεν, id est *credidit*, in præterito ; sed Joannes præteritum more Hebræo usurpat pro quovis tempore. « Credit » ergo, id est, credit, credidit, credet. Sic pro *facit* græce est πεποίηκεν, id est *fecit*, hoc est, facit, fecit, faciet.

11. ET HOC EST TESTIMONIUM (*q. d.* Hæc est pars, æque ac fructus testimonii Dei jam dicti, nimirum) QUONIAM (quod) VITAM ÆTERNAM DEDIT NOBIS DEUS, ET HÆC VITA IN FILIO (per Filium, puta per fidem in Filium) EJUS EST. — Hoc ipsum enim est *primo*, pars testimonii Dei de Christo ; Deus enim non tantum testatus est Christum esse filium suum, sed et eum esse nostrum salvatorem et redemptorem, ita ut qui credit in ipsum, justificetur, et acquirat vitam spiritualem gratiæ et gloriæ. Ita Glossa et Thomas Anglicus.

Secundo, hoc ipsum est finis et fructus testimonii, hoc est fidei, qua credimus testimonio Dei testantis Christum esse Filium suum, nimirum quod per hanc fidem obtineamus vitam gratiæ et gloriæ. Alludit et quasi citat Joannes illud sui Evangelii cap. XVII, 3 : « Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum. » Vide quæ de hac Christi vita dixi cap. I, vers. 2. Ita Lyranus et Glossa. Simili phrasi dixit S. Joannes, cap. IV, 9 : « In hoc (id est, ad hoc, hoc fine et fructu) apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum ; » et vers. 13 : « In hoc cognoscimus quoniam in eo manemus, et ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis ; » et vers. 17 : « In hoc (id est hoc fructu) perfecta est charitas Dei nobiscum, ut fiduciam habeamus in die judicii. »

« Porro Deus dedit nobis vitam æternam, inquit

(1) Rosenmullerus : Nam istud (testimonium, de quo vers. 6 dixerat) pro ipsius Dei testimonio habendum est, quod testatur de Filio suo. Allioli : Ipse autem Deus hoc majus testimonium de Filio suo reddidit.

(2) « Habet, » id est *recipit, admittit.*

Beda, sed adhuc in terra peregrinantibus in spe, quam daturus est in cœlis ad se pervenientibus in re. » Voce ergo *dedit* significat S. Joannes firmitatem et certitudinem promissionis divinæ, æque ac spei nostræ; quod scilicet ita certi simus de vita æterna, si in fide et obedientia Christi perseveremus, perinde ac si actu ea de nobis data esset, eamque reipsa possideremus. Hinc ait Paulus : « Spe salvi facti sumus, » *Rom.* cap. VIII, 23 ; et *Hebr.* VI, 17 : « Abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum, ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem : quam sicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam, et incedentem usque ad interiora velaminis, ubi præcursor pro nobis introivit Jesus, secundum ordinem Melchisedech pontifex factus in æternum. »

Phœnix est Christus et Christianus.

Hanc vitæ æternæ fidem et spem repræsentarunt prisci Christiani per phœnicem, qui moriens fertur renasci et resurgere in vitam vegetam et juvenilem, teste Lactantio in Carm. *De Phœnice* ; quocirca eum in sepulcris fidelium depingebant. Ita S. Cæcilia, ut habent ejus Acta, jussit ut in sarcophago S. Maximi Martyris sculperetur phœnix, ad indicium fidei ejus, qui resurrectionem se inventurum phœnicis ad instar credidit. Sic et Romæ in cryptis subterraneis, multorum fidelium tumulis insculptus visitur phœnix, quasi resurrectionis et vitæ æternæ symbolum : Christus enim resurgens in vitam æternam, noster est phœnix, qui Christianos resuscitans in eamdem vitam, eosdem pariter faciet phœnices.

12. QUI HABET FILIUM (per fidem, amorem et obedientiam, credendo, amando et obediendo illi, itaque manens in Deo, et Deus in eo, uti dixit cap. IV, vers. 16), HABET VITAM, — gratiæ in re, gloriæ in spe. Alludit ad illud sui Evangelii, cap. III, vers. 35 : « Qui credit in Filium, habet vitam æternam ; qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. » Ita Paulus, *Galat.* II, 20 : « Christo, inquit, confixus sum cruci : vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus, » *q. d.*, ait S. Gregorius, hom. 32 *in Evang.* : « Extinctus est sævus ille persecutor, et vivere cœpit pius prædicator. Ego quidem a memetipso extinctus sum, quia carnaliter non vivo ; sed tamen essentialiter mortuus non sum, quia in Christo spiritualiter vivo. » Nam, ut ait S. Dionysius, cap. IV *De Divin. Nom.* : « Exstasin facit divinus amor, amatores suo statu dimovet, et sui juris esse non sinit, sed in ea quæ amant penitus transfert : idcirco et Paulus ille magnus cum divino amore flagraret, excessivæ illius virtutis particeps factus : Vivo (inquit) jam non ego, vivit vero in me Christus, tanquam verus amator mentis excessum patiens. » Et Gregorius Nyssenus, homil. 5 *in Cant.* : « Mihi, inquit, vita Christus est : hisce verbis tantum non clamat Apostolus, nullam in se affectionem humanam vivere, non fastum, non timiditatem, non voluptatem, non dolorem, non iram, non metum, non audaciam, non injuriarum memoriam, non invidiam, non vindictæ, avaritiæ, honoris aut gloriæ cupidinem ; sed his omnibus abrasis, solus (inquit) ille mihi superest, qui nihil est horum, qui est ipsa sanctificatio, et puritas, et immortalitas, et lumen, et veritas, qui pascitur inter lilia in splendoribus Sanctorum. »

13. HÆC SCRIBO VOBIS, UT SCIATIS QUONIAM VITAM HABETIS (inchoate per fidem, puta in spe, unde Thomas Anglicus legit *habebitis*) ÆTERNAM, QUI CREDITIS (fide viva, quæ per dilectionem operatur) IN NOMINE FILII DEI, — hoc est, nomini Filii Dei, puta ipsi Filio Dei. « Nomen » enim ponitur pro re nominata et per nomen significata, metonymice. Alludit ad illud sui Evangelii, cap. XX, vers. 31 : « Hæc autem scripta sunt ut credatis, quoniam Jesus est Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus. » Græca hic addunt, « ut credatis in nomine Filii Dei. » Unde Kemnitius carpit Latinam Vulgatam quasi mutilam. Sed respondeo illa verba redundare in Græco, etiam teste Erasmo ; nam cum dictum sit : « Hæc scribo vobis, qui creditis in nomine Filii Dei, » quorsum additur et iteratur : « Ut credatis in nomine Filii Dei? » Hoc enim est battologia, et inanis ac verbosa ejusdem rei repetitio. Vers. 13.

Recenset hic S. Joannes tres fructus vivæ fidei in Christum. *Primus* est vita æterna, hoc versu. *Secundus*, fiducia impetrandi quidlibet a Deo, vers. 14. *Tertius* est plena peccati fuga, et moralis quasi impeccabilitas, vers. 18.

14. ET HÆC EST FIDUCIA (hic est secundus fidei fructus ; fides enim parit fiduciam) QUIA QUODCUMQUE (id est, ut Græca habent et Vatablus, *quod si quid*) PETIERIMUS SECUNDUM VOLUNTATEM EJUS (quod scilicet ejus voluntati et legi conforme est, puta pertinens ad Dei gloriam et nostram salutem), AUDIT NOS, — id est, exaudit nos, et petita largitur. Hugo et alii nonnulli legunt « audiet nos : » vide dicta cap. III, vers. 21. Vere S. Augustinus, tract. 73 *in Joan.* : « Quodcumque petimus, inquit, adversus utilitatem salutis, non petimus in nomine Salvatoris ; » et alibi : « Manendo quippe in Christo, quid velle possunt, nisi quod convenit Christo? Quid velle possunt manendo in Salvatore, nisi quod non est alienum a salute? » Vers. 14.

15. ET SCIMUS, etc. — Græca addunt ἐάν, id est *si*, tuncque oratio totius versus magis est connexa. Unde Tigurina ex Græco sic vertit, *Et si scimus quod audit nos, quidquid petierimus, scimus quod habemus petitiones* (id est, res petitas, puta ea quæ petimus) *quas postulavimus ab eo* ; et Syrus, *Quod si persuasum habemus quod audit nos, quidquid petierimus ab eo, confidimus nos jam recepisse petitiones nostras, quas postulavimus ab eo.* Juxta Græca ergo liquet non esse inanem hic Vers. 15.

ejusdem rei iterationem, nec etiam juxta Latinam nostram editionem : ea enim precandi studium excitat et inflammat, ait Beda. Addit Didymus S. Joannem loqui de se suisque similibus : idipsum enim expertum esse crebro se quidquid a Deo postularet, protinus impetrare. Idipsum experiuntur qui magna confidentia, instantia et perseverantia Deum precantur (1).

Audi S. Gregorium, in *Psal.* VI *Pœnitent.* : « De profundis clamavi ad te. Non ait : Clamo, sed Clamavi; habes in hoc perseverantiæ documentum, ut, si primo non exaudiris, ab oratione non deficias, imo precibus et clamori insistas. Vult Deus rogari, vult cogi, vult quadam importunitate vinci; ideo tibi dicit : Regnum Dei vim patitur, et violenti rapiunt illud. Esto ergo sedulus in oratione, esto in precibus importunus, cave ne ab oratione deficias. Si dissimulat audire quem rogas, esto raptor, ut regnum cœlorum accipias; esto violentus, ut vim etiam ipsis inferas cœlis : quid hac rapina locupletius? quid hac gloriosius violentia? Bona violentia qua Deus non offenditur, sed placatur; proximus non læditur, sed juvatur; peccatum minuitur, non multiplicatur. » Vide in eumdem *Psalm.* S. Chrysostomum. Idem Chrysostomus, lib. I *De Orando Deo*, orationem vocat animæ vitam, ac proinde animam orationis expertem ait esse mortuam. Et mox orationem vocat nervos animæ : « Sicut enim, inquit, corpus nervis cohæret, currit, vivit, stat et compactum est, adeo ut, si nervos incideris, universam corporis harmoniam dissolveris : itidem animæ per sanctas preces sibi constant et compinguntur. Quid si te ipsum destitueris deprecatione, perinde feceris ac si piscem ex aquis extraxeris : ut enim pisci vita est aqua, ita tibi deprecatio; per hanc datur velut ex aquis subvolare, cœlumque transcendere. » Rursum alibi : « Magna arma sunt preces, magna securitas, magnus thesaurus, magnus portus, refugii locus : oratio enim colloquium est cum Deo; quod ut scias, audi Prophetam dicentem : Jucundum sit Deo eloquium meum, hoc est, sermo meus appareat Deo. » Et S. Gregorius Nyssenus, lib. *De Oratione* : « Oratio, inquit, corporum robur est, abundantia domus, recta legum ac juris in civitate constitutio, regni vires, belli trophæum, pacis securitas, dissidentium conciliatio, conjunctorum conservatio; oratio virginitatis sigillum est, matrimonii fides, viatoribus scutum, dormientium custos, vigilantium fiducia, agricolarum fertilitas, navigantium salus, ejusdem cum angelis honoris conditio, præsentium fructus, futurorum repræsentatio. » Huc accedit S. Ephrem Syrus : « Desidera, inquit, orationem, familiare cum Deo colloquium; omnis enim oratio sancta et pura cum Deo familiariter agit. Oratio autem perfecte Deum desiderantium magna cum lætitia, fiduciaque multa, ipsum etiam cœlum jugiter penetrat. In ipsa Angeli atque Archangeli exultant, et coram throno sancti et excelsi universorum Domini illam statuunt. »

16. QUI SCIT FRATREM SUUM PECCARE PECCATUM NON AD MORTEM, PETAT, ET DABITUR EI VITA PECCANTI NON AD MORTEM (S. Ambrosius, lib. I *De Pœnitent.*; cap. IX, et Tertullianus, lib. *De Pudic.*, cap. II, legunt, *quia non peccat ad mortem*). EST PECCATUM AD MORTEM, NON PRO ILLO DICO (S. Augustinus loco mox citando legit, *non præcipio*) UT ROGET QUIS,— *q. d.* Dixi eum qui credit in Christum fiducialiter orando quidvis impetrare a Deo; unde infero addoque : Si quis sciat fratrem peccare quodlibet peccatum, obsecret pro eo, et dabit ei Deus pœnitentiam, veniam et vitam, tum gratiæ, tum gloriæ. Excipio tamen peccatum ad mortem, *q. d.* Si frater peccarit peccato non ad mortem, ora pro eo, et certo spera te exauditum iri. Sin autem peccat peccato ad mortem, non ausim spondere, nec certo sperare quod ei veniam impetrabis; non tamen omnino orationem veto; ora, si velis, sed sub dubio impetrandi. Unde S. Ambrosius : Non quivis, ait, de populo, sed vir eximiæ sanctitatis pro tali orare debet.

Peccatum ad mortem quod? Resp. Primo.

Quæres quodnam sit « peccatum ad mortem? » Respondeo *primo* : Tertullianus, lib. *De Pudicit.*, cap. II et XIX, et Armacanus, lib. IX *Quæst. Armen.*, cap. XXVII, ex hoc loco censent quædam peccata gravissima, qualia fuere dæmonum, dum adhuc essent in via, vere esse irremissibilia etiam in hac vita, et tale censet esse Tertullianus mœchiam post baptismum commissam. Verum hic est error damnatus in Scriptura et Concilio Lateranensi sub Innocentio III.

Secundo, Origenes, homil. 12 *in Exod.*, censet esse peccatum quod ducit in interitum, et in gehennam protrahit.

Tertio, Turrianus, lib. IV *Pro Epist. Pont.*, cap. III, censet esse peccatum cui annexa est excommunicatio : excommunicatus enim est impœnitens, et pro excommunicato publica Ecclesiæ oratione orare non licet. Verum S. Joannes negat pro tali orandum oratione qualibet, etiam privata.

Quarto, S. Augustinus, lib. I *De Serm. Domini in monte*, cap. XXII, et serm. 59 *De Temp.*, eumque secutus Beda hic, censent esse peccatum invidentiæ, quo quis invidet fratri gratiam, virtutem et salutem : « Cum post agnitionem Dei, inquit, oppugnant fraternitatem, et adversus ipsam gratiam qua reconciliati sunt Deo, invidiæ facibus agitantur. » Verum idipsum moderatur et restringit S. Augustinus, lib. I *Retract.*, cap. XIX. Unde

Quinto, idem S. Augustinus, ibid., et lib. *De Corrept. et Gratia*, cap. XII, et S. Gregorius, lib. VI *Moral.*, cap. XXXI; Gelasius, lib. *De Anathem.*; Pacianus, *epist.* 3; Beda, Lyranus hic, Magister in II *Sent.*, dist. XLIII, et S. Thomas, III *part.*, *Quæst.*

(1) Vulgatum Interpretem sic exponit Allioli : Scimus eum nos exaudire, scimus, inquam, quia res petitas ab eo jam habemus et possidemus.

LXXXVI, art. 1, ad 2, ibidem Valentia, Suarez et alii, putant esse peccatum in quo quis ad mortem usque perseverat. Noster Lorinus censet esse peccatum odii et homicidii, quo quis sibi vel aliis mortem consciscit; de eo enim dixit Joannes, cap. III, vers. 15 : « Qui odit fratrem suum, homicida est. » Alii censent esse peccata reproborum et damnandorum. Sed incertum est quinam et quænam illa sint; Joannes autem ait : « Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem. »

Sexto, Glossa censet esse quodvis peccatum mortale. Pro hoc enim orare quasi ex officio solius est sacerdotis, ad cujus examen castigari debet peccator; cum pro venialibus orare possit quivis laicus. Sic et Cassianus, *Collat.* XI, cap. X, et Origenes, hom. 12 *in Exodum.* Favet et Syrus qui vertit, *peccatum quod non condemnat ad mortem.* Verum contrarium significat Joannes, dum subdit : « Et dabitur ei vita; » hoc enim innuit eum loqui de peccato mortali, non veniali, cum jubet orari pro peccato, quod non est ad mortem.

Septimo, S. Hieronymus in cap. XIV *Jeremiæ* censet esse peccatum gravius, quod Deus punire decrevit. « Qui enim semel, inquit, gladio, fame et pesti fuerit destinatus, nullis precibus erui potest. Unde et Prophetæ dicitur : Ne frustra roget, quod impetrare non potest. » Sic et S. Bernardus, *De Grad. hum.*, cap. ult.; Bonaventura in II, dist. XLIII, dub. 1; ibidem D. Thomas, et Suarez, III *part.*, tom IV, disp. VIII, sect. 1.

Octavo. *Octavo,* Dionysius censet esse peccatum finalis impœnitentiæ. Unde Roffensis, art. 17 *Contra Lutherum,* hinc probat Purgatorium, quia scilicet S. Joannes orandum dicit pro iis qui non sunt finaliter impœnitentes, hoc est, qui decedunt justi vel pœnitentes, utique non ob aliud nisi ut pœnis Purgatorii liberentur; pro impœnitentibus autem non esse orandum, nisi aliud suadeat peculiaris Dei revelatio, ex qua S. Agnes amasium ab angelo occisum orando resuscitavit. Sic ferunt S. Gregorium orasse pro anima Trajani Imperatoris eique salutem impetrasse. Verum hæc est fabula, ut recte ostendunt Baronius, Bellarminus et alii.

Nono. *Nono,* Anastasius Nicænus, Quæst. LVIII *in Script.*, censet esse peccatum in Deum, v. g. blasphemiam, de quo dicitur I *Reg.* II, 25 : « Si peccaverit quis in Deum, quis orabit pro eo? » De quo S. Hieronymus, lib. II *Contra Jovinianum* : « In Deum, ait, peccare, id est, ab ejus cultu recedere, impietatis peccatum est difficiliorque remissio. » Aut esse peccatum quod quis sciens committit : pro hoc enim non esse orandum, quia peccans seipsum potest corrigere et convertere cum gratia Dei.

Decimo. *Decimo,* Gagneius censet esse peccatum apostasiæ et infidelitatis, qua quis fide ad hæresin vel idololatriam desciscit.

Undecimo, S. Hilarius in *Psalm.* CXL, censet esse peccatum quod destinato et ex malitia committitur.

Duodecimo, S. Ambrosius, lib. I *De Pœnitentia,* cap. VIII et IX, censet esse quodvis peccatum gravissimum, quod vix remittitur. Œcumenius censet esse propositum perseverandi in quolibet peccato, v. g. in retinenda et vindicanda injuria. Duodecimo.

Pleræque hæ sententiæ veræ sunt, et ex parte rem attingunt, imo eodem vergunt, sed punctum difficultatis pauci acu tangunt, uti mox liquebit.

Mea sententia est, « peccatum ad mortem » esse quodvis gravissimum, quod ob sui enormitatem, vel consuetudinem, obstinationem et malitiam, juxta legem communem per gratiam quam Deus ordinarie dare solet, est quasi immedicabile, incorrigibile et insanabile. Sic peccatum Judæ quo prodidit Christum, fuit peccatum ad mortem, quia adegit eum ad desperationem et laqueum, mortemque præsentem et æternam. Sic peccatum Sodomorum fuit peccatum ad mortem, quia enorme, et ob consuetudinem obstinatam incorrigibile, ideoque cœlesti igne punitum. Sic peccatum Judæorum blasphemantium et occidentium Christum fuit peccatum ad mortem, quia immane et pertinax, ideoque communi gentis excidio per Titum vindicatur, uti eis prædixerat et comminatus erat Christus : et ante Christum Isaias intonans cap. I, vers. 4 : « Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis! dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum. A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas; vulnus et livor et plaga tumens. » Et Jeremias, cap. VI, vers. 29 : « Frustra conflavit conflator : malitiæ enim eorum non sunt consumptæ. Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus projecit illos. » Et cap. XXX, 22 : « Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua, non est qui judicet judicium tuum ad alligandum, curationum utilitas non est tibi. » Hæc est sartago ferrea Hierosolymæ, quam vidit Ezechiel, cap. IV, vers. 3. Itaque peccatum ad mortem est peccatum palmare et immedicabile, cujus desperata est venia et salus, quodque adeo iram Dei provocat, ut communes Sanctorum preces illam placare nequeant, ideoque ipsum pene certo et infallibiliter peccantem ad mortem tum corporis tum animæ, puta in gehennam, comitatur et deducit, nisi insignis aliquis sanctus, et quasi novus Moses, ei extraordinariam gratiam et veniam a Deo impetret. Sicut enim peccatum mortale dicitur, quod animam privat gratia quasi vita, itaque ei mortem spiritualem, sed primam affert : ita peccatum ad mortem, sive mortiferum hic dicitur, quod ei mortem secundam, puta damnationem, conciliat. Rursum, sicut vulnus vel infirmitas ad mortem dicitur, quæ ægrotanti mortem corporalem infert : sic peccatum ad mortem vocatur, quod ei mortem spiritualem irrogat, puta quod ad mortem durat, indeque peccantem transmittit ad mor-

tem æternam in gehenna. Sicut ergo medicus accitus ad ægrotum, eumque explorans dicit : Nequeo eum curare, ægrotat ad mortem, partes vitales læsæ sunt, desperatum est de ejus salute, morbus est lethifer : sic fidelis, ait S. Joannes, viso apostata et hæretico dicat : Non ausim pro eo orare; peccat enim peccato ad mortem, partes vitales læsæ sunt, abjicit fidem quæ est principium vitæ spiritualis, desperatum est de ejus salute, « peccatum est invisceratum, » ait S. Gregorius, lib. VI *in Reg.*, ideoque mortiferum, dæmoniacum et gehennale. Hæc est mens et sententia S. Augustini, Hieronymi, Origenis, Œcumenii, Bernardi, Bonaventuræ, S. Thomæ, S. Hilarii et Gagnei locis jam citatis, et S. Cypriani *De Exhort. Martyr.*, cap. IV. Alludit S. Joannes ad illud S. Job cap. XXIV, 19 : « Usque ad inferos peccatum illius, » scilicet deducet peccantem; et ad illud Christi ad Pharisæos sibi incredulos, *Joann.* VIII, 21 et 24 : « Ego vado, et quæretis me, et in peccato vestro moriemini. » Ex quo loco colligimus, licet peccatum ad mortem sit varium et multiplex, uti impœnitentia, obstinatio, propositum perseverandi in peccato quolibet usque ad mortem, etc., proprie tamen S. Joannem per peccatum ad mortem respicere et intelligere peccatum quo quis fidelis a Christi fide et Ecclesia discessit, illamque malitiose impugnat, aliosque ab illa ad suam hæresim, vel idololatriam traducere et pervertere satagit, quod illo Joannis ævo nonnulli faciebant, magno ejus dolore, metu et mœrore. Quare ut ab eo fideles deterreat, vocat illos peccatores ad mortem.

Id ita esse colligimus *primo*, ex Evangelio S. Joannis, cap. VIII, 24, jam citato, ubi sic Pharisæis obstinate sibi resistentibus, ait Christus : « Dixi ergo vobis quia moriemini in peccatis vestris. Si enim non credideritis quia ego sum (Messias Salvator), moriemini in peccato vestro. » Ergo peccatum ad mortem fratris, id est fidelis, est illud quo quis apostatans a fide amplius non credit in Christum, et in hac perfidia obstinate vult permanere usque ad mortem. Unde dicitur hoc peccatum « ad mortem, » *primo*, quia solet durare per totam vitam, usque ad mortem. *Secundo*, quia ad mortem gehennæ quasi certo deducit. *Tertio*, quia aufert fidem, quæ est fundamentum et principium vitæ spiritalis; reliqua enim peccata, quia peccatori relinquunt fidem, hinc relinquunt ei aliquid vitæ spiritalis, et spem resurgendi : hoc vero peccatum, quia fidem aufert, hinc peccatori tollit omnem vitam, omnemque spem pœnitendi et resurgendi. *Quarto*, quia a Deo ordinarie non remittitur, sed destinatur ac addicitur morti præsenti et æternæ. Alludit ad illud de Nabuchodonosor dictum, *Jeremiæ* XLIII, 11 : « Percutiet terram Ægypti : quos in mortem, in mortem; et quos in captivitatem, in captivitatem; et quos in gladium, in gladium. » Et cap. XVII, vers. 1 : « Peccatum Judæ scriptum est stylo ferreo, in ungue adamantino, exaratum super latitudinem cordis eorum. » Quo loco S. Gregorius : « In ungue, inquit, finis est corporis; ita vero lapis durus est adamas, ut ferro non valeat secari. Per stylum vero ferreum fortis sententia, per unguem vero adamantinum finis signatur æternus. Peccatum itaque Judæ stylo ferreo, in ungue adamantino scriptum dicitur, quia culpa Judæorum per fortem Dei sententiam in fine servatur infinito. »

Cur dicitur ad mortem?

Secundo, idipsum colligitur ex eo, quod S. Joannes tota hac Epistola non aliud inculcat, quam fidem et amorem Christi, ac amorem fraternum; quare videtur peccatum ad mortem utrique opponere, ac consequenter per illud intelligere apostasiam a Christo et Ecclesia, quæ non est aliud quam cœtus fratrum, puta fidelium in fide, cultu et amore Christi conspirantium.

Tertio, quia hoc apostatarum peccatum taxant S. Petrus, *epist.* II, toto cap. II; S. Judas tota *Epistola*; S. Joannes, cap. III, vers. 1 et seq.; S. Paulus, *Hebr.* IV. Tertio.

Quarto, quia hoc peccatum est enorme et incorrigibile, tum quia est peccatum ex certa scientia et malitia; tum quia directe contra Christum et Ecclesiam committitur; tum quia apostata post tot a Christo recepta beneficia ingrate et imprudenter illum, illiusque dona aspernatur, conculcat, profanat, impugnat; itaque fontes divinæ gratiæ et clementiæ sibi claudit, omnemque medicinam et medium ad remissionem excludit. Opponit enim se directe Christo, a quo solo speranda est salus; eumque a se abigit, imo blasphemat, a quo solo curari potest et debet : sicut morbus dicitur incurabilis, qui medicinam et cibum non admittit. Unde Paulus *ad Hebr.*, cap. VI, vers. 4 : « Impossibile, ait, est eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, et participes facti sunt Spiritus Sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, et prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam, rursus crucifigentes Filium Dei, et ostentui habentes. » Et cap. X, vers. 24 : « Non deserentes collectionem (Ecclesiam, cœtum fidelium) nostram, sicut consuetudinis est quibusdam, etc. Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia; terribilis autem quædam expectatio judicii, et ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios. Irritam quis faciens legem Moysi sine ulla miseratione, duobus vel tribus testibus moritur : quanto magis putatis deteriora mereri supplicia qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, et spiritui gratiæ contumeliam fecerit. » Quarto.

Quinto, quia S. Joannes passim Christum vocat vitam nostram, eo quod per fidem et gratiam ejus ducimur et tendimus ad vitam æternam; peccatum ergo ad mortem, est infidelitas in Chris-

tum, qui est vita nostra. Sicut enim fides Christi est vita animæ, ita infidelitas in eumdem est mors animæ. Audi S. Joannem in *Evang.* cap. v, vers. 24 : « Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, et credit ei qui misit me, habet vitam æternam, et in judicium non venit, sed transiit a morte in vitam, » etc. Et cap. xi, vers. 25, dicit Christus Marthæ : « Ego sum resurrectio et vita; qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet, et omnis qui vivit et credit in me, non morietur in æternum, » etc.

Blasphemia in Spiritum Sanctum, quæ?

Ex dictis patet peccatum ad mortem distingui a blasphemia in Spiritum Sanctum, de qua *Matth.* xii, 31, licet hæc illi sit cognata et affinis. Nam Christus, *Matth.* xii, vocat peccatum in Spiritum Sanctum blasphemiam Scribarum, qui calumniabantur miracula Christi, ejusque opera divina et sancta, ut ejectionem dæmonum, quæ faciebat vi et virtute Spiritus Sancti, eaque ascribebant spiritui immundo, puta Beelzebub et dæmoni, idque scienter et ex malitia. Facile enim scire poterant et debebant illa fieri a Spiritu Sancto, non a dæmone. Christus enim opponit blasphemiam hanc in Deum et Spiritum Sanctum blasphemiæ in Filium hominis, qua nonnulli offensi humana conversatione et familiaritate Christi, facta ejus humana calumniabantur; vocantes eum vini potorem, amicum publicanorum, etc., quod proinde minus et excusabilius erat peccatum, ideoque minus venia indignum, et facilius remissibile : ita Hieronymus, Chrysostomus, Ambrosius et alii passim in *Matth.* xii, vel *Lucæ* xii. Sicut ergo illa erat blasphemia in Spiritum Sanctum, ita hic peccatum ad mortem est blasphemia et perfidia in Christum; et sicut illa difficile remittitur, ita et hæc.

Anagogice peccata ad mortem sunt peccata blasphemiæ, iræ, desperationis, maledicentiæ damnatorum et dæmonum in inferno : hæc enim est mors secunda, *Apocal.* xx, 14. Hi enim sunt sicut oves in inferno, ubi mors depascet eos in æternum.

Tropologice peccatum ad mortem primo, est apostasia.

Tropologice peccatum ad mortem est, *primo*, apostasia ab Ordine, vel Religione, cum scilicet quis sacerdos, vel Religiosus a suo statu et gradu apostatat, fitque laicus, vel sæcularis; hoc enim peccatum durare solet usque ad mortem, et apostatantem ducere in gehennam. Quin et Deus tales in hac vita solet punire subitanea vel misera et infami morte, ut hos gladio, illos laqueo, alios igne, etc., plectat. Vide Hieronymum Platum, lib. III *De Bono status relig.*, cap. xxxvii, et Dionysium Carthusianum in *Scala cœli*.

Secundo, peccatum ad mortem est obstinatio, propositum perseverandi in peccato, v. g. odio, rixa, concubinatu, habitus et consuetudo peccandi. Unde discas quam perniciosum sit induere pravum habitum et consuetudinem : hæc enim per omnem vitam durat usque ad mortem præsentem et æternam; consuetudo enim est altera natura; et qualis homo vivit, talis et moritur, ait S. Augustinus. Hoc est quod ait *Jerem.* xiii, 23 : « Si potest Æthiops mutare pellem suam, et pardus varietates suas : ita et vos poteritis benefacere cum didiceritis malum. » Vide ibi dicta. Consuetudo enim inducit dedolentiam, ut peccator nullum peccati habeat sensum, nullum scrupulum, nullum remorsum, ac tandem peccatum putet non esse peccatum, juxta illud *Jerem.* v, 3 : « Percussisti eos, et non doluerunt; attrivisti eos, et renuerunt accipere disciplinam; induraverunt facies suas supra petram, et noluerunt reverti. » Et Isaias, cap. v, vers. 20 : « Væ qui dicitis malum bonum, et bonum malum; ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras; ponentes amarum in dulce, et dulce in amarum! » Tales sunt in peccato ad mortem, quia anima eorum exiguo tantum muro corporis distat a morte gehennæ.

Hoc peccatum non est cujusvis curare, sed solius Christi. Sic enim peccans similis est Lazaro, de quo ait Martha ad Christum, *Joann.* xi, 39 : « Domine, jam fœtet, quatriduanus est enim. » Unde Jesus magno molimine lacrymans, suspiciens in cœlum, magnaque voce clamans : « Lazare, veni foras, » eum suscitet oportet.

Tertio, est invidia.

Tertio, peccatum ad mortem est odium et invidia; hoc enim fratri sæpe mortem temporalem, et peccanti semper mortem spiritualem, ac sæpe æternam affert; quod peccatum quasi Cain et diaboli, insectatus est S. Joannes, cap. iii, 12 (1).

Non pro illo dico ut roget quis. — Ita Græca et Latina, licet S. Gregorius, lib. VI *in lib. Reg.*, cap. ii, legat : « Pro eo ne oret quis. » Sensus est, *q. d.* Non prohibeo quidem pro tali orare, sed non audeo polliceri quod impetrabit; ideo « non dico ut roget quis, » nimirum cum illa certa fiducia impetrandi, de qua vers. præce-

(1) Rosenmullerus, relictis aliis interpretationibus, suam ita exponit : « Itaque suspicor tria hæc commata, 16-18, non cohærere cum præcedentibus, et pro iis, qui peccatum ad mortem commiserunt, prohiberi deprecationem non apud Deum, sed apud magistratus, penes quos est jus pro delictis gravioribus infligendi mortis pœnam. Mihi igitur ἁμαρτία πρὸς θάνατον videtur esse *crimen capitale* quodvis. Ἀδελφὸς non est homo ullus aliquis, sed *Christianus*. Pro eo Christiano, qui tale crimen commiserit, non vult Apostolus intercessiones fieri apud magistratus, quibus jus vitæ et necis competebat, ne Pagani in suspicionem adducerentur talia crimina apud Christianos parvi fieri. Ἁμαρτία μὴ πρὸς θάνατον videtur esse levior culpa, transgressione legis alicujus civilis contracta, quam a Christiano admissam facile ita exaggerare poterant magistratus pagani, ut supplicii reum pronuntiarent eum, qui mitiori pœna affectus dimitti potuisset. Pro ejusmodi peccatore deprecari poterat frater Christianus, ut vita ei donaretur. » Vers. 17 : « Quodvis peccatum est pœna dignum (vel, aberratio a norma præscripta); sed datur tamen peccatum quod non (Græce) est crimen capitale. » Vers. 18 : « Verumtamen Christiani sciant, se non posse et filios Dei esse, et interim illa peccata, quæ sunt ad mortem, committere. Sollicite sibi cavent a talibus peccatis, ita ut malus ille (Satanas) lædere eos non possit. »

denti dixi cætera esse petenda et impetranda. Nam sæpe Deus orantes pro peccato ad mortem, utpote gravissimo et incorrigibili, non exaudit, juxta illud *Jerem.* VII, 16 : «Noli orare pro populo hoc, quia non exaudiam te. » Ita Bellarminus, lib. II *De Pœnitent.*, cap. XVI, in fine, et Toletus in *Lucæ* XII, Annot. 21.

Aliqui sic exponunt : « Non pro illo, » scilicet peccato ad mortem, « dico ut oret quis, » ut S. Joannes pro peccato, non autem pro peccatore, orandum neget, quasi indicet ejus peccati pœnam luendam esse a peccatore, atque idcirco illam non esse deprecandam. Verum hoc subtilius quam solidius dicitur ; tam enim pro peccatore, quam pro peccato ad mortem, tamque pro culpa, quam pro pœnæ debitæ remissione non esse orandum indicat Joannes, cum de peccante ad mortem ait : « Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita, » scilicet gratiæ, quæ opponitur culpæ, non pœnæ.

Porro S. Bernardus, *De Gradibus humilit.*, cap. ultim. : «Pro tali, inquit Joannes Apostolus, non dico ut quis oret. » Sed numquid dicis, Apostole, ut quis desperet? « Imo gemat qui illum amat, non præsumat orare, nec desistat plorare, » uti Martha et Magdalena plorabant mortem Lazari, et plorando impetrarunt ejus resuscitationem ; quia humilitas, lacrymæ, verecundia, « fides, aliquando recipit quod oratio non præsumit. »

17. OMNIS INIQUITAS PECCATUM EST, ET EST PECCATUM AD MORTEM. — Græca et Syrus addunt negationem, leguntque : « Et est peccatum non ad mortem, » *q. d.* Omnis iniquitas est peccatum, sed non est peccatum ad mortem, quia per pœnitentiam, Deique gratiam medicabilis et sanabilis est. Unde Cajetanus audet asserere textum Latinum, qui caret negatione, esse corruptum. Verum constanter Latina expungunt negationem, tum quia sensus magis commodus et connexus est. Ponit enim et opponit duas species peccati, unam quæ est ad mortem, alteram quæ non est ad mortem, sed est communis et venialis iniquitas. Sensus ergo est, *q. d.* Omnis quidem iniquitas est peccatum, sed non omnis est ad mortem ; quia peculiare peccatum est quod, uti dicitur, ita est quoque peccatum ad mortem. Pro iniquitate cuilibet cum certa impetrandæ veniæ fiducia orandum est ; pro peccato ad mortem non item, uti paulo ante dixi. Vide dicta cap. III, vers. 4.

Pro *iniquitas* græce est ἀδικία, id est *injustitia*, quæ proprie justitiæ opponitur. Aristoteles in *Prædicam. Qualitatis* : δικαιοσύνη, inquit, ἀδικία ἐναντίον, id est justitia ; injustitiæ contrarium est. Sed sicut in Scriptura, quin et apud Aristotelem et Ethicos, justitia sæpe generatim sumitur pro qualibet virtute, sic et injustitia sive iniquitas capitur pro quolibet peccato, improbitate, scelere et maleficio. Ita hic accipitur.

Vers. 18. 18. SCIMUS QUIA OMNIS QUI NATUS EST EX DEO, NON PECCAT ; SED GENERATIO DEI CONSERVAT EUM. — Legit Interpres, γένεσις ἐκ τοῦ Θεοῦ τηρεῖ αὐτόν, jam legunt γεννηθεὶς ἐκ τοῦ Θεοῦ τηρεῖ ἑαυτόν, id est, genitus ex Deo servat seipsum, scilicet virtute accepta a generatione divina : sic et Syrus.

ET MALIGNUS NON TANGIT EUM. — Hic est tertius fructus fidei vivæ, sive regenerationis, qua quis per fidem et gratiam renatus est in Christo, scilicet præservatio a peccato saltem graviori et mortali, et consequenter a vi et potestate maligni, puta diaboli. Hæc explicui cap. III, vers. 6 et 9, ubi idem, imo amplius dixit S. Joannes, scilicet quod talis non possit peccare, nimirum quantum est ex parte gratiæ per generationem divinam acceptæ, si ejus inclinationem et ductum sequatur, sicut qui in tenebris sequitur lucernam et lumen prævium, errare et impingere nequit. Audi Œcumenium : Indicare voluit S. Joannes, « eum qui adoptatus a Deo in filium est, neque ad mortem, neque non ad mortem unquam esse peccaturum ; quippe cum semel inhabitanti in se per adoptionem Christo sese dediderit, intactus atque impollutus a peccato permansurus sit. » Et mox : «Hac nos gratia dignatur, ut, si nos donum ejus nobis diligenter custodiamus ac conservemus, possimus etiam non peccare, » dum scilicet possumus ac volumus in gratia Dei constanter perseverare. Vide S. Augustinum, *De Corrept. et Gratia*, cap. XII ; S. Bernardum, serm. 23 *in Cantic.*, et serm. 1 *De Septuag.*, ubi hæc adaptat prædestinatis et electis ad gloriam. Hos enim generatio Dei conservat a peccato, et licet aliquando peccent, uti S. Petrus negando Christum, et David adulterando, tamen mox resurgunt, ut charitas non tam deperdi quam obstupescere et soporari in iis videatur. Ita S. Bernardus.

Verum S. Joannes generalius loquitur de quolibet fideli et justo, *q. d.* Fidelis adeo non peccat peccato ad mortem, de quo jam egi, ut omnino non peccet peccato mortali ; sed « generatio, » id est nativitas nova ex Deo, puta gratia « Dei, » per quam regeneratus est, factusque Dei filius, conservat eum. Est metonymia ; generatio enim ponitur pro gratia regenerante. S. Gregorius, lib. V *in lib. I Regum*, et S. Bernardus loco citato, pro *generatio Dei* legunt *generatio cœlestis*. Per « generationem » S. Gregorius accipit cognitionem divinæ voluntatis, cum ejusdem dilectione ; S. Bernardus, prædestinationem divinam ; Didymus, voluntariam regenerationem, quæ fit per spontaneam conversionem et pœnitentiam. Melius alii accipiunt gratiam et charitatem ; per hanc enim fit regeneratio et renovatio novi hominis, puta animæ fidelis et sanctæ, ejusque in sanctitate constantia.

Audi S. Augustinum in *Psalm.* XII, tractantem illud *Cantic.* VIII, 6, *Fortis est ut mors dilectio* : « Magnificentius exprimi non potuit fortitudo charitatis ; quis enim resistit morti? Resistitur ignibus, undis, ferro ; resistitur potestatibus, resistitur regibus : venit una mors, quis ei resistit?

Nihil est illa fortius, propterea viribus ejus charitas comparata est; quia enim ipsa charitas occidit quod fuimus, ut simus quod non eramus, facit in nobis quamdam mortem dilectio. Ista morte mortuus erat qui dicebat : Mundus mihi crucifixus est, et ego mundo. Ista morte mortui erant quibus dicebat : Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. » Eamdem mortis comparationem explicans S. Gregorius, hom. 11 *in Evang.* : « Recte, inquit, per Salomonem dicitur : Fortis est ut mors dilectio; quia videlicet sicut mors corpus interimit, sic ab amore rerum temporalium æternæ vitæ charitas velut insensibilem reddit. » Et mox allato B. Agnetis exemplo : « Nec enim, inquit, sancta hæc cujus hodie natalitia celebramus, mori pro Domino potuisset in corpore, si prius a terrenis desideriis mortua non fuisset in mente. Erectus namque in virtutis culmine animus tormenta despexit, præmia calcavit, ante armatos reges et præsides invicta stetit, feriente robustior, judicante sublimior. »

ET MALIGNUS NON TANGIT EUM. — Per « malignum » Didymus et Thomas Anglicus accipiunt mundum, qui totus in maligno positus est, ut dicitur vers. 19, puta homines mundanos et impios. Melius alii passim accipiunt diabolum : hic per antonomasiam vocatur ὁ πονηρός, id est « ille malignus et nequam; » hic « non tangit, » id est non lædit « eum, » scilicet natum ex Deo; Syrus, *non appropinquat ei, q. d.* Deus non permittit diabolum appropinquare justo; aut, si id permittit, non permittit ut eum lædat, trahendo eum ad consensum in peccatum; imo non permittit ut lædat eum in corpore, nisi ad ejus bonum, virtutem et gloriam, uti permisit Jobum tangi et affligi a diabolo : vis enim illa quam ex cœlesti illo ortu Sancti perceperunt, in iis perseverat, eosque ita confirmat ac munit, ut nullis dæmonis insidiis decipi, nullis lenociniis illici, nullis minis et terroribus vinci queant. Hoc est quod ait Zacharias, cap. II, vers. 8 : « Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. » Et Psaltes *Psalm.* CIV, 15 : « Nolite tangere christos meos. » Et Paulus : « Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, » I *Cor.* X, 13. Vide Cassianum, *Collat.* VII, cap. XXII, ubi ostendit Christum exarmasse et enervasse diabolum, ut vel vires non habeat ad tentandum fideles, vel modicas et imbecilles, ita ut facile a fidelibus Christi gratia armatis vinci ac superari queat.

vers. 19. Mundus totus in maligno, id est, sub diabolo.

19. SCIMUS QUONIAM EX DEO SUMUS, ET MUNDUS TOTUS IN MALIGNO POSITUS EST. — Græce κεῖται, id est jacet, situs est. Per « malignum » *primo*, valde apposite et genuine diabolum accipit Hugo, Glossa, Dionysius et alii; de diabolo enim vers. præcedenti dixit : « Et malignus non tangit eum; » et hunc opponit Deo. Est epilogus Epistolæ, *q. d.* Dictorum meorum hæc sit conclusio et summa : impense nobis gaudendum esse, quod ex Deo renati in eo maneamus, vivamus et simus, in eoque agamus vitam puram, sanctam, cœlestem et divinam; cum ex adverso mundus, id est mundani in maligno positi sint, id est sub misera et tyrannica diaboli potestate ac dominatu oppressi jaceant, in eoque agant vitam impuram, sceleratam, tartaream et diabolicam. Per peccatum enim ex diabolo quasi renati, ipsi se manciparunt; unde ejus impulsu et arbitrio quasi mancipio aguntur in omne nefas, omnemque miseriam, adeo ut ab eis quasi Deus in idolis coli et adorari velit. Porro errant Manichæi, qui mundum in maligno positum esse censent, eo quod a diabolo sit conditus, quasi ille eum condendo ipsi suam malitiam et malignitatem afflarit; unde docent omnes creaturas corporeas, utpote ab angelo malo creatas, esse malas.

Huc spectat illa nonnullorum congrua explicatio, « mundus totus in maligno, » id est in idololatria et dæmonum cultu, « positus est; » talis enim erat ævo S. Joannis. Unde explicans subdit vers. ult. : « Filioli, custodite vos a simulacris; » ex idololatria enim sequuntur omnia vitia et peccata, ut ait Sapiens, cap. XIV, vers. 27 : « Infandorum, inquit, idolorum cultura omnis mali causa est, et initium, et finis. »

Secundo, in maligno, id est in malignitate.

Secundo, « malignum » accipi potest pro malitia, pravitate et improbitate. Unde Salvianus, lib. IV *De Providentia*, legit : « Sæculum totum in malo positum est. » Alludit ad *Genes.* VI, 5 : « Videns Deus quod multa malitia hominum esset in terra, et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum; » græce, *super maligna*; Hebr., *omne figmentum*, vel *imaginatio cogitationum cordis malum.* Totus ergo mundus positus est in maligno, id est in malitia et concupiscentia, quæ sollicitat ad omne scelus. Quia enim mundus, id est omnes homines mundi in Adamo peccante contraxerunt peccatum originale et concupiscentiam, hinc per eam aguntur ad omne malum. Ita Œcumenius, Beda, Lyranus et alii. Unde S. Ambrosius in *Apolog. David*, cap. II : « Mundus, ait, in maligno positus est, quia omnes homines sub peccato nascuntur, quorum ipse ortus est in vitio. » Mundus ergo est oceanus scelerum et diluvium vitiorum, juxta illud *Oseæ* IV, 2 : « Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit. »

Leviusculum est quod addit Lyranus et Thomas Anglicus : « Malignus, » inquiunt, dicitur quasi *malus ignis* concupiscentiæ, puta gulæ, luxuriæ, superbiæ; aut mundus est « in maligno, » id est *in malo anno*, per quod proverbialiter significatur omne infortunium, omnis miseria, omne malum.

Experientia nos docet quam mundus instar Sodomæ plenus sit cupiditate, superbia, fraude, luxuria, gula, avaritia omnique malo. Audi S. Prosperum *ad Object. Vincent. in* VI : « Totus

quidem mundus, inquit, in maligno positus est, et multorum hominum talis est malitia, qualis est dæmonum, etc. Sed hoc inter malos homines distat et dæmones, quod hominibus etiam valde malis superest, si Deus misereatur, reconciliatio; dæmonibus autem nulla est in æternum servata conversio. » Tum subdit : « Sicut ergo prævaricatoribus angelis non Deus indidit illam, quæ in veritate non stetit, voluntatem; ita nec hominibus hunc affectum, quo diabolum imitarentur, inseruit, » etc. Salvianus, *De Providentia* : « Merito, inquit, totum sæculum esse in malo dicitur, ubi boni locum habere non possunt; siquidem ita totum iniquitatibus plenum est, ut aut mali sint, qui sunt in illo, aut qui boni sunt, multorum persecutione crucientur. »

Videtur S. Joannes alludere ad tria mundi mala quæ recensuit cap. II, vers. 16, scilicet concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, et superbiam vitæ; in his enim tota totius mundi malignitas consistit. Quocirca qui sapit, fugiat e mundo et mundanorum conversatione, in sanctorum aliquem cœtum se recipiat, sicut Lot e Sodomæ incendio fugiens salvavit se in monte. Audi S. Cyprianum, lib. I, *epist.* 11 : « Ne diabolo, inquit, insidianti et sævire cupienti ad nocendum detur occasio, quando et Apostolus dicit : Nolite locum dare diabolo. Liberanda est igitur vigilanter de periculosis locis navis, ne inter scopulos et saxa frangatur; eximenda est velociter de incendio sarcina, priusquam flammis supervenientibus concremetur. Nemo diu tutus est periculo proximus. » Atque idem *De Singular. Cleric.* : « Adversa est confidentia, quæ periculis vitam suam pro certo commendat; et lubrica spes est, quæ inter fomenta peccati salvari se posse sperat. Incerta est victoria, inter hostilia arma pugnare; et impossibilis liberatio est, flammis circumdari, et non ardere. Verendum est dormienti in ripa ne cadat. In hac parte expedit plus bene timere, quam male fidere; et utilius est, ut infirmum se homo cognoscat, quam fortis videri velit, et infirmus emergat. De qua re præsumptores objurgat Apostolus dicens : Si quis se putat aliquid esse cum nihil sit, seipsum implanat. Pro certo implanator proprius animam suam decipit, qui non cavendo contraria noxiis rebus semetipse immiscuit. Ille autem tutius sibi consulit, qui circa malos semper infidus, species quascumque noxias semper extimescit. » Hæc Cyprianus.

Idipsum cœlesti visione repræsentatum est S. Anselmo, ut habet ejus Vita : « Raptus enim in exstasin vidit fluvium immanem atque præcipitem, in quem sordes omnes, quæ ubique terrarum essent, confluerent, ita ut nihil aquis illis turpius ac fœdius fieri posset, quæ etiam quidquid attingerent, raperent ac devolverent, viros, feminas, divites, inopes. Quod ille spectaculum miratus ac miseratus, cum quæsisset quibus ii rebus alerentur, et quomodo viverent, responsum est ei, infelices illos eodem ipso cœno, quo trahebantur, potari et delectari. Quin etiam adjecta est mysterii hujus interpretatio, torrentem illum esse ipsum mundum, in quo cæci mortales suis divitiis, honoribus et reliquis cupiditatibus involvuntur, cumque adeo miseri sint, ut ne consistere quidem possint, ipsos tamen se beatos et fortunatos putare. Ductus est deinde in septum quoddam ampli et spatiosi claustri, cujus omnes parietes argento obducti purissimo mirum in modum nitebant. In medio pratum erat, et in eo herbulæ, non ut vulgares istæ, sed omnes argenteæ, eædemque tamen viventes, et molles, ita ut facile cederent insidenti, eoque surgente per se rursum subrigerentur; aer autem placidus et amœnus, denique omnia adeo jucunda et suavia, ut nihil amplius ad felicitatem optari posse videretur. Atque hoc indicatum est ei esse religiosum statum, ut sine dubio ejusmodi imagine docere voluerit Deus, in mundo omnia esse fœda, incerta, mortifera, semper in præceps ruentia; contra vero in religione omnia pulchra, omnia jucunda, denique omnia ut argentum et candida et pretiosa. » Vide S. Ambrosium, lib. *De Fuga sæculi*, et S. Basilium in *Regulis fusius explicatis*, cap. VI, et S. Bernardum, serm. 3 *De Circumcisione*.

Tertio, noster Martinus de Roa, lib. II *Singular.*, cap. II, sic explicat : « Mundus in maligno positus est, » hoc est, in obscuro, lubrico, præcipitique loco, angusto et arduo, ut conveniat cum illo Sapientis : « Cunctæ res difficiles; præterit enim figura hujus mundi. » Quidni ergo in mundo sæpius labamur, et in lapides incurramus? Ita *Psal.* XXXVI : « Noli, ait, æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem, etc. Spera in Domino, et fac bonitatem, et pasceris in divitiis ejus. » Tertio, in maligno, id est in obscuro, lubrico, arduo.

Rursus mundus in maligno et malignitate positus est, hoc est, mundani habent cor malignum, id est, *primo*, sterile velut solum exile et infrugiferum, quod ne cultu quidem maximo et curatione adhibita fœcunditatem accipit. *Secundo*, habent cor malignum, id est angustum, difficile, morosum, parcum, avarum, quod sese Deo minime dat, nec ad recipiendam ejus magnitudinem explicat, juxta illud *Baruch* I : « Abivimus unusquisque in sensum cordis nostri maligni, operari diis alienis, facientes mala ante oculos Dei nostri. » Hæc enim omnia significat τὸ *malignus*. Ita Servius in illud Virgilii II *Georg.* : Quarto, in maligno, id est, in sterili et infœcundo.

Difficiles primum terræ collesque maligni.

Maligni, inquit, id est *infecundi*. Et Nonius : « Malignus, inquit, ager agricolis, illiberalis et minus ferax, is est, cujus angustior est proventus. » Virgilius, *Æneid.* VI : « Lucem malignam dixit pro tenui, parva et obscura. Nam malignum, inquit Servius, proprie est angustum, » ut Virgilius, XI *Æneid.* :

Tenuis quo semita ducit,
Angustæque ferunt fauces aditusque maligni,

id est angusti, obscuri et ardui. Martialis, lib. X *ad Avitum* :

Tepet igne maligno
Hic focus, ingenti lumine lucet ibi.

Et Juvenalis, *Satyr.* 10, maligna appellavit Numina, id est avara, et quæ ab eis peterentur minime concessura. Sic enim ait :

Magnaque numinibus vota exaudita malignis,

hoc est parcis, nec concessuris quæ petebantur. Livius : « Malignitas conferendi ex privato, » hoc est parcitas, etc. Quintilianus, lib. XI, cap. XI : « In laudandis discipulorum dictionibus nec malignus, nec effusus. » Sed Donatus optime *in Hecyr.*, actu 1, scena 2 : « Malignus, inquit, est, qui difficultatem sui ostendit. » Sic *Esdræ* lib. IV, cap. III, dicitur : « Non abstulisti ab eis cor malignum (id est sterile, saxosum, durum), ut faceret in eis lex tua fructum. » Hæc Roa. Juxta quem hic erit sensus, *q. d.* Fidelis ex Deo natus habet cor sanctum, amplum, liberale, sincerum, candidum, divinum; at mundus, id est mundani, habent cor malignum, id est pravum, arctum, avarum, terrestre, fictum, tortum, diabolicum.

Vers. 20. 20. ET SCIMUS QUONIAM FILIUS DEI VENIT (S. Ambrosius, lib. I *De Fide*, cap. VII, legit *apparuit*), ET DEDIT NOBIS SENSUM, UT COGNOSCAMUS VERUM DEUM, ET SIMUS IN VERO FILIO EJUS. HIC EST VERUS DEUS ET VITA ÆTERNA. — Explicat id quod dixit, nos esse ex Deo, ideoque vincere mundum et malignum, ejusque modum assignat, nimirum id factum esse et fieri per Christum, *q. d.* Deus idcirco misit Filium suum in mundum et carnem, ut per ejus doctrinam divinam daret nobis sensum et cognitionem rerum cœlestium, ut scilicet, relictis idolis quasi falsis diis, liberati a peccato, diabolo et mundo, cognoscamus verum Deum, ejusque Filio, puta Christo et Ecclesiæ, per fidem, spem et charitatem incorporemur, itaque ab eo vita gratiæ et gloriæ æternæ donemur. Ipse enim est verus Deus, ipsaque vera vita increata et æterna.

Porro, S. Hilarius lib. VI *De Trinitate*, hunc locum paraphrastice, quædam explicationis gratia interserendo, sic legit : « Quia scimus quod Filius Dei venit, et incarnatus est propter nos, et passus est, et resurrexit a mortuis : assumpsit nos et dedit nobis intellectum optimum, ut intelligamus verum, et simus in vero Filio ejus Jesu Christo. Hic est verus Deus, et vita æterna, et resurrectio (alias *redemptio*) nostra. »

Pro *sensum* græce est διάνοιαν, quod Syrus vertit, *intelligentiam*, mentis illustrationem, cognitionem divinam; Vatablus, *mentem*; S. Hilarius, *intellectum optimum*, per quem ipse accipit Spiritum Sanctum; hic enim est spiritus intelligentiæ, *Sapient.* VII, 22, quem S. Paulus I *Corinth.* II, vers. 16, vocat « spiritum a Deo, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis; » Clemens Alexandrinus accipit fidem; Didymus mentem Christi, ut alludat ad illud I *Cor.* II, 16 : « Quis enim cognovit sensum Domini, qui instruat eum? Nos autem sensum Christi habemus. » Sensus ergo est, *q. d.* Exultate, o Christiani, Deoque immensas agite gratias : quia in gentilismo serviebatis idolis saxeis et æneis, eratisque quasi saxa inanima; at per Christum accepistis veram vitam, sensum et motum : in gentilismo serviebatis concupiscentiæ, et vivebatis quasi animalia muta et bruta; at per Christum accepistis διάνοιαν, id est *mentem* et rationem, ut vivatis vitam humanam et homine dignam : in gentilismo serviebatis diabolo, agebatisque vitam diabolicam in tenebris ignorantiæ et infidelitatis; at per Christum donati vita supernaturali, accepistis διάνοιαν, id est *cognitionem*, sensum et gustum rerum cœlestium et divinarum. Hoc est quod tot sæculis ante de Christo præcinuit *Baruch* III, 36 : « Hic est Deus noster; hic adinvenit omnem viam disciplinæ, et tradidit illam Jacob puero suo, et Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est. »

UT COGNOSCAMUS VERUM DEUM — Patrem. S. Hilarius loco citato, S. Hieronymus in cap. LXV *Isaiæ*, et S. Leo, serm. 1 *De Jejunio* 10 *mensis*, legunt : « Ut cognoscamus verum, » scilicet Deum Patrem. *Verus* enim est epithetum Dei, qui est ipsa per essentiam veritas.

ET SIMUS IN VERO FILIO EJUS. — Græca, Syrus et S. Athanasius, orat. in id, *Deus de Deo*, legunt, « et simus in ipso vero, nempe in Filio ejus Jesu Christo, » quo significatur Filium esse ὁμοούσιον Patri, eo quod ipse sit verus et veritas per essentiam, puta vera deitas, æque ac est Deus Pater. Ita Didymus, S. Hieronymus loco citato, S. Athanasius, Cyrillus, Nazianzenus et alii omnes scribentes contra Arianos.

Porro sumus in Filio per fidem et gratiam, quam ab eo sugimus, sicut ramus est in arbore, a qua succum et vitam sugit, juxta illud Christi : « Ego sum vitis, vos palmites; sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis, » *Joann.* cap. XV, vers. 1 et 4.

Paucis hisce verbis S. Joannes compendium quasi totius Epistolæ, symboli et fidei Christianæ complectitur, duoque præcipua ejus mysteria assignat, scilicet Filium ὁμοούσιον Patri, ejusque incarnationem. Unde Beda : « Quid, ait, apertius his verbis? quid dulcius? quid adversus omnes hæreses fortius potuit dici? » Et S. Athanasius, disput. *Contra Arium*, ait hanc esse demonstrationem scriptam (quam ab eo postulabat Arius) pro divinitate Filii; et S. Cyrillus, lib. XII *Thesauri*, cap. XIII : « Nam si Deus verus est, inquit, substantialiter, non participative hoc ipsum est, sicut creaturæ. Qui enim Deus verus est, natura Deus est. » Et S. Ambrosius, lib. I *De Fide*, cap. ult.: « Si verus Deus, inquit, utique non creatus, nihil fallax habens atque fucatum, nihil confusum atque dissimile. » Et cap. VIII, insinuat hinc pe-

titum illud Symboli Nicæni : « Deus ex Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero, ex Patre natus, non factus, unius substantiæ cum Patre. » Et S. Hieronymus loco citato : « Alioqui, inquit, si non est verus, erit idolo similis; » et, ut ait Victor Uticensis, lib. II *De Wandalor. Persecut.* : « Si alterius a Patre substantiæ est, aut verus Filius non est, aut quod nefas est dicere, degener natus est. » Et S. Bernardus : « Si Filius Dei, ergo Deus; quia filii regum reges sunt. »

Porro cognitio Dei et Filii ejus non solum speculativa, sed et practica, puta conjuncta cum ejus amore et obsequio, est perfectissimum bonum, ait Clemens Alexandrinus, VI *Strom.*, et beatitudo hujus vitæ, juxta illud Christi *Joann.* cap. XVII, 2 : « Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum. » Quæ verba explanans Cyrillus Alexandrinus : « Cognitio, inquit, est vita spiritalem nobis benedictionem adducens, per quam spiritus in cordibus nostris habitat in adoptionem filiorum Dei, et veram pietatem per Evangelicam vitam et incorruptibilitatem reformans. Cum igitur origo et quasi pronuba dictorum omnium cognitio Dei veri esse inveniatur, recte a Domino nostro Jesu Christo vita æterna est appellata, quasi mater et radix virtute naturaque sua vitam æternam pariens. Sed considera diligenter quomodo solius Dei veri cognitio efficiatur : non enim absque cognitione Filii, quare nec absque cognitione Spiritus Sancti. Hæc enim Dei unitas in Trinitate intelligitur, atque creditur secundum Scripturas. » Nihil autem potuit magnificentius dici, quam quod de Dei cognitione scribit Gregorius Nazianzenus, orat. *De Statu Episcop.* : « Regnum, inquit, cœlorum nihil aliud esse existimo, quam ejus, quod purissimum et perfectissimum est, adeptionem : perfectissima autem rerum omnium est Dei cognitio. » Et S. Augustinus, serm. 112 *De Temp.* : « Cognitione Dei, ait, nihil melius est, quia nihil beatius est, et ipsa vera beatitudo est. Unde et Salvator ad Patrem ait : Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te unum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum. » Et in eamdem sententiam Hieronymus in cap. XXXI *Jeremiæ* : « Notitia unius Dei, inquit, omnium virtutum possessio est. » Et rursus : « Memoria Dei excludit omnia flagitia. »

Præclare vero Lactantius, lib. I *Divin. Institut.*, cap. VIII : « Dei vim, ait, majestatemque tantam esse dicit in *Timæo* Plato, ut eam neque mente concipere, neque verbis enarrare quisquam possit, ob nimiam et inæstimabilem potestatem. » Denique S. Bernardus, serm. 57 *in Cantic.* : « Quid si, inquit, ignoras Deum, poterit spesne esse salutis cum Dei ignorantia? ne hoc quidem. Nec enim potes aut amare quod nescias, aut habere quem non amaveris. Noveris proinde te, ut Deum timeas; noveris ipsum, ut æque ipsum diligas : in altero initiaris ad sapientiam, in altero et consummaris; quia initium sapientiæ timor Domini est, et plenitudo legis est charitas. Tam ergo utraque ignorantia cavenda est tibi, quam sine timore et amore Dei salus esse non potest. »

HIC EST VERUS DEUS. — Erasmus more suo arianizans, ac pleraque loca Scripturæ de divinitate Filii detorquens et pervertens, hunc pariter ita detorquet et pervertit. Hic, inquit, scilicet Deus verus, puta Pater, non Filius, est verus Deus; sed sic esset hic battologia. Quis enim nescit quod Deus verus sit Deus verus? Ergo pronomen *hic* non refert τὸ *Deus verus*, quod præcessit, sed refert verum Dei Filium. Hic enim uti verus est Dei Filius, ita consequenter necessario est verus Deus. Unde Œcumenius τὸ οὗτος, id est *hic*, quod est demonstrativum, asserit positum pro relativo ὃς, id est *qui*, ac referre Filium, qui proxime præcessit. Adde, S. Joannis ævo (uti et posterioribus sæculis) nemo dubitavit de divinitate Patris, sed multi dubitarunt, imo negarunt divinitatem Filii. Hanc ergo, non illam, ubique astruere satagit S. Joannes, eaque de causa scripsit Evangelium. Ita S. Athanasius, S. Hieronymus in *Isaiæ* LXVI, S. Augustinus, lib. II et III *Contra Maximinum*, et passim alii, ex hoc loco quasi claro et certo probant deitatem Filii. Audi S. Athanasium in illud, *Omnia mihi tradita sunt a Patre* : « Lux est Pater, jubar radiusque Filius; et lux vera verusque Deus Pater, verus Deus Filius. Ita enim a Joanne scriptum est : Sumus in vero Jesu Christo. Hic est verus Deus et vita æterna. » Sic et S. Cyrillus, lib. III *Dialog. de Trinitate*, et S. Ambrosius, lib. *De Fide ad Gratianum*, cap. VII.

ET VITA ÆTERNA — tum formalis sua, tum causalis nostra, uti dixi vers. 2. Nota : In Deo ob summam simplicitatem et perfectionem nulla est concretio nec compositio, ideoque nullum accidens; quare in Deo concreta omnia sunt abstracta. Deus ergo est ens et ipsum esse, Deus est vivens et vita, verus et veritas, bonus et bonitas, sapiens et sapientia, justus et justitia, potens et potentia. Ita S. Bernardus contra Gilbertum Porretanum, serm. 80 *in Cant.*, et S. Thomas, I, *Quæst.* III, art. 3.

21. FILIOLI, CUSTODITE VOS A SIMULACRIS, AMEN, — hoc est *fiat*, ita omnino facite, et vos custodite. Ultimum hoc monet S. Joannes, quia illo ævo hoc erat maxime periculosum, ideoque monitu maxime necessarium. Tunc enim totus mundus positus erat in maligno, puta in idololatria, adeoque Christiani ab ea recens conversi, inter parentes et amicos Gentiles et idololatras assidue versari debebant, ac cum eis prandere et convivari, ubi idolothyta, id est idolis immolata, quasi sacra comedenda proponebant, de quibus dixi I *Corinth.* VIII. Ne ergo eorum exemplo et hortatu ad idola, quæ recens reliquerant, relaberentur, studiose hoc ultimo monet S. Joannes, ut tenacius eorum menti et memoriæ id infigat, scilicet ut studiose ab omni idolorum commercio, et ab idolothytorum esu abstineant. Ita Didymus, Œcumenius, Lyranus Cajetanus. Perperam Beza et Vers. 21.

hæretici vertunt, « custodite vos ab imaginibus. » Imago enim est similitudo rei veræ; simulacrum vero sive idolum rei falsæ, puta falsi Numinis; ita enim Scriptura et SS. Patres hæc omnia distinguunt. Esto Cicero, lib. I *De Finibus,* imagines vocet idola, « imagines, inquit, quæ idola nominantur. » Unde εἴδωλον est diminutivum ab εἶδος, id est *forma, q. d.* Formula, forma imperfecta, diminuta, deficiens a ratione veræ formæ. Ita Tertullianus, *De Idololatr.*, cap. III, et Isidorus, VIII *Etymolog.*, cap. ult. Unde Plato in *Theæteto,* idola vocat mendacia, et S. Hieronymus, in cap. VII *Oseæ,* ait sic opponi simulacrum Deo, sicut veritas mendacio. Sic et S. Augustinus in *Psalm.* CXXXV; Clemens Alexandrinus, VI *Strom.*; Origenes, hom. 8 *in Exod.*; Theodoretus, Quæst. XXXVIII *in Exodum* : quocirca Synodus VIII OEcumenica, act. 5 et 7, anathema intentat iis, qui asserunt imagines Christi et Sanctorum esse idola.

Mystice, simulacra phantasiæ hominum sunt prava dogmata, hæreses, phantasmata vana, avaritia, cupiditates honoris, pecuniæ, voluptatis; ab his fideles custodiant sese oportet : ita Beda, Hugo, Dionysius, Cajetanus et alii.

Porro ait S. Joannes : « Custodite vos, » non autem, destruite simulacra, quia hoc fuisset concitare furorem Gentilium in omnes Christianos : unde monet S. Augustinus idola prius destruenda in cordibus hominum, deinde in delubris et aris templorum : ita ipse *epist.* 154, et *epist.* 150, et serm. 6 *De Verbis Domini,* ubi et addit non esse censendos Martyres qui occiduntur eo quod destruxerint idola (idem sanxit Concilium Elibertinum, *canon.* 60) : intellige temere et imprudenter cum scandalo. Nam qui prudenter ex magnitudine animi, vel ex instinctu divino ad Gentilium confusionem, et fidelium confirmationem, id fecerunt, Martyres habentur, uti S. Theodorus, S. Barbara, S. Christina et alii plures. Gentiles enim qui doctiores et sapientiores erant, idola venerantes, hac in speciem apparente ratione se excusabant, quod dicerent se in idolis non saxa aut metalla, sed deos colere : hos enim in idolis quasi in delubris aut corporibus suis habitare, sicut anima habitat in corpore. Unde S. Augustinus, concl. 2 in *Psal.* CXIII, de idolis ait : « Sine vivo aliquo habitatore esse non putant. » Et Olympius Sophista apud Sozomenum, lib. VII *Histor.*, cap. XV : « Simulacra, ait, erant ex materia corruptioni obnoxia, ideo comminui potuerunt; quæ vero in eis erant cœlestes potestates, in cœlum evolarunt. » Sed errabant *primo,* quod idola censebant esse aliquid Dei, aliquid Numinis habere, Deumque iis esse alligatum, atque iis ad vivum repræsentari. *Secundo,* quod in iis plures variosque deos colerent. *Tertio,* quod dii eorum erant dæmones : hi enim dabant responsa per idola. « Custodite ergo vos a simulacris, » ut ea non sculpatis, pingatis, poliatis : non eis caput aperiatis, genuflectatis, aut honorem ullum exhibeatis; non per ea juretis, non eis immolata comedatis, nullum eis officium vel obsequium præstetis; non eis hostias, thus, vinum aut munera deferatis; non sitis eorum ædiles, curatores, tutores; non eorum laudes canatis, nec ea versu aut prosa celebretis. Magna ergo ubique custodia et circumspectione ab iis se custodire sibique cavere debebant fideles, ne inter tot idololatrarum ritus et cæremonias, aliquo modo eis consentire et cooperari, itaque inquinari viderentur. Denique S. Joannes hisce verbis perstringit et redarguit hæresin Elxai, qui sub finem vitæ S. Joannis exortus, uti ostendi vers. 7 et 8, inter alia docebat, « non esse peccatum, etiamsi simulacra ipsos adorare contingat persecutionis tempore instante, si solum in conscientia non adorent, et si quid etiam confiteantur ore, non autem in corde. Atque hujus rei testem adducere fraudulentus ille impostor non erubescit, Phinees sacerdotem quemdam de genere Levi et Aaron, et prisci Phinees, qui in Babylone tempore captivitatis adorarit Dianam, et in Susis effugerit perniciem mortis coram Dario rege. Quare omnia ipsius falsa sunt et vana, ait Epiphanius, » *hæresi.* 19. Additque id hebraice significari nomine *Elxai* : *Elxai* enim notat hypocrisin et hypocritam. « Imaginantur, inquit, hunc (*Elxai*) vocari virtutem obvelatam, propterea quod *El* appelletur virtus, *Xai* vero obvelatum et occultum, » quod sua dogmata perfide obvelaret et occultaret, juxta illud Priscilliani ejus sequacis : « Jura, perjura, secretum prodere noli, » teste S. Augustino, *hæresi* 70.

In idolis colitur dæmon, cur?

Claudat ultima S. Joannis verba et vota similis cycnæa vox, vita et mors illustrissimi et pientissimi Alexandri Cardinalis Ursini, qui hisce diebus, quibus hæc cuduntur, mundo maligno erutus, diem vitæ præsentis clausit extremum, ut primum inchoet æviternæ, Christoque suo fruatur in vita beata et æterna : quem præmature sibi ereptum lugent Romani, et ego imprimis. Ille enim hujus scriptionis meæ (æque ac omnium bonorum operum) erat incentor et promotor, adeoque sæpius ad Collegium ventitans sevocabat me, ac de ea rebusque piis et litterariis per horas mecum et cum nostris pie, æque ac erudite colloquebatur; ut jure paucis hic eidem ultima justa exsolvere, et lugenti calamo parentare debeam, simulque tam illustre virtutis exemplum transalpinis gentibus et futuris sæculis celebrandum imitandumque transmittere : ut discant mortales, licet principes, ex hoc humanæ mortalitatis proscenio, mortem opes omnes et purpuras funestare, nihilque in rebus humanis esse solidum et stabile, nisi mores honestos et sanctos, qui in omne ævum perennant. Familia erat nobilissimus. Ursina enim est e familiis Romæ primis et principibus, quæ in alias etiam regiones propagata, in illis principatum tenuit : Regum præcipuis affinitate juncta, tribus Summis Pontificibus, Purpuratorum plurimis, et strenuissimis bellorum ducibus illus-

trata. At longe nobilior fuit sapientia et virtute, adeoque non tam familia ipsum, quam ipse familiam decoravit et illustravit. S. Joannem candido, hilari et pudico vultu, gestibus, actibus, moribus referebat. Innocentiæ, castitatis, modestiæ, humilitatis, pudicitiæ, charitatis, patientiæ, mortificationis, pœnitentiæ, contemptus sui et mundi, integritatis, magnanimitatis, beneficentiæ, zeli, Cardinalibus, Prælatis, Principibus æque ac Christianis omnibus, vivum erat exemplar et speculum. Christo Jesu, ejusque passioni et cruci, æque ac Deiparæ Virgini imprimis addictus ac devotus, quasi utriusque Benjaminus. Florenti erat ætate, sanguineus, succulentus, torosus, elegans, affabilis, eloquens, eruditus, ac simul candidissimi moris et pectoris, sine ullo oris cordisque dissidio, maturus, gravis, integer, constans : Joannem, hoc est filium Charitum et gratiarum, dixisses. Magnis Ecclesiæ gubernaculis magnanimè perfunctus, ad majora natus, nisi Deus eum ad maxima transtulisset. Consummatus in brevi explevit tempora multa : placita enim Deo erat anima illius. Junior efflagitarat ingressum in Societate Jesu, idque ardenter et instanter. Verum repulsam passus, quod dictitarent eum ob certas dotes in sæculo plus Ecclesiæ profuturum, acquievit, sed ita, ut inter Aulicos et Principes vitam ageret religiosam, adeoque mores ejus intuens religiosum censuisset simul et principem. In jejuniis, disciplinis, ciliciis, etiam Cardinalis creatus, erat assiduus, imo nimius. Congregationi Sodalium in Collegio romano erectæ ascribi voluit, adeoque ad eam frequens, etiam tempore disciplinæ ventitabat, ac publice in turba plebeiorum cum illis acriter se diverberabat, idque non raro ad sanguinem; quod perpetim faciebat in pervigiliis B. Virginis, ut ei se suamque vitam suo sanguine offerret et consecraret. Hospitalia visebat, ægris serviebat, eisque cum eleemosyna manu sua cibum porrigebat, quin et pedes abluebat. Quocirca tam illustri tantarum virtutum exemplo nonnullos hæreticorum compunctos hæresin ejurasse, seseque S. Ecclesiæ Romanæ reconciliasse constat. Atque interim gravitatem Principe et Cardinale dignam præferebat. Inter potentes magnificus, inter egentes munificus, in consiliis cautus et providus, in factis acer et efficax. Zelo non tantum Prælatos, sed et Religiosos superabat. Bracchiani, quod oppidum est Romæ vicinum, sedesque Ducum Ursinorum, Sodalitatem e civibus sibi subditis aulicisque erexerat, instar ejus quæ visitur in Collegio Romano, in qua ipse præfectum, concionatorem, disciplinæ choragum cæterorumque pietatis officiorum antesignanum agebat. Ad pectus nudum Christi e cruce pendentis effigiem gestabat æneam, claviculis in ea extantibus carnemque pungentibus, qui proinde non raro illi sanguinem eliciebant, ac indusium cruentabant, solebatque per vices, manu admota pectori (ut sæpius vidi), crucem arctius illi apprimere, ut Christum crucifixum penitius illi majori amore æque ac dolore imprimeret. Edidit Officium Passionis et Crucis, indicium tam elegantis ingenii, quam ardentis in eam pietatis et devotionis. Opus justum (de quo subinde mecum egit) *De Regno*, omni eruditione refertum Juris divini et humani adornaverat, cujus vestigium per singulas partes et capita distributum reliquit, ex sacra primorum quatuor Regum historia singulis capitibus disserendi argumentum præfigens. Bracchiani in colle quodam quasi in eremo secessum, Passionis Christi mysteriis insignitum (similem illi, quem B. Carolus Borromæus non longe a Mediolano crebro adibat), adornabat, ut per vices eo se reciperet, totusque Christo et sibi vacaret. Hæc et majora meditantem mors immatura, at non improvisa corripuit. Festo Assumptionis B. Virginis (quod hoc anno in sabbatum incidit) ægrotare cœpit, in Octava ejus finivit, et vivere desiit. In pervigilio festi præter ordinaria devotionis exercitia obita, exhortationem in Congregatione ad suos habuerat solito ardentiorem, ac deinde de more cum suis, imo præ suis acriter se diverberarat. Solebat enim, uti dixi, eo die sanguinem elicere, quem B. Virgini daret et dedicaret. Quare licet causa morbi diu fuerit collecta, quia substantiam membrorum bilis occupaverat, cum tamen candido vultu et pacatissimis moribus tecta, non appareret : ex hisce tamen laboribus et ardoribus, aliqua occasio morbidæ materiæ vehementius accendendæ præberi potuit, ut citius quam paraverat, febrim adduceret; quæ leniri ad tempus medicamentis potuit, vinci non potuit, quin septima die ipsum mortalibus subduceret. Solebat quotidie conscientiam confessione sacramentali expiare, ac deinde sacrificium Missæ religiose celebrare, eaque de causa semper confessarium ad manum habebat. Sed ut morbum sensit, illico confessarium (quem Romæ e Societate nostra animæ suæ directorem delegerat) e Collegio Romano ad se evocavit, ac una Præfectum Congregrationis; quibus advolantibus : Ille, inquit, me deducet in Purgatorium, hic e Purgatorio ad Paradisum per suorum utique ferventium Sodalium preces, vota ac voluntarias pœnas. Confessione peracta, sacram Synaxin suscepit prostratus in terram, illis reverentiæ et pietatis indiciis, quæ omnes intimo devotionis affectu perstringerent ac compungerent. Ingravescente morbo pie cum confessario de morte collocutus, Deo vitam totumque se resignavit, dicens cum Apostolo : « Sive vivimus, Domino vivimus; sive morimur, Domino morimur : sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus. » Addidit tamen, si sibi daretur optio mortis et vitæ, se mortem præelecturum. Causam rogatus, dedit, ut citius, inquit, fruar Deo : « Mihi enim vivere Christus est et mori lucrum. » Veni ergo, Domine Jesu, veni, dilecte mi. Mox jussit sibi recitari psalmum : « Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum ! concupiscit et deficit anima mea in

atria Domini.» Deminans in mortem fratrem primogenitum, Ducem Bracchiani sevocavit, ac remotis omnibus : Accipe, inquit, mi frater, ultima verba fratris tui migrantis et peregrinantis ad alteram vitam. Cætera a remotis audiri non potuere; verum ea non inflantia, sed inflammantia fuisse, Ducis deinde acta gestaque monstrarunt. Præ ingenti febris æstu in phrenesim incidit, et tamen ad verba pia apposite magnoque animi sensu respondebat : quin et sibi modico tempore redditus, ad ultimum agonem se obarmans, Extremæ-Unctionis sacramentum, pie ad singulas orationes respondendo, suscepit. In hoc oberrantis mentis delirio, nullum ei verbum indecens vel inconcinnum excidit; sed ex pristino pietatis habitu, omnia spirantia zelum propagandæ fidei, pacis et charitatis. Summus Pontifex pro suo in eum affectu et munificentia, suam ei benedictionem per internuntium impertivit, pluraque alia ultro et liberaliter indulsit. Agonem luctamque moriens nullam ostendit, sed perinde ac si senectute confectus foret, resolutis viribus placide pieque animam Creatori et Redemptori suo resignavit, collacrymantibus præ devotione omnibus qui aderant. Vita functus est, annos natus circiter 33, quæ fuit ætas Christi Domini. Post mortem apertum a medicis corpus, rite compositum apparuit, sed cor omni humore (utpote quem fervidis pietatis actibus exhauserat, vel exsudarat) vacuum, ac flava bilis per totum corpus dispersa; quod malum incurabile mortem ei attulit. Cor Romam delatum, conditum est in sepulcro Cardinalis Bellarmini, utpote quem ille in vita ut patrem et ducem vitæ Christianæ et sanctæ, coluit pariter et dilexit : nam cum eo et per eum exercitiis spiritualibus S. Ignatii, fundatoris Societatis Jesu, fuerat excultus, atque in eum quasi rarum sapientiæ, pietatis et virtutis exemplar, jugiter oculos mentemque intendebat. Hæc pauca e multis non tam tuo, quam posterorum commodo scripsi, Cardinalis Illustrissime. Tu enim humana despicis elogia, honoratus divinis. Defunctus mundo, vivis cœlo; sæculo mortuus, frueris Christo, quem a puero per omnem vitam tota mente dilexisti. Bonum certamen certasti, cursum consummasti, fidem servasti; nunc a justo Judice coronam justitiæ tibi repositam percipis. Opera enim tua sequuntur te. Vixisti, non tempori, sed æternitati. Idcirco per montes æternitatis sequeris Agnum. Nunc saturaris, quia jejunans esurivisti, et lætus decantas : « Sicut audivimus, ita et vidimus in civitate Domini virtutum. » O beata rerum commutatio! luxisti et flevisti, ut semper rideres; caducas et umbratiles hujus vitæ pompas, opes, dignitates sprevisti, iisque licet circumfluens, cor tamen nunquam addixisti, ut potireris cœlestibus, veris et perpetuis. Carnem afflixisti, ut intaminatam Christo sisteres. Vestitus es cilicio, ut albis vestimentis ornareris, et jubilares : « Conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia. » Delicias sprevisti, ut in æternum pane angelorum vescereris, et diceres : « Gustate et videte quoniam suavis est Dominus. » Primos sanctosque Ecclesiæ Romanæ Cardinales, pro Christo sanguine suo purpuratos, S. Laurentium, Cyriacum, Largum, Smaragdum, etc., æmulatus es, eorumque pietatem, fervorem, patientiam, constantiam, zelum moribus expressisti; ac in sanguine Agni lavisti et rubricasti, imo dealbasti stolam carnis tuæ : idcirco nunc coronaris et accipis palmam, stolaque gloriæ amiciris, et in cœlesti illorum senatu purpuratus consides. Vivet tui nominis decus, vivet tuæ virtutis gloria, quamdiu sæculorum omnium vivet ÆTERNITAS. Ex alto aspice nos in valle hac lacrymarum, imo in mari hoc turbinibus procelloso, cum tot internecinis piratis, æque ac fluctibus colluctantes, ut Christo duce per stellam maris quasi cynosuram, B. Virginem inquam Deiparam, salvis animæ mercibus incolumes enavigemus, et secundis gratiæ aspirantis ventis ad portum salutis appellamus. Impetra nobis ut scribendo, laborando, patiendo, semper mortificationem Jesu in corpore nostro tecum circumferamus; ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris, ut in cœlis Doctorum et Martyrum laurea donemur, et laureati Deo et Agno perenne melos canamus : Benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor, virtus et fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum; quia redemisti nos in sanguine tuo, et fecisti nos Deo nostrum regnum et sacerdotes, et regnabimus super terram. Amen.»

COMMENTARIUS

IN SECUNDAM

SANCTI JOANNIS

EPISTOLAM.

PROŒMIUM.

Dubitarunt olim nonnulli de auctoritate harum duarum sequentium Epistolarum, censueruntque eas esse Joannis non Apostoli, sed Presbyteri, eo quod initio vocet se seniorem, græce πρεσβύτερον: ita refert Eusebius, lib. III *Histor.*, cap. ult., et S. Hieronymus, *De Script. Eccles.*, in *Joanne*, atque ita censet Erasmus et dubitat Cajetanus. Verum nunc de fide est utramque esse Canonicam Scripturam, scriptam a S. Joanne Apostolo. Id patet *primo*, ex definitione Concilii Tridentini, *sess.* IV, et Carthaginensis III, cap. XLVII, et Laodiceni, cap. LIX, et canon. 84 *Apostolorum*, S. Athanasio, *epist.* 39, recensente novæ Scripturæ libros, Nazianzeno in carmine *De Libris S. Script.*

Esse Canonicam Scripturam S. Joannis, Probatur Primo.

Secundo, ex Patribus, scilicet Irenæo, lib. III, cap. XIII; S. Augustino, lib. II *De Doctr. Christ.*, cap. VIII; Damasceno, lib. IV *De Orthod. fide*, cap. XVIII, Didymo, Clemente Alexandrino, Œcumenio, Beda et aliis hic. Idem censet Beza et hæretici moderni. Audi S. Hieronymum, epist. *ad Paulinum* : « Jacobus, Petrus, Joannes et Judas Apostoli septem Epistolas ediderunt tam mysticas, quam succinctas et breves, pariter longas : breves in verbis, longas in sententiis, ut rarus sit, qui non earum lectione cæcutiat. » Alibi vero in epist. *ad Evrag.*, quæ est 85 : « Clangit, inquit, tuba filius tonitrui, quem Jesus amavit plurimum, qui de pectore Salvatoris doctrinarum fluenta potavit : Presbyter Electæ dominæ et filiis ejus, quos diligo in veritate. » Hinc duarum harum Epistolarum sententias quasi sanctæ Scripturæ citant Tertullianus, *De Præscript.*, cap. XXXIII; S. Chrysostomus, hom. 19 *in Matth.*; S. Cyrillus, lib. VIII *De Adoratione in spiritu et veritat.*; S. Ambrosius in *Psalm.* XXXVI; S. Gregorius, XXXI *Moral.*, VII; S. Ephrem in *Interrogationibus et Responsionibus*; Rufinus, Idacius, Cassiodorus et alii, quos citat Jodoccus, Coctius in *Thesauro Catholico*, lib. VI, art. 26. Syriacam versionem harum duarum Epistotarum ac S. Judæ, quæ desideratur in Bibliis Complut., edidit noster Serrarius in Commentario earumdem.

Secundo.

Tertio, styli et rerum similitudo arguit has duas Epistolas ejusdem esse auctoris cujus est prima, puta S. Joannis Apostoli. Audi Baronium, anno Christi 99, cap. IX : « Certe, inquit, si quando ex facierum similitudine filios eodem parente genitos licuit judicare, tres illas Epistolas verbis, sententiis, stylo, charactere, unam eamdemque præ se ferentes imaginem, ab uno eodemque auctore esse conscriptas quivis facile poterit intelligere. In primis enim quod ad verba atque sententias spectat, in multis id contigit demonstrari; ut cum ait in prima : Non mandatum novum scribo vobis, sed mandatum vetus; in secunda item : Non tanquam mandatum novum scribens vobis, sed quod habuimus ab initio. Rursum in prima : Omnis qui negat Filium, nec Patrem habet; qui confitetur Filium, et Patrem habet. Et in secunda eamdem plane his verbis sententiam reddit : Qui recedit et non permanet in doctrina Christi, Deum non habet; qui permanet in doctrina Christi, hic et Patrem et Filium habet. Quod item in prima : Omnis qui ex Deo natus est, peccatum non facit, in tertia habet eamdem his verbis : Qui bene facit, ex Deo est; et qui ex Deo natus est, peccatum non facit. Et quod in prima habet : Ut diligamus opere et veritate, idem in secunda et tertia de diligendo in veritate frequenter inculcat. Dum item in prima hæc habet : Multi pseudoprophetæ exierunt in mundum : In hoc cognoscitur Spiritus Dei : Omnis spiritus qui confitetur Christum in carne venisse, ex Deo est; et omnis qui solvit Jesum, ex Deo non est, et hic Antichristus est; in secunda iisdem pene verbis eamdem reddens sententiam, ait : Multi seductores exierunt in mundum : Qui non confitetur Jesum venisse in carne, hic est seductor et Antichristus. Rursum in prima : Hæc est charitas ut mandata ejus custodiamus; et in secunda : Hæc est charitas ut ambulemus

secundum mandata ejus. At quæ frequens in tribus illis Epistolis facta est charitatis, dilectionis, veritatis inculcatio, plane declarat in duabus illis Epistolis eamdem quæ in prima genuinam elucere atque perspicue conspici Joannis imaginem. »

Ad objectionem respondeo, S. Joannem inscribere se « Presbyterum, » id est seniorem, tum quia illo ævo Presbyter et Episcopus pro eodem usurpabantur, uti ostendi I *Timoth.* IV, 14, idemque docet S. Hieronymus, epist. 85 *ad Evagrium*; tum quia S. Joannes jam decrepitus et apostolatus dignitate et ætatis plenitudine, omnium Christianorum erat senior. Ultimus enim Apostolorum vixit usque ad imperium Trajani, mortuus circiter anno ab incarnatione Christi 101, qui fuit a passione Christi 68 : ita S. Hieronymus loco citato, et Baronius.

SYNOPSIS.

Argumentum Epistolæ est : Laudat Electam ejusque familiam a fide et charitate; hortatur ut in ea permaneat, ideoque caveat hæreses et hæreticos tum subnascentes, quasi Antichristos, adeo ut nec Ave *eis dicat.*

Serarius censet Epistolam hanc a Joanne scriptam esse Ephesi, indeque missam : Ephesi enim, utpote metropoli Asiæ, S. Joannes ab exilio rediens, jam senio pene confectus, residere solebat.

1. Senior Electæ dominæ et natis ejus, quos ego diligo in veritate, et non ego solus, sed et omnes qui cognoverunt veritatem, 2. propter veritatem, quæ permanet in nobis, et nobiscum erit in æternum. 3. Sit vobiscum gratia, misericordia, pax a Deo Patre, et a Christo Jesu Filio Patris, in veritate et charitate. 4. Gavisus sum valde, quoniam inveni de filiis tuis ambulantes in veritate, sicut mandatum accepimus a Patre. 5. Et nunc rogo te, domina, non tanquam mandatum novum scribens tibi, sed quod habuimus ab initio, ut diligamus alterutrum. 6. Et hæc est charitas, ut ambulemus secundum mandata ejus. Hoc est enim mandatum, ut, quemadmodum audistis ab initio, in eo ambuletis. 7. Quoniam multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Jesum Christum venisse in carnem, hic est seductor et Antichristus. 8. Videte vosmetipsos, ne perdatis, quæ operati estis; sed ut mercedem plenam accipiatis. 9. Omnis qui recedit, et non permanet in doctrina Christi, Deum non habet : qui permanet in doctrina, hic et Patrem et Filium habet. 10. Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis. 11. Qui enim dicit illi Ave, communicat operibus ejus malignis. 12. Plura habens vobis scribere, nolui per chartam et atramentum : spero enim me futurum apud vos, et os ad os loqui, ut gaudium vestrum plenum sit. 13. Salutant te filii sororis tuæ Electæ.

Vers. 1.

1. Senior, — πρεσβύτερος, id est *Presbyter* et *senex*, hoc est omnium senior; ponitur enim positivus pro comparativo et superlativo, quia S. Joannes omnibus Apostolis solus superstes, omnes Episcopos superabat ætate, æque ac dignitate. « Senior ergo, cui scilicet cycnea suppeteret quædam gratia senectutis, » ait S. Ambrosius in *Psalm.* xxxvi, 25. Hinc *senior* idem est quod dominus, puta Prælatus, Episcopus, Apostolus. A *Senior* enim deducitur Italum, *Signore;* Hispanum, *Senor;* Gallum, *Seigneur;* nam quod ea a Græco κύριος derivet Joachimus Perionius, tract *De Linguæ Gallicæ cum Græca cognatione,* longius petitum et contortum videtur. Unde Œcumenius : «Joannes, inquit, Episcopum se esse nomine Presbyteri declarat. »

Senior quis?

Electa quæ?

Electæ. — Noster Serarius secutus Œcumenium octo conjecturis probare contendit per Electam non significari certam personam et matronam, sed Ecclesiam aliquam Asiæ. Ecclesia enim electa est Dei sponsa, juxta illud *Cantic.* vi, 9 : « Pulchra ut luna, electa ut sol; » et S. Petrus, *epist.* I, cap. v, vers. 13, Ecclesiam in Babylone vocat *coelectam.* Censet autem Serarius hanc Ecclesiam fuisse unam ex septem Asiæ, quas S. Joannes instituerat, quasque monet et docet *Apocal.* cap. I et II, aut certe fuisse Ecclesiam Corinthiacam, eo quod in ea degeret Caius hospes S. Pauli, ut colligitur *Rom.* xvi, 23; I *Corinth.* I, 14. Videtur enim hæc secunda Epistola missa cum tertia, ac ad illam Ecclesiam in qua erat Caius, cui inscribit tertiam. Porro hæc Ecclesia vocatur κυρία, id est *domina,* vel ob loci nobilitatem, vel ob virtutis præstantiam; vel dicitur κυρία, id est *lectissima,* legitima, legitimo modo congregata, quæ *Actor.* cap. xix, vers. 39, vocatur ἔννομος : hoc enim significat quoque κυρία, teste Laertio in *Zenone.*

Respondent aliqui, esse Ecclesiam aliquam.

Verum, ut alia omittam, huic sententiæ obsistit quod scribit S. Joannes, epist. III *ad Caium*, 9 : « Scripsissem forsitan Ecclesiæ, sed is qui amat primatum gerere in eis Diotrephes, non recipit nos; » quo significat se ad Ecclesiam in qua erat Caius, nullam scripsisse Epistolam. Rursum insolens est litteras ad Ecclesiam aliquam inscribere *Electæ dominæ,* præsertim cum multæ, imo omnes Ecclesiæ sint electæ; litteræ enim certis perso-

nis, vel Ecclesiis inscribendæ sunt, ne in incertum vagentur, vel ad alienos ad quos non pertinent, perferantur : quare inscriptio distincta et clara sit oportet. Quocirca alii passim censent hæc scribi particulari matronæ : hoc enim significat τὸ *Electæ dominæ*. Sed cur vocat eam « Electam? » Multi censent τὸ *Electæ* esse nomen appellativum, non proprium, idque vario sensu; *primo*, aliqui : *Electæ*, inquiunt, id est, fideli et Christianæ ; Christiani enim a Deo ex gentilismo vocati et selecti ad fidem, gratiam et gloriam, vocabantur Electi, juxta illud Christi : « Ego elegi vos de mundo, » *Joann.* XV, 19 ; et illud Pauli : « Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate, » *Ephes.* I, 4, etc. « Scientes, fratres dilecti a Deo, electionem vestram, » I *Thessalonn.* I, 4. Sic S. Petrus I *epist.* I, vers. 11, scribit « electis advenis dispersionis Pontî, Galatiæ, » etc.; et cap. II, vers. 4 : « Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta. » Sic Christus vocatur « Dei electus, » *Lucæ* XXIII, 33; *Isaiæ* XLII, 1 (1).

Verius est fuisse matronam.

Secundo, alii censent hoc esse epithetum virtutis, *q. d. Electæ*, id est, eximiæ, insigni sapientia et virtute præditæ. Sic *Eccles.* I, 16, de sapientia dicitur : « Cum electis feminis graditur. »

Tertio, alii censent S. Joannem habuisse revelationem de hac matrona, quod a Deo posita esset in numero prædestinatorum et electorum, hocque significare nomine *Electæ*. Sed quis credat S. Joannem, si revelationem hanc habuit, illam non solum ei, sed et toti mundo patefacere voluisse.

Verum alii melius censent τὸ *Electæ* esse nomen proprium, vel certe appropriatum. Epistolæ enim solent inscribi personis certis, nominando eas proprio nomine, ne vagæ sint, vel ad alienos perferantur. Hinc et τὸ Ἐκλεκτῇ, id est *Electæ*, nullum habet articulum, quasi nomen proprium. Si enim esset appellativum, dicendum fuisset cum articulo τῇ Ἐκλεκτῇ, ut dicit vers. ult.

Hinc rursum τὸ *Electæ* passim majuscula littera scribitur, quasi proprium; sicut enim multi fideles nomina appellativa sibi imponendo fecerunt propria, ut vocentur Justus, Justa, Fortunatus, Felix, Christianus, Christiana, Christina, Pretiosus, Exuperius, Exuperantia, etc.: ita et hæc vocata fuit *Electa*, esto *electus* esset cognomen commune omnibus Christianis. Dixi esse hoc nomen vel proprium, vel appropriatum, quia fieri potuit ut fideles hoc nomen ob eximiam virtutem et probitatem ei appropriarint, præsertim quia filias instruebat in cultu virginitatis, et familiam habebat religiosam, uti mox ostendam, sicut Manichæi viros eminentes in sua secta vocabant Electos, teste S. Augustino *De Hæresibus*, hæresi 46. Sic ergo « Electæ » idem est quod eximiæ, et nobilitate et virtute præstanti, ut respondeat Hebræo בחירא *bechira*, id est *electa*, *eximia*. Sic Paulus vocat se segregatum et selectum ad Apostolatum, *Rom.* I, 1; *Galat.* I, 15, et *Rom.* XVI, 13. Rursum vocat, « electum in Domino. »

Rursum fieri potuit, ut hæc matrona ob nobilitatem, potentiam, charitatem et virtutem electa fuerit in præsidem et præfectam cæterarum mulierum Christianarum, præsertim pauperum, ut eas in fide et Christianismo instrueret, utque earum necessitati eleemosynas procurando subveniret. Addit Lyranus eam ministros Ecclesiæ sustentasse. Erat ergo quasi mater et refugium fidelium, uti Romæ fuerunt S. Praxedes et soror ejus S. Potentiana, in persecutione Antonini Imperatoris. Sicut enim Apostoli ad hoc munus elegerunt Stephanum et cæteros sex diaconos, *Actor.* VI, 5 : ita pro feminis postmodum Episcopi ad hoc elegerunt Diaconissas; et sicut Diaconi præfecti eleemosynis vocabantur *Electi* : ita Diaconissæ vocabantur *Electæ*, scilicet ad gradum et munus diaconiæ; sic enim Episcopi suffragiis creati vocantur Electi, antequam consecrentur. Favet *primo*, quia si τὸ *Electæ* esset nomen mere proprium, potius dicendum fuisset : « Senior dominæ Electæ, » quam « Senior Electæ dominæ. »

Favet *secundo*, quod Interpres eam non vocet *Eclectam*, uti vocatur græce, sed Latine « Electam ; » interpretatur enim nomen Græcum quasi appellativum, sed appropriatum ratione dignitatis et officii. Rursum favet Lucius Dexter in *Chronico*, qui hanc matronam proprio nomine vocatam ait Drusiam. Sic enim ait : « Anno Christi 100, Flavia Domilla patitur; S. Dionysius scribit librum *De Divinis Nominibus*. Anno Christi 105, S. Joannes scripserat ad Drusiam feminam Electam secundam Epistolam, quæ velut Ecclesiæ illius civitatis parens, mira largitione et charitate tunc florebat. » Sic et Espencæus ait hanc Electam vocatam fuisse Drusianam, eamque fuisse hospitam S. Joannis. Denique Clemens Alexandrinus hic, et ex eo Glossa et Thomas Anglicus : « Secunda Joannis Epistola, ait, quæ ad virgines simplicissime scripta est, scripta vero est ad quamdam Babylonicam Electam dominam, » sicut prima scripta est ad Parthos : Parthi enim comprehendunt Babylonios. Sic Josue vocatur Electus *Num.* XI, 28; et Moses *Psalm.* CV, 23; et Saul I *Reg.* IX, 2; et David III *Reg.* VIII, 16. Magis congrue femina aliqua singularis virtutis vocatur Electa, æque ac vocatur Margarita.

Dominæ. — Hinc patet hanc Electam fuisse nobilem, primariam et potentem matronam, ad quam proinde, licet feminam, præter morem scribit S. Joannes, ut eam et per eam cæteros in fide confirmet, ne ab Ebione, Cerintho et Gnosticis seducatur. Videntur enim hi hæretici se in dominæ hujus domum et animum insinuasse, ut eam et per eam cæteros sua hæresi inficerent : sicut reliquos hæreticos suas hæreses per feminas

(1) Ita Haneberg. op. cit.

propagasse, docet S. Hieronymus, epist. *ad Ctesiphontem*. Hoc insinuat S. Joannes, vers. 10, ubi severe jubet, ne Ave eis dicat, nec in domum recipiat (1).

Alludit ad Hebræam paranomasiam perpulchram, quæ sic habet לבחירה גבירא *libechira gebira*, id est *Electæ dominæ*. Simili modo S. Hieronymus nobiles matronas Romanas et verbis et scriptis erudiendo, non illas solum, sed per illas magnam partem nobilitatis Romanæ ad perfectionem Christianam instruxit, adeoque in suam Bethlehem ad monasteria S. Paulæ et Eustochii pertraxit. Id ipse respondet pium hoc suum cum feminis commercium calumniantibus, epist. 140 *ad Principiam* : « Si viri, inquit, de Scripturis quærerent, mulieribus non loquerer. Si Barach ire ad prælium voluisset, Debora devictis hostibus non triumphasset. Jeremias carcere clauditur, et quia periturus Israel virum non receperat prophetantem, Olda eis mulier suscitatur. Sacerdotes et Pharisæi crucifigunt Filium Dei, et Maria Magdalena plorat ad crucem, unguenta parat, quærit in tumulo, hortulanum interrogat, Dominum recognoscit, pergit ad Apostolos, repertum nuntiat; illi dubitant, ista confidit. Vere πυργίτης, vere turris candoris et Libani quæ prospicit ad faciem Damasci, sanguinem videlicet Salvatoris ad facti pœnitentiam provocantem. Defecerant Saræ mulierbria, et ideo Abraham ei subjicitur, et dicitur ad eum : Omnia quæ tibi dicit Sara, audi vocem ejus. » Verum idipsum non cuilibet est imitandum, ac plane junioribus fugiendum, ne pro charitate supponat se carnalitas, aut certe ejus suspicio et periculum, ut ex fumo flamma sequatur. Vide S. Cyprianum, *De Singular. Cleric.*

Electæ filiæ virgines.

ET NATIS EJUS. — Hosce Electæ filios vel filias virgines fuisse testatur Clemens Alexandrinus, qui ait hanc Epistolam scriptam ad virgines, unde et a Joanne virgine dilectæ officiose hic salutantur. Videtur ergo Electa filias educasse et promovisse ad virginitatem et sanctimoniam, ut domus ejus videretur esse parthenon, sive monasterium virginum, uti fuit domus et aula S. Pulcheriæ, filiæ Theodosii et Imperatricis, de qua vide *Aulam sanctam* nostri Raderi. Sic ævo S. Joannis Philippus Diaconus quatuor filias virgines Deo obtulit *Actor.* XXI, 9; S. Matthæus Iphigeniam, S. Clemens Flaviam Domitillam et socias. Hinc illa virginitatis et virginum primævarum encomia apud Philonem *De Vita contempl.*, ubi narrat mira de Essæorum continentia sub S. Marco; ac apud S. Dionysium, *De Eccles. Hierarch.*, cap. VI, *part.* II; apud S. Ignatium, epist. *ad Antiochenos* et *ad Tarsenses*; imo apud S. Paulum I *Corinth.* VII, 37, et Christum *Matth.* XIX, 12.

QUOS EGO DILIGO IN VERITATE, — vero scilicet, sincero, casto, christiano, efficaci et operoso amore. « In veritate » ergo est idem quod in Christiana charitate; unde Dionysius Carthusianus ex hoc loco colligit S. Joannem Dei instinctu cognovisse se esse in Dei gratia et charitate perfecta : quod utique verum esse credo, sed id ex hoc loco evinci nequit. Denique « in veritate, » id est, in Evangelica lege et doctrina, quæ sola est lex veritatis veræque charitatis. Porro Hugo, « in veritate, » ait, hoc est, « in Domino, » qui est veritas; unde et subdit :

ET NON EGO SOLUS, SED ET OMNES QUI COGNOVERUNT VERITATEM. — « Communis hic amor suspicionem amovet amoris privati, et majorem facit auctoritatem, » ait Glossa interlinearis. Sensus est, *q. d.* Omnes Christiani qui cognoverunt veritatem, puta verum Deum, verum Christum, veram fidem et legem, veram virtutem, veram puritatem et sanctimoniam, hi eos amant, quia vident eos excellere in veritate, id est, vera puraque fide, castitate et virtute Christi.

2. PROPTER VERITATEM QUÆ PERMANET IN NOBIS, ET NOBISCUM ERIT IN ÆTERNUM. — Refert hæc ad *diligo in veritate*, non ad *cognoverunt*, *q. d.* Diligo eos in veritate, quia ipsi constanter adhærent veritati, id est, veræ fidei, castitati et charitati Evangelicæ, quæ permanet in nobis per omnem hanc vitam, et permanebit per omnem vitam futuram et æternam in gloria cœlesti. Per *veritatem* ergo accipe veram fidem, verum Evangelium, veram doctrinam, quæ permanet et permanebit inviolata, firma et stabilis per omnem æternitatem. *Secundo*, Œcumenius per *veritatem* accipit veram, id est, firmam, stabilem, semperque sui similem charitatem, ne scilicet facile refrigeretur, extinguatur aut mutetur. Sic et Dionysius Carthusianus per *veritatem* accipit veram charitatem, qua Electa cum natis subveniebat necessitatibus fidelium, ideoque eam a Joanne tantopere fuisse dilectam asseverat. Videtur enim alludere S. Joannes ad illud *epist.* I, cap. III, vers. 18 : « Filioli, non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate. » Veritas ergo est efficax estque vera charitas, quam sequitur chara æternitas et æterna felicitas. Sensus est, quasi dicat : Diligo eos propter veritatem, quia scilicet vivunt secundum veritatem Evangelii, illi quasi normæ vivendi mores omnes conformant, illam actibus suis exprimunt. *Tertio*, nonnulli per *veritatem* accipiunt Christum; ipse enim est via, veritas et vita. Rursum ipse est parens, præco et objectum Evangelii, sive veritatis Evangelicæ : qui enim Evangelium dicit, Christum dicit, *q. d.* Diligo vos propter Christum, qui in nobis per fidem et amorem manet, et manebit per fruitionem in æternum.

Vers. 2

(1) Multis, haud improbabiliter, κυρία est nomen feminæ proprium. In Gruteri *Inscriptionibus*, nec raro in *Martyrologiis* occurrit nomen Græcum Κυρία; in Gori *Inscriptionibus*, nomen Latinum *Cyria*; in libris aliis multis, *Cyrilla*. Nec inepta est Carpzovii conjectura, quum nomen syriacum מרתא *Martha* sit idem quod Κυρία, intelligi posse Lazari et Mariæ sororem, amicam Jesu et Joannis.

3. SIT VOBISCUM GRATIA, MISERICORDIA, PAX. — De hac salutatione dixi initio epistolæ S. Pauli *ad Titum, ad Romanos, ad Corinth.*, etc. Addit «misericordiam,» vel, ut Syrus, *miserationes* gratiæ, ut per eam misericordiam quam a Deo per Christum perceperunt, et in dies percipiebant, instiget Electam et natos ad similem misericordiam exhibendam proximis, puta Christianis pauperibus, eorum egestati succurrendo; omnes enim, quantumvis sancti, miseri sunt et infirmi, ac sæpius vel labuntur, vel in periculo sunt labendi: egent enim misericordia Dei assidue, ut lapsi resurgant, lapsuri sustententur et confirmentur.

A DEO PATRE ET A CHRISTO JESU FILIO PATRIS. — Sub his duabus personis intellige tertiam, scilicet Spiritum Sanctum; hujus enim necessarium principium spirativum sunt Pater et Filius: ita Lyranus.

IN VERITATE ET CHARITATE. — Subaudi, ut perseveretis, vel, ut crescatis, *q. d.* Sit vobis gratia, etc., ut crescatis et proficiatis assidue in charitate et veritate, hoc est, vera Dei bonorumque divinorum et cœlestium cognitione, sapore et gustu. Aliter Hugo et Cajetanus. Referunt enim hæc ad τὸ *Filio*, *q. d.* Filius est dilectus Patris, sive diligitur a Patre in charitate et veritate. Aut, *q. d.* Filius pro ea veritate et charitate quam attulit in mundum, quaque vos et fideles suos prosequitur, det vobis gratiam et pacem.

Aliter quoque Catharinus, *q. d.* Gratia, misericordia et pax, quam vobis apprecor, consistit in veritate, hoc est, in vera doctrina et fide ac charitate, quia invicem sincere propter Deum diligatis. In his enim duobus consistit perfectio Christiani et Christianismi. Hic sensus valde appositus est, æque ac facilis et obvius: nihil enim subaudit, nihil supplet. Porro veritas mentem illuminat, charitas voluntatem inflammat; quocirca non aliud pene, quam hæc duo, hisce Epistolis inculcat S. Joannes.

Symbolice Lyranus: «in charitate,» inquit, id est, in Spiritu Sancto; huic enim appropriatur amor et charitas.

Porro artificiose S. Joannes hac salutatione quasi prologo insinuat, et summatim complectitur totius Epistolæ argumentum. Deinceps enim commendat charitatem, ut diligamus invicem usque ad vers. 7; inde usque ad finem inculcat veritatem Evangelii, ut in ea persistant, nec hæreticis aures vel linguam commodent, imo nec Ave dicant.

4. GAVISUS SUM VALDE, QUONIAM INVENI DE FILIIS TUIS, — hoc est, filios tuos (1). Est hebraismus. Similis est *Psalm.* LXXI, vers. 16: « Dabitur ei de auro (id est, aurum) Arabiæ, et adorabunt de ipso, » id est, ipsum; et *Isaiæ* II, 3: « Docebit vos de viis suis, » id est, vias suas.

(1) Rectius, *nonnullos liberos tuos*, qui, ut credibile est, Ephesum venerant negotiorum causa.

Videtur Electa plures habuisse filios, vel ex iis nepotes. Hi enim filiorum nomine censentur; nonnulli *filios* intelligunt non carnis, sed spiritus, quos scilicet Electa in pietate et virtute alebat et promovebat; sed prius quod dixi, est genuinum.

AMBULANTES IN VERITATE, — vitam instituentes ad normam Evangelii. Nota: Non dicit stantes, nec sedentes, sed ambulantes, ut significet eos indies profecisse in moribus Christianis et ivisse de virtute in virtutem, eosque in hoc nobis imitandos proponat. « Quantum enim quis in virtute operatur, ait Œcumenius, tantum ulterius progreditur, habitumque honesti perfectiorem sibi comparat, quippe cum infinita et nunquam deficiens virtutis via sit. » Stimulum ad ambulandum dat S. Ambrosius: « Tempus, inquit, tuum ambulat, et tu dormis? » *q. d.* Grandis tibi a terra in cœlum empyreum restat via, multorum millionum milliarium est iter, tempus ambulandi tibi breve est et velox; ambulat enim, imo volat: quare ergo cum ambulante, imo volante tempore non ambulas et volas in cœlum? Vidit hoc per umbram Seneca, *epist.* 73, ubi ait, « omnia alia negligenda esse, ut huic assideamus, cui nullum temporis spatium satis magnum est, etiamsi a pueritia usque ad longissimos humani ævi terminos vita protendatur. » Quocirca idem, *De Vita beata*, cap. XVII, monet « quotidie aliquid ex vitiis demendum, erroresque suos objurgandos. »

SICUT MANDATUM ACCEPIMUS A PATRE. — Patrem potius nominat quam Filium, quia patris est mandare filiis, juxta illud *Malach.* I, 6: « Filius honorat patrem, et servus dominum suum. Si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus? et si Dominus ego sum, ubi est timor meus? » Porro Pater mandavit per Filium, quem ideo misit in mundum, juxta illud Christi, *Joan.* XV, vers. 15: « Omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis. » Alii per *Patrem* accipiunt Christum; qui est « Pater futuri sæculi, » *Isaiæ* VIII, 9: pro quo Galatinus, lib. III *De Arcan. cath.*, cap. XIX, legit: « Pater sempiternus; » quique ait: « Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus, » *Isaiæ* VIII, 18. Ita Lyranus, Hugo et Thomas Anglicus. Sed prior sensus simplicior est; nam paulo ante S. Joannes Christum a Patre distinxit.

5. ET NUNC ROGO TE, DOMINA. — Refert hæc ad finem versus: « Ut diligamus alterutrum; » ibi enim sententia pendens expletur, *q. d.* Rogo te, domina, ut te et tuos exerceas in dilectione mutua; hoc enim dilectionis mandatum non est recens et novum, sed ab initio Evangelii et Christianismi a Christo, me, cæterisque Apostolis promulgatum et assidue commendatum. Nota modestiam S. Joannis Prælatis imitandam, quia dicit: « Rogo te, domina, » cum potuisset dicere: « Mando tibi, o filia; » de qua vide S. Gregorium, lib. XIII *Moral.*, cap. III; S. Bernardum,

serm. 23 *in Cant.*, et S. Bonaventura *De Sex alis Seraphim*, cap. IV, V, VII. De mandato dilectionis novo et veteri dixi *epist.* I, cap. II, vers. 7.

6. ET HÆC EST CHARITAS UT AMBULEMUS SECUNDUM MANDATA EJUS. — Græca et Syrus, *mandatum ejus*, puta dilectionis, jam dictum, *q. d.* In hoc cernitur, in hoc consistit charitas, nimirum in observatione mandatorum Dei. Hæc enim mandata non sunt aliud, quam mandata charitatis et dilectionis, tum Dei, uti sunt tria prima Decalogi, tum proximi, quod jam inculcavi et inculco, uti sunt septem ultima Decalogi.

HOC EST ENIM MANDATUM (scilicet charitatis et dilectionis jam dictum, et sæpius, imo semper a me inculcatum), UT QUEMADMODUM AUDISTIS AB INITIO, IN EO AMBULETIS, — nimirum in veritate et charitate Evangelica assidue progrediamini, crescendo et proficiendo in fide et dilectione Dei et proximi, quæ initio prædicationis meæ vobis inculcavi, nec ab iis a quoquam ullo modo vos abduci patiamini.

7. QUONIAM MULTI SEDUCTORES EXIERUNT IN MUNDUM. — Transit ad alterum Epistolæ caput, scilicet a charitate ad veritatem Evangelicam; hæ enim virtutes sunt individuæ comites et sorores: veritas enim Evangelii docet et parit charitatem. Porro τὸ *quoniam* dat causam dictorum vers. præced., *q. d.* Dixi ut in mandato veritatis et charitatis Evangelii, quod ab initio vobis tradidi, constanter ambuletis, id est, maneatis et proficiatis; quoniam multi seductores exierunt in mundum, qui hanc veritatem, et consequenter charitatem Christianam evertere et vobis eripere conantur; a quibus proinde quasi lupis, imo Antichristis, cavere debetis : ipsi enim a Christo et Christianorum unione, ad sua satanica conventicula vos seducere satagunt: ita Œcumenius.

VENISSE. — Græce ἐρχόμενον, hoc est *venientem*, id est, ut Tigurina, *venturum*, scilicet ab olim, a tempore Prophetarum, qui eum venturum prædixerunt. Melius Noster vertit, *venisse* : jam enim venerat Christus, nisi quis cum Cajetano referat ad futurum in judicio Christi adventum : hunc enim negabant hæretici illius ævi, uti dixi II *Petri* III, 4.

HIC EST SEDUCTOR ET ANTICHRISTUS. — *q. d.* Quisquis ita sentit, quisquis ita docet, scilicet Christum non venisse in carnem, nec esse incarnatum, hic est impostor, imo Antichristus. Repetit et inculcat dicta *epist.* I, cap. IV, vers. 3.

8. VIDETE VOSMETIPSOS. — Vatablus, intuemini, scrutamini, examinate « vos ipsos; » Tigurina, « cavete vobis ipsis, » Syrus apud Serarium, « custodite vos in anima vestra. » Præclare Philo Carpathius in cap. ult. *Cantic.* : « Nihil, ait, est utilius, nihil laudabilius, nihil sanctius, quam in se descendere, seque et vitam propriam et proximi, cum possis, ad honestatem collimare. »

NE PERDATIS QUÆ OPERATI ESTIS. — Græca hæc legunt in prima persona, ἵνα μὴ ἀπολέσωμεν ἃ ἠργασάμεθα, id est, *ne perdamus quæ operati sumus, q. d.* Ne incassum vobis prædicarim, quod sane fieret, si sineretis vos ab hæreticis a veritate et charitate Christiana ad hæresim traduci : tam enim ego quam vos omnem pristinum laborem perderemus. Porro, ut vetus dictum habet : « Nulla major infelicitas est, quam meminisse se aliquando fuisse felicem. »

SED UT MERCEDEM PLENAM ACCIPIATIS. — Hanc enim vobis afferet in fide et charitate Christi constantia ac perseverantia; hæc enim tam præteritorum, quam præsentium et futurorum bonorum operum integram, adæquatam plenamque mercedem promerebitur et reipsa afferet. Rursum « plenam, » id est, copiosam et abundantem, ut alibi ostendi. Qui enim apostatat, esto postea pœniteat, semiplenam et dimidiatam duntaxat mercedem recipiet, quia omne tempus et omnia opera quæ in apostasia gessit, perdidit. Græca rursum habent in præsenti ἀπωλάβωμεν, hoc est, *ut plenam mercedem accipiamus*; plena enim Apostoli et doctoris est merces, cum operum suorum fructum videt in discipulis; cumque non tantum in se, sed et in discipulis suis remunerationem accipiens, honoratur et coronatur. Unde S. Paulus ait, *Philippens.* IV, 1 : « Itaque, fratres mei charissimi et desideratissimi, gaudium meum et corona mea, sic state in Domino, charissimi; » et *Thessalonicensibus*, epistola I, cap. II, vers. 19 : « Quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum nostrum Jesum Christum estis in adventu ejus? vos enim estis gloria nostra et gaudium. »

9. OMNIS QUI RECEDIT. — Perperam Lyranus et Hugo legunt *præcedit*, *q. d.* Qui prius bene incedit, sed postea male ambulat et recedit, perperam, inquam : Græce enim est παραβαίνων, id est, *qui transgreditur*, violat, recedit; Syrus, *qui transit et non permanet in doctrina Christi*, *Deum non habet amicum*, patrem, tutorem, provisorem per fidem, spem et charitatem.

QUI PERMANET IN DOCTRINA, HIC ET PATREM ET FILIUM HABET, — ac consequenter Spiritum Sanctum, qui est amor et nexus Patris et Filii. Talis ergo est templum SS. Trinitatis, uti docet Christus, *Joan.* XIV, 23, et Paulus, I *Corinth.* VI, 19. Repetit et inculcat S. Joannes ea quæ scripsit *epist.* I, cap. II, vers. 24. Vide ibi dicta.

10. SI QUIS VENIT AD VOS, ET HANC DOCTRINAM NON AFFERT, NOLITE RECIPERE EUM IN DOMUM, NEC AVE EI DIXERITIS. — Non tantum consulit S. Joannes, uti aliqui opinantur, sed et præcipit, ut Electa et quivis fidelis hæreticum, qui « hanc doctrinam non affert, » id est, qui aliam, et Christo fideique orthodoxæ contrariam doctrinam affert (est miosis), hospitio non accipiat, nec Ave ei dicat; loquitur enim proprie de hæreticis dogmatistis, qui in domos matronarum nobilium et potentum irrepebant, ut hæreses suas occulte docerent et spargerent. Unde causam præcepti subdit, dicens :

« Qui enim dicit illi Ave, communicat operibus ejus malignis; » quia scilicet salutando hæreticum dogmastisten, videtur dogmati et hæresi ejus favere et applaudere, illudque fovere et promovere sua auctoritate, favore, hospitio, facultatibus. Sicut enim qui furem artem furandi exercentem domo excipit, censetur ejus furtis cooperari, ac poinde juxta leges quasi furum receptator punitur, quia furi dat receptaculum et latebras. Et qui meretrici ut meretricetur elocat domum, censetur cooperari ejus meretricio, ait Navarrus in *Manuali*, cap. XVII, num. 193. Sic qui hæreticum venientem in urbem ut in ea dogmatizet, hæresimque spargat, hospitio excipit, censetur ejus doctrinæ et hæresis propagationi cooperari. Vetat hic S. Joannes omne colloquium, omne consortium, omne commercium cum hæreticis : hoc enim est plus quam « Ave. »

Nota : non tantum jure humano et canonico, quod post S. Joannem ediderunt Pontifices et Concilia, sed et jure divino ac naturæ fugiendi sunt hæretici tribus casibus. *Primus* est, cum est periculum ne tu vel tui ab eis pervertantur, quod ordinarie subesse solet. « Nam sermo eorum ut cancer serpit, » ait S. Paulus, II *Timoth.* II, 17.

Secundus, cum suscipiendo eum, videris ejus hæresi favere, eamque tacite profiteri aut adjuvare, v. g. si Ministrum Calvinianum cognitum domo et mensa excipias, qui ea de causa venit, ut hæresim suam propaget; si ejus concioni et cœnæ Eucharisticæ intersis; si ei in sacris et Sacramentis communices.

Tertius, cum scandalum aliis creas, ut ipsi putent te hæresis et hæreticorun hospitem et patronum, utque ipsi ad idem faciendum tuo exemplo incitentur.

Hisce casibus exceptis, jure divino et naturæ non vetatur communicatio cum hæreticis, præsertim si necessitas, pietas aut gravis utilitas eam suadeat.

Porro S. Joannes, quod hic docuit verbo, monstravit exemplo. Ingressus enim balneum, mox ut in eo Cerinthum conspexit, ex eo se proripuit, dicens suis : « Fugiamus ocius, ne balneum in quo est Cerinthus, veritatis adversarius, extemplo corruat, » uti refert Irenæus, lib. III, cap. III, et Eusebius, lib. III, cap. XIII; additque S. Hieronymus, dialog. *Contra Luciferum*, post S. Joannis abitum illico Cerinthum cum sociis balneo ruente fuisse oppressum. S. Joannes ergo uti ingenti amore prosequebatur Christum Christique fidem, ita immani odio aversabatur hæreticos, juratos Christi et fidei hostes.

S. Joannem magistrum secutus S. Polycarpus discipulus, ad hæc S. Joannis verba alludens, epist. *ad Philippens.* : « Abstinentes, ait, a scandalis et a falsis fratribus, qui in vanum portant nomen Domini, qui oberrare faciunt inanes homines : omnis enim qui non confitetur Jesum Christum in carne venisse, hic Antichristus est; et qui non confitetur mysterium crucis, ex diabolo est; et qui detorserit eloquia Domini ad propria desideria, et dixerit neque resurrectionem, neque judicium esse, hic primogenitus Satanæ est. Propter quod relinquentes vanitates multorum et falsas doctrinas, ad illud quod traditum est nobis a principio verbum revertamur. » Ita scripsit S. Polycarpus, ita et fecit; occurrens enim Marcioni hæretico, ab eo rogatus num se agnosceret? « Agnosco, ait, te primogenitum diaboli, » uti ex Irenæo Eusebius, lib. IV *Histor.*, cap. XIII.

Sic et S. Ignatius, æque S. Joannis discipulus, epistola *ad Trallianos* : « Fugite, ait, impias, et Deum abnegantes hæreses; diaboli enim sunt adinventiones, serpentis malorum auctoris, qui per mulierem seduxit Adam. » Similia habet S. Clemens Romanus, lib. VI *Const. Apostol.*, cap. XVIII; S. Martialis, epist. *ad Tolosanos*; S. Irenæus, lib. III, cap. III; S. Hilarius, lib. *Contra Auxentium*; S. Cyprianus, *De Lapsis*; S. Hieronymus, epist. *ad Demetrium*; S. Chrysostomus, homil. *De fide, spe et charitate*; S. Bernardus, serm. 66 *in Cantic.*

Sic S. Hermenegildus jussu patris Leovigildi, regis Gothorum, occisus est, quod noluisset in Paschate ab Episcopo Ariano Eucharistiam suscipere, uti refert S. Gregorius, lib. III *Dialog.*, cap. XXXI : eaque de causa eum ut martyrem colit Ecclesia.

Joannes Moschus in *Prato Spirit.*, cap. XL, narrat Cosmum Abbatem sanctum, sepultum in eodem sepulcro in quo humatus erat hæreticus Episcopus, singulis noctibus auditum has voces dare : « Noli me tangere, hæretice, et ne appropinques mihi, inimice sanctæ Dei Catholicæ Ecclesiæ. » Et cap. CLXXVII, narrat Monachum habitantem in cella Evagrii hæretici, in eadem seipsum injecto fune strangulasse. Id ei prædixerat Abbas, dicens : « Fili, dæmon acerrimus illic habitat, qui non permittit aliquem ibi commorari. »

Eusebius Vercellensis captus ab Arianis malebat fame mori, quam ab Arianis cibum sumere, uti habet ejus Vita.

Liberius Pontifex rejecit munera, quæ Eusebius, Constantii Imperatoris Ariani legatus, offerebat S. Petro, teste S. Athanasio, epist. *ad Solitarios.*

Quam cives Samosateni execrati sint Eunomium hæreticum, adeo ut pueri ludentes pila, cum illa casu mulam Eunomii tetigisset, in lusu pergere noluerint, nisi illam quasi hoc tactu contaminatam, prius trajiciendo per flammas expiassent, narrat Theodoretus, lib. IV *Histor.*, cap. XII, et Baronius, anno Christi 370. Similia de Alexandrinis suis Arianos avcrsantibus habet S. Athanasius, epist. *ad Solitarios.*

S. Paphnutius Maximum Hierosolymæ Episcopum ex simplicitate inter hæreticos versantem manu educens : « Non patiar, inquit, Episcopum adeo venerandum in cathedra pestilentiæ sedere, et cum impuris hæreticis ne verbo quidem communicare. » Testis Sozomenes, lib. II, cap. XXV.

S. Antonius jam moriturus, teste S. Athanasio in ejus Vita, suis discipulis severe edixit : « Hæreticorum et schismaticorum venena vitate, meumque circa eos odium sectamini; scitis ipsi quod nullus mihi pacificus sermo cum eis unquam fuerit. »

S. Martinus communicans cum Episcopis Ithacianæ sectæ spe salutis eorum, monitus fuit ab angelo, pœnitensque licet, deinceps tamen sensit detrimentum virtutis, ut tot miracula non patraret, quot ante solebat, teste Sulpitio, lib. III *Dial.*

Multo magis cavendi sunt hæreticorum libri; illi enim pestilentes occulte hæresim suam, quasi pestem, specie elegantiæ et sapientiæ animis legentium instillant. Hoc sæculo hæresis Lutheri et Calvini, per tot regna sparsa est per libros eorum; si eam vis tollere, tolle eorum libros et Ministros; illico eam sustuleris, si pios et doctos sacerdotes et prædicatores eis substituas. Quocirca Constantinus Magnus sub pœna mortis jussit libros Arianorum exuri : ita *Tripart.*, lib. I, cap. XV. Idem sub eadem pœna de libris Eunomianorum sanxit Theodosius, *Cod. Theodos.* lib. XVI, leg. 16. Sic Manichæorum libros cremari jussit S. Leo, teste S. Prospero in *Chronico*. A libris Wiclefi Bohemiæ invectam esse hæresim Hussiticam, quæ usque ad hæc tempora duravit, testis est Æneas Sylvius, *De Origen. Bohem.*, cap. XXXVII. Joannes Moschus, in *Prato Spirit.*, cap. XLVI, narrat Cyriacum Abbatem graviter per visum a B. Virgine reprehensum, quod in cubiculo haberet libros Nestorii, cum diceret : « Habes intra cellam tuam inimicum meum, et vis ut ingrediar? »

Libri hæretici ut pestes fugiendi.

NEC AVE EI DIXERITIS. — Syrus, *Ave et Vale non dicetis ei;* græce χαίρειν, id est *ave, salve, vale. Ave* et *salve* dicebant prisci Romani in ingressu, *vale* in digressu. Rursum *ave* dicebant mane, *vale* vespere, teste Suetonio, in *Galba*, cap. IV, et Martiali, lib. IV, *epigram.* 79 :

> Discurris tota vagus urbe, nec ulla cathedra est,
> Cui non mane feras irrequietus ave.

« Ave » ergo, id est gaude : ita Syrus. Audi Festum : « Avere nihil aliud est, quam cupere; argumento est avidum et aviditas, ex quibus præcipua cupiditas intelligitur, cum significet et gaudere. Sic χαίρειν idem est quod *gaude, lætare, exulta;* lætitia enim salus est et beatitudo hujus vitæ, quam salutando aliis apprecamur, juxta illud *Eccles.* III, 12 : « Cognovi quod non esset melius nisi lætari et facere bene in vita sua. » Hæretico ergo non Ave, sed væ intentandum, uti intentavit Elimæ impostori S. Paulus, *Act.* XIII, 10, dicens : « O plene omni dolo et omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis justitiæ, non desinis subvertere vias Domini rectas. Et nunc ecce manus Domini super te, et eris cæcus, non videns solem usque ad tempus. »

11. QUI ENIM DICIT ILLI AVE (Syrus, *gaude*), COMMUNICAT OPERIBUS EJUS MALIGNIS. — Salutando enim hæreticum dogmatisten, hæresin ejus probare videtur, uti paulo ante ostendi, cum potius instar Pauli eam redarguere et abominari debeat. Pro *malignis*, Irenæus, lib. I, cap. XIII, legit *nequissimis;* omnes enim dolos, fraudes, libidines, scelera omnia machinantur hæresiarchæ, et hæresis propagatores. Nonnulli codices Latini addunt : « Ecce prædixi vobis, ut in die Domini non confundamini. » Ita legunt Lyranus, Hugo, Dionysius et Thomas Anglicus.

12. PLURA HABENS VOBIS SCRIBERE, NOLUI PER CHARTAM ET ATRAMENTUM, — non quasi ob defectum chartæ et atramenti plura scribere nequeam, sed quod censeam ea non committenda esse chartæ et atramento (ita Syrus), hoc est, non esse scribenda, sed ore tenus communicanda, ut sequitur : sive quia secreta sunt, sive quia litteræ perire, vel in infidelium, qui perperam omnia nostra interpretantur, manus incidere possunt; sive quia viva vox est efficacior et gratior quam scripta; sive quia litteræ et colloquia, præsertim cum feminis, debent esse succincta, uti aiebat S. Franciscus uterque, scilicet Assisias et noster Xaverius. Præclare quoque idem S. Franciscus Assisias in opusculo *Decem Perfectionum veri Religiosi*, hanc ultimam assignat : « Super omnia caveat, inquit, ut in omnibus verbis ejus reluceat veritas, bonitas et humilitas, quia verbum hominis debet incipere a veritate, proficere in bonitate, terminare in humilitate, et mensurari brevitate, quia Verbum abbreviatum fecit Dominus super terram. »

Gnome S. Francisci.

SPERO ENIM ME FUTURUM APUD VOS. — Hinc videtur hæc Epistola scripta et missa non Babylonem ad Babyloniam feminam, ut ait Clemens Alexandrinus, sed ad aliquam Asiæ vel Græciæ urbem Epheso vicinam. Inde enim ad vicinas Asiæ urbes in fide erudiendas et confirmandas excurrere poterat et solebat S. Joannes jam grandævus, et pene decrepitus, non vero in Babylonem adeo remotam.

ET OS AD OS LOQUI. — Est Græcismus, pro eo quod Latini dicunt : « Ore ad os loqui, » hoc est, præsens præsenti loqui; Græce enim est στόμα πρὸς στόμα λαλῆσαι; sed more Græco subauditur præpositio κατά, *q. d.* Secundum os, id est, ore ad os loqui. Est ergo antiptosis Græca, vel potius Hebraica : Hebræi enim, quia carent nominum declinatione et casibus, dicunt, פה אל פה *pe el pe*, id est, *os ad os*, hoc est ore ad os loqui.

UT GAUDIUM VESTRUM PLENUM SIT. — « Plenum, » id est, abundans et exuberans; viva enim vox Doctoris et Apostoli, præsertim S. Joannis, longe plus gaudii, doctrinæ, consolationis, pietatis, devotionis erat allatura, quam litteræ mortuæ. Nam, ut ait S. Hieronymus *ad Paulinum* de S. Scripturis : « Habet nescio quid latentis energiæ vivæ vocis actus, et in aures discipulorum de auctoris ore transfusa fortius sonat. » Pro *vestrum* Græca legunt ἡμῶν, id est *nostrum*. Tam enim S. Joannes

gaudebat videre, docere et consolari suos discipulos, quam discipuli gaudebant ejus aspectu, doctrina et consolatione. Sic S. Paulus optat videre Romanos, cap. I, vers. 12 : « Et simul consolari, inquit ipse, in vobis per eam quæ invicem est fidem, vestram atque meam. »

13. SALUTANT TE FILII SORORIS TUÆ ELECTÆ. — Hinc Œcumenius et noster Serarius contendunt τὸ *Electæ*, cui inscribitur hæc Epistola, esse nomen appellativum et epithetum Ecclesiæ cujusvis particularis. Sensum enim esse, *q. d.* Te, o electa Ecclesia Corinthiorum, salutant filii sororis tuæ, puta fideles electæ Ecclesiæ Ephesiorum. Alii censent Electas has fuisse personas particulares, sed vocari sorores non carne, sed fide et spiritu, eo quod ambæ ejusdem magistri, puta S. Joannis essent discipulæ.

Verum respondeo *primo*, τὸ *Electæ* referri ad « tuæ, » non ad « sororis. » Clarius id apparet in Græco : « salutant, inquit, te filii » τῆς ἀδελφῆς σου τῆς Ἐκλεκτῆς, id est « sororis tui : tui, » inquam, quæ es « Electa, » sive quæ uti nominaris, ita revera es electa. Unde Biblia Gothica, teste Mariana, legunt : « Salutant te filii sororis tuæ, Electa, » id est, o Electa, in vocativo casu.

Secundo, planius τὸ *Electa* referas ad « sororis, » soror ergo Electæ, ad quam scribit S. Joannes, vers. 1, vocabatur pariter « Electa ; » sæpe enim in eadem familia, præsertim si sit ampla et pro-libus abundans, plures filii et filiæ habent idem nomen, ut in eadem sint duo Joannes, duo Petri, duæ Mariæ, duæ Margaritæ. Addo quod initio Epistolæ indicavi, τὸ *Electæ* non tam esse nomen proprium, quam appropriatum, quia scilicet est nomen dignitatis et officii, quod pluribus personis idem officium obeuntibus tribuitur et congruit. Electa ergo videtur fuisse nomen matronæ primariæ, quæ Ecclesiæ ministros, orphanos, viduas et pauperes sustentabat, quasi mater, quæ cæterarum feminarum instructioni et gubernationi in Ecclesia præerat instar Diaconissæ. Sensus ergo est, *q. d.* O Electa, mater fidelium in Ecclesia, v. g. Corinthi, salutant te filii sororis tuæ, quæ pariter est Electa, mater fidelium in Ecclesia Ephesi, unde hæc scribo. Id arguit Græcus articulus τῆς Ἐκλεκτῆς ; nomini enim proprio non solent Græci præfigere articulum, sed nomini dignitatis et officii, quod certæ personæ appropriatur.

Hæc verba ostendunt comitatem, affabilitatem et humanitatem S. Joannis, qua non solum Electam suo, sed et nepotum nomine salutat. Similis fuit in S. Paulo, uti videre est *Rom.* cap. ult., et in fine cæterarum ejus Epistolarum.

Nonnulli Græci et Latini codices addunt : « Gratia tecum, Amen ; » et Syrus, « Gratia vobiscum, Amen ; » quæ salutatio et S. Joanne digna est, et S. Paulo frequens.

COMMENTARIUS

IN TERTIAM

SANCTI JOANNIS

EPISTOLAM.

SYNOPSIS.

Scribit S. Joannes ad Caium sibi familiarem, eumque laudat ab hospitalitate, quod fideles peregrinos hospitio excipiat, foveat, benigne lauteque habeat. Inde, vers. 9, ex adverso accusat Diotrephis inhospitalitatem et arrogantiam, quod fideles non suscipiat, et suscipientes ex Ecclesia ejiciat. Denique, vers. 12, Demetrium publico omnium suoque testimonio commendat, ac brevi se præsentem fore significans salutari jubet amicos.

1. Senior Caio charissimo, quem ego diligo in veritate. 2. Charissime, de omnibus orationem facio prospere te ingredi, et valere, sicut prospere agit anima tua. 3. Gavisus sum valde venientibus fratribus, et testimonium perhibentibus veritati tuæ, sicut tu in veritate ambulas. 4. Majorem horum non habeo gratiam, quam ut audiam filios meos in veritate ambulare. 5. Charissime, fideliter facis quidquid operaris in fratres, et hoc in peregrinos. 6. Qui testimonium reddiderunt charitati tuæ in conspectu Ecclesiæ : quos benefaciens deduces digne Deo. 7. Pro nomine enim ejus profecti sunt, nihil accipientes a Gentibus. 8. Nos ergo debemus suscipere hujusmodi, ut cooperatores simus veritatis. 9. Scripsissem forsitan Ecclesiæ; sed is, qui amat primatum gerere in eis, Diotrephes non recipit nos. 10. Propter hoc si venero, commonebo ejus opera, quæ facit : verbis malignis garriens in nos; et quasi non ei ista sufficiant, neque ipse suscipit fratres, et eos, qui suscipiunt, prohibet, et de Ecclesia ejicit. 11. Charissime, noli imitari malum, sed quod bonum est. Qui benefacit, ex Deo est; qui malefacit, non vidit Deum. 12. Demetrio testimonium redditur ab omnibus, et ab ipsa veritate, sed et nos testimonium perhibemus; et nosti quoniam testimonium nostrum verum est. 13. Multa habui tibi scribere; sed nolui per atramentum et calamum scribere tibi. 14. Spero autem protinus te videre, et os ad os loquemur. Pax tibi. Salutant te amici. Saluta amicos nominatim.

1. SENIOR, — id est maxime senex, antiquissimus, summus tum ætate, tum dignitate Episcopatus, Apostolatus et Patriarchatus. Vide dicta *epist.* II, vers. 1.

Caius quis? Resp. Primo.

CAIO. — Quis est Caius? *Primo*, Lucius Dexter in *Chronico* censet fuisse filium Caii Oppii Centurionis; sic enim habet : « Anno Christi 70, in Arabia Felice, martyrium trium Magorum, qui Christum in Bethlehem adorarunt. Per hæc tempora delatus jam in Asiam S. Joannes cognomento Theologus, docebat Ephesi, unde scripsit ad Caium Hispanum, C. Centurionis Malacitani filium, fratrem Demetrii hospitalis viri, cujus pater post fuit Episcopus Mediolanensis; Diotrephes vero impediebat hospites ad Hispanias peregrinationis causa devenientes. At hic malus Episcopus propter ejus scelera et superbiam depositus est. » Pergit Dexter : « Peregrinatio ad loca sancta Hispaniæ, ex multis aliis locis facta ab ipsis Apostolicis temporibus, [illegible]n C. Oppius Centurio peregrinos sustentabat. Qui Caius domo Corinthius, genere vero Hispanus, etiam D. Paulum inde redeuntem domo tectisque liberaliter excepit, invisitque Joannem ab exilio post redeuntem in Hispanias. Co-

mitatur Joannem et Romam usque ad Hyginium; inde venit Mediolanum, et Pontifex ibi factus in Domino moritur. » Sic et Onuphrius in *Chronico* Caium tertium facit Mediolani Episcopum, sed ait eum fuisse Romanum, non Hispanum. Sic enim habet anno Christi 92 : « Caius Romanus, tertius Mediolani Episcopus, sedit annis 22, » puta usque ad annum Christi 114, quousque vixisse videtur C. Oppius, nisi dicas eum fuisse decrepitum, uti fuit S. Dionysius Areopagita et alii illo ævo; nam Helecas, Episcopus Cæsaraugustanus, qui ad sua usque tempora prosecutus est Chronicon L. Dextri, asserit C. Oppium Cornelium fuisse Centurionem illum, cujus famulum Christus suscitavit, ac postea sociatum Apostolis, neci Stephani interfuisse, Petrum et Paulum comitatum in Hispanias ibi prædicasse, ac prædicantem Sceptiniensibus juxta Idam mortuum esse. Ac L. Dexter, C. Oppium, patrem hujus Caii ad quem scribit S. Joannes, censet fuisse Centurionem illum qui astitit et custodivit Christum in cruce, qui, viso terræ motu aliisque prodigiis, exclamavit : « Vere Filius Dei erat iste, » *Matth.* cap. XXVII, 54; sic enim scribit : « Anno Christi 34, Christus Salvator mundi reus ad Pilatum agitur. Claudia Procula, uxor Pilati, admonita per somnium in Christum credit, et salutem consequitur. Christus Dominus noster in crucem actus, VIII Calend. aprilis, solis defectus et tenebræ terram cooperiunt, Caius Oppius, Centurio Hispanus, credit Christo morienti in cruce. » Addit deinde hunc C. Oppium per Hispanias prædicasse Christum et miracula a Christo in cruce coram se edita, ideoque Hispanos primos suscepisse Christi fidem, ac postulasse aliquem ex Apostolis ad se mitti, missumque esse S. Jacobum. Hæc Dexter; de cujus fide et auctoritate dixi *Præfat. in Acta*, in fine Chronotaxis.

Secundo, Beda, Glossa, Hugo, Lyranus, Dionysius hic, Ambrosiaster in cap. XVI *ad Rom.*, et alii passim (excepto Cajetano et Catharino qui dubitant), censent Caium hunc fuisse Corinthium illum, de quo S. Paulus Corintho *ad Romanos* scribens cap. XVI, vers. 23, ait : « Salutat vos Caius hospes meus, et universa Ecclesia; » vel, ut Græca et Beda habent, « et universæ Ecclesiæ, » eo quod quoslibet de Ecclesia domo exciperet; pari enim modo S. Joannes hic Caium suum ab hospitalitate impense commendat. De eodem ait Paulus, I *Corinth.* I, 14 : « Neminem vestrum baptizavi nisi Crispum et Caium. » Porro hunc Caium S. Joanni fuisse familiarem testatur S. Athanasius in *Synopsi*, ubi ait eumdem, dictante S. Joanne, scripsisse ejus Evangelium; Metaphrastes vero in *Vita S. Joannis* asserit S. Joannem Evangelium a se in exilio Pathmos conscriptum, cum ex eo Ephesum rediisset, illud Caio legendum et recognoscendum tradidisse.

Addit Mariana et Serarius hunc eumdem esse Caium cum illo ad quem extant primæ quatuor epistolæ S. Dionysii Areopagitæ, quas inscribit Caio Therapeutæ, id est Esseno, Ascetæ, Monacho. Favet id quod huic Caio scribit S. Joannes vers. 11 : « Qui bene facit, ex Deo est; qui male facit, non vidit Deum. » Therapeutæ enim assidue vacantes pietati et contemplationi, per eam videbant Deum; unde et *videntes* vocabantur, uti olim et Prophetæ. Idem censent Maximus et Georgius Pachymeres, S. Dionysii Paraphrastes, ac Dionysius Carthusianus ibidem. Ex illis enim S. Dionysii epistolis liquet Caium hunc fuisse virum sublimem, et Apostolis familiarem; nec obstat monachismus hospitalitati, quam in Caio hic commendat S. Joannes; tam enim olim quam modo religiosis et monachis cordi fuit et est hospitalitas; præsertim si credimus Dorotheo in *Synopsi*, et Sedulio, in cap. XVI *ad Roman.*, qui tradunt Caium, de quo Paulus *Roman.* XVI, creatum esse Episcopum, sive, ut Dorotheus vult, Ephesinum, sive, ut Sedulius, primum Thessalonicensem; solebant enim ex Therapeutis et Ascetis, quasi viris perfectis, creari Episcopi, imo Episcopi erant Therapeutæ, ut patet in S. Dionysio, S. Basilio, S. Nazianzeno, S. Chrysostomo, S. Gregorio, S. Augustino, qui vitam contemplativam jungebant actioni. Episcoporum enim propria dos et laus est hospitalitas, quam proinde eis commendat S. Paulus I *Timoth.* III, 2, et *Tit.* I, 8.

2. DE OMNIBUS ORATIONEM FACIO PROSPERE TE INGREDI, ET VALERE, SICUT PROSPERE AGIT ANIMA TUA. — Pagninus et Tigurina omittentes τὸ σε, id est *te*, sic vertunt, *de omnibus* (fidelibus tuis) *opto ut prospere agant, et recte valeant, sicut prospere agit anima tua, q. d.* Opto omnes recte valere et prosperari, sicut tu recte vales et prosperaris. Verum omnes Græci, Syri et Latini legunt τὸ σε, id est *te*. Itaque pro genuino sensu, nota : Pro *de omnibus* græce est περὶ πάντων, quod verti potest, *præ omnibus, supra omnia*, vel *omnes*. Noster simplicius vertit, *de omnibus*, id est in omnibus, per omnia; Syrus, *in omni re oro ego pro te, ut prospere pergas, et sis sanus, sicut prospere agit anima tua*; Vatablus, *sicut animo bene habes, ita opto te per omnia bene habere*. Aut, opto te in omnibus semper valere et prosperari, sicut reipsa nunc anima tua, id est tu ipse in omnibus recte vales et prosperaris. Deus enim tua omnia fortunat et prosperat; facit enim ut tam corpore quam animo recte valeas, idemque benedicit et locupletat tuam familiam, famulos, amicos, negotia, opes, proventus resque tuas omnes, quia eas in Dei obsequium, ac Ecclesiæ ministrorum, et hospitum pauperumque alimoniam impendis, ut in te impleatur illa benedictio Psaltis, imo Dei : « Benedices coronæ anni benignitatis tuæ, et campi tui replebuntur ubertate, » *Psalm.* LXIV, 11; et : « Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti eum, » *Psalm.* V, 13; et : « Qui coronat te in misericordia et miserationibus, » *Psalm.* CII, 4. Sic Deus benedixit bonisque omnibus vallavit beneficos amicos suos : Noe *Genes.* IX, 1; Abraham *Genes.* XXII, 17;

Isaac *Genes.* XXV, 11; Jacob *Genes.* XXXII, 29; Ruth III, 10; Obededum II *Regum*. VI, 11; Judith XIII, 23; Job I, 10, et XLII, 12. Idem facit similibus, qui ad miserendum et benefaciendum proclives sunt, juxta illud promissum Sapientis, *Prov.* cap. XXVIII, vers. 27 : « Qui dat pauperi, non indigebit; qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam; » et illud Pauli II *Corinth.* IX, 6 : « Qui parce seminat, parce et metet; et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet. »

ORATIONEM FACIO — εὔχομαι, id est *oro*, vel *opto*, ut vertit Vatablus; quæ enim optamus, hæc et oramus. Addit Nyssenus, orat. 2 *De Orat. Domin.*, orationem græce dici εὐχήν, id est *optionem* et *votum*, eo quod illi fidenter orent Deum pro bonis, qui ei boni aliquid voverunt. Rursum εὔχομαι, id est *vota facio*, voveo; nec enim verbales et frigidæ erant S. Joannis preces, sed contentæ, votivæ, efficaces et fervidæ.

PROSPERE TE INGREDI, — *q. d.* Oro ut tu in omnibus tuis negotiis et actibus prospere agas. Glossa Interlinearis, *ut quod bene agis bene perficias*. Græce est εὐοδοῦσθαι, id est, *bene ingredi*, prospera via progredi, feliciter dirigi, prospero itinere deduci: significat enim prosperum rei successum et exitum, quem suis dat Deus. Sic *Sapient.* XI, 1, dicitur εὐόδωσεν, id est, feliciter direxit opera eorum (Hebræorum) in manu Prophetæ sancti, puta per Mosen, quem eis dedit per desertum viæ ducem. Et *Psalm.* I, 3, de justo dicitur : « Omnia quæcumque faciet, prosperabuntur, » id est felicem sortientur exitum, græce εὐοδωθήσονται. Quare mysticum est quod ait Œcumenius et Beda : Prospere agere, inquiunt, idem est, quod ex Evangelii norma et præceptis vitam instituere.

ET VALERE, — ὑγιαίνειν, sanum esse, bona esse valetudine. Sanitas enim requiritur ad bona opera, præsertim hospitalitatis et beneficentiæ.

SICUT PROSPERE AGIT ANIMA TUA, — sicut animo recte vales, ita valeas et corpore, rebusque omnibus; vel, « anima tua, » id est tu ipse, ut jam dixi. Laudat Caium, et laudando eum ad hospitalitatis et virtutis incrementa extimulat. Nam, ut ait S. Augustinus, *hom.* 25, inter 50 : « Laudata virtus crescit, et laudare est acerrimus stimulus movendi. » Porro Plinius, lib. III *epist.*: « Eget, inquit, si qua virtus alia, laudis hoc stimulo liberalitas. » Quin et Seneca, lib. II *De Ira*, cap. XXI, ait, « assurgere ingenium si laudatur, et in spem sui bonam adduci. »

3. GAVISUS SUM VALDE VENIENTIBUS FRATRIBUS, ET TESTIMONIUM PERHIBENTIBUS VERITATI TUÆ. — « Veritas » hæc *primo*, est fidei, *q. d.* Testantur te in fide Christiana et doctrina Christi constanter inter omnes persecutiones persistere. *Secundo*, « veritas » hæc est morum, *q. d.* Testantur te vivere juxta fidem et veritatem Evangelii, testantur mores tuos esse conformes fidei et Evangelio quod profiteris. Unde *tertio*, veritas hic accipi potest vera charitas et beneficentia : hanc enim maxime docet et sancit veritas Evangelii, hancque in Caio dilaudat Joannes vers. 5 et 6. *Quarto*, veritas accipi potest sinceritas et candor, qui opponitur hypocrisi et simulationi, *q. d.* Testantur te in omnibus esse sincerum et candidum. *Quinto*, « veritas » accipi potest in tribuendo simplicitas, et vera simplexque liberalitas, de qua Paulus *Rom.* XII, 8; et II *Corinth.* VIII, 2.

4. MAJOREM HORUM (id est *his*; est græcismus) NON HABEO GRATIAM, — *q. d.* Nihil mihi gratius accidere potest, nullam majorem mihi gratiam facere possunt, quam si faciant, ut audiam eos in veritate jam dicta ambulare. Legit Interpres χάριν, id est *gratiam*, et ita legunt Græci; nonnulli tamen legunt χαράν, id est *gaudium* : unde Complutensia et Regia legunt, *majus horum non habeo gaudium*; et Syrus, *major illa lætitia nulla mihi est, quam ut audiam filios meos ambulare in veritate*. Eodem redit utraque lectio. Celebrat S. Hieronymus in cap. V *ad Ephesios* illud Christi axioma : « Nunquam læti sitis, nisi cum fratrem videritis in charitate. »

Porro quantum gaudii soleat magistris afferre discipulorum profectus, pulchre docet Seneca, *epistola* 34 : « Cresco, ait, et exulto, discussa senectute recalesco, quoniam ex his quæ agis et scribis, intelligo quantum te ipse (nam turbam olim reliqueras) supergrederis. Si agricolam arbor ad fructum producta delectat, si pastor ex fœtu gregis sui capit voluptatem, si alumnum suum nemo aliter intuetur, quam ut adolescentiam illius suam judicet : quid evenire credis his, qui ingenia educaverunt, et quæ tenera formaverunt, adulta subito vident? Assero te mihi, meum opus es. Ego, cum vidissem indolem tuam, injeci manum; exhortatus sum, addidi stimulos, nec lente ire passus sum, sed subinde incitavi, et nunc idem facio. Sed jam currentem hortor et invicem hortantem. »

5. CHARISSIME, FIDELITER FACIS QUIDQUID OPERARIS IN FRATRES, ET HOC IN PEREGRINOS. — « Fideliter, » id est, christiane facis. Græce πιστὸν ποιεῖς, id est, quod fidelem decet, facis; Vatablus, *facis rem tua fide dignam*, facis quod Christianum facere oportet, facis quod mire Christi fidem illustrat, hospitando, alendo, fovendo fratres, puta fideles, præsertim peregrinos. Hospitalitas enim olim Christianis erat commendatissima, adeoque signum et nota certa Christianæ fidei; testis est Lucianus licet Gentilis in *Peregrino*. Vers. 5.

Secundo, τὸ *fideliter* hic non solum fidem, sed et fidelitatem Caii, significat, *q. d.* Fidelis es Christo; fidelitatem quam Christo in baptismo spopondisti, reipsa præstas. Spopondisti enim te vitam instituturum juxta præcepta Christi, inter quæ primum est charitatis et beneficentiæ erga Christianos, quasi fratres, ac ejusdem fidei et religionis socios. Audi Tertullianum inter notas fidelium recensentem contesserationem hospitalitatis; sic enim ait lib. *De Præscript.*, cap. XX : « Itaque

tot ac tantæ Ecclesiæ, una est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes; sic omnes primæ, et omnes Apostolicæ, dum unam omnes probant unitatem. Communicatio pacis, et appellatio fraternitatis, et contesseratio hospitalitatis: quæ jura non alia ratio regit, quam ejusdem Sacramenti una traditio.» *Contesserationem* vocat tesseram sive signum, quod Christiani Christianis exhibebant, ut se ostenderent esse Christianos, itaque quasi fratres hospitio exciperentur. Sic enim et Gentiles habebant tesseram hospitii et amicitiæ. Sed cum tesseram hanc Christianorum cognovissent, et dolose usurparent Gentiles, uti Peregrinum fecisse docet Lucianus, Concilium Nicænum pro tessera instituit litteras, quas *Formatas* appellabant, de quibus vide Baronium.

ET HOC IN PEREGRINOS, — καὶ εἰς τοὺς ξένους, id est *et in hospites*, vel *peregrinos*, ubi τὸ καί, id est *et*, idem valet quod *præsertim*; ideoque Noster vertit *et hoc*. Sic Christus ait: «Dicite discipulis, et,» id est præsertim, «Petro,» *Marci* XVI, 7. Similia sunt *Sophoniæ* I, 16; *Matth.* XIII, 41, et alibi.

Porro per *peregrinos* hic accipe tum viros Apostolicos, qui peregrinando disseminabant Evangelium, uti vult Beda; tum eos qui a Gentilibus proscripti exules peregrinabantur, ut vult Hugo et Glossa interlinearis; tum fideles quolibet alio titulo vel causa peregrinantes, ut vult Dionysius. Horum enim curam Deus suo exemplo fidelibus commendavit, dicens *Deuter.* X, 18: «Deus amat peregrinum, et dat ei victum atque vestitum; et vos ergo amate peregrinos, quia et ipsi fuistis advenæ in terra Ægypti.»

6. QUI TESTIMONIUM REDDIDERUNT CHARITATI TUÆ IN CONSPECTU ECCLESIÆ. — Solebant enim olim Episcopi et presbyteri venientes ad se hospites invitare ad concionem vel exhortationem in ecclesia faciendam, quam dum hi facerent, simul celebrabant hospitalitatem et charitatem Caii, quam alibi experti erant. Hunc ritum invitandi hospites tradit S. Clemens lib. II *Constit.*, cap. LXII, et sancit Concilium Carthag. IV, cap. III, eumque usurparunt Mediolani S. Ambrosius, ut patet *homil.* 48, et S. Cyrillus Alexandriæ, ut patet *hom.* 7 et 8.

QUOS BENEFACIENS DEDUCES DIGNE DEO. — Hugo legit, *deducis*. Sensus est, *q. d.* Quibus si benefacere pergas, excipiendo illos hospitio, alendo, juvando, dirigendo, dando viaticum, «deduces illos digne Deo,» *q. d.* Facies ut commode iter suum prosequi, et alio quo tendunt commigrare possint, quod est opus pium Deoque dignum. Græce est, οὓς καλῶς ποιήσεις προπέμψας, id est, *quos benefacies*, id est beneficio afficies, *deducens digne Deo*, et ita legunt Complutensia et Regia. Hinc et Tigurina ac Pagninus vertunt, *Quos benefacies, si deduxeris digne Deo*; S. Hieronymus in cap. I *ad Titum* vertit, *Quos optime facies, si præmiseris* (hoc enim est προπέμψας) *digne Deo*. Hæc omnia eodem redeunt; τὸ ergo *deduces*, ut ex voce Græca liquet, non tam ducatum aut comitatum corporalem significat, quasi velit S. Joannes Caium hospites suos abeuntes personaliter comitari, et per iter deducere; quam viaticum et reliqua ad iter opportuna, v. g. duces itineris, comites contra latrones, litteras commendatitias ad amicos, etc., complectitur. «Deduces» ergo, id est transmittes eos commode, secure, liberaliter. Sic Romani iis quibus publicum hospitium dabant, etiam lautia, id est hospitalia dona tribuebant. Hoc est quod Romanis scribit Paulus cap. XVI, vers. 2, de Phœbe: «Ut suscipiatis eam, inquit, in Domino digne sanctis, et assistatis ei in quocumque negotio vestri indiguerit.»

DIGNE DEO. — *Primo*, *q. d.* Uti dignum est Dei cultores a Dei cultore tractari, honorando illos quasi Dei ministros, et Deum in illis; tam charitative et reverenter eos tractando, quam tractari decet Christi servos et membra, ait Dionysius. Digne Deo quid? Resp. Primo.

Secundo, *q. d.* Facies quod Deo dignum est, gratum et honorificum. Secundo.

Tertio, *q. d.* Rependes quasi vicem Deo, quia sicut ille in te liberalis est, ita et tu liberaliter tua in Dei ministros effundis. Tertio.

Quarto, *q. d.* Magnam apud Deum inibis gratiam et mercedem; mereberis enim ut Deus liberalitatem tuam in suos ministros majori erga te liberalitate bonorum, tum corporalium, tum spiritualium compenset. Actio enim Deo digna censetur, quæ apud Deum præmium et compensationem meretur. Qui enim agit digna Deo, dignus est cui Deus paria, imo majora rependat, juxta illud promissum Christi, *Matth.* X, 40: «Qui recipit vos, me recipit; et qui recipit me, recipit eum qui me misit. Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet; et qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet.»

Quinto, «digne Deo,» hoc est, tali modo qui dignus censeatur Deo, *q. d.* Divine, regie, largiter. Ita noster Lorinus: unde Syrus vertit, *sicut decenter Deo*.

Sexto, idem, «digne Deo,» inquit, hoc est, eo modo et dignitate, ac si Deus ipse id ageret, servata proportione; sic loqui linguis angelorum I *Cor.* XIII, est ea elegantia loqui, qua uteretur angelus si loqueretur. Sexto.

Moraliter, examinet se quisque fidelis et videat an opera ejus sint plena, perfecta, et tam præstantia ut sint digna Deo, an charitas ejus sit similis charitati Dei et Christi; an agat et vivat digne Christo. Donum quod regi offers non quale quale, sed eximium et regium esse decet, ut sit rege dignum; quale ergo sit oportet quod Deo, summæ, inquam, illi sanctitati et majestati, quæ est Rex regum, et Dominus dominantium, offertur? De quo ait Job, cap. XXXVII, 23: «Digne eum invenire non possumus: magnus fortitudine, et judicio, et justitia, et enarrari non potest.» Ut vivas digne Deo, Deo et Spiritu Sancto plenus sis necesse est; solus enim Deus operatur opera divina Moraliter operam faciamus talia ut sint digna Deo.

digna se. Invoca ergo jugiter Spiritum Sanctum, et ex imo corde inclama : « Veni, Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, et tui amoris in eis ignem accende. » Hic ergo tibi in omni opere, ut illud excellenter facias, sit stimulus : « Fac hoc digne Deo; » et, ut ait Sapiens, *Eccli.* XXXIII, 23 : « In omnibus operibus tuis præcellens esto. » Hoc est quod *Ephesios* monet cap. IV, 1 : « Obsecro vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate, » etc.; et *Philipp.* I, 27 : « Tantum digne Evangelio Christi conversamini; » et *Colos.* I, 10 : « Ut ambuletis digne Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes et crescentes in scientia Dei, » etc.; et *Thessal.*, epist. I, cap. II, vers. 12 : « Testificati sumus ut ambularetis digne Deo, qui vocavit vos in suum regnum et gloriam. » Pro modulo ergo nostro digne Deo ambulemus, nam adæquate et physice solus Christus id facere potuit et fecit : ipse enim solus est ἰσόθεος id, est *æqualis Deo,* quia Deus homo; unde et actiones ejus solius fuerunt theandricæ, id est, Dei viriles, ut ait S. Dionysius, qui epistola 4 *ad Caium* : « Divina, ait, non quatenus Deus est, perfecit, neque humana quatenus homo; sed postquam Deus factus est homo, novam quamdam θεανδρικήν, id est ex divina et humana compositam, operationem apud nos instituit. »

7. PRO NOMINE ENIM EJUS PROFECTI SUNT, — ut scilicet nomen Dei et Christi evangelizarent, ait Beda, aut quia pro nomine ejus exilio mulctati sunt, aut quavis alia pietatis et Dei causa, hoc iter susceperunt; ergo par est eos a vobis « digne Deo suscipi » et deduci. Primam causam, scilicet quod profecti sint ad propagandum Evangelium, magis verba ipsa significant, et ea quæ sequuntur.

NIHIL ACCIPIENTES A GENTIBUS, — quia gratis Gentibus prædicant Evangelium, ne videantur quæstum aucupari ex Evangelio. Aut quia a Gentibus ob fidem Christi bonis spoliati sunt. Aut quia cum sint Christiani noluerunt ullum cum Gentibus, utpote idololatris, commercium habere, nec quidquam ab eis etiam oblatum accipere : decet ergo eos a vobis, o Christiani, sustentari digne Christo. Unde subdit :

8. NOS ERGO DEBEMUS SUSCIPERE HUJUSMODI. — Græce καταλαμβάνειν, id est *occupare,* prehendere, detinere, ut non exspectemus donec ipsi ad nos veniant, sed eos prævenire, domum nostram invitare, imo cogere, ait Œcumenius, uti coegerunt discipuli Christum in Emmaus, *Lucæ* XXIV, 29; et Abraham suos hospites, *Genes.* XVIII, 12; et Lot, *Genes.* XIX, 1. Porro « suscipere » et « susceptio » in Scriptura significat omne officium, omne obsequium, omnem protectionem, omnem opem et curam.

UT COOPERATORES SIMUS VERITATIS, — ministrando necessaria illis qui veritatem prædicant, et illis qui pro veritate fidei tribulationes et exilia sustinent, ait Lyranus.

Porro S. Joannes hortans Caium ut pergat in hospitalitate, utitur prima persona, non tertia, seque illi associat, dicens : « Nos ergo debemus, » non : Tu ergo debes; ut suavior et efficacior sit exhortatio. Sane non dubium S. Joannem valde fuisse in peregrinos hospitalem : erat enim Episcopus Ephesinus, ac proinde bona Ecclesiæ Ephesinæ in pauperes et peregrinos dispensabat. Addit Beda S. Joannem instar Pauli, *Actor.* XX, vers. 34, ex labore manuum vixisse, indeque aliis succurrisse, ut impleret illud Christi : « Beatius est magis dare, quam accipere, » *Actor.* cap. XX, vers. 35.

Nota : S. Joannes multis argumentis et stimulis pungit incitatque Caium ad prosequendam suam in peregrinos liberalitatem. *Primum* est, laudando ejus liberalitatem, qu[illegible]que hospites eam laudarint coram tota Ecclesi[illegible], vers. 3. *Secundum,* quod hoc sit opus fidele et Christiano proprium, vers. 5. *Tertium*, quod hoc sit opus dignum Deo, vers. 6. *Quartum*, quod conferatur in eos, qui nomen Dei prædicant aut propagant, vers. 7. *Quintum*, quod conferatur in eos, qui a cæteris Gentibus deserti vel expilati sunt, vers. 7. *Sextum,* quod per hoc cooperemur veritati et Evangelio, illudque per prædicatores vel confessores, quos excipimus et alimus, prædicemus et profiteamur. Vide quæ de excellentia hospitalitatis dixi I *Petri* IV, 9, et *Hebr.* XIII, 2.

9. SCRIPSISSEM FORSITAN ECCLESIÆ. — Græce ἔγραψα, id est *scripsi.* Ita Erasmus, Vatablus, Clarius, Cajetanus, qui censent nostram Vulgatam hic esse corruptam. Verum Gagneius, Serarius et alii censent Interpretem legisse ἔγραψα ἄν, aut certe τὸ ἄν subintellexisse, uti subinde alii subintelligunt, ideoque rectius vertisse *scripsissem forsitan;* idque probatur *primo,* quia hic sensus est congruentior, *q. d.* Scripsissem utique, sed ideo non scripsi, quia nos nostrasque litteras non recipit superbus ille Diotrephes. *Secundo,* quia nullæ extant S. Joannis litteræ scriptæ ad Ecclesiam, et frustra eas scripsisset, cum sciret eas non recipiendas, imo qui eas recepissent vexandos a Diotrephe, ut patet vers. 10. *Tertio*, id plane confirmat Syrus qui vertit, *bohe havith*, id est, quærens, petens, cupiens fui ad scribendum Ecclesiæ, sed ille qui amat esse primus apud vos, Diotrephes, non suscipit nos.

SED IS QUI AMAT PRIMATUM GERERE IN EIS, — in ea, puta Ecclesia; sed dicit *eis,* quia intelligit fideles qui sunt in Ecclesia, eamque componunt et conflant. Eclesia enim est nomen collectivum significans multitudinem, collectionem et cœtum fidelium; congrue ergo ei datur cognomen vel pronomen plurale. Græce est φιλοπρωτεύων, id est, *ambiens primatum*, primas tenere volens. Quare videtur fuisse Diotrephes, vel Episcopus, ut aliqui censent, quia Episcopus jure suo primas tenet in Ecclesia; vel certe vir potens, insolens et arrogans, qui in Ecclesia dominari, fidelibus præ-

esse, sibique jus Episcopale arrogare satagebat. Addit Beda eum fuisse hæresiarcham; sed nil tale insinuat hic S. Joannes, imo potius contrarium; nam si fuisset hæresiarcha, acrius cum eo egisset S. Joannes, eumque excommunicasset, et ex Ecclesia ejecisset, uti Paulus excommunicavit Hymenæum et Alexandrum, I *Timoth.* I, 20. Oderat ergo Diotrephes S. Joannem, non quia hæreticus, « sed quia ambitiosus; » videbat enim Joannem suo primatui quem ambiebat, resistere. Porro Diotrephes adeo fuit superbus et arrogans, ut ipsi S. Joanni sese opponere, ejusque fideles excommunicare, et ex Ecclesia ejicere auderet. S. Joannes enim, licet jure Episcopali præsideret soli Ecclesiæ Ephesinæ, jure tamen Apostolico, sive qua Apostolus, præerat omnibus Asiæ, imo totius orbis Ecclesiis (1).

DIOTREPHES. — Vatablus censet esse nomen appellativum, *q. d.* Jactabundus, arrogans; olim enim qui generis nobilitate inflati erant, διοτρεφεῖς, id est, *a Jove nutriti*, solebant vocari, et huc facit quod eum primatus Ecclesiastici affectatorem dixit.

Melius L. Dexter in *Chronico*, et alii passim censent esse nomen proprium, aut potius appropriatum; ipse enim jactans suum genus et opes apud Gentiles, gentilitio nomine vocabat se Diotrephem, id est, a Jove nutritum, Jovis filium. Sic Homerus reges vocat διοτρεφέας καὶ διογενέας, id est *Jovis alumnos*, et *a Jove genitos*. Sic Castor et Pollux vocantur διόσκουροι, id est *Jovis filii*, *Actor.* XXVIII, 11. Addit L. Dexter hunc Diotrephem fuisse Episcopum, sed ob superbiam et inhospitalitatem ab episcopatu depositum: verba Dextri recitavi initio capitis.

Perperam ergo Beda : « Diotrephes, inquit, idem est quod speciosus, insulsus, sive decor insaniens, ita ut perfidiam cordis etiam in nomine signaverit. »

Moraliter, hunc Diotrephem imitantur, qui beneficia et prælaturas ambiunt, eaque sibi ob nobilitatem et opes deberi autumant, cum Christus ignobiles et pauperes vocarit, imo elegerit in Apostolos : vide I *Cor.* I, 26; vide et Tiraquellum *De Nobilitate*, cap. XX, num. 10 et seq. Rursum Diotrephem imitantur sæculares principes et nobiles, qui jus patronatus in conferendis beneficiis non habentes, illud usurpant et invadunt, aut eo abutuntur volentes dominari in Cleris.

Denique disce hic quam Apostoli et viri magni suos habeant æmulos et hostes : ita S. Petrus æmulum habuit Simonem Magum, S. Paulus Elymam, S. Joannes Diotrephem et Apollonium Tyanæum Ephesi magiam docentem.

NON RECEPIT NOS, — nostrum apostolatum, nostram auctoritatem, nostros fratres, nostras litteras, nostra præcepta. Solebat Episcopus epistolas ad Ecclesiam suam missas recipere, et fidelibus in ecclesia legere, quasi Ecclesiæ caput, primus et primas; Episcopo absente, id præstabat ejus Vicarius, vel qui jus episcopale sibi arrogabat : quod si Episcopus epistolas non probaret, supprimebat, nec legebat. Dicit ergo S. Joannes se non scribere Ecclesiæ, eo quod illi præsideat ambitiosus Diotrephes, qui primas sibi arrogans, nulli, ne S. Joanni quidem, se submittebat, ideoque ejus scripta in ecclesia non legisset, nec legi permisisset.

10. COMMONEBO EJUS OPERA. — Minus recte aliqui legunt « commoveam, » id est, commovebo. Græce enim est ὑπομνήσω, id est *commonebo*, in memoriam revocabo, in lucem proferam, cunctis nota faciam, ante oculos ponam; Vatablus et Pagninus, *indicabo*. Ubi nota lenitatem S. Joannis in corripiendo et castigando. Budæus in *Commentar. Linguæ Græcæ* vertit, *judicabo*: est enim verbum forense; Œcumenius, *minabor, puniam*, ac *malum pro malo retribuam*; Syrus, *meminero operum ejus*, recordabor eorum quæ facit. Unde L. Dexter ait hunc Diotrephem officio et episcopatu fuisse privatum ac depositum, uti jam dixi.

VERBIS MALIGNIS GARRIENS IN NOS. — Syrus, *qui verba mala facit in nos*, calumnias in me conjiciens, mihi detrahens, me infamans, quod proprium est hæreticorum; græce est φλυαρῶν, quod significat *nugari*, ineptire, garrire, blaterare. Apposite calumnias Diotrephis despiciens vocat garritum; nam, ut ait Seneca, *epist.* 92 : « Eleganter Demetrius dicere solebat, eodem loco sibi esse voces imperitorum, quo ventre redditos crepitus? Quid enim, inquit, mea refert, sursum isti an deorsum sonent? Quanta dementia est, vereri ne infameris ab infamibus! » Idem vero Seneca, lib. *De Remed. fort.* : « Male, inquit, de te opinantur homines, sed mali; moverer si male de me M. Cato, si Læbus sapiens, si alter Cato, si duo Scipiones ista loquerentur : nunc malis displicere, laudari est. Non potest ullam auctoritatem habere sententia, ubi qui damnandus est damnat. Male de te loquuntur; moverer, si judicio hoc facerent, nunc morbo faciunt; non de me loquuntur, sed de te. Male de te loquuntur, bene nesciunt loqui; faciunt non quod mereor, sed quod solent; quibusdam enim canibus sic innatum est, ut non pro feritate, sed pro consuetudine latrent. » Ita Demosthenes apud Stobæum, *serm.* 40, « calumniam aliquantisper quidem audientium opinionem confirmare, progressu vero temporis nihil ipsa imbecillius esse » dicebat; et Socrates « admiranti cuidam cur nihil in eum commoveretur, a quo conviciis petebatur : Mihi, inquit, non maledicit, quandoquidem ea quæ dicit, mihi non adsunt nec in me hærent. »

NEQUE IPSE SUSCIPIT FRATRES, — Christianos, orthodoxos; quia suscipit duntaxat suæ sectæ pseudo-christianos et cacodoxos : hoc erat scelus avari-

(1) Allioli : Diotrephes, Joanne præsente, vel ad suæ Ecclesiæ fideles scribente, suam minui auctoritatem existimabat.

tiæ, invidentiæ et odii; quod vero sequitur, sævitiæ et arrogantiæ.

ET EOS QUI SUSCIPIUNT. — Legit ἐπιδεχομένους. Et sic habent aliqui codices; plures tamen habent τοὺς βουλομένους, id est *eos qui volunt*, scilicet suscipere.

DE ECCLESIA EJICIT, — tum de loco et cœtu Ecclesiæ, præsertim in agape et convivio post Eucharistiam: ita Hugo; tum de ipsa fidelium congregatione, excommunicando eos: ita Dionysius; cum potius ipse excommunicandus esset. Sic enim habet Concilium Gangrense cap. XI, et habetur cap. *Si quis despicit*, dist. XLII: « Si quis, ait, despicit eos qui fideliter agapas, id est, cœnas pauperibus exhibent, et propter honorem Dei convocant fratres, et noluerit communicare hujusmodi vocationibus, parvipendens quod geritur, anathema sit. »

11. NOLI IMITARI MALUM. — Syrus, *ne similis fias in malo, sed in bono, q. d.* Noli imitari superbum, impium, avarum et inhospitalem Diotrephem, esto primas in ecclesia occupet, qualem cæteri sequaces vulgo solent imitari; sed potius imitare humilem, pium, liberalem et hospitalem Demetrium, de quo vers. 12. Magna est vis exempli ad provocandum intuentes, ut illud imitentur, et major est vis pravi, quam boni, ob corruptionem naturæ. « Proclivius est, ait Hieronymus, *epist.* 7, malorum imitatio, et quorum virtutes assequi nequeas, cito imitaris vitia. » Quocirca monet hic S. Joannes, ut quisque bonorum exemplum sibi imitandum proponat, non malorum. Sic et S. Paulus I *Corinth.* XI, 1 : « Imitatores, ait, mei estote, sicut et ego Christi. » Et *Hebr.* XIII, 7 : « Mementote Præpositorum vestrorum, quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem. » Hac de causa celebrat Ecclesia Sanctorum festa, ut eos quasi exempla vitæ ad imitandum proponat; hinc et utilissimum est legere et meditari vitas Sanctorum. Ita ex lectione Vitæ S. Antonii conversi sunt duo illi aulici, quos refert S. Augustinus, lib. VIII *Confess.*, cap. VI; quin et ipse S. Augustinus ibidem cap. VII. Ex lectione Vitæ S. Mariæ Ægyptiacæ conversus est S. Joannes Columbinus, fundator Ordinis Jesuatorum; legendo Vitas Sanctorum, conversus est noster S. Ignatius.

QUI BENEFACIT, EX DEO EST; QUI MALEFACIT, NON VIDIT DEUM. — Syrus : *Ille qui facit bonum, a Deo est; et ille qui facit malum, non vidit Deum.* Dupliciter hæc sententia accipi potest. *Primo*, generatim de quolibet bono et malo cujuslibet virtutis et vitii, *q. d.* Qui facit bona opera, ex Deo est; qui facit mala, non vidit Deum. *Secundo* et magis apposite speciatim hæc accipias de bono benefici et beneficentiæ, et malo malefici et maleficentiæ. Et hoc magis significant voces Græcæ : ἀγαθοποιεῖν enim est *benefacere* alicui, beneficium præstare alteri; et ἀγαθοποιὸς est *beneficus*, munificus, liberalis; ex adverso κακοποιεῖν, est *malefacere*, male mereri de aliquo. Agit enim Joannes de beneficentia et hospitalitate, eamque in Caio laudat; maleficentiam vero in Diotrephe culpat et damnat. Alludit S. Joannes ad id quod dixit *epist.* 1, cap. 3, vers. 6, et cap. IV, 7 : « Omnis qui diligit, ex Deo natus est, et cognoscit Deum. Qui non diligit, non novit Deum; quoniam Deus charitas est. » Vide ibi dicta. Sensus est ergo, *q. d.* Qui benefacit egentibus, v. g. hospites et peregrinos suscipiendo et fovendo, uti facis tu, ô Caie, hic ex Deo est, eumque cognoscit, amat, imitatur et colit; qui vero malefacit proximo, uti facit Diotrephes, non est ex Deo, nec Deum vidit aut videt, id est, Deum practice non cognoscit, quia eum non amat, non imitatur et colit, nec ei beneficentiam mandanti obedit. Licet ergo omnis virtus sit ex Deo, tamen charitati et beneficentiæ id attribuitur et appropriatur, quod sit ex Deo, eo quod ipsa sit virtus divina, ac nos similes faciat Deo. Dei enim proprium est se suaque bona communicare, et benefacere.

Cujus ratio est, quod Dei proprium sit abundare adeo omni bono, ut supereffluat, illudque in alios benefaciendo transfundat. Qui ergo benefacit, Dei benefici filius similis et imitator est. Unde ad hæc S. Joannis verba alludens S. Dionysius, *Eccles. Hierarch.*, cap. III : « Est omnium divinius, ait, ut eloquia sacra aiunt, Dei cooperatorem fieri, et ostendere divinam in se ipso actionem relucentem. » Hinc illud adagium de beneficio : « Homo homini Deus. » Deus est, ait Plinius, lib. II, cap. VII, « mortali juvare mortalem, et hæc ad æternam gloriam via. » Nazianzenus, *De Cura Pauperum* : « Esto, ait, calamitoso Deus. » Viderunt idipsum Gentiles. Ovidius, lib. *De Ponto*, elegia 9, ad Cotyn :

> Hoc tecum commune diis, quod utrique rogati
> Supplicibus vestris ferre soletis opem.
> Nam quid erit quare solito dignemur honore
> Numina, si demas velle juvare deos?

In verbo *juvare* alludit ad etymon Jovis, qui erat deorum maximus; dictus est enim *Jupiter* a juvando, quasi *juvans pater*; unde Cicero ait, eum propter beneficia vocatum esse optimum, sicut propter vim maximum. Concludit Ovidius :

> Utilitas igitur magnos hominesque deosque
> Efficit, auxiliis quoque favente suis.

Hinc Virgilius, *ecloga* I, Augustum Cæsarem, qui sibi agros servarat, suum vocat deum :

> Namque erit ille mihi semper deus.

Cicero, epist. *ad P. Lentulum*, eum vocat parentem ac deum suæ vitæ, fortunæ, memoriæ, nominis. Martialis, lib. VIII, *epigram.* 24 :

> Qui fingit sacros auro vel marmore vultus,
> Non facit ille deos; qui rogat, ille facit.

Huc facit illud Aristotelis, I *Ethic.*, cap. II. « Quo communius, eo divinius bonum. » Vide dicta *Actor.* XX, 34.

QUI MALEFACIT, NON VIDIT DEUM.—Alludit ad illud I *epist.* cap. III, 6 : « Omnis qui peccat non vidit Deum.» Antithesis exigebat ut diceret : « Non est ex Deo ; » sed per auxesim dicit amplius, *q. d.* Qui male facit, adeo non est ex Deo, ut ne quidem Deum videat, id est, practice cognoscat, cum tamen Deus sit lux immensa, quia malefaciens in tenebris agit, dum opera tenebrarum, puta peccata, exercet. Rursum hic non cognoscit Deum, quia ita vivit ac si Deum non novisset, ac si Deus sua scelera non videret, ac si non esset Numen, scelerum judex et vindex : quæ omnia alienissima sunt a Deo. « Nam in omni loco oculi Domini contemplantur bonos et malos, » *Prov.* XV, 3. Rursum qui maleficus est, et malefacit proximo, hic proprie non videt, id est, cognoscit Deum practice, quia non agnoscit immensa et perpetua Dei in se beneficia, ut iis gratus existat, aliis amore Dei benefaciendo, cum Deo, qui bonis nostris non eget, benefacere, et vicem rependere nequeat. Quare Deus vicissim tales non cognoscit, id est, non probat dicetque eis in die judicii : « Nunquam novi vos; discedite a me, qui operamini iniquitatem, » *Matth.* VII, 23.

Ad hæc S. Joannis verba allusit S. Dionysius scribens ad eumdem *Caium Therapeutam*, videntem et contemplativum (qua de causa ait hic **S. Joannes** : « Vidit Deum »), *epist.* 1, ubi explicat quomodo boni et perfecti, præsertim Therapeutæ, qualis erat Caius, videant Deum : « Si quis est, ait, qui viso Deo id quod aspexit intellexit, non eum vidit, sed aliquid ipsius, quod est et cognoscitur; ipse vero supra mentem atque supra omnem substantiam, sublimiter collocatus, etc., mentis captum longè superat. » Deus enim in se invisibilis omnia transcendit, lucemque habitat inaccessibilem, quæ nobis caligo est impervia, ut idem docet ibidem. Idem *epist.* 2, cum quæsisset ab eo Caius : « Qui fit ut Deus super principium emineat deitatis et bonitatis, » respondet, ut interpretatur Pachymeres : « Quia deitas ejusmodi donum est, quod a Deo in nos derivatur, quo divinæ efficimur consortes naturæ. Per deitatem intellige munificam Dei gratiam, nos bonos et deos constituentem. Hoc enim donum et origo est et causa, quo dii efficimur, pariter et boni ; porro bonum hoc quod est principium nostræ deificationis, Deus ipse transcendit. Additque inimitabilem Dei imitationem, nostram esse deificationem : quia enim non efficimur dii nisi numen divinum imitando, ideo imitatio dicitur; quia vero ad primarium illud divinitatis exemplar, ne ulla quidem ex parte pertingimus, hinc jure inimitabilis hominibus et angelis dicitur ejus deitas et bonitas. » Idem *epist.* 3, ad eumdem : « Occultus, ait, est Deus etiam post ipsam declarationem, aut divinius dicam, in ipsa declaratione. » Idem, epist. 5 *ad Hieroth.* : » Divina caligo, inquit, est lux ad quam aditus non patet, in qua Deus habitare dicitur, quæ quidem nec cerni potest, præ excellenti claritate, nec adiri eadem propter singularis divini luminis effusionem. In hac versatur omnis, qui dignus habitus est, Deum nosse et videre; hoc ipso quod non cernit neque cognoscit, vere in eo aspectum et cognitionem superat; atque hoc ipsum noscens, quod est super omnia, et quæ sensu percipiuntur, et quæ ratione intelliguntur; dicitque illud Prophetæ : « Mirabilis facta est scientia tua ex me ; confortata est, et non potero ad eam. » Idem deinde probat exemplo S. Pauli, qui licet raptus esset in Deum, tamen asserit Deum omnem intelligentiam et cognitionem superare. Hinc et noster Joannes, *Evang.* cap. I, 18, ait : « Deum nemo vidit unquam, » scilicet per visionem claram; vidit tamen per obscuram cognitionem, seu fidem, juxta illud S. Pauli : « Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, » I *Corinth.* XIII, 12.

Caligo nobis est Deus, sibi lux.

12. DEMETRIO TESTIMONIUM REDDITUR AB OMNIBUS,— de hospitalitate, probitate et cæteris virtutibus Christianis. Hunc ergo Caio imitandum et adjuvandum proponit, sicut Diotrephem inhospitalem vitandum. Suspicatur noster Serarius Demetrium hunc esse illum qui olim præfectus artificum Dianæ, contra S. Paulum Ephesi seditionem concitavit, *Act.* XIX, 24; qui postea pœnitens peccatum suum fervore pensans persecutionem in propagationem fidei commutarit: licet nil tale prodant veterum historiæ. Insinuant Catharinus et Salmeron hunc Demetrium fuisse Episcopum. L. Dexter in *Chronico* asserit hunc Demetrium fuisse fratrem Caii, ad quem epistolam hanc scribit S. Joannes. Verba Dextri recitavi initio capitis.

ET AB IPSA VERITATE, — *q. d.* Falli potest testimonium populi et vulgi, at falli nequit testimonium veritatis. « Vulgus, ait Cicero *Pro Roscio comœdo*, ex veritate pauca, ex opinione multa æstimat. »

Veritas autem testimonium perhibet Demetrio, *q. d.* Vere Demetrius christiane vivit et Christiana opera facit. Ejus ergo vita verum ei virtutis dat testimonium. Veritas, id est, res ipsa clamat eum tam re ipsa, quam nomine, verum probumque esse Christianum. Beatus qui testimonium habet a veritate; hic enim testimonium habet a Deo, qui est prima et summa veritas. Mundani testimonium habent, sed ab adulatione et falsitate ; nam, ut vulgo dicitur : « Multi Laudenses, pauci Veronenses ; » nimirum multi laudatores, puta adulatores, pauci veridici.

SED ET NOS TESTIMONIUM PERHIBEMUS, — quod utique gravius et certius est, utpote Episcopale, Apostolicum et canonicum, utpote scriptoris hagiographi. Vere Cicero *pro Plancio* : « Gravior et validior est decem virorum bonorum sententia, quam totius multitudinis imperitæ. »

13. MULTA HABUI TIBI SCRIBERE, SED NOLUI PER ATRAMENTUM ET CALAMUM SCRIBERE TIBI, — *q. d.* Multa habui tibi communicanda, sed nolui ea committere chartæ, quia brevi ore ad os loque-

mur. Vide dicta *epist.* II, 12. Syrus : *Multa fuerunt mihi ad scribendum tibi, sed non volo ut in manu atramenti et calami scribam tibi.*

PAX TIBI. — Syrus, *pax sit tecum.*

14. SALUTANT TE AMICI. SALUTA AMICOS NOMINATIM. — Syrus : *Precantur pacem tibi amici. Precare pacem amicis, cuilibet in nomine suo.* Hebræorum enim communis salutatio erat שלום לכם *schalom lachem*, id est, *Pax vobis*, quam more gentis usus est Christus et Apostoli. Rursum hic nota comitatem et affabilitatem S. Joannis, qui amicos vult salutari nominatim, eos tamen non nominat, quia plurimi erant, et ne quem ex oblivione præteundo, aut alteri præponendo, offendat.

COMMENTARIUS

IN EPISTOLAM

SANCTI JUDÆ

APOSTOLI.

PROŒMIUM.

Tria hic de more præmittenda : *primum,* de auctore hujus Epistolæ; *secundum,* de ejus auctoritate; *tertium,* de ejus argumento.

Auctor Judas frater Jacobi Minoris.

Quoad *primum,* auctor est Judas non Iscariotes, sed Jacobi, scilicet frater; Jacobi, inquam, Minoris, qui frater Domini cognominatus est, scripsitque Epistolam Canonicam. Matrem habuit Mariam Alphæi, sive Cleophæ, scilicet uxorem; quæ et Jacobi, scilicet mater, vocatur, *Marci* XV, 40. Eadem vocatur soror B. Virginis, cum eaque astitit cruci Christi, *Joann.* XIX, 25, non quod proprie fuerit soror ejus ac filia S. Joachimi et Annæ, uti censuit S. Hieronymus *Contra Helvidium;* Theodoretus, *Lucæ* VI; Beda et Anselmus, *Galat.* I, sed soror phrasi Hebræa, id est cognata vel consobrina. Hæc ergo Maria Alphæi quatuor habuit filios, e quibus tres a Christo electi sunt ad Apostolatum, scilicet Jacobus, Judas et Simon; quartus Joseph fuit competitor Matthiæ, cum sors apostolatus cecidit super Matthiam, *Actor.* I. Hinc quatuor hi vocantur fratres Christi, *Matth.* XIII, 55, non quod fuerint filii Joseph, sponsi B. Virginis, ex alia uxore, ac consequenter privigni B. Virginis et proprie fratres Christi, uti opinatus est Nyssenus, orat. 2 *De Resurrect.*; Origenes, Theophylactus et Euthymius *in Matth.* XIII; Clemens Alexandrinus hic; Epiphanius, *hæresi* 51; Chrysostomus, orat. *De Annunc.*; Hilarius, can. 1 *in Matth.*; Ambrosiaster *ad Galat.* cap. II; Œcumenius et Cajetanus, *Galat.* I. Unde et Arabica versio sic habet initio Epistolæ : « Judas, filius Josephi fabri. » Joseph enim fuisse cælibem et virginem tradit S. Hieronymus *Contra Helvidium,* Beda *in Joann.* cap. II, Rupertus *in Matth.* cap. I, Magister in IV, *dist.* 30, cap. *De B. Maria,* D. Thomas, III *part., Quæst.* XXVIII, art. 3, ad 5, et alii. Vide Canisium, lib. II *De Deipara,* cap. XIII; Suarez, III *part.,* tom. II, disp. 5, sect. 4; Toletum *in Joan.,* cap. II, annot. 18, et Salmeron, tom. III, tract. 23. Vocantur ergo fratres Christi, id est consanguinei, vel affines, sicut mater eorum vocatur soror, id est cognata B. Virginis.

Judas, id est laudator.

Quoad etymon, Judas hebraice idem est quod *confessio* et *laus,* vel *confessor* et *laudator,* scilicet Dei et Christi. Nomen hoc accepisse videtur a Juda fortissimo et celeberrimo filiorum Jacob, *Genes.* cap. XLIX, vers. 8. Idem, æque ac frater ejus Simon, cognominatus est Chananæus, quasi oriundus ex Cana Galilææ, hoc est, Zelotes, teste S. Hieronymo in cap. IV *ad Galat.,* eo quod zelavit pro Domino, ait S. Fulgentius, *serm.* 9. Unde hæc ejus amoris et zeli plena vox ad Christum recensetur a S. Joanne, XIV, 22 : « Domine, quid factum est, quia manifestaturus es nobis teipsum? » Hæc enim ejus vox excita fuit verbis illis Christi euntis ad mortem, amore plenissimis : « Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum. » Hinc idem Judas cognominatus est Thaddæus et Lebbæus, id est, leoninus, a לביא *labi,* id est *leo,* vel *cordatus.* Leo enim hebraice dicitur *labi* a לב *leb,* id est *cor,* quasi cordatus, seu animosus, quia a generositate et præsentia animi imperterritus. Cor enim sedes est et symbolum fortitudinis; unde Aristomenus qui totam Græciam stupefecerat audaciæ miraculo, post mortem dissectus, inventus est habere cor totum pilis hirsutum, teste Plinio lib. XI, cap. XXXVII. Rursus Lebbæus, id est corculum : verisimile enim est *Lebbæus* pene idem esse quod Thaddæus : nam Græca *Matth.* X, 3, et Syra sic habent : « Lebbæus, qui cognominatus est Thaddæus. » Lebbæus ergo idem est quod corculum, a לב *leb,* id est *cor,* ait S. Hieronymus *in Matth.* cap. X, *q. d.* Mire cordialis, benevolus, amabilis; aut mire sapiens et prudens; qui enim valde cauti erant et prudentes, vocabantur corculi, ait Plinius, lib. VII, cap. XXXI; et Festus : Corculum, inquit, a corde dicebant antiqui solertem et acutum. Unde Scipio Nasica, ob prudentiam bis consul, appellatus est *Corculum,* ait Cicero *Tuscul.* I.

Lebbæus, id est corculum.

Thaddæus, id est mammeus.

Thaddæus vero non tam ab Hebræo *toda*, id est *laus*, deducitur : sic enim dicendum fuisset *Thoddæus*; quam a Syro ܬܕ *thad* (Hebræi dicunt שד *sad*; unde Deus dicitur *saddai*, id est, mamma bonorum omnium); sed Syri et Chaldæi sæpe *s* Hebræum vertunt in *t*, ac pro *sad* dicunt *thad*, pro *Saddæus Thaddæus*, id est mamma, uber, *q. d.* Mammeus, uberalis, dulcis, misericors, benignus, beneficus. Ita Angelus Caninius in *Nomin. Hebr. novi Testamenti*, cap. XIII. Porro S. Hieronymus (vel quisquis est auctor; non enim est S. Hieronymus) in *Marci* cap. VI, et ex eo Pagninus in *Nomin. Hebr. interpret.*, Lebbæum volunt dici a *corde*, quasi *cordis cultorem*, qui scilicet cordis puritati, sanctitati et perfectioni unice incubuerit.

S. Bernardus S. Judæ devotus.

Qua de causa Judas hic præ cæteris Apostolis S. Bernardo fuit in veneratione ac deliciis; auctor enim *Vitæ S. Bernardi*, lib. V, cap. II, narrat ipsum reliquias S. Judæ Hierosolymis ad se missas mira devotione excepisse, adeoque morituram jussisse eas secum sepeliri et pectori suo superponi, « eo utique fidei et devotionis intuitu, ait auctor Vitæ, ut eidem Apostolo in die communis resurrectionis adhæreret. » Nota : *Judas* Hebraice includit omnes litteras nominis tetragrammati Jehova, indeque ad nominis Johova, utpote sacrosancti et apud Judæos ineffabilis, reverentiam, censent aliqui pro Juda, vocatum esse affini nomine, Thaddæum. Sed hæc est fabella; constat enim nomen Judæ apud Judæos fuisse usitatissimum, adeoque a Deo laudatum, *Genes.* cap. XLIX; vers. 8. Insuper Eusebius, lib. I *Histor.*, cap. XIII; Nicephorus, lib. II *Histor.*, XL, et Græci in *Menologio* duos ponunt Thaddæos, scilicet unum Apostolum, puta Judam hunc nostrum; alterum qui fuerit e LXX discipulis Christi missus ad Abagarum. Verum alii non nisi unum agnoscunt Thaddæum, scilicet Judam Apostolum. Ita S. Hieronymus in *Matth.* X, Beda in cap. I *Actor.*, Fulgentius, *serm.* 9. Et Ecclesia Latina non nisi unum Thaddæum in *Martyrologio*, et officio divino commemorat.

Missus ad Abagarum.

Juxta quos dicendum est, quod hic Judas sit ille Thaddæus, qui Abagarum regem Edessæ et Edessenos ad fidem convertit, uti fuse narrat Eusebius loco jam citato, qui et addit hæc 43 Christi anno contigisse, atque Abagaro aurum tum cælatum, tum rude offerenti, respuisse illud Judam, ac dixisse : « Si nostra prorsus dereliquimus, quomodo accipiemus aliena? » quæ sane verba cor ejus purum, magnanimum et cœleste significant. Plura vide apud Eusebium. In *Apocalypsis* cap. XXI, 20, Judas repræsentatur per chrysoprasum : causas ibidem recensui.

Martyr.

Nicephorus, lib. II, cap. IV, Breviarium Romanum 28 octobris et alii tradunt S. Judam prædicasse in Mesopotamia, Persia, Arabia, Idumæa. Demum S. Judas nobilem apostolatum glorioso martyrio coronavit, ac sacrum ejus corpus, æque ac fratris Simonis, Romam delatum conditum est in basilica S. Petri, ut quem in vita unice coluerat, adeoque sensa epistolæ ejus in sua expresserat, juxta eumdem et mortuus conderetur.

Epistola hæc est Canonica.

Quoad *secundum*, aliqui olim de auctoritate hujus Epistolæ dubitarunt; imo nuper Cajetanus censuit hanc Epistolam esse minoris auctoritatis iis quæ sunt certæ Scripturæ sacræ. Hæretici, ut Lutherus, Centuriatores, Brentius, Kemnitius, apocrypham esse censent. Rationes eorum sunt, quod auctor ejus citet librum Henoch apocryphum, et altercationem Michaelis cum diabolo de corpore Mosis, quæ nusquam in Scriptura extat; sed ad hæc suis locis respondebo. Dico ergo : de fide est hanc Epistolam esse canonicam Scripturam. Ita definit Concilium Tridentinum, *sess.* IV, et Florentinum in Eugenii Pontificis epist. *ad Armenos*; Concilium Romanum sub Damaso, Concilium Laodicense, cap. LVIII, et Carthaginense, cap. XLVII. Audi S. Hieronymum, lib. *De Scriptor. Eccles.*, in *Juda* : « Judas, inquit, frater Jacobi, parvam quidem quæ de septem Catholicis est, epistolam reliquit. Et quia de libro Henoch, qui apocryphus est, in ea assumit testimonium, a plerisque rejicitur; tamen auctoritatem vetustate jam et usu meruit; et inter S. Scripturas computari, et sacrosanctam auctoritatem habere.

Unde eamdem ut Canonicam citant S. Dionysius *De Divinis Nominibus*, cap. IV; Epiphanius, *hæresi Gnostic.*; Nazianzenus, in *Carm. de Scriptur.*; Didymus et Œcumenius hic, S. Athanasius in *Synopsi*, Ephrem, Origenes et e Latinis S. Cornelius, S. Cyprianus, Innocentius I, Tertullianus, S. Hieronymus, S. Ambrosius, S. Augustinus, Rufinus, Philastrius, Cassianus, Prosper, Gelasius, Fulgentius, Alcimus, Primasius, S. Gregorius, Beda, Rabanus, Remigius, Ado, Ansbertus, Angelomus et alii, quos fuse citat Jodocus Coccius in *Thesauro Cathol.*, tom. I, lib. VI, pag. 370, et Bellarminus, lib. I *De Verbo Dei*, cap. XVIII.

Græce scripta.

Græce scripta est Epistola; licet enim S. Judas in Perside prædicarit, hanc tamen Epistolam, quasi encyclicam et universalem, scripsit fidelibus omnibus tam Judæis, quam Gentilibus toto orbe dispersis, ideoque non persice, sed græce, quia Græca lingua tunc maxime erat communis et latissime patebat. Porro Origenes in cap. XIII *Matth.*, asserit hanc Epistolam paucorum quidem esse verborum, sed plenam efficacium cœlestis gratiæ verborum. Ipsa ergo sui brevitate fecunda est, et quasi margarita, quæ sub exigua mole multorum summam includit sestertiorum, quod de S. Scriptura dixit S. Hilarius, canon. 6 *in Matth.* Brevis enim hæc Epistola multa dogmatice astruit, nimirum mysterium SS. Trinitatis, incarnationis et redemptionis Christi, angelorum bonorum a malis discretionem, et studium pro salute hominum, denique fidem et metum futuri judicii. Ethice docet fugam luxuriæ, blasphemiæ, inobedientiæ, superbiæ, avaritiæ, odii, doli, adulationis, personarum acceptionis; ac constantiam in

vocatione, fide, oratione, charitate, conversione errantium, insectatione hæreticorum, doxologia et laude Dei. Quod ergo S. Bartholomæus, teste S. Dionysio, cap. I *De Mystica Theologia,* dixit : « Magnam esse Theologiam, et minimam ; ac Evangelium amplum et magnum, rursumque compendiarium, » idipsum vere dicas de hac Epistola, nimirum « brevem esse et longam : brevem in verbis, longam in sententiis, ut rarus sit qui non in ejus cæcutiat lectione, » ut ait S. Hieronymus *ad Paulinum.*

Exstat hæc Epistola syriace, non in Bibliis regiis, sed separatim, quam in Latinum vertit noster Etzelius ; extat et arabicè, quam in Latinum vertit quidam in fide heterodoxus.

Argumentum. Quoad *tertium*, argumentum Epistolæ est confutare hæreses jam tum natas Simonis Magi, Nicolaitarum et Cerinthi, ac mox ex iisdem nascituras, Gnosticorum, Ebionis, Menandri, Basilidis, Saturnini, Valentini, Marcionis et similium. Ita S. Epiphanius in *hæresi Gnosticorum*, post recensitas eorum libidines, ait Spiritum Sanctum de iis per Judam prædixisse : « Quæcumque naturaliter tanquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur. » Hæreticorum ergo improbos mores graphice depingit, eosque quasi seductores et pestes cavendos esse docet, ac in fide suscepta constanter esse persistendum, ne eis contingat quod contigit Hebræis, Sodomitis et angelis a Deo apostatantibus, qui omnes misere perierunt. Ita S. Athanasius in *Synopsi,* Œcumenius et alii. Docuit enim Judas in Asia minore, ubi florebat schola Simonis Magi, contra quam scripsit pariter S. Paulus epistolas ad Ephesios et Colossenses, ad quas hic respicit Judas. Maxime autem insectatur dogma Simonis docentis solam fidem suam (quæ hæresis erat et perfidia) sufficere ad salutem sine bonis operibus, et Gnosticorum docentium, nullum esse peccatum nisi infidelitatis, sed omnia esse adiaphora, scilicet bona bene utentibus, mala male utentibus, ac proinde impune licere vacare comessationibus et libidinibus ; unde Simonianorum et Gnosticorum immanes et infames libidines acriter perstringit, eisque acre Dei judicium ab Henoch prædictum intentat. Quocirca S. Ephrem, tom. I, serm. *De iis qui animas ad impudicitiam pelliciunt, cum nihil mali sit*, recitat totam hanc S. Judæ Epistolam, eamque contra illos intorquet. Est ergo hæc Epistola perpetua quasi invectiva in hæreticos, eosque blasphemos et luxuriosos. *Primo* enim, præmissa salute, hortatur fideles, ut contra eos pro vocatione et fide sua viriliter certent, eo quod ipsi sint apostatæ, similes Sodomitis et angelis Deo rebellibus, cum eisque perdendi et perituri. Deinde, vers. 8, eorum libidines, rebelliones, blasphemias et maledicta incusat, cum Michael, licet justam habens causam, non fuerit ausus maledicere Satanæ. *Tertio,* vers. 11, comparat eos Caino, Balaamo, Core seditioso, eosque vocat nubes sine aqua, arbores autumnales, fluctus feri maris, sidera errantia, de quibus prophetavit Henoch minans eis acre Dei judicium, cum sint murmuratores, pleni concupiscentiis, superbi, avari. *Quarto,* vers. 17, hortatur ut Apostolorum fidei et doctrinæ constanter insistentes, hæreticis resistant. Denique vers. 20, hortatur fideles ad orationem, charitatem, misericordiam et zelum animarum, ut seductos ab hæreticis ad fidem reducant ; ad castitatem, ut immaculatos se sistant tribunali judicis Christi. Atque tandem doxologia claudit Epistolam, dicens : « Soli Deo Salvatori nostro per Jesum Christum Dominum nostrum gloria et magnificentia, imperium et potestas ante omne sæculum, et nunc, et in omnia sæcula sæculorum. Amen. »

Scripserunt e veteribus in hanc Epistolam Didymus et Clemens Alexandrinus ; sed breviter extant in *Biblioth. SS. Patrum ;* recentiores plurimi, recentissime noster Justinianus et Lorinus. Ego pariter brevis ero more meo, præsertim quia pleraque hic dicenda dixi II *Petri,* II.

Ubi nota hanc Epistolam valde similem esse Epistolæ secundæ S. Petri, cap. II, adeoque multas cum eo easdem, vel pene easdem habere sententias. Quare vel S. Petrus illas sumpsit ex S. Juda, ut ejus dicta confirmaret, uti vult Salmeron ; vel certe Judas illas accepit ex S. Petro, ut volunt Baronius, anno Christi 68, Adamus Sasbout, Lorinus, Hugo, Thomas Anglicus et Primaticcius hic, qui tres ultimi censent idcirco hanc Epistolam in ordine Biblico esse ultimam, eo quod ultimo sit edita (excipe Epistolam S. Joannis), ac proinde post mortem S. Petri, qui paulo ante mortem secundam suam Epistolam scripsit anno Christi 68. Quæ si vera sunt, oportet dicere S. Judam cum fratre Simone Chananæo oppetiisse mortem non anno Christi 64, ut vult Onuphrius in *Chronico*, sed post S. Petrum postque annum Christi 68 (1). Porro ut videas S. Petri et S. Judæ harmoniam et consonantiam, accipe easdem utriusque sententias per parallela digestas.

(1) Juxta Sepp, Judas scripsit ann. 63.

PARALLELA

EARUMDEM SENTENTIARUM

S. PETRI EPIST. II	ET S. JUDÆ.
I. Cap. II, vers. 1. In vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis. Et vers. 3. Quibus judicium jam olim non cessat.	I. Vers. 4. Subintroierunt quidam homines, (qui olim præscripti sunt in hoc judicium) impii.
II. Et eum, qui emit eos, Dominum negant.	II. Solum Dominatorem et Dominum Jesum Christum negantes.
III. Vers. 2. Et multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur.	III. Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam.
IV. Vers. 4. Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari.	IV. Vers. 6. Angelos vero, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reservavit.
V. Vers. 6. Et civitates Sodomorum et Gomorrhæorum in cinerem redigens, eversione damnavit, exemplum eorum, qui impie acturi sunt, ponens.	V. Vers. 7. Sicut Sodoma et Gomorrha, et finitimæ civitates simili modo exfornicatæ, et abeuntes post carnem alteram, factæ sunt exemplum, ignis æterni poenam sustinentes.
VI. Vers. 10. Magis autem eos qui post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant, dominationemque contemnunt.	VI. Vers. 8. Similiter et hi carnem quidem maculant, dominationem autem spernunt.
VII. Sectas (δόξας) non metuunt introducere, blasphemantes.	VII. Majestatem (δόξαν) blasphemant.
VIII. Vers. 11. Angeli fortitudine et virtute cum sint majores, non portant adversum se execrabile judicium.	VIII. Vers. 9. Cum Michael Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus judicium inferre blasphemiæ, sed dixit : Imperet tibi Dominus.
IX. Vers. 12. Hi vero, etc., in his quæ ignorant blasphemantes, in corruptione sua peribunt.	IX. Vers. 10. Hi autem quæcumque quidem ignorant, blasphemant; quæcumque autem naturaliter tanquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur.
X. Vers. 13. Coinquinationes et maculæ deliciis affluentes, in conviviis suis luxuriantes.	X. Vers. 12. Hi sunt in epulis suis maculæ, convivantes sine timore, semetipsos pascentes.
XI. Vers. 14. Cor exercitatum avaritia habentes; et vers. 3. In avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur.	XI. Vers. 16. Mirantes personas quæstus causa.
XII. Vers. 15. Secuti viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amavit.	XII. Vers. 11. Errore Balaam mercede effusi sunt.
XIII. Vers. 17. Hi sunt fontes sine aqua, et nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reservatur.	XIII. Vers. 12 et 13. Nubes sine aqua, quæ a ventis circumferuntur, etc., quibus procella tenebrarum servata est in æternum.
XIV. Vers. 18. Superba enim vanitatis loquentes, pelliciunt in desideriis carnis luxuriæ.	XIV. Vers. 16. Secundum desideria sua ambulantes, et os eorum loquitur superba.
XV. Cap. III, vers. 1 et 2. Charissimi, etc., memores sitis eorum quæ prædixi verborum, etc., et Apostolorum, præceptorum Domini et Salvatoris.	XV. Vers. 17. Vos autem, charissimi, memores estote verborum quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri Jesu Christi.
XVI. Vers. 3. Hoc primum scientes, quod venient in novissimis diebus in deceptione illusores, juxta proprias concupiscentias ambulantes.	XVI. Vers. 18. Qui dicebant vobis, quoniam in novissimo tempore venient illusores, secundum desideria sua ambulantes in impietatibus.
XVII. Vers. 11. Quales oportet vos esse in sanctis conversationibus et pietatibus, exspectantes et properantes in adventum diei Domini.	XVII. Vers. 21. Vosmetipsos in dilectione Dei servate, exspectantes misericordiam Domini nostri Jesu Christi in vitam æternam.
XVIII. Vers. 18. Ipsi gloria et nunc, et in diem æternitatis. Amen.	XVIII. Vers. 25. Soli Deo Salvatori nostro, per Jesum Christum Dominum nostrum, gloria et magnificentia, imperium et potestas ante omne sæculum, et nunc, et in omnia sæcula sæculorum. Amen.

1. Judas Jesu Christi servus, frater autem Jacobi, his qui sunt in Deo Patre dilectis, et Christo Jesu conservatis et vocatis. 2. Misericordia vobis et pax, et charitas adimpleatur. 3. Charissimi, omnem sollicitudinem faciens scribendi vobis de communi vestra salute, necesse habui scribere vobis : deprecans supercertari semel traditæ sanctis fidei. 4. Subintroierunt enim quidam homines (qui olim præscripti sunt in hoc judicium) impii, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam, et solum Dominatorem et Dominum nostrum Jesum Christum negantes. 5. Commonere autem vos volo, scientes semel omnia, quoniam Jesus populum de terra Ægypti salvans, secundo eos, qui non crediderunt, perdidit; 6. angelos vero, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reservavit. 7. Sicut Sodoma et Gomorrha, et finitimæ civitates simili modo exfornicatæ, et abeuntes post carnem alteram factæ sunt exemplum ignis æterni pœnam sustinentes. 8. Similiter et hi carnem quidem maculant, dominationem autem spernunt, majestatem autem blasphemant. 9. Cum Michael Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus judicium inferre blasphemiæ; sed dixit: Imperet tibi Dominus. 10. Hi autem quæcumque quidem ignorant, blasphemant; quæcumque autem naturaliter, tanquam muta animalia, norunt, in his corrumpuntur. 11. Væ illis, quia in via Cain abierunt, et errore Balaam mercede effusi sunt, et in contradictione Core perierunt! 12. Hi sunt in epulis suis maculæ, convivantes sine timore, semetipsos pascentes, nubes sine aqua, quæ a ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ, 13. fluctus feri maris, despumantes suas confusiones, sidera errantia, quibus procella tenebrarum servata est in æternum. 14. Prophetavit autem de his septimus ab Adam Enoch, dicens : Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis, 15. facere judicium contra omnes, et arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt, et de omnibus duris, quæ locuti sunt contra Deum peccatores impii. 16. Hi sunt murmuratores querulosi, secundum desideria sua ambulantes, et os eorum loquitur superba, mirantes personas quæstus causa. 17. Vos autem, charissimi, memores estote verborum quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri Jesu Christi. 18. Qui dicebant vobis, quoniam in novissimo tempore venient illusores, secundum desideria sua ambulantes in impietatibus. 19. Hi sunt, qui segregant semetipsos, animales, Spiritum non habentes. 20. Vos autem, charissimi, superædificantes vosmetipsos sanctissimæ vestræ fidei, in Spiritu Sancto orantes, 21. vosmetipsos in dilectione Dei servate, exspectantes misericordiam Domini nostri Jesu Christi in vitam æternam. 22. Et hos quidem arguite judicatos : 23. illos vero salvate, de igne rapientes. Aliis autem miseremini in timore : odientes et eam, quæ carnalis est, maculatam tunicam. 24. Ei autem, qui potens est vos conservare sine peccato, et constituere ante conspectum gloriæ suæ immaculatos in exultatione in adventu Domini nostri Jesu Christi; 25. soli Deo Salvatori nostro, per Jesum Christum Dominum nostrum, gloria et magnificentia, imperium et potestas ante omne sæculum, et nunc, et in omnia sæcula sæculorum. Amen.

Vers. 1. 1. Judas Jesu Christi servus, frater autem Jacobi — Minoris, qui fuit Apostolus et primus Episcopus Hierosolymæ, parique modo sic epistolam suam inscribit : « Jacobus Dei et Domini nos-

tri Jesu Christi servus : vide ibi dicta. Hoc ipso Judas significat se esse Apostolum : constat enim Judam fratrem Jacobi fuisse Apostolum. Arabicus vertit, *Judas, filius Joseph fabri;* et Clemens Alexandrinus : « Judas, inquit, qui Catholicam scripsit epistolam, frater filiorum Joseph, extans valde religiosus, cum sciret propinquitatem Domini, non tamen dixit fratrem ejus esse; sed quid dixit? Judas servus Jesu Christi. » Verum in Procœmio ostendi Judam non fuisse filium Josephi. Vocat se « servum Christi, » *q. d.* Ego Simonis angelos, æones Valentini, Gnosticorum genios ignoro; solius Christi me servum esse profiteor et glorior, æque ac David, dicens *Psalm.* CXV, 6 : « O Domine, quia ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ; dirupisti vincula mea, » quibus obstrictus eram peccato, morti et gehennæ, et gloriosæ tuæ servituti, imo apostolatui me mancipasti : « idcirco sacrificabo tibi hostiam laudis. » Optabilius est, inquit Philo *De Monarchia,* « Deo servire quam regnare. » Hinc Moses, dux Hebræorum, vocatur servus Domini, *Deut.* XXXIV, 5 : vide ibi dicta. Vere S. Augustinus, tract. 41 in illud *Joan.* VIII, *Si vos filius liberaverit, vere liberi eritis* : « Hæc, ait, spes nostra est, fratres, ut a libero liberemur, et liberando servos nos faciat; servi enim eramus cupiditatis, liberati servi efficimur charitatis. »

Servire Christo regnare est.

Porro Judas vocat se fratrem Jacobi, tum ut a Juda Iscariote se distinguat, tum ut sibi benevolentiam et auctoritatem conciliet a fratre sancto et celebri : « Jacobi enim celebris ob virtutem apud omnes fama effectura erat, ut hujus Apostoli doctrina majorem auctoritatem haberet, libentiusque admitteretur, » ait Œcumenius.

Docent oratores, in exordio orationis vel epistolæ, conciliandam esse auditorum vel lectorum *primo,* benevolentiam; *secundo,* attentionem; *tertio,* docilitatem. Ita S. Judas hic lectores facit *primo,* benevolos, vocando eos dilectos, charissimos, et ostendendo omnem erga eos amorem et sollicitudinem; *secundo,* attentos, dum ait se scribere de communi omnium salute, utique æterna; *tertio,* dociles, dum ait se non aliud quam semel traditam eis fidem inculcare et propugnare, hocque esse totius epistolæ argumentum.

His qui sunt in Deo Patre dilectis. — Legit Interpres in Græco ἠγαπημένοις, id est *dilectis.* Jam multi legunt ἡγιασμένοις, id est *sanctificatis.* Ita Cajetanus, Clarius, Vatablus, Pagninus et alii. Utrumque verum, et huic loco congruum. Christiani enim « in Deo, » id est a Deo, vel proprie « in Deo, » id est, in Dei fide, gratia et charitate sunt uniti : ideoque a Juda et ab invicem diligibiles et dilecti. Ita Lyranus, Dionysius et alii. Item « in Deo, » id est, per Deum et a Deo sunt sanctificati; subaudi, « salutem dicit, » *q. d.* Judas Christianis in Deo Patre dilectis salutem dicit, scribitque hanc epistolam.

Et in Jesu Christo, — id est, per Jesum Christum ejusque gratiam. Rursum, « in Jesu, » id est, in Jesu fide, cultu, religione, dilectione, puta in Christiana fide, charitate et vita « conservatis, » *q. d.* Judas salutem dicit et precatur Christianis, qui a Deo sunt dilecti, et in hac ejus dilectione per Jesu Christi gratiam conservantur et perseverant. Magnum enim Dei et Christi donum est perseverantia, uti docet Concilium Tridentinum, *sess.* VI, cap. XIII, et S. Augustinus, lib. *De Bono perseverantiæ.* Hoc est quod ait Christus, *Joan.* XVII, vers. 12 : « Cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo : quos dedisti mihi, custodivi, et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis; » et cap. XVIII, vers. 9 : « Quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam, » et cap. X, vers. 28 : « Non peribunt in æternum, et non rapiet eos quisquam de manu mea; » et Abigail et David I *Regum,* cap. XXV, vers. 29 : « Erit anima domini mei custodita quasi in fasciculo viventium apud Dominum Deum tuum. »

Conservatis et vocatis. — Quæres : Quomodo Judas vocatos postponit conservatis, cum prius sit vocari ad fidem et dilectionem, posterius in ea conservari? *Primo,* Glossa interlinearis censet esse ὕστερον πρότερον : vocatos enim præcedere conservatos. *Secundo,* alii respondent per « conservatos » intelligi conservatos in gratia; per « vocatos, » vocatos ad gloriam : gloria autem posterior est gratia. Verum obstat, quod licet gloria posterior sit gratia, tamen vocatio ad gratiam includit vocationem ad gloriam, quasi sui consummationem et terminum. Unde Hugo respondet id verum esse in intentione, non in executione; in executione enim prius est conservari in gratia, posterius vocari ad gloriam, *q. d.* Judas scribit fidelibus qui in fide et gratia Christi conservantur et perseverant, ac per hanc perseverantiam proxime vocantur et diriguntur ad gloriam, quam certo assequentur, si uti cœperunt, ita usque ad finem vitæ in fide et gratia Christi perseverent. Verum hæc subtiliora sunt quam solidiora.

Dico ergo τὸ *vocatis,* græce κλήτοις (non κεκλημένοις) esse nomen, τὸ vero *conservatis,* græce τετηρημένοις, esse participium. Sic enim habent Græca, τοῖς τετηρημένοις κλήτοις, id est *conservatis vocatis;* et Arabicus, *ad servatos vocatos in nomine Jesu Christi* : « vocati » enim vocantur Christiani, estque hæc quasi propria eorum nomenclatura, ut nuncupentur « vocati, » græce κλήτοι, id est *vocatitii,* quasi a Deo evocati ad suam familiam, amicitiam, filiationem, hæreditatem. Τὸ ergo *vocati* est titulus summæ dignitatis, ad quam Christiani a Deo evecti sunt. Unde Hesychius : κλήτοι, inquit, vocantur nobiles; vocavit enim nos Deus de tenebris « in admirabile lumen suum, » I *Petr.* II, 9, ac de miserrima servitute peccati « transtulit nos in regnum filii dilectionis suæ, » *Coloss.* I, 13, scilicet a morte ad vitam, ab ignominia ad gloriam, ex gehenna ad cœlum, ut ex hominibus angelos efficeret. Vide dicta *Rom.* I, 1, ad illud : « Paulus vocatus Apostolus; » et I *Cor.* I, ad illud : « Vocatis

sanctis, » ubi Syrus vertit, *vocatis et sanctis*, æque ac Noster hic « conservatis et vocatis ; » quia τὸ *vocatis* peculiarem dignitatem et titulum, æque ac donum addit Christianis, nimirum quod fide, gratia et dilectione Dei donati sint, in eaque conserventur, non ex se suaque electione et virtute, sed ex vocatione et gratia Dei, qui sicuti eos primitus vocavit ad fidem et gratiam, ita pariter eosdem ad ejus conservationem et augmentum indies vocat et promovet.

Itaque τὸ *vocatis* hic est quasi suppositum, cujus epitheta sunt τὸ *dilectis et conservatis*. Suppositum autem suis epithetis nunc præponitur, nunc postponitur. Sensus ergo est, *q. d.* Judas scribit hanc epistolam « vocatis, » id est Christianis, qui sunt vocatitii Dei, ab eoque evocati, ejusque obsequio, cultui, fidei, gratiæ et regno mancipati, ideoque ab eo dilecti et conservati. Vocavit enim, vocatque eos Deus non solum ad suam dilectionem, sed etiam ad dilectionis conservationem, incrementum et perfectionem, ut scilicet per eam illos ad hæreditatem et gloriam regni cœlestis perducat. Unde hæc explicans Judas subdit : « Misericordia vobis, et pax, et charitas adimpleatur. »

Nota : Pro *conservatis* græce non est verbum φυλάττω, sed significantius φρουρέω, id est, urbem vel arcem undique propugnaculis, præsidiis et vigiliis vallatam munitamque teneo, ut nullus hostium insidiis vel irruptionibus sit aditus. Sic enim fideles suos contra omnes diaboli, mundi et carnis impetus obvallat, tutatur et conservat Deus, juxta illud *Prov.* XVIII, 10 : « Turris fortissima nomen Domini. »

2. MISERICORDIA VOBIS ET PAX, ET CHARITAS ADIMPLEATUR. — Judas more suo imitatur S. Petrum, qui pari salutatione secundam epistolam orditur, dicens : « Gratia vobis, et pax adimpleatur. » Misericordiam intellige virtutem, non fidelium, nec fidelibus inhærentem, sed Dei, qua sua dona, præsertim pacem et charitatem, misericorditer fidelibus impertit. *q. d.* Adimpleatur in vobis et erga vos Dei misericordia, et suam pacem et charitatem, cæteraque dona in vos effundat, vel potius jam in baptismo et deinceps effusa magnis incrementis augeat et cumulet. « Pacem » intellige tum cum Deo, tum cum proximis, tum cum conscientia propria; hæc autem pax charitatis est comes et filia. Unde Syrus vertit, *et pax in dilectione*, juxta illud : « Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum, *Psalm.* CXVIII, 16. Hoc est quod canit Zacharias : « Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto, » *Lucæ* I, 78. Pro *adimpleatur* græce est πληθυνθείη, id est *multiplicetur*. Unde aliqui putant nostrum Interpretem legisse πληρωθείη, id est *adimpleatur*. Verum non vident Interpretem docte verbum non verbo, sed sensu uberiore expressisse. Adimpleri enim misericordiam, charitatem, etc., non est aliud, quam illa multiplicari tum numero, tum gradu ad perfectionem. Unde II *Petri* I, 2, πληθυνθείη, æque ut hic, vertit *multiplicetur*. Præclare S. Augustinus, tract. 2 *in epist. S. Joannis* : « Talis, ait, est quisque, qualis ejus dilectio est. Terram diligis? terra eris. Deum diligis? quid dicam? Deus eris. »

Symbolice noster Salmeron et alii « misericordiam » attribuunt Deo Patri : ipse enim est « pater misericordiarum, » II *Cor.* I, 3; « pacem » Filio : « ipse enim est pax nostra, » *Ephes.* II, 14; « charitatem » Spiritui Sancto : « charitas enim Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis, » *Rom.* V, 5. Per « misericordiam » abolentur peccatorum miseriæ, scilicet culpæ et pœnæ; per « pacem, » conscientiæ remorsus et perturbationes sedantur et componuntur : nam, ut ait Tertullianus, lib. V *Contra Marcionem*, cap. V : « Nec gratia fit nisi offensæ, nec pax nisi belli, etc.: quæ gratia a non offenso, quæ pax a non debellato? » Idem *ad Martyr.* : « Pax nostra bellum est diabolo. » Per « charitatem » vis et robur confertur ad omnia opera bona et heroica perficienda, ad legem Christi adimplendam, et fortiter resistendum mundo, carni et dæmoni, ad vincendum omnes tribulationes, persecutiones, tormenta et martyria.

S. Augustinus vero in epist. *ad Romanos* censet S. Judam hic repræsentare mysterium S. Trinitatis : nominare enim Patrem et Filium, Spiritum Sanctum vero repræsentare per hæc tria, scilicet misericordiam, pacem et charitatem ; hæc enim appropriantur Spiritui Sancto : ipse enim ex vi processionis suæ procedit ut amor Patris et Filii : inde ergo habet quod sit increatus amor et charitas, a quo procedit creata misericordia, charitas et pax, omneque bonum et donum.

Moraliter S. Augustinus in illud *Psalm.* LVIII, *Deus meus misericordia mea* : « O nomen, inquit, sub quo nemini desperandum est! Deus meus, inquit, misericordia mea. Quid est misericordia mea? Si dicas, salus mea, intelligo quia dat salutem. Si dicas, refugium meum, intelligo quia confugis ad eum. Si dicas fortitudo mea, intelligo quia dat tibi fortitudinem. Misericordia mea quid est? Totum quidquid sum, de misericordia tua est; si tu mihi dedisti ut sim, et alius mihi dedit ut bonus sim, melior est ille qui dedit mihi ut bonus sim, quam ille qui mihi dedit ut sim. »

3. OMNEM SOLLICITUDINEM FACIENS SCRIBENDI VOBIS DE COMMUNI VESTRA SALUTE, NECESSE HABUI SCRIBERE VOBIS. — *q. d.* Cum valde sollicitus essem et vehementer cuperem ad vos scribere, ea quæ ad communem vestram salutem spectant, necesse duxi scribere vobis ea quæ subjungo, de fide constanter retinenda, et de hæresibus subpullulantibus omni contentione fugiendis, imo profligandis. Hæ enim hæreses tam sunt periculosæ, ut non tantum sollicitudinem, sed et necessitatem scribendi mihi imponant. Unde Arabicus vertit, *necessitate compulsus sum*; et Thomas Anglicus : Urgente, inquit, mea sollicitudine interius, et

periculo vestro exterius, necesse habui scribere vobis. Breviter et clare vertit Pagninus et Tigurina : *Tantum mihi studium fuit scribendi ad vos de communi salute, ut non potuerim non scribere vobis.*

Moraliter, discant Prælati a S. Juda quantam ovium sibi creditarum debeant habere curam, nimirum sollicitam, adeoque, ut ipse ait, « omnem sollicitudinem. » Sic et S. Paulus II *Corinth.* XI, 28 : « Instantia mea quotidiana, inquit, sollicitudo omnium Ecclesiarum. » Et *Roman.* XII, 8 : « Qui præest in sollicitudine. » Et *Hebr.* XIII, 17 : « Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri. » Ubi S. Chrysostomus : « Omnium, ait, quos regis, tu rationem redditurus es; tanto igni tuum subjicis caput. Miror si potest salvari aliquis Rectorum. » Et hom 2 in epist. II *ad Timoth.*: « Quantumvis illi honoris impendas, quantumlibet obsequii deferas, nihil his periculis referre par poteris. Nam etsi animam ponas, ipse amplius pro te facit : nam animam periculo æternæ mortis exponit. »

DEPRECANS (παρακαλῶν, id est *exhortans*, vel deprecans) SUPERCERTARI SEMEL TRADITÆ SANCTIS FIDEI — Syrus, *rogans ut certamen faciatis*; Arabicus, *rogo vos ut contendatis mecum vice una* (id est continue et constanter) *in fide quam tradiderunt ad nos Sancti*, ut scilicet decertetis pro fide semel, id est firmiter prorsus et irrevocabiliter, ut dicam vers. 5, tradita sanctis, puta Christianis, utque eam pro viribus tueamini et propugnetis, tum verbo, tum honestæ et Christianæ vitæ exemplo; ita ut nullam aliam admittatis, sed omnem ab hac diversam explodatis.

Supercertari quid ?

Nota τὸ *supercertari*, id est supercertare, ut aliqui codices hic legunt. Noster enim Interpres verbum *certor* accipit subinde non ut passivum, sed ut deponens, idemque quod *certo*, ut liquet *Eccli.* cap. XI, 9, et XXXVIII, 29; et *Sap.* XV, 9. Quin et Pacuvius apud Nonnium, cap. VIII, *certatur* usurpat pro *certat*.

Rursum τὸ *super* idem est quod *pro*; hoc enim est græce ἐπί. Quare « supercertari fidei » idem est quod certare pro fide. Ita Gagneius. *Secundo*, τὸ *super* notat ingens, acre et continuum certandi et resistendi hostibus fidei studium, ac quasi ἄσπονδον πόλεμον, id est irreconciliabile bellum : τὸ enim *super* significat strenuum, et quasi super vires certamen, ut certando seipsos quasi superent instar athletarum, qui in agone suas vires et seipsos quasi transcendunt, dum de summa rei, puta victoriæ et vitæ, agitur. *Tertio*, τὸ *super* notat alterum et quasi secundum certamen, *q. d.* Ego vobiscum primo certavi contra idololatriam et idololatras, vos mecum jam secundo certate contra hæresim et hæreticos : hoc enim est ἐπαγωνίζεσθαι; sic Nazianzenus, oratione *De Machabæis*, ait : προηγωνίζατο πατήρ, ἐπιγονιοῦνται παῖδες, id est, *primo certavit pater, postea certabant filii*. Hoc est quod monet Paulus Timotheum, *epist.* I, cap. VI, vers. 12 : « Certa bonum certamen fidei (Vatablus, *ostende te acerrimum fidei defensorem*), apprehende vitam æternam, » *q. d.* Si bene certaveris, apprehendes vitam æternam. Terribilis est sententia Innocentii III, dist. 83, cap. *error* : « Error, inquit, cui non resistitur, approbatur; et veritas cum minime defenditur, opprimitur : negligere quippe, cum possis deturbare perversos, nihil aliud est quam fovere. » Loquitur Prælatis præcipue, sed et cæteris suo ordine. Quare mystica, non litteralis, est expositio Hugonis : « Supercertari fidei, » inquit, est super fundamentum fidei et bonorum operum erigere et addere certamen passionum; vel certare pro supernis, ut pro anima et justitia agonizemus usque ad mortem, ut monet Sapiens *Eccli.* IV. Similis est illa Thomæ Anglici : « Supercertari fidei, » inquit, est certamini interiori, quo captivatur intellectus, addere certamen exterius, quo confundatur hæreticus. « Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem, » *Rom.* X, 10.

Moraliter, disce hic quantum et quam acre Christianis pro fide et pietate debeat esse certamen. Audi Christum ad angelum, id est Episcopum, Smyrnæ scribentem *Apoc.* II, 10 : « Esto fidelis (certando) usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ. » Præclare S. Cyprianus, lib. II, epist. 6 *ad Martyres* : « Si vos, ait, acies vocaverit, si certaminis vestri dies venerit, militate fortiter, dimicate constanter, scientes vos sub oculis præsentis Domini dimicare, confessione nominis ejus ad ipsius gloriam pervenire; qui non sic est ut servos suos tantum spectet, sed et ipse luctatur in nobis, ipse congreditur, ipse in certamine agonis nostri et coronat pariter et coronatur. » Et mox : « O beatam Ecclesiam nostram, etc. Floribus ejus nec lilia, nec rosæ desunt. Certent nunc singuli ad utriusque honoris amplissimam dignitatem; accipiant coronas vel de opere candidas, vel de passione purpureas. In cœlestibus castris et pax et acies habent flores suos, quibus miles Christi ob gloriam coronetur. » Idem, lib. *De Mortalitate*, ait nihil aliud in mundo quam pugnam adversus diabolum quotidie geri, cumque vitiis et illecebris colluctationem esse molestam, eamque assiduam. Et Clemens Alexandrinus, lib. VII *Stromat.* : « Verus, ait, athleta est, qui in magno hoc mundi stadio coronatur, veram assecutus victoriam adversus omnes animi perturbationes, quoniam agonotheta est omnipotens Deus. » Et Tertullianus *ad Martyres*, cap. III : « Bonum, ait, agonem subituræ estis, in quo Agonothetes Deus vivus est, Xystarches Spiritus Sanctus, corona æternitatis bravium, angelicæ substantiæ politia, in cœlis gloria in sæcula sæculorum. »

Ex dictis liquet τὸ *supercertari* referri ad *fidei* : quare minus recte aliqui referunt ad *sanctis*, *q. d.* Deprecor vos supercertari sanctis, id est certare pro sanctis, ait Catharinus, vel cum sanctis, ait Erasmus : sanctis, inquam, fidei, id est fidelibus, puta Christianis; primitus enim omnes

fideles vocabantur et revera erant sancti, *q. d.* Deprecor vos certare cum sanctis, æmulando sanctos, addendo certamen vestrum ad certamen illorum, et quasi adimplendo ea quæ desunt passionibus Christi et Sanctorum, uti ait Paulus *Coloss.* I, 24.

Denique perperam hinc colligunt hæretici, laicis rudibus et indoctis licere disputare de fide : aliud enim est disputare, quod non nisi peritorum est et doctorum, aliud certare; certant enim etiam simplices et rudes, non disputando, sed constanter veritatem fidemque asserendo et tuendo; unde hæreticus Beza τὸ ἐπαγωνίσασθαι, id est *supercertare*, explicat per ἐπαμύνασθαι, id est *tueri, defendere* (1).

4. SUBINTROIERUNT ENIM QUIDAM. — Hoc est, furtim subierunt; Regia, *subrepserunt* : nam τὸ *sub*, et Græcum παρὰ, significat eos clam ex insidiis, furtim, dolose, subreptive quasi vulpes introiisse et se insinuasse fidelibus. Sic enim pseudoprophetæ et hæretici quasi veri prophetæ et doctores astute novam, raram et eximiam scientiam et doctrinam prætexentes et jactitantes se fidelibus insinuant. Vide dicta II *Petri* II, 1. Dat hic causam, cur oporteat eos supercertare pro fide, quia videlicet eam acriter et dolose impugnant hæretici. Syrus vertit : *Acquisierunt ingressum*, scilicet arte, astutia, fraude; Arabicus : *Commixti sunt in nobis.*

QUI OLIM PRÆSCRIPTI SUNT IN HOC JUDICIUM. — Syrus : *Qui a principio pervenerunt, ut scriberentur in condemnationem justam*; Arabicus : *Qui scripti sunt in hoc istud judicium.*

Nota pronomen *hoc* : significat enim hæreticorum judicium esse certum, notum et publicum, *q. d.* In hoc judicium de quo ego, et omnes orthodoxi mecum, eos hæresis condemnamus, ac gehennæ reos pronuntiamus.

Jam « præscripti, » ait Beda et Clemens Alexandrinus, id est prævisi et prædestinati : quia enim a Deo ab æterno prævisi sunt fore impii, hinc ab eodem reprobati et prædestinati sunt ad judicium, ad condemnationem et gehennam. *Secundo*, Didymus, « præscripti, » ait, id est a semetipsis dijudicati, traditi sunt in reprobum sensum, scilicet ob sua demerita. Impie ergo impius Beza censet eos traditos in reprobum sensum a Deo sine ordine ad demerita. « Nam Dei decreto, inquit, nil vel tempore, vel ordine prius inveniri posse dico, quin Deus divinitate spolietur. » An non Satanica hæc vox? quæ ex Deo facit Satanam, puta ex auctore boni facit auctorem mali et reprobi sensus. *Tertio*, Gagneius, « præscripti, » inquit, id est præfigurati sunt in veteribus pseudoprophetis.

Quarto et genuine, Œcumenius, Dionysius et alii, « præscripti, » græce προγεγραμμένοι, id est *antea scripti*, prius descripti, *q. d.* De talibus, deque eorum impietate et judicio, id est condemnatione, ante me (Judam) scripsit Petrus et Paulus, imo Christus ipse eos depinxit, præmonuitque ut eos quasi lupos caveretis, *Matth.* XXIV, 24; II *Timoth.* III, 1; II *Petr.* II (2). Quin et Prophetæ prisci ante Christum ad vivum in suis æmulis pseudoprophetis, mores et certamen hæreticorum cum orthodoxis depinxerunt, ut Jeremias, *Thren.* II, 14 : « Prophetæ tui viderunt tibi falsa et stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent. » Simile est *Jeremiæ*, XIV, 14; et *Zachariæ* cap. XIII, 4 : « Et erit : In die illa confundentur Prophetæ, unusquisque ex visione sua, cum prophetaverit, » etc. Clarissime vero Jeremias, toto cap. XXVIII, suum cum Hanania pseudopropheta certamen describit, tandemque ei Dei judicium et vindictam intentans vers. 15 : « Audi, ait, Hanania, non misit te Dominus, et tu confidere fecisti populum istum in mendacio. Idcirco hæc dicit Dominus : Ecce ego mittam te a facie terræ; hoc anno morieris : adversum enim Dominum locutus es. Et mortuus est Hananias propheta anno illo. » Simile fuit certamen Michææ cum Sedecia pseudopropheta regis Achab, similique judicium, III *Regum* XXII, 24 et seq. Dicit hoc S. Judas propter τὸ *subintroierunt*, id est furtim subierunt; ne enim fideles dicerent : Quomodo eos cognoscemus et cavebimus, si furtim et ex improviso nobis se insinuent? præoccupat S. Judas, dicitque hac de causa eos præmonitos jam esse de iis, eorumque artes et mores jam esse descriptos ab Apostolis et Prophetis, ut ex iis latentes lupos agnoscere et cavere debeant (3).

IMPII (pietas est cultus Dei : impii ergo sunt hæretici, qui Dei veram fidem, cultum, religionem abolere aut violare satagunt. Unde explicans, dansque causam cur eos vocarit impios, subdit Judas, dicens) DEI NOSTRI GRATIAM (Serarius legit, « gloriam ») TRANSFERENTES IN LUXURIAM. — Syrus, *pervertentes in immunditiam*; Arabicus, *avertentes*, vel *convertentes in impudicitiam.* « Gratiam » vocat legem Evangelicam, sive Christianismum : hic enim ingens est gratia, imo cumulus gratiarum, *q. d.* Christianismo abutuntur ad luxuriam, Christianismum convertunt in Priapismum, legem gratiæ, puritatis et virtutis vertunt in licentiam dedecorum, turpitudinum omniumque scelerum, docentes Christianismum esse legem libertatis, ac proinde Christianis licere libere indulgere concupiscentiæ, gulæ et Veneri. Hoc est quod ait S. Petrus, *epist.* II, cap. XIX : « Libertatem illis promittentes, cum ipsi sint servi corruptionis. » Addentes facilem in lege nova esse peccati expiationem, per baptismum, absolutionem aliaque Sacramenta. Notat Nicolaitas, Si-

(1) « Semel, » Græce ἅπαξ, scil. tradita fides, quia de ea nihil immutandum. Nisi ἅπαξ positum sit pro *olim, jam ante, ab initio.*

(2) Ita Allioli.

(3) Rosenmullerus, *dudum damnati ad pœnam.* Voce προγράφεσθαι, ait, alluditur ad morem judicum, qui per tabellam in qua sententias suas scribebant, reos pœnæ addicebant.

monianos, Gnosticos, qui cum essent impurissimi, simulabant se puri Evangelii esse doctores, eoque prætextu mulierculas onustas peccatis, ut ait, abducebant, instituentes nocturna sacra, in quibus omnem obscenitatem promiscue perpetrabant. Ita Œcumenius. Adeo vero obsceni erant Gnostici, uti dicti sint Borboritæ, id est cœnosi, quia ipsas etiam sacras Historias et Scripturas ad suas libidines explicando traducebant, uti fuse narrat S. Epiphanius, *hæresi* 26, S. Irenæus, lib. I, cap. XX, Clemens, lib. VII *Stromat.* Simili modo Lutherus, Calvinus cæterique moderni hæretici, gratiam et decus Christianismi transferunt in carnis licentiam et luxuriam. Quocirca S. Gregorius, XVI *Moral.*, XXII, hæreticos comparat onagris, id est asinis feris et silvestribus, tum ob feritatem, tum ob libidinem (est enim onager salacissimus), tum quia omne jugum excutiunt. « Recte, inquit, onagris comparantur hæretici, quia in suis voluptatibus dimissi sunt a vinculis simul fidei et rationis, » juxta id quod ait Job cap. II, 45 : « Alii quasi onagri in deserto egrediuntur ad opus suum, vigilantes ad prædam. » Sane de Simone Mago primo hæresiarcha ita scribit Tertullianus, lib. *De Anima*, cap. XXXIV : « Helenem quamdam Tyriam de loco libidinis publicæ eadem pecunia redemit (qua scilicet voluerat a S. Petro emere donum Spiritus Sancti), dignam sibi mercedem pro Spiritu Sancto. »

Secundo, aliqui per χάριν, id est *gratiam*, intelligunt Eucharistiam; hæc enim est gratiarum gratia. Unde a Cyrillo Hierosolymitano vocatur οὐράνιος χάρις, id est *cœlestis gratia*; ab aliis, θεία καὶ θεσπεσία χάρις, id est, *divina et deifica gratia*; ab aliis passim, μυστικὴ χάρις, id est *mystica gratia*, sive arcanum gratiæ. Imo illud S. Pauli, *Hebr.* cap. XII, vers. 28 : « Habemus gratiam per quam serviamus, placentes Deo cum metu et reverentia; » S. Clemens, lib. II *Constit.*, XXVII, sic explicat : « Ut omnes, inquit, accedant ad mysticum cultum cum metu et reverentia, tanquam ad regis corpus accedentes. » Hanc gratiam, puta Eucharistiam, hæretici convertebant in luxuriam. Tradit enim S. Augustinus, *hæresi* 46, Manichæos « Eucharistiam conspersam cum semine humano sumere, » quod merito ipse ait non esse Sacramentum, sed execramentum. Idipsum turpius faciebant Gnostici, dicentes : « Hoc est corpus Christi, et hoc est pascha, » ait S. Epiphanius, *hæresi* 26.

ET SOLUM DOMINATOREM (Græca habent Δεσπότην Θεόν, id est *Dominum Deum*, vel *herum Deum* : δεσπότης enim vocatur herus, qui in servos habet jus herile. « Dominator » ergo est idem quod Dominus Deus, vel herus omnium Deus) ET DOMINUM NOSTRUM JESUM CHRISTUM NEGANTES. — Simoniani enim negabant Christum esse Deum; negabant enim Deum esse natum, passum, suscitatum. Addit Œcumenius : « Quo pacto, ait, Christum non negant, qui impura et immunda vita, quasi clamoso præconio, totius temperantiæ magistrum abdicant et alienant? Nulla siquidem tenebris cum luce societas est. » S. Petrus, *epist.* II, cap. II, vers. 1, ait : « Et eum qui emit eos, Dominum negant. » Vide ibi dicta. Porro cum ait Christum esse « solum Dominatorem et Dominum, » non excludit Patrem et Spiritum Sanctum, sed alium quemlibet qui sit alterius essentiæ. « Solum » ergo, scilicet cum Patre et Spiritu Sancto, utpote quibus Christus est ὁμούσιος et consubstantialis, ac proinde idem cum eis habet dominium et dominationem. Quocirca, ut recte ait Beda : « Quamcumque in eadem sancta et individua Trinitate personam nomines, solus Deus est; et cum totam simul Trinitatem nominas, solum verum Deum nominas. » Dictio ergo exclusiva, addita uni personæ divinæ respectu prædicati essentialis, non excludit alias personas, ait Lyranus, sed excludit eas in prædicatis notionalibus, ut si dicam : Solus Pater generat, solus Filius generatur, solus Spiritus Sanctus spiratur.

Porro Œcumenius τὸ *Dominatorem* refert ad Patrem, τὸ *Dominum nostrum* ad Filium Jesum Christum; sed longe verius est utrumque ad Christum referri, uti refert Didymus, Beda, Lyranus, Hugo, Dionysius, Gagneius, Salmeron, Serarius et alii passim. Idque probatur primo, quia Græca utrumque uno articulo τὸν denotant et prænotant, licet nonnulli codices Græci hunc articulum duplicent, sed ii pauci sunt et minoris notæ. *Secundo*, quia S. Judas idem dicit cum S. Petro, quia ait : « Et eum qui emit eos (Christum) Dominum negant. » *Tertio*, quia Simoniani et Ebionitæ contra quos hic scribit Judas, non negabant unum esse Dominatorem, hoc est summum Dominum et Deum Universi, sed negabant hunc esse Jesum Christum : Jesum enim dicebant purum esse hominem, non Deum. Genuinus ergo S. Judæ sensus et mens est, contra Simonianos, Ebionitas et Arianos postea futuros, docere Jesum Christum esse verum Deum. Similiter Nicolaitæ, contra quos scribit S. Judas, negabant Christum esse Deum : aiebant enim Deum in Christo tantum habitasse, uti refert S. Ignatius, *epist.* 9, et Irenæus, lib. III, cap. XI. Denique id ipsum suadet versio Arabica, quæ sic habet : « Et in eo qui est solus Dominus Deus, Dominum nostrum Jesum Christum negantes. » Porro Christus est noster « Dominator, » græce Δεσπότης Θεός, id est *Dominus et herus Deus*, quia nos e servitute diaboli suo sanguine redemit et emit. Unde idem est Κύριος, id est *Dominus* noster, uti titulo creationis, ita et redemptionis. » Quocirca Augustus Cæsar « dominum se appellari passus non est, imo non ausus, quo tempore verus Dominus totius generis humani inter homines natus est, » ait Orosius lib. VI, cap. XXI.

Quæres quomodo differant *Dominator* et *Dominus*? Respondeo *primo*, τὸ *Dominatorem* significare dominium in res omnes, τὸ vero *Dominum nos*

qui differant?

trum duntaxat in fideles et Christianos, qui eum ut Dominum agnoscunt et venerantur. Ita Glossa. Unde Syrus vertit, *in eo qui solus est Dominus Deus, Dominum nostrum Jesum Christum negantes*; et Arabicus, *abnegantes Regem unicum Dominum nostrum Jesum Christum. Secundo*, Fevardentius ait Deum Patrem dici « Dominatorem » ratione creationis, Christum vero dici « Dominum nostrum » ratione redemptionis, qua nos quasi servos sibi coemit. *Tertio*, Thomas Anglicus censet voce « Dominatoris » significari potestatem dominandi, vel dominationem naturalem; « Domini » vero, actum dominandi, vel dominium gratuitum. Prima responsio, cui cohæret secunda, videtur genuina: τὸ enim *Dominatorem* ponitur absolute et indeterminate ut omnia respiciat, τὸ vero *Dominum* determinatur per « nostrum, » scilicet fidelium et Christianorum. Adde: Deus vocatur « Dominator Dominus, » ad exaggerationem ejus dominii, *q. d.* Amplissime et plenissime, ubique et per omnia dominans; sive, ut S. Paulus ait: « Rex regum, et Dominus dominantium, » I *Timoth.* VI, 15. Unde Ecclesia in introitu Missæ in festo Epiphaniæ, ita orditur: « Ecce advenit Dominator Dominus, et regnum in manu ejus, et potestas et imperium; » et in hymno Angelico: « Tu solus Sanctus, tu solus Dominus, tu solus Altissimus, Jesu Christe, cum Sancto Spiritu in gloria Dei Patris. » Alludit ad *Isaiæ* cap. III, vers. 1, et cap. X, vers. 16, ubi Deus vocatur « Dominator Dominus. » Addit Adamus, Deum dici Δεσπότην, id est *Dominatorem*, quasi δεσμώτην, id est *vincientem*, qui scilicet vincire et vincula nobis injicere possit quasi Judex reis; Κύριον vero, id est *Dominum*, a κυρώσαι, id est *decernere*, quod leges nobis ferat, iisque nos obliget. Verum hæc allusive dicuntur potius, quam genuine. Prior ergo ratio est genuina, idque liquet ex eo quod primitus hoc nomen « Dominator Dominus » sibi indiderit Deus, *Exod.* XXXIV, 6, eoque se invocari jusserit a Mose, ubi in Hebræo est idem nomen repetitum, scilicet « Jehova Jehova; » et *Isai.* X, 16, rursum vocatur « Dominator Dominus, » pro quo in Hebræo repetitur nomen *Adon Adonai*. Ibidem vero vers. 33, et cap. III, vers. 1, vocatur *Haadon Jehova sabaoth*, pro quo Noster vertit, *Dominator Dominus*. Hinc Sapiens, cap. XII, 18: « Tu autem, ait, Dominator virtutis, cum tranquillitate judicas; » et Amos, cap. V, vers. 16: « Hæc dicit Dominus Deus exercituum Dominator; » et Zacharias, IV, 14: « Isti sunt duo filii olei, qui assistunt Dominatori universæ terræ. » Vera ergo ratio, veraque origo cur Deus vocetur « Dominator Dominus, » est, quod crebro in veteri Testamento Deo dentur duo nomina, vel idem geminatum ad repræsentandam ejus majestatem et gloriam. Vocatur enim *Jehova Adonai*, quod noster vertit, *Dominator Dominus*; atque eo alludit hic S. Judas. *Jehova* proprie significat ipsum esse Dei quaquaversum immensum et infinitum, puta pelagus essentiæ, a quo omne ens et esse sicut radius a sole procedit; *Adonai* significat Dominum, uti ostendi *Exodi* cap. VI, vers. 3.

Verum, quia ipsum esse Dei, quod significat *Jehova*, uti est in se, homines concipere nequeunt, hinc Noster vertit *Dominator*; nil enim divinitatem summamque Dei majestatem nobis ita repræsentat, atque nomen *Dominator*, scilicet summus totius Universi, quod scilicet in omnes Universi creaturas plenum habeat dominium, regnum et imperium, juxta illud Ciceronis, lib. II *De Natura Deorum*: « Dominator rerum Deus. » Et: « Sit igitur hoc jam a principio persuasum civibus, dominos esse omnium rerum ac moderatores deos; » et illud Senecæ, *Hippol.*: « Freti sævus dominator Neptunus; » et Virgilius, lib. II *Æneid.*, Priamum vocat:

> Tot quondam populis terrisque superbum
> Regnatorem Asiæ.

Sic Hebræi Deum vocant « Dominum sabaoth, » id est exercituum, juxta illud: « Dominus exercituum nomen illi, » *Jerem.* XXXI, 35. « Deitas enim quia incomparabilis est, varie nuncupatur, scilicet sapientiæ gloria, deitatis gloria aut summitas, aut dominatio, aut dignitas, aut charitas, aut majestas, aut imperium, aut potestas, aut sempiternitas, » ait S. Athanasius, lib. I *De Unitate S. Trinit.*

Porro Christus est « Dominator Dominus, » tum qua Deus, tum qua homo: qua homo enim per unionem hypostaticam habet summum in res omnes creatas, etiam Angelos, Cherubinos et Seraphinos, jus et dominium, juxta illud Christi, *Matth.* XXVIII, 29: « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra; » et *Apocal.* cap. XIX, 16: « Habet in vestimento et in femore suo scriptum: Rex regum, et Dominus dominantium; » et *Hebr.* cap. I, vers. 2: « Quem constituit hæredem universorum. » Quam ergo Christum hominem colere, revereri, eique omnibus viribus obsequi et servire debemus, cui omnes angeli ad pedes ejus provoluti humillime se substernunt, obsequuntur et serviunt?

5. COMMONERE AUTEM VOS VOLO. — Græce ὑπομνῆσαι, id est, in memoriam vobis reducere cupio; Arabicus, *diligo* (cupio) *ut revocem in memoriam vobis*. Hinc ὑπομνήματα vocantur memorialia.

SCIENTES SEMEL OMNIA, — *q. d.* Non volo vos docere, quia jam illa didicistis et scitis; sed tantum ea suggerere, et in memoriam quasi commonitor revocare. Dicit hoc modestiæ causa, ne videatur eos inscitiæ arguere, sed potius laudare a scientia. Sic S. Joannes ait, *epistola* I, cap. II, vers. 21: « Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem, sed quasi scientibus eam, » *q. d.* Persuadeo mihi vos hæc quæ scribo scire, unde ea non doceo, sed refrico et confirmo, ut quæ credere bene cœpistis, melius perseverando perficiatis. Esto enim nonnulli ea ignorarent, multi ta-

men ea sciebant. Unde colligas primos Christianos in fide valde bene fuisse instructos et eruditos. Vigebat enim tunc neophytorum catechesis, adeoque ipsi Apostoli erant perpetui catechistæ. Hos imitentur jam Pastores, quia magna inter fideles est ignorantia rerum fidei et salutis, multique ea de causa pereunt et damnantur, quorum animas a Pastoribus reposcet Deus.

Vox *semel* vel refert primam eorum in fide et Scriptura instructionem, *q. d.* Jam pridem in prima vestra instructione et catechesi, simul et semel audistis et didicistis historiam Josue et Hebræorum. Verum in prima catechesi traduntur articuli fidei, non autem historiæ S. Scripturæ, nisi dicas S. Judam loqui maxime Judæis ad Christum conversis : hi enim in judaismo multa audierant de Mose et Josue. *Secundo*, magis congrue τὸ *semel* per trajectionem Hebraicam referas ad τὸ *salvans;* opponitur enim τῷ *secundo*, quod sequitur, ut sententia ita sit ordinanda : scientes quod « Jesus semel populum de terra Ægypti salvans, secundo eos qui non crediderunt, perdidit; » et ita legunt nonnulli codices Græci : tunc enim sensus planus est, connexus et nervosus. Accedit Syrus, qui vertit, *quod Deus secundum unum tempus populum ex Ægypto liberavit;* et Arabicus, *quod Jesus in vice prima*, vel *primo, populum suum ex Ægypto liberavit. Tertio* et planissime, scientes « semel, » id est omnino et prorsus « omnia, » universim « omnia, » in totum « omnia, » simul « omnia, » ita ut me iterum ea docere, et vos iterum ea audire et discere non sit necesse. Sic Cicero *pro Dejotaro* : « Cum facile, ait, exorari, Cæsar, tum semel exorari soles; » *semel*, id est omnino et prorsus, ut amplius te exorare non sit necesse. Rursum, « semel, » id est ad summam, vel in summa, *q. d.* « Scientes semel, » id est summatim, « omnia. » Sic Quintilianus, lib. XI, cap. I : « Et ut semel, ait, omnia complectar; » et lib. X, cap. III : « Denique ut semel quod est potentissimum, dicam : secretum in dictando perit, » id est, ut summa dicam. Hujus phrasis ratio est ipsum illud « semel, » quod significat una vice pro omnibus, ita ut postea non oporteat quid addi. Denique, « semel, » id est irrevocabiliter, *q. d.* « Scientes » omnia « semel, » id est plene, firmiter et irrevocabiliter, ut eorum oblivisci non possitis. Sic Ovidius, epist. 5, *de virginitate* ait :

— — Deperit illa semel,

id est irrevocabiliter, quia semel amissa nunquam recuperari potest. Et Lucanus, lib. IX :

Dixitque semel nascentibus auctor,
Quidquid scire licet.

Semel, inquit, ut nullum postea verbum addat. Plinius, lib. VII, cap. XXXIV : « Vir optimus, ait, semel a condito ævo judicatus est Scipio Nasica a jurato senatu; » et cap. XXXV : « Pudicissima femina semel matronarum sententia judicata est Sulpitia. » Ubi τὸ *semel* affirmantis venustatem habet, ut quod verissimum esse asseverare volumus, id semel tantum dixisse sufficiat. Quo sensu ait *Job* XXXIII, 17 : « Semel loquitur Deus, et secundo idipsum non repetit; » et Psaltes, *Psal.* LXXXVIII, vers. 36 : « Semel juravi in sancto meo; » et *Psal.* LXI, vers. 12 : « Semel locutus est Deus; » et Paulus, *Hebr.* IX, 12 : « Christus semel introivit in sancta; » et Judas hic vers. 3 : « Semel traditæ sanctis fidei. » Similia sunt *Exod.* cap. XXXIII, vers. 5; *Num.* XXX, 7; *Levit.* XXVII, 28, et I *Reg.* XXVI, 8, et alibi (1).

Porro τὸ *omnia* intellige commode. Notat Œcumenius S. Judam citare historiam veteris Testamenti, « tum ut declaret eumdem esse Deum et veteris et novi Testamenti institutorem, et non, sicuti isti scelesti aiunt, alterum esse Deum veteris Testamenti ultorem et crudelem, alterum novi mansuetum et benignum asserentes; et simul ait, quod neque hi qui nunc peccant, inulti permanere poterunt, sicut neque illi qui ex Ægypto educti fuerunt. » Hoc ipsum indicat Didymus, qui hoc exemplo confirmari existimat quod modo dixerat Judas, Christum Deum ac Dominum esse rerum omnium creatarum. « Dictum namque est, inquit, ante hæc de eo quod sit verus Deus, iste solus Dominator et Dominus Jesus Christus, qui eduxit populum ex Ægypto per Moysem : quibus ita dictis, consequens est ut non sit alter Deus Moyseos : neque enim est alius præter Trinitatem. »

QUONIAM (quod) JESUS. — S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovinianum*, accipit Josue : hic enim a Septuaginta vocatur « Jesus : » Josue enim populum induxit in terram promissam. Verum obstat quod Josue non eduxerit populum ex Ægypto; nam id fecit Moses, cujus minister et successor fuit Josue. Rursum, pro *Jesus* multi Græci codices habent Κύριος, id est *Dominus*, et nonnulli addunt ὁ Θεός, id est *Deus*. Unde Syrus et Clemens Alexandrinus legunt *Dominus Deus*, quod Jesu Christo soli competit, non Josue. « Jesus » ergo, non qua homo (utpote necdum natus in terra), sed qua Deus populum suum, puta Hebræos, ex Ægypto ejusque servitute eduxit et liberavit. Nam, ut ait Paulus : « Jesus Christus heri et hodie, ipse et in sæcula, » *Hebr.* XIII, 8. Omnibus hisce ostendit S. Judas contra Simonem, Ebionem et Arianos Christi divinitatem.

SALVANS, — σώσας, id est *cum salvasset*.

SECUNDO EOS QUI NON CREDIDERUNT (Deo et Mosi promittenti, quod eis traderet terram promissam, ideoque redire voluerunt in Ægyptum), PERDIDIT. — Quomodo « secundo? » *Primo*, Beda et ex eo Glossa interlinearis : « Secundo, » inquit, id est, bis

(1) Allioli : Revoco autem vobis in memoriam, quod *jam aliquando* audivistis. Rosenmullerus : Semel adhuc (dum scil. adhuc sum in vivis) vobis in memoriam revocare volo, etsi jam sciatis.

punivit et perdidit eos, scilicet primo in hac vita per mortem, secundo in altera per gehennam. « Quia solos, inquit, pœna a supplicio liberat, quos immutat; et quos præsentia mala non corrigunt, ad sequentia producunt. » Verum alii passim « secundo » exponunt, *postea, deinceps,* uti legit Clemens Alexandrinus; unde Arabicus legit, *in vice secunda.*

Sensus ergo est, *q. d.* Deus semel salvavit populum, cum eum se sequentem eduxit ex Ægypto; at « secundo, » id est, alia vice eum perdidit, cum scilicet incredulus ab eo recessit et apostatavit, idque non semel, sed sæpius. Nam idololatrantes cum vitulo aureo occidit in Sina, *Exodi* cap. XXXII, 27; postea occidit murmurantes et carnes desiderantes in Sepulcris concupiscentiæ, *Numer.* XI, 33. Denique omnes præter Josue et Caleb damnavit morte in deserto, ob murmur exploratorum, *Numer.* XIV, 29.

Quare non est necesse cum nonnullis τὸ *secundo* referri ad Hebræos respectu Ægyptiorum, qui primo perditi et mersi sunt in mari Rubro, *q. d.* Deus *primo* perdidit Ægyptios in mari Rubro, eo quod insequerentur Hebræos populum Dei; at cum Hebræi Deo obluctati, imitati sunt Ægyptios, imo in Ægyptum reverti voluerunt, Deus iram suam in eos reflexit; atque sicut primo perdiderat Ægyptios, sic *secundo,* perdidit Hebræos : non, inquam, est necesse sic explicare, imo nec convenit, quia nulla hic perditionis Ægyptiorum facta est mentio. Porro S. Judas hoc exemplum fidelibus applicandum relinquit, *q. d.* Simili modo Deus fideles quos primo salvavit in baptismo, dum Christum secuti sunt, secundo perdet si a Christo apostatent et ad Simonem, Ebionem aliosque Christi hostes declinent. « Quare melius erat istis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo quod illis traditum est sancto mandato, » ait S. Petrus, *epist.* II, cap. II, vers. 21. Vide ibi dicta.

6. ANGELOS VERO QUI NON SERVAVERUNT SUUM PRINCIPATUM, etc. — Arabicus sic vertit : « Projecit angelos qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum ordinem et officium, in tenebras extremas, alligatos in vinculis æternis, reservando in eis ad hunc diem magnum, diem judicii. » Est hoc secundum exemplum et argumentum, scilicet angelorum, sicut primum fuit Hebræorum, *q. d.* Si Deus angelos nobilissimos apostatantes sibique rebellantes e cœlo dejecit, et in diem magni judicii damnandos reservavit, quanto magis puniet vos, o fideles, ac in die judicii coram toto mundo condemnabit, si ab ejus fide apostatantes ad hæreticorum impietatem et perfidiam desciscatis? Eodem utitur S. Petrus, *epist.* II, cap. II, vers. 4, dicens : « Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in judicium reservari, » etc. Vide ibi dicta. Hunc Luciferi et Angelorum horribilem casum graphice depingit Isaias, cap. XIV, vers. 12, et Ezechiel, cap. XXVIII, vers. 12.

Pro *principatum* græce est ἀρχήν, quod tam originem et principium, quam potestatem et principatum significat. Unde Cajetanus et Tigurina vertunt, *suam originem*; Gagneius, *suam dignitatem*; Adamus, *suum magistratum*, id est, « angelicæ dignitatis honorem et præeminentiam non retinuerunt, » *q. d.* Angeli non servaverunt suam originem, id est originalem suam excellentiam, statum, gratiam, justitiam, præeminentiam et dominium in res omnes corporeas, ut quasi principes dominarentur in cœlo et in terra, in qua originaliter a Deo creati et conditi sunt. Hinc patet angelos omnes, etiam dæmones, primitus creatos esse in gratia. Ex originali enim gratia et justitia manabat originalis eorum excellentia et dominium in res omnes.

Quare minus probabiliter dæmones creatos esse in gratia, negant Magister sentent., Henricus, Bonaventura, Scotus, Alensis et Hugo, quos citat, et ex hoc loco aliisque confutat noster Vasquez, I *part.*, disp. 217, cap. III et IV, ubi ostendit per « principatum » maxime accipi gratiam sanctificantem : per hanc enim constituimur filii Dei, hæredes et principes regni cœlestis, adeoque ipsi angeli per eam erant amici et familiares Dei, ac principes in domo Dei aulaque cœlesti. Multo magis hinc patet error hæreticorum dicentium diabolum natura sua esse malum : ita senserunt Priscillianistæ, quos condemnat S. Leo, *epist.* 97. cap. VI, et Concilium Lateranense, cap. *firmiter,* de summa Trinitate; et Epiphanius *hæres.* 48, confutat hæreticos, qui dicebant diabolum esse filium Sabaoth, id est, septimæ potestatis, quem Deum Judæorum esse asserebant, suaque natura malum et Patri repugnantem, commixtum vero cum Eva, ex ea genuisse Cainum et Abelem.

Tropologice, Beda : Simili modo instar dæmonum, inquit, fideles superbientes, qui gratiam adoptionis filiorum Dei non servant, et derelinquunt domicilium suum, scilicet Ecclesiæ unitatem, in qua Deo renati sunt, vel certe sedes regni cœlestis quas accepturi erant, si fidem servarent, ante judicium graviter, et gravius in judicio universali damnabuntur. Idem applices Clericis ab Ordine, Religiosis a suo statu apostatantibus. Utrique enim relinquunt suum principatum, et quasi e cœlo in infernum corruunt, imo ultro se præcipitant. Vide Hieronymum Platum, lib. III *De Bono status Religiosi,* cap. ult. et penult.

Denique ex hoc aliisque Scripturæ locis, quibus dæmones vocantur ἀρχαί, id est *principatus* et potestates, solerter colligit Cassianus, *Collat.* VIII, cap. VIII, inter angelos qui ceciderunt, plerosque e summis eorum principibus extitisse. Hisce enim eo major superbiendi et ruendi fuit occasio, quo majoribus naturæ et gratiæ dotibus se cæteris antecellere cernebant. Hic verum est illud : « Feriuntque summos fulmina montes; » ita per su-

perbiam ceciderunt summi in Ecclesia, ut Saul, Origenes, Tertullianus, etc.

SED DERELIQUERUNT SUUM DOMICILIUM, — τὸἰον οἰκητήριον, id est *propriam habitationem*, scilicet cœlestem, puta cœlum empyreum, ait Lyranus; « dereliquerunt » autem non directe et sponte, sed indirecte et coacte : quia enim sponte dereliquerunt cœleste vitæ institutum, quo Deo adhærebant et serviebant, hinc a Deo coacti sunt relinquere cœlum, cum ex eo præcipitati sunt. Ita Œcumenius. Unde Arabicus vertit, *dereliquerunt ordinem*, seu constitutum officium suum. Vere S. Augustinus, serm. 28 *De Verbis Domini secundum Lucam* : « Sanctificatum, ait, est cœlum, dejectus est diabolus; » et paulo ante : « Cœlum est, ubi culpa cessavit; cœlum est, ubi flagitia non sunt; cœlum est, ubi nullum mortis vulnus est. » Hinc liquet angelos creatos esse in cœlo empyreo, licet id nonnulli negent.

Moraliter, disce quam omnis creatura, etiam angelica, sit instabilis, nisi a Deo confirmetur et stabiliatur : « Ecce qui serviunt ei non sunt stabiles, et in angelis suis reperit pravitatem, » ait Job, cap. IV, vers. 18; et cap. XV, vers. 15 : « Ecce inter sanctos ejus nemo immutabilis, et cœli non sunt mundi in conspectu ejus. » Rursum hinc liquet angelos primitus non fuisse beatos, nec vidisse Deum; sic enim fuissent confirmati in gratia, nec potuissent cadere de cœlo. Unde S. Augustinus, lib. XI *De Genes. ad litter.*, cap. XIII, ait : « Dæmonem nunquam gustasse dulcedinem beatæ vitæ, quam (inquit) non utique acceptam fastidivit, sed nolendo accipere deseruit et amisit. »

IN JUDICIUM (id est in condemnationem, per metonymiam : ita Œcumenius) MAGNI DIEI,— puta diei judicii : hic enim erit dies magnus, quia magna in eo fient, scilicet judicium universale, consummatio mundi, descensus Christi gloriosus cum omnibus Angelis et Sanctis, divisio bonorum a malis, glorificatio bonorum, et damnatio malorum in æternum. Hic ergo dies erit horizon temporis et æternitatis, disterminans in omne ævum angelos a dæmonibus, beatos a damnatis, Paradisum a gehenna. Hinc patet dæmones comparituros in judicio universali, et a Christo judicandos accepturosque æternæ damnationis sententiam, juxta illud I *Corinth.* VI, 3 : « Nescitis quoniam angelos judicabimus? » uti ibidem docent et explicant S. Chrysostomus, Theodoretus, Ambrosius, Anselmus et alii passim.

VINCULIS ÆTERNIS. — Græce ἀϊδίοις, id est *æternis*, vel *non propriis*, sed alienis et coactis; vel, ut Syrus, *incognitis*, invisibilibus, quæ scilicet videri nequeunt. Origenes, hom. 9 *in Matth.*, legit, *vinculis gravibus*; S. Petrus, *epist.* II, cap. II, vers. 4, vocat σειρὰς ζόφου, id est *rudentes*, sive *catenas caliginis*. Unde addit Judas, « sub caligine. » *Vincula* hæc sunt spiritalia, puta vis divina eos detinens, atque obligatio et alligatio eorum per illam ad carcerem, gehennam et pœnam æternam. Huic enim Deus eos ita alligavit et astrinxit, ut eam nusquam et nunquam excutere vel evadere queant, ideoque vocantur æterna; quia licet dæmones usque ad diem judicii permittantur in hoc aere versari et tentare homines, tamen ipsi quocumque vadant, hanc obligationem et alligationem, adeoque ipsam suam pœnam et incendium, tanquam mancipia catenam suam circumferunt. Sicut ergo homo, puta judex, corpora reorum, ita Deus spiritus et animas damnatorum alligat gehennæ et igni. Potest secundo sic exponi, *q. d.* Deus dæmones sub caligine aeris hujus reservavit vinculis æternis, id est ad vincula æterna, quibus eos in die judicii coram toto mundo alligabit et compinget in gehenna, ut ex ea nunquam amplius egredi possint, uti nunc possunt, sed in eam quasi in ergastulum perenne retrudantur. Unde Cyrillus Alexandrinus in *Habacuc* III, num. 49, legit : « Quibus caligo tenebrarum in omnia sæcula reservata est. » Utrumque verum; dæmones enim et vinculis æternis jam ligati sunt, et iterum iisdem ligandi in die judicii, uti jam dixi. De vinculis dæmonum, qualia ea sint, et quomodo iis ligentur, dicam *Apocalyp.* cap. IX, vers. 14.

Denique Clemens Alexandrinus « vincula » dæmonum interpretatur amissionem honoris in quo constiterant, et cupiditatem infirmarum rerum; cupiditate enim propria devinctos, converti nequaquam posse. Sed hæc symbolica et mystica sunt vincula, non litteralia.

SUB CALIGINE, — tum aeris hujus caliginosi, tum potius inferni et tartari, uti ait S. Petrus, *epist.* II, cap. XXIV; ζόφος enim, id est *caligo, nox*, significat quoque infernum, quia in eo est densissima caligo, perpetua et æterna nox : aliqui enim dæmones versantur in inferno, alii in hoc aere; sed utrique suam catenam et pœnam circumferunt. Unde Patres docent aerem hunc esse plenum dæmonibus. Ita S. Augustinus, lib. XI *De Civit.*, XXXIII; S. Fulgentius, lib. *De Trinit.*, et alii passim. In Vita S. Emmerammi, lib. II, narratur tantam esse dæmonum in aere multitudinem, ut cuidam viro sancto revelatum sit, eos, si haberent corpora nostris æqualia, splendorem solis mortalibus intercepturos.

Præpositio *sub* notat caliginem hanc esse loco, non superiori, sed inferiori et subdito, eamque esse instar carceris. Carcer enim solet esse in loco imo et subterraneo, in quo, et sub quo rei concluduntur, deprimuntur et arctantur. Unde S. Augustinus, *De Natur. boni contra Manich.*, XXXIII, asserit quod dæmones « pœnaliter hunc infernum, hoc est, inferiorem caliginosum aerem tanquam carcerem acceperint. »

RESERVAVIT, —« cruciandos, » ait S. Petrus : vide ibi dicta. S. Judas potius τὸ *reservavit* refert ad « vinculis æternis, » *q. d.* Reservavit eos ad vincula æterna, quibus in die judicii eos vinciet et compinget in carcerem et ignem æternum. Hinc

moraliter nota, quanta sit miseria et infirmitas dæmonum, quod nimirum quasi rei catenati sint, ac proinde quasi canes ligati nos invadere et mordere nequeant, nisi ultro in eorum rictum et ungues nos injiciamus, uti docet S. Augustinus, serm. 197 *De Tempor.*, et Tertullianus, *De Habitu muliebr.* cap. II : « Hi sunt, ait, angeli quos judicaturi sumus. Hi sunt angeli, quibus in lavacro renuntiamus. Hæc sunt utique, per quæ ab homine judicari meruerunt. Quid ergo faciunt apud judices suos rei eorum? Quod est commercium damnaturis cum damnandis? Qua constantia tribunal ascendimus decreturi adversus eos, quorum munera appetimus? »

7. SICUT SODOMA ET GOMORRHA. — Est hoc tertium exemplum, quo Simonianorum et Gnosticorum infames libidines, quibus æternum ignem intentat, perstringit; sicut primo exemplo Hebræorum rebellium, perstrinxit eorumdem perfidiam et rebellionem; ac secundo exemplo dæmonum apostatantium, perstrinxit eorumdem superbiam et invidiam. Quo tacite notat eos, instar Sodomitarum, præpostera et infanda libidine se contaminasse.

EXFORNICATÆ, — id est extreme fornicatæ, extremam et pessimam libidinem exercentes, ut omnem ejus modum et mensuram excessisse, utque omnes corporis vires, omne semen, omnem sanguinis et vitæ succum in fornicando exhausisse videantur. Hoc est quod de Marci Gnostici amasiis scribit Irenæus, lib. I : « Hæ, inquit, sæpe conversæ ad Ecclesiam Dei confessæ sunt, et secundum corpus exterminatas se ab eo velut cupidine, et inflammatas, valde se illum dilexisse. » Secundo, Thomas Anglicus, Hugo et Glossa : « exfornicatæ, » inquiunt, id est extra debitum naturæ vas fornicatæ sunt, quia scilicet relicto naturali usu feminæ in mares exarserunt, *Rom.* I, 27. Alii, « exfornicatæ, » id est, extra fornices non cum meretricibus quæ in iis prostabant, sed cum pueris domi fornicatæ sunt. Verum hoc subtilius est quam solidius.

ABEUNTES POST CARNEM ALTERAM. — Syrus, *ambularunt post carnes alias*. Mas enim et femina in conjugio fiunt una caro ad generandam prolem, juxta illud *Matth.* XIX, 5 : « Erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. » At mas et mas non possunt fieri una caro ad generandum; ergo sunt duo, et si misceantur, abeunt post carnem alteram. Igitur « caro altera, » vel, ut Pagninus vertit, *aliena*, est femina concubina et meretrix : hæc enim altera est ab uxore legitima. Vel potius est masculus; hujus enim caro et præpostera cum ea libido, est aliena ab instituto et usu naturæ, quia incongrua et inepta, imo adversa generationi et procreationi liberorum. Ita Œcumenius : « Carnem, inquit, alteram, vocat masculum sexum, quippe quæ diversa sit, et a coitu generationis aliena. Caro siquidem ad coitum accommodata feminæ caro est, juxta id quod a progenitore nostro dictum est : Os ex ossibus meis, et caro ex carne mea. At marium caro altera est, id est, diversa a coitu. » Abeunt ergo post carnem alteram, cum mares maribus, aut feminæ feminis, aut viri feminis extra naturale vas præpostere commiscentur; multo magis cum bestia, vel diabolo in corpore assumpto, sive incubo, sive succubo commiscentur. Simili phrasi ait Constans imperator, lib. *Cum vir*, ad legem Juliam *De adult.* : « Quod in isto scelere sexus perdit locum, venus mutata est in alteram formam. » Et Sapiens cap. XIV, 26, ait ex idololatria (æque ac hæresi) ortam esse nativitatis immutationem, nuptiarum inconstantiam, inordinationem mœchiæ et impudicitiæ.

FACTÆ SUNT EXEMPLUM. — Græce προκεινται δειγμα, id est projectæ sunt in exemplum, propositæ in ostensionem. Hoc est quod S. Petrus Judæ succinens ait *epist.* II, cap. II, vers. 6 : « Exemplum eorum qui impie acturi sunt, ponens. » Unde Gellius lib. VI, cap. XIV, inter tres causas ob quas publice scelerati puniendi sunt, hanc præcipuam assignat : « Tertia, inquit, ratio vindictæ est, quæ paradigma a Græcis nuncupatur, cum punitio propter exemplum est necessaria, ut cæteri a similibus peccatis metu cognitæ pœnæ deterreantur. Idcirco veteres quoque nostri exempla pro maximis gravissimisque pœnis dicebant. » Hinc *Num.* V, 21, de adultera dicitur : « Det te Dominus in maledictionem, exemplumque cunctorum in populo suo; » et cap. XXV, 4 : « Tolle cunctos principes populi, et suspende eos contra solem. » Septuaginta παραδειγμάτισον, id est *statue in exemplum*.

IGNIS ÆTERNI POENAM SUSTINENTES. — *Primo*, quia Sodoma et Pentapolis cœlesti igne conflagravit, ita ut concremationis hujus vestigia jugiter extent, et in perpetuum extitura sint, usque ad finem mundi, nimirum desolatio perpetua, ac mare Mortuum, perpetim fumans et exhalans bitumen et sulphur, quo conflagravit, nec pisces, aut vivum ullum admittens, quin protinus eos enecet; poma et fructus non alios producens quam vapidos et cinereos, adeo ut Sodoma præteriti incendii habeat specimen, et futuri in gehenna vivum sit exemplar. Ita Cajetanus. Citat enim Judas historiam incendii Sodomæ narratam a Mose *Genes.* XIX, ubi temporale tantum ejus incendium, non æternum in gehenna, enarratur. Audi Strabonem, lib. XVII : « Quod illa regio ignita est, permulta signa afferunt; nam et petras exustas ostendunt, et terram cinerulentam, et picis guttas ex petris distillantes, et flumina fœtida odore efferventia. » Similia in Sodomitas etiam nostri ævi divinæ vindictæ exempla, quibus a Deo tonitruis et fulminibus siderati, et in cineres redacti sunt, videre est de Peruvianis et Mexicanis apud Ferdinandum Cortesium in Themistitan civitate, pag. 307, et Petrum Martyrem, tom. III *Navig. mundi novi*, fol. 28 et 29; quin et Europæa funesta non

desunt exempla. Celebris est illa S. Hieronymi in *Epistol.* sententia : « O ignis infernalis luxuria ! cujus materia gula, cujus flamma superbia, cujus scintilla prava colloquia, cujus fumus infamia, cujus cinis immunditia, cujus finis gehenna. »

Secundo, « ignis æterni, » quia Sodomitæ omnes ab igne temporali transmissi videntur ad ignem æternum gehennæ. Unde Syrus vertit, *positæ sub igne æternitatis,* **rei** *judicii*; et Arabicus, *cum projicerentur in ignem æternum per judicium justitiæ.* Ita Isidorus Pelusiota, lib. III, *epist.* 203. Vide dicta *Genes.* XIX.

Cogitent ergo luxuriosi, cogitent hæretici, cogitent peccatores, dum eos libido aut concupiscentia quælibet ad peccatum sollicitat, ignem Sodomæ, imo ignem gehennæ, ejusque metu cupiditati resistant. Ignis enim modicæ concupiscentiæ luendus est igne perenni gehennæ. Audiant intonantem Isaiam, cap. XXXIII, 14 : « Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante ? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis ? » Et S. Chrysostomus, hom. 44 *in Matth.* : « In ignis, inquit, fluvium atque pelagus intrudentur, et pelagus impertransibile, atque magnitudine acerbissimum, in quo ignei fluctus montium instar eriguntur ; » et homil. 13 *in epist. ad Roman.* : « Expendito vitæ alterius mala quæ sint futura, regni cœlorum privationem, a gehenna inustum dolorem, vincula perpetua, exteriores tenebras, vermem venenatum, dentium fremitum, pressuram loci angustam, igneos fluvios, fornaces nunquam restinguendas. » Et S. Gregorius, lib. XIV *Moral.*, cap. X, agens de Sodoma : « In ipsa, ait, qualitate ultionis notavit maculam criminis : sulphur quippe fœtorem habet, ignis ardorem ; qui itaque ad perversa desideria ex carnis fœtore arserant, dignum fuit ut simul igne ac sulphure perirent. »

Porro certum est dæmones et damnatos in gehennæ vero igne torqueri ; ignem enim ubique nominat Scriptura ubi de eorum pœna agit, et ita docent S. Basilius *in Psalm.* XXVIII ; S. Augustinus, XXI *De Civit.*, IX ; S. Gregorius, IV *Dialog.*, XXIX ; Isidorus, lib. I *De Summo bono,* cap. XXXI ; S. Chrysostomus paulo ante citatus ; S. Cyprianus, *De Laudib. martyrii* ; Nazianzenus, orat. *in S. Lavacr.* ; S. Justinus, *Adhorth. ad Gentes* ; Clemens, lib. V *Strom.* ; Magister et Scholastici unanimi consensu, in IV, dist. 3, cap. XLIV. Quod ergo Damascenus, lib. IV *De Fide,* cap. ultim. ; Nyssenus, lib. *De Resurrect. et anima* ; S. Hieronymus, in cap. ult. *Isaiæ* ; Ambrosius, lib. VII *in Lucam,* cap. XIV ; Chrysostomus, hom. 1 *in epist. ad Hebr.* ; S. Augustinus, lib. XXI *De Civit.*, X ; S. Gregorius, XV *Moral.*, XIV, alias XVII, insinuant dæmones et animas damnatorum torqueri igne non materiali et corporali, sed spirituali et mystico, intellige non *corporali,* id est, non crasso, terrestri et obtuso, qualis est noster ignis ; ignis enim gehennæ alterius rationis est a nostro, eoque longe acrior, ardentior et penetrantior, adeo ut etiam in animas et spiritus agat, easque comburat, quo respectu vocatur spiritalis, tum quia objectum in quod agit est spiritale, tum quia modus agendi, æque ac effectus est spiritalis, imo miraculosus et divinus.

8. SIMILITER ET HI CARNEM QUIDEM MACULANT, etc. — Græca addunt, οὗτοι ἐνυπνιαζόμενοι, id est *hi somniantes,* vel *somniis delusi* ; quod suspicari quis posset a quodam explicationis causa adjectum in margine, deinde in textum irrepsisse, quia illud omittit Latinus. Verum veteres, ut S. Epiphanius, *hæresi* 26, et ex eo Œcumenius, ac Clemens, lib. III *Strom.*, cap. I, idipsum legunt, sicque exponunt, *q. d.* Simon et Gnostici non docent veritatem, sed sua somnia et commenta de libidine, carnis licentia, contemptu superiorum, etc., populis obtrudunt. « Loquuntur, ait Epiphanius, velut per somnia verba sua, et non per sobrietatem vigilantis rationis. Nam et doctoribus in Jerusalem dicit Isaias, cap. LVI, vers. 10 : Omnes canes muti non potentes latrare, somniantes concubitum, etc. Et sane hic in Epistola Judæ ostendit, dicens : Somniantes concubitum, quæ non sciunt dicentes ; et ostendit quod non de insomniis in somno dicit, sed de fabulosa ipsorum tragœdia ac nugacitate, quæ velut per somnium profertur, et non a sana mente. » Hic sensus huic loco valde congruit : τὸ enim *somniantes* non solum ad « carnem maculant, » sed et ad sequentia, « dominationem spernunt, majestatem blasphemant, » etc., refertur, ut patet ex Græco. Unde et Arabicus vertit : *Assimilantur illis etiam hi qui videntes sunt somnia.* Et sic pseudoprophetæ sæpe a Prophetis vocantur somniantes, eo quod non Dei oracula, sed suæ phantasiæ figmenta et somnia prædicarent. Ita vocat eos Moses *Deuteron.* XIII, 3 ; Jeremias, cap. XXVII, vers. 9 ; Zacharias, cap. X, vers. 2. Clare vero Deus per Jeremiam, cap. XXIII, 25 : « Audivi, ait, quod dixerunt Prophetæ prophetantes in nomine meo mendacium, atque dicentes : Somniavi, somniavi. Usquequo est istud in corde Prophetarum vaticinantium mendacium, et prophetantium seductiones cordis sui ? Qui volunt facere ut obliviscatur populus meus nominis mei propter somnia sua, etc. Ecce ego ad Prophetas somniantes mendacium, etc., cum ego non misissem eos. » Similia habet cap. XXIX, 8. Hinc et Irenæus, lib. I, cap. XX, Gnosticos vocat Oniropompos, eo quod sua somnia quasi oracula Dei venditarent. Sed audi somnium Gnosticorum de Elia ex Epiphanio, *hæresi* 26 : « Philippi Apostoli confictum Evangelium proferebant, et ex eo mera somnia et deliramenta, ad sua impura dogmata stabilienda. Quin etiam de sancto Elia blasphemias dicere audent : quando assumptus est, inquiunt, rursus dejectus est in mundum. Venit enim, inquiunt, una ex dæmonibus, et tenuit, et dixit ipsi : Quo vadis ? habeo enim liberos a te, et non poteris ascendere. et hic dimittere liberos tuos

Et dixit Elias : Unde habes liberos a me, cum ego in castitate vixerim? Et dixit illa : Certe quando insomnia somnians, sæpe in defluxu corporum evacuatus es, ego eram quæ assumpsi a te semina, et genui tibi filios. »

Secundo, alii apposite τὸ *somniantes* sic exponunt, *q. d.* Adeo libidinibus sunt dediti, ut non nisi de iis cogitent, loquantur, imaginentur, imo somnient. Ita Clemens Alexandrinus, lib. III *Stromat.* cap. I; unde Syrus vertit, *in somno pelliciuntur ad carnem a contaminatoribus*; S. Hieronymus, *Contra Jovinianum* : « Nihil aliud nisi de voluptatibus cogitantes; » Vatablus et Pagninus vertunt, *delusi insomniis*, id est, non solum interdiu libidine se contaminant, sed etiam noctu per insomnia, ait Vatablus, puta per illusiones, imaginationes et pollutiones nocturnas; hæ enim causantur ex diurna obscenorum imaginatione. Ita Gagneius, Salmeron et alii. Hoc est quod ait Theodoretus, lib. I *Hæretic. Fabul.* : « Qui sectæ Simonis erant, se audacter omni libidini et intemperantiæ dedebant, et omni incantationum et præstigiarum (quæ quasi somnia oculos perstringunt et fascinant) genere utebantur, amatoria quædam pellicientia (philtra) machinantes. »

Quocirca sapienter de somno moderando ita scribit et præscribit S. Bernardus ad fratres de Monte Dei : « Cave, serve Dei, ne totus aliquando dormias, ne sit somnus tuus non requies lassi, sed sepultura corporis suffocati; non reparatio, sed exstinctio spiritus tui. Suspecta res est somnus, et ex magna parte ebrietati similis. Exceptis enim vitiis quibus in dormiente, cum corpore dormitante ratione non est qui contradicat, quantum ad debitum continui profectus, nihil temporis tam deperit de vita nostra, quam quod somno deputatur. » Unde dat salubre consilium : « Iturus ergo ad somnum semper aliquid defer tecum in memoria, vel cogitatione, in quo placide obdormias, quod nonnunquam etiam somniare juvet, quod etiam evigilantem te excipiens in statum hesternæ intentionis restituat. Sic tibi nox sicut dies illuminabitur, et nox illuminatio tua erit in deliciis tuis. Placide obdormies, in pace quiesces, facile evigilabis, et surgens facilis et agilis eris ad redeundum in id, unde non totus discessisti. Sobrium enim cibum sobriumque sensum sequitur sobrius somnus. Carnalis vero somnus et brutus, et sicut dicitur, letheus, abominandus est servo Dei. »

Tertio, alii τὸ ἐνυπνιαζόμενοι vertunt *sopiti*, quasi veterno, *q. d.* Hæresi et libidini ita immersi sunt, ut ejus quasi veterno et stupore consopiti videantur, adeo ut obscœna quæ vigilantes agunt, eadem in somnio dormientes peragant, ex continuo et ardenti libidinum usu et habitu. Ita Serarius. Rursum, turpibus suis insomniis exsperrecti delectantur, eaque vigilantes opere exequuntur et perpetrant. In somnis enim, utpote sopita ratione, tota se effundit phantasia, concupiscentia et libido. Unde proverbium : « Somniantium libido, » pro effusa et summa. Audi S. Augustinum, lib. X *Confess.*, XXX, humiliter de se confitentem et gementem : « Adhuc vivunt, ait, in memoria mea talium rerum imagines, quas ibi consuetudo mea fixit; et occursant mihi vigilanti quidem carentes viribus, in somnis autem non solum usque ad delectationem, sed etiam usque ad consensionem factumque simillimum. Et tantum valet imaginis illusio in anima mea, et in carne mea, ut dormienti falsa visa persuadeant, quod vigilanti vera non possunt. » Vicissim libido ipsa tam ardens et bruta est, ut mentem et rationem sopiat instar somni. Unde Erasmus hic : « Somniantes, inquit, quia omnis libido veluti per somnium peragitur sopita ratione. » Hinc Hippocrates libidinem dicebat esse brevem quamdam epilepsiam, teste Gellio, lib. XIX, cap. II.

Moraliter, « somniantes, » quia libido omnisque voluptas transit instar somnii. Unde sapienter et pathetice exclamat Petrus Chrysologus, *serm.* 124 : « Quid stupemus? quis est iste qui nos eludit somnus? quæ est ista quæ nos tenet oblivio lethalis? Quare non cœlo mutamus terram? Quare non caducis emimus æterna? Quare non perituris manentia comparamus? » Quin et Plato, et ex eo Philo, lib. *De Joseph*, censuit « omnes res et gaudia mortalium non esse aliud, quam somnia vigilantium. »

CARNEM QUIDEM MACULANT, — per pollutiones et infandas libidines. Nam, ut ait Paulus, I *Corinth.* VI, 18 : « Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat, » ubi Ambrosiaster : « Cætera peccata, ait, etsi per corpus generantur, non tamen animam ita carnali concupiscentia faciunt obstrictam et obnoxiam, quemadmodum commisceri facit animam cum ipso corpore usus libidinis agens in opere carnalis fornicationis : quia in tantum agglutinatur anima corpori, ut in ipso momento nihil aliud cogitare homini liceat aut intendere, quia ipsam mentem captivam subdit ipsa submersio et absorbitio libidinis et concupiscentiæ carnalis. » Unde Alexander Magnus dicebat coitum esse speciem epilepsiæ, sive morbi comitialis, teste Plutarcho in ejus Vita.

Quare perperam Arias contra omnes Interpretes sic exponit : « Carnem maculant, » id est, carnem maculatam esse prædicant, quasi S. Petrus taxet Encratitas, qui prohibebant nubere et abstinere a cibis, quos Deus creavit ad sumendum cum gratiarum actione, I *Timoth.* IV, cap. 3. « Nubere, ait Irenæus, lib. I, cap. XXII, et generare a Satana dicunt esse; » et Theodoretus in *Epitome divin. decret.* : « Bellum, ait, adversus Creatorem hujus universitatis gerebant, ideo ne per matrimonium opificium ejus augeretur, formidabant. » Verum Apostolus hic non Encratitas, sed eis contrarios incestos Gnosticos insectatur.

DOMINATIONEM AUTEM SPERNUNT. — Syrus, *calum-*

niantur. Primo, Clemens Alexandrinus hic de angelis hæc exponit, *q. d.* Hæretici spernunt angelos, præsertim ordinem eorum, qui vocantur « Dominationes. » *Secundo,* Epiphanius, *hæresi* 26 : « Gnosticiti, inquit, spernunt dominationem, » id est, divinitatem, ejusque majestatem, dominium et imperium, quod habet in omnia a se creata. Unde Arabicus : *Provocant,* ait, *potentiam Dei;* et Œcumenius : « Contra divinam, ait, naturam insuper insaniunt, dominationem ejus et universi imperium abnegantes, cum alios quosdam mundi architectos confingant, » puta angelos aut dæmones, quibus Valentiniani mundi prælationem et dominium consignabant, uti docet Tertullianus, lib. *Contra Valentinum,* cap. XXII. *Tertio,* alii, *q. d.* « Dominationem, » id est, Dominatorem et Dominum nostrum Jesum negant, ut ait S. Petrus, *epist.* II, cap. II, vers. 1. Ita Clemens Alexandrinus, Adamus, Cajetanus et alii. Accedit Œcumenius, qui sic rursum explicat, *q. d.* « Dominationem, » id est, « Christi mysterii cæremonias abrogare volunt, dum loco angelicorum mysteriorum sua flagitia perpetrant. » *Quarto* et genuine, « dominationem, » id est, magistratum tum civilem, tum potius Ecclesiasticum spernunt, dicentes se per Christi legem factos esse liberos, ut nulli principi aut magistratui sint subjecti. Ita Thomas Anglicus, Gagneius, Catharinus, Salmeron, et Vatablus, qui, pro *dominationem,* vertit, *dominos.* Vide dicta II *Petr.* II, 10. Unde Irenæus, lib. I, cap. I et XX : « Hi, ait, sunt qui exurgunt contra veritatem, et adversus Ecclesiam Dei; » et S. Cyprianus supra citatus : « Non aliunde, ait, hæreses obortæ sunt, vel nata schismata, quam inde quod Sacerdoti Dei non obtemperatur. » Causam dat S. Petrus, *epist.* II, cap. II, vers. 10 : « Quia, inquit, sunt audaces sibi placentes. » Vide ibi dicta. Ex Gnosticis derivata est calumnia Gentilium in Christianos, per Evangelium politias humanas everti, principum obedientiam prætextu libertatis contemni : quod proinde studiose refutant Justinus, Tertullianus et alii in *Apolog.*

MAJESTATEM AUTEM BLASPHEMANT. — Videtur Interpres legisse in Græco δόξαν : sic quoque legit Syrus; vertit enim, *majestatem.* æque ac Noster. Jam legunt δόξας, quod *primo,* Œcumenius vertit, *glorias, dignitates,* id est in dignitate constitutos, majestate illustres, puta principes, præsertim Ecclesiæ, puta Apostolos et Episcopos, blasphemant, id est, probris, conviciis et maledictis insectantur. Ita Gagneius, Pagninus, Catharinus, Vatablus, Salmeron, Serarius et alii.

Secundo, Clemens Alexandrinus vertit et explicat, *q. d.* Angelos blasphemant. Accedit Estius qui hæc refert ad indigna figmenta, quæ Gnostici affingebant angelis, et Epiphanius, *hæresi* 26 : « Quicumque, ait, post nomen illud adhibiti sunt ad regimen mundi, hoc est, angelos Dei ministros, et provinciarum rectores blasphemant. »

Tertio, Adamus per « majestatem » accipit Mosem et Prophetas, in quibus proprie resplendebat majestas Dei, quos Simon et Gnostici mire insectabantur. Favet quod subdit Judas de Michaele altercante cum Satana de corpore Mosis. Unde Thomas Anglicus per « majestatem » accipit tum Angelos, tum Sanctos, tum Deum.

Quarto, Œcumenius per δόξας, id est *glorias,* accipit gloriosa mysteria conscripta in utroque Testamento, puta novo et veteri, quod spernebant, vel violabant et perperam interpretabantur hæretici, teste Epiphanio, *hæresi* 26. Sic enim Paulus novum Testamentum vocat « gloriam, » II *Cor.* III, 7 et 11.

Quinto, proprie Simon et Gnostici blasphemabant majestatem Dei, dum ejus opera calumniabantur, mysteria in Scripturis latentia depravabant, potentiam enervabant : ita Beda et Hugo; ac præsertim gloriosam Dei sapientiam, bonitatem, justitiam, misericordiam, etc., exhibitam nobis per Christum blasphemabant, dum Christum vere natum, passum, mortuum negabant. Ita Cajetanus et Arias per « majestatem » accipiunt Christum, ejusque utramque naturam divinam et humanam, æque ac miracula, doctrinam cœlestem, resurrectionem, ascensionem, missionem Spiritus Sancti, quæ negabant Simoniani : hæc enim erant δόξαι, id est *gloriæ,* Dei et Christi. Nam, ut ait Poeta, proprie « majestas convenit ipsa Deo. » Majestas enim absolutum dominium et nulli obnoxium (quale solus habet Deus), indeque summum decus, amplitudinem et dignitatem significat : Deus ergo est sacra majestas. Unde Ovidius, V *Fastor.* :

> Hinc sata majestas, quæ mundum temperat omnem.

Et mox :

> — — Consedit medio sublimis Olympo,
> Aurea purpureo conspicienda sinu.

Hoc sensu recte distinguimus *majestatem* a *dominatione,* quæ præcessit, ut dominatio sit magistratus, majestas sit Dei, cujus attributa et dotes gloriosas, augustas et divinas significat Græcum δόξας. Hæretici enim negabant et blasphemabant Dei providentiam, præscientiam, justitiam, vindictam, etc. Has ergo vocat δόξας. Estque climax sive gradatio. Hæretici enim primo principum, deinde sensim magis insolescentes angelorum, ac tandem Dei jugum numenque excutiunt, juxta illud *Psalm.* XXXV, 1 : « Dixit injustus, ut delinquat in semetipso; non est timor Dei ante oculos ejus; » et *Psalm.* XIII, 1 : « Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus. » Porro Gnosticos blasphemasse Deum diserte asserit Epiphanius, *hær.* 26. Idipsum significat magis τὸ *blasphemant.* Blasphemia enim proprie est convicium in Deum. Unde Syrus vertit, *a majestate non moventur dum blasphemant, q. d.* Cogitatio majestatis divinæ quam invadunt et violant, deberet eos absterrere a blas-

phemia, at non absterret, quia eam contemnunt. Denique nonnulli per δόξας accipiunt dogmata Apostolica : δόξαι enim inter alia significant dogmata certa, sententias illustres, axiomata. Porro noster Interpres, II *Petri* II, 10, δόξας interpretatur sectas; ideo enim hæretici spernebant Apostolorum δόξας, id est *sententias*, ut suas δόξας et sectas inducerent. Vide ibi dicta.

9. CUM MICHAEL, etc. — Est argumentum ab exemplo, *q. d.*, ait Œcumenius : Michael contendens cum Satana non ausus est eum, licet impudentem et merentem, blasphemare, id est, conviciari; quomodo ergo hæretici audent blasphemare majestatem, non tantum angelorum et Sanctorum, sed et ipsiusmet Dei? Opponit ergo Michaelem modestum Gnosticis impudentibus et blasphemis, idque significat Græcum δὲ, cum ait : ὁ δὲ Μιχαὴλ, id est, at vero Michael. Ita Pagninus et Vatablus.

Nota : Michael Hebraice dicitur quasi מי כאל *mi cael*, id est *quis ut Deus?* hoc enim ipse humiliter respondit, et opposuit superbo Lucifero, dicenti : « In cœlum conscendam, similis ero Altissimo, » *Isaiæ* XIX, 13. Addit Isidorus, VII *Etymol.*, cap. V, nomine *Michaël*, id est *quis ut Deus*, significari quod nemo propitiationem vel expiationem possit afferre, nisi Deus. Minus recte ergo Pantaleon, chartophylax Conensis, in Encomio S. Michaelis, quod extat apud Surium, 29 septembris, nomen *Michael* interpretatur, « Dux exercitus Dei; » licet enim id verum sit, tamen hoc non est genuinum Michaelis etymon.

A Michaele didicit Moses illud demerso Pharaone epinicion, *Exod.* XV, 11 : « Quis similis tui in fortibus, Domine? » a quorum verborum initialibus in Hebræo litteris, nonnulli censent Machabæos nomen suum accepisse, ut ibidem dixi.

ARCHANGELUS. — Arabicus, *princeps angelorum*: est enim Michael omnium angelorum summus et princeps, ideoque tutor Ecclesiæ, uti olim fuit Synagogæ, uti ostendi *Daniel.* XII, 1. Est hic duplex in personis comparatio. *Prima, q. d.* Si Michael Archangelus non est ausus, quis hominum jure audeat? *Secunda*, si ne diabolus quidem maledicendus est, quo jure magistratus ac principes maledicentur?

CUM DIABOLO. — Diabolus græce idem est quod criminator : διαβάλλειν enim est *criminari*. Intelligit Luciferum : hic enim est princeps dæmonum, uti Michael angelorum, ideoque ejus antagonista. Hoc est quod Ecclesia canit in officio S. Michaelis : « Collaudamus venerantes omnes cœli milites, sed præcipue primatem cœlestis exercitus Michaelem, in virtute conterentem zabulum. » *Zabulus* enim Æolice idem est quod diabolus. Æoles enim pro διὰ dicunt ζα. Quare minus genuine S. Cyprianus, *Adhort. ad Martyr.*, nomen *Zabulus* deducit a *Belsebub*, id est Dominus muscæ, puta Deus cohibens plagam muscarum : tolle enim nomen *Bel*, manet *sebub*, unde *Zabulus*; nam sic dicendum fuisset *Zabubus*, non *Zabulus*. Minus etiam aptum videtur quod S. Hieronymus censet, *Zabulus* esse nomen Hebræum, ac significare « deorsum fluentem, » ut ipse ait *ad Titum* II; vel « fluctum noctis, » ut ipse ait *De Nomin. Hebr.*; vel « habitaculum noctis, » uti ipse ait in *Tradition. Hebr. in Genes.*, quasi sit idem vel fere idem cum nomine *Zabulon*, id est habitaculum, qui ita dictus est a matre Lia, eo quod per ejus et fratrum generationem habitaturus esset secum deinceps maritus suus Jacob patriarcha, *Genes.* XXX, 20. Porro diabolus Hebraice vocatur *Satan*, id est, adversarius; et *Belial*, id est, absque jugo, quia jugum Dei excutere voluit.

DISPUTANS ALTERCARETUR. — Syrus, *litigaret*; alii, *contenderet judicio*; Arabicus, *postquam increpavit Satanam et removit eum.* Hæc disputatio et altercatio Michaelis cum Satana de Mosis corpore, nusquam extat in Scriptura : Judas ergo eam accepit vel traditione majorum, vel ex libro qui tum extabat, quem Origenes, lib. III *Periarch.*, cap. II, citat, nomenque ei dat *Ascensio Mosis.* Eumdem citat Clemens Alexandrinus, VI *Strom.*, ubi ex eo refert Mosen visum a Josue et Caleb in gloria, cum assumeretur inter angelos : « Merito ergo, inquit, Mosen qui assumebatur, duplicem vidit Jesus, filius Nave, et unum quidem cum angelis, alterum autem super montes, qui dignus erat cui in convallibus justa fierent. » Vide Sixtum Senensem verbo *Mosis Ascensio*, ubi docet hunc librum a Gelasio Pontifice relatum inter apocryphos; in apocryphis tamen multa possunt esse vera. Sic Paulus citat versus Arati, Menandri, Callimachi, Gentilium Poetarum, *ad Titum* cap. I, non quod omnia eorum dicta probet, sed illa duntaxat quæ citat. Alii volunt Judam hæc accepisse ex libro Henoch. Ita S. Hieronymus in epist. *ad Titum*, et Origenes, lib. IV *Periarchon.* Ut ut est, ex Juda certum est hanc historiam esse certam et canonicam. Sic S. Paulus ait nomina magorum qui restitere Mosi, fuisse Jannes et Mambres, II *Tim.* III, 8, quæ tamen nusquam Moses expressit.

DE MOYSI CORPORE. — Putat Œcumenius altercationem hanc Michaelis cum Satana fuisse, eo quod Michael vellet Mosen pro meritis honorifice sepeliri, ut eo magis lex ab eo lata commendaretur; Satan nollet, objiciens ei crimen homicidii, quod scilicet Ægyptium interfecisset, *Exodi* II, 12. Addit Glycas, part. II *Annal.*, et Pantaleon chartophylax, orat. *De S. Michaele*, diabolum voluisse sibi vindicare Mosen tanquam homicidam. *Secundo*, alii censent hanc altercationem fuisse de raptu corporis Mosis in Paradisum, ut versetur cum Elia et Henoch, sive eo vivus sit translatus, ut videtur dicere Philo, libro *De Vita Mosis*, in fine, et S. Hieronymus in cap. IX *Amos*; sive post mortem resuscitatus eo sit raptus, uti censet R. Samuel Maroch, *De Adventu Messiæ*, cap. XII. Sed hic raptus Mosis in Paradisum est fioti-

Altercatio Michaelis cum diabolo quæ? Resp. Primo.

tius; constat enim animam Mosis ivisse ad limbum Patrum, corpus in terra esse sepultum. *Tertio*, alii passim verius censent voluisse Satanam Mosen sepeliri loco cognito et publico, ut Hebræi in idololatriam proni, eum quasi Deum et numen colerent; Michaelem vero ei obstitisse, et curasse ut secreto sepeliretur. Ita S. Chrysostomus, homil. 5 *in Matth.*, et S. Ambrosius, II *Offic.*, cap. VII, Thomas Anglicus, Hugo, Dionysius, Cajetanus, Gagneius, Arias, Salmeron, Adamus et alii; unde *Deuter.* XXXIV, 6, dicitur : « Et non cognovit homo sepulcrum ejus usque in præsentem diem. » Vide dicta toto eo capite.

Tertio.

Hinc Epiphanius, *hæresi* 9 et 64, testatur traditionem esse quod Moses sepultus fuerit ab angelis, et OEcumenius hic asserit Michaelem præfuisse sepulturæ Mosis. Addit Philo, lib. III *De Vita Mosis*, Mosis morientis vultum factum esse gloriosum, eumque præcessisse fulgura, lampades et sagittas, mortemque ejus luxisse angelos. Sed hæc poetice ab eo dicta videntur, vel per exaggerationem. Hæc est sententia communis omnium pene interpretum et Patrum, a qua proinde vix licet recedere. Accedit, quod vix alia ratio fingi possit, cur jusserit Deus Mosen ab angelis secreto sepeliri, nisi, ne si publice sepeliretur, adoraretur a Judæis. Quod enim aliqui dicunt honoris causa id factum, ut scilicet Hebræi Mosen quasi absconditum vel raptum magis revererentur, minus aptum videtur. Nam longe major, imo continuus et perpetuus fuisset honor Mosis apud Hebræos, si ejus sepulcrum visere et colere potuissent, sicut sepulcrum S. Catharinæ sepultæ ab angelis in monte Sina, ab iisdem revelatum, magna fidelium e toto orbe adventantium peregrinatione et devotione colitur.

Dices *primo* : Hebræi non coluerunt sepulcra Abrahæ, Isaac, Jacob, ac præsertim Joseph, cujus ossa secum deferebant per desertum; ergo nec coluissent sepulcrum Mosis, etiamsi illud cognovissent. Respondeo negando consequentiam. Ratio disparitatis est, *prima*, quod tot sæculorum antiquitas quæ Abraham, Isaac, Jacob et Joseph habuerat ut homines, non ut deos, abrogarat eis divinitatem, imo ejus opinionem et umbram detriverat. *Secunda*, quod pariter antiquata erant eorum in suos, eosque paucos beneficia. *Tertia*, quod illi tot prodigiis, gestis et gubernatione populi non fuerint illustres, uti fuit Moses. *Quarta*, quod Hebræi ex Scriptura et Patribus suis illud Dei sibi altissime impresserant : « Ego sum Deus Abraham, Isaac et Jacob. » Unde sciebant non Abraham, sed Deum Abraham esse adorandum; Mosis vero, utpote paulo ante defuncti, recens erat memoria, æque ac beneficiorum ejus, portentorum, plagarum ac gubernationis, qua totam Hebræorum gentem numerosissimam, per decem plagas toti Ægypto immissas, gloriose eduxerat per mare Rubrum sicco pede, mersis Ægyptiis, in desertum : ibique legem a Deo acceptam eis dederat, manna cœlesti paverat per 38 annos, columnam ignis et nubis itineris ducem assignarat, etc.; insuper audierant illud Dei ad Mosen : « Constitui te deum Pharaonis, et Aaron frater tuus erit Propheta tuus, » *Exodi* VII, 1. Ad hæc peregrinantes per desertum, jamque transituri in terram promissam egebant duce Numine. Unde cum Moses in Sina legem accepturus diutius moraretur, fecerunt sibi vitulum aureum, puta Apin, quasi itineris ducem. Hoc est enim quod ipsi dixerunt Aaroni : « Surge, fac nobis deos qui nos præcedant; Mosi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus quid acciderit, » et facto vitulo, ei acclamarunt : « Hi sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti, » *Exodi* XXXII, 1 et 4. Mose ergo mortuo, pronum fuisset eis, si corpus illius habuissent, eum ut itineris reliqui ducem colere et invocare. Fuerat enim ipse totius populi summus legislator, Pontifex, Propheta, princeps et rex.

Dices *secundo* : Hebræi non erant tam stolidi ut corpus mortuum Mosis adorarent : hoc enim mortalitatis spectaculum omnem divinitatis opinionem illis excussisset, eumque hominem fuisse demonstrasset. Respondeo : Idololatria omnis est stolida : idololatras enim stolide homines insignes vita functos, puta parentes, reges; benefactores eximios in deos retulisse, et divinis coluisse honoribus, docet non tantum Plinius, lib. II, cap. VII; Cicero, *De Natur. Deorum*; Justinus, Tertullianus, Lactantius, Arnobius et alii scribentes *Contra Gentes*, sed et S. Scriptura hanc idololatriæ originem diserte assignat *Sapient.* XIV, 15; et constat apud omnes, Jovem, Mercurium, Æsculapium, Venerem, etc., fuisse homines, qui ob beneficia post mortem a Gentibus in deos sunt relati. Ita Cretenses colebant Jovem suum regem, ejus tamen sepulcrum et ossa in Creta apud se extare jactabant. Unde merito eos irridens Lactantius, lib. I *Divinarum Instit.*, cap. XI : « Quomodo igitur, inquit, potest Deus alibi esse vivus, alibi mortuus? alibi habere templum, alibi sepulcrum? » Sic Imperatores Romani defuncti per apotheosim, qua publice corpora eorum cum pompa comburebantur, aquilaque e rogo quasi animam Imperatoris deferens in cœlum evolabat, dii habebantur, uti fuse narrat Herodianus initio lib. IV; quin et animas suorum, corpore combusto et incinerato, colebant nomine Manium. Unde illud tritum, quod etiamnum passim eorum sepulcris Romæ impressum legimus : « Diis Manibus. » Credebant enim animas defunctorum sepulcris et cineribus suis adesse, vel assidere.

Idem de Mose facere et credere potuissent Hebræi, uti fecerunt postea Asæ regi defuncto, II *Paralip.* XVI, 14. Vis exemplum? In Ægypto, æque ac in deserto, Hebræi coluerunt vitulum, puta Apin, vel Serapin, quem fuisse hieroglyphicum Joseph; qui per vitulos sive boves macros et pingues prædixerat sterilitatem et fertilitatem Ægypti et to-

tius orbis, *Genes.* XLI, 1 et 29, censet Ruffinus, lib. XI *Histor.*, cap. XXIX, Suidas verbo *Serapis*, Auctor *De Mirabil. S. Scrip.* apud Augustinum, lib. I, cap. XV, et Auctor *Quæst. novi et vet. Testam.* apud eumdem, cap. XV, et alii, quos citavi *Genes.* XLI, in fine capitis. Denique Hebræi coluerunt serpentem æneum, adeoque simulacra inanima, puta idola ænea et aurea Ægyptiorum, Chaldæorum, Assyriorum : quid mirum si Mosen post mortem, quasi redivivum et divinitate ob tot merita donatum coluissent? Sane Epiphanius, *hæresi* 55, narrat in Arabia Mosen ob prodigia reputatum esse Deum, adoratamque ejus imaginem. Ambrosiaster vero in cap. III *ad Galat.*, ait contendisse diabolum, ut corpus Mosis revelaretur, aut suscitaretur a Magis, ut hac ratione Hebræos induceret ad eum adorandum; sed restitisse ei S. Michaelem.

Plures alias sententias de causa altercationis hujus recenset noster Serarius hic, sed vel falsas, vel improbabiles, inter quas illustrior est illa Hugonis Etheriani, *De Regressu animarum*, cap. IX, scilicet voluisse diabolum impedire ne anima Mosis pergeret ad locum quietis et beatitudinis, puta ad limbum, et consortium SS. Patrum, indeque per Christum eos liberantem in cœlum. Idem sentiunt Cyrillus Alexandrinus et Martyrius in *Syntag. de statu morientium*, quem librum e Græco in Latinum convertit noster Raderus. Verum hæc altercatio fuit de corpore Mosis, non de anima. Similis est illa expositio cujusdam auctoris in fide non sani, sed heterodoxi, altercationem hanc fuisse de corpore Mosis, id est, de Mosaicæ legis et judaismi restitutione. Nam hoc corpus mysticum est, non litterale.

Probabilior est illa ipsius Serarii, contendisse scilicet diabolum ut corpus Mosis inferretur in terram promissionis, nec extra eam in Moab, utpote regione sibi in idolorum cultu addicta, sepeliretur, ne ab eo aliquod damnum acciperet, uti accepisse se a S. Babylæ sepulcro in Daphne questus est, sicut habet Vita S. Babylæ, et ex ea Baronius, tom. IV. Qua de causa ipse ubique per hæreticos Sanctorum reliquias comburere, vel abolere satagit. Porro perperam hæretici hanc absconsionem corporis Mosis torquent contra ostensionem et cultum sanctarum reliquiarum. Nec enim Christiani adorant cultu latriæ reliquias, uti Hebræi adorassent corpus Mosis; nec ex reliquiis idololatriæ apud Christianos est periculum, uti erat ex corpore Mosis apud Hebræos. Vide Bellarminum, lib. II *De Reliquiis Sanct.*, cap. IV; imo vero cultus reliquiarum ex hoc loco evincitur. Si enim S. Michael tantam habuit curam corporis Mosis, ejusque sepulturæ, majorem utique nos habere debemus.

Rursum hinc collige : Si diabolus ita certat pro corpore Sanctorum in morte, quanto magis certat pro eorum anima? Et vicissim, si Michael et angeli ita defendunt corpora Sanctorum morientium, multo magis defendent eorumdem animas. Sic certarunt dæmones pro anima Theodori et Chrysaorii clamantis : « Inducias usque mane, » ne monachi Iconiensis, uti narrat S. Gregorius, IV *Dialog.*, XXXVIII. Plura vide apud Raderum in *Syntagm.* jam citato. Hinc diabolus multis in morte apparet, ut eos percellat et in desperationem, aliudve peccatum adigat. Unde S. Martinus moriens eo viso : « Quid hic, ait, astas cruenta bestia? nihil in me funestum invenies, » teste Sulpitio in ejus Vita. Hinc rursum de Michaele canit Ecclesia : « Constitui te principem super omnes animas suscipiendas. » S. Michael enim sive per se, sive per angelos sibi subordinatos in morte suscipit animas justorum, easque defert in cœlum, vel immediate, si nil purgandum habeant; vel mediate per Purgatorium, si quid eo expiandum habeant. Vide Serarium et Lorinum hic. Hinc illa Ecclesiæ pro mortuis precatio : « Occurrite, angeli Domini, suscipientes animam ejus, et offerentes eam in conspectu Altissimi. » Vide dicta *Daniel.* XII.

Symbolice Beda : Mosis corpus politicum sive mysticum, inquit, est Synagoga sive populus Judæorum, quem diabolus detinere volebat in captivitate Babylonica; sed obstitit ei Michael, id est, Jesus sacerdos, qui precibus suis apud Deum ejus liberationem impetravit. Quod enim aliqui id litterale esse volunt, quasi S. Judas citet visionem Zachariæ, cap. III, ubi Satan contra Jesum filium Josedec pontificem disceptat, parum est probabile : in multis enim illa visio dissentit a verbis S. Judæ, uti ibidem ostendi, et patet intuenti.

NON EST AUSUS JUDICIUM INFERRE BLASPHEMIÆ. — « Judicium blasphemiæ » vocat blasphemiam, id est maledictum justum et meritum, justoque judicio irrogandum, *q. d.* Michael non est ausus diabolum, licet omnis malitiæ auctorem, sibique iniquissime resistentem, judicare et blasphemare, id est, justum et meritum ei convicium et maledictum ingerere, dicendo : Vade, maledicte Satan; abi, iniquissime, in maledictionem et gehennam. Unde Tigurina vertit, *non est ausus illi notam impingere maledicti*; vel, ut Vatablus, *convicium illi facere*; Arabicus, *non est ausus ingredi in contradictionem ad eum blasphemiæ.* Aut « judicium » vocat condemnationem et punitionem « blasphemiæ, » qua Satan blasphemabat Mosen, cum Michael vellet ejus corpus loco recondito sepelire. Denique nonnulli « judicium blasphemiæ » censent esse illud, quod S. Petrus, *epist.* II, cap. II, vers. 21, vocat *execrabile* (græce βλάσφημον) *judicium*, de quo ibi plura. Prima expositio uti facillima, ita planissima est, eamque exigit sequens antithesis : « Hi autem quæcumque quidem ignorant, blasphemant. » Nota τὸ *non est ausus*, non quod Michael timeret diabolum, sed quod timeret proferre blasphemiam, id est, convicium et maledictum, uti rem se indecentem.

« Merebatur diabolus maledictum, sed per Archangeli os blasphemia exire non debuit, » ait S. Hieronymus *ad Titum* III.

Respexit Michael, ait Didymus, ad bonam diaboli naturam, atque idcirco maledictis abstinuit, suoque exemplo docuit quid nos facere oporteat, qui sæpe odio vel ira inflammati, non tam vitia, quam homines ipsos insectamur et maledicimus. Hinc infert Hugo, exemplo S. Michaelis magistratui et judici abstinendum esse ab injuriosis verbis, curandumque ne cum austeritate, vel imperiose dominetur, sitque ut leo in domo evertens domesticos et subditos, *Eccli.* IV, 35, sed cum mansuetudine eos regat et corripiat, ut vitam corrigant. Idem diserte docet S. Hieronymus, lib. II *Contra Ruffinum*, servandum esse cuilibet Christiano certanti cum suis æmulis et obtrectatoribus, qualis S. Hieronymo erat Ruffinus. Imo *Eccli.* cap. XXI, vers. 30 : « Dum maledicit, inquit, impius diabolum, maledicit ipse animam suam, » quia hæc in impietate similis est diabolo; illius ergo impietatem condemnans, suam ipsius condemnat.

SED DIXIT (modeste et graviter) : IMPERET TIBI DOMINUS, — græce ἐπιτιμήσαι σοι Κύριος, quod Pagninus vertit, *increpet te Dominus*. Sic et S. Hieronymus in cap. III *ad Titum* legit : « Increpet tibi Dominus, » secutus syntaxim Græcam ἐπιτιμήσαι σοι, *q. d.* Deus tuam insolentiam, malignitatem, nequitiam comprimat, ô Satan, teque cogat ut permittas occulte sepeliri Mosen, ne, si publice sepeliatur, Hebræis detur occasio idololatriæ, ut velint eum adorare. Deus ergo increpando tibi imperet cum potestate et objurgatione, id est, potenter et cum imperio reprimat et compescat te inique et indigne mihi resistentem.

Alludit ad illud Domini ad Satan : « Increpet Dominus in te Satan, » *Zachar.* cap. III, 2. Vide ibi dicta. Sic ἐπιτιμᾷν in Evangeliis nunc vertitur *increpare*, nunc *imperare*, quia increpando imperatur; ut quod Interpres vertit *Matth.* cap. VIII, 26 : « Imperavit ventis, » apud *Lucam*, cap. VIII, 24, vertit, *increpavit*, apud *Marcum*, cap. IV, 39, *comminatus est*. Hebr. enim גָּעַר *gaar*, id est *increpare*, per catachresin et metalepsin significat increpando imperare, comprimere, compescere, sedare, ut patet *Nahum* I, 4; *Psal.* IX, 6; *Psalm.* CXIX, 21; *Psal.* CVI, 9; *Psal.* CIV, 7; *Isaiæ* L, 2, et cap. XXX, 17.

Nota : Poterat S. Michael per se suaque vi compescere insolentiam diaboli, quia eo potentior est et superior, sed maluit ex modestia et reverentia hoc opus et hanc virtutem transferre in Deum, quem uti nomine præfert, ita multo magis corde et opere refert, ab eoque postulare ut diabolum comprimeret. Idem fecit S. Macharius Alexandrinus, ut habet ejus Vita. Porro S. Ambrosius in *Lucæ* VIII, censet idem fecisse Christum, cum ventis in mari conflictantibus quietem imperavit, dicens : « Tace et obmutesce; » hoc enim dixisse diabolo, qui hos ventos et tempestatem in mari concitabat. Idem usurpat Ecclesia dum baptizandos vel energumenos exorcizat, de quo ritu vide nostrum Delrio in *Magic.* lib. VI, cap. II, sect. 3, quæst. 13, et Josephum Vicecomitem *De Ritibus Baptismi*, lib. I, cap. XXIX et sequent.

10. HI AUTEM QUÆCUMQUE QUIDEM IGNORANT, BLASPHEMANT. — Est apodosis, sive redditio et applicatio exempli, *q. d.* Michael cum pro imperio juste posset Satanam, utpote sciens ejus impietatem, qua indignissime contra se de Mosis corpore contendebat, blasphemare, id est maledicere, convicio punire, probro castigare, imo verberare et flagellare, præ modestia tamen noluit; Simoniani vero et Gnostici in toleranda audacia et impudentia blasphemant, et maledicunt ea quæ ignorant, quæque eorum, utpote carnalium, captum superant, scilicet Deum, Deique attributa, mysteria Christi, res cœlestes, sublimes et divinas. Ita Epiphanius, *hæresi* 26 : « Blasphemant (Gnostici), ait, non solum Abraham, Mosen, Eliam et omnem Prophetarum chorum, sed etiam Deum qui ipsos elegit, » etc. Ita Ariani, Macedoniani, Sabelliani cum non caperent mysterium S. Trinitatis, illud negarunt et blasphemarunt. Ita hodie Calviniani et Zuingliani, qui non capiunt Dei omnipotentiam in mysterio Eucharistiæ, illud negant et blasphemant. Hæreticis enim ratio credendi est sensus et ratio naturalis, non fides, non Dei verbum omnipotens. Quod vident et intelligunt, credunt; quod non intelligunt, credere nolunt. Quocirca Irenæus, lib. I, cap. XXXV, ait contra hæreticos victoriam esse sententiæ eorum manifestationem, et S. Hieronymus *ad Ctesiphontem* : « Sententias, inquit, illorum prodidisse, superasse est. » Porro ignorantiæ hæreticorum causæ sunt tres : prima, est superbia; secunda, levitas; tertia, voluptas et concupiscentia. Nam, ut ait Architas : « Impedit consilium voluptas rationi inimica, ac mentis perstringit oculos, nec habet ullum cum virtute commercium. » Quocirca hisce tribus conflatur sphinx, quæ est enigma ignorantiæ apud Mythologos. Sphingem enim pingebant quasi monstrum facie virginis, pennis avium, pedibus leoninis, quod obscura ænigmata proponens ea solvere nescientem occidebat. Audi Alciatum, *emblem.* 187 :

Quod monstrum id? Sphinx est. Cur candida virginis ora,
Et volucrum pennas, crura leonis habet?
Hanc faciem assumpsit rerum ignorantia, tanti
Scilicet est triplex causa et origo mali :
Sunt quos ingenium leve, sunt quos blanda voluptas,
Sunt et quos faciunt corda superba rudes.

Remedium deinde assignat, scilicet : « Nosce teipsum. »

QUÆCUMQUE AUTEM NATURALITER TANQUAM MUTA (Græce ἄλογα, id est *irrationalia*, ideoque bruta et muta, id est, vocis articulatæ et humanæ expertia; sic C[illegible]vo non semel animalia bruta vocat

muta) ANIMALIA NORUNT (puta ventrem et venerem), IN HIS CORRUMPUNTUR, — vitiando et fœdando sua corpora et mentes turpi gula et obscenis libidinibus, instar porcorum et canum, imo turpius quam sues et canes, uti de Gnosticis ostendit Epiphanius, *hæresi* 26. Unde Arabicus : *Operantur*, ait, *naturalia sua* (puta carnalia) *sicut bruta*.

Porro ea « norunt » per sensum, concupiscentiam, experientiam et consuetudinem, hoc est, ea sapiunt, tangunt, appetunt, concupiscunt, exercent ; unde Gagneius pro ἐπίστανται, id est *norunt*, suspicatur legendum ἐφίστανται, id est *appetunt*, sed obstat fides omnium codicum Græcorum et Latinorum. Melius τὸ *norunt* includit τὸ *appetunt*, uti jam dixi. Clare Œcumenius : « Quæcumque, ait, naturali impetu vel appetitione tanquam irrationabilia, vel muta seu bruta animalia norunt, hæc sectantur velut insanientes, feminarumque appetentes equi, vel porci. » Ideoque corrumpunt corporis animique vires, rationem, sanitatem, integritatem, puritatem, castimoniam, denique vitam et naturam ipsam per crapulam et libidines contra naturam. Vere Seneca, *De Vita beata*, cap. XIV, ait voluptates esse quasi feras, quæ heros suos laniant. Et Architas nullam pestem in mundo capitaliorem esse dicebat, quam corporis voluptatem, teste Cicerone in *Catone Majore*. Socrates vero voluptates cavendas esse aiebat, quasi sirenas, quæ hominem incantant, infatuant, enecant, teste Laertio, lib. II. Quocirca Aristoteles monebat intueri voluptates non a fronte, sed a tergo, id est, non venientes, sed abeuntes. Venientes enim fucata specie blandiuntur, abeuntes vero aculeum, id est, pœnitentiam et dolorem relinquunt. Ita Laertius, lib. V, cap. I.

11. VÆ ILLIS QUI. — Legit *οἵ*, id est *qui* ; jam legunt *ὅτι*, id est *quia*. Exardescit Judas in sua contra Gnosticos invectiva, acriter eos increpando, eosque comparando *primo*, Caino ; *secundo*, Balaamo ; *tertio*, Core : quia scilicet imitantur invidiam et fratricidium Caini ; avaritiam, magiam, impietatem et obscenitatem Balaami ; seditionem, rebellionem et schisma Core ; ideoque instar illorum acriter puniuntur, non tantum in futura, sed etiam in præsenti vita. « Via » enim in Scriptura significat vitæ institutum, modum vivendi, actus et mores, æque ac eventus et exitus. Via ergo Caini, est Dei contemptus, invidia, homicidium, imo parricidium, atheismus, vita vaga, desperatio. Nominat hos tres præ aliis, quia hi tres fuere Dei, fidei et sanctitatis hostes, ac fideles seducere et Ecclesiam perdere voluerunt ; unde fuerunt Simonis, Gnosticorum et hæreticorum typi et prodromi. Cain enim Abelem primam fidei et Ecclesiæ propaginem occidit ; Balaam voluit perdere populum Hebræorum, qui erat veri Dei cultor, ejusque Ecclesia ; Core ambiendo sacerdotium rebellavit Mosi, suoque schismate Synagogam secuit et perdidit.

Hæretici similes Caino. Primo.

Itaque *primo*, sicut Cain avarus viliores oves offerebat Deo, meliores sibi reservabat, eaque ratione se suaque commoda Deo præponebat : ita pariter Simoniani, Gnostici cæterique hæretici se suaque lucra Deo anteponunt, imo Dei ecclesias, calices et dona profanant et diripiunt. Huic avaritiæ apte respondet nomen Cain : *Cain* enim Hebr. idem est quod *acquisitio et possessio*. Eva enim primum filium suum vocavit Cain, dicens : « Possedi hominem per Deum, » *Gen.* cap. IV, vers. 1 ; קנה *kana* enim significat *possidere* ; inde קין *Cain* est *possessio*. Porro apte S. Augustinus, lib. IV *De Baptismo* contra Donatistas, cap. IV, avaritiam, quæ a S. Paulo vocatur idolorum servitus, comparat hæresi. Quare perperam Kyrstenus hæreticus hic in versione Arabica scribit, *Cain* significare vomitum et crapulam, a radice קאה *kaa*, id est *vomuit*.

Secundo, sicut Cain invidit fratri suo Abeli quod gratior esset Deo, utpote offerens Deo meliores oves, quodque Deus igne cœlitus misso inflammando ejus victimas, idipsum testaretur : sic Simoniani et hæretici invidebant et invident Orthodoxis, eosque calumniis, maledictis, injuriis, rapinis insectantur. Ita Beda : « Via Cain, inquit, abeunt, qui propter invidiam meliorum, nomen sibi doctorum, quo honorificentur, assumunt. »

Tertio, sicut Cain ex odio et invidia fratrem Abelem occidit : ita hæretici ex odio et invidia Orthodoxorum, fidelium animas ad hæresim suam pellicientes occidunt, non raro etiam corpora sibi obsistentium mactant. Hæresis enim crudelis est, quia agitur a crudeli Satana. Ita crudeles fuere Ariani, ut patet ex scriptis S. Athanasii, Luciferi Calaritani, et S. Hilarii *ad Constantium Imperatorem*, et ex Victore Uticensi in *Persecutione Wandalorum*. Unde S. Athanasius, Apologia *De Fuga sua* : « Quis, inquit, Arianorum scelera non videt, ut sitibundi sint, avidique sanguinis humani, versutiisque suis velut sagenis comprehendant quos neci destinent. Plane hoc ipsorum opera declarant, ostenduntque eorum animos feris efferatiores, et Babyloniis crudeliores esse. » De Donatistarum crudelitate vide S. Augustinum et Optatum Milevitanum. De Hussitarum in Bohemia sævitia, vide Æneam Sylvium *De Rebus Bohem.*

Quam nostri Calvinistæ cæterique hujus ævi hæretici sævierint in Orthodoxorum templa, opes, urbes, corpora, per Germaniam, Galliam, Hungariam, Angliam, Belgium, Daniam, Sueciam, Norvegiam, etc., omnes novimus, imo oculis spectavimus. Vide *Theatrum hæreticæ crudelitatis*, et Stanislaum Rescium *De Evangelicorum Phalarismis*. Didicerunt id a suo parente Luthero, qui in Præludio *Captivitatis Babylonicæ*, anno Domini 1520, rusticos ad rebellandum principibus concitavit. Sed cum seditio in caput rusticorum recidisset, occisis eorum centum millibus, Lutherus pallium vertit, et palinodiam cecinit, principum

contra rusticos causam tuendo, dixitque : « Ego Martinus Lutherus in bello rusticano omnes rusticos occidi : jussi enim eos trucidari; omnis eorum sanguis in meis humeris est; verum ego onus illud in Deum rejicio. » Ita Aurifaber in *Colloquio Lutheri*, titul. *De Bello*.

Quarto, Cain, si credimus Chaldæo, fuit primus hæresiarcha, adeoque atheus, voluitque Abelem fratrem trahere ad hæresim et atheismum, ideoque eum, quod sibi reluctaretur, occidit. Asserit enim Targum Hierosolymitanum, qui est Chaldæus Paraphrastes, *Gen.* IV, Cain in agro cœpisse queri de Dei providentia et æquitate, disputasse contra judicium extremum, contra mercedem bonorum, et vindictam malorum. « Cum, inquit, egressi essent ambo in agrum, dixit Cain : Non est judicium, non est judex, nec merces bona pro justis, nec pœna pro impiis; nec Dei misericordia creatus est mundus. » E contrario Abelem hæc asseruisse, Deum defendisse, fratrem reprehendisse, ideoque ab eo cæsum esse. Unde S. Cyprianus, lib. IV, *epist.* 6, Abelem vocat Martyrem : « Imitemur, ait, Abel justum, qui initiavit martyria, dum propter justitiam primus occiditur. » Hinc etiam Cain Deo roganti, ubi esset Abel? proterve, impudenter et mendaciter respondit : « Nescio, num custos fratris mei sum ego? » eoque satis significavit se putare suum scelus latere Deum. Non credidit ergo Deum omnia scire, omnia videre, quia non credidit eum vidisse suum cum Abele jurgium et parricidium. Ita hæretici tandem fiunt athei, et omnis hæresis est quasi regia via ad atheismum, uti dixi II *Petri* II. Hac de causa S. Joannes Cain vocat filium diaboli, utique primum et primogenitum, *epist.* I, cap. III, vers. 12 : « Non sicut Cain qui ex maligno erat, » græce ἐκ τοῦ πονηροῦ, id est *ex illo malo*, qui scilicet antonomastice est, diciturque malus, puta diabolo. Quod ergo S. Polycarpus Marcioni hæresiarchæ roganti : « Agnoscis me? » respondit : « Agnosco primogenitum diaboli, » hoc verius respondisset Caino.

Quinto, Cain increpitus a Deo non resipuit, sed obduruit; unde notatus ab eo tremore corporis quasi stigmaticus, et probrum orbis, fugiens a facie Dei factus est vagus ac profugus, imo pejor et impientior, si credimus Josephum, I *Antiq.*, cap. III, ubi sic ait de Caino : « Tantum abfuit ut hac castigatione vitam in melius mutaverit, ut pejor etiam sit factus, omnibus voluptatibus vel cum aliorum injuria indulgens, et facultates domesticas per vim et rapinas accumulans, accitis undecumque latrociniorum et nequitiæ sociis, magister illis ad facinorosam vitam est effectus. Ad hæc simplicem hactenus vivendi rationem excogitatis mensuris et ponderibus immutavit, pristinamque sinceritatem et generositatem ignaram talium artium in versutiam depravavit. » Ita Simon Magus increpitus a S. Petro, factus est pejor. Sic et hæretici convicti, imo mulctati a Deo fiunt pejores, ruuntque in omnes voluptates et scelera; hæresis enim est mater omnium criminum et scelerum. Hinc quasi errones et vagi provincias oberrant, ut fideles decipiant, depravent et perdant.

Sexto, Cain desperavit de Dei misericordia, dicens : « Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear, » *Genes.* IV, 13. Sic hæretici ex conscientia tot tantorumque scelerum ruunt in barathrum desperationis.

ET ERRORE BALAAM MERCEDE EFFUSI SUNT. — Hoc est, in errorem Balaam, qui fuit merces, sive cupido mercedis et lucri, effusi sunt, quasi dicat : Toti effusi sunt in opes et lucra; aut, *q. d.* Errore et deceptione mercedis, qua deceptus fuit Balaam, effundunt se in maledicta, impia consilia aliaque scelera. Error enim Balaam fuit spes mercedis et cupido lucri, quod scilicet spe mercedis oblatæ a Balac, rege Moab, voluerit maledicere et perdere populum Dei, puta Hebræos, *Numer.* XXII et seq. Unde Syrus vertit : « Post mercedem Balaam in mercede participes facti sunt, vel exarserunt, » Pagninus, « deceptione mercedis, qua deceptus est Balaam, effusi sunt; » Vatablus, « effusi sunt deceptione mercedis Balaam, atque mercede dolosa qua deceptus est ille, a Dei præceptis egressi sunt, ac in omne scelus abducti. » Ubi nota : Pro *mercede* græce est genitivus μισθοῦ, quem Pagninus, Vatablus et alii referunt ad πλάνῃ, id est *errore*, et deceptione, quasi dicat : Deceptione mercedis instar Balaam effusi sunt. Noster vero vertit in ablativo, *mercede*, vel quia pro μισθοῦ legit μισθῷ; vel quia subintellexit ἕνεκα, vel χάριν, *q. d.* ἕνεκα μισθοῦ, id est *causa mercedis*, hoc est mercede; vel potius quia præpositio ἐξ, quæ est in ἐξεχύθησαν, id est *effusi sunt*, poscit genitivum, *q. d.* ἐξ μισθοῦ ἐξεχύθησαν, id est ex mercede, per mercedem, mercede effusi sunt. Sed eodem redeunt omnia.

Rursum, τὸ *effusi sunt* significat magnam hæreticorum peccandi licentiam, ardorem et impetum, quo totos se effundunt in mercedes et opes, ac per eas, et propter eas in omnes cupiditates et omnia scelera. Arabicus vertit, *et in mercede ejus exaruerunt*, quia post effusionem sequitur ariditas : unde effuso humore per sudorem vel sanguinem, exarescimus et sitimus. Τὸ *exaruerunt* notat mercedes et lucra per scelus parta non locupletare, sed exarescere et evanescere, juxta illud : « Male parta, male dilabuntur. De male quæsitis non gaudet tertius hæres. »

Porro, hæretici imitantur Balaam : *Primo*, quia instar Balaam pro « amore terrestrium commodorum, veritatem quam ipsi norunt, impugnant, » ait Beda; et Œcumenius : « Gnostici, inquit, lucri cupiditate omnia agunt. » Hæretici similes Balaamo Primo.

Secundo, quia pro Spiritu Sancto quem jactant, spiritu erroris et patre mendacii, puta diabolo, agitantur. Ita Didymus. Secundo.

Tertio, quia hæresiarchæ crebro sunt magi, vel familiarem habent dæmonem, uti habuit Balaam. Tertio.

Quarto, sicut Balaam voluit maledicere populo Dei et Synagogæ, sed Deus ejus maledictionem vertit in benedictionem : ita hæretici sunt maledicentissimi, et conviciis ac probris continuo non tantum Orthodoxos, sed et se invicem impetunt et proscindunt. Sed Deus hæc eorum probra in ipsorum ignominiam, et Ecclesiæ gloriam convertit, ostendendo toti mundo eorum impatientiam, maledicentiam, calumnias.

Quinto, Balaam impium dedit consilium Balac regi, ut scilicet puellas speciosas submitteret in castra Hebræorum, quæ eos ad libidinem, indeque ad idololatriam pellicerent, ut sic deserente eos Deo, a Balac vinci et occidi possent, ut patet *Num.* XXXI, 15, ibique docet Theodoretus, *Quæst.* XLV, et Josephus, lib. IV *Ant.*, VI. Ita hæretici impia dant consilia, suadentque Religiosis et Clericis apostasiam, violationem votorum, perfidiam, hæresim; laicis rebellionem, libidinem, gulam, omnemque carnis licentiam. Ita Didymus. Imo Christus ad Angelum, id est Episcopum Pergami, *Apocal.* II, 19 : « Habeo, ait, adversus te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui dicebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel, edere et fornicari : ita habes et tu tenentes doctrinam Nicolaitarum; » de quo ibidem plura. Unde Philastrius, lib. *De Hæres.*, Balaamitas recenset inter hæreticos; hæresis enim eorum erat, licere fornicari et vesci idolothytis. Quocirca Balaam appositum ad rem, opus et facinus suum sortitus est nomen : *Balaam* enim hebraice idem est quod lingens vel vorans populos, aut absorbens populum. Balaam enim invitans Hebræos per puellas ad esum idolothytorum, voluit eos absorbere et perdere.

Denique sicut Balaam in bello Madianitico ab Hebræis gladio cæsus est, ita hæretici gladiis principum perimuntur, quia impii sunt in Deum, et quia rempublicam turbant, concitando rebelliones, seditiones et schismata, uti Balaam per mulieres voluit evertere castra Hebræorum. Nihil enim animos viriles et militares ita effeminat ac libido. Quocirca veteres Gentiles feminas, licet uxores, castris arcebant, teste Tertulliano, lib. *De Castitate*, cap. XII. Unde *castra* dicta sunt « quasi casta, quod in iis castraretur libido, » ait Isidorus, lib. IX *Etymol.*, cap. III. Hanc causam affert Tacitus, lib. III *Histor.*, « inesse scilicet mulierum comitatui quæ pacem luxu, bellum formidine morentur. » Et Valerius Maximus, lib. II, cap. VII : « Exhausta, ait, erubescenda sentina scortorum e castris Scipionis, Romanus exercitus, qui paulo ante metu mortis turpi se fœderis macula asperserat, erecta virtute acrem illam et animosam Numantiam incendiis exustam solo æquavit. » Vide Lipsium, lib. V *De Militia Rom.*, Dialog. 18, ubi narrat Germanos olim mulieres in castris deprehensas naso truncasse et expulisse.

ET IN CONTRADICTIONE (græce τῇ ἀντιλογίᾳ, id est *contradictione*) CORE PERIERUNT, — quia hæretici licet nondum extarent tempore Core, tamen in eo et cum eo perierunt, typice et figurate : perditio enim Core, qua ipse vivus absorptus est a terra, descenditque in infernum, typus erat et figura quod simili modo perderentur hæretici ejus asseclæ, ac descenderent in tartara. Unde de Antichristo ejusque pseudopropheta dicitur *Apocal.* XIX, 20 : «Vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure. » Simili phrasi ait Apostolus fideles baptizatos esse in Mose et mari, et eamdem escam cum eo manducasse, typice scilicet et figurate, quia nimirum transitus Mosis per mare Rubrum erat typus baptismi, et manna ejus typus erat nostræ Eucharistiæ, I *Corinth.* X, 2; et *Rom.* VI, 3, ait nos consepultos cum Christo per baptismum in mortem, quia scilicet baptismus typus est sepulturæ et mortis Christi, eumque repræsentat; unde explicans subdit : « Ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus. »

Secundo et planius, « in contradictione, » id est instar contradictionis, *q. d.* Instar seditiosi Core, qui in sua contradictione et seditione periit, perierunt et pereunt hæretici. Sic sæpe Hebraice ב, id est *in*, sumitur pro כ, id est *sicut*, *instar*. Ita Vatablus.

Tertio, « perierunt » mystice, quia suas suorumque quos seducunt animas, per hæresin perdunt et occidunt, ac reas gehennæ efficiunt.

Porro, recte S. Judas comparat hæreticos cum Core : *Primo*, quia sicut Core superbiens rebellavit Mosi, prætexens calvas et futiles causas : unde et *Core* Hebr. significat *calvum*; sic ipsi rebellant Pontifici et Ecclesiæ. Hæretici similes Core. Primo.

Secundo, sicut Core ambivit sacerdotium, sic illi ambiunt Episcopatus et opima beneficia. Secundo.

Tertio, sicut Core fecit schisma, sic et ipsi. Tertio.

Quarto, Core leviter correptus a Mose arroganter respondit, et monentem sprevit : ita et ipsi obstrepunt monitionibus Pastorum et Episcoporum. Quarto.

Quinto, sicut Core vivus ad inferna descendit, sic et ipse. Ita Beda, Œcumenius et alii : vide dicta *Numer.* XVI. Quinto.

Denique S. Judas hæreticos comparat cum Core et Cain, quia in spiritu prævidebat fore hæreticos Caianos, qui utrumque defenderent et colerent. Audi S. Augustinum, *hæresi* 18 : « Caiani, inquit, propterea sic appellati, quoniam Cain honorant, dicentes eum fortissimæ esse virtutis; simul et Judam traditorem divinum aliquid putant esse, et scelus ejus beneficium deputant, asserentes eum præscisse quantum generi esset humano Christi passio profutura, et occidendum propterea Judæis tradidisse: illos etiam qui schisma facientes in primo populo Dei, terra dehiscente perierunt, Core, Dathan et Abiron, et Sodomitas colere perhibentur. Blasphemant legem, et Deum legis auctorem, carnisque resurrectionem negant. » Sexto.

Moraliter, nota hic quam severe puniat Deus

murmur et rebellionem in Superiores Deique ministros : ob eam enim Core, Dathan et Abiron vivi absorpti sunt a terra et gehenna ; et, ut ait S. Ambrosius, lib. III, epistola 25, *ad Eccles. Vercellensem* : « Immugiens terra in medio plebis scinditur, aperitur in profundum sinus, abripiuntur noxii, et ita ab omnibus mundi hujus ablegantur elementis, ut nec aerem haustu, nec cœlum visu, nec mare tactu, nec terram contaminarent sepulcro. » Sic Maria, soror Mosis, contra Mosem murmurans, percussa est lepra, *Numer.* XII. Sic magi Pharaonis Mosi resistentes ulceribus puniti sunt, *Exod.* IX, 9. Sic Absalon persequens Davidem regem, ex arbore pendulus inter cœlum et terram, quasi alterutrum tangere indignus, tribus lanceis confossus est, II *Reg.* XVIII, 14. Sic Paulus Elymam sibi resistentem cæcitate mulctavit, *Actorum* XIII, 11.

Symbolice Cain, Balaam et Core repræsentant triplicem concupiscentiam, a qua omne malum : scilicet Cain avarus concupiscentiam oculorum, Balaam gulosus et luxuriosus concupiscentiam carnis, Core ambitiosus superbiam vitæ : de quibus S. Joannes *epist.* I, cap. II, vers. 16 : « Omne, ait, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ. »

Cain ergo repræsentat avaros, Balaam gulosos et luxuriosos, Core superbos. Hisce tribus S. Judas væ, id est æternam maledictionem et gehennam intentat; æque ac Amos, cap. VI, vers. 1 : « Væ, inquit, qui opulenti (ecce avari) estis in Sion, etc., ingredientes pompatice (ecce superbi) domum Israel, etc.; qui separati estis in diem malum, qui dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris ; qui comeditis agnum de grege, et vitulos de medio armenti ; qui canitis ad vocem psalterii, bibentes vinum in phialis, et optimo unguento delibuti (ecce gulosi et luxuriosi), et nihil patiebantur super contritione Joseph. »

12. HI SUNT IN EPULIS SUIS MACULÆ. — Græce ἐν ἀγάπαις, id est, « in charitatibus, in dilectionibus vestris maculati, » uti legit S. Augustinus, *De Fide et Oper.* cap. XXV, hoc est in conviviis. Primitus enim Christiani in symbolum charitatis post Eucharistiam celebrabant convivia communia, tam pauperibus quam divitibus, sed frugalia et pia ; ideoque ea vocabant Agapes, id est charitates, uti ostendi I *Corinth.* XI, 20. Sic Gentiles sua habebant convivia, quæ vocabant φιλίνια et φιλέτικα, quasi amoris et amicitiæ symbola. Jam sensus est quem dat Syrus, *isti sunt qui in deliciis suis commaculant,* tum corpus crapula, tum mentem ebrietate, gula, libidine ; tum convivas prava doctrina et hæresi, æque ac detractione, maledicentia, atque impudicis verbis et aspectibus; habent enim « oculos plenos adulterii et incessabilis delicti, » ut ait S. Petrus *epist.* II, cap. II, vers. 14. Vide ibi dicta. Arabicus vertit, *isti sunt provocantes super vos reatus,* quia scilicet vos hæresi, gula et libidine commaculant, ideoque iræ et vindictæ divinæ reos et obnoxios faciunt. In hisce ergo verum est illud Tertulliani, *De Jejun. contra Psychicos,* cap. XVII : « Apud te Agape in cacabis fervet, fides in culinis calet, spes in ferculis jacet. Sed major his est agape, quia per hanc adolescentes tui cum sororibus dormiunt : appendices scilicet gulæ lascivia atque luxuria sunt. » Gnostici enim saturi uxores suas aliis concedendo, dicebant : « Surge, et fac agapen cum fratre, » ait Epiphanius, *hæresi* 26. Minus recte Cajetanus ita dispungit, trajicit et exponit : Hi convivantes in dilectionibus vestris, id est in beneficiis a vobis susceptis, convivia agitantes sunt maculæ, quia maculati alios suis vitiis commaculant.

Pro *maculæ* græce est σπιλάδες, quod Hesychius in *Lexico,* Plinius, lib. III in *Proœmio,* Œcumenius et alii vertunt *scopuli,* sive *confragosa in mari saxa,* ad quæ allisæ naves dissiliunt et vectores mergunt. Similes scopuli sunt hæretici et impii convivæ, qui alios secum epulantes in perniciem et ruinam trahunt (1). Aptius tamen Noster vertit *maculæ;* hæ enim epulis congruunt magis quam saxa, illasque significat Græcum σπίλοι, apud S. Petrum *epist.* II, cap. II, vers. 13, itaque hic pariter vertunt Tigurina, Clarius, Erasmus, Arias et Pagninus.

Eleganter Thomas Anglicus : Dicuntur, ait, « maculæ, » quoad impudicitiam; « convivantes, » quoad crapulam ; « sine timore, » quoad ineptam lætitiam ; « pascentes semetipsos, » non pauperes, quoad mensam.

CONVIVANTES SINE TIMORE, — quia sine Dei hominumque reverentia, intrepide et impudenter se carne infarciunt et vino ingurgitant, gestibus lasciviunt, ac verbis virus pectoris sui evomunt; quare gurgites sunt, helluones, nati veneri et ventri. Notat S. Dionysius accumbentem mensæ præ cæteris opus habere timore Dei, eumque in se excitare debere, eo quod in mensa multæ gulæ, detractionum, superbiæ, impudicitiæ, etc., ingerantur occasiones, quæ sine timore Dei superari nequeunt. Quare S. Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus aliique Sancti convivia, licet invitati, adire noluerunt, domi vero suæ convivium et convivas sacra lectione condiebant. Qui ergo convivia adeunt, timore Dei se præmuniant, cogitentque illud Sapientis, *Proverb.* XXIII, 1 : « Quando sederis ut comedas cum principe, diligenter attende quæ apposita sunt ante faciem tuam ; et statue cultrum in gutture tuo, si tamen habes in potestate animam tuam, ne desideres de cibis ejus, in quo est panis mendacii. » Vide S. Chrysostomum, homil. 32 *in Matth.;* Clementem Alexandrinum, lib. II *Pædag.,* cap. I, et II ;

(1) Simili modo Florus, lib. IV, IX, 1 : « Quum scopulus, et nodus, et mora publicæ securitatis superesset Antonius. »

S. Paulinum, *epist.* 34; S. Ambrosium apud S. Augustinum, lib. VI *Confess.*, cap. II; S. Hieronymum, *epist.* 22; S. Gregorium, lib. I, *epist.* 71, qui omnes egregie docent qualia et quam sobria debeant esse Christianorum convivia.

Unum Tertullianum prætereire nequeo, qui totum Christiani convivii ritum ita describit : « Cœna nostra de nomine rationem sui ostendit; vocatur enim agape, id quod dilectio penes Græcos est. Quantiscumque sumptibus constet lucrum est, pietatis nomine facere sumptum; si quidem inopes quoque refrigerio isto juvamus. Nihil vilitatis, nihil immodestiæ admittit : non prius discumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur; editur quantum esurientes capiunt; bibitur quantum pudicis est utile; ita saturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse; ita fabulantur, ut qui sciant Dominum audire; æque oratio convivium dirimit. » Et paulo post : « Convivium etiam solemne majores instituerunt, idque Charistia appellaverunt, cui præter cognatos et affines nemo interponebatur; ut si qua inter necessarios querela esset orta, apud sacra mensæ, et inter hilaritatem animorum fautoribus concordiæ adhibitis tolleretur. »

Porro, τὸ *sine timore* nonnulli referunt ad id quod sequitur, « semetipsos pascentes (1). » Verum Romana aptius referunt ad τὸ *convivantes*, quod præcessit; sed eodem res redit. Pro *convivantes* græce est συνευωχούμενοι, quod aliqui ad libidinem et turpem concubitum referunt, uti dixi II *Petri* II, vers. 13. Unde Arabicus vertit : *Qui currunt per dolum et impudicitiam in desideriis suis.*

SEMETIPSOS PASCENTES, — *q. d.* Pastorum est pascere oves, non seipsos. At hi pseudopastores pascunt se, non oves, imo oves deglubunt, ut iis eorumque bonis se pascant. Boni Pastoris est pascere etiam corporaliter pauperes. At hi eleemosynas quas a fidelibus corrogant pro pauperibus, sibi arrogant. Alludit *ad Ezech.* XXXIV, 2. Vide ibi dicta.

Secundo, Œcumenius Græcum ποιμαίνοντες, id est *pascentes*, exponit *regentes* : olim enim reges vocabantur et erant Pastores populorum. Unde Agamemnon ab Homero vocatur ποιμὴν λαῶν. Qua enim diligentia, cura et humanitate Pastor pascit regitque oves, eadem Rex pascere et regere debet populum. Unde Arabicus vertit, *gubernant seipsos sine virtute*; Pagninus et Vatablus, *suopte ductu arbitrioque viventes*; alii, *semetipsos creant Pastores et Episcopos*, non vocati a Deo, nec electi ab Ecclesia.

NUBES. — Ita vocat hæreticos ob tumorem et fastum, quod instar nubium se extollant, suamque doctrinam e nubibus et cœlo venire jactitent. Hinc ex adverso de Apostolis ait Isaias, cap. LX, 8 : « Qui sunt isti qui ut nubes volant? »

(1) Quo posito, *convivantes* idem est ac *in vestris agapis*.

NUBES SINE AQUA, — puta nubes steriles, infœcundæ, quæ videntur aquam ad hominum refrigerium et terræ fœcunditatem promittere, sed eam non præstant. Ita Gnostici nomen inane scientiæ et doctrinæ præferebant, sed eam non præstabant, ait Didymus, juxta illud *Prov.* XXIII, 14 : « Nubes et ventus, et pluviæ non sequentes, vir gloriosus et promissa non complens. » Hujus loco S. Petrus *epistola* I, cap. II, 17, eos vocat fontes sine aqua, et nebulas turbinibus exagitatas. Tropologice nubes sine aqua sunt concionatores pomposi et verbosi, qui aures scalpunt, sed cor non feriunt. Hæretici sunt nubes sine aqua. Primo.

Secundo, Œcumenius : Sicut nubes, inquit, sine aqua, agitata ventis, ea loca quibus incumbit non refrigerat aqua, sed caligine obducit et offuscat : ita hæretici animas salutari sermone non irrigant, recreant et fecundant, sed detestabilibus documentis obtenebrant.

Tertio, Beda : Sicut nubes steriles, ait, a ventis circumferuntur, ita hæretici ventis, id est, flatibus et suggestionibus dæmonum in diversos vitiorum raptantur errores. Rursum, sicut nubes a vento instar fumi dispellitur et evanescit, ita et hæretici suo vanitatis spiritu dissipantur et evanescunt. Ita S. Athanasius de Juliano Apostata jam regnante et in fideles grassari incipiente : « Secedamus, ait, paululum, o amici; est enim nubecula quæ cito præterit et evanescit, » teste Socrate, lib. II, cap. XII. Verus fuit vates; sequenti enim anno occisus fuit Julianus. Vere Joh cap. VII, vers. 9 : « Sicut, ait, consumitur nubes et pertransit, sic qui descenderit ad inferos, non ascendet. » Alludit ad Simonem Magum, qui instar nubis vento agitatæ volavit per aerem raptatus a dæmone, sed precibus S. Petri prostratus crura confregit.

Nota τὸ *circumferuntur*; hæretici enim ab una hæresi in aliam et aliam dilabuntur, atque in dies nova cudunt dogmata, juxta illud : « Impii ambulant in circuitu » dogmatum et errorum. Unde S. Hilarius ad Constantium Imperatorem, ait Arianos plurimas habere fides, ne ulla esset, imo annuas et menstruas, adeoque tot habere fides, quot voluntates. Vere noster Frusius :

Cur nunc tot fidibus luditur una fides?

Protei ergo et chamæleontes sunt hæretici, qui instar Euripi fluctuant semper, et nusquam stabiles consistunt. Vide Irenæum, lib. I, cap. V, Tertullianum, lib. *De Præscript.*, cap. XLII, et Vincentium Lirinensem, *Contra profanas hæresum novitates*.

ARBORES AUTUMNALES, — δένδρα φθινοπωρινά, quod *primo* verti potest, *arbores autumno marcescentes*, scilicet perdentes fructus, seque in radicem et terram contrahentes. Simili enim modo hæretici sunt homines marcidi, nullum doctrinæ veræ, operumque bonorum fructum ferentes; sed terrenis affixi cœlestia non capiunt, nec cupiunt,

imo desperant. Ita Adamus, Vatablus et alii. Porro Columella, lib. III, cap. x, ostendit analogice recte hominem comparari arbori et plantæ, ac utriusque partes et membra inter se confert. Est enim homo quasi arbor inversa, habens radicem, puta caput, sursum; ramos, puta pedes, deorsum: cujus contrarium facit arbor.

Secundo, δένδρα φθινοπωρινὰ verti potest, *arbores finientis ultimique autumni*, ac hiemali squalori proximæ; ita dictæ παρὰ τὸ φθίνεσθαι τὴν ὀπώραν, id est, a finiente autumno. Tunc enim arbores comam suam, puta omnia folia, deperdunt, arescunt et canescunt. Ita hæretici nulla veræ sapientiæ vel eloquentiæ folia et speciem præferunt, sed uti fructu steriles, sic foliis et specie sunt aridi et squalidi. Ita Salmeron et Gagneius.

Tertio, φθινοπωρινὰ vocantur arbores frugiperdæ, παρὰ τὸ φθίνεσθαι τὰς αὐτῶν ὀπώρας, id est, eo quod suos fructus corrumpant, et nil nisi corruptum et marcidum producant. Unde Arabicus vertit, *arbores corruptorum fructuum*. Nonnullæ enim arbores, præsertim novellæ recensque plantatæ, solent extremo autumno præter temporis rationem florere, idque agricolis indicat eas quasi egesto omni humore et vigore, mox per hiemem emorituras. Aliæ poma in autumno proferre incipiunt; verum ob supervenientem hiemem ea ad maturitatem non perducunt, sed acerba relinquunt. Tales sunt hæretici, qui non tantum sunt mortui, sed et mortiferi, quia non tantum sua, sed et aliorum bona opera et pietatis fructus extirpant, imo pestifero hæresis veneno inficiunt et intoxicant. Ita Beda, Salmeron, Catharinus et alii.

Tropologice Hugo : Arbores autumnales, ait, sunt acedi et pigri, qui sero, tarde et pigre Deo servire incipiunt, ideoque nil ad maturitatem perducunt; sed superveniente hieme, id est tentatione et adversitate, eorum studium et opus emoritur. Ex adverso justus fervens et strenuus est « tanquam lignum plantatum secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, et folium ejus non defluet, et omnia quæcumque faciet prosperabuntur, » *Psal.* I, 3. Rursum : « Justus sicut palma florebit, et sicut cedrus Libani multiplicabitur, » *Psal.* XCI, vers. 13; et : « Ego sicut oliva fructifera in domo Dei, » *Psal.* LI, 10. Vide *Eccli.* cap. XXIV, vers. 17 et seq. ubi sapientia Dei et Sanctorum, practica scilicet, comparat se semper virenti cupresso, palmæ, olivæ, cinnamomo, balsamo, myrrhæ; ac denique vers. 23 : « Ego, ait, quasi vitis fructificavi suavitatem odoris; et flores mei fructus honoris et honestatis. » Sic Joseph vocatur filius accrescens et frugifer, *Gen.* XLIX, 22.

INFRUCTUOSÆ, — quia fructum vel perdiderunt, vel perdunt, uti jam dixi. Apte S. Epiphanius, *hæresi* 31, et Irenæus, lib. I, cap. XXXIII, Gnosticos et hæreticos comparant fungis, qui ex arboribus prodeunt, quasi eorum excrementa, unaque nocte oriuntur, et mox emoriuntur. Sic enim hæretici ex nobis prodierunt, repente oriuntur, occiduntque citissime, ait S. Augustinus *in Psal.* LVII.

BIS MORTUÆ. — *Primo*, quia non tantum fructus, sed et folia amiserunt, uti jam dixi. Simili enim modo hæretici non tantum fructu et sapore, sed et specie ac decore pietatis et bonorum operum destituuntur. Ita Œcumenius.

Secundo, «bis,» id est omnino et penitus, «mortuæ.» Sic dicimus, *bis terque*, id est omnino, *beati*.

Sic Apostolus ait Presbyteros qui bene præsunt, duplici, id est multiplici, honore esse dignos, I *Timoth.* V, vers. 17, ubi plura hujus phrasis exempla citavi.

Tertio, nonnulli per *bis mortuas* accipiunt bis plantatas, et bis eradicatas, per easque significari relapsos in hæresim. Alii aiunt *primo* mortuos fuisse, cum ante baptismum in gentilismo viverent, *secundo* vero mortuos, cum post baptismum in hæresim lapsi sunt. Alii bis mortuos censent, quia tam corpore, quod omni libidine contaminant, quam animo mortui sunt. Ita Œcumenius.

Anagogice, *primo*, moritur anima per peccatum, quo gratia quæ est vita animæ, deperit; *secundo*, moritur cum truditur in gehennam : hæc enim est mors secunda, *Apocal.* XX, 14.

Quarto et genuine, arbores « bis mortuæ, » id est, eradicatæ, uti explicando subdit S. Judas, sicut paulo ante autumnales explicuit per infructuosas. Arbor enim primo in se moritur, dum arescit, sed vivit adhuc in radice, ex qua in vere rursum pullulat et reviviscit; secundo vero moritur in radice, dum illa eradicatur, et tunc plene planeque moritur, ut nulla ei vitæ spes supersit. Ita Arias. Simili modo moritur anima hæretici, primo per peccatum mortale : per hoc enim amittit charitatem et gratiam, quæ est vita animæ. Deinde secundo moritur per hæresin : per hanc enim amittit fidem quasi radicem, quæ est initium vitæ spiritalis : hæresis enim nunquam est primum hominis peccatum, sed ad eam præviis aliis peccatis quasi gradibus sensim descenditur.

ERADICATÆ. — Œcumenius et alii jam dicti censent plus hoc esse quam τὸ *bis mortuæ*; mortuæ enim reviviscere et repullulare possunt, si radix in terra sana consistat; at eradicatæ nullam vitæ spem habent, sed verius est τὸ *eradicatæ* explicare τὸ *bis mortuæ*, uti jam dixi. Porro hæretici per schisma et hæresin eradicati sunt a Fide, Ecclesia, Deo et Christo, quasi excommunicati. Τὸ ergo *eradicatæ* Gnosticorum desperatam salutem significat. Nam, ut ait Œcumenius, « a Paradiso, id est Domini Ecclesia, eradicantur, et foras projecti ad ignem æternum colliguntur. Qualem enim statum habere aut radicem potest, qui ob voluptatis colluviem ab omnibus projicitur? »

13. FLUCTUS FERI MARIS. — « Feri, » id est « fe-

roces, » ut legit S. Martinus I, Papa *epist.* 1; Syrus, *fluctus vehementes maris*; Arabicus, *fluctus maris commoti*. Sic Ovidius vocat *truces fluctus*; et Virgilius, lib. VII *Æneid.*, vocat *latrantes undas*, quia sonant et fremunt instar canum latrantium; unde et pars maris Zelandici a tali latratu vocatur, Den Hond, id est *canis*. Physice notat S. Chrysostomus in *Matth.* cap. XIV, Deum creasse mare, non tranquillum, sed fluctuans et æstuans, ut in eo compescendo et moderando suam potentiam et providentiam ostenderet. Talis est et vita nostra, quam tentationibus et tribulationibus ita librat Deus, ut nec nimiis obruamur, nec iis omnino carentes torpescamus. Comparavit S. Judas Gnosticos, *primo*, nubibus sine aqua; *secundo*, arboribus autumnalibus; *tertio* hic, fluctibus marinis feris et sævis. Idque *primo*, quia instar fluctuum inquieti, tenebrosi, amari et tumidi sunt, ac per superbiam attolluntur, ut cœlum sua maledicentia et blasphemia attingant. Ita Beda, juxta illud *Isaiæ* LVII, vers. 20: « Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest. »

Secundo. *Secundo*, quia, uti fluctus feri navim, ita ipsi turbulenti, seditiosi et tumultuosi Ecclesiam concutiunt et exagitant.

Tertio. *Tertio*, quia sicut fluctus, licet tumentes et altissimi, littus et saxa verberantes, ab iis repulsi dissiliunt, abeuntque in spumas et evanescunt: sic et impetus, fastus ac furores hæreticorum verberantes Ecclesiam, in seipsos dissiliunt et evanescunt. Ita Beda, juxta illud: « Homo bulla, » quæ non est aliud quam spuma inflata.

Quarto. *Quarto*, sicut fluctus in fluctum, ita hæresis una in aliam arietat, itaque sese invicem conficiunt et jugulant.

DESPUMANTES. — Alii legunt « dispumantes; » proprie enim despumare est spumam auferre; dispumare vero est spumam quasi fæcem ejicere et exspumare; sed sæpe despumantes sumitur pro dispumantes, uti apud Persium, *satyra* 3:

> Stertimus indomitum quod despumare Falernum
> Sufficiat, quinta dum linea tangitur hora.

Unde Martinus I Papa legit, *spumantes proprias confusiones*; Syrus, *qui in manu spumationis suæ indicant ignominiam suam*; Arabicus, *sicut fluctus feri maris commoti ebulliunt in confusionibus*, vel *delictis suis*. Jam per « confusiones, » sive, ut Vatablus, *dedecora*, intellige, *primo*, verba pudenda, hæretica, blasphema, superba, contumeliosa, impudica. *Secundo*, pudenda opera, puta sacrilegia, expilationes templorum, seditiones, bella, cædes, rapinas. *Tertio*, et aptissime, τὸ *confusiones* notat pudendas Gnosticorum crapulas et libidines portentosas, adeo ut et suum semen Deo offerrent, et Eucharistiæ miscerent ac comederent, uti ait Epiphanius, *hæres.* 26: hæ enim sunt effectus et pœnæ superbiæ, *Rom.* I, 24, *q. d.* Superbiunt et attolluntur instar fluctuum; sed hæc superbia detumescit, abitque in spumam pudendæ libidinis. Ita Didymus et Thomas Anglicus. Venus enim a Græcis vocatur Ἀφρωδίτης, a spuma, quod e maris spuma orta credatur; ait Plato in *Cratylo*; vel, ut Aristoteles, II *De Gener. anim.*, cap. II, quod seminis natura sit ἀφρώδης, id est *spumosa*; vel, ut Euripides in *Hecuba*, quod sit ἀφροσύνης θεά, id est, *stultitiæ dea*. Sic S. Hieronymus *ad Oceanum*: « Venter, ait, mero æstuans cito despumat in libidines. »

SIDERA ERRANTIA, — puta planetæ; sic enim habent Græca, ἀστέρες πλανῆται, id est *stellæ erraticæ*. Planetæ enim ut Mars, Venus, Luna, Mercurius in cœlo cursu vario vagoque oberrant. Sic et hæretici a vera fide in errores alios et alios aberrant, aliosque in errorem ducunt. Τὸ ergo *errantia* notat eorum non tantum errores, sed et errorum inconstantiam et mutabilitatem. Ita Œcumenius, Beda et alii. Oberrant ergo sicut planetæ, qui semper tramitem mutant, ut nunquam eodem loco oriantur et occidant, sed alio semper et alio, atque nunc tardius, nunc celerius rotentur; modo enim ad infima zonæ brumalis descendunt, modo ad alta zonæ solstitialis ascendunt, modo mediam zonæ æquinoctialis lineam repetunt, ait Beda. Sed hoc discrimine, quod planetæ in errore motuque suo sint regulares et constantes. Unde Plinius, lib. II, cap. VI: « Septem sidera, ait, ab incessu vocamus errantia, cum errent nulla minus illis. » At hæretici in errando sunt irregulares prorsus et vagi: novos enim quotannis errores confingunt; quare in novandi constantia sunt inconstantissimi.

Secundo, « sidera errantia » Cajetanus non male interpretatur, non planetas cœlestes (hi enim constantes habent motus), sed meteora et exhalationes igneas, quas Aristoteles, I *Meteorol.*, vocat stellas discurrentes *in aere*. Græcum enim πλανήτης idem est quod πλάνης, id est, vagus, erro, stella erratica sive in cœlo, sive in aere. Unde Plato, lib. II *De Republ.*, mercatores vocat πλανήτας ἐπὶ τὰς πολεῖς, id est *planetas urbium*, quia urbes mercium causa pervagantur et oberrant. Et in militia hac illac temere abeuntes milites πλανῆται vocantur, quos Heraclius Imperator mulctabat pœna λειποταξίου, qua scilicet puniebantur ii qui locum in acie deseruissent. Denique hospites, quia multas regiones pererrant, vocantur πλανῆται. Tales prorsus sunt hæretici. Vide Bellarminum in *orat.* tomo ultimo præfixa, ubi apposite Lutherum comparat stellæ cadenti e cœlo in terram, imo in tartara, *Apoc.* VIII, 10. Lapsus est enim e statu Religioso, qui est imitatio et inchoatio vitæ cœlestis, in terrestres cupiditates et sordes, ac infernales errores et blasphemias. Quocirca Syrus vertit, *stellæ seductrices*; Arabicus, *stellæ caliginosæ*, vel maleficæ, quales sunt exhalationes, quæ accensæ instar stellarum e cœlo cadere videntur. Item ignes fatui vel errantes, qui viatores in avia flumina vel præcipitia deducunt. Simillimi sunt hæretici. Longam de his er-

rantibus stellis disputationem habet Isidorus Pelusiota, lib. IV, *epist.* 58. Perstringit rursum S. Judas Simonem Magum, qui volando per aera quasi sidus errans in cœlo oberravit.

Videtur quoque prævidisse pseudoprophetam, qui paulo post sub Adriano Imperatore, Judæos seduxit, et ad rebellandum Romanis concitavit, ideoque se *Barchochebas*, id est filium stellæ (כוכב *cocab* enim Hebraice est *stella*), nuncupavit, de quo Eusebius, lib. IV *Hist.*, cap. VI : « Erat, ait, tunc temporis Judæorum dux Barchochebas nomine, quod stellam significat, vir alias ad cædes et latrocinia paratus. Propter nominis autem significationem portentose mentiebatur, quod Judæis tanquam servitute pressis velut e cœlo lux quædam descendisset, et afflictis illuxisset. » Et cap. VII, ait Basilidem hæresiarcham Prophetas sibi finxisse Barcabum et Barcoph, ad stupefaciendum auditores. Rursum perstringit triginta Æones, quos Valentinus confinxit, quasi triginta sidera in cœlo oberrantia; unde eosdem per ternos cœlos instar siderum distribuebat, uti videre est in eorum schemate, quod exhibet Pamelius *in Tertullianum*, initio libri *Contra Valentinum*.

QUIBUS PROCELLA TENEBRARUM SERVATA EST IN ÆTERNUM. — Pro *procella* græce est ζόφος, quod interpres, II *Petri* II, 17, vertit *caligo*, et ita legit Martinus I Papa, *epist.* 1, et Arabicus vertit, *perfectio tenebrarum*; caligo enim apposite quasi pœna adaptatur stellis errantibus; recte tamen quoque iis adaptatur procella : nubes enim quæ quasi caligo velant stellas, sunt procellæ. Jam in inferno proprie est caligo et procella tenebrarum. Significat ergo S. Judas utramque paratam esse hæreticis, idque congrue, ut per quæ peccaverunt, per ea puniantur, *Sapient.* XI, 17 : scilicet per tenebras, quia tenebras errorum in Ecclesia induxerunt; per procellam, quia Ecclesiam schismate et seditione exagitarunt. « Recte, ait Beda, in tenebras tormentorum mittentur æternas, qui in Ecclesia Dei sub nomine lucis tenebras inducebant errorum. Merito procella percutientur suppliciorum, qui in similitudinem tempestatum marinarum pacem Ecclesiæ turbabant. » *Tenebræ* repræsentant pœnam damni, puta carentiam visionis Dei, *procella* pœnam sensus, τὸ *in æternum* pœnæ utriusque æternitatem.

Tropologice, hæc omnia quæ S. Judas intorquet in hæreticos, intorqueas in quoslibet seditiosos, superbos, avaros, gulosos, luxuriosos, etc., tum quia tales revera erant, et etiamnum sunt hæretici; tum quia superbus, avarus, luxuriosus, etc., suam habet hæresim, id est, pravam electionem Deo repugnantem, ac practice est hæreticus. Nam v. g. luxuriosus practice dicit : Bonum est mihi fornicari : mihi est fornicandum. Quod si idipsum speculative diceret, revera proprie haberet errorem in fide, essetque proprie hæreticus : hæreticus enim est, qui dicit fornicationem esse licitam, esse bonam et amplectendam. Superbus ergo, avarus, luxuriosus et quilibet peccator, *primo*, est quasi nubes sine aqua, quia externam habet sapientiæ et honestatis speciem, quasi nubem, sed interius virtute vacuam, inanem et sterilem.

Secundo, idem est arbor autumnalis, id est, infrugifera, mortua et mox eradicanda ac mittenda in gehenam, juxta illud Christi : « Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur, » *Matth.* VII, 19.

Tertio, idem similis est fluctui maris, quia mille cupiditatum æstibus agitatur, quibus in suas confusiones et pudenda verba et scelera despumat, juxta illud *Isaiæ* LVII, 20 : « Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest, et redundant fluctus ejus in conculcationem et lutum. »

Quarto, idem est stella errans; quia a cœlo, Deo, recto, virtute, felicitate aberrat, tenditque in tartara. Ex adverso de justo ait Sapiens, *Eccli.* XXVII, 12 : « Sanctus in sapientia sua manet sicut sol, nam stultus sicut luna mutatur. » Quocirca eidem procella tenebrarum servata est in æternum.

14. PROPHETAVIT AUTEM ET DE HIS SEPTIMUS AB ADAM HENOCH. — Probat quod impiis hæreticis procella tenebrarum servata sit in æternum, ex testimonio Henoch, qui septimus fuit ab Adam. Adam enim genuit Seth, hic Enos, hic Cainam, hic Malaleel, hic Zared, hic Henoch. Prophetia hæc antiquissima est, utpote edita ante diluvium : Henoch enim fuit abavus Noe : genuit enim Mathusalem, hic Lamech, hic Noe, *Genes.* V. Vide ibi dicta.

Prophetia Henoch qualis?

Porro Henoch fuit Propheta, et ea quæ citat hic Judas, prophetavit viva voce, quæ vel traditione majorum accepit Judas, vel ex libro sive ab Henoch, sive a Noe, sive a quo alio qui prophetias Henoch collegit, conscripto. Unde Tertullianus, *De Habitu mulier.*, cap. III, censet librum hunc a diluvio servatum in arca, aut Noe afflatu Spiritus Sancti memoriter redintegratum. Consentiunt S. Hieronymus, lib. *De Script. Eccles.*, in *Henoch*, Didymus et Beda hic, S. Athanasius in *Synopsi*, et Clemens, lib. VI *Stromat.* Quare verisimile est librum hunc olim exstitisse purum et sincerum, sed postea vel deperiisse, uti periit liber Addo Videntis, multique alii qui citantur in libris Regum; vel ab hæreticis esse corruptum et depravatum, uti et passim aliæ veterum prophetiæ. Nam liber Henoch qui citatur a Tertulliano, Irenæo et aliis jam citatis, scatet erroribus, ut quod asserit filios Dei, *Genes.* VI, fuisse angelos, qui ex filiabus hominum per calidas lacrymas ex oculis angelorum profluentes, gigantes genuerint : quam S. Augustinus, XVIII *De Civit.*, XXXVIII, merito fabulam appellat. Tale est et quod ex libro Henoch citat Tertullianus, lib. *De Cultu feminar.*, cap. X, scilicet damnatos esse angelos, qui docuerunt feminas se ornare et fucare, aureas et argenteas

vestes texere, vellera tingere, etc. Idem, cap. IV *De Idolatria*, ait Henoch prædixisse quod dæmones omnia elementa, et cuncta quæ in terra marique sunt, in idololatriam converterent. Liber Henoch citatur crebro in testamento duodecim Patriarcharum, quod citant et laudant Origenes et Procopius : citatur, inquam, in testamento Simeon, Levi, Issachar et Dan; ubi recensentur oracula Henoch, de his quæ eventura erant filiis et nepotibus duodecim Patriarcharum, de Hebræorum flagitiis et suppliciis, de mundi Redemptore a Judæis occidendo, de Hebræorum clade, servitute et reprobatione perenni. Irenæus, lib. IV, cap. XXX, ait Henoch legatione Dei functum ad angelos, intellige ad filios Dei, quorum libidinem cum filiabus Cain castigavit, *Genes.* VI, uti recte interpretatur Irenæum Fevardentius. Porro S. Hieronymus *De Script. Eccl.*, in *Juda*, et S. Augustinus, loco jam citato, et lib. XV *De Civit.*, XXIII, aiunt non habere certam fidem quæ in libro Henoch scribuntur, eo quod nimia antiquitas illa suspecta fecerit, ne supposititia vel depravata sint.

Ut ut est, certum est ea quæ citat Judas ab Henoch esse prædicta. Perperam ergo Cajetanus et alii suspectam habent hanc Epistolam, eo quod citet librum apocryphum Henoch : non enim citat librum, sed prophetiam Henoch, quæ potuit esse vocalis et verbalis; ac si eadem scripta olim fuerit ab Henoch vel Noe, authentice scripta fuit, esto posterioribus sæculis additis fabulis fuerit vitiata; Judas ergo si librum Henoch citat jam vitiatum, ideoque apocryphum, non idcirco omnia quæ eo continentur probat, sed tantum illum citat probatque ea parte, qua is authenticus et germanus erat Henoch vel Noe, puta prophetiam Henoch de ultimo judicio. Vide dicta in simili vers. 9. Jam vero S. Judas citat ejus prophetiam, qua parte agit et intentat impiis Dei judicium, quia illud negabant Gnostici impuri et impii. Illud enim maximum est frenum ad cohibendos homines a peccatis et libidinibus, quæ tempore Henoch abundabant. Unde mox propterea Deus orbi generale induxit diluvium. « Quis enim peccare poterit, si semper ante oculos suos Dei judicium ponat? » ait S. Petrus apud S. Clementem, *epist.* I. Hinc judicium Dei jugiter sibi aliisque ob oculos posuere Sancti, ut S. Hieronymus, S. Ephrem, S. Basilius, S. Augustinus, S. Chrysostomus, S. Gregorius uterque, et alii. Vide exempla et gnomas quas recitavi *Deuter.* XXXII, 29. Hinc et ipse Henoch cum Elia venturus est quasi præcursor judicis Christi, tum ut resistat Antichristo, tum ut instans judicium prædicet, adigatque homines ad pœnitentiam, ut ad illud se comparent : de quo plura *Apocal.* XI, 3. Simili modo S. Athanasius, lib. *De Incarnatione Verbi* : « Nolim, ait, te latere alterum ejus adventum illustrem et divinum, non humilitate contemptibilem, sed gloria magnificum, in exspectatione esse, atque imminere, cum non ut patiatur rediturus sit, sed ut fructus suæ crucis omnibus retribuat; immortalitatem videlicet, et resurrectionem, et incorruptibilitatem, neque ut judicetur, sed ut judicet. »

DICENS : ECCE VENIT DOMINUS. — Græce ἦλθε, id est *venit*, in præterito. Unde Arabicus vertit, *jam ecce Dominus jam venit*. « Venit, » id est, ita certo brevique veniet, ac si jam venisset. Prophetæ enim de futuris loquuntur quasi de præteritis, ob rerum certitudinem, quia in Dei præscientia et prædestinatione sunt jam præterita. Deus enim ea præscivit et prædestinavit ab æterno, ut fierent tempore congruo a se decreto. Rursum æternitas Dei, qui hæc per Henoch prædixit, ambit, includit et transcendit omnia tempora, juxta illud quod dixit S. Petrus, *epist.* II, cap. II, vers. 8 : « Unus dies apud Dominum, sicut mille anni, et mille anni sicut dies unus. Non tardat Dominus promissionem suam. » Hunc secundum Christi adventum passim Prophetæ et Apostoli hominibus tubali voce insonant, ut ad eum se comparent. Ita Isaias, cap. III, vers. 17 : « Stat, ait, ad judicandum Dominus, et stat ad judicandos populos. Dominus ad judicium veniet cum senibus populi sui, et principibus ejus; » et cap. LXVI : « Ecce Dominus in igne veniet, et quasi turbo quadrigæ ejus, reddere in indignatione furorem suum. » Joel cap. II, vers. 1 : « Venit dies Domini, quia prope est dies tenebrarum et caliginis, dies nubis et turbinis, » etc. *Apocal.* cap. I, vers. 7 : « Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt. »

IN (id est *cum*) SANCTIS MILLIBUS SUIS, — stipatus scilicet innumeris legionibus angelorum et Sanctorum. Unde S. Cyprianus ad Novatianum legit : « Ecce venit cum multis millibus nuntiorum suorum, » juxta illud *Dan.* VII, 10 : « Mille millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei. » Christum enim e cœlo descendentem ad judicium honoris causa comitabuntur omnes omnino angeli, quasi ejus ministri, ut tam solemnem et universalem Christi mundique actum condecorent, juxta illud Christi : « Cum venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes angeli ejus cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ, » *Matth.* XXV, 31. Ad Henoch alludit Moses moriens et benedicens populo, *Deuter.* XXXIII, 2, dicens : « Dominus de Sinai venit, etc., et cum eo sanctorum millia. In dextera ejus ignea lex. Dilexit populos, omnes sancti in manu illius sunt; » et Zacharias XIV, 6 : « Veniet Dominus Deus meus, omnesque sancti cum eo. » In judicio ergo « infinitæ angelorum legiones Christum regem undique circumstabunt, » ait Nyssenus in illud : « Quod uni ex minimis meis fecistis. » Item plurimæ legiones hominum sanctorum, qui cum Christo judicabunt impios. Quod expavescens S. Augustinus in *Medit.* cap. IV : « Tot, ait, judicibus inops astabo, quot me præcesserunt in

opere bono; tot arguentibus confundar, quot mihi præbuerunt bene vivendi exempla ; tot convincar testibus, quot me monuerunt proficuis sermonibus, seque imitandos dederunt justis actionibus. »

15. FACERE JUDICIUM CONTRA OMNES. — S. Cyprianus ad Novatianum legit, *facere judicium de omnibus;* Arabicus, *ut judicetur omnis caro.* Vere S. Augustinus, serm. 64 *De Verbis Domini* : « Sedebit judex, ait, qui stetit sub judice ; damnabit veros reos, qui factus est falsus reus. » Et S. Paulus II *Corinth.* V, 10 : « Omnes, ait, nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. » Tunc enim, ut idem ait cap. IV, vers. 5 : « Dominus illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium, » et S. Joannes, *Apocal.* XX, 12 : « Vidi, ait, mortuos magnos et pusillos stantes in conspectu throni, et libri aperti sunt, etc., et judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris secundum opera eorum. »

ET ARGUERE OMNES IMPIOS. — Græca addunt αὐτῶν, id est *eorum.* Unde Pagninus, *ut redarguat omnes ex eis qui sunt impii.* Explicat enim quod dixit, « facere judicium contra omnes, » per id quod subdit, « et arguere omnes impios ex eis. » Christus enim instituet judicium contra omnes homines, puta contra totum cœtum hominum (quia longe major ejus pars est impia), ut perdat ex eis quoscumque revera invenerit impios. S. Cyprianus ad Novatianum legit : « Et perdere omnes impios, et arguere omnem carnem de omnibus factis impiorum, quæ fecerunt impie; » Syrus : « Ut redarguat evectos illos impios, propter omnia opera illa quæ impie fecerunt. » Hinc patet omnes omnino impios, etiam infideles et hæreticos, esse judicandos in die judicii. Quod ergo S. Augustinus, *serm.* 38, negat eos fore judicandos, et Christus, *Joann.* III, ait : « Qui non credit, jam judicatus est; » intellige eos non fore judicandos judicio discussionis et inquisitionis, sed judicio sive sententia condemnationis : causa enim eorum cum sit clara, discussione non eget, sed sententiæ pronuntiatione, et pœnæ irrogatione.

ET DE OMNIBUS DURIS (S. Cyprianus loco citato legit *impiis*) QUÆ LOCUTI SUNT CONTRA DEUM PECCATORES IMPII. — Arabicus, *et super sermonibus duris contradicentibus, quibus locuti sunt in eum impia peccata,* puta de omnibus blasphemiis, erroribus et murmuribus contra Deum jactatis, item de omnibus verbis maledicis, detractoriis, impudicis contra proximum dictis : hæc enim cum sint contra Dei legem, sunt pariter contra Deum ipsum legislatorem, ideoque ab eo in die judicii, judicanda, arguenda et vindicanda. Alludit S. Judas ad id quod dixit vers. 8 : « Majestatem blasphemant. » Sic Capharnaitæ, audito Christi sermone de carne sua manducanda, dicebant : « Durus est hic sermo, et quis potest eum audire? » *Joan.* VI, 61.

16. HI SUNT MURMURATORES QUERULOSI. — Syrus, *hi sunt qui turbant et conquerentur in omni re;* Arabicus, *hi sunt provocantes super vos reatus.* Nimirum murmurabant Gnostici de Evangelica lege, quod nimis esset arcta et carni difficilis; quod ob eam exponerentur fideles Gentilium odiis, rapinis et neci; quod Episcopi novas leges, nova onera jejuniorum, festorum, rituum, observantiarum, etc., gravia et dura populo imponerent.

Pro *murmuratores* græce est γογγυσταί, id est *susurrones,* Est autem susurro, ait Œcumenius, qui tacite ac mussitando, non aperte, quod sibi displicet, reprehendit et carpit, ac præsertim qui discordias seminat inter fideles et amicos, turbatque unionem et pacem, uti turbant hæretici secreto detrahendo Episcopis et Pastoribus.

Pro *querulosi* græce est μεμψίμοιροι, id est *queruli,* Œcumenius et alii vertunt, *reprehensores;* μεμψίμοιρος, ait Œcumenius, « est qui portionem et sortem aliorum reprehendit, quique omnia ac semper studet vituperare. »

SECUNDUM DESIDERIA (ἐπιθυμίας, id est *concupiscentias*) SUA AMBULANTES. — Arabicus, *currentes,* uti equi effrenes et œstro perciti.

ET OS EORUM LOQUITUR SUPERBA, — ὑπέρογκα, id est *tumida,* excelsa, fastuosa, omnem modum fidemque excedentia; Syrus, *stupenda;* Arabicus, *implicant in maximis ora sua.* Perstringit fastum Marci et Gnosticorum, de quibus Irenæus, lib. I, cap. IX : « Perfectos, ait, seipsos vocant, quasi nemo possit exæquari magnitudini agnitionis ipsorum, nec si Paulum aut Petrum dicas, vel alterum quemdam Apostolorum, sed plus omnibus se cognovisse, et magnitudinem agnitionis illius, quæ est inenarrabilis virtutis, solos ebibisse : esse autem se in altitudine super omnem virtutem. Quapropter et libere omnia agere, nullum in ullo timorem habentes : propter enim redemptionem et incomprehensibiles et invisibiles fieri judici. » Subdit eos ipsum judicem ad summum Dei tribunal citare. « Omnes tument, omnes scientiam pollicentur, » ait Tertullianus *De Præscript.,* cap. XLI. Narrat S. Gregorius, XVIII *Moral.,* XXVII, alias XXXVIII, hæreticum quemdam dixisse, se non invidere Christo Deo facto, quoniam si vellet, et ipse posset fieri. Alii vocabant se Catharos, id est puros; alii Manichæos, quasi Manna fundentes ; alii Noetos, quasi intelligentes. De superbia Lutheri et Calvini dixi II *Petri* II.

MIRANTES PERSONAS. — Syrus, *laudant personas,* puta homines illustres, primarios, opulentos suspiciunt et prædicant, *q. d.* Adulantur potentibus et divitibus, eos mirifice laudant et extollunt; fingentes se admirari eorum excellentiam, ingenium, sapientiam, opes, virtutes. Ita Œcumenius. Sic Simon adulatus Neroni, eumque quasi admirans, ejus gratiam sibi conciliavit. Sic Marcus

hæreticus, ait Irenæus, lib. I, cap. IX, purpuratas et ditissimas mulieres coluit, itaque earum opes emunxit. S. Hieronymus in *Amos*, cap. VII, testatur hæreticos aucupari et jactitare gratiam principum, quodque imperatores eis communicarent; ac si quis eis adversaretur, illico criminari solitos : Ergo tu contra Imperatorem facis? Augusti mandata contemnis? Ita Ariani adulantes Constantino Magno, eum inimicum reddiderunt S. Athanasio; ac assentantes Constantio ejus filio, eum arianum et acrem orthodoxorum persecutorem effecerunt. Sic nostro ævo adulati sunt hæretici Elisabethæ, reginæ Angliæ, ut caput Ecclesiæ anglicanæ dici et haberi vellet, ac coli ut Papissa, utique vera, non fabulosa, uti illa Johanna pariter Anglica. Porro id faciunt

QUÆSTUS CAUSA. — Græce, *utilitatis gratia*; Syrus, *propter lucra*; Arabicus, *inhiantes lucro*. Testatur S. Hieronymus in cap. II *Isaiæ* et *Jeremiæ* VI, Syros, quales sunt Judæi, natura cupidos et avaros esse. Primi autem hæresiarchæ et hæretici fuere Judæochristiani. Unde S. Ignatius, *epist.* 3, eos vocat alienorum appetitores, pecuniarum rapaces et quasi vortices. Porro phrasim hanc, « mirantes personas, » sumpsit S. Judas ex Septuaginta, qui *mirari* sumunt pro suspicere, revereri, colere. Unde *Gen.* cap. XIX, 21 : « Suscepi preces tuas; » Hebræi habent: « Elevavi faciem tuam; » R. Mardochai : « Reveritus sum faciem tuam; » Septuaginta : « Admiratus sum faciem tuam : » quæ enim elevamus, quasi in altum sublata suspicimus, admiramur et reveremur. Hinc acceptionem, vel, ut Hebraice est נְשׂוֹא *neso*, id est, elevationem personarum, Septuaginta vocant admirationem personarum, ut *Deuteron.* X, 17 : « Qui personam non accipit; » Hebr. *non elevat*; Septuaginta, *non miratur*. *Proverb.* XVIII, 5 : « Accipere; » Hebraice, *elevare*; Septuaginta, *mirari* « personam impii non est bonum. » *Isaiæ* IX, 15 : « Qui beatificant populum seducentes; » Septuaginta, *qui facies admirantur*. Hinc Naaman Syrus vir magnus apud regem Syriæ, IV *Regum.* V, 1, a Septuaginta vocatur τεθαυμασμένος προσώπῳ, id est, admirabilis facie, sive cujus personam omnes admirabantur. Id primus solerter advertit et annotavit hic noster Augustinus de Quiros.

Simili phrasi Latina dicitur superbus mirari se, pro sibi placere et de se magnifice sentire ac loqui, et Virgilius, XI *Æneid.* :

> —— Fama ingens, *inquit*, ingentior armis,
> Vir Trojane, quibus cœlo te laudibus æquem?
> Justitiæne prius mirer, belline labores?

Rursum mirari per metalepsin est imitari. Sic Virgilius, VIII *Æneid.* :

> —— Primis et te miretur ab annis,

miretur, id est, imitetur, ait Servius Et Lucanus, lib. IX :

> —— miratorique Catonis.

Optima enim ingenia necesse est ut ea quæ mirantur, imitentur. Sic Gnostici adulando mirabantur, id est, imitabantur mores et gestus potentum et divitum, ut eorum gratiam aucuparentur. Tales miratores videre est in aulis principum, qui id quod facit princeps, illico imitantur, ut principem voce, gestu, habitu, incessu, plane referre videantur; atque hac arte ejus favorem venantur.

17. VOS AUTEM, CHARISSIMI. — Est conclusio, qua declaratis hæreticorum fraudibus et vitiis adhortatur fideles, ut Apostolorum doctrinæ et monitis constanter insistentes, eos velut pestes devitent.

MEMORES ESTOTE VERBORUM QUÆ PRÆDICTA (id est, prius dicta, antehac dicta : ita Syrus, Arabicus, Pagninus et alii) SUNT AB APOSTOLIS, — ut a S. Petro, *epist.* II, cap. III, vers. 2; a S. Paulo, I *Tim.* cap. I, vers. 1, et *epist.* II, cap. III, vers. 2, ubi præmonent fideles, ut caveant hæreticos mox nascituros, et ex parte jam natos. Vide ibi dicta.

18. ILLUSORES. — Hebr. לֵצִים *letsim*, id est illusores, derisores, vocantur homines pessimi, qui omnia divina et humana irrident, uti faciunt hæretici. Hugo : « qui fidelibus illudunt, » sicut illudebant Judæi Christo, ut jure Antichristi vocari possint; Dionysius : « qui simplices decipiunt » per dulces sermones, per hypocrisin et simulationem pietatis. Maxime vero Gnostici illudebant Dei providentiam et judicium, ut sine ejus metu libere suis indulgerent libidinibus. Unde irridendo dicebant : Ubi est promissio aut adventus ejus? II *Petri* III, 4.

SECUNDUM DESIDERIA SUA AMBULANTES IN IMPIETATIBUS. — Græce ἀσεβειῶν, id est *impietatum, q. d.* Desideria eorum sunt desideria impietatum, id est, rerum impiarum et impiissima. Syrus, *qui secundum concupiscentias suas ambulant post impietatem*; Arabicus, *currunt in suis desideriis impudicitiæ.*

19. HI SUNT QUI SEGREGANT SEMETIPSOS, — ab Ecclesia et cœtu fidelium, ac consequenter a Deo, Christo et cœlo, faciendo schisma, Ecclesiam et sectam propriam; τὸ *semetipsos* deest in Græcis. Unde Œcumenius Græcum ἀποδιορίζοντες, id est distinguentes, dividentes, discriminantes, segregantes, vertens *exterminantes*, vel potius *disterminantes*, sic explicat : « Qui disterminant, id est, qui extra Ecclesiæ terminos, hoc est, extra fidem et sacrum Ecclesiæ tabernaculum homines abducunt et separant. Cum enim sua diversoria et collegia speluncas latronum fecerint, ab Ecclesia rapiunt, atque ad se adigunt. » Apostoli ergo primitus, ad unitatem Ecclesiæ et ad consocietatem fidelium, utque melius omnes cognoscere, curare et promovere possent, valde urgebant Christianos ut Ecclesias et cœtus communes frequentarent. Hinc illud *Actor.* cap. II, vers. 46 : « Quotidie perdurantes unanimiter in templo; » et cap. XX, vers. 7 : « Cum convenissemus ad frangendum panem; » et I *Corinth.*, cap. XI, vers. 20 : « Convenientibus ergo vobis in unum; » *ad He-*

bræos x, 25 : « Non deserentes collectionem nostram. » Clemens Romanus, lib. II *Constit. Apost.*, cap. LIX : « Convenite, ait, in Ecclesiam singulis diebus mane et vespere ad canendos psalmos. » S. Ignatius, epist. 6 *ad Magnes.* : « Omnes ad orandum in idem loci convenite, sit una communis precatio; » et epist. 11 *ad Polycarpum* : « Crebrius celebrentur conventus Synodique, nominatim omnes inquire. » Porro causam cur se segregent assignat, dum subdit :

ANIMALES, — non ab anima, sed ab animalitate, ait Hugo. Sed hanc quoque significat anima, cum ab animo, id est parte superiore, distinguitur. Unde Accius in *Epigon.*, citatus a Nonio : « Sapimus animo, inquit, fruimur anima; sine animo anima est debilis. » Hæretici ergo vocantur « animales » ab anima sensitiva et vegetativa, cui toti serviunt; quia scilicet ut animalia non rationem, sed sensum sequuntur, vivuntque in concupiscentiis carnis, « spiritum non habentes; » Syrus et Arabicus, *quibus spiritus non inest, q. d.* Toti quanti quanti sunt, sunt mera animalia, mera caro; hinc nihil habent spiritus : nam « animalis homo non percipit quæ sunt spiritus Dei, » I *Cor.* II, 14. Rursum : « Omnis qui recedit, et non permanet in doctrina Christi, Deum non habet, » ait S. Joannes, *epist.* II, 9. Causa ergo cur se segregent ab Ecclesia est quia sunt animales. Sicut enim animalia sequuntur suam phantasiam, ita ipsi sequuntur suum cerebrum et judicium, nolentes credere et subdere se judicio Ecclesiæ ejusque Rectorum. Unde Arabicus vertit, *sive viventes. Secundo,* quia instar animalium sequuntur suos appetitus, non rationis et spiritus, sed sensus, puta gulæ, avaritiæ, iræ, superbiæ, libidinis, etc. Unde Œcumenius vertit, *juxta mundi constitutionem viventes.* Rursum : « Spiritum, inquit, non habent, divinum scilicet in se loquentem, quia diabolica utuntur sapientia. » Audi S. Bernardum *ad Fratres de Monte Dei* : « Anima, ait, est res incorporea, rationis capax, vivificando corpori accommodata. Hæc animales constituit homines, quæ carnis sunt sapientes, sensibus corporis inhærentes. Quæ ubi perfectæ rationis incipit esse non tantum capax, sed et particeps, continuo abdicat a se nomen generis feminini, et efficitur animus particeps rationis, regendo corpori accommodatus, vel seipsum habens spiritus. Quamdiu enim anima est, cito in id quod carnale est effeminatur. Animus vero vel spiritus non nisi quod virile est et spiritale meditatur, etc. Animus, inquam, in quantum bene animans, et perficiens animal suum supplemento liberæ rationis; bonus autem in quantum jam amans bonum suum, quo bonus fit, et sine quo nec bonus, nec animus esse potuit. Fit autem bonus animus et rationalis diligens Dominum Deum suum in toto corde suo, Deum timens et mandata ejus observans. Hoc est enim omnis homo. »

Nota : Potest quis esse schismaticus, et non hæreticus, si videlicet separet se ab Ecclesia, non ideo quod credat eam non esse veram Ecclesiam, ac habere errores in fide, sed quia non vult ei obedire. Talis enim potest credere omnia fidei dogmata quæ credit Ecclesia, et tamen quia non vult ei parere, ab ea facit schisma. Schisma enim directe non fidei, sed charitati et unioni adversatur. Verum communiter schisma desinit in hæresim. Ut enim schismatici ostendant se cum ratione fecisse schisma, illico negant illam Ecclesiam a qua fecerunt schisma, esse veram et orthodoxam, negant pariter auctoritatem Episcoporum et Summi Pontificis, scilicet ipsum esse caput totius Ecclesiæ, ac præsertim suæ schismaticæ : quæ duo, cum sint articuli fidei, quisquis ea negat, hoc ipso fit hæreticus. Ita schisma Græcorum, Donatistarum et nuper Anglorum illico transiit in hæresim. Quocirca S. Augustinus, lib. II *Contra Crescentium,* cap. VII, sic schisma definit et ab hæresi secernit : « Schisma est recens congregationis ex aliqua sententiarum diversitate dissensio; hæresis autem schisma inveteratum. » S. Hieronymus vero in cap. III *epist. ad Titum* : « Nullum schisma, ait, nisi sibi aliquam confingit hæresim, ut recte ab Ecclesia recessisse videatur. »

Schisma grave scelus. Primo.

Porro schisma est grave et immane peccatum, *primo,* quia injurium est Deo : unam enim et unanimem ejus Religionem et cultum abolet, scinditque in duas. Quocirca Deus Core, Dathan et Abiron, schismaticos, morte horrenda mulctavit, ut dehiscente terra vivi descenderent in infernum, *Num.* cap. XVI. Maxime vero injurium est Spiritui Sancto, qui est amator et auctor pacis et concordiæ. Unde Beda Spiritum Sanctum quo congregatur Ecclesia, vocat coagulum charitatis.

Secundo, quia injurium est Christo : ejus enim inconsutilem tunicam, puta Ecclesiam, lacerat et scindit, quod facere non sunt ausi Judæi et Gentiles crucifigentes Christum. Qua de causa S. Cyprianus, tract. *De Unitate Ecclesiæ,* et S. Hieronymus, epist. *ad Damasum,* asserunt schismaticos esse pejores crucifixoribus Christi. Ita Christus S. Petro, Episcopo Alexandriæ et martyri, apparuit veste conscissa, causamque rei sciscitanti dixit : « Arius vestem meam, quæ est Ecclesia, dilaceravit, » simul præcipiens ne unquam Arium in communionem reciperet, quem Deo mortuum esse sciret. Ita habet Vita S. Petri, die 26 novemb. Sic et S. Augustinus, *epist.* 171, Donatistas vocat divisores vestimentorum Domini. S. Irenæus, lib. IV, cap. LXII : « Suam, ait, utilitatem potius considerantes, quam unitatem Ecclesiæ, propter modicas et quaslibet causas magnum et gloriosum corpus Christi conscindunt et dividunt, et quantum in ipsis est, interficiunt. »

Tertio, quia injurium est Ecclesiæ : nam eam lacerant et discindunt schismatici; perinde ac gravem homini ejusque corpori faceret injuriam, qui illud mutilaret et dissecaret. Quocirca Irenæus, lib. IV, cap. XXVI, ait nullam posse esse

tantam perniciem, quanta est schismatis. Præclare Dionysius Alexandrinus apud Eusebium, lib. VI *Histor.*, cap. XLV, ita scribit ad Novatum : « Si invitus impulsus es (fieri Episcopus et facere schisma a vero Episcopo), sicut dicis, declarabis hoc, si voluntarius redieris. Oportebat quidem nihil non ferre, ne Ecclesiam Dei scinderes. Nec est martyrium hoc Ecclesiæ non scindendæ gratia toleratum, minoris gloriæ, quam quod fertur propter idololatriæ recusationem. Imo meo judicio, majoris etiam gloriæ est : nam illic pro una quidem anima martyrium toleratur, hic vero pro universa Ecclesia. Jam vero si persuaseris fratribus, vel coegeris etiam ut ad concordiam redeant, majus erit factum hoc tam egregium, quam delictum quod præcessit. Si vero immorigeris persuadere nequiveris, servando serva tuam ipsius animam. »

Quarto. *Quarto*, injurium est Prælatis Ecclesiæ, a quorum jurisdictione et obedientia debita se separat. Quocirca sapienter S. Hieronymus, epist. 57 *ad Damasum*, in schismate Vitalis, Meletii et Paulini : « Ego, ait, Beatitudini Tuæ, id est, Cathedræ Petri communione consocior : super illam ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio. Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, spargit, id est, qui Christi non est, Antichristi est. » Nam, ut ait Optatus Milevitanus, lib. I *Contra Parmenionem* : « Deserta matre Catholica, impii filii dum foras excurrunt, et se separant a radice matris Ecclesiæ, invidiæ falcibus amputati, errando rebelles abscedunt. »

Quinto. *Quinto*, est injurium cæteris fidelibus, a quorum societate, concordia et charitate fraterna impie se separat. Idem proportionaliter locum habet in schismate, quo quis non ab Ecclesia, sed a suo Ordine et congregatione se separat. Unde S. Bernardus, serm 1 *De S. Michaele*, dicit SS. Angelis nihil ita placere ac concordiam, nihil ita displicere ac discordiam et schisma : « Sunt, ait, plurima quæ eis placent, ut sobrietas, castitas, paupertas, creber in cœlum gemitus; attamen super omnia hæc unitatem et pacem a nobis exigunt angeli pacis. Quidni maxime delectentur in his, quæ formam quamdam suæ civitatis repræsentant in nobis, ut mirentur Jerusalem novam in terra? Dico autem ut, quomodo civitatis illius participatio est in idipsum, sic et nos idipsum sentiamus, idipsum dicamus. E contra nihil æque offendit et ad indignationem provocat eos, quomodo dissensiones et scandala, si forte inveniantur in nobis. » Et mox citans verba S. Judæ : « Hi sunt, ait, qui separant seipsos, animales, spiritum non habentes. Videre est animam hominis, quemadmodum universa corporis membra vivificet cohærentia sibi. Separa ergo quidvis a junctura cæterorum, et vide an de cætero illud vivificet. Sic est omnis qui dicit anathema Jesu : quod nemo dicit loquens in spiritu Dei, quia anathema separatio est. Sic et, inquam, omnis qui ab unitate dividitur, non dubites quin ab eo recesserit spiritus vitæ. » Deinde subdit angelos dicere schismaticis : « Quid nobis et generationi huic spiritum non habenti? Nam si adesset spiritus, per eum utique charitas diffunderetur, et unitas non scinderetur. Non permaneamus in hominibus istis in æternum, quia caro sunt. Quæ enim conventio lucis ad tenebras? Nos de regno unitatis et pacis sumus, et homines istos in eamdem unitatem et pacem sperabamus esse venturos : nunc autem qua ratione nobis cohæreant, qui dissident a seipsis?

Sexto, est injurium personæ cui inhæret : facit enim ut schismaticus sit separatus ab Ecclesia, a Christo, a Deo, incapax gratiæ et salutis, adeo ut qui in schismate pro fide Christi mortem oppetunt, non sint martyres, nec in cœlum, sed in infernum descendant, uti docet S. Augustinus, lib. *De Patientia*, sub finem, imo Apostolus, I *Cor.* cap. XIII, vers. 3. Qui ergo se segregant, proprio judicio se condemnant et quasi excommunicant.

Denique injurium est suis asseclis, quos Ecclesiæ prædatur, et in suum schisma ac æternam perniciem abducit. Vide S. Cyprianum, lib. I, epist. 6 *ad Magnum*, et epist. 8 *ad Plebem*. Ubi schismaticos vocat adulteros, impios, sacrilegos. Et S. Chrysostomus, hom. 11 in epist. *ad Ephes.* : « Vir sanctus (S. Cyprianus), ait, dixit peccatum istud ne martyrii quidem sanguine deleri. Dic enim, quæso, quam ob causam martyrium subis? An non propter Christi gloriam? Quo itaque pacto qui animam pro Christo exponis, Ecclesiam oppugnas, pro qua animam suam tradidit Christus? » S. Cyprianus, lib. *De Unitate Ecclesiæ* : « Avelle, ait, radium solis a corpore, divisionem lucis unitas non capit; ab arbore frange ramum, fructus germinare non poterit; a fonte præcide rivum, præcisus arescet. »

20 et 21. VOS AUTEM, CHARISSIMI, SUPERÆDIFICANTES VOSMETIPSOS SANCTISSIMÆ VESTRÆ FIDEI, IN SPIRITU SANCTO ORANTES, VOSMETIPSOS IN DILECTIONE DEI SERVATE. — Τὸ *superædificantes* pendet a *servate*.

Nota : In Scripturis crebra est metaphora a fabricis, qua homines et filii vocantur « domus; » fideles vero et sancti vocantur « templum Dei, » cujus fundamentum est fides, innixa solidissimo lapidi angulari Christo Jesu, « in quo omnis constructa ædificatio crescit in templum sanctum in Domino, » *Ephes.* II, 21. Itaque cum seipsos superædificant S. fidei, augustum Deo habitaculum extruunt. Unde subdit ibidem S. Paulus : « In quo et vos coædificamini in habitaculum Dei; » et S. Petrus, *epist.* I, cap. II, vers. 1 : « Ad quem accedentes lapidem vivum, etc., et ipsi tanquam lapides vivi superædificamini domus spiritales. » Christus ergo et fideles Christo inhærentes, eri-

gunt et efficiunt insigne Dei templum mysticum, puta Ecclesiam, cujus fundamentum est Christus, parietes sunt Ecclesiæ particulares et provinciales, lapides sunt singuli fideles, qui Christo fundamento per fidem et gratiam inædificantur et superædificantur. Imo quisque fidelis seipsum quasi particulare templum, sive sacellum ædificat Deo, juxta illud : « Vos estis templum Dei vivi, » I *Corinth.* VI, 16. Hujus templi fundamentum est fides, parietes sunt spes aliæque virtutes, tectum est charitas. Unde S. Augustinus, serm. 22 *De Verbis Apostoli* : « Domus Dei, ait, credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur; » et Origenes in cap. IV *ad Rom.* : « Prima salutis initia et ipsa fundamenta, fides est; profectus vero et augmenta ædificii, spes est; perfectio vero et culmen totius operis, charitas. »

Fidelis est templum Dei.

Quæres, qua ratione, sive per quid vult S. Judas fideles superædificare seipsos S. fidei? Respondeo *primo*, per augmentum et robur fidei, *q. d.* Fidei vestræ novum indies addite augmentum et robur; quotidie crescite, proficite et confirmate vos in fide, ut in ea contra omnes Gnosticorum, infidelium et diaboli tentationes constantes et firmi persistatis : sicut enim in fabrica corporali lapis lapidi, sic in mystica fides fidei superædificatur. Unde Syrus vertit, *in fide vestra ædificamini a principio*, id est, rursus et quasi de novo, *q. d.* Innovate, recolite et instaurate fidei vestræ principia, primosque fervores, in iisque vos confirmate, et crescite; et Arabicus, *state*, vel *erigite vos*, aut *consistite super fidem vestram sanctam*. Sic S. Paulus ait : « Spem habentes crescentis fidei vestræ, » II *Cor.* X, 15. Hinc Œcumenius sic legit, connectit et explicat : « Seipsos instaurantes sanctæ fidei in Spiritu Sancto, id est, secundum doctrinam Spiritus Sancti, » suasque congregationes in orationibus (quod significatur per τὸ *orantes*) facientes. Unde nonnulli hunc dant sensum : superædificate, id est magis magisque ædificate et confirmate invicem in fide, in qua primitus fundati estis, per mutuas exhortationes, orationes, exemplas, etc.

Superædificatum sanctæ fidei. Primo.

Secundo et potius, jubet fideles superædificare se sanctæ fidei per opera virtutum; fides enim est fundamentum fabricæ spiritalis, cui spes, charitas aliæque virtutes quasi parietes et tectum superædificantur, uti jam dixi. Sensus ergo est, *q. d.* Jecistis, o fideles, in baptismo fabricæ mysticæ fundamentum, puta fidem, nunc reliquam substructionem erigite, sancta videlicet fidei et virtutum opera. « Nam fides sine operibus mortua est, » *Jacobi* II, 26. Jubet ergo *primo*, fidei superædificari actus orationis, dum subdit : « In Spiritu Sancto orantes. » *Secundo*, actus charitatis, ut illam illæsam servemus et adaugeamus. Unde subdit : « Vosmetipsos in dilectione Dei servate. » *Tertio*, fiduciam misericordiæ Dei et spem vitæ æternæ. Unde concludit : « Exspectantes misericordiam Domini nostri Jesu Christi in vitam æternam. »

Secundo.

Opponit S. Judas τὸ *superædificantes*, illi quod dixit vers. præcedenti : « Hi sunt qui segregant semetipsos, » *q. d.* Gnostici per hæresin separant se uti a fide, ita a fabrica Christi : vos autem, o fideles, fidei jam receptæ constanter insistite, inhærete, et omnes simul vos superædificate, ut omnes simul unam Ecclesiam omnibus numeris absolutam constituatis.

Fidem vocat, non sanctam, sed « Sanctissimam, » ut miram et summam ejus sanctitatem significet : multis enim titulis, nominibus et causis est sanctissima, ut ostendi II *Petri* II, 20. Opponit sanctissimam, id est purissimam, Christi fidem impiissimæ et impurissimæ Gnosticorum sectæ et perfidiæ.

IN SPIRITU SANCTO (puta per Spiritum Sanctum) ORANTES. — Œcumenius : « In Spiritu Sancto, » refert ad *superædificantes*, quod præcessit. Melius Romani codices et alii referunt ad *orantes*. « Ipse enim Spiritus postulat, » id est, postulare nos facit « gemitibus inenarrabilibus, » *Rom.* VIII, 27. Arabicus vertit, *state super fidem vestram sanctam, quando oratis in Spiritu Sancto.*

Orationem accipe tum privatam, tum potius publicam in cœtu et Ecclesia. Ita Œcumenius. Notat enim Gnosticos animales, quorum cœtus et oratio erat impura, ideoque non fiebat in Spiritu Sancto, sed venereo et diabolico; turpissimas enim libidines in invicem exercebant. Notat quoque Simonis Magi asseclas, qui docebant se natura esse spirituales, ac proinde per se salvari posse, nec egere oratione et ope Spiritus Sancti, teste Irenæo, lib. I, cap. I, III et XX.

Oratio in Spiritu Sancto notat quatuor. Primum.

Τὸ ergo *in Spiritu Sancto* quatuor significat. *Primo*, orationem veram esse donum Spiritus Sancti, et sine eo neminem posse orare sicut oportet ad obtinendam gratiam et salutem, uti definit Concilium Arausicanum et Tridentinum, *sess.* VI, can. 3; imo Paulus, *Rom.* VIII, 26. Unde S. Augustinus, lib. IX *Confess.*, cap. VII, agens de suis orationibus : « Nos, ait, adhuc frigidi a calore Spiritus tui excitabamur. »

Secundum.

Secundo, in oratione postulanda esse ea quæ suggerit Spiritus Sanctus, non caro, vel mundus, quæque Spiritui Sancto grata sunt, non carni.

Tertio, orationem efficere hominem spiritualem, non animalem; oratio enim est opus Spiritus Sancti, quæ orantem illi similem facit, ideoque spiritualem. Unde sicut veteres nonnulli definiunt angelum : « Angelus est animal cœleste, immortale, hymnisonum Dei laudes decantans. » Sic virum spiritualem definias : « Est orator et laudator Dei; est angelus in terra hymnisonus. »

Quarto, Spiritum Sanctum dirigere orationem nostram, ne noxia, sed salutaria petamus et impetremus. Ipse enim orandi inspirat affectum pariter et effectum, ut ait S. Augustinus, juxta illud *Zachar.* XII, 10 : « Effundam super domum David, et super habitatores Jerusalem spiritum gratiæ et precum, » hebr. תחנונים *tachanunim*, id est *mi-*

serationum; quia oratio suggesta et directa a Spiritu Sancto est ingens Dei misericordia, et divinæ miserationis fontes aperit, ex quibus non nisi bona et salutaria profluunt. Secus fecerunt Israelitæ, qui acti spiritu gulæ murmurantes contra manna petierunt a Deo carnes, quas et impetrarunt, sed illico plaga Dei in eos desæviit, *Numer.* XI, 33. Vere S. Isidorus, lib. III *De Summo bono*, cap. VII : « Multos, ait, Deus non exaudit ad voluntatem, ut exaudiat ad salutem; » et S. Augustinus, tract. 73 *in Joan.* : « Male, ait, usurus eo quod vult accipere, Deo potius miserante non accipit : proinde si hoc ab illo petitur unde homo lædatur exauditus, magis metuendum est ne, quod posset non dare propitius, det iratus. »

Vers. 21. 21. VOSMETIPSOS IN DILECTIONE DEI SERVATE. — Syrus, *animam nostram vero in dilectione custodiamus.* Jungit dilectionem sive charitatem orationi, tum quia oratio per Spiritum Sanctum impetrat charitatem, juxta illud : « Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis, » *Rom.* V, 5; tum quia ut Deus nos diligat et orantibus bona concedat, vicissim vult a nobis diligi; tum quia fabricæ virtutum, puta fidei, spei et orationis, finis, fructus, culmen et perfectio est charitas, juxta illud : « Plenitudo legis est dilectio, » *Rom.* XIII, 10; et : « Finis præcepti est charitas de corde puro, » I *Tim.* I, 5 : est enim charitas regina, imo anima, virtutum omnium. Porro dilectio hæc Dei includit dilectionem proximi. Propter Deum enim diligendus est proximus; sic enim jubet Deus, Deique charitas. Schismati enim Gnosticorum opponit charitatem fidelium, ut ea uniti in unam Ecclesiæ fabricam conspirent et coalescant, juxta illud S. Pauli : « Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis, » *Ephes.* IV, 3. Nam, ut ait S. Augustinus, tract. 2 *in Joan.* : « Livor separat, charitas jungit. » Idem epist. 50 *ad Bonifacium* : « Ecclesia Catholica sola est corpus Christi, cujus ille caput est, Salvator corporis sui. Extra hoc corpus neminem vivificat Spiritus Sanctus, quia non est particeps divinæ charitatis, qui hostis est unitatis. » Eam ergo habeat, « ut coalescat arbori vitæ. »

EXSPECTANTES MISERICORDIAM DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI (quæ vos perducat) IN VITAM ÆTERNAM, — vel, ut vitam æternam assequamini. Arabicus, *in vita æterna.* In ea enim sentiemus immensam Dei misericordiam, eaque in Dei visione et possessione fruemur. Exhortatur fideles ad constanter retinendam Christi fidem et charitatem, excitando eos ad spem vitæ æternæ, quam certo assecuturi sunt a misericordi Deo, si in fide et charitate persistant. Hac ergo spe quasi clypeo omnes persecutiones, difficultates, tentationes sunt retundendæ et elidendæ. Unde Syrus vertit : *Animam nostram in dilectione Dei custodiamus, dum speramus misericordiam Domini nostri Jesu Christi.* Spes enim magis nititur misericordia Dei, quam propriis meritis, tum quia merita non nisi ex misericordia et gratia Dei habemus; tum quia meritis nostris Deus non debet gloriam ex justitia, sed gloriam eis promisit ex misericordia. Ita S. Augustinus, *epist.* 105. Unde Paulus : « Gratia Dei, inquit, vita æterna, » *Rom.* VI, 23. Deus ergo fidelibus tribulatis et afflictis, quasi fortissimum solatium et fulcrum dat spem (imo seipsum in spe) « quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, et incedentem usque ad interiora velaminis, » *Hebr.* VI, 19. Hinc et Ovidius de spe cecinit, lib. I *De Ponto*, elegia 7 :

> Hæc dea cum fugerent sceleratas numina terras,
> In diis invisa sola remansit humo.

Porro vitam æternam graphice depingit S. Augustinus in suo de ea cum matre colloquio, lib. IX *Confess.*, cap. X, ubi inter alia ait : « Venimus in mentes nostras, et transcendimus eas ut attingeremus regionem ubertatis indeficientis, ubi pascis Israel in æternum veritatis pabulo, et ubi vita sapientia est, per quam fiunt omnia ista, et quæ fuerunt, et quæ futura sunt, et ipsa non fit, sed sic est ut fuit, et sic erit semper; quin potius fuisse et futurum esse non est in ea, sed esse solum, quoniam æterna est : nam fuisse et futurum esse non est æternum. Et dum loquimur et inhiamus illi, attigimus eam modice toto ictu cordis, et suspiravimus, et reliquimus ibi religatas primitias spiritus. »

22. ET HOS QUIDEM ARGUITE JUDICATOS, — puta per se damnatos, re ipsa et facti evidentia, scilicet publica hæresi et schismate convictos, ac atrocitate criminis condemnatos, etsi nemo in illos sententiam damnationis pronuntiet, juxta illud Pauli *ad Titum* III, 10, de hæretico : « Subversus est cum sit proprio judicio condemnatus. » Nonnulli codices Græci legunt : καὶ οὓς μὲν ἐλεεῖτε διακρινόμενοι, quod Pagninus et Vatablus vertunt, *et hos quidem commiseremini dum dijudicamini*, scilicet ab eis, vel *dum dijudicantes estis eritisve*, scilicet eos, quod Noster passive, sed eodem sensu vertit, *judicatos.* Διακρινόμενοι enim est verbum medium, unde tam active, quam passive verti potest. Rursum Œcumenius, διακρινόμενους vertit, *qui se separant et segregant.* Verum melius alii codices, quos sequitur Arabicus, Œcumenius et noster Interpres, legunt ἐλέγχετε διακρινομένους, id est *arguite judicatos.* Sic enim constat antithesis cum altero partitionis membro, quod subdit dicens : « Illos vero salvate. » Est partitio : pronomen enim *hos* refert hæreticos; *illos* vero, eorum discipulos, ab eisque seductos, de quibus egit toto capite, et paulo ante vers. 19 : « Hi sunt, inquit, qui segregant semetipsos, animales, Spiritum non habentes. » Jam sensus est, *q. d.* Volo vos dilectionem conservare et exercere non tantum in fideles, sed etiam in infideles, apostatas et hæreticos, eorumque asseclas. « Hos » ergo, puta hæresiarchas, hæresisque doctores, disputando de hæresi, ἐλέγχετε, id est *dijudicate*, redar- Vers. 22.

guite, convincite (ut errore eorum patefacto ab omnibus vitentur et explodantur) *judicatos,* dum scilicet dijudicaveritis, verisque rationibus ostenderitis eorum errorem et schisma, ut jam si non sibi ipsis, certe aliis convicti, judicati et damnati videantur. « Judicatos » ergo intellige obstinatos in hæresi. « Illos vero, » puta discipulos hæreticorum, vel fideles qui eis incipiunt auscultare et nutare in fide, « salvate, » σώζετε, id est *servate,* ab imminenti ruina in Gnosticorum hæresim, libidines et perditionem, quasi celerrime et violenter « de igne rapientes : » perinde ut pannus igne correptus et ambustus, illico violenter et injecta manu ex eo abripitur. Τὸ *de igne* notat Gnosticorum tum libidines, tum gehennæ meritum incendium. Unde Græca addunt ἐν φόβῳ, id est *in timore,* vel terrore, *q. d.* Per minas et terrorem supplicii ac gehennæ salvate et eripite eos de igne inferni.

23. ALIIS AUTEM MISEREMINI. — Hæc jam desunt in Græco, in quo proinde bimembris est sententia, cum in Latino sit trimembris. Sensus ejus ergo est, *q. d.* Ipsos hæresis doctores acriter arguite, quasi tam suo, quam Dei et hominum judicio judicatos et condemnatos, ut cæteri timeant; eorum vero discipulos partim timore, partim miseratione et clementia pro cujusque indole ad fidem reducite. Addit quædam Arabicus quæ nec sunt in Græco, nec in Latino, sic enim vertit : *Quibusdam misericordiam facite, quando sunt in judicio vel contradictione, aut quando jure vel juridice corripiuntur.*

Secundo, alii trimembrem hanc sententiam ita explicant, *q. d.* Manifestos hæreticos palam arguite : eos vero qui adhuc integri sunt et sani in fide, incolumes servate, et quasi ab incendio eripite : alios denique jam nutantes et in interitum propensos, non sine casto timore, commiseratione complectimini.

Tertio, alii tres hic peccatorum gradus distinguunt : *Primum,* in hæresi et peccato obstinatorum; hoc acriter argui dureque increpari jubet Judas, æque ac Paulus *ad Titum* II, 15. *Secundum,* qui decepti in hæresim et peccatum inciderunt ex ignorantia, vel infirmitate, hos jubet de igne rapi. *Tertium,* qui pœnitentes culpam agnoscunt veniamque postulant, horum misereri, eosque misericorditer, in gratiam et gremium Ecclesiæ recipi jubet. Omnia hæc probabilia sunt.

Moraliter, docet hic S. Judas quam animarum, etiam infidelium et hæreticorum, saluti incumbere debeamus, idque exemplo Christi et Apostolorum, qui se et omnia sua pro animabus salvandis impenderunt. « Empti estis pretio magno, » ait S. Paulus, I *Corinth.* VI, 26. Vide et obstupesce quam pretiosa sit anima quælibet; eam enim emit Christus pretio sanguinis sui. Pretium itaque animæ est sanguis Christi; ergo ipsa anima valet Christum, Christique sanguinem. « Magna res anima quæ Christi sanguine redempta est, » ait S. Bernardus, *epist.* 54; et S. Chrysostomus, homil. 3 in epistol. I *ad Corinthios* : « Nihil est, ait, quod animæ possit æquiparari, ne universus quidem mundus. Itaque etsi immensas pecunias pauperibus eroges, plus tamen effeceris si converteris animam. » Quocirca S. Dionysius, *Cœlest. Hierarch.* cap. III : « Divinarum omnium perfectionum, ait, divinissima est perfectio, Dei cooperatorem esse, nimirum in reductione animarum ad suum creatorem, » uti interpretatur ibidem Dionysius Carthusianus.

Secundo, docet S. Judas hunc animarum zelum debere esse celerem et efficacem, cum ait : « De igne rapientes. » Sicut enim si quem puerum, vel amentem in ignem ruere videremus, illico omnibus viribus eum etiam nolentem et resistentem inde raperemus : ita pariter animas per peccatum sponte ruentes in ignem gehennæ, omni conatu et celeritate, etiam per vim inde rapere debemus, juxta illud *Amos* IV, 11 : « Facti estis quasi torris raptus ab incendio. »

Porro omne peccatum, omnis cupiditas est ignis, sed maxime libido : unde de ea a Gnosticis frequentata, ait S. Judas : « De igne rapientes. » *Primo* enim sicut ignis urit corpus, ita libido urit mentem, juxta illud Virgilii de Didone : Primo.

> Uritur infelix et cæco carpitur igne.

et Ovidius, lib. I *De Arte* :

> Venus in vinis, ignis in igne calet.

Quin et S. Paulus, I *Cor.* VII, 9 : « Melius est nubere quam uri. » *Secundo,* sicut ignis in domo serpit, eamque totam pervadit et comburit : ita et libido totam hominis mentem, phantasiam, sensus membraque omnia pervadit et depascitur, juxta illud *Job* XXXI, 12 : « Ignis est usque ad perditionem devorans et omnia eradicans genimina. » Secundo. *Tertio,* sicut ignis a domo in domum proserpit, ab arbore in arborem, totamque plateam, urbem et silvam brevi tempore populantibus flammis occupat et inflammat, sic et libido unius vel paucorum in totam viciniam, urbem et rempublicam proserpit, eamque instar Ætnæ vel Vesuvii inficit et incendit. Quare initiis occurrendum est, ignisque hic in suo fomite et scintilla est suffocandus et extinguendus, juxta illud : « Beatus qui tenebit et allidet parvulos tuos ad petram, » *Psalm.* CXXXVI, 9. *Quarto,* libido est ignis, quia igni gehennæ vicina : nil enim inter libidinosum et ignem gehennæ interjacet, nisi paries fragilis corporis, quo disjecto, illico ultricibus gehennæ flammis corripitur. Hinc Sodoma ardens igne libidinis, igne cœlesti, imo gehennali conflagravit. Unde Glossa interlinealis ait, jubere S. Judam, « ut quadam vi studeant alios liberare de igne vitiorum, et sic de igne tormentorum. » Tertio. Quarto.

Quocirca ut hunc ignem libidinis ebullientem in se extingueret S. Franciscus, nives gelidas contrectavit. Alius sollicitatus a meretrice digitos in igne lucernæ cremavit, itaque igne ignem supe-

ravit, duosque rapuit de duplici igne : nam et se servavit, et meretricem compunxit ac convertit. Ita Vitæ Patr. lib. V *De Fornicat.*, numer. 37. Alius matrem vetulam per flumen translaturus, pallio manus involvit ne eam tangeret; rogatus a matre causam, dixit : « Quia corpus mulieris ignis est, et ex matre mihi idea aliarum suggeritur feminarum. » Ibidem libello IV, numer. 68. Denique Ursinus presbyter moriens presbyteram suam manum ori admoventem repulit, dicens : « Recede a me, mulier, adhuc igniculus vivit, » ait S. Gregorius, IV *Dialog.* 40.

Tertio, docet S. Judas hunc animarum zelum debere esse junctum cum visceribus misericordiæ, cum ait : « Aliis autem miseremini. » Non enim peccatoribus indignari debet, qui eos salvare satagit, sed peccato; peccatorum vero misereri : sicut medicus phrenetico non indignatur, nec eum impugnat, sed ejus phrenesin. Unde S. Augustinus, serm. 15 *De Verbis Apostoli :* « Si per charitatem, inquit, imponitur disciplina, de corde lenitas non recedat. Quid enim tam pium, quam medicus ferens ferramentum? Plorat secandus, et secatur : plorat urendus, et uritur. Non est ista crudelitas : sævit in vulnus, ut homo sanetur, quia si vulnus palpetur, homo perditur; » et S. Chrysostomus, hom. in illud *Psal.* IX, *Patientia pauperum non peribit in finem* : « Charitas, ait, servetur, et protervus homo increpetur, lingua clamet, et cor amet; quia clamor iste, etsi clamat, intus amat. » Et S. Basilius in *Regul. brev.*, inter. 296, indicium boni animarum curatoris assignat, « si adversus peccantes admirabilem illam et horrore plenam sanctorum virorum misericordiam imitatus sit. » Hac misericordia excelluit S. Martinus, qui, ut narrat Sulpitius in ejus Vita, cap. XXIV, diabolo dixit : « Si tu ipse, o miserabilis, ab hominum insectatione desisteres, et te factorum tuorum vel hoc tempore, cum dies judicii proxima est, pœniteret, ego tibi vere confisus in Domino Christi misericordiam pollicerer. » Subdit Sulpitius : « O quam sancta de Domini pietate præsumptio, in qua etsi auctoritatem præstare non potuit, ostendit affectum! » Diabolus enim quia damnatus et in malo obstinatus, uti pœnitere nequit, ita misericordiæ et veniæ est incapax. Huc facit quod monet Philo, lib. *De Sacrificio Cain et Abel,* conandum esse, ut etiam certo perdendos a suis vitiis quantum possumus, servemus, tum ut nostro officio perfungamur, tum ut minus peccent minusque damnentur, atque ita imitemur bonos medicos, qui etsi videant ægrum sanari non posse, omnem tamen ei curam adhibent, ne officio suo defuisse videantur. A medico enim et pastore requiritur cura, non curatio, utpote cum morbus non raro sit incurabilis.

MISEREMINI IN TIMORE, — proponendo eis pœnas inferni, æque ac temporales, quæ eis timorem incutiant ut se convertant; vel potius « in timore, » quasi dicat : Timendo ne, si immisericordes et duri sitis in prolapsos, aut imprudenter cum eis agatis, vos quoque in idem simileve peccatum deserente Deo prolabamini, itaque vicissim Deum immisericordem et durum in vos experiamini, juxta parabolam servi rigide a conservo exigentis omne debitum, *Matth.* cap. XVIII, vers. 33. Hoc est quod monet Paulus *Galat.* VI, 1 : « Fratres, etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne et tu tenteris. » Ita S. Ambrosius, Dominicus, Eligius, audientes confessiones flebant ex compassione peccatorum : quia, ut ait S. Augustinus in *Soliloq.* cap. XV : « Nullum peccatum est quod unquam fecerit homo, quod non possit facere alter homo, si desit creator a quo factus est homo. » Rursum, « in timore, » id est cum quadam velut reverentia, tum versus Deum, tum versus imaginem illius, quam frater peccato suo turpavit : ita noster Lorinus. Minus recte aliqui τὸ *in timore* referunt ad « odientes, » quod sequitur.

ODIENTES ET (*et*, id est *etiam*, vel *interim*) EAM QUÆ CARNALIS EST, MACULATAM (græce ἀπὸ τῆς σαρκὸς ἐσπιλωμένον, id est *a carne maculatam*) TUNICAM. — Pendent hæc ex eo quod præcessit : « Aliis autem miseremini in timore, » *q. d.* Volo vos misereri seductorum a Gnosticis, sed cum timore et odio, non hæreticorum, sed hæresis, ne scilicet eorum familiaritate illecti ipsi suam scabiem vobis affricent, ac suam libidinem et hæresim anhelando afflent. Quare moneo ut animas eorum amando convertere satagatis, sed interim odiatis eorum maculatam vestem et tunicam. At quænam hæc?

Primo, aliqui accipiunt concupiscentiam, quam Paulus vocat veterem hominem, eumque exui jubet cum actibus suis, *Coloss.* III, 9.

Secundo, alii per « tunicam » accipiunt carnem : hæc enim est quasi vestis animæ, hancque Gnostici maculabant suis libidinibus, juxta illud vers. 8 : « Et carnem quidem maculant. »

Tertio, alii accipiunt hypocrisin et speciem pietatis, quam exterius suis sordibus iidem prætendebant; erant enim interius spurci, omnique libidine polluti. Tertio.

Quarto et optime; per « maculatam tunicam » accipe turpes et carnales mores et affectus (hi enim sunt quasi vestis animæ, pulchra si pulchri, turpis si turpes), turpem vivendi modum, sordidatam libidinibus et vitiis conversationem : sordida enim opera sunt quasi sordida indumenta animi : ita Vatablus, et Clemens Alexandrinus : « Maculata tunica, inquit, est cum spiritus concupiscentiis pollutus est carnalibus. »

Alludit *primo,* ad ritum legis veteris *Levit.* XV, quo vestes lepra, sanguine vel semine pollutorum, pollutæ censebantur, ita ut quicumque eas tangeret, legaliter pollueretur, et arceretur tam a templo, quam a convictu hominum. *Secundo,* ad profusas crapulas et libidines Gnosticorum, quæ in vestes ipsas defluebant, easque inficiebant et

maculabant, juxta illud vers. 12 : « Hi sunt in epulis suis maculæ. » *Tertio,* ad vestem candidam qua fideles induuntur in baptismo, ut moneantur candorem internum tueri et conservare, ideoque audiunt a sacerdote baptizante : « Accipe vestem candidam, sanctam et immaculatam, quam perferas sine macula ante tribunal Domini nostri Jesu Christi, ut habeas vitam æternam, et vivas in sæcula sæculorum, amen. » Vide S. Augustinum, serm. 139 *De Temp.*, et S. Ambrosium, lib. *De Initiandis*. Sensus ergo est, *q. d.* Videte, o fideles, ne agendo cum Gnosticis vestem candidam innocentiæ, quam in baptismo accepistis, eorum impuritate et libidine contaminetis, sed illam plane odite et execramini. Ita de Valentiniano Imperatore legimus apud Sozomenem, lib. VI, cap. VI, quod cum adhuc militaret sub Juliano Apostata, dum cum eo ingressus templum idolorum, sacerdos roscidis frondibus Julianum aspergeret, gutta una in vestem Valentiniani inciderit ; quare ipse illico, audiente Juliano, pollutum se dicens, non expiatum sacerdotem increpuit, pugnoque percussit, quin et vestis partem gutta aspersam præcidit et abjecit.

Moraliter, docet hic Judas charitatem fidelium debere esse prudentem et circumspectam, ne dum alios volunt salvare, seipsos perdant. Quare qui conversantur cum peccatoribus, præsertim confessarii, qui fœdissima scelera audiunt, præmuniant se oratione, atque odio et execratione maculatæ tunicæ, puta omnis vitii et sordis. Thomas Cantipratensis refert se per S. Lutgardem impetrasse a Deo, ut in excipiendis confessionibus nulla turpi narratione commoveretur, cum tamen alias frequenter et graviter turpibus phantasmatibus torqueretur : ita habet Vita S. Lutgardis, lib. II, apud Surium, die 16 junii. Prius ergo se solident sacerdotes in castitate et virtute, ac deinde cum incestis et sceleratis agant, eosque convertant, ne si in ea debiles sint et infirmi, a validiore obcenitate et scelere vincantur ; perinde ac debiles, qui manum natantibus jam submergendis porrigunt, ut eos extrahant, ab iis utpote validioribus in undas pertrahuntur et merguntur.

24. EI AUTEM QUI POTENS EST VOS CONSERVARE SINE PECCATO. — Syrus et Arabicus addunt, *et sine macula*, ut careatis maculata Gnosticorum tunica, de qua proxime sermo præcessit. Doxologia magnifica obsignat S. Judas epistolam, ait Œcumenius, toto cordis affectu celebrando Dei attributa et magnificentiam ostensam in Christo. Doxologia hæc tacitum continet votum et precem, ut scilicet Deus fideles sine peccato conservet, et immaculatos sistat Christo gloriose advenienti ad judicium, ut ab eo gloria donati exultent, eumque laudent in omnia sæcula. Simili modo S. Paulus claudit epistolam *ad Roman.* XVI, 25 : « Ei autem qui potens est vos confirmare juxta Evangelium meum, etc., soli sapienti Deo per Jesum Christum, cui honor et gloria in sæcula sæculorum, amen. » Sic et S. Petrus claudit primam epist. cap. V, vers. 11 : « Ipsi gloria, inquit, et imperium in sæcula sæculorum, amen. » Itidem secundam cap. III, vers. 18 : « Ipsi gloria et nunc, et in diem æternitatis, amen. »

Porro doxologiam hanc opponit blasphemiis et hæresibus Simonis et Gnosticorum. Simon enim dicebat se esse Deum et redemptorem, non Christum : sua gratia, non Christi nos salvari. Gnostici negabant peccatorum turpitudinem, punitionem et judicium universale. Hæc ergo in doxologia hac profitetur S. Judas, Deumque celebrat ut solum salvatorem, solum glorificatorem, solum potentem, solum mirabilium patratorem, solum dominantem, solum magnificum, solum gloriosum, solum æternum.

Nota : Τὸ *ei qui potens est* non tantum significat Deum posse, sed et velle nos conservare sine peccato, adeoque conservaturum, nisi nos ei ejusque opi et gratiæ desimus. Simili phrasi ait Paulus, II *Corinth.* IX, 8 : « Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis. » Potens est, id est potest, scit, vult et facit abundare omnem gratiam in suis fidelibus.

Hinc discimus neminem sine Dei gratia posse vitare omnia peccata, et vivere sine peccato, etiam gravi et mortifero : per ejus autem opem ordinariam posse nos omnia mortalia vitare, non tamen omnia venialia ad longum tempus, nisi ex speciali ejus privilegio, quale concessum fuisse B. Virgini credit Ecclesia, ait Concilium Tridentinum, *sess.* VI, can. 23, et cap. I : « Justorum, ait, illa vox est et humilis et verax : Dimitte nobis debita nostra. » Unde S. Augustinus, *De Natura et Gratia,* cap. X : « Hoc, inquit, confiteatur, quod impietate sceleratissima negatur, sine gratia Dei hominem sine peccato esse non posse. » Et S. Cyprianus, *De Oper. et Eleemos.* : « Si, inquit, nemo esse sine peccato potest, quisquis se inculpatum dixerit, aut superbus, aut stultus est ; » et S. Gregorius, lib. XXI *Mor.*, cap. IX : « Multi, ait, in hac vita sine crimine, nullus vero esse sine peccatis valet. » Quocirca Arabicus vertit, *etenim salus nostra potens est ut custodiat vos sine peccato, et sine macula,* seu *vitio*. Per « salutem » intelligit Deum salvatorem, ejusque gratiam salutiferam per Christum datam. Deus enim solus per se et natura sua est impeccabilis, tum quia est ipsa per essentiam bonitas et sanctitas, tum quia ipsius ratio et voluntas sibi, et angelis ac hominibus est omnis recti bonique norma et regula, uti docet S. Thomas, I *part.*, *Quæst.* LXIII, art. 1. Creaturæ vero omnes per se peccabiles sunt, sed a Deo participant ut non peccent, et subinde ut peccare non possint, uti Beati. Quo ergo magis accedunt ad Deum, eo magis recedunt a peccato, fiuntque tandem quasi impeccabiles, uti docet S. Augustinus, lib. XXII *De Civit.*, cap. XXX ; unde S. Hieronymus, lib. II *Contra Pelagianos* : « Absque vitio, ait, quod dicitur κακία, id est *malitia*, hominem esse posse aio : ἁναμάρ-

τητον, id est *sine peccato*, esse nego; id enim soli Deo competit, omnisque creatura peccato subjacet, et indiget misericordia Dei.» Et Tertullianus, lib. *De Præscript. hæret.*: « Soli Deo Filio, ait, servabatur, sine delictis permanere. »

ET CONSTITUERE ANTE CONSPECTUM GLORIÆ SUÆ IMMACULATOS. — Græce ἀμώμους, id est *irreprehensibiles*. « Conspectum gloriæ » vocat *primo*, præsentiam Dei gloriosi, in qua omnes in hac vita consistimus, juxta illud Eliæ : « Vivit Dominus exercituum ante cujus vultum sto, » III *Reg.* cap. XVIII, vers. 15, quasi dicat : Ut in oculis Dei sitis et ambuletis immaculati. Ita Dionysius; unde Clemens Alexandrinus exponit, « coram angelis, » *q. d.* Ut omnia faciatis quasi videnti Deo et SS. angelis; sic Paulus ait *Ephes.* I, 4 : « Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate. » Et Zacharias : « Serviamus illi in sanctitate et justitia coram ipso omnibus diebus nostris, » *Lucæ* cap. I, vers. 74.

Secundo et planius, « conspectum gloriæ » vocat gloriam Dei, qua gloriosus apparet, conspicit et conspicitur a Beatis in visione beatifica : huic enim nemo sistetur nisi plane purus et immaculatus, *Apoc.* XXI, 24; unde Syrus vertit, *sine nævo* : nullus enim vel minimus nævus admittitur ad istam gloriam. Unde sequitur : « In adventu Domini : » ita Beda, Lyranus, Thomas Anglicus et alii. Ad hanc ergo gloriam cœlestem jugiter oculos cordis et corporis elevemus, juxta illud monitum Ecclesiæ : « Sursum corda. » Et S. Augustinus in *Psalm.* XXXI : « Erige cor sursum, ne putrescat in terra. »

ET EXULTATIONE, — tum qua exultat sancta conscientia in hac vita, eo quod nullius mali sibi sit conscia, juxta illud *Psalm.* XXXI, 11 : « Lætamini in Domino et exultate justi, et gloriamini omnes recti corde. Nam « secura mens quasi juge convivium, » *Prov.* XV, 15. Tum potius qua exultant Beati in cœlo, juxta illud : « Exultabunt sancti in gloria, » *Psalm.* CXLIX, 5; « Gaudium et exultationem obtinebunt, » *Isaiæ* XXXV, 10. Exultatio enim Beatorum de Deo viso et possesso, est ipsa Dei fruitio, ideoque vel est ipsa formalis beatitudo, ut vult Medina, I II, *Quæst.* III, art. 4, et alii; vel potius est beatitudinis in visione Dei consistentis fructus, flos et complementum, uti docent passim cæteri Theologi. Porro exultatio est gaudii excessus cum quadam cordis corporisque subsultatione. Unde græce ἀγαλλιᾶσθαι, id est *exultare*, dicitur quasi ἄγαν ἅλλεσθαι, id est, *valde saltare et exilire*, quod Hebræi vocant רנן *ranan*, id est *jubilare*, et אלץ *alats*, id est *exultare*. Unde Græcum ἀλαλάζειν.

Præclare S. Augustinus in illud *Psalm.* CXLVIII, *Laudate Dominum de cœlis* : « Etsi corpus nostrum, ait, adhuc in Babylonia tenetur, cor nostrum ad Jerusalem præmittatur. Laudet ergo tota creatura Dominum, quia hoc ibi facturi sumus, quod hic præmeditamur. Cœlestia tranquilla sunt, ibi semper gaudium, nulla mors, nulla molestia, semper laudant Deum Beati. Nos adhuc in imo sumus, sed cum cogitamus, quomodo illic laudetur Deus, cor ibi habeamus, et non sine causa audiamus : Sursum corda. Levemus cor sursum, ne putrescat in terra : quoniam placet nobis quod ibi agunt angeli. Laudate ergo eum in excelsis. »

IN ADVENTU DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI. — Desunt hæc nunc in Græco, Syro et Arabico, et in nonnullis Latinis antiquis. Adventum secundum Christi intelligit, puta gloriosum ad judicium, quo omnes Sanctos beabit et glorificabit, juxta illud II *Thessal.* I, 10 : « Cum venerit glorificari in sanctis suis, et admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt. » Hinc S. Franciscus in *Explicatione orationis Dominicæ*, illud, « Adveniat regnum tuum, » sic explicat : « Adveniat regnum tuum ut regnes in nobis per gratiam tuam, et facias nos venire ad regnum tuum, ubi est tui visio manifesta, tui dilectio perfecta, tui societas beata, tui fruitio sempiterna. »

25. SOLI DEO SALVATORI NOSTRO. — Salvatoris nomen nunc Jesu Christo : Jesus enim idem est quod Salvator; nunc Deo Patri, vel potius toti SS. Trinitati tribuitur : hæc enim nos salvat per Christum. Ita hic Deus, puta tota SS. Trinitas, vocatur Salvator noster, juxta illud *Psal.* XXXI, 8 : « Homines et jumenta salvabis, Domine, quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam, Deus. » Et I *Timoth.* IV, 10 : « Speramus in Deum vivum, qui est Salvator omnium hominum, maxime autem fidelium. » Græca addunt σοφῷ, id est *sapienti* : solus enim Deus per se et per essentiam est sapiens, bonus, potens : angeli enim, homines et creaturæ a Deo participant et emendicant particulam bonitatis, sapientiæ, potentiæ, etc. Porro apte τῷ *sapienti* jungitur « Salvatori, » quia scientia sanctorum est scientia salutis, *Sapient.* X, 10; *Lucæ* I, 77. S. Judæ concinit S. Paulus I *Timoth.* I, 17, dicens : « Regi autem sæculorum immortali, invisibili, soli Deo honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen. »

PER JESUM CHRISTUM. — « A natura propria, ait S. Bernardus, serm. 2 *De Circumcis.*, habet noster Jesus ut sit Salvator; innatum est ei nomen hoc, non inditum ab humana vel angelica natura. » Per Christi enim nativitatem, prædicationem, miracula, passionem, mortem, resurrectionem, etc., innotuit, imo toto orbe celebrata est Dei gloria, magnificentia, imperium et potestas, juxta illud Christi : « Pater, clarifica nomen tuum; » et facta est vox de cœlo : « Et clarificavi, et iterum clarificabo, » *Joann.* XII, 28; et cap. XVII, vers. 1 : « Pater, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te; » et vers. 6 : « Manifestavi nomen tuum hominibus. »

GLORIA. — « Gloria, » græce δόξα, id est *claritas*, « est clara cum laude notitia, » inquit ex Aristotele et Cicerone S. Augustinus, lib. LXXXIII *Quæstion.*,

Quæst. XXXIII; vel, ut S. Basilius, lib. *De Spiritu Sancto*, cap. XXIII, gloria est commemoratio mirabilium quæ alicui insunt, præsertim Deo. Vel, ut alii, « gloria est notitia clarior alicujus excellentiæ; » vide S. Hieronymum in cap. V *ad Galat.*, et Dominicum Soto in IV, dist. XLIX, Quæst. III, art. 4. Gloriam hanc sibi uni reservat Deus, *Isaiæ* XLII, 8, dicens : « Gloriam meam alteri non dabo, » quia gloria propria est, proprieque debita soli Deo ob infinitam ejus majestatem, celsitudinem, magnitudinem, magnificentiam. Ita Angeli et Beati omnes accinunt Deo gloriam, *Apocal.* cap. IV, 11, cap. V, 12, cap. XIX, 7. Idem imitantur Sancti in hac vita. Unde S. Ignatius, fundator Societatis nostræ, hoc habuit, nobisque impressit elogium : « Ad majorem Dei gloriam. » Optat ergo S. Judas Deo gloriam, ut scilicet omnes angeli, omnes homines, omnesque creaturæ eum ut summam majestatem celebrent, prædicent, laudent et glorificent.

ET MAGNIFICENTIA. — Syrus, *potentia;* græce μεγαλωσύνη, id est majestas, magnitudo, magnificentia, decus, amplitudo, dignitas. Magnificentia autem est magnorum operum patratio, item magnum personæ decus, splendor, ornatus, majestas : utroque modo Deus est magnificentissimus. Unde millia millium ministrant ei. Hinc dicta est magnificentia virtus, quam ita definit Cicero, lib. II *De Invent.* : « Est rerum magnarum et excelsarum cum animi ampla quadam et splendida propositione agitatio atque administratio. »

ET IMPERIUM. — Græce κράτος, id est *robur*: ita Syrus et Arabicus. Deus enim in omnes et omnia plenissimum, robustissimum et efficacissimum habet jus et imperium, estque summus Universi imperator et dominator. Jam S. Judas et Sancti ex summo Dei amore et reverentia, optant Deo magnificentiam et imperium, quasi congratulando ei, gaudendo et desiderando, ut in eo semper illa perseverent; rursum, ut ab angelis et hominibus illa agnoscantur, colantur et celebrentur. Vide dicta *Habacuc* II, ad illud vers. 20 : « Dominus autem in templo sancto suo, sileat a facie ejus omnis terra. »

ET POTESTAS, — ἐξουσία; Syrus, *dominatio;* Arabicus, *potentia*, cui scilicet nemo resistere valet. Potestas est quasi executio imperii : exequitur enim efficaciter quidquid voluntas Dei imperat. Porro Hugo considerat gloriam Dei in se, magnificentiam in operatione, imperium in regimine omnium, ut omnis voluntas ejus fiat; potestatem, ut nihil ei resistat. Lyranus gloriam explicat, in quantum Deus apparet dignus omni laude; magnificentiam, de diffusione bonitatis ejus super omnia; imperium, de obedientia totius creaturæ ad ipsum; potestatem, de punitione malorum et præmiatione bonorum.

ANTE OMNE SÆCULUM, — scilicet fuit et constitit, « et nunc » consistit; vel potius opto precorque ut consistat. Aut, *q. d.* Quæ illi ante omnia sæcula debentur, eadem ei « et nunc, » puta in præsenti vita a fidelibus, « et in omnia sæcula » a Beatis in cœlo reddantur.

ET IN OMNIA SÆCULA SÆCULORUM. — Græce, καὶ εἰς πάντας τοὺς αἰῶνας; Syrus, *et in omnes ipsas æternitates* : licet enim una sit Dei æternitas, tamen hæc infinitas ævorum angelicorum et temporum humanorum æternitates, etiam quas mens effingere potest, ambit, complectitur et transcendit.

AMEN, — id est, fiat, fiat, ut vertunt Septuaginta. Vide dicta I *Corinth.* XIV, 16, et II *Corinth.* I, 20. Justi enim « nunc, » id est in hac vita, glorificant Deum; Beati vero in cœlo glorificabunt Deum per omnem æternitatem, juxta illud *Psal.* LXXXIII, 5 : « Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. » Ubi præclare S. Augustinus : « Noli, ait, timere ne non possis semper laudare, quem poteris semper amare : si cessabis a laude, cessabis ab amore; ab amore cessare non poteris. » Denique Boetius, lib. III *De Consol.*, metro 9, ita Deo, quasi principio et fini omnium, concinit et jubilat :

TU REQUIES TRANQUILLA PIIS, TE CERNERE FINIS :
PRINCIPIUM, VECTOR, DUX, SEMITA, TERMINUS IDEM.

Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. O summa veritas, vera charitas, chara æternitas, Deus meus et omnia : fac nos te sapere, tibi vivere tibi mori, te frui per æterna sæcula sæculorum. Amen.

INDEX

LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ

QUÆ HISCE IN EPISTOLAS CANONICAS COMMENTARIIS EXPLICANTUR.

Prior numerus paginam, alter columnam denotat.

EX GENESI.

Cap. II, *vers.* 24. Erunt duo in carne una. *Pag.* 611, *col.* 2.
IV, 1. Possedi hominem per Deum, 173, 2; 573, 1; 670, 2.
XI, 9. Quoniam ibi confusum est labium universæ terræ, 401, 2.
XIII, 9. Ecce universa terra coram te est, 341, 1.
XV, 1. Ego protector tuus sum, 449, 2
— 6. Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam, 128, 2.
XIX, 21. Suscepi preces tuas, 680, 1.
XLIX, 24. Pastor lapis Israel, 237, 1.

EX EXODO.

Cap. XX, *vers.* 7. Non assumes nomen Domini tui in vanum, 211, 2.
XXXIII, 23. Posteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris, 231, 1.

EX DEUTERONOMIO.

Cap. X, *vers.* 17. Qui personam non accipit, 680, 1.

EX LIBRIS REGUM.

Lib. I, *cap.* XXVII, *vers.* 11. Virum et mulierem non vivificabat David, 334, 2.
Lib. II, *cap.* I, 23. Saul et Jonathas amabiles, 245, 1, 2.
Lib. III, *cap.* VIII, 2. Mensus est funiculos duos, unum ad occidendum, et unum ad vivificandum, 334, 2.
IV, 29. Dedit ei latitudinem cordis, 110, 2.
XX, 11. Ne glorietur accinctus æque ut discinctus, 258, 1.
Lib. IV, *cap.* II, 12. Pater mi, currus Israel et auriga ejus, 225, 1.

EX LIBRO II PARALIPOMENON.

Cap. XVII, *vers.* 3 et 4. Non speravit in Baalim, sed in Deo patris sui, 316, 2.

EX LIBRO IV ESDRÆ.

Cap. III, *vers.* 20. Non abstulisti ab eis cor malignum, 624, 1.

EX LIBRO TOBIÆ.

Cap. X, *vers.* 4. Lumen oculorum nostrorum, 65, 1.

EX LIBRO ESTHER.

Cap. XII, *vers.* 6. Aman filius Amadathi Bugæus, 551, 1.

EX LIBRO JOB.

Cap. XXI, *vers.* 11. Infantes eorum exultant lusibus, 543, 2.
XXVI, 10. Terminum circumdedit aquis, usque dum finiantur lux et tenebræ, 491, 1.
XXXI, 38. Si adversum me terra clamat, et cum ipsa sulci ejus deflent,
XXXVII, 18. Tu forsitan fabricatus es cœlos, qui solidissimi quasi ære fusi sunt, 484, 1.
XL, 14. Ipse est principium viarum Dei, 71, 1.

EX PSALMIS.

Psal. IV, *vers.* 6. Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino, 316, 2.
X, 5. Palpebræ ejus interrogant filios hominum, 341, 1.
— 6. Dominus interrogat justum et impium, *ibid.*
XI, 9. In circuitu impii ambulant, 394, 1, 2.
XXII, 1. Dominus regit me, et nihil mihi deerit, 309, 1.
XXIII, 2. Super maria fundavit eum 475, 2.
— 9. Attollite portas principes vestras, 338, 1.
XXVIII, 6. Dilectus quemadmodum filius unicornium, 430, 1.
XXX, 3. Esto mihi in Deum protectorem, 611, 2.
— 16. In manibus tuis sortes meæ, 194, 2; 388, 2.
XXXIII, 8. Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, 247, 1.
— 9. Gustate et videte quoniam suavis est Dominus, 278, 2.
Ibid. Beatus vir, qui sperat in eo, 316, 2.
XXXV, 10. In lumine tuo videbimus lumen, 65, 2.
XLIV, 17. Pro patribus nati sunt tibi filii, 427, 2.
L, 9. Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor, 240, 2.
LIV, 23. Jacta cogitatum tuum in Domino, 389, 1; 563, 2.
Ibid. Et ipse te enutriet, 389, 1.
LIX, 9. Fortitudo capitis mei, 449, 2.
LXXI, 15. Dabitur ei de auro Arabiæ, et adorabunt de ipso, 512, 2; 634, 1.
LXXVI, 7. Exercitabar et scopebam spiritum meum, 489, 1.
LXXXIV, 3. Operuisti omnia peccata eorum, 356, 2.
— 8. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, 126, 1.
LXXXV, 11. Lætetur cor meum ut timeat nomen tuum, 44, 1.
LXXXVIII, 13. Thabor et Hermon in nomine tuo exultabunt, 432, 1.
LXXXIX, 4. Quoniam mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna, quæ præteriit, et tanquam custodia in nocte, 479, 1.
— 19. Anni nostri sicut aranea meditabuntur, 191, 2.
XCV, 1. Cantate Domino canticum novum, 529, 1.
CI, 27. Omnes sicut vestimentum veterascent, et sicut opertorium mutabis eos, 485, 1.
CIX, 3. Tecum principium in die virtutis tuæ, 71, 2
CXXXVIII, 14. Mirabilia opera tua, 245, 1, 2
— 23. Interroga me, et cognosce semitas meas, 341, 1.

EX LIBRO PROVERBIORUM.

Cap. I, *vers.* 7. Timor Domini, principium sapientiæ, 71, 2.
III, 34. Illusores ipse deludet, et mansuetis dabit gratiam, 179, 2.
VIII, 22. Possedit me in initio viarum suarum, 71, 2; 506, 2.
X, 11. Os impiorum operit iniquitates, 357, 2.

x, 12. Odium suscitat rixas, et universa delicta operit charitas, 356, 1; 357, 1, 2.
— 29. Fortitudo simplicis, via Domini, 449, 2.
xii, 17. Qui quod novit loquitur, index justitiæ est, 126, 2.
xvii, 27. Pretiosi spiritus vir eruditus, 74, 2.
xviii, 5. Accipere personam impii non est bonum, 680, 1.
xx, 2. Qui provocat eum, peccat in animam suam, 150, 2.
— 3. Stulti miscentur contentionibus, 161, 1.
— 26. Et incurvat super eos fornicem, 148, 1.
xxi, 16. Vir, qui erraverit a via doctrinæ, in cœtu gigantium commorabitur, 226, 1.
xxiii, 11. Propinquus pupillorum fortis est, 93, 1.
xxix, 11. Totum spiritum suum profert stultus, sapiens reservat in posterum, 76, 1.
xxx, 15. Sanguisugæ duæ filiæ, dicentes : Affer, affer, 173, 1.

EX ECCLESIASTE.

Cap. i, *vers.* 2. Vanitas vanitatum, et omnia vanitas, 190, 2.
x, 19. Pecuniæ obediunt omnia, 99, 2.
xii, 6. Antequam conteratur hydria super fontem, et confringatur rota super cisternam, 147, 1.
— 13. Deum time, et mandata ejus observa : hoc est enim omnis homo, 14, 1.

EX LIBRO CANTICORUM.

Cap. i, *vers.* 4. Nigra sum, sed formosa, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis, 476, 1.
— 8. Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, 449, 2.
iv, 3. Labia tua sicut vitta coccinea, 89, 1.
— 9. Vulnerasti cor meum, soror mea, sponsa, 81, 1.
vi, 9. Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, 200, 2.

EX LIBRO SAPIENTIÆ.

Cap. iv, *vers.* 12. Fascinatio nugacitatis obscurat bona, etc., 547, 1.
v, 17. Dextra sua teget eos, et brachio sancto suo defendet illos, 449, 2.
xi, 1. Feliciter direxit opera eorum in manibus prophetæ sancti, 641, 1.
xix, 11. Postulaverunt escas epulationis, 202, 2.

EX ECCLESIASTICO.

Cap. i, *vers.* 28. Qui sine timore est, non poterit justificari, 77, 1.
iv, 1. Fili, eleemosynam pauperis ne defraudes, 578, 1.
vii. 14. Noli velle mentiri omne mendacium, 191, 1.
xi, 3. Initium dulcoris habet fructus illius, 71, 2.
xiii, 23. Venatio leonis, onager in eremo, sic et pascua divitum sunt pauperes, 108, 2.
xv, 12. Non dicas: Ille me implanavit, 39, 1.
xviii, 18. Datus indisciplinati tabescere facit oculos, 38, 2.
xix, 12. Sagitta infixa femori carnis, sic verbum in corde stulti, 137, 2.
xx, 14 et 15. Datus insipientis non erit utilis tibi : oculi enim illius septemplices sunt : exigua dabit, et multa improperabit : et apertio oris illius inflammatio est, 38, 2.
xxviii, 16. Lingua tertia multos commovit, et utilis potius infernus quam illa, 148, 1.
— 29. Aurum tuum et argentum tuum confla, et verbis tuis facito stateram, 140, 2.
xxix, 28. Initium vitæ hominis, aqua et panis, 71, 2,
xxxi, 8. Beatus dives, qui inventus est sine macula, 251, 1.
xxxiii, 4. Qui interrogationem manifestat, parabit verbum, 341, 1.
xxxiv, 26. Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum, 204, 2.

EX ISAIA.

Cap. ii, *vers.* 3. Docebit nos de viis suis, 634, 1.
viii, 12 et 13. Timorem ejus ne timeatis, neque paveatis. Dominum exercituum ipsum sanctificate, 329, 2.
ix, 16. Qui beatificant populum, seducentes, 680, 1.
xiv, 13. In cœlum conscendam, super astra cœli exaltabo solium meum, 445, 1, 2.
xxviii, 10. Manda remanda, exspecta reexspecta, 339, 1, 2.
— 21. Alienum opus ejus ab eo, 363, 1.
xxix, 1. Væ Ariel, Ariel, 370, 1.
lii, 15. Iste asperget gentes multas, 240, 2.

EX JEREMIA.

Cap. ii, *vers.* 34. In alis tuis inventus est sanguis animarum pauperum, 204, 2.
iv, 2. Et jurabis in veritate, et in judicio, et in justitia, 211, 2.
xii, 3. Sanctifica eos ad diem occisionis, 204, 1.
xv, 18. Facta est mihi manus tua quasi mendacium aquarum infidelium, 462, 2.
xxxi, 33. Eritis mihi in populum, 611, 2.

EX BARUCH.

Cap. i, *vers.* 22. Abivimus unusquisque in sensum cordis nostri maligni, 623, 2.

EX EZECHIELE.

Cap. xxii, *vers.* 2. Et tu, fili hominis, nonne judicas civitatem sanguinum? 341, 1.
xxiv, 9. Væ civitati sanguinum, cujus ego grandem faciam pyram, 356, 2.

EX DANIELE.

Cap. xii, *vers.* 2. Multi ex iis qui dormierunt, resurgent, 350, 2.

EX PROPHETIS MINORIBUS.

Joel, iii, *vers.* 21. Mundo sanguinem eorum quem antea non mundaveram, 356, 2.
Nahum, i, 7. Dominus confortans in die tribulationis, 395, 2.
Sophon. ii, 1. Gens non amabilis, 245, 1.
Malach. i, 6. Si pater ego sum, ubi est honor meus? 30, 2.

EX LIBRIS MACHABÆORUM.

Lib. I, *cap.* v, *vers.* 62. Ipsi autem non erant ex semine virorum illorum, per quos salus facta est in Israel, 551, 2.
Lib. II, *cap.* iii, 36. Testabatur autem omnibus ea quæ sub oculis suis viderat opera magni Dei, 519, 2.

EX S. MATTHÆO.

Cap. v, *vers.* 3. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, 45, 1.
— 34. Ego autem dico vobis, non jurare omnino, 211, 2.
— 36. Neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere aut nigrum, 212, 1.
vi, 23. Et ne nos inducas in tentationem, 20, 1.
— 34. Sufficit diei malitia sua, 78, 1.
vii, 1. Nolite judicare, ut non judicemini, 168, 2.
xii, 40. Sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, et tribus noctibus, 338, 1.
xvi, 18. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, 231, 2.
xvii, 12. Quia Elias jam venit, 588, 2.
xix, 24. Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum, 31, 2.
xxiii, 2. Super cathedram Mosis sederunt, 531, 1.
— 8. Vos autem nolite vocari Rabbi : unus est enim magister vester, 135, 1.
xxiv, 30. Tunc parebit signum Filii hominis, 487, 2.
— 35. Cœlum et terra transibunt, 485, 1.
xxv, 23. Intra in gaudium Domini tui, 253, 1.
xxvi, 28. Qui pro multis effundetur, 355, 1.

EX S. MARCO.

Cap. XVI, *vers.* 7. Dicite discipulis, et Petro, 642, 1.

EX S. LUCA.

Cap. I, *vers.* 37. Non erit impossibile apud Deum omne verbum, 555, 2.
— 47. Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo, 531, 1.
VI, 24. Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram, 196, 1.
IX, 55. Nescitis cujus spiritus estis, 587, 1.
XI, 41. Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis, 112, 1; 101, 1.
XII, 35. Sint lumbi vestri præcincti, 258, 1.
XXII, 42. Pater, si vis, transfer calicem istum a me: verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat, 56, 1.
XXIII, 43. Hodie mecum eris in paradiso, 338, 1.
XXIV, 18. Tu peregrinus es in Jerusalem, et hæc ignoras, 363, 1.

EX S. JOANNE.

Cap. I, *vers.* 1. In principio erat Verbum, 498, 1, 2; 505, 2; 506, 2 et seq.
Ibid. Et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, 520, 1.
— 4. In ipso vita erat, 518, 1.
Ibid. Et vita erat lux hominum, 522, 1.
— 9. Erat lux vera, 540, 2.
— 14. Verbum caro factum est, 345, 1.
— 18. Deum nemo vidit unquam: unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit, 546, 1, 2.
— 20. Confessus est, et non negavit, 559, 2.
III, 8. Spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, aut quo vadat, 586, 1.
V, 25. Venit hora, et nunc est, quando, etc., 549, 2.
VI, 51. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi, 540, 2.
VIII, 44. Ille in veritate non stetit, 526, 1.
XIII, 14. Si ego lavi pedes vestros, 593, 2.
XV, 1. Ego sum vitis vera, 540, 2.
— 8. In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis, 531, 1.
— 12. Ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, 572, 2.
XVII, 9. Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi, 547, 1.
XIX, 27. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua, 501, 1.
— 30. Consummatum est, 62, 1.
XX, 15. Domine, si tu sustulisti eum, 540, 1.

EX ACTIS APOSTOLORUM.

Cap. II, *vers.* 17. Effundam de Spiritu meo, 512, 1.
VIII, 9. Dicens se esse aliquem, 72, 1.

EX EPISTOLA AD ROMANOS.

Cap. V, *vers.* 3 et 4. Scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, 24, 1.
VII, 19. Non enim quod volo bonum, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago, 528, 2.
— 20. Si quod nolo, illud facio; jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum, 57, 1.
VIII, 29. Quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, 28, 2.
XII, 8. Qui tribuit, tribuat in simplicitate, 35, 2.
XIV, 23. Omne quod non est ex fide, peccatum est, 28, 1.
XV, 16. Sanctificans Evangelium Dei, 94, 1.
XVI, 23. Salutat vos Caius hospes meus, et universa Ecclesia, 640, 1.

EX I AD CORINTHIOS.

Cap. XIII, *vers.* 12. Videmus nunc per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem, 84, 2
— 13. Major horum est charitas, 433, 1.
XV, 7. Deinde visus est Jacobo, 10, 2.
— 45. Factus est primus homo in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem, 335, 1.

EX II AD CORINTHIOS.

Cap. III, *vers.* 7. Quod si ministratio mortis fuit in gloria, etc., 255, 1.
V, 21. Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, 547, 1.
IX, 9. Justitia ejus manet in sæculum sæculi, 408, 1.
VIII, 2. Altissima paupertas eorum abundavit in divitias simplicitatis eorum, 35, 2.
IX, 11. Ut in omnibus locupletati abundetis in omnem simplicitatem, *ibid.*

EX EPISTOLA AD GALATAS.

Cap. II, *vers.* 11. Quoniam reprehensibilis erat, 317, 2.

EX EPISTOLA AD EPHESIOS.

Cap. II, *vers.* 6. Conresuscitavit, et consedere nos fecit in cœlestibus, 22, 1, 2.
V, 18. Nolite inebriari vino, in quo est luxuria, 459, 1.
— 26. Per lavacrum aquæ in verbo vitæ, 271, 2.

EX EPISTOLA AD PHILIPPENSES.

Cap. II, *vers.* 5. Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, etc., 315, 2.

EX EPISTOLA AD COLOSSENSES.

Cap. I, *vers.* 15. Qui est primogenitus omnis creaturæ, 71, 2.

EX PRIMA AD TIMOTHEUM.

Cap. V, *vers.* 17. Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, 587, 1.

EX EPISTOLA AD HEBREOS.

Cap. X, *vers.* 22. Aspersi corda a conscientia mala, 240, 2.
XI, 31. Fide Rahab meretrix non periit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace, 131, 1.
XII, 8. Ergo adulteri, et non filii estis, 175, 2.

EX EPISTOLA I PETRI.

Cap. IV, *vers.* 17. Quoniam tempus est ut incipiat judicium a domo Dei, 376, 1.

EX APOCALYPSI S. JOANNIS.

Cap. III, *vers.* 3. Veniam ad te tanquam fur, et nescies qua hora veniam ad te, 482, 1.
— 14. Qui est principium creaturæ Dei, 71, 2.
XII, 8. Neque locus inventus est eorum amplius in cœlo, 251, 1.
XVI, 15. Ecce venio sicut fur, 482, 1.

INDEX

RERUM ET VERBORUM

MEMORABILIUM

QUÆ HOC COMMENTARIO CONTINENTUR

A.

Abacellæ mulieris fanatica superbia et hæresis, 556, 2.
Abelis innocentia, virginitas, sacerdotium et martyrium, 574, 1. fuit typus Christi, 2. quare a fratre sit occisus, 670, 1,
Abjectus sua abjectione contentus vivat, 45, 1.
Abrahæ fides bonis operibus cumulata fuit, 127, 2. ejus obedientia et religio insignis in offerendo Isaac, 128, 1 ex operibus vere justificatus est, 128, 2. cur dictus amicus Dei, 129, 2. ejus elogium, 130, 1.
Absconditus homo quis dicatur, 313, 1.
Abstinentia est soror scientiæ, 417, 1.
Abyssini in templo semper stant, 102, 2. recens baptizatis dant lac et mel, 277, 2.
Ἀκατάςατος et ἀκαταςασία inconstantem et inconstantiam omnimodam significat, 44, 1, 2; 20, 2.
Acceptio personarum quale sit vitium, 97, 1. ipsa justitiam evertit, 98, 1, 2.
Accidentia nulla sunt in Deo ob summam perfectionem, 592, 2.
Acco seipsam in speculo intuens, secum quasi cum alia muliere loquebatur, 83, 2.
Acedi comparantur arbori nunquam ad maturitatem fructus suos producenti, 675, 1.
Actiones Christi fuere dignæ Deo, 643, 1. ad actiones identidem nobis reflectendum est, 642, 2. earum regula est conspectus Dei, 581, 1, 2.
Actuale peccatum solum confitendum est, 527, 2.
Actus per metonymiam sæpe significat objectum, 64, 2.
Adam peccando vulneratus est natura, 55, 2. est extra paradisum creatus, 445, 2. ei obediebant feræ in statu innocentiæ, 151, 2.
Adolescentum multorum victoriæ de diabolo et carne, 543, 2. eorum officium erga superiores, 386, 1.
Adriani II Pontificis in egenos liberalitas, 38, 1.
Adulatores palam laudant, occulte vituperant, 156, 2. duplici sunt animo, 44, 2 et seqq.
Adulteri spirituales quinam sint, 175, 1.
Advenæ qui sint, quibus S. Petrus scribit, 237, 2 et seq.
Adversis exploratur virtus, 20, 2.
Advocatus quomodo a patrono differat, 533, 1.
Ægroti commendent se identidem Domino, 216, 1. fortiter ferant ægritudinem, 2. et seqq.
Æmulos semper habent viri magni, 644, 1.
Ænigma mentis et rationis, 88, 2.
Æones Valentini qui fuerint, 677, 1.
Aeris quanta in inferiora sit vis, 484, 1. plenus est dæmonibus, 391, 2; 444, 2. est in montibus purior, in vallibus impurior, 191, 2.
Ærugo vitium est tam æris quam auri, 199, 1.
Ætates sex mundi, 352, 1. ætas juvenilis flori comparatur, 46, 1.
Æternitas temporum est durans, 478, 2. æternitatem quomodo imaginemur, 494, 2. est principium sine principio, 506, 1. æternitas Verbi Dei adstruitur, 505, 1, 2; 506, 2. æternitas Dei et Sanctorum quam sit longa, 480, 2; 689, 2.
Affabilitas decet Christianos, 322, 2.
Affectiones omnes carnis sunt naturales, nec in iis est peccatum, nisi ex negligentia procedant, 57, 2.
Affectuum in homine diversitas, 43, 2. tres eorum pro objecto habent bonum, alii tres qui habent malum, 14, 1, 2. affectu pauperibus succurrat, qui effectu nequit, 580, 1.
Afflictio est probatio et fornax expurgans, 363, 2 et seq. ejus utilitas, 141, 2; 184, 1.
Afflicti Deo se commendare debent, 373, 1.
Africana Ecclesia S. Petro initium debet, 179, 2.
Ἀγαλλόττασθαι ἄγαν ἄλεσθαι, 248, 1, 2.
Agamemnon unde dictus, 396, 2.
Agapæ quæ essent olim convivia, 458, 2; 673, 1.
Agapetarum secta quæ esset, 291, 1; 467, 2.
S. Agatha Christianam humilitatem prætulit regum opibus, 87, 2. ejus robur et generositas, 400, 1. ei epitaphium posuere angeli, 95, 2.
Agesilai regis in cruciatu constantia, 18, 2.
Ἄγιος unde dicatur, 94, 2.
Agis fuit multorum Lacedæmonis regum nomen, 383, 1.
S. Agnes juvenem opulentum repudiat, et post mortem parentibus apparet, 178, 1.
Agni nomine cur dicatur Christus, 264, 2. agnus paschalis debebat esse sine macula, repræsentabat is Christum, 266, 2.
Albanenses hæretici negarunt futurum judicium, 474, 1.
Albus color lætus, lucens et festivus, 100, 1, 2.
Alexandri Ursini Cardinalis elogium, vita, mors, studia, 626, 2 et seqq.
Alexandrina Ecclesia per S. Petrum in S. Marco ibi præsidentem facta patriarchalis, 13, 1. qui fuerint ejus doctores, 135, 1.
Alfonsi Aragonum regis in periculo securitas, 29, 1.
Ἀλλὰ interdum est particula confirmantis vel exaggerantis tuum dictum, 125, 2.
Almarici error circa absorptionem contemplantium in divinitatis abyssum, 410, 2.
B. Aloysius Gonzaga nullum in morte scrupulum sentiebat, 583, 2. hinc de morte loquebatur, quasi de migratione ex uno loco in alium, sed meliorem, 426, 1. nullam in oratione mentis evagationem sentiebat, 259, 1. ejus castitas. *ibid.*
Alphæus, flumen Achaiæ, an in Sicilia denuo prorumpat, 157, 1, 2.
Altercatio S. Michaelis cum diabolo ubinam scripta sit, 666, 2. et quænam illa sit, *ibid.*; 668, 1.
S. Amandus apparuit S. Aldegundi cum iis quos ad fidem converterat, 228, 1; 385, 2.

Amans Deum fit Deus, 36, 1. ei dulce est pati, 17, 2. in eo Deus manet, 595, 1 et seqq. et ipse manet in eo 598, 2; 597, 2; 600, 1, 2. ejus zelus, 178, 1. proximum amans vere, Deum in proximo considerat, 271, 1.
Amaranthus flos an non marcescat, 245, 2.
Ambitio cos pravitatis est, 546, 1.
Ambitio magisterii a S. Jacobo cur reprehendatur, 134, 1.
S. Ambrosius habebat aliam formam in sua Ecclesia in Extrema unctione conferenda, 215, 2; 218, 1. suasit Theodosio differri reorum supplicium, 76, 2. cœlitus edoctus et illustratus est, 34, 2. commentationi psalmi LIII immortuus est, 374, 2. quo omine ad Episcopatum assumptus, 382, 2.
Ambulare capitur pro continuatione alicujus rei, 473, 2. ambulare in circuitu est hæreticorum et cacodæmonis, 394, 2.
Amiantus lapis in igne evadit nitidior, est symbolum divinitatis, 245, 1.
Amicitia sit non verbosa, sed operosa, 579, 2. est vera amicitia inter Deum et justum, 130, 2, 521, 2. eaque multiplex, 521, 2. amicitia Dei fida et secura est, 130, 2. amicitia mundi quæ dicatur, 175, 2.
Amicus est quivis proximus qui nobis natura conjunctus est, 111, 2. amici multi pro amico vitam exposuere, 577, 2. amicus Dei cur dicatur Abraham, 130, 1. cur et Apostoli et justi, 2.
Amor duplex est, concupiscentiæ et amicitiæ, 583, 1. quomodo utrumque erga Deum exercere possumus, *ibid.* amoris vis et efficacia, 60, 2; 233, 2. ipse potentior est quam timor, 298, 1. hominem transformat in rem amatam, 548, 1, 2. amore ad Deum accedimus, 182, 1. eo emitur regnum cœleste, 50, 2; 107, 2. amor amorem provocat, 572, 2. amor procedit ex pulchro et bono, 597, 2. amor facit extasin, 598, 1. transformat hominem quasi in Deum, 2. amoris effectus, 600, 1, et seqq. amor Dei erga homines, 593, 1. ejus qui sint effectus et judicia, 36, 1. amor Beatorum erga Deum, 565, 1.
Amor proximi est lex regalis, 109, 2. is debet condiri vera charitate Dei, 417, 2. amore fraterno se invicem ament Christiani, 269, 2. amor spiritualis sæpe degenerat in carnalem, 61, 1. amor mundi adulterium est, 175, 1. amor coronis aureis cinctus olim pingebatur, 110, 1. et erat summus deorum, 598, 2.
Amphionis eloquentia, 142, 2.
Anabaptistarum impostura et arrogantia, 516 2. baptizant adultos, non pueros, 341, 2. negant magistratus et judicia, 296, 2.
Ἀνάχυσις variam patitur significationem, 348, 2.
Ananus Pontifex cur S. Jacobum non tulerit, 8, 1.
S. Andreas in cruce exultabat, 18, 1. hinc ei affixus Christum prædicavit, 374, 2.
Angelus in priscis visionibus apparuit loco Filii Dei, 507, 1, 2. angelus loquebatur per os asinæ Balaam, 462, 2 seqq.
Angeli sunt creati in gratia, 660, 2. multa a S. Joanne didicerunt, 499, 2. mire delectantur visione humanitatis Christi, 255, 2. item visione tolerantiæ Martyrum, *ibid.* an suam gloriam et gratiam meritis Christi attribuant, 256, 1. an desiderent unionem hypostaticam Christi cum natura angelica, *ibid.* in Spiritum Sanctum prospicere desiderant, *ibid.* et seqq. Christum item in Eucharistia, 256, 2. toti sunt intelligentes et lucidi, 66, 1. testimonium perhibuere Christo, 612, 2. multa audiunt, et pauca loquuntur, 73, 1. quomodo loquantur ad invicem, 74. quam Deo sint obedientes, 260, 2. omnes creati sunt in cœlo empyreo, 445, 2. nequeunt quid pati, 19, 2. assistunt sacrificio Missæ, 257, 1. an ex meritis Christi gratiam et gloriam consecuti sint, 343, 1. eorum voluntas quomodo sit inflexibilis, 443, 1. angeli boni abstinent maledicentia, 455, 2; 456, 1. angeli prævaricantes non pœnituerunt, 443, 1. hi fuere ex principibus, 660, 2. primitus non erant beati, 661, 1.
Angli a quo primum ad Christum conversi, 234, 1. eorum erga S. Petrum devotio, *ibid.*
Anima per peccatum moritur, 62, 1; 575, 1, 2; 675, 2. magis propendet in sensum quam in rationem, 56, 1. non est particula divinæ substantiæ, 68, 2. animæ sanctæ septem ætates, 543, 1. singuli Deo suam commendent, 373, 2. animas lucrandi quæ sit ratio, 226, 2. earum quanta habenda sit ratio, *ibid.* eas convertere quam sit gloriosum, 227 1, 2. eas convertens operit peccata, 228, 2. per peccatum moriuntur, per gratiam vivunt, 226, 2. earum pretium, 227, 1; 265, 2; 685, 1. earum apud Deum commendatio optima est, quæ fit opera virtutum exercendo, 375, 2. earum immortalitatem negant hæretici, 463, 2.
Animales qui dicantur, 162, 2; 681, 1.
Animalia sapientiora, parum vocalia sunt, 74, 1. animalia quæ nos adversarios habeant, 152, 2.
Animus celsus et erectus nihil metuit, 590, 1, 2.
S. Anna unam tantum habuit prolem, scilicet B. Virginem, 497, 1.
S. Anno Episc. Coloniensis quare ad gloriam cœlestem statim admissus non sit, 327, 1.
Annulum aureum gestant divites, et signum id splendoris, 100, 1. eorum vanitas, *ibid.*
Annus dicitur quasi annulus, 189, 2. ejus symbolum est serpens actus in gyrum, 147, 1.
S. Anselmi visio de mundi malitia, 623, 1.
Antichristus venturus ultima mundi ætate, 549, 2. quomodo tamen venisse jam dicatur, 589, 1. Antichristi quomodo sint multi, 550, 2.
Antigoni regis erga petentem aliquid cavillus, 38, 2.
Antiochena Ecclesia undenam facta Patriarchalis, 13, 1.
Antonini Imperatoris de Christianis sententia, 295, 2,
S. Antonius a Deo petiit et impetravit sapientiam, 34, 1. suis lætitiam spiritus suadebat, 20, 1, 2. eum certantem spectavit Christus, 21, 2. ejus cum dæmone congressus, 22, 1, 2. quam hæreticos detestaretur, 637, 2. quo suos stimulo ad perfectionem animaret, 249, 2. quibus verbis in ecclesia auditis sit conversus, 86, 2. cum Paulo Eremita quales sermones miscuerit, 360, 2.
S. Antonii de Padua lingua integra est post mortem diu reperta, 154, 2.
Ἀπείρατος active et passive capitur, 52, 1.
Ἀφροδίτη cur et unde dicatur Venus, 676, 2.
Apin finxerunt Ægyptii ut hieroglyphicum Josepho, 667, 2.
Apocryphi libri possunt multa continere vera, 666, 2.
S. Apollonii Martyris in condonandis injuriis facilitas, 326, 2.
Apostasia a fide cur sit peccatum ad mortem, 619, 1 et seqq. item ab Ordine et Religione, 620, 1.
Apostatæ comparantur angelis apostatis, 660, 2. hi quomodo dicantur non esse ex nobis, 551, 2; 552, 1, 2. ob eos non est quod fideles turbentur, *ibid.* eorum quantum sit scelus, 346, 1.
Apostoli an mitras gestarint, 9, 2. sint a Christo ipso immediate ordinati Episcopi, 12, 2. in tribulatione gaudebant, 15, 1. sunt principes filiorum Dei, 72, 1. equo repræsentantur, 140, 1. erant præcones castitatis, 311, 1. potestatem a Christo in totum orbem accepere, 379, 1. iis major data fides et gratia extensius quam aliis, 407, 1. an palparint die Dominica resurrectionis Christum et ejus corpus, 508, 2. peccabant aliquando venialiter, 527, 1. Apostoli antonomastice dicuntur Petrus et Paulus, 13, 1.
Apparitio Christi Jacobo facta quando contigerit, 10, 2. apparitio Filii Dei in carne quomodo peracta, 520, 1 et seqq. in apparitionibus veteris Testamenti repræsentatus fuit Filius Dei, 507, 1.
Appetitus inferior quomodo politice moveri dicatur, 58, 1. is mortificandus mundum cor habere volenti, 95, 1. ejus naturalis inclinatio ad bona sensibilia, contraria legi Dei et rationi, est concupiscentia, 55, 1.

Applicatio sanguinis Christi quomodo in nobis fiat, 241, 1.
Apprecatio pacis et gratiæ est sigillum Apostolicæ epistolæ, 403, 2.
Appropinquandi Deo modi, 182, 2 et seqq. appropinquat Deus diversimode pœnitentibus et justis ferventibus, 182 2.
Apud Patrem quomodo dicatur Filius fuisse, 520, 1.
Aqua dicitur rerum omnium principium, 475, 1. per eam terra consistit, 2. aqua unde dicatur, 612, 1. refert Deum Patrem, *ibid.* ejus elogia, *ibid.* quid symbolice designet, 613. a multis habita ut Deus, 612. quid spiritualiter denotet, 613, 2 et seqq. aqua viva et mortua quæ dicatur, 281. 2, aquæ quæ super cœlos sunt, deplnerunt in diluvio, 476, 2. aqua et sanguis probabant Christum verum esse hominem et Deum, 609, 1, 2.
Aquila vox unde deducatur, 497, 2.
Arbor symbolum hominis, 675, 1. arbores autumnales quæ dicantur, 674. et seq. quæ sint bis mortuæ, 675, 1. arbores et herbæ in flore sibi invicem succedunt, 47, 2.
Arca Noe cum Ecclesia confertur, 340, 1.
Ἀρχὴ et originem et potestatem significat, 660, 2.
Ἀρετὴ quam varia significet, 289, 2.
Arethusa fons et flumen diversis in locis diversum habet saporem, 157, 1.
Ariani Imperatorem Constantium in partes suas traxerunt, 680, 1. semper fidem suam mutabant, 44, 1; 674, 2. Ariani Transylvani epistolam primam S. Joannis cur rejiciant, 611, 1. eorum paralogismus, 588, 1. eorum blasphemia in SS. Trinitatem, 454, 2.
Aristomenus audax habuit cor pilis hirsutum, 648, 2.
Aristoteles Euripi vicissitudinem intelligere non potuit, 42, 2. ejus paradoxa absurda, 167, 2.
Arius Ecclesiam Dei laceravit, 681, 2. quare ob ea desciverit, 453, 2. animam in latrinis effudit, 441, 1.
Armis tribus diabolus vincitur, 395, 2 seqq.
Arsenii Abbatis silentium, 138, 1. ejus continentia, 294, 2.
Articulus græce non præfigitur nom nibus propriis, sed appellativis, 638 2.
Ἀσέλγεια generaliter omnem luxum et petulantiam denotat, 347, 2; 366, 2.
Assidua oratio quæ dicatur, 222, 1.
Assiduus vox quid proprie sonet, *ibid.*
Astronomi multis imponunt, ampla promittentes, 189, 2.
S. Athanasius 46 annis Arianorum persecutiones tulit, 48, 2.
Atheismi hæreticorum modernorum, 451, 2. maxime Calvini, 464, 1, 2.
Athenodorus quod Augusto monitum dederit, 76, 2.
Athleta perfectus qui dicitur, 27, 2.
Ἀτμὶς vaporem statum, fumum, halitum, auram tenuem significat, 190, 2.
Attentus capitur subinde pro intentus, 271, 1.
Αὐχὴν capitur etiam pro parte clavi in navi, 142, 1.
Auctorem omnium motuum et actionum tam malarum quam bonarum Deum censet Calvinus, 51, 1; 461, 1.
Audaces dæmon timet, 392, 2.
Audiendo (in) velocitas includit etiam velocitatem obediendi, 72, 2. audire et silere faciunt sapientem, 73, 1.
Auditio parit scientiam, *ibid.*
Auditor verbi sis et factor, 82, 1. auditores verbi Dei sunt triplices, 84, 2 et seqq.
Augendi gratiam bona praxis, 583, 1.
S. Augustinus in epist. S. Jacobi est commentatus, 5, 2. etiam ante conversionem judicii recordabatur, 115, 2. in afflictione gaudebat, 18, 2. quare libros *Retractationum* scripserit, 138, 1. passionem Domini identidem recolebat, 306, 2.
Augustinus Marloratus hæreticus ob seditiones in Gallia excitatas suspensus est, 301, 1.
Aves canoræ stato et modico canunt tempore, garrulæ perpetuo garriunt, 74, 1. aves omnes cicurantur, et discunt humanum sermonem, 151, [illegible].
Aurelianus Imper. conceptam in Christianos persecutionem subsignare cœlitus impeditus fuit per mortem, 373, 1.
Aurea fibula an dicatur annulus, 100, 1.
Aureolæ in cœlo sunt tres particulares, 383, 2.
Aurium situs, forma et numerus docet nos debere multa audire, 74, 2.
Aurum vere contrahit æruginem, 199, 1. unde contrahat sordes, ejus etymon, 2. ejus septem dotes, 250, 1, 2. ea adaptantur justo, *ibid.* auro moderate utantur mulieres, 312, 2.
Αὐθάδεια quid significet, 452, 1.
Auxilium cœleste majus est, quam vires adversariorum tentantium, 589, 2 et seqq.
Avari malunt condita corrumpi, quam aliis dare, 197, 2; 199, 2. puniuntur sæpe a Deo rerum amissione, 198, 1, 2. eorum insatiabilitas, 200, 1. defuncti torquentur auro, 2. triplici ardent igne, *ibid.* per aurum sæpe occisi, *ibid.* semper thesaurum adaugent, 201, 1. eorum miseria, 545, 2 et seqq. nihil pensi habent et sordidi sunt, 77, 1. non audent uti habitis et cupitis, 173, 1.
Avaritia sanguisugæ similis est, 173, 1. ejus ignis juste punitur igne gehennæ, 200, 1. avaritia hæreticorum, 442, 2; 461, 1; 670, 2.
Ave salutationis formula, 637, 1. quid significet, *ibid.*
Axiomata multa Christi, philosophis paradoxa, 290, 2.

B.

B sæpe ponitur pro *C*, 551, 2.
Babel quid hebraice sonet, 401, 1.
Babylas mimus et magus quo audito verbo sit conversus, 86, 2.
Babylon capitur pro Roma a S. Petro, 400, 2. Babylon fuit duplex, una in Chaldæa, altera in Ægypto, 400, 1. illam non adiit S. Joannes jam senex, 637, 2.
Balaam vates in quo deliquerit, 671, 2. est schema hæreticorum, 671, 2 et seqq. quomodo dicatur ex Bosor, 461, 2. ejus avaritia, *ibid.* ejus cæcitas, 462, 1. quare cum asina contenderet, *ibid.* ejus mors. *ibid.*
Balena ducitur a pisciculo musculo, 152, 1.
Baptismus cur vocetur illuminatio, 66, 1. per arcam Noe repræsentatur, 340, 2. confertur cum diluvio, *ibid.* quomodo dici possit verbum Dei vivi, 271, 2. eum olim cur multi differrent, 531, 1. per eum infantibus induntur virtutes, 276, 2. est pactum inter Deum et baptizatum, 341, 2. quæ ad eum requiratur dispositio, *ibid.* ejus vis, dignitas et nomina, 342, 1.
Baptizandus interrogatur an velit baptizari, 341, 1, 2. olim oculos et manus in cœlum elevabant, 342, 1 baptizati olim induebant calceos albos, 300, 1. item coronabantur, 286, 2 et seqq. dabatur quoque iis lac et mel, 277, 2. cur veste candida induerentur, 276, 2; 300, 1; 687, 2.
Barchochebas pseudopropheta quis et quando fuerit, 677, 1.
Basilica S. Petri in Vaticano quam magnifica et celebris sit, 235, 1, 2.
Basilides hæreticus negabat veram Christi humanitatem et carnem, 501, 2.
S. Basilii silentium tredecenne, 75, 2. et in periculis constantia animi, 48, 2.
Beatitudo consistit in visione Dei et Spiritus Sancti, 255, 2; 564, 2. ea erit omnibus communis, 106, 1. ea quam magna sit, 365, 1. erit spiritalis, angelica et divina, 245, 2. item immarcessibilis, tum substantia, tum sapore et gustu, *ibid.* 246, 1. beatitudo in hac vita consistit in adimplenda lege Dei, 88, 1.
Beati vident Dei essentiam in se, 564, 2. ejus speciem in mente sibi efformant, 565. erunt quoque æterni, *ibid.* eorum amor erga Deum, 565, 1. erunt quasi dii, *ibid.* eorum quantum sit gaudium, 253, 1. vident Deum

non per vires naturæ, sed gratiæ, 594, 2. per gloriam sunt quasi dii, 414, 1. beantur illapsu divinitatis in ipsos, *ibid.*
Vener. Beda ne in morbo quidem a docendo et scribendo cessabat, et scribendo mortuus est, 374, 2.
Begardi censebant se reddi posse impeccabiles, 528, 1.
Belisarii ducis dejectio de summo statu, 160, 1.
Bellum unde dictum, 171, 1, 2. bellum vix caret peccatis, 171, 2. oritur ex cupiditate, 171, 1, 2. bellum spirituale quam utile, 20, 2. bellum hæreticorum pax est Ecclesiæ, 462, 2.
Belus Assyriorum primus rex bello vicinos impetiit, 171, 2.
Benedicere Deum angelicum et Sanctorum est, 241, 2. benedixit Deus olim bonis temporalibus amicos suos, 640, 2.
Benedictio Dei, et maledictio proximi ex eodem ore prodire non debet, 155, 1, 2; 156, 2; 158, 1.
S. Benedictus vidit totum mundum in globo collectum, 480, 2.
Benefaciendum inimicis et persecutoribus, 373, 2 et seqq.
Beneficentia est virtus divina, cur, 645, 2. beneficentia nostra morte tantum finiatur, 374, 1. etiam in tribulantes ostendatur, *ibid.*
Beneficia non sunt exprobranda, 38, 2. ad beneficia sacra indignos promovens ob temporalem aliquem respectum, peccat mortaliter, 97, 1.
Beneficiorum Gentilium exempla, 37, 2. benefici homines a Gentibus in deos relati, 168, 2; 667, 2. sunt velut Deus ei cui benefaciunt, 35, 2; 37, 2.
Benignitas Dei erga homines, 593, 1.
Bernardini Ochini atheismus, 455, 1, 2.
S. Bernardus fuit S. Judæ devotus, 649, 1. ex vulneribus Christi omnem gratiam hauriebat, 306, 1. ejus modestia, 325, 1.
Bezæ in Christum blasphemiæ, 454, 2. ejus cenotaphium, 460, 2.
Bilingues duplici sunt corde, 44, 1 et seqq.
S. Blandinæ in tormentis constantia, 295, 2.
Blasphemia est convicium in Deum, 639, 1. etiam quamlibet execrationem et imprecationem significat, 455, 1. blasphemia in Spiritum Sanctum quæ sit, 620, 1. blasphemiæ hæreticorum modernorum in Deum et Sanctos, 454, 1 et seqq. blasphemiæ nominis Dei causa sunt sæpe divites, 109, 1.
S. Bonaventura quam esset moribus amabilis, 158, 1. ejus modestia, 324, 1. ejus lingua diu post mortem integra reperta, 154, 1.
S. Bonifacius Germaniæ apostolus quanti S. Petri pistolas faceret, 230, 2.
Bonitas etiam capitur pro beneficentia et benignitate, 274, 2. item pro virtute qualibet et honestate, *ibid.* bonitas in Deo triplex est, naturalis, moralis, beneficentiæ, 52, 1. bonitas ejus in res omnes exuberat, 52, 2.
Bonum omne est a Deo, 63, 2. debet totaliter bonum esse, non partialiter, 112, 2. est communicativum sui, 36, 2. bonum virtutis majus est quam vitæ, 577, 2. boni honesti intuitu bene agendum est, 328, 2. bona Ecclesiæ sunt pauperum, 579, 1.
Bonus vir se non ulciscitur, 32, 1. videt Deum, quomodo, 646, 1.
Borboritæ sunt hæretici Gnostici, 469, 1. — *Vide* Gnostici.
Brevitas vitæ quanta sit, 550, 1. monet hæc nos diligentiæ, 2.
S. Brigida Romæ mori voluit, 402, 2. ejus revelationes cujus sint auctoritatis, 501, 1.
S. Bruno qua occasione sit conversus, 372, 1.
Burrhi principis patientia. 29, 1.

C.

S. Cæcilia quantam gereret curam castitatis, 178, 1. quid responderit rogantibus cur ætatem et vitam pro Christo prodigeret, 331, 2.
Caiani quinam fuerint hæretici, 65, 2.
Cain an derivari possit a *kana*, id est *zelari*, 173, 2; 670, 2. ex odio et invidia fratrem occidit, 573, 1, 2; interpretatio et etymon nominis ejus, 573, 1. est typus hæreticorum, 670, 2. fuit hæresiarcha primus, 671, 1. ejus in pœnis obduratio, *ibid.*
Caius quis cui scribit S. Joannes tertiam epistolam, 639, 1. an fuerit Hispanus et Mediolanensium Episcopus, *ibid.*, 2.
Caius hospes S. Pauli Corinthius videtur fuisse is ad quem S. Joannes tertiam suam epistolam scripsit, 640, 1. an idem fuerit cum illo Caio cui S. Dionysius epistolas quatuor inscribit, *ibid.*
Cajetani error circa motus concupiscentiæ primos, 57, 2.
Calamitas est vectigal concupiscentiæ, 63, 1.
Calceos albos induebant olim baptizati, cur, 300, 1.
Caliphas Babylonis rex maluit ab hoste occupari, quam pecuniam insumere, 200, 2.
Callimachus pictor dictus est artis suæ improbator, 79, 1.
Calumnias retundit sancta vita, 332, 1, 2. calumniæ maledicentium parvi faciendæ, 644, 2.
Calvinistarum sanguinaria immanitas, 670, 1. sunt Paganis et Turcis deteriores, 461, 1, 2. eos dæmon agit et impellit ut sua organa, *ibid.*
Calvinus docet Deum esse peccati auctorem, 51, 1; 461, 1. quomodo opera ad salutem requiri doceat, 123, 1. mortuum fictum excitare volens eum vere mortuum effecit, 126, 2. nomen S. Trinitatis exosum habet, 263, 2. arianizat, *ibid.* ejus in Christum blasphemia, 304, 2. eum quomodo traducant alii hæretici, 453, 2 et seqq. negat Christum personaliter ad inferos descendisse, 335, 2. ejus funestus interitus, 441, 1; 457, 1. habuit dæmonem familiarem, 446, 2. quas turbas et rebelliones in Gallia excitarit, 450, 2. ejus atheismus, 452, 1. negat infernalem ignem, 461, 1. Deum trinum blasphemat, 263, 1. ejus Deus est Satanas, 464, 1 et seqq. docet Deum impios creasse ut damnaret, 482, 1.
Camœnæ dictæ quasi castæ mentis, 165, 2.
Candida vestis honoratorum erat, 100, 2. est color candidus lætus, *ibid.* candida veste cur vestiantur baptizati, 276, 2; 300, 1.
Canis vomitum resumens typus relabentium, 467, 2 et seqq. eorum natura describitur, *ibid.*
Canonicæ unde dicantur epistolæ, 2, 1.
Capillorum ornatui studere solent mulieres, 312, 2. capilli crispi dedecent viros, 312, 2.
Caput an in Extrema Unctione ungatur, 218, 1.
Carnales homines similes sunt talpæ, 419, 1, 2. carnalia vitia immunda sunt, 78, 2. obscurant et hebetant verbum Dei, 85, 2.
Caro et natura humana quam misera et infirma sit, 510, 1. post carnem alteram abire quid sit, 662, 1. carnis concupiscentia est gula et luxuria, et concupiscibile cibus delicatus et mulier, 546, 2.
And. Carolstadii paralogismus contra gradus Scholasticos, 135, 1. ejus summa impietas, 451, 1. cur factus sit agricola, 556, 1.
S. Carolus Borromæus actionum suarum inspectores habere voluit, 324, 2.
Carpocratianorum fœda dogmata, 164, 2.
S. Casimiri Poloniæ regis filius sanitatis recuperandæ ergo noluit uxorem ducere, 245, 2.
Cassianus caute legendus circa operum distractiones ab oratione, 528, 2.
Casti sunt dii quidam terrestres, 314, 1, 2.
Castificatio animarum quæ sit, 268, 2.
Castigantur improbi ad exemplum aliorum, 662, 2.
Castitas est soror sapientiæ, 165, 2 et seqq. juvat ad scientiam comparandam, 165, 2. per cingulum repræsentatur, 258, 1. est incorruptio spiritus, 314, 1. similes nos Deo

facit, 413, 2. eam hæretici impossibilem censent, 463, 2. pro ea vitam licet exponere, 577, 2. est prima dos uxorum, 312, 1 et seqq.
Castra dicta ut casta, hinc iis arcendæ mulieres, 672, 1.
Catharinæ reginæ Angliæ in adversis patientia, 301, 2.
S. Catharina Senensis elegit coronam spineam præ gemmea, 49, 2. quanta cum fiducia oraret, 40, 1. duo perfectionis præcepta a Christo accepit, 63, 1, 2. unde tantam sapientiam acceperit, 165, 1.
Cathedram S. Jacobi Christiani Hierosolymis extulere ante obsidionem, 9, 2.
Catholicum idem est quod universale, 1, 1. unde dicatur, 2. Catholici plures an salventur, an damnentur, 116, 2 et seqq.
Cato cur dictus ἀγέλαστος, 52, 1.
Cerberus unde dictus, 468, 2.
Cerinthus fuit auctor Chiliastarum, 244, 2.
Certantes adjuvantur a Deo, 397, 2. certare quam acriter pro fide Christiani debeant, 655, 2.
Certitudinem qualem habere gratiæ possimus, 584, 2.
Chalbera cur dicatur hebraice livor, 307, 1.
Χαίρειν tria significat, vox salutantis est, 13, 2.
Charitas summa et increata est Deus, 591, 1; 592, 1. ex eo quomodo esse dicatur, 591, 2 Deus est charitas formalis in se, causalis in nobis, 597, 1. et cur dicatur charitas, 2. charitas perfecta Dei quæ dicatur, 535, 2; 536, 1. talis charitatis qui sint gradus, 535, 2. ejus vires, *ibid.* charitas quæ operiat priora peccata, 228, 1; 355, 2. et quæ peccata, 356, 1 et seqq. reliquas virtutes complectitur, 592, 2. est expers timoris, 604, 1. est plena castitas animæ, 269, 1. operibus debet foveri, 125, 1, 2. clypeus est veritatis, 162, 1. est tessera filiationis Dei, 572, 1. ejus elogia, *ibid.* est virtutum forma et vita, non physica, sed moralis, 124, 2. adfert secum ipsam personam Spiritus Sancti, 412, 2; 414, 2. facit nos Deo similes, 413, 2. ejus fortitudo, 621, 2 et seq. charitatem activam et passivam dedit nobis Deus, 562, 1 et seq. est character Dei, 2. charitas nulla sine patientia, 25, 1. est lex regalis, 109, 2 et seqq. ejus perfectio consistit in animarum conversione, 227, 2. ea tamen debet esse circumspecta, 687, 1. ea est orationi jungenda, 684, 1. charitas multorum sanctorum, 539, 2. et primorum fidelium, 540, 1. incipit a se ipsa, 577, 1. charitas perfecta quomodo sit, 595, 1. perficitur dilectione inimicorum, 2. varium pellit timorem, 602, 2 et seqq. ejus præceptum quomodo sit vetus, 537, 2. quomodo vero novum, *ibid.* et seqq.; 538, 2. mutuas offensas remittit, 356, 2; 357, 1. delicta excusat et celat, 320, 2 et seq. offensas præsentes et futuras etiam abolet, 358, 2. ejus candor, *ibid.* est compago membrorum Ecclesiæ et Christi, 359, 1. charitatem qualem erga invicem habere debeant Christiani, 355, 1. modus ejus quis sit, *ibid.*
Cherubini sunt hieroglyphicum sapientiæ, 31, 2.
Χρηστὸς quam varia significet, 280, 1.
Christianismus cur a multis vilipendatur, 45, 1, 2. est professio vitæ perfectæ, 64, 1. item charitatis, 269, 1; 270, 1. æquat divites pauperibus, 99, 2. docet omnem puritatem et castimoniam, 164, 2 et seq. nihil docet absurdi aut turpis, 167, 1. fuit Prophetis revelatus, eumque prædixerunt, et avidissime exspectarunt, 254, 1. est imago crucis, 346, 1. et imitatio Dei, 413, 1.
Christiani sunt luctatores, et ad certamen uncti, 12, 1. omnes invicem fratres sunt, 45, 1. quam debeant esse perfecti, 64, 2. non sunt sub lege servili, sed filiali, 87, 1. iis quare annulus permittatur, 100, 2. sint animo regio, et quomodo, 64, 1 et seqq. iis licitum est juramentum, 211, 1. sua submittunt Dei providentiæ, 193, 1. toti vivant Deo, 272, 1. pueros simplicitate imitentur, 276, 2. in orbe sunt quasi anima in corpore, 285, 1. crescant quotidie in virtute et via Dei, 408, 2. vivant digne vocatione sua, 287, 2. in hoc mundo peregrini sunt, 291, 1, 2 et seqq. sunt veluti resurgentes, quomodo, 343, 1. mundo crucifixi esse debent, 346, 1, 2 et seq. sunt peculium et cimelium Dei, 288, 2. item discipuli, oves, palmites, membra, sponsæ, templa, victimæ, filii Christi, 289, 1 et seqq. in crucibus florent, ab eis liberi marcescunt, 303, 2; 374, 1. eorum est austere vivere, 457, 2. quare in baptismo ungantur, 553, 2. cur vocentur electi, 632, 1.
Christiani primi erant velut religiosi, 88, 2. eorum paupertas, 44, 2; 102, 1. cur despicerentur: eorum modestia et abjectio, 45, 1, 2; 575, 1. eorum quis esset vestitus, 45. 101, 1. in concione et lectione sedebant, in oratione flectebant, 103, 1. nulla gesserunt bella, 170, 1; 171, 2. eorum mira erga Christum dilectio fuit, 252, 1. quam essent Apostolis obedientes, 260, 2. eorum summa sanctitas, 94, 2; 261, 2 et seq.; 295, 2. iis quæ crimina ab Ethnicis impingerentur, 295, 1, 2. fuerunt insimulati obedientiæ erga reges, 296, 2; 357, 1. mire unanimes inter se fuere, 321, 2. sua sanctitate olim plurimos Gentiles convertebant, 332, 2. mira eorum hospitalitas, 359, 2. ante S. Synaxin se invicem osculabantur, 403, 1. eorum sinceritas, 472, 1. putabant instare diem judicii, 549, 2. plerique inter idololatras agebant, 625, 2. multi eorum Jerusalem veniebant ut Jacobum Apostolum viderent, et in eo Christum, 7, 2. eorum convivia qualia essent, 674, 1.
Christiani Judæi e Judæa fugientes per varias regiones dispersi erant, 238, 1. Christiani ditiores olim paupere opprimentes, trahebant eos ad tribunalia etiam infidelium judicum, 109, 2 et seq. Christiani in India regibus suis parentiores sunt quam Ethnici, 297, 2.
S. Chrysanthus legendo sacros libros conversus est et martyr factus, 86, 2.
M. T. Ciceronis eloquentia et vis permovendi, 142, 2.
Cingulum quarum rerum sit symbolum, 258, 1.
Ciniflones qui dicerentur, 312, 2.
Circuire cur dicatur diabolus, 394, 2.
Circulares epistolæ quæ sint, 1, 1.
Circumspectio in verbis actus est magnæ prudentiæ, 137, 2.
Cirola Arianus Episcopus mortuum fictum excitare dum vult, vere occidit, 126, 2.
Clamare in cœlum peccata quomodo dicantur, 201, 2.
S. Clara quomodo passionem Christi recoleret, 307, 2.
S. Clementis epistolæ an sint genuinæ, 186, 1, 2.
Cleophas an fuerit S. Jacobi pater, an avus, 6, 1.
Clerici sunt sors Domini, 382, 1. clerici minores obediant senioribus, 386, 1.
Cleros (in) dominari quid sit, 381, 2. clerus capitur pro Ecclesiasticis, 382, 1 et seq.
Clinias quantopere juramentum fugerit, 212, 2.
Clinici qui dicerentur, 531, 1.
Coelectus quomodo sit populus Gentium a Christo post Judæos, 399, 2.
Cœlestis gloriæ et vitæ hypotyposis, 50, 1; 684, 2. pura est ab omni et culpa et sorde, 245, 1. non potest ulla labe infici, *ibid.* cur vocetur benedictio, 326, 2. est inenarrabilis, 253, 1. cœlestis corona cur dicatur vitæ, 49, 1, 2 et seqq.
Cœli ex aquis conditi, 476, 1. cœli siderei an igne sint comburendi, 483, 1 et seqq. an in fine mundi liquandi et fluidi futuri sint, 484, 2; 485, 2. erunt deinde perfectiores, et perfectiorem habebunt formam et materiam, 485, 1, 2; 489, 2. quomodo incorruptibiles sint, et tamen aliquando corrumpendi, 484, 1; 485, 2. non sunt immutabiles, *ibid.* mutabuntur in fine mundi etiam substantialiter, 486, 2. et qui cœli, 483, 1; 489, 2. et quomodo, 484, 2. cœli in Script. raro aperti leguntur, 74, 1. cœli priores quomodo perierint diluvio, 476, 2. ante Christum nemo in cœlos ascendit, 336, 1.
Cœlitum vitam nos hic imitari oportet, 494, 2.
Cœlum empyreum constat æthere, 483, 2. cœlorum unum

invisibile et æternum, aliud visibile et corruptibile, *ibid.* cœlum an sit igneum et igneæ naturæ, *ibid.* cœlum capitur sæpe pro aere, 484, 1. empyreum est locus in quo creati omnes angeli, 445, 2. cœlum in Script. est omne quod supra nos expansum est, 484, 2. cœlum quando fuerit inferno subditum, 444, 1. in cœlo nullæ sunt sordes vel peccata, 484, 1; 688, 1.
Cœtu (in) primorum fidelium doctiores docebant et exhortabantur, 72, 2.
Cogitationibus bonis mens semper occupanda, 561, 2.
Cognitio perfecta Christi et veritatis vocari potest datum optimum, 64, 2. cognitio Dei et ultimi finis est vera sapientia, 30, 2. cognitio vera et plena Dei est summum bonum, 418, 1; 625, 1.
Colaphi propria pœna servorum, 302, 1, 2. fuere fidem etiam olim Martyribus impacti, *ibid.*
S. Coleta frequens erat in recolenda passione, 307, 2.
Colores præcipui florum sunt tres, 47, 2.
Cometes ultimus in quo cœlo apparuerit, 483, 1.
Communio sanctorum quæ dicatur, 520, 2. ea cur sit in Ecclesia, 126, 1.
Compassio fidelium quanta esse debeat, 322, 1.
Compositum quoddam est Christus, constans Deitate et humanitate, 508, 1.
Compunctionem (per) Deo appropinquamus, 182, 2.
Conceptio concupiscentiæ quæ et quando fiat, 56, 2.
Concordia animorum in primitiva Ecclesia vigebat, 680, 2. ea conjugibus necessaria, 320, 1. de concordia gnomæ, 2 et seqq. ejus vis, *ibid.*
Concupiscens quomodo non habeat quod concupiscit, 172, 1, 2. possidetur ipse a re concupita, non eam possidet, *ibid.*
Concupiscentia materialis, non formalis est in mundo, 545, 1. concupiscentia fugienda, quia repugnat divinæ societati, 414, 2. ea minuitur per afflictiones et tribulationes, 16, 2. quare dicatur peccatum, 515, 1. tentat nos ad peccandum, et una succedit alteri, 53, 2. diversimode est velut Eva, febris, vulpes, lena, prurigo, *ibid.* est causa intrinseca tentationis et peccati, extrinsecæ causæ sunt variæ, 54, 1. ipsa est semen et origo peccati, 2. non est prava aliqua substantia a diabolo producta quæ pravos motus suscitet, *ibid.* nec est peccatum originale, *ibid.* nec est prava qualitas progenita a peccato originali, 55, 1. concupiscentia quid proprie sit, *ibid.*, 56, 1. vocatur quoque morbidus affectus, et affectionalis qualitas, *ibid.*, 2. non est quid superadditum potentiis animæ, *ibid.* non est ex Deo, sed a peccato et diabolo, 55, 2. est etiam in intellectu et voluntate, *ibid.* dum consensum aliquem elicit, parit peccatum, 56, 1, 2. motus ejus rationem prævenientes, ac proinde involuntarii, nulla sunt peccata, 57, 1. blande irrepit et enecat, 58, 1. optimum contra eam remedium est oratio, 2. semper nobis in pœnam peccati ad agonem adhæret, 59, 1. quam ipsa fera et atrox sit, 59, 2. cupidini confertur, et ejus conditiones et mors, 60, 1 et seqq. cedendo augetur, et sistendo minuitur, 61, 1. est insatiabilis, 172, 1. item instabilis, 2. ob eam non potest homo semper ab omni veniali peccato abstinere, 136, 1.
Concupiscentia triplex est in mundo, 545, 1; 546, 1. hac dæmon protoplastos et Christum tentavit, 2. opponitur SS. Trinitati, 545, 1; 546, 1 non est ex Deo, sed ex mundo, 547, 1. est ex Adamo nata, *ibid.* cito ea transit, *ibid.* hujus triplices typi qui fuerint, 673, 1. concupiscentias qui sequitur, mancipium est, 465, 1. in membris potissimum resident, 171, 2. militant adversus spiritum, *ibid.* quomodo nobis dominentur, et non dominentur, *ibid.* suscitant bella in nobis, 172, 1. sunt mysticæ fornicationes, 175, 1. idem sunt quod ipse mundus, *ibid.* iis bellum est inferendum, 2; 58, 1; 169, 2.
Concupiscentia oculorum quæ sit, 545, 2. quæ carnis, 546, 1.
Confessarii quomodo se munire debeant, ac cum peccatoribus agendum, 687, 1.
Confessio sacramentalis quam sit utilis, 529, 1. ipsa est a Christo instituta, sed eam denuntiavit S. Jacobus, 221, 1. est ad salutem necessaria, *ibid.* ejus vis, *ibid.* confessio specialis melior est generali, 528, 2. facta laicis non est sacramentalis, nec præcepta, 220, 1. hæc quando commendetur, 2. confessiones in morte, eorum qui male vixere, vix bonæ esse queunt, 118, 2.
Confidendum nobis est in Deum, 389, 2.
Confidentia nostra in Deum excitat eum ad nobis providendum, 389, 390, 1. confidentia in oratione requiritur, 39, 2. unde ea in orante oriatur, 40, 1. — *Vide* Fiducia.
Confirmationis Sacramentum olim dabatur statim post baptismum, 553, 1. in eo datur donum sapientiæ, 554, 1. in eo quasi milites auctoramur ad certandum pro fide Christi usque ad mortem, 346, 2. in eo varia aliquando membra inunguntur, *ibid.*
Confitendum sacerdoti, non angelis, 219, 2. nec laicis, cur, *ibid.* confitenda sacerdotibus mortalia, Deo venialia, 528, 2.
Conflagrationis mundi ac judicii ordo, 477, 2.
Confusiones hæreticorum quæ sint, 676, 1.
Conon Abbas tentationem metuens caruit mercede victoriæ, 21, 1.
Conrardi Vorstii atheismi varii, 454, 1.
Conscientia bona tessera est veri Christiani, 343, 1, 2. ejus quantum sit gaudium, 522, 1 et seqq.; 688, 1. dat fiduciam in oratione, 582, 1. hæc nihil timet, 332, 1. hac maxime colitur Deus, 94, 2. conscientia Dei quæ dicatur, 301, 2 et seq.
Consensio animorum in fidelibus requiritur, 320, 2.
Consensum in tentationes petimus ut Deus a nobis avertat, dum petimus in eas non induci, 20, 1. hic adfert animæ mortem, 62, 1.
Conservati prius et dein vocati, an bene dicantur Christiani, 653, 2.
Consideratio vanitatis et brevitatis vitæ, bonorumque omnium temporalium reddit cor mundum, 95, 1.
Consolationes dat Deus in passione, 18, 1. eæ post desolationem spiritus succedunt, 22, 1.
Conspectus Dei regula actionum est, 581, 1.
Constantia in oratione adferenda, 44, 1. ea quo pacto paretur, 69, 1.
Constantinus Magnus in Ecclesia sedere noluit, 102, 1. aquilas in labarum crucis mutavit, 346, 2. Episcoporum criminationes audire noluit, 357, 1.
Consuetudo peccandi quam noxia, 620, 2.
Consummatio peccati quadrupliciter fit, 62, 1.
Contentio hominum unde nascatur, 161, 1, 2. ejus damna, 161, 2. ejus remedium, 162, 1.
Continentia est virtus generalis vitiis omnibus modum præscribens, 417, 1.
Continentium variorum exempla, 294, 1 et seqq.
Contrectarint Apostoli quomodo verbum Dei, 512, 2.
Contritio manat ex præveniente et excitante gratia, 530, 2.
Conversio animarum quam sit gloriosa, 227, 1, 2 et seq. et Deo placens, 229, 1.
Convertens animam, tegit peccata, 228, 1, 2.
Convivia adeuntes timore Dei se præmuniant, 674, 1. convivia solemnia de communi ærario sugillantur a S. Jacobo, 204, 1. qualia essent primorum Christianorum, 674, 1. conviviorum dies quinam Gentilibus essent, 204, 2.
Cor suadere quis dicatur, 580, 2 et seqq. cor mundum est hostia Deo, cur, 49, 1, 2.
Corculi dicebantur qui valde erant prudentes, 648, 1.
Core perditio præludium fuit perditionis hæreticorum, 672, 1, 2. ipse fuit eorum schema, *ibid*

Coriarius quidam ob humilitatem præpositus a Deo est S. Antonio, 46, 1.
Cornustibii unde dicta filia Job, 210, 1.
Coronabantur olim baptizati, 280, 2 et seq. et hæc corona ab Episcopo benedicebatur, *ibid.*
Coronæ tres tabernaculi repræsentant tres aureolas cœlestes, 385, 2.
Corpus humanum constat ex aqua et sanguine, 609, 1. cur vocetur tabernaculum, 425, 2 et seqq. ejus fabrica docet hominem multa audire et pauca loqui, 74, 1, 2. id facile frænabit, qui linguam potest, 139, 1.
Corpora resurgent in resurrectione in statum perfectiorem, 487, 1; 489, 2. corpora beata sunt lucida et splendida, 66, 2. corpora cœlestia sine strepitu motum suum peragunt, 74, 1. corpora mixta resolventur ab igne extremo conflagrationis mundi, in elementa, 477, 2.
Correptio sit modesta et suavis, 156, 2; 323, 2. corripiens alium id faciat ex misericordia potius, quam per judicium dure increpando, 122, 1. is consideret an idem aliquando vitium non habuerit, 137, 1.
Cosmus Abbas etiam mortuus aversatus est hæreticos, 636, 2.
Creare et *creatura* capitur subinde pro *ordinare* et *ordinatione*, 297, 1.
Creaturæ omnes sunt instabiles, 661, 1. militant Deo ad vindictam impiorum, 202, 1. unde nobis vertantur in irritamenta concupiscentiæ, 547, 1. suam a Deo bonitatem hauriunt, 52, 2. iis adhærens fit instabilis, 69, 1.
Credimus jam quæ postea ad oculum videbimus, 260, 1. credens in Christum habet in se Dei testimonium, 615, 1. credere Deo quam sit difficile, 129, 2.
Crescere in spiritu et Dei cognitione nos semper oportet, 279, 2 et seqq.; 493, 2.
Crocodilus symbolum est tenebrarum, 525, 2.
Crux sanctitatis magistra est Sanctis, 307, 1. est panoplia hominis Christiani, 346, 1, 2. est tessera militiæ Christianæ, *ibid.* quam sit dulcis et suavis, 16, 1; 18, 1. crux ob Christi contactum adoratur, et alia quælibet, 366, 2. ejus virtus, 268, 1. ejus lignum erit ab igne conflagrationis mundi immune, 488, 1. fuit currus triumphalis Christi, 306, 2. est via ejus in cœlum, 304, 1. crucis signum Christiani præfigebant litteris suis et monumentis, 12, 1.
Crucifixus Christus est velut surculus arbori insertus, 80, 2.
Crudelitas hæreticorum, 670, 2.
Culpa (pro) puniri est actus justitiæ, 332, 2 et seqq.
Cultus modestia decet mulieres, 312, 2.
Cupiditatum quibus quis vivens servivit, memoria etiam in morte recurrit, 117, 2.
Cupido summus deorum erat Gentilibus, 598, 2. ex concupiscentia natus, quomodo is pingatur, 60, 1. ejus descriptio, *ibid.* et seqq. ejus varia nomina, 2. — *Vide* Concupiscentia,
Curam nostri habet Deus, 389, 1.
Curiositas damna varia adfert, 368, 1.
Currus stercorum dicti sunt quidam Anabaptistæ in Hollandia, 469, 1.
Custodia Dei erga suos mira, 247, 1.
S. Cypriani modestia in vultu, 325, 2. tortori suo dedit 25 aureos, 374, 1. etiam morti proximus suos est exhortatus, 2.
Cyriacus Abbas a B. Virgine reprehensus quod in cubiculo libros Nestorii haberet, 637, 1.
Cyrus imperium a Deo iniit, et cum eo finivit, 216, 1.

D.

Δακτύλιος non fibulam, sed annulum significat, 100, 1.
Dæmon vox unde deducatur, 163, 1; 392, 2. dæmones an fidem habeant, 127, 1. sunt mystici gigantes, 141, 1. quomodo per omnia nos tentent, 391, 2. an in inferno horribilia assumant corpora ut damnatos magis crucient, 444, 1, 2. pœnitere nolunt peccati, 444, 1. ante diem judicii cruciantur igne, sed in judicio crescet eorum pœna, 446, 1; 663, 1. non potuerunt resurgere per pœnitentiam, 443, 1. eorum peccatum fuit superbia, sed in quo ea sita fuerit, 2. nunquam salvabuntur, 334, 1; 444, 2. ubi creati sint, 445. sunt creati in gratia, 660, 2. non sunt natura mali, *ibid.* quibus vinculis æternis ligati sint, 661, 1, 2. eorum plurimi sunt in aere, *ibid.* nocere nobis nequeunt nisi volentibus, *ibid.* — *Vide* Diabolus.
Damnandorum confusio et pudor in judicio quantus, 560, 1.
Damnati non amplius habent fidem, 127, 1. statim a morte rapiuntur in tartara, 450, 1. damnati aliqui semel, an a Christo ad inferos descendente liberati et salvati, 336, 2.
Damnantur plures quam salventur, 116, 2; 118, 1.
Dare Deo proprium est, 35, 1.
Datum est idem quod donum, 63, 2.
David fuit typus æque ac pater Christi, 377, 2. quomodo se ad judicium Domini præparet, 489, 1.
Δὲ capitur etiam pro *ergo*, 604, 2. etiam pro *enim*, 52, 2.
Debora et Barach quid mystice denotent, 432, 1.
Decalogus semper obligat, quia est lex naturæ, 87, 1. eum quomodo uno peccato quis transgrediatur, 112, 2 et seq.
Δεῖπνον unde dicatur, 459, 1.
Deliciarum damna, 202, 2 et seqq.
Delphinorum in homines amor, 152, 1.
Demerita (ante) prævisa et mortem in peccato, Deus neminem reprobat, 482, 1.
Demetrius, quem ab hospitalitate S. Joannes commendat, quis fuerit, 646, 2.
Demosthenis vis in dicendo, 143, 1.
Dentibus hominum quoddam inest virus, 85, 2.
Desideria carnalia quæ dicantur, 294, 1.
Despumare et dispumare quomodo differant, 676, 1.
Desunt omnia Christo in pauperibus, 578, 2.
Detractionis vitium quam commune sit, 186, 2. fit quinque modis, *ibid.* ipsum quam grave sit, *ibid.* et cur sit abominabile Deo, *ibid.* ejus malitia, *ibid.* 147, 2. quam illa sit fugienda, 188, 1. in ea triplex velut committitur homicidium, 576, 2. ejus varia sunt genera, 276, 1, 2.
Detractor quomodo legem judicare dicatur, 187, 1, 2. item Deum, *ibid.*
Deus vox unde dicatur, 35, 1. Dei definitio, 36, 2; 597, 1. pro eo pati quam sit gloriosum, 19, 1. est omnium rerum Dominus, 12, 1. est æterna, immensa et essentialis sapientia, 33, 2. quomodo sua dona det, 35, 1. ejus propensio ad se communicandum Filio et Spiritui Sancto, tum angelis et hominibus, 2 et seq. in justificatione seipsum animæ communicat, 36, 1. ejus munificentia quintuplex est, 36, 2. diversimode et multipliciter se homini communicat, *ibid.* et seq. dat plura quam rogetur, et antequam rogetur, 37, 1. in die judicii exprobrabit impiis quod data gratia sint abusi, 39, 1. cur sæpe fideles non exaudiat temporalia petentes, 42, 1. et tunc negando petita misericors est; tribuendo, iratus, 174, 2. sæpe fidei et fiduciæ defectum in orantibus supplet, 43, 1. non est auctor mali et peccati, 51, 1. quadrupliciter intentator malorum est, 2. totus est bonitas, 52, 1. ejus bonitas naturalis quæ sit, 2. est per essentiam bonus, et ipsum bonum, *ibid.* est superperfectus, *ibid.* vincitur ab amore, 61, 1. nil dat nisi bonum, 63, 2 et seq. ipse 1 per lumen optime repræsentatur, 64, quot modis dicatur pater luminum, 65, 2 est ad intra lux increata et originalis, *ibid.* est auctor omnium luminum, 66, 1. apud eum non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, 67, 1. est immutabilis diversimode, 2. est semper in benefa-

ciendo sui similis, 68, 1. nos genuit voluntarie, quomodo, 69, 2. ejus silentium, 73, 2. judicat tranquille sine ira, 77, 1. puritate delectatur, 94, 2. ejus sanctitas, *ibid.* puris delectatur, 94, 2. non est acceptor personarum, 98, 1. pauperes eligit, 105, 1. et diligit, 108, 1, 2. misericordia magis utitur quam justitia, 116, 1, 2. ei mundus adversatur, 176, 1. quomodo sit zelotes, 177, 2. modi ei appropinquandi, 182, 1. omnibus nobis proximus adest, *ibid.* quotupliciter ad hominem pœnitentem accedat, 183, 1. detractor eum judicat, 187, 2. multa non statuit nisi prævisa libera hominum actione, 194, 1. misericordia ejus magna est diversimode, 242, 1. est hæreditas nostra, 244, 2. suos mire custodit, 247, 1. solus ipse animam implet, 253, 2. cum eo conversari, reddit sanctum, 263, 1. semper accedentes ad se excipit, 280, 2. ubique præsens est, 328, 1. ejus patiens longanimitas erga peccatores, 339, 1. suos maxime punit et probat, 370, 1. disponit omnia mala quibus sui affligantur, 372, 2. gerit curam nostri, 389, 1, 2. delectatur nostra de se confidentia, *ibid.* liberalitate non vincitur, *ibid.* maxime suis adest in rebus desperatis, 21, 2, 390, 1. suos confirmat, perficit, solidat, diversimode, 399, 1. nullam dat homini gratiam, nisi per merita Christi, 407, 2. ipse solus essentialiter habet naturam divinam, 411, 2. in Christo sibi complacet, 430, 2 et seqq. cur homini peccanti pepercerit, non angelo, 443, 2. res creatæ possunt eo jubente in nihilum resolvi, 475, 1. omnia tempora in momento pervidet, 479, 1. neminem vult damnari, sed omnes salvari, 482, 1. potest cœlos mutare, 484, 2. ipse ubique præ oculis habendus, 492, 1, 2. ejus æternitas omnia tempora ambit et complectitur, 505, 2. est vivus et originalis vita omnium aliarum vitarum, 281, 1; 518, 1. ubi esset Deus cum nihil vel nullus locus esset in rerum natura, 520, 1. ejus et lucis analogiæ, 523, 1. in eo non sunt tenebræ, et quæ, 524, 2. est justus cum peccata condonat, 529, 2 et seqq. quos ipse amat, eos facit sibi in amore respondere, 562, 1. est summe justus, 569, 1. est major judex quam sit conscientia, 581, 2. voluntatem timentium se facit, 582, 1, 2. manet in obediente quintupliciter, 584, 1. in se est charitas formalis, in nobis causalis, 592, 1; 597, 1, 2. ejus in nos charitas, 592, 2; 593, 1, 2. ejus essentiam nemo vivens vidit, 594, 2. quomodo eam videant beati, *ibid.* non potest imagine ulla exprimi, 595, 1. habitat in amante et justo, 598, 2. quos tunc ibi producat effectus, 600, 1. ejus cognitio summum est bonum hujus vitæ, 625, 1. est sibi lux, nobis caligo, 646, 1. vocatur dominator dominus, 658, 1. natura sua est impeccabilis, 687, 2.

Dii quasi erimus in cœlo, 565, 1, 2. deorum filios se esse multi Gentiles jactabant, 563, 2 et seqq. et hos omnibus cupidinibus suis præficiebant, 348, 1.

Deuterocanonici libri sacri qui dicantur, 496, 1.

Diabolica sapientia quæ dicatur, 163, 1.

Diabolistæ quales sint in Gallia hæretici, 446, 2.

Diabolus vox unde deducatur, 391, 2. est idem quod criminator, 666, 1. est adversarius noster juratus, 391, 2. ejus invidia erga nos, 392. ejus superbia, 392, 1. vocatur leo, *ibid.* et seqq. quam scientiam docuerit, 163, 1. psalmodiam maxime exosam habet, 215, 2. magister hæreticorum est, 149, 2. est auctor concupiscentiæ, 547, 1. quomodo cum S. Michaele sit altercatus de Moysi corpore, 666. cur amet porcos, 469, 2. fugatus et victus redit iterum iterumque, 181, 2. est myrmicoleon, *ibidem.* timidis insultat, *ibidem* victus confugit ad insidias, 181, 2. sanctiores magis infestat, 182, hebraice vocatur *sair*, id est hircus, 393, ejus natura, mores, fraudes, sævitia describuntur, 693 1 et seqq; 393, et seq. cur circumeat, 394, 2. ejus fraudes, *ibidem*; 181, 1. ejus sagacitas, 395, 1. quibus armis vincatur, 2 et seq. in idolis colitur, cur, 626, 1. ejus odium erga Deum 573, 2. nihil potest in vere justum, 622, 1. ejus vires sunt a Christo occisæ, *ibid.* hominem in morte quomodo tentet et oppugnet, 668, 2. an diabolum particularem antagonistam homo quilibet habeat, 392, 1. vincitur maxime gaudio spirituali, 20, 1. is quomodo ab initio peccarit, 569, 1, 2. quale ejus peccatum fuerit, *ibid.* ex diabolo est qui facit peccatum, *ibid.* — *Vide* Dæmones.

Diaconissarum quod esset officium, 632, 2.

Diaconus in necessitate an sacramentaliter possit absolvere 220, 2. potest absolvere ab excommunicatione, *ibid.*

Διανοία quam variam significationem habeat, 624, 1, 2.

Didymus Alexand. in Epist. Canonicas est commentatus, 5, 2.

Dies boni dicuntur felices, tum hujus, tum futuræ vitæ, 327, 2. dies visitationis quæ dicatur, 296, 1. dies revelationis est dies judicii, 252, 1. — *Vide* Judicium. Diei apud Hebræos partes et horæ erant quatuor, 549, 2. dies unde in duodecim horas divisus, 550, 1. diei assimilatur fides et Evangelium, 434, 2. item beatitudo cœlestis, 435, 1.

Difficultates rei sæpe minuuntur in ejusdem susceptione, 277, 1.

Diffidentia in oratione displicet Deo, 40, 2 et seqq.

Digitus auricularis quis, et cur in eo annulus gestatur, 100, 1.

Digne Deo quomodo aliquid fiat, 642, 2.

Dilectio est Deus, 594, 1. eam quanti ipse faciat, 594, 2. dilectio nostra quomodo se debeat extendere, 270, 2. eam Christus suis maxime commendat, 110, 1. actus dilectionis Dei super omnia peccatorem justificat, 356, 1. sit realis et operosa, non verbalis, 579, 2. huic, non soli fidei, promissum est regnum Dei, 593, 2. dilectio mira fuit primorum Christianorum erga Christum, 252, 1. — *Vide* Amor, Charitas.

Diligit (qui non), non novit Deum, 592, 1. Deum diligens, diliget et proximum, et diligens proximum, Deum diliget, 606, 1, 2.

Diluvio mersi non omnes sunt damnati, 337, 2; 338, 2. ipsum fuit Dei patientia, cur, 339, 1, 2. est figura baptismi, 340.

S. Dionysia Martyr quam generose Arianis responderit, 49, 1.

Diotrephes an fuerit Episcopus, an vir aliquis potens et arrogans, 644, 1. fuit Episcopatu dejectus, 2. ejus insolentia, *ibid.*

Δίψυχος quatuor diversa significat, 43, 2.

Discinctus capitur pro ignavo et dissoluto, 258, 1.

Disciplina religiosa in aliquo monasterio vigere unde intelligatur, 91, 1.

Discipulorum est audire, docentis loqui, 73, 1.

Discretio spirituum est magnum Dei donum, 587, 1.

Dispersis Judæis quibus S. Jacobus scribat, 13, 2.

Disputare de fide non est laicorum rudium, 656, 1.

Dives apud Deum quis sit, 315, 2. dives quomodo possit in humilitate sua gloriari, 46, 2 et seqq. divites sugillantur qui in pauperes duri, 579, 1. hi ægre cœlum ingrediuntur, 107, 1. quam difficulter Deum amare queant, *ibid.* hos non oportet præferre pauperi, 97, 1. id faciens posset peccare aliquando mortaliter, 103, 1. divites hic et in futuro cruciabuntur, 196, 1. quare plorare et ululare debeant, 2 et seqq. eorum splendor in quo situs, 47, 2. quæ eorum itinera, *ibid.*

Divinitatem (in) injurii sunt hæretici, 451, 1 et seqq. ejus symbolum est amiantus lapis, 245, 1. deitas Christi adstruitur, 504, 1, 2 et seqq.; 506, 2; 608, 2 et seqq.; 611, 1; 624, 2 et seqq. illa non est passa, 345, 1. arboris trunco assimilatur cui humanitas inserta est, 80, 1.

Divinum est animarum conversioni studere, 227, 2.

Divitiæ quare sint contemnendæ, 104, 1 et seqq. sunt fomites omnium vitiorum, 107, 2. inflant divitem, 108, 2. sunt tantum flos fœni, 46, 2. pariunt superbiam, 45, 1.

per se non sunt honorandæ, 103, 1. iis omnia conceduntur, 99, 2. quas in animis hominum cogitationes producant, 104, 1. divitiæ veræ sunt virtutes, 101, 1; 105, 2.
Docilitas est pars prudentiæ, 14, 1.
Δοκίμιον et δοκίμη quomodo differant, 24, 1.
Doctor docet frustra, nisi intus docet Spiritus Sanctus, 595, 1. doctores vocari possunt spiritus, 586, 1. eorum in cœlo ingens est gloria, 385, 2. doctores perversi loquuntur lingua dæmonum, 149, 2. doctores multi dum sunt, quæ mala sequantur, 134, 1.
Doctoratus est gradus in Ecclesia, 135, 1.
Doctrina Evangelica lacti similis est, 277, 2.
Dolorem habet refrænatio linguæ, 140, 2. dolores vitæ hujus quid modicum sunt, 249, 2. dolores Christi fuere in carne, sed maximi in spiritu, 345, 1.
Dolus quid sit, unde dicatur, 274, 2. ejus definitio apud Græcos, 327, 2.
Dominationem quam spernerent Gnostici, 665, 1.
Dominator et Dominus quomodo differant, 657, 2.
S. Dominicus jugiter aut cum Deo, aut de Deo loquebatur, 361, 1. quidquid a Deo petiit impetravit, 40, 1.
Dominium Dei in res omnes negant hæretici, 451, 1.
Dominus proprium epithetum Dei est, 12, 1.
Domitiani Imperat. arrogantia, *ibid.*
Fl. Domitilla martyrium pro virginitate obiit, 311, 1.
Domus spiritualis quæ dicatur, 282, 2.
Dona Dei optima et perfecta sunt, 64, 1. donum perfectum quid sit et intelligatur, *ibid.*
Δόξαι quam varia significet, 452, 2 et seqq.; 666, 1.
Drusiana an fuerit illa Electa ad quam S. Joannes secundam epistolam scribit, 632, 2.
Dubitans in oratione videtur duas habere animas, 43, 2.
Dulcedo christianismi et sanctæ vitæ, 280, 1.
Duplici corde qui sint, 183, 2.
Duplicitas in oratione quæ sit, 43, 2 et seqq. quæ ejus origo et radix, *ibid.*
Duri dure increpandi, 174, 2.
Δύσκολος quid significet, 301, 1.

E.

Ebion negabat Christi divinitatem, 501, 2; 506, 2.
Ebionitæ aquam meram in calice offerebant, 610, 2 et seq.
Ebrietatis incommoda, 259, 1.
Ecclesia est visibilis, 283, 2. est sacerdotium sanctum, 283, 1. item regale, 287, 2. ejus et arcæ Noe analogiæ, 340, 1. ejus præcipua nota est quod sit Catholica, 1, 2. fulget ut sol et luna, 436, 1. est regnum et regale sacerdotium, 287, 1. est Christi, non Pontificis, 379, 1. ejus societas est cum Deo et Christo, 521, 1; 498, 2. quam ei nocent schismata, 681, 1.
Ecclesia Romana quam semper fuerit florens, 402, 2. caput est omnium Ecclesiarum, 232, 2. qui ab ea dissidet, a Christo disjunctus est, *ibid.* Ecclesiæ omnes a S. Petro per orbem fundatæ sunt, 234, 2.
Ecclesiastici in pauperes esse liberales cur debeant, 579, 1.
Ἐκτενὴς variam habet significationem, 355, 1.
Edmundus Campianus gaudebat audita mortis sententia, 17, 2.
Effeminatus vir turpe monstrum, 311, 2.
Effusio sanguinis Christi est pretium pro peccatis totius mundi, 526, 2.
Egregium idem est quod selectum, 539, 1.
Εἰλικρινὴς vox unde deducatur, et quid significet, 472, 1.
Electa, cui S. Joannes scribit, an sit Ecclesia aliqua particularis, 632, 1. verius est fuisse matronam aliquam, 2. an proprium ejus nomen fuerit Electa, 632, 1. vel appropriatum, *ibid.* fortasse fuit præses Ecclesiæ, 632, 2. an habuerit sororem sibi cognominem, 628, 2. ejus filiæ fuere virgines,
Electi cur dicantur diaconi, et Episcopi, 632, 1, 2. electis quibus S. Petrus scribat, 237, 2.
Electio duplex est: una ad fidem et gratiam, altera ad gloriam; rursus alia absoluta et efficax, alia inabsoluta et conditionata, 420, 1, 2. electio ad gloriam a Deo sit ex prævisis cujusque meritis, 421, 2.
Eleemosyna quomodo hominem mundet, 113, 1. sola non servat, si reliqua præcepta violentur, 112, 1. ipsa ditat, avaritia depauperat, 198, 1. sacrificium est, 93, 1. est semen magnæ messis, 2. pilæ ludo similis est, *ibid.* ejus lex obligat in gravi necessitate, 578. ea danda e magno affectu commiserationis, *ibid.*, 2.
Elementa in fine mundi quæ et quomodo solvenda sint calore, 487, 1. non sunt dissolvenda, sed tantum extenuanda et liquanda, *ibid.*; 489, 2. elementa quatuor quadruplicem repræsentant concupiscentiam, 545, 2.
Elias fuit vita angelicus, 224, 1. nominis ejus etymon, *ibid.* ejus zelus et ardor, *ibid.*, 2. an sit Phinees nepos Aaronis, *ibid.* 1, ejus in orando fiducia, *ibid.* ejus elogium, 224, 2. an sit ob nimium zelum raptus in cœlum, *ibid.* orationis ejus vis, *ibid.*; 225, 1.
Elias Episcopus Hierosolymitanus precibus famem Palæstinæ induxit, 225, 2.
S. Elisabetha Hungariæ regis filia ex aspectu crucis mire compuncta fuit, 307, 1.
Elogii Edesseni Orthodoxi generosum responsum Imp. Valenti, 48, 1.
Elxai hæresis quæ esset, 614, 2; 626, 2. ejus nomen quid significet, 626, 2.
S. Elzearius Comes e passione Domini suam mansuetudinem hausit, 305, 2.
Emendatio vitæ tegit peccata, 358, 1.
Ἐν sæpe ponitur pro εἰς, 240, 1.
Ἐγκομβώσασθε diversimode accipitur, 386, 2.
Encratitæ prohibent nuptias et abstinentiam a cibis, 664, 2.
Encyclicæ epistolæ quæ olim dicerentur, 1, 1.
Enim quam varia significet, et sæpe orationem inchoat, 43, 2.
Enthusiastæ docebant contemplatione submergi hominis humanitatem in deitatis abyssum, 410, 2.
S. Ephrem in mentis tranquillitate rogabat sibi certamina restitui tentationum, 22, 2. totus est in luctu et compunctione, 184, 2. assidue judicii recordabatur, 115, 1.
Epicurismus invaluit suggerente Calvino, 464, 1.
Episcopatus olim non honores et opes, sed onus includebat, ideo eum multi refugiebant, 380, 2.
Episcopi dicebantur a Romanis annonæ provisores, 92, 1. Episcopi litteras ad Ecclesiam suam missas olim recipere solebant et legere, item ad alios scribebant epistolas encyclicas, 1, 1; 63, 1. eorum quod sit officium ex vi nominis, 379, 1, 2. invigilent saluti animarum, 309, 1, 2. cur crucem auream in pectore gestent, 376, 1, 2. cur annulum, 100, 1. solebant olim hospites ad se venientes invitare ad concionem in Ecclesiam faciendam, 642, 1. olim e monachis et contemplativis eligebantur, 610, 2. iis subsint reges, 297, 1, 2. Episcopi plures una in civitate non sint, 133, 2. Episcopi avari suggillantur, 380, 1.
Epistola est velut apostola, 502, 2. epistolis Christiani Dei, S. Trinitatis, aut Christi nomen præfigebant, 12, 1. epistolæ Catholicæ quæ sint et dicantur, 1, 1. eædem dicuntur Canonicæ, 2, 1. sunt Scripturæ canonicæ, *ibid.* earum inter se consensus, 2. quis earum sit ordo, 4, 1. scriptæ sunt græce, 5, 2.
Epistolarum Paulinarum difficultas, 493, 2.
Epistola S. Jacobi ab hæreticis rejicitur, et cur, 4, 1. ostenditur esse Canonicam, *ibid.* et seq. cur aliis epistolis in serie præponatur, *ibid.* ejus argumentum, 2 et seq. est canon fidei et vitæ Christianæ, 5, 1. quando scripta ab eo, *ibid.* scripta est græce, 2. uter Jacobus eam scripserit, 6, 1. an in ea erasum nomen Apostoli, 13, 2.

Epistola S. Petri prima, Canonica est et scripta Romæ, et quando, 230, 1. et qua lingua, *ibid.* scripta primario ad fideles dispersos Judæos, 2. ejus argumentum, 231, 1.
Epistola secunda S. Petri stylo dissidet a prima, 404, 1. est Scriptura canonica, *ibid.* exstat etiam syriace, *ibid.* ejus auctor S. Petrus, 2. quando ab eo scripta, et ubi, *ibid.* ejus quod sit argumentum, 405. ad quos sit scripta, 405, 2.
Epistola prima S. Joannis Canonica est, 496, 1. ejus auctor, *ibid.* ejus argumentum quod sit, 501, 2. scripta est ad Parthos, 502, 1. item græce, 2. epistolæ duæ posteriores S. Joannis sunt Canonicæ, 629, 1.
Epistola S. Judæ est Canonica, 649, 2. cur de ea aliqui dubitent, *ibid.* est græce scripta, *ibid.* ejus laus et elogium, *ibid.* ejus argumentum, *ibid.* 650, 1. ejus qui fuerint interpretes, 2. valde similis est epistolæ secundæ S. Petri cap. II et III, *ibid.* cur ultimo loco in ordine biblico posita, *ibid.*
Epistola de malis doctoribus sub nomine Sixti III edita, est supposititia, et Pelagiani cujusdam, 6, 1.
Ἐπιτελέω quam varia significet, 397, 1.
Ἐπιτιμάω nunc increpo, nunc præcipio vertitur, 669, 1.
Ἐπόπτης quis proprie sit, 428, 2.
Epulæ quam diversa significent, 202, 2. conjuncta sunt cum immisericordia, *ibid.* epularum damna, *ibid.* 1.
S. Equitius cœlitus donum prædicationis accepit, 34, 2.
Erasmus arianizat pene ubique, 625, 1, 2. Filium Dei perperam vocat sermonem, 514, 2. ejus expositio de propheta Deo Patre exploditur, 433, 1. ejus error circa baptismum parvulorum, 346, 2.
Erat cum de Filio Dei dicitur, notat ejus æternitatem, generationem, divinitatem, 504, 2 et seqq. et permanentiam, 505, 1.
Ἐργασία etiam calumniam fraudulentam significat, 299, 2.
Error duplex est, fidei et morum, 226, 1.
Essæi unde dicti, quæ eorum sanctitas, 262, 1. eorum preces, opera et prandia, 2. eorum continentia et modestia, *ibid.*
Essentiam Dei nemo potest videre vivens, 594, 1. eam vident Beati, 564, 2; 565, 2. essentiam divinam Christi Apostoli in transfiguratione non viderunt, 428, 2 et seq.
Et sæpe capitur pro *sic*, 265, 2.
Evagrii Abbatis de silentio gnome, 138, 1.
Evangelium S. Jacobi suppositium est, 9, 1. Evangelium velut speculum est, 83, 1. id non facit Christianos liberos ab observatione mandatorum, 87, 1.
Eucharistia (in) Christus nobis inseritur, 80, 2. in ea is non videtur, sed creditur, 252, 2 et seq. in ea Angeli Christum adorant, 256, 2 et seqq. ipsa est gratia gratiarum, 260, 1; 657, 1. olim recens baptizatis dabatur, 278 1. lacti confertur, *ibid.* est viaticum Christianorum, 293, 1. quomodo vocetur antitypa, 340, 2. per eam fimus divinæ naturæ consortes, 413, 1. est forma amoris, 597, 1, 2.
Εὔχομαι et vovere et orare significat, 641, 1.
Euclydis Megarensis patientia, 29, 1.
Eunomius docebat Filium non esse Verbum, 520, 2.
Εὐδοῦσται quid proprie sit, 641, 1.
Euripus quis sit locus, ipse symbolum inconstantiæ est, 42, 2.
Eusebius anachoreta quomodo parvam in audienda sacra lectione negligentiam in se punierit, 85, 1; 294, 2.
Eusebii Samosateni generositas contra Constantium Imp. Arianum. 48 1.
Eusebius Vercellensis maluit fame mori, quam ab Ariano cibum sumere, 636, 2.
Eutychiani docebant humanitatem Christi a deitate fuisse consumptam, 410, 2.
Examinandi sunt spiritus a fidelibus, 586, 2.
Exempli vis major quam verbi, 295, 1. ea quantum possint in utramque partem, 208, 1; 645, 1. exempla fortium docent fortitudinem, 207, 2.
Exfornicatæ quomodo dicantur Sodoma et Gomorrha, 662, 1.
Exploratores in Hierichuntem missi qui fuerint, 131, 1.
Exprobratio est beneficii tinea, 38, 1. 2.
Extremæ Unctionis Sacramentum negarunt multi hæretici, 214, 1. ostenditur Sacramentum esse, et de eo S. Jacobum agere in epistola, *ibid.* et seq. negat id Calvinus, *ibid.* adhibendum id periculose laborantibus, 214, 2. non sanis, non mortuis, 215, 1. sed compotibus mentis, *ibid.* ipsum etiam præcipitur, *ibid.* adhibendum non perceptis aliis Sacramentis, *ibid.* conferendum a Sacerdote, non laico, *ibid.* a pluribus valide confertur, 2. in eo oratur manibus impositis pro ægro, *ibid.* ejus materia est oleum olivarum, 214, 1. ejus formæ quæ sit vis, 217, 1. in id recipiente requiritur fides, 2. quomodo ægrum salvet in corpore et anima, *ibid.* non est differendum usque ab extremum halitum, 218. ejus effectus in anima, *ibid.* sex ejusdem fructus, *ibid.* tollit reliquias peccati, 2. cur non sit negligendum, *ibid.* quis proprius ejus sit effectus, 219, 1. repetitur licite aliquoties per annum, quando quis in periculum mortis incidit, *ibid.* ejus effectus, *ibid.*
Extremis (in) consistit vitium, 79, 2.
Exules an scythice Parthi dicantur, 502, 2.
Exultare capitur etiam pro sævire, 142, 1.

F.

Fabulæ Gentium, et Judæorum, et hæreticorum quæ, 428, 1.
Facies in speculo videtur, non ejus imago, 83, 2.
Felicitas humana quam inconstans, 42, 2.
Feminarum colloquia vitanda, 672, 2. — *Vide* Mulieres.
Feræ obediebant Adamo in statu innocentiæ, 151, 2. multæ in homines benignæ fuere, 151, 1. multæ non curantur, sed domantur, 152, 1.
Fidei etymon quod sit, 424, 1. fides et spes quomodo invicem differant, 40, 1. fides subinde capitur pro credulitate humana et probabili, 2. fides omnium quomodo sit æqualis, 407, 1. respectu accipientium datur sorte, id est gratis, 2. est religionis fundamentum, 890. cur vocetur unctio, 553, 1. est lucifer, 445, 2. radici comparatur, 129, 1. sex habere debet dotes, 132, 1. est fidelium custodia, 247, 2. excitat eos ad quidvis audendum, *ibid.* hæc tribulationibus exploratur, 250, 1. fides operosa et dimicans vincit mundum. 608, 1. vincit quoque Deum omnipotentem, 2. est ex gratia Dei, non ex nobis, 105, 1; 267, 2; 400, 1. vera potest esse sine operibus, 123, 1. sed paulatim tunc perit, 124, 2; 125, 2. et hæc diabolica est, 127, 2. et mortua, 124, 1, 2. et tunc non est fides, *ibid.* sola non justificat, ut censent Lutherani, 4, 1; 122, 1 et seqq.; 127, 2; 342, 1. fides vera initium est justificationis, 70, 2. ejus lumen est admirabile, 290, 1, 2. superat omne lumen philosophorum, *ibid.* habet promissionem vitæ æternæ, 615, 2 et seqq. ea optime diabolus vincitur, 396, 1. fides Catholica quæ dicatur, 1, 2. hæc docet justitiam curamque pauperum, ei proinde repugnat acceptio personarum, 98, 1. fides non manet in damnatis et dæmonibus, 127, 1. pro fide pati quam sit gloriosum, 19, 1. fides triplex orationi necessaria, 39, 1.
Fidelis major est toto mundo, 590, 1. ejus et lapidis variæ analogiæ, 282, 1. est templum Dei, 683, 1. in afflictione sit instar incudis, 16, 2.
Fideles sunt socii Christi et Dei per fidem, spem et charitatem, 521, 1. et quomodo, 2. possunt excidere a gratia, justitia, fide, 509, 1; 552, 2. sunt cives cœli, hospites terræ, 238, 1. per baptismum regenerati sunt nova Christi creatura, 71, 2. eos Deus maxime vexat, et cur, 366, 1, 2. imitentur vitam cœlitum, 494, 2. singuli sunt mystice sacerdotes, 286, 2. et reges, 285, 2. assidue Dei verbum ruminent, 85, 2. charitate armati vin-

cent mundum, 607, 2. eorum tres gradus repræsentantur per sanguinem, aquam et spiritum, 614, 1. — *Vide* Christiani.
Fidelitatis symbolum est cingulum, 258, 2.
Fiducia oranti necessaria, 39, 1, 2. unde hæc oriatur, 40, 1.
Filiatio Dei est stimulus ad heroica opera, 563, 2 et seq.
Filius cum apud Hebræos jungitur genitivo pœnæ vel præmii, idem est quod dignus, 461, 2.
Filius Dei quare vocetur Verbum, 513, 1 et seq. item ratio, 2. item opus, *ibid.* item virtus, 513, 2. item forma, *ibid.* item definitio, 514, 1. item causa et sermo, *ibid.* cur potius dicatur Verbum quam sermo, *ibid.*, 2 et seq. improprie dicitur sermo, 515, 1. qua homo, solus erit personalis judex judicans omnes homines, 263, 2. quomodo hic sit apud Patrem, 520, 1. — *Vide* Verbum.
Filii Dei fimus per gratiam, 563, 1, 2. eorum tessera sunt justitia et charitas, 572, 2 et seq.
Finis instat mundi, 550, 2.
Flaccianorum blasphema dogmata, 451, 1.
Flamini Diali Romæ non licebat jurare, 211, 2.
Flendum assidue Christiano est, 185, 1, 2 et seq.
Flores quam brevis sint vitæ, 46, 2 et seqq.
Floriani hæretici negarunt resurrectionem, 474, 1.
Fœdus vox unde dicta sit, 469, 2.
Fœnum dicitur a fœnore, 47, 1.
Fons cupidinis Cyzici cujus esset potentiæ, 61, 1. fontes ordinarie non dant simul dulcem et amaram aquam, 157, 2. sunt aliqui tales, sed eam dant diverso tempore et loco, 1.
Formæ mulieres studiosæ sunt, 312, 1, 2.
Formatæ litteræ quæ dicerentur olim, 643, 1.
Fortes viri in tormentis velut incudes sunt, 207, 1.
Fortitudo cingulo denotatur, 258, 1.
Fortunæ rotatio dat spem oppressis, 147, 2.
Frenum unde dictum, 139, 2.
S. Franciscus inimicus erat detrahentium, 187, 1. in cruce gaudebat, 18, 1, 2 aliud non oravit quam nosse Deum et se, 63, 1, 2. ob humilitatem exaltari meruit, 45, 2. ejus in spiritu lætitia, 253, 1, 2. ejus in maledictis tolerantia, 326, 2. charitas erga Deum, 601, 1.
S. Franciscus Xaverius gaudebat in tribulationibus, 17, 2. magnum ejus apud Indos nomen et opinio, 8, 1. quotidie de passione Christi meditabatur, 306, 2.
Fratres Christi qui dicerentur, et quomodo, 648, 2 et seq. fratres se invicem vocabant primi Christiani, et qua occasione, 123, 2; 397, 1.
Frigus etiam in inferno reperitur, 445, 1.
Fronte (in) cur ungantur fideles in Confirmatione, 560, 1.
Fructus temporanei et serotini qui dicantur, 206, 1. qui fructus pretiosi terræ, 205, 2.
Fuga sæculi hominem ab eo immaculatum servat, 95, 2.
Funes peccatorum qui sint, 569, 2.
Fur (quomodo ut) venire Christus ad judicium dicatur, 482, 1, 2.
Futurum sæpe usurpatur pro imperativo, 559, 2.

G.

Gaar Hebræum quid sonet, 669, 1.
Galilæorum secta quæ esset, 296, 2.
Garruli verba inconsiderate effundunt, 89, 1.
Garrulitas signum est insipientiæ, 74, 2.
P. Gaspar Barzeus quam carus et venerabilis esset Armuziæ Saracenis, [illegible], 2.
Gaudendum quare sit in tribulatione, 16, 1, 2. ita gaudent viri solidæ virtutis, 48, 1.
Gaudium plenum nascitur ex testimonio bonæ conscientiæ, 522, 1 et seq. id tentationes dæmonis evincit, 20, 1.
Gaudium Beatorum in cœlo quantum sit, 253, 1.
Gehenna vocis etymon et significatio, 150, 1.
Gemitus est animi muliebris, 207, 1.
Generatio spiritualis et divina similis est carnali, 561, 1. generatio peccati et virtutis, 62, 1, 2.
Generositas difficultates omnes exsuperat, 398, 2.
Gentiles suis in propositis addebant : Si dii volent, diis volentibus, 193, 2. adorarunt homines ut deos, 667, 2. eorum quæ sint fabulæ, 428, 1. eorum impuritas, 164, 2.
Georgii Saxoniæ Ducis de Lutherana fide opinio, 127, 1.
S. Gereon Martyr S. Evergistum Archiepisc. Coloniensem de sepulcro est allocutus, 365, 2.
Gigantes prisci fuere typus hæreticorum, 447, 2. item diabolorum, 226, 1.
Gignimur a Deo, ter, 70, 1. et quomodo hæc generatio peragatur, 2.
Gloriæ definitio, 688, 2. cur soli Deo debeatur, *ibid.* gloria sæpe sumitur pro gratia, 409, 2. gloriæ titulus competit Christo, 99, 1. gloria Sanctorum in cœlo quanta futura, 251, 2. gloria Christi in transfiguratione in quo eluxerit, 429, 1. cur vocetur beatitudo, corona gloriæ, 38[illegible], 1. pro gloria æterna pati facile est, 48, 2. hæc vocatur corona vitæ, cur, 49, 1. plenum affert gaudium, 259, 2. et omnis a Deo promanat, 66, 2. gloria mundanorum est velut flos fœni, 46, 2.
Γλῶσσα unde derivetur, 150, 2.
Gnostici quales hæretici, 428, 1. censebant omnes fideles sola fide salvari, 525, 1; 528, 2. adulabantur potentibus, 680, 1, 2. ridebant Dei providentiam et judicium, *ibid.* suam jactantes scientiam, erant ignorantes, 494, 2; 674, 1. eorum murmura, 679, 2. quomodo Dei majestatem blasphemarent, 665, 1, 2 et seqq.; 669, 2. eorum sordes et obscenitates, 91, 2; 164, 2; 650, 1; 662, 1 et seqq. 670, 1; 673, 2; 676, 1; 683, 2; 686, 2. eorum somnia, 663, 2. spernebant dominationes, 665, 1. proxime ad ethnicismum accedebant, 466, 1. eorum sordes, 467, 2 et seqq. 473, 2. similes erant porcis, 469, 1. eorum stolida superbia, 456, 2; 679, 2. eorum deliciæ, 458, 1. luxuria, 459, 1; 460, 1.
S. Gorgoniæ elogium a modestia, 316, 1; 324, 1. ejus ultima verba quæ fuerint, 69, 2.
Gradus scholastici licite admittuntur, 135, 1.
Græca lingua quam esset Hebræis nota et usitata, 5, 2.
Græci pueris dant Eucharistiam, 278, 1.
Gratia Dei cur vocetur semen, 570, 1. præservat a peccato majori, 621, 2. ejus varii effectus, 411, 1 et seqq. ipsa est semen gloriæ, 237, 2. tam est efficax ut omne peccatum excludat, 570, 2. non est nobis connaturalis, sed a Deo infunditur, 80, 1. ejus tria indicia, 575, 2. eam adaugere quomodo semper possimus, 583, 1. ipsa est causa accessus nostri ad Deum, 182, 2. ipsa cur dicatur vitæ, 319, 2. gratia perfecta dici potest donum perfectum, 64, 2. gratia Spiritus Sancti per unctionem declaratur, 553, 1. gratia justificans est causa formalis justificationis nostræ, et adoptionis ad gratiam et ad deificationem, 412, 2. gratia excitans et operans prævenit voluntatem, 415, 1. ab ea habet opus, omnem dignitatem et meritum, 2. gratia ad bene vivendum a Deo postulanda est, 64, 1. eam dat Christus ad mandata sua servanda, 608, 2. ea sola homo se convertit, non naturæ viribus, 409, 2. gratia datur in Extrema Unctione eam recipienti, 217, 2. gratia Christi domat et curat omnia, 213, 2.
Gratiæ acceptæ in proximos communicandæ, 360, 1. gratiæ semper Deo agendæ, 476, 1.
S. Gregorius Magnus Pontifex insignis fuit animarum zelator, 309, 2. cur voluerit appellari Episcopus universalis, 376, 1. prandio angelum excepit, 93, 2.
Gregorius Nazianzenus pater, quam esset moribus facilis, 159, 1.
S. Gregorius Nazianzenus legem sibi induxit nunquam jurare, 212, 1. fratri suadet ut a Juliano Apo-

stata familia se subducat, 95, 2. ei in somnis apparuit sapientia et castitas, 165, 1.
S. Gregorius Thaumaturgus quantam animarum sibi creditarum curam gesserit, 309, 2.
Gula quam sit noxia, 202, 2 et seqq.
Guttula una sanguinis Christi universum mundum redimere potuisset, 526, 2.

H.

H sæpe est quod *an*, 176, 2.
Habere pro *facere* capitur interdum, 527, 2. item pro *posse*, 427, 1, 2. item pro *tractare*, *ibid.*
Hebræi *in* sæpe capiunt pro *cum*, 97, 1. et pro *per*, *propter*, *ex*, 240, 1. *in* cum accusat., hebraice significat augmentum, *ibid.* item regimen genitivi, 244, 2.
Hæreditas nostra est Deus et cœlum, 244, 2. et quidem incorruptibilis, *ibid.* et incontaminata, 245, 1. ea nobis reservata manet, 246, 2.
Hæreses quas jugulet S. Joannes in epistola sua prima, 501, 2 et seqq. cur plures hæreses in Christianismo sint, quam fuerint in Judaismo, 159, 2. hæreses non sunt universales, 1, 2. hæreses quot post Lutherum enatæ, 452, 2. hæreses non sunt explorandæ et probandæ, 586, 2.
Hæresiarchæ dæmones habuerunt magistros, 149, 2. pene omnes misere mortui, 441, 2. nunquam ad Ecclesiam redeunt, 552, 1. cur vocentur Antichristi, 587, 2.
Hæresis non semper includit schisma, 681, 2. est gravius peccatum peccato Sodomitarum, 450, 1. quæ adferat damna, 441, 1. desinit tandem in atheismum, 2; 451, 2. ejus fons est superbia, 453, 1. ipsa ejusque defensio pertinax est peccatum ad mortem, 619, 1 et seqq. sapit terrena, non cœlestia, 162, 2. est semper inconstans, 163, 2.
Hæretici in sua fide semper vacillant et variant, 44, 1; 163, 2; 674, 1. non patrant miracula in hæresis suæ confirmationem, 126, 2 et seqq. a magistro uno Christo desciscunt, 126, 2. sunt turbulenti et seditiosi, 163, 2. quæ mala orbi intulerint, *ibid.* sunt hypocritæ, 169, 1. eorum quæ sint fabulæ, 428, 1. sunt pseudoprophetæ, 440, 1. sunt lupi rapaces et vulpes, 2. negant Christum varie, 441 1. eorum sacrilegia, 442, 1. blasphemant religionem, *ibid.* sunt in sermone blandi et elegantes, *ibid.* eorum avaritia, 461, 1; 442, 2; 670, 1; multi habuerunt dæmones familiares, 446, 1. sunt magia infames, *ibid.* sunt pejores Ethnicis, 2. sunt similes priscis gigantibus, 447, 2. et velut Sodomitæ, 448. 2. eorum libidines et sordes, 164, 2; 442, 1; 448, 1; 450, 2; 664, 1. omnes magistratus et præpositos tam sæculares quam Ecclesiasticos contemnunt, 450, 2 et seqq. negant Dei providentiam, 451, 1. item ejus imperium in res omnes, *ibid.* eorum superbia, 452, 2; 679, 2. semper novas opiniones comminiscuntur, 452, 2. se invicem blasphemant et conviciantur, 453, 2. quomodo Deum et Sanctos blasphement, 454, 1, 2. quomodo a Deo puniendi sint, 455, 1 et seqq. sunt pejores dæmonibus, *ibid.*, 2; 446, 1, sunt velut bruta pecora, 456, 1, 2. eorum in vita corruptiones, 457, 2 et seq. et vita delicata, 2. eorum in epulis obscenitates, 460, 2. sunt aucupes animarum, 461, 1. sunt filii diaboli, 2. dant verba, non scientiam, 462, 1. acerrime inter se confligunt, *idib.* 2 eorum cæcitas, 2. jactant doctrinam et scientiam, sed non habent, 463, 1. quam escam ad decipiendum suggerant, 2. in fide parum stabiles seducunt, 464, 2. libertatem conscientiæ crepantes, eamdem sui sequacibus eripiunt, 465, 2. canibus assimilantur, 467, 2 et seqq. item onagris, 657, 1. eorum vera idea, 470, 1 et seqq. veteres omnes oppugnarunt Christi incarnationem, ac proinde ejus vel divinitatem vel humanitatem, 550, 1 et seqq. sunt Antichristi, 550, 2 et seqq. fuere alias Catholici vel veri vel ficti, 551. superbi et [illegible] sunt 590, 2. eos acriter insectatur S. Judas, 650, 1, 2. fugiendi jure naturæ et divino, 636, 1. ne salutandi quidem, 637, 1. eos salutans videtur eis consentire, 635, 2 et seq. eorum mores etiam a Prophetis prædicti, 656, 2. abutuntur Christianismo ad luxuriam, *ibid.* multi eorum sunt a dæmone suffocati, 457, 1. multi quoque negarunt futurum judicium, 473, 2. nihil pensi habent, 544, 2. eorum blasphemia, 669, 2. sunt similes Caino, cur, 670, 2 et seqq. item Balaamo, 671, 2. et seqq. et Core, 672, 2 et seqq. eorum peccandi ardor et licentia, 671, 2. eorum impia consilia, 672. sunt nubes sine aqua, cur, 674, 1, 2. item arbores autumnales, similes sunt fungis, 675, 1. sunt arbores bis mortuæ, 2. sunt eradicati a fide, Deo, Ecclesia, *ibid.* sunt fluctus feri maris, 676, 1. item sidera errantia, 2 et seqq. eos manet caligo et procella, 677, 1. aucupantur gratiam potentium, 680, 1. vocantur animales, 681, 1.
Hæretici nostri temporis docent fidem ad salutem sufficere, 123, 2. et Deum esse peccati auctorem, 51, 1. eorum fides specialis, qua se credunt justos, refellitur, 39, 2. eorum abominanda dogmata, 164, 2. eorum turbulentia, 166, 1. epistolis S. Pauli suam hæresin propugnant, 494, 2. Scripturam depravant, *ibid.* sunt velut planetæ oberrantes, 494, 1.
Hæsitans in oratione diversis cogitationum fluctibus jactatur, 42, 2. idque vel ex incredulitate, vel ex diffidentia, 41, 2. hæsitationis effecta, *ibid.* hæsitatio in fide triplex ab oratione imovenda, 39, 1.
Hebetudo mentis provenit a crapula, 202, 2.
Hebræi cum quid asserere volunt, idipsum interrogando enuntiant, 341, 1. præterito utuntur pro præsenti et futuro, 531, 1. suppositum verbi sæpe subaudiendum relinquunt, 473, 2. concordant adjectivum cum substantivo proximiori, licet ad remotius referatur, 475, 1. utuntur participio pro indicativo quo carent, 318, 2. per enallagen numeros et genera commutant, 319, 2. carent casibus, 637, 2. verba contactus construunt cum *in*, 363, 2; 436, 2. item cum *ex*, vel *de*, 595, 2. asseverationem confirmant per negationem contrarii, 559, 2. sæpe participia passiva usurpant pro verbalibus in *bilis*, 245, 1. sæpe futuro utuntur tam pro imperativo et optativo, quam pro indicativo, 24, 2. subinde geminant suarum vocum radices, 401, 2.
Hebræorum pronitas ad idololatriam, 667, 2.
Ἥλιος non est vox Hebrea deducta ab *eli*, 65, 1.
Henoch fuit septimus ab Adam, et Propheta, 677, 2. cur in fine mundi cum Elia venturus sit, 678, 1.
Henrici VIII Angeliæ regis libidines, 460, 2.
Henricum Susonem sibi despondit sapientia, 165, 1.
Herciniæ silvæ vastitas, 145, 1. 2.
S. Hermenigildus Arianis communicare nolens, martyrio affectus est, 636, 2.
S. Hieronymus assiduis in morbis impigre laborabat, 374, 2. nobiles matronas ad perfectionem instruxit, 633, 1.
Hierosolymitana Ecclesia Patriarchalem dignitatem unde et quando acceperit, 13, 1.
S. Hilarion precibus pluviam impetravit, 225, 1. quam esset contra dæmones invictus, 22 f.
S. Hilarius Constantino Imperat. generose in faciem restitit, 330, 1 et seqq.
Homicidium clamat vindictam in cœlum. 202, 1
Hominum vilitas respectu Dei, 36, 2. Dei sunt opus et imago, 155, 2 et seqq. sunt miraculum mundi, *ibid.* erunt post resurrectionem perfectiores quam modo sint, 486, 2 et seqq.
Homo pronus ad loquendum variis modis, 137, 2. homo quasi conflatur ex angelo et bestia, 56, 1. ei quantum contulerit Christus carnem assumendo, 510, 2. homo homini confiteri debet, non angelo, 219, 2. quam ægre salvetur, 117, 1. arbori assimilatur. 675, 1. Deo se subjicere debet, 377, 2. gustu et tactu cætera animalia

antecedit, 419, 1, 2. homo interior suo modo exteriori proportionatur, 257, 2.
Honor multa includit, 301, 1. honor est bonum commune, debetur creaturæ rationali ob excellentiam, 103, 1. honor uxori a marito impertiendus quam multa includat, 318, 2.
Hora novissima quæ dicatur, 549, 1. hora capitur pro ætate et sæculo, 549. item pro quavis temporis parte, *ibid.* item pro anni temporibus, 2. horæ diei duodecim unde inventæ, 550. horæ quod sit etymon, 550, 1.
Hospitalitas erat olim nota christianitatis, 642, 2 et seqq. ad eam sex stimuli, 643, 2. etiam monachis olim usitata erat, 640, 2. est propria laus Episcoporum, *ibid.* ea exercenda Christianis, 339, 1. ejus merita, 2.
Hospites abeuntes quomodo dimittendi, 642, 1, 2. etiam intrare compellendi sunt, 643, 1.
Hostiæ spirituales quæ dicantur, 284, 1.
Humana creatura dici possunt principes et magistratus ab hominibus creati, 96, 2 et seqq.
Humanitas in Christo quasi ramus inserta est divinitati quasi trunco, 80, 2. peccare ea non poterat, 304, 2.
Humiliat hominem quod sit peccato obnoxius, 531, 2.
Humilis vere quis sit, 186, 1. cur semper a Deo exaltetur, 45, 2; 179, 2 et seqq.; 388, 2. quomodo gloriari possit in sua exaltatione, 45, 2. humilis etiam pauperem significat, 45, 1.
Humilitas remedium est invidiæ, 160, 2. ejus notæ, 325, 1. ejus elogium, *ibid.* 46, 1; 387, 1, 2. decem ejus signa, 388, 1. est mater pacis, 166, 2. ejus effigies et effectus, 180, 2. eam nos docent tentationes, 21, 1. per eam appropinquamus Deo, 16, 2. humilitas et paupertas sociæ et sorores sunt, 44, 2.
Humiliter proferenda sunt sancta, 360, 2.
Humores corporis quatuor continent in se quatuor elementa, 609, 1.
Hydrargyrum quam venenosum sit, 134, 2.
Hypocrisis morum fugienda, 385, 1. adversatur sinceritati, 275, 1.
Hypocritas (in) cur ita sæviat Deus, 276, 2. sunt duplici animo et corde, 44, 1.

I.

Iberi Hispanici quomodo ad Christum conversi, 298, 2.
Icterus avis quomodo sanet ictericos, 307, 1.
Idola sunt imago rei falsæ, 626, 2 et seqq. eorum destructores non omnes sunt Martyres, 626, 1. an ipsis colebantur dæmones, *ibid.* quomodo illa colerentur, 2.
Idololatria vere stolida est, 667, 2. olim per totum pene orbem invaluit, 622, 2; 625, 2. eam cur Joannes vetuerit, 625, 2.
S. Ignatius Martyr aversatus est hæreticos, 636, 2. ejus in tormentis alacritas, 330, 1.
S. Ignatius de Loyola quam animarum zelo arserit, 227, 1. quam de Dei gloria augenda sollicitus esset, 604, 1. quare in Societate scholas instituerit, 543, 1. divinitus mysterium S. Trinitatis edoctus est, 34, 2.
Ignis non potest agere in cœlos, 484, 1. in quo sit symbolum Dei, 523, 1, 2. est figura libidinis, 685, 2. ignis æternus Sodomæ quis, 662, 2. ignis est in gehenna, 149, 2; 663, 1. quomodo is dicatur spiritualis, 663, 1. ignis conflagrationis mundi, judicium præibit, 476, 2 et seqq. ejus effectus, 477, 2. erit is noctu, 482, 2.
Ignorantiæ hæreticorum tres sunt causæ, 669, 2.
Illapsus Dei in Beatos in cœlo est causa beatitudinis, quomodo, 414, 1.
Imaginatio fortis rei concupitæ parit consensum, 56, 1. ipsa cohibenda tentationes vincere volenti, 140 2.
Imago et idola quomodo distinguantur, 626, 2.
Imber temporaneus vel matutinus et serotinus quis sit, 206, 1 et seqq. quis is allegorice, *ibid.*
Immisericordia et crapula conjuncta plerumque sunt, 200, 1.
Immunditia tam avaritiam, quam luxuriam significat, 78, 1.
Impassibilitatis corporum beatorum quæ sit causa, 487, 1.
Impatiens possidetur ab ira sua et satana, 26, 2.
Impatientiam docet diabolus, 207, 1.
Impeccabiles quomodo fieri possimus, 571, 2.
Imperatorum Roman. apotheosis, 667, 2.
Impetrandi petita certum præsagium est certa fiducia, 40, 2.
Impii æstu cupiditatum assidue jactantur, 42, 1.
Imprudentiæ actus et vitia, 352, 2.
Incarceratis quibus prædicarit anima Christi, 336, 1.
Incarnatio Filii Dei similis est arboris insitioni, 80, 1. eam quomodo prædestinarit Deus, 267, 1. cur tam sero fuerit incarnatus, 2. ipsa est basis charitatis, 596, 1. cur tam impense S. Joannes eam inculcet, 509, 1. quatuor circumstantiæ in ea nobis considerandæ sunt, 2 et seqq. ejus beneficii magnitudo, 511, 1, 2. cur ea nobis præ oculis habenda, 512, 1. eam omnes pene hæretici oppugnarunt, 587, 2.
Incarnatus quare sit Christus, 507, 2 et seq.; 509, 1; 511, 1.
Inconstantia quanta sit in homine cogitationum et appetituum, 371, 2.
Incorrigibiles etiam ad meliora trahendi, 686, 1.
Incredulis quibus Christus prædicarit apud inferos, 338, 2.
Inertia hominis vires addit diabolo, 395, 2.
Infans quis proprie et abusive dicatur, 543, 2.
Infernus est sub terra, 661, 2. cur dictus gehenna et tophet, 150, 1. carcer est, 336, 1. ex eo nulla redemptio, *ibid.* ejus tres testes, qui, 614, 1.
Inimicorum dilectio facit animum excelsum et regium, 111, 1. inimici sunt Deus et mundus, 176, 1.
Iniquitas an plus significet quam peccatum, 530, 1; 567, 1. sæpe pro quolibet peccato et scelere capitur, 621, 1.
Injustitia sæpe pro quolibet peccato sumitur, *ibid.*
Inobedientia signum est infidelitatis et hæresis, 297, 2.
Inserantur quomodo fideles Christo, 80, 1.
Insitione (in) arborum quæ servanda sint; eadem in verbi divini in animam instillatione locum habent, 80, 1; 81, 1.
Insinuare quam variam habeat significationem, 386, 2. et seqq. insinuatio oratoribus quæ sit figura, *ibid.*
Insitum verbum quod a nobis suscipi velit S. Jacobus, 80, 1.
Inspiratio divina provenit a Spiritu Sancto, 82, 1.
Intellectus donum olim in baptismo Christiani accipiebant, 553, 2; 558, 2.
Intentator malorum quomodo dicatur Deus, 51, 2 et seqq.
Interpres vulgatus fidelis et Latinus est, 271, 1.
Interrogare in Scriptura sæpe significat probare et explorare, 340, 2.
Interrogatio per metalepsin capitur pro responsione, 341.
Inveniri capitur sæpe pro *esse*, 251, 1.
Invidiæ hypotyposis, 573, 2. est proprium diaboli peccatum, 275, 1, 2. ejus epitheta, *ibid.* non cadit in Deum, sed hominem, 177, 1, 2. capitur tamen subinde in bonam partem, *ibid.* est peccatum ad mortem, 620, 2. est amarulenta, 159, 2. ejus conditiones, *ibid.* et seqq. ejus remedium, 160. 276, 2. ejus damna, 163, 2; 275, 1. invidia hæreticorum, 670, 2. et diaboli in homines, 392, 1.
Invidus livet, 160, 1. seipsum consumit, *idib* ejus et pacifici antitheses, 275, 2.
Ira quomodo non operetur justitiam Dei, 77, 1. an in Christo fuerit, 2. ea frænanda est, *ibid.* dissipanda est per moram, 76, 1, 2 et seqq. est insania, 542, 1. ejus mala, 76, 1, 2. est inimica justitiæ, 77, 1. eam ad quid Deus homini dederit, 32, 1, 2. vincitur amplexu inimici, non ejus fuga, 76, 2.
Irascendum in sola vitia est, *ibid.*
Iratus est quasi dæmon incarnatus, 540, 2.

Iris est speculum solis, 85, 1.
Isaac visus ab Abimelech jocari cum Rebecca, uxor allegorice exponitur, 33, 1.

J.

Jacob cur dictus supplantator, et ubi fratrem supplantarit, 12, 1. ejus duodecim filii duodecim fecere tribus, 13, 2.
Jacobi cujusdam Anabaptistæ impostura in Silesia, 556, 1.
S. Jacobus Alphæi, sive Minor, quando sit mortuus, 4, 1. cur Simoni Mago imprimis se opposuerit, 2 et seqq. qua lingua epistolam suam scripserit, 5, 2. Evangelium S. Matthæi græce transtulit, *ibid.* vere ipse est epistolæ auctor, non Zebedæi filius, 6, 1. ejus genus, fratres, parentes, *ibid.* cur dictus frater Domini, 2. cur dictus sit Justus, *ibid.* an in utero matris sanctificatus, *ibid.* fuit Episcopus Hierosolymæ, *ibid.* quando creatus, 7, 1. cur dictus Oblias, *ibid.* fuit Nazaræus, an fuerit virgo perpetuus, et nudipes incesserit, *ibid.* fuit fidei columna, et a Christo specialiter illuminatus, 2. ejus sanctitas, 7, 1, 2. an ei a Judæis concessum Sancta sanctorum ingredi: carus erat Judæis, etiamnum Christianis, 7, 2. populi de Jacobo opinio, 8, 1, 2. primus Missæ sacrificium solemniter celebravit, *ibid.* gestavit laminam auream, 9, 1. martyrium subiit, et ejus historia, 2. quot annos vixerit, *ibid.* causa martyrii ejus, 8, 1; 10, 1. ejus sepultura, 10, 2. ejus juramentum de non comedendo, nisi videret Dominum resuscitatum, an verum, *ibid.* quomodo se Dei servum profiteatur, 12, 1; 13, 1. cur se Apostolum vocet, 13, 1. fuit proprie pastor Judæorum, *ibid.*; 7, 2; 13, 2. quibus epistolam suam scripserit, 13, 2. et quando, 5, 1; 111, 1, 2. ejus continentia, 294, 1. cur viduarum et pupillorum curam potissimum commendet, 92, 1, 2. ipse et Paulus quomodo sint conciliandi quoad justificationem ex fide sola, an vero etiam ex operibus, 132, 2. Jacobus frater Domini an idem cum primo Hierosolymorum Episcopo, 186, 1, 2.
Jacobus Zebedæi, sive Major, an auctor epistolæ Canonicæ, 6, 2. sua beneficentia tortorem suum Christo lucrifecit, 373, 2. Jacobi tantum fuere duo, non tres, 6, 1; 12, 2.
B. Jacoponus quam ardenter Deum diligeret, 601, 1.
Jehova significat esse Dei immensum, 658, 2.
Jesus Christus docuit vita sua in persecutione et passione sitam esse felicitatem, 14, 2. quomodo calicem a se transferri petierit, 56, 1. semper seipsum cum donis suis donat, ideo donum perfectum est, 64, 1. quam caro ei stemus, 70, 2. ejus silentium, 73, 1. an in eo fuerit ira, 77, 2. fecit prius, deinde docuit, 82, 1. qualem attulerit libertatem, 87, 1, 2. ejus paupertas, 108, 2. ejus vis in persuadendo, 143, 1. ejus zelus erga nos, 178, 2. est justus antonomastice, 204, 2; 534, 2. patientior fuit Jobo, cur, 210, 2. quanti animarum salutem fecerit, 227, 2. quos in vita sua baptizarit, 232, 1. ipse resurgens nos suscitavit, 244, 1. quare sit amabilis, 252, 2. ejus gloria post passionem, 254, 2. ipse qua homo est deliciæ angelorum, 255, 2. est agnus immaculatus, 264, 2. quantopere nos ei simus obligati, 265, 1. fuit immaculatus et incontaminatus, 266, 2. cur tam sero sit incarnatus, 267. lacti comparatur, 277, 2. est petra ob varias analogias, 281, 1 et seqq. est lapis vivus et animatus, *ibid.* servi formam assumpsit, 302, 1. tribus de causis in mundum venit, 303, 1. fuit expers peccati et impeccabilis, 304, 2; 266, 2. tacuit ad calumnias, 304, 2. quomodo tradiderit judicanti se injuste et juste, 305, 1. quas virtutes in passione ostenderit, 2. est pastor animarum, 309, 1. oculis ejus quædam inerat majestas, 315, 1. ejus modestia in omnibus actionibus, 324, 2. passus est innocens pro nocentibus, 333, 2. vivificatus spiritu quomodo dicatur, 334, 2. est hominum auriga in cœlum, 335, 1, 2. realiter ad inferos descendit, *ibid.* incarceratis quibus ibi prædicarit, 336, 2 et seqq. est velut sol omnia beneficentiæ suæ radiis illustrans, 338, 2. est Rex omnium angelorum et hominum, 343, 2. ejus dolores fuere in anima sensitiva et rationali, 345, 1. habuit unam personam, non duas, sed duas naturas, et quidem intermixtas, 2. patitur in suis fidelibus, 364, 2. crucem quomodo in corpore suo honoravit, 366, 2. est nobis omnia, 408, 1. ejus deitas astruitur, *ibid* essentiam ejus divinam in monte Thabor non viderunt Apostoli, 429, 1. quomodo sit dilectus Dei, 2. est unicornis, quomodo, 430, 1 et seqq. in eo Deus Pater sibi complacet, 2 et seqq. ipse audiendus, et quare, 431, 1. ejus dominatio et imperium etiam qua homo, 658, 2. id abnegant hæretici, 451, 1. est passus pro omnibus, 482, 1. gratiam uberiorem effudit in sibi carne conjunctos, 497, 1. erat ante omne tempus, 504, 1, 2. quare carnem humanam induerit, 507, 2 et seqq. incarnatus est nobis patrimater, 509, 1 et seqq. quomodo sit vita, 518, 1 et seqq. qua homo et qua Deus, lux est, 524, 1, 2. peccantes facile in gratiam admittit, 533, 1. est advocatus noster, 2 et seqq. ejus propitiatio quam sit valida, 534, 1. ejus amor erga nos, 61, 1; 111, 1; 538, 2; 577, 1; 593, 1. cur dicatur unctio, 559, 1. si Adam non peccasset, non fuisset incarnandus, 570, 1; 267, 1. in pauperibus est velut mendicus, 578, 2. dilexit Deum ex puro corde, 583, 1. ejus vis major quam omnium tentantium, 589, 1, 2 et seqq. probatur verus esse Messias, 609, 1. cur venit per aquam et sanguinem, *ibid.* et seqq. ejus ad judicium venientis majestas, 678, 2.
Jexeo hæretici quæ esset hæresis, 614, 2.
Joannes Apostolus fuit virgo, hinc tam fuit illuminatus, 165, 1. fuit Christi consanguineus, 496, 2. est socius S. Petri, 497, 1. 2. comparatur aquilæ, et cur, *ibid.* fuit filius tonitrui, 2. Omnes Sanctorum gradus et laureas unus ipse meruit, 498. an gestarit laminam auream, *ibid.* fuit plenus gratia, *ibid.* fuit Christo præ cæteris Apost. familiaris, 498, 1. ejus zelus, *ibid.* in Christi sinu recubuit, cur, 499, 1, 2. fuit Benjamin Christi et B. Virginis, 500, 1. cruci Christi adstitit, *ibid.* aliæ ejus prærogativæ, *ibid.* cur a Christo magis diligeretur præ cæteris Apostolis, 2 et seqq. fuit B. Virginis filius, 501, 1. quantum ab ea didicerit, *ibid.* apparuit S. Brigidæ, *ibid.* an vivat adhuc, an vero sit mortuus, 2. cur dicatur Theologus, *ibid.* quantam charitatem suis inculcaret, *ibid.*; 539, 1. cur ad Parthos, et qua occasione primam epistolam scripserit, 502, 2. et quando, 503, 1, 2. sæpius Christi corpus contrectavit, 508, 2. erat plenus amore Christi, 540, 1; 592, 1; 593, 1; 602, 2. cur se in epistola II vocet Presbyterum et seniorem, 630, 1, 2; 631, 1. ejus modestia, 631, 1. detestatus est hæreticos, 636, 1, fuit hospitalis, 643, 2.
Joannes Bocoldus Anabaptista nominavit se Christum, 556, 2.
S. Joannis Chrysostomi invicta patientia, 367, 1.
S. Joannis Damasceni obedientia, 301, 2.
S. Joannis Eleemosynarii quanta esset beneficentia, 38, 1. ei apparens misericordia eum ad eleemosynam excitavit, 119, 2.
Joannis Eremitæ continentia, 294, 1.
Joannis Matthiæ Anabaptistæ vesania et impostura, 556, 2.
Joannis Silentiarii de Deo fiducia, 390, 1.
Joannes Wiclef ex ambitione factus hæresiarcha, 453, 2. gradus scholasticos carpsit, 135, 1.
Job speculum fuit patientiæ: ejus encomia, 208, 2 et seqq. fuit typus Christi, et in quibus, 209, 1 varii ejus morbi, 209 nominis ejus etymon, 209, 2. ejus tres filiæ quid significent, 210, 1. ejus restitutio in facultates, *ibid.*
S. Josephus fuit cælebs et virgo, 648, 1.
Judæis an licitum olim fuerit jurare, 211, 1. sæpe per

alias terras se diffundebant, vel sponte, vel abducti, 13, 2. erant natura avari et cupidi, 680, 1.
Judæorum Christianorum curam proprie habuit S. Jacobus, 6, 2 et seqq. hi fuere quoque curæ S. Petro peculiariter, 230, 2. Judæis Hispanis an scripserit S. Jacobus, 13, 2.
Judæorum occidentium Christum peccatum fuit peccatum ad mortem, 618, 2. eorum fabula de Thabor Carmelo jungendo, 432, 1. semper suis propositis addunt, *si Deus voluerit*, 193, 2.
Judaizantes negant mysterium SS. Trinitatis, 555, 2; 557, 1.
S. Judas fuit frater S. Jacobi Minoris : quæ ejus mater et fratres, 648, 1. quid ejus nomen sonet, *ibid.* ejus zelus et amor, 2. unde dictus Thadæus et Lebbæus. 649, 1. fuit S. Bernardo carus, 649, 1. unus tantum fuit Judas Thadæus, *ibid.* missus est ad Abagarum, *ibid.* repræsentatur per chrysoprasum gemmam, *ibid.* fuit martyr: ejus corpus Romæ quiescit, *ibid.* quando martyrium obierit, 650, 2. fuit vere Apostolus, 653, 1. cur se S. Jacobi fratrem vocet, *ibid.* quomodo librum Henoch et qualiter citet, 678, 1.
Judas Machabæus de Deo diffidens cæsus est, 41, 1.
Judex jus suum cuique tribuat, 103, 2. judex cordis nostri major est Deus, quam conscientia, 581, 2.
Judicare improbos Deus incipit in hac vita, 115, 2. quos mortuos judicarit Christus, 349, 1 et seqq. *judicare* in Scriptura sæpe capitur pro *condemnare*, 206, 2.
Judicia Dei sunt abyssus multa, 372, 1.
Judicii memoria semper præ oculis habenda, 115, 2. an de nocte, an mane fiet, 482, 2. ejus rigor, 559, 2. id impiis semper ob oculos ponendum, 678, 1. ejus timor quam sit utilis, 263, 2. id erit sincerum, 478, 1. 2. ejus dies cur differatur a Deo, 481, 2. is quomodo prope sit, 207, 1, 2. cur vocetur magnus, 661, 1. veniet quasi fur, quomodo, 482, 1. in eo angeli et sancti omnes aderunt Christo judici, 678, 2. omnes ibi homines judicabuntur, 679, 1. is cur futurus dies revelationis, 252, 1. quamdiu is durabit, 480, 1. in eo charitas fiduciam suggerit, 559, 2; 560.
Julianus vetuit Christianos litteras discere, 135, 1.
Julitta Martyr omnes adstantes ad martyrium hortabatur, 278, 2.
S. Ivonis misericordia in pauperes, 92, 2.
Jupiter dicitur ζεύς, id est vita, cur, 519, 1. dictus quasi juvans pater, 645, 2.
Juramentum est actus religionis et latriæ, 211, 2. quæ juramenta vetet Christus, *ibid.* sunt homine libero indigna, 212, 1 religio juramenti quanta esse debeat, 212, 2.
Jurare per creaturam, est jurare per creatorem, 212, 1. jurare licet Christiano, et quando, 211, 1. qui hæretici jurare nefas esse docuerint, *ibid.* jurare quam Dominus vetuerit, 2 et seqq. id in se malum est, 212, 1.
Justi lucent adinstar Christi, 71, 2. per multas velitationes exercentur, 129, 1. eorum oratio quam sit potens et efficax, 223, 1. ipsi sunt bases et fulcra urbium et regnorum, *ibid.* sunt divinæ consortes naturæ accidentaliter et substantialiter, 411, 1, 2. eos qui in mundi fine vivent expiabit ignis conflagrationis mundi, 478, 1. certo scire nequeunt esse se in Dei gratia, 535, 1. quomodo a Deo gignantur, 560, 2. et ad quid, 561, 1,
Justificatio generationi assimilatur, et quomodo ea peragatur, 70, 2. ejus duo sunt genera, 122, 2. in ea cujusque animæ Deus communicat se, tum per gratiam, tum per seipsum, 36, 1. justificatio formalis consistit in charitate et gratia nobis indita, quæ secum adfert Spiritum Sanctum, 411, 2. in ea quoque nobis datur ipsissima persona Spiritus Sancti, totaque deitas, *ibid.* et seqq. in peccatore incipit a timore pœnarum, 603, 1. ad eam tria concurrunt, 613, 1.
Justinus Philosophus in sola sapientia Christiana quietem invenit, 35, 1.
Justitia imputativa Lutheri refutatur, 71, 1. justitia hominum inchoata est, angelorum perfecta, 561, 1, 2. ejus in homine habitantis tria indicia, 575, 2. justitiam qualem cœli habeant, 491, 2. justitia Dei et Christi quadruplex statuitur, 407, 2. propter justitiam pati quid sit, 329, 1. justitia ostendit aliquem esse Dei filium, 572, 1. justitia est remittere peccatum, 529, 2. justitiam facere et opera justa facere quomodo differant, 568, 2. justitiæ nomine se velat ira, 77, 1.
Justus quomodo peccare non possit, 570, 2 et seqq. ad tempus omnia venialia peccata sine speciali privilegio evitare potest, sed non diu, 136, 1; 687, 2. ei adaptantur auri proprietates, 250, 2. justus quomodo vix salvetur, 371, 1. et cur, *ibid.* 2 et seqq.; justus sit quasi Deus omnipotens, immutabilis, etc., 563, 1. sit Dei filius tripliciter, *ibid.* et ei similis, 564, 2. exerceat se assidue in operibus justitiæ et virtutis, 569, 1.

K.

Καταυχῶ quid significet, 120, 1. et quid καταχαυχᾶμαι, *ibid.*
Καχίζω est *improbo* et *accuso*, 274, 1, 2.
Kemnitius immerito carpit Vulgatam, 616, 2.
Kipho collis Hierosolymæ vicinus erat, 237, 2.
Κλητοί, id est vocatitii, vocantur nobiles, 653, 2.
Κλύδων quam variam patiatur significationem, 42, 1.
Κράτος varia significat, 400, 1.

L.

Laborem nullum sentit charitas, 111, 1. labores fidelium non finiuntur nisi cum vita, 375, 1. hi spe quietis cœlestis subeundi sunt, 377, 2.
Lac rationabile quod dicatur, 277, 1. lac et mel olim dabatur recens baptizatis, 2. lactis proprietates, *ibid.* et seqq. id quam varia significet, 278, 2.
Lacedæmone erant omnia inter omnes æqualia, 97, 2.
Lacones brevium et paucorum erant verborum, 75, 1. Laconum puerorum sufferentia, 48, 2.
Lacrymarum in oratione quanta sit vis, 222, 2 et seqq.
Lactare pro *fallere* subinde capitur, 277, 1.
Lætitiæ spiritualis commoda, 20, 1. hæc est quidam prægustus cœli, 253, 1.
Laici omnes non sunt sacerdotes proprie dicti, 286, 2. sed mystici, 1. audientes confessionem et absolventes an fiant irregulares, 220, 2. iis olim in Africa in ecclesia sedere non licebat, 102, 2. eorum non est de fide sua cum hæreticis disputare, 331, 2. iis in reconciliatione, et ad humilitatem, etiam confitendum, 219, 2. non vero sacramentaliter, 220, 1.
Lais hebræa vox unde derivetur, 150, 2.
Lamech pater Noe an sit salvatus, 337, 2.
Laminam auream quare S. Jacobus gestarit, 9, 1.
Lapis vivus quis dicatur, 281, 1. lapidis et fidelis analogiæ, 282, 1. lapidum varia miracula, *ibid.*
Lascivia sequitur ex epulis, 203, 1.
Latro cum Christo crucifixus quomodo dicatur Martyr, 367, 2.
Laudare Deum perpetuo debet homo, maxime Religiosi, 155, 1.
S. Laurentius Justinianus vidit per visum divinam sapientiam specie virginis, 165, 1.
Laus Christi quam dabit in die judicii, est ambienda, 248, 2. et quanta ea sit, *ibid.* dabit cuique pro meritis non tantum præmium, sed et laudem, 249, 1. faciet Beatos apud homines gloriosos, 251. a Dei laude omnia nostra inchoanda, 241, 2. laudes virtutem adaugent, 641, 1. laus subinde capitur pro virtute, 290, 2.

Lautia olim dabantur hospitibus, 642, 2.
Lebbæus est corculum, 648, 2 et seqq.
Legalia opera ad salutem non sufficiunt, imo sine Christi fide inefficacia sunt, 133, 2.
Λείπομαι quam varia significet, 30, 1.
Leo est symbolum linguæ, 150, 2. leo ab hominibus domatur, 151, 1. ejus proprietates diabolo accommodantur, 392, 1 et seqq.
Leprosus est typus peccatoris, 240, 2. mundatio utriusque fit sanguine, *ibid.*
Levitas mater est inconstantiæ, 44, 1. parit hæsitationem in oratione, *ibid.*
Lex æterna Dei quæ sit, 567, 1. lex tota servanda, non una ejus pars, 111, 2 et seqq. eam observans, est Religiosus, 90, 2. possumus eam cum Dei gratia perficere, 111, 2. eam quomodo detractor judicet, 187, 1. est a Deo, et justa præcipit, 109, 2. lex naturæ in conscientia scripta est, 111, 2. lex regalis quæ et cur dicatur, 109, 2. legem unam violans, quomodo fiat omnium reus, 111, 2 et seq.; 114, 2. legis Christianæ ætas quamdiu durabit, 549, 2. ea sancta est, et quare, 467, 1. est perfecta, cur, 87, 1. est item lex libertatis, *ibid.*
Liber Henoch olim extitit purus, sed postea corruptus est, 677, 2. quos errores contineat, *ibid.* libri S. Scripturæ canonici, sunt duplices, 496, 1. libri hæreticorum quam noxii et fugiendi ut pestes, 637, 1.
Liberales nos esse erga Deum liberalem oportet, 37, 1.
Liberius Pontifex admittere noluit hæreticorum munera, 636, 2.
Libertas omnis est in et a voluntate, 57, 2. libertatem qualem suis det lex Evangelica, 87, 1.
Libertini monachi patientia, 301, 1.
Libertinorum quæ et qualis sit secta, 465, 1, 2. negant judicium et omne numen, 474, 1.
Liberum arbitrium eligendorum in causa est, ut certa sit aut non sit eorum electio et vocatio, 421, 2; 422, 2. id negant Calvinistæ, 284, 2.
Libido quam hominem sopiat et detineat, 460, 1, 2. et mentem eripiat, *ibid.* est velut ignis, 685, 2. hunc quomodo Sancti quidam conati sunt exstinguere, *ibid.* est pestis ingeniorum et sapientiæ, 165, 2. libido incessabilis hæreticorum, 460, 1.
Ligatur ab orante Deus, 225, 2.
Limbo (in) patribus Christus prædicavit, et quomodo, 337, 2. quamdiu ibi fuerit, 2 et seqq. cur eo descenderit, *ibid.*
Linguæ etymon, 141, 2. dicitur hebraice *lascon*, id est leunculus, 150, 2. data ad Deum laudandum, 154, 2. vicina est phantasiæ, hinc loquax, 137, 2. ejus in ore situs docet hominem silentium, 74, 2 et seqq. quatuor de causis in ore hominis posita est, 145, 2. in homine optimum est, et pessimum, 155, 2. linguæ præcipitatio nascitur ex mentis præcipitatione quam parit ira, 76, 2. ejus offensa facillima est, 137, 1, 2. ejus vis et potentia, 141, 2 et seqq.; 144, 2. est similis igni, 143, 2. ejus vitia totam vitam occupant 147, 2. totum hominem et corpus maculat, 145, 2 et seqq. ejus sævities, 150, 2. totum universum implet iniquitate, 145, 1. est alphabetum scelerum, *ibid.* linguæ magna bona conciliantis exempla, 142, 2. item mala, 143, 1, 2, ejus frænatio quanti momenti sit, 139, 1. ipsa fræno comparatur, *ibid.* ea refrænata refrænantur omnes spiritus motivi, *ibid.* eam refrænent Religiosi, 88, 2. eam domat Deus, non homo, 152, 2. et quomodo, 153. est alioqui indomabilis, 153, 2. est quasi hydrus, 154. et inquieta, 154, 1. lingua maledica sepulcrum est, *ibid.* item hydrargyrum, 2. ejus sunt octo species, 158, 1. varia ejus attributa, et damna, *ibid.*; 73, 2; 89, 1; 90, 2; 144, 2; 155, 2. hæc inflammatur a gehenna, 149, 1 et seqq.; 149, 2 et seqq.
Linguæ in Babel primum fuere confusæ, 401, 2.
Liquatio cœlorum in fine mundi, 485, 1; 486, 1.
Litaniæ leguntur pro infirmis inunctis, 221, 2.
Lites sunt velut bella, 170, 1.
Liturgia S. Jacobi quam vetus, et quantæ auctoritatis, 8, 2.
Loco non eget Deus, 520, 1.
Locutio obest scientiæ comparandæ, 73, 1.
Λόγος quam diversa significet, et ea omnia attribuuntur Filio Dei, 513, 1 et seqq.; 514, 1, 2 et seqq.
Longævitatem sibi promittentium vanitas, 189, 2.
Loquacitatis damna, 90, 2. ea innata homini ex corrupta natura, 137, 2. est signum fatuitatis, 74, 2; 151, 2. loquax ostendit se non esse Christianum, 89, 2. est irreligiosus, 90, 2.
Loquendum (ad) pruritus quantus in homine sit, 153, 1.
Lucæ Sternebergii hæretici blasphemiæ, 454, 2.
Lucernæ campanariæ frequentes sunt in Italia, 434, 1. lucernæ dimyxi veterum, 2.
S. Luciæ generosum præfecto Paschasio responsum, 92, 2.
S. Lucianus Martyr quam esset moribus compositus, 158, 2; 324, 1.
Lucifer stella est typus fidei, 434, 2. item beatitudinis cœlestis, 435, 1. ejus exortus quam gratus, 2.
Lucifer appetiit unionem hypostaticam Verbi, 443, 2. ei hæretici comparantur, 446, 1.
S. Lucii Martyris in tormentis et morte gaudium, 48, 2.
Lucro non inhient Pastores animarum, 380, 2.
Lucta spiritus et carnis quæ sit, 294, 1.
Luctus decet Christianos in hac vita, 184, 1. luctus sanctus quis sit, *ibid.* ejus effectus, 2.
Ludovicus Lantgravius quomodo curatus a mala opinione quoad suam prædestinationem, 422, 2.
Lugentium tres gradus, 184, 1, 2.
Lumbos mentis succingere quid sit, 257, 2 et seqq. et quare ii sint succingendi, *ibid.*
Lumen est causa omnis boni et symbolum, 65, 1. optime Deum repræsentat, *ibid.* lumina supernaturalia omnia Deus in nobis producit, 66, 1.
Lunæ cur Ecclesia assimiletur, 436, 1 et seqq.
S. Lutgardis impetravit Thomæ Cantipratano, ut sine noxa cum peccatoribus ageret, 687, 1.
Lutheranorum opera ostendunt fidem ipsorum non esse bonam, 127, 1. eorum obscenitas in conviviis, 458, 2.
Lutherus epist. S. Jacobi rejicit, et cur, 4, 1. docuit Christianos per Evangelium liberos esse ab observatione mandatorum, 87, 1. rebellionem excitavit suo dogmate, 297, 2; 450, 2. habuit dæmonem familiarem, 446, 2. ipsius de secta sua judicium, 451, 1. ejus audacia, 452, 1. ejus varia epitheta, *ibid.* sæpe suum dogma mutavit, 453, 1. ejus blasphemiæ, 454, 1. ex ambitione contra Ecclesiam surrexit, 453, 2. ejus fastus, *ibid.*; 168, 1. ei epitheta quæ dent Calvinistæ, 454, 1. sibi laqueo necem intulit, 441, 2; 457, 1. ejus libido, 460, 1. viam stravit Antichristo, 589, 1. est velut stella e cœlo in terram cadens, 676, 2.
Lux est symbolum Dei, et qualitas eum maxime repræsentans, 523, 1. — *Vide* Lumen.
Luxuria noxia ingeniis et sapientiæ, 165, 2. ejus ignis æterno igne luendus, 663, 1. sæpe capitur pro lascivia, 459, 1. est incessabilis, 460, 1. — *Vide* Libido.
Lycurgus dabat impunitatem adulteriis, 167, 1.
S. Lydwinæ patientia diuturna, 307, 2. est a Christo Domino inuncta, 218, 2. quam esset patiendi cupida, 25, 1.

M.

S. Macarius miraculis probavit orthodoxam fidem contra Eunomianos, 126, 1.
Maculatam quam tunicam hæreticorum suos odisse velit S. Judas, 686, 2.
Magia hæreticis est familiaris, 446, 2.
Magister dicitur quilibet præfectus, 133, 1. magister plus doceat vita quam voce, 158, 2. quamobrem gravius pu-

nietur quam discipuli, 135, 1. eum recreat discipulorum profectus, 641, 2.
Magisterium non est a pluribus ambiendum, 134, 1.
Magistratus a Deo sancitus est, 298, 1.
Magnes est lapis vivus, 281, 1.
Magnificentia virtus, proprie quid sit, 689, 1.
Magnitudo animi decet Christianos, 110, 2 et seqq.
Mahometanorum carnalitas, 164, 2.
Majestatem Dei quam blasphemarent Gnostici, 665, 1.
majestas Dei quam sit sublimis, 594, 2 et seqq.
Major est qui in nobis est, quam qui in mundo, 589, 1 et seqq.
S. Malachias quam probus fuerit pastor, 384, 2. mortuam sua culpa non inunctam a morte excitavit, 215, 1.
Maledicentes benedictione compensandi, 326, 1.
Maledictis (pro) benedicta rependentium exempla, 326, 2.
Malignus quam varia significet, 623, 2.
Malitia sextuplex datur, 78, 2 et seqq. et quintuplex, 274, 1.
Malorum causa non est Deus, 53, 1. mali nihil nobis evenit, quin a Deo sigillatim prævisum sit, 372, 2.
Mandatum charitatis quam sit vetus, 537, 2. quomodo tamen dicatur novum, *ibid.* et seqq.; 538, 2. mandata Christi non sunt impossibilia, 607, 1. eorum observatio signum est charitatis Dei, *ibid.*
Manere quid S. Joanni significet, 537, 1. is *manendi* verbo crebro utitur, 559, 2. manere in lege quid sit, 87, 2.
Manetis hæresiarchæ mors, 441, 2. is unde se Manichæum vocarit, 74, 1.
Manichæi docebant mundum a dæmone conditum esse, 662, 2. et solem materialem esse Christum, 524, 1. et duas in homine esse animas, unam bonam, et alteram malam, 54, 2.
Mansuetæ sint mulieres, 314, 2.
Mansuetudo virtus quæ sit, et ejus effectus, 79, 2. ipsa flos est veræ sapientiæ, 159, 1, 2. ipsa et humilitas sunt velut sorores, 322, 2.
Manus symbolum sunt operationum externarum, 183, 1.
Marcion hæresiarcha quare dicatur mus Ponticus, 238, 2. e superbia hæreticus factus est, 453, 1. duos ponebat Deos, 255, 1.
Marcor quis sit morbus et unde nascatur, 47, 2.
S. Marcus Evangelista fuit S. Petri spiritualis filius, adjutor et interpres, 402, 2 et seqq. an fuerit e Christi discipulis, et interpres primæ S. Petri epistolæ, *ibid.* quo anno Evangelio scripto, Alexandriam concesserit, *ibid.*
Marcus et Marcellianus post Dei opem petitam tormenta omnia superarunt, 398, 2.
Mare semper æstuat, 676, 1.
Maria Cleophæ fuit sancta mulier, 6, 2. est eadem cum Alphæi et Jacobi; non fuit soror B. Virginis, sed consobrina, 648, 1. quos filios habuerit Apostolos, *ibid.* in Italia Verulis quiescit, 497, 1.
S. Maria Oigniacensis ex Extrema Unctione quos fructus perceperit, 218, 1.
B. Maria Virgo non habitavit in Sancto sanctorum, sed in atrio, ad ostium tabernaculi, 8, 2. ejus humilitas, 45, 2. ipsa invocanda in tentationibus, 59, 1. pauciloqua fuit, 74, 1. est angelorum et hominum pandora, 226, 1. ejus modestia, 314, 1 et seqq. S. Joannes post mortem Filii, ejus curam gessit, 501, 1. caruit peccato originali, 527, 1. an inuncta fuerit dum moreretur, 219, 1. nunquam pœnitentiæ Sacramentum usurpavit, 219, 1.
S. Mariæ Magdalenæ erga patientem Dominum affectus, 307, 1, 2.
Maritus in familia regenda sit prudens et sciens, 318, 2. honoret uxorem, *ibid.* et cur, 319, 1.
S. Martinus quantum damni senserit ex communicatione cum hæreticis, 687, 1. ejus spes viva et infracta, 243, 2. sacerdotem prætulit regi, 97, 2. pia ejus præsumptio de Dei benignitate, 686, 1.
Martinus Pontif. libere Constantem Imp. coarguit, 287, 1.
Martyr est qui pro fide et virtute aliqua Christiana moritur, 329, 2; 367, 2. Christo sanguinem pro sanguine, vitam pro vita rependit, 19, 1.
Martyres in tormentis gaudebant, 18, 1; 19, 2. quid responderint infidelibus petentibus quare morti se offerrent, 331, 2. statim a morte ad Dei conspectum admittuntur, 208, 2. non resistunt persecutoribus, 204, 2. eorum passiones mire Ecclesiam illustrant, 367, 1. eorum elogia, *ibid.* eorum quanta esset patientia, 27, 2. eorum fortis generositas, 28, 1; 416, 2. in tormentis suis diffisi viribus Deo se commendantes vires patiendi et moriendi impetrarunt, 373, 2. Martyres multi lingua excisa sunt locuti, 155, 1.
Martyrium est regale sacerdotium, 288, 1. omnia peccata expiat, 19, 1. est nobilissimus fidei actus, et dat nobilissimam coronam, *ibid.* 28, 1. sex stimuli ad ipsum, 367, 2. ejus quanta sit gloria, 368, 2 et seqq.
S. Martyrius in leproso suscepit Christum, 98, 2.
Mas dignior femina tripliciter, 311, 1. masculi sunt bases familiarum, 280, 2.
Materia prima cœlorum non est creata informis, 475, 1.
Mathusalem salvatus videtur, 337, 2.
S. Mechtildis quantopere ad cœlum suspiraret, 490, 1. ejus silentium, 324, 1.
Meditatio rerum divinarum frænum linguæ est, 140, 2.
Melania omnibus relictis nuda in Palæstinam profecta est, 550, 2.
Melius est nescisse, quam scientem damnari, 466, 2.
Μέλλω in Script. sæpe idem est quod incipio, 115, 2.
Μεμψίμοιρος quis dicatur, 679, 2.
Mendici similes sunt canibus, 468, 1.
Mens Prophetæ vi divini spiritus acta, sui tamen est compos, 438, 1. mens quos habeat lumbos, 257, 2.
Mensæ accumbens cur præ cæteris timore Dei opus habeat, 673, 2.
Merces plena Christianorum quæ sit, 635, 2. merces operariorum defraudata clamat in cœlum, 201, 2.
Mereri quotidie multa possumus, 20, 1.
Μέριμνα vox unde deducatur, 389, 1.
Merita augendi bona praxis, 583, 1, 2. meritum gloriæ per bona opera, contra Calvinum astruitur, 50, 2.
Messiæ tempus multi Prophetæ in veteri Testamento præcise indicarunt, 254, 1. id dicitur novissimum, 473, 2.
Metus Sanctorum, esto sint in gratia, 585, 2. is fideli necessarius quoad salutem suam, 552, 2.
Michael vox unde derivetur, 666, 1. est princeps angelorum, *ibid.* ejus altercatio, 2. quomodo non est ausus diabolum blasphemiæ insimulare, 668, 2. an per os asinæ Balaam sit allocutus, 462, 1.
Michael Servetus censuit deitatem reipsa in justos transfundi, 410, 2. ejus athea blasphemia, 451, 2.
Milites pro fide pugnantes et occumbentes Martyres sunt, 205, 1.
Mille anni quomodo Deo sint dies unus, 478, 2 et seqq.
Millenarii docebant Sanctos in hac vita mille tantum annos regnaturos, 244, 2.
Mina argenti quanti esset pretii Græcis, 98, 1.
Ministri hæreticorum sunt sponsi Penelopes, 460, 2. ministri Ecclesiæ exerceant ministerium suum ex virtute Dei, 362, 1.
Miracula sunt fidei veræ, non fictæ, 126, 2. eorum fides a Deo oranti datur, 40, 2.
Mirari capitur subinde pro *colere*, 680, 1. item pro *imitari*, *ibid.*
Miseria hominis in hac vita octuplex est, 183, 2. miseriis hujus vitæ etiam justi subjacent, 371, 1.
Misericordia quid proprie sit, 322, 2. virtus est, 579, 2. defendit apud Deum sui cultores, 119, 2; 120, 2. ejus vis, 121, 1. Deo amica et proxima est, 37, 2. eam docet lex Christiana, 168, 1, 2. quomodo judicium superexaltare dicatur, 116, 1, 2; 119, 2; 120, 1. misericordia et pietas

sunt plerumque conjuncta, 91, 2. misericordia Dei maxima et immensa est, 241, 2 et seqq.
Misericordes clienti velut Deus sunt, 168, 2. in judicio benigne a Deo judice habebuntur, 122, 1. impetrant per misericordiam suam remissionem, vel mitigationem pœnæ peccatis suis debitæ, 119, 1.
Missa S. Jacobi quam antiqua sit quantæque auctoritatis, 8, 2.
Mititas parit incorruptionem, 314, 1.
Mitræ Episcopalis origo, 9, 1.
Mixta omnia in fine mundi exurentur, et in cinerem convertentur, 487, 2.
Modeste et reverenter de divinis loquendum est, 332, 1.
Modestia virtus unde dicta, 314, 2. ejus præstantia, 31[illegible]. cingulo repræsentatur, 258, 2. est sapiens, 322, 1. quæ et qualis sit virtus, quæ ejus officia, 323. est purpura et cyclas Christiani, *ibid.* ejus dotes, *ibid.* et seq. est etiam compositionis internæ actus et effectus, *ibid.* quatuor ejus species, 2. actus quatuor, *ibid.* varia ad eam requirendam media, 324, 1 et seqq. est dos Prælati, 382, 2. doctori cum primis necessaria est, 166, 2. ejus elogium, *ibid.*
Modestus habitus decet mulieres, 312, 2.
Monachi cujusdam, qui vivens nemini detraxerat, in morte securitas, 188, 2. monachus Affligemiensis per trecentos annos fuit in exstasi mentis, 480, 2. monachus quidam sua vita sancta revelationem de sua damnatione revocari fecit, 423, 1.
Monachos quare dæmon acerrime infestet, 364, 1. cur cucullis utantur, 276, 2. erant olim hospitales, 640, 2. solitarii defenduntur contra hæreticorum calumnias, 92, 1.
S. Monica quam scite inter diffidentes pacem conciliaret, 357, 2. dicta meribibula per convicium, vicit in se vini cupidinem, 32, 2; 301, 2.
Mons quid typice et tropologice denotet, 432, 2. in monte cur Christus sit transfiguratus, 1.
Montanus hæresiarcha laqueo se præfocavit, 441, 2. est ex ambitione factus hæresiarcha, 453, 1.
Mora pensanda sunt verba, 76, 1.
Mores depravati sæculi pravi, 118, 2. morum odores et colores, 332, 1.
Morientes animam commendant Deo, 373, 1. morientur omnes in fine mundi igne, 478, 1.
Mors animæ in quo consistat, 62, 2; 575, 2. ea vera appellanda mors, 576, 1. mors malorum carentia est, 426, 1. aufert invidiam, 161, 1. mors repentina per multorum exempla probatur, 193, 1. mors multis Sanctis revelata fuit, 426, 2. mors martyrum quam beata sit, 373, 2.
Mortificatio appetituum et sensuum dat cordis munditiem, 95, 1. ejus symbolum est cingulum, 258, 2.
Mortuis quomodo Christus prædicarit, 349, 1 et seqq. mortui vivunt quoad animam post mortem, 350, 2. mortui carni vivunt Deo, *ibid.*
Mosis ascensio liber dictus, est apocryphus, 666, 1. Moses vere mortuus est, et ejus anima ivit ad limbum patrum, 2. cur secreto ab angelis sepultus sit, *ibid.* et 667, 1. eum alioquin ut numen coluissent Hebræi, *ibid.* ob hæsitationem morte a Deo in deserto est mulctatus, 41, 2.
Motus cœlorum cessabit in fine mundi, 484, 2. motus concupiscentiæ in appetitu sensitivo, per se, et sine voluntatis consensu, non sunt peccata venialia, 57, 2. iis statim resistendum, 58, 1. hi non sunt in hominis potestate, 57, 1, non sunt liberi, sed solum imaginationes et appetitus sensitivi, *ibid.*
Mulieres cur in libidinem pronæ sint, 312, 1. dominantes viris monstrum sunt, 311, 2. honorent viros, 316, 2; 317, 1, et seq. parendo iis imperant, *ibid.* mulieres omnes separentur a viris etiam spiritualibus, 467, 2. earum illecebræ quam noxiæ, 672, 1. arcendæ sunt castris, *ibid.*
Mullus piscis speculis nitorem restituit, 86, 1.
Multi sæpe capitur pro *omnibus*, 355, 2
Mundana diligenda non sunt, 547, 1. ea cito evanescunt et prætereunt, 47, 1.
Mundani sunt cives Babylonis, 402, 1. eorum vita plena est triplici concupiscentia, 545, 2. habent cor sterile, malignum, difficile, morosum, 623, 2. eorum duplicitas describitur, 44, 1, 2. pleni sunt concupiscentiæ, 545, 1.
Mundi cordis habendi varia media, 94, 2 et seqq.
Mundities animæ facit appropinquare ad Deum, 183, 2 et seqq.
Mundus tripliciter accipitur, 545, 1 et seqq.; 547, 1. aliquando metonymice pro mundanis, et carnali vita, 94, 1. aliquando pro ornatu, 145, 1. mundi finis instat, 352, 1; 547, 2. quomodo consummabitur, 477, 2. stabit sex mille annis, 480, 1. ejus consummatio fiet noctu, 482, 2. non est æternus et immortalis, 474, 2.
Mundus sanctos inquinat, 238, 2. ejus amor parit odium Dei, 544, 2 et seqq. ejus descriptio, *ibid.* cito pertransit, 547, 2. et quare 548, 1. odit sanctos quinque ob causas, 574, 1 et seqq. ex eo tuto quis fugit, 175, 2; 623, 1. totus sub diabolo est, 622, 1. est plenus pravitate et iniquitate, *ibid.*, 2. ejus lubricitas et pericula, 623, 2. ejus amor est adulterium, 175, 1. ejus amicitia quæ, 175, 2. est hostis Dei, 17[illegible], 1, 2.
Murmur contra Superiores quantopere Deo displiceat, 673, 1.
Mutari nequit Deus, 67, 1.
Mutatio omnis mortis est imitatio, 67, 2.
Μυωπάζων quid proprie sonet, et quis myops, 419, 1, 2.

N.

Naas rex Ammon typus fuit diaboli, 396, 2.
Natalis Martyrum quis dicatur, 373, 2. natalem Christi quam devote celebrare nos oporteat, 512, 2.
Naturam divinam essentialiter habet solus Deus, personaliter solus Christus, accidentaliter justi, 410, 2 et seq.
Navis equo comparatur, 141, 1.
Nebridii Romani elogium, 315, 1, 2.
Nebula est nubes sine aqua, 462, 2.
Necessaria vitæ quærenda sunt, non superflua, 124, 1.
Necesse est justum aliquando peccare, moraliter, non physice, 136, 2.
Neglectum verbi sui quomodo Deus ulciscatur, 86, 2.
Negligentiam omnem homo evitare nequit, 136, 1.
Nero quam in Christianos acer et dirus fuerit, 365, 2.
Nestorii blasphemi lingua a vermibus corrosa est, 155, 1.
S. Nicolaus Tolentinas qua occasione mundum deseruerit, 176, 2.
Nobilitatem generis olim jactantes, vocabant se filios Jovis, 644, 1.
Nocte media an judicium fiet, 482, 2. noctu quare fideles orare debeant, 483, 1.
Noe quomodo octavus præco fuisse dicatur, 447, 2. quomodo fuerit præco justitiæ, 448, 1 ejus fides et justitia, 448, 1.
Nomen suum cur non ponat S. Joannes initio epistolæ, 502, 1. nomen Christi quam esset Gentibus exosum, 365, 2. *nomen* capitur aliquando pro re nominata, 616, 2. et aliquando pro jussu et auctoritate, 208, 2.
Novatianus quare schisma ab Ecclesia fecerit, 453, 2.
Novissimus et novus idem est quod postremus, 539, 2. idem quod pessimus, 549, 2. novissimum dicitur tempus Messiæ, 473, 1.
Novitas nota est hæreseos, 440, 2.
Novum quomodo dicatur mandatum charitatis, 537, 2. et seqq. novi cœli quomodo futuri post resurrectionem, 489, 2.

Nubes sine aqua sunt hæretici, 674, 1 et seqq.
Nugis non oportet aures intendere, 72, 2.
Numen esse colligitur ex constanti inconstantia mundi, 474, 1.
Numerus damnandorum et salvandorum an sit par, 118, 2.

O.

Obediente (in) manet Deus quintupliciter, 584, 1.
Obedientia et subjectio est tessera veræ fidei, 297, 2. obedientiæ filii qui dicantur, 260, 2. obedientia debet esse patiens, 301, 1. castitati servandæ conducit, 269, 1. obedientia charitatis quæ dicatur, 268.
Observatione mandatorum amorem nostrum in Deum testamur. 535, 1; 536, 2.
Obstinatio est peccatum ad mortem, 620, 2. obstinatio hæreticorum, 671, 1.
Obumbrare quomodo dicatur Deus in Scriptura, 68, 2.
Occasiones patiendi fugere licet, 373, 2.
Ὀχεύω quid proprie significet, 459, 2.
Octonarius symbolum est felicitatis æternæ et resurrectionis, 340, 1.
Oculus baculo insistens symbolum Dei providentiæ, 379, 2. oculorum concupiscentia est avaritia, concupiscibile opes, 545, 2. in amore duces sunt, 459, 2. sunt fenestræ mentium, 460, 1 in oculis Dei versantes modesti simus oportet, 324, 1.
Odiens alium quomodo sit homicida, 576, 1, 2. occidit quoque animam suam, 576.
Odium mundanorum erga sanctos et religiosos, 574, 1.
Offensas mutuas condonat charitas, tam in offenso quam in offendente, 356, 2 et seqq.
Olei effecta et vires, 216, 1. oleo sancto a se benedicto curarunt morbos multi sancti, *ibid.* oleo sancto ab Episcopis benedicto nullus laicus ungit, sed solus sacerdos, 215, 2. oleum olivarum est materia Sacramenti Extremæ Unctionis, 216, 1.
Omne capitur pro *toto*, 14, 1, 2. *omne non* Hebræis est *nullum*, 555, 2.
Opera præter fidem ad salutem et electionem ad gloriam requiruntur, 4, 1; 82, 1, 2; 122, 1; 123, 1; 128, 2; 421, 1; 560, 2 et seqq; 568, 2, ea tribuunt fidei perfectionem et consummationem, 129, 2. sunt ejus vita et lingua, 125, 1. jungenda sunt orationi, 582, 1, 2. opera bona merentur cœlestem gloriam, 50, 2. ita sunt ea facienda, ut sint digna Deo, 642, 2. et quomodo id fiat, *ibid.* hæc hominem in judicio securum reddunt, 560, 2. ea signum sunt prædestinationis, 423, 1. opera fidei et gratiæ non sunt tribuenda voluntati, sed fidei et gratiæ, 80, 1. opera et passiones nostras actionibus et passionibus Christi unire debemus, 241, 1.
Operantibus solis promittitur gloria cœlestis, 423, 2 et seq.
Operariorum merces defraudata clamat in cœlum, 201, 2.
Opes conciliant invidiam, 167, 1. sunt dandæ pauperibus, 197, 2. flori fœni comparantur, 46, 2.
Opiniones novas introducunt hæretici, 452, 2.
C. Oppius Centurio an fuerit is qui astitit Christo in cruce morienti, 640, 1. an converterit Hispanos, *ibid.*
Optimus maximus epithetum est Dei, 53, 1.
Ophitarum hæreticorum abominationes, 91, 1.
Orans cum Deo colluctatur, isque se ab eo vinci gaudet fiducia, 40, 2. credat recta de Deo ejusque attributis, 39, 1, 2.
Orationis elogia, 617, 1. in ea cur spem et fiduciam Deus exigat, 40, 1. utraque ejus mensura est, 41, 1. et ipsa ut proprius actus spei et fiduciæ, 40, 1. pandit Scripturam sacram, 438, 2. vim facit Deo, 40, 2; 617, 1. ejus quæ sint vitia et impedimenta, 42, 1. habet vim et fiduciam ex bonis operibus, 582, 2. est mater castitatis et continentiæ, 258, 2. ejus vis in animi tristitia, 213, 2. quas habere conditiones debeat, ut quod petit impetret, 41, 2. optimum contra tentationes remedium est, 58, 2. oratio assidua quæ sit, 222, 1. habere debet opera socia, *ibid.* lacrymis roborata potens est, 2. quomodo fiat efficax, 223, 1. sex ejusdem fructus, *ibid.* ejus effectus qui, *ibid.* est clavis cœli, 225, 2. oratio concordium est alata, 320, 1. orationem sanctorum Deus prævenit, 582, 2. oratio in Spiritu Sancto notat quatuor, 683, 2. oratio fidei infirmum salvatura quæ dicatur, 217, 1. oratio in peccatum oranti tendens quæ sit, 174, 1.
Oratores Christiani quinam fuerint, 143, 1.
Oretur pro ægro in Extrema Unctione, 215, 2. orandum pro principibus, et quare, 300, 2. orandum pro invicem, 221, 2. orare pro aliis est utilius quam pro se, *ibid.* semper Christianus oret, 354, 2. orantes pro peccatoribus ad mortem peccantibus sæpe Deus non exaudit, 620, 2.
Origenes vita fuit talis qualis doctrina, 158, 2. ejus error circa rerum revolutionem in pristinum statum, 244, 2. docebat animas Beatorum rursus ad carnem redituras, 245, 1. dat cœlis animam et mentem, 491, 2. docuit dæmones aliquando salvandos, 334, 1; 445, 2. cur dictus Adamantius, 331, 2 et seqq.
Originale peccatum habent omnes, 527, 1.
Originalis mundus qui dicatur, 447, 1.
Ornamenta vera mulieris quæ sint, 313, 1.
Ornatus nimius pejor est adulterio, 313, 2.
Os ad os loqui quid sit, 637, 2.
Osculum sanctum quod sit, 403, 1.
Osiandri error circa unionem nostri cum Deo, 410, 2.
Ostendere in Script. significat rem reipsa exhibere, dare, donare, largiri, 126, 1.
Ostensio fidei per opera cur in Ecclesia requiratur, *ibid.*
Otio marcet virtus, 20, 2.
Ovis et hominis variæ analogiæ, 308, 1.

P.

Pacifici et invidi antitheses, 275, 2.
Palma symbolum est patientium, 49, 2.
Pambonis Abbatis silentium, 138, 1.
Pandora cur dicta sit terra : unde habeat nomen, et quæ sit, 226, 1.
S. Paphnutius quam Maximum Hierosolymæ Patriarcham hæreticum detestaretur, 636, 2.
Παρὰ *trans, obiter, cursim* significat, aliquando *non*, 87, 1.
Paradisus terrestris fuit obrutus diluvio, 339, 1. an reservabitur ab igne conflagrationis mundi in usum parvulorum sine baptismo defunctorum, 477, 2; 488, 1.
Paradoxa christianismi varia, 66, 2.
Παρακαλέω significat hortor, consolor, obsecro, 619, 1.
Παράκλητος quid significet, 535, 1.
Παρακύπτειν est inclinato corpore et collo curvato in obliquum aspicere, 86, 2; 256, 2.
Παράλλαξις quid proprie, 67, 1, 2.
Parallela sententiarum earumdem ex epist. secunda S. Petri et S. Judæ, 651.
Parcæ symbolum sunt fati, 194, 1. earum officia et nomina, *ibid.*, 2.
Παρεισενέγκαντες quid proprie significet, 415, 1.
Παρεπίδημοι qui sint, 237, 2.
Parœci et parochus qui dicantur, 264, 1.
Parthos (ad) an scripta prima S. Joannis epistola, 502, 1. et cur, 2.
Parvuli baptizati salvantur sine operibus, 125, 2. hi in peccato originali mortui ubi et qualiter vivent, 490, 2. non patientur pœnam sensus, sed tantum damni, *ibid.* et seqq.
Pascere idem est quod regere, 377, 2.
Passio Christi omnium dolorum est remedium, 305, 2. eam recolere Christo est gratissimum, 307, 2. eam nos

sequi decet et imitari, 303, 2. ejus memoria in Missa fit, 241, 1. ejus memoria excitandi sunt fideles, 376, 2. ea insigni gloria fuit compensata, *ibid.*
Passio nostra quam modica sit, 18, 1; 398, 1. eam Deus dulcorat, 18, 1. non est in cœlo, sed in terra, hinc per eam homo fit angelis major, 19, 2.
Passiones mortificandæ ei qui exterius esse vult modestus, 324, 1.
Pastor animas tripliciter pascat, 378, 2. et cogitet se pascere oves Christi, non suas, *ibid.* accurate oves suas inspiciat, et lustret, 379, 2. libenter subeat onus non emolumenti causa, *ibid.* placide suos regat, 380, 1. non vi cogat, sed amore agat, *ibid.* idque ex Dei præscripto, *ibid.* 381, 1. ne lucro inhiet, 380, 2. non imperiose Ecclesiam vexet, 381, 2. clericis modeste imperet, 382, 1, 2. sit modestus, *ibid.* præsit ut pater, *ibid.* gravitatem lenitate misceat, 383, 1, 2. sit forma vitæ subditis suis, *ibid.* pastoris in figura sæpe pingitur Christus, 308, 1. pastores mali deglubunt oves, 674, 1. pastores quantam animarum cujusque curam gerere debeant, 498, 1. eorum præmium in cœlo magnum est, 285, 2.
Pater luminum dicitur Deus et S. Trinitas, 65, 2. Deus Pater cur dicatur proprie gratiam dare, 562, 2. eum qui negat, et Filium, 556, 2.
Paternianorum hæresis de factura corporis humani, 54, 2.
Pati pro Christo quam sit gloriosum, 365, 2 et seqq. et cur, 366, 2 et seqq. pati gaudent pro Deo Sancti, 17, 2. patiens tentationem et dolorem beatus est, 48, 1. patiens injuste non conqueratur, ne meritum patientiæ amittat, 332, 2.
Patiens est sapiens, 31, 1. patiens perdurans incudi assimilatur, 48, 1. is suorum affectuum est dominus, 26, 2. eum Christus coronat, 49, 2. ejus temporaneus et serotinus fructus quis, 206, 1. ei Deus adest suis consolationibus, 329, 2. inseritur cruci Christi, 364, 2. in illo patitur Christus, *ibid.* fit unum cum Christo, 365, 1 in eo patitur Spiritus Sanctus, 366, 1. in patiente certat et vincit Deus, 397, 2. ei nullus nocere potest, 328, 2. patientium gnomæ et exempla, 29, 1.
Patientia capitur pro perseverantia, 26, 1. patientia Christiana quam eminens sit, 14, 1. est perfectio obedientiæ, 301, 1. est Christianorum studium, 304, 1. quæ sit imperfecta, 25, 1. quæ perfecta, *ibid.* quomodo opus perfectum habeat, 2. efficit virtutum omnium consummationem, *ibid.* nulla sine ea est virtus, *ibid.* et seqq. perficit stadium vitæ humanæ, 26, 1. est virtutum calx, 27, 1. quæ patienti bona adferat, 26, 2. ejus effectus, *ibid.* medium est ad acquirendam perfectionem, 27, 1 supplet virtutum et rerum omnium defectus, 27, 1. sex opera perfecta producit, 2. suffert patienter omnia ardua et adversa, *ibid.* Deum habet debitorem, 28, 1. citharæ assimilatur, 28, 1. creat Martyres, *ibid.* hominem beatum et tranquillum facit, *ibid.* semper et ubique utilis est, *ibid.* Christo nos similes facit, 2. sine ea nihil in homine perfectum, *ibid.* fatum quasi expugnat, *ibid.* quomodo hominem perficiat, 29, 2. quando succumbat aut deficiat, 30, 1. ipse vera sapientia, *ibid.* ejus præcepta et dictamina varia, 32, 2. a solo Deo est petenda, 33, 1. palmæ comparatur, 49, 1. alia ejus elogia, *ibid.* eam docet tentatio, 23, 1. ejus tres sunt gradus, 14, 1, adhortatio ad illam, 205. 1, 2, patientia Dei erga peccatores, 339, 2.
Patronatus jus non usurpent laici id non habentes, 644, 1.
Patronus in quo differat ab advocato, 533, 1.
Pauciloquis (de) gnomæ, 75, 1 et seqq.
S. Paulinus Nolanus Episcopus cur se depingi nollet, 82, 2. dedit se in lytrum pro viduæ filio redimendo, 38, 1; 577, 2.
S. Paulus unde dictus Saulus, 12, 1. ejus elogia, 493, 1. in tribulatione gaudebat, 15, 2. suos tortores ad Christum convertit, 374, 2. consensit in scribendo cum aliis Apostolis, 2, 2. ejus cervix recisa lac pro sanguine dedit, 278, 2. omnes pene epistolas suas orditur a gratiarum actione vel benedictione Dei, 241, 2. quomodo depressis operibus legis fidem in Christum tantopere extollat, 122, 2. requirit opera fidei, 132, 2. hinc non adversatur aliis Apostolis etiam opera requiri asserentibus, 122, 2. is et S. Jacobus quomodo sint conciliandi, quoad fidem et opera in justificatione, 132, 2. ejus charitas et unio cum S. Petro, 493, 1.
Paulus Samosatenus Episcopus populum suum expilavit, 381, 2.
Pavo symbolum est superbiæ, 546, 1.
Pauperes cur Christus elegerit ad fidem et regnum potius quam divites, 106, 2 et seqq. illi his præferendi sunt, 104, 1, 2. eorum contemptus quando sit peccatum mortale, 103, 1. eos divitibus æquarunt Gentiles, 97, 2. quomodo dare eleemosynam queant, 124, 2. iis ex pio affectu succurrendum, 578, 2; 580, 1. aliquando ex impatientia ingemiscunt adversus Deum et proximum, 206, 2 et seqq. pauperes Evangelici sunt veri et soli divites, 106, 2.
Paupertas oritur ex nimia abundantia, 203, 1. paupertas primorum Christianorum, 44, 2. eam reddidit Christus honorabilem, 45, 1.
Pax significat Hebræis gratiam et omne bonum, 400, 2. charitatis comes et filia est, 654, 1. soror est sapientiæ, 166, 1. ejus quinque bona, 169, 2. reddit opera nostra Deo grata, 1. est gratiæ effectus et comes, 241, 2. proprie est piorum, 43, 1. pax conscientiæ quantum sit bonum, 492, 2. ea quantopere optanda, 327, 1. illa est quædam incorruptio spiritus, 314, 2. quam pacem Christus Apostolis optaret et relinqueret, 241, 2.
Peccamus quotquot sumus, 531, 1, 2. peccandi necessitas humiliat hominem, 137, 2.
Peccans non cognoscit Christum, 568, 1. peccantium tres sunt gradus, 347, 2.
Peccata quomodo Christus abstulerit, 567, 2. ea quomodo is pertulerit, *ibid.* peccata tam propria quam aliena operit charitas, et proximi et Dei, 356, 1. coram Deo tripliciter, 2. ea Christi sanguis prorsus expurgat et abolet, non radit, 530, 2 et seqq. iis valedicere debent Christiani, maxime qui vanitati alias vacarunt, 347, 1 et seqq. ipsa in se non sunt paria et æqualia, 113, 1. mortalia omnia nemo vitare potest sine Dei gratia, 687, 2. peccata tegere quomodo dicatur Deus, 357, 2. quomodo ea homo tegere possit, *ibid.*; 228, 1. ad peccata dimissa redeuntes similes sunt canibus ad vomitum redeuntibus, 467, 2. peccata quatuor in cœlo clamant vindictam, 201, 1.
Peccati tres sunt gradus, 61, 2; 79, 1. idem est quod opus malum, 51, 2. est error vitæ et morum, 424, 1, 2. quadrupliciter consummatur, 62, 1, 2. est mors animæ, 62, 1. ejus an Deus sit auctor, 51, 1. varias habet causas nobis intrinsecas, 54, 1, 2. debet esse voluntarium, 57, 1. ejus generatio et prosapia, proles, nepos, pronepos, 62, 2. ejus et tenebrarum analogiæ, 525, 1. nos reddit Deo dissimiles, 56, 2 et seq. an majus quid quam iniquitas, *ibid.* est contra Deum, *ibid.* tollitur per tribulationem, 16, 2. quam grave malum sit, 567, 2. ei omnes obnoxii, 135, 2; 527, 1, 2; 528, 2; 687, 2. propter id Christus incarnatus est, 570, 1. peccatum omne quomodo fugere possimus, 571, 2. unum trahit ad plura, 113, 1; 114, 1. incitatio ad peccatum est tentatio, 16, 1. peccatum ad mortem quid sit, 617, 2 et seqq.; 618, 2. et cur dicatur ad mortem, 619, 1. peccatum originale non est morbida qualitas in anima existens, et perpetuo prava desideria excitans, 55, 1. peccatum omne veniale an ex genere vitari possit, 136, 2; 687, 2. id non tollit gratiam, 136, 2. per id recedimus a Deo, 183, 1. id sensualitati, mortale voluntati tribuitur 57, 1.

Peccator est servus concupiscentiæ, 465, 1. est nubes sine aqua, arbor autumnalis, fluctui maris similis, et stella errans, 677, 1, 2. item quasi sus, 469, 1, 2 et seqq. fiduciam si concipiat se veniam commissorum consecuturum, eam consequetur, 41, 1, 2.
Pelagiani docent fidem esse ex nobis, non e gratia Dei, 105, 1.
Perambulare significat dominium et imperium, 395, 1.
Perdix symbolum est adulantium et hypocritarum, 44, 1.
Peregrinamur in hoc sæculo, 95, 2. peregrinari in fervore quid sit, 362, 2.
Peregrinationes ad sepulcra Sanctorum carpunt hæretici, sed insulse, 362, 1.
Peregrinus quid proprie, quid metaphorice significet, 363, 1. peregrini sumus omnes in hoc mundo, et quare, 291, 2 et seqq.; 293, 2. peregrini benigne excipiendi, 642, 1.
Perfecti, integri et in nullo deficientes quomodo distinguantur, 29, 2.
Perfectionem causatur patientia, 27, 1. ea sita in mortificatione concupiscentiæ, 172, 1. et in moderatione linguæ, 137, 1. per studium perfectionis ad Deum appropinquamus, 182, 1.
Periclis Atheniensis patientia, 29, 1.
Περιποιεῖσθαι et περιποίησις non significat adoptionem, 288, 2.
Περισσεία significat redundantiam, 78, 2; 79, 2.
Persæ cum sororibus inibant conjugia, 167, 1. an a S. Joanne ad fidem conversi, 502, 2.
Persecutio est species tentationis, 15, 2. in ea cur sit gaudendum, 18, 2.
Persecutores sunt fabri coronarum, 328, 2 et seqq.
Perseverantia in patiendo accipit coronam, et habet opus perfectum, 26, 1. eam causat probatio, 24, 2. de sua perseverantia et salute nemo fidelis certus est, 421, 1, 2.
Personarum acceptionis vitium in quo consistat, 98, 1.
Persuasio obtinendi quod petitur, oranti necessaria, 40, 2.
Petenti simplum, demus duplum, 37, 2. petenda necessaria ad vitam, et hæc a Deo dantur, 174, 1. nec caduca, *ibid.*
Petronilla an S. Petri filia sit, 235, 1.
S. Petrus Apostolus quando et ubi epistolam suam scripserit, 230, 1; 238, 1. fuit peculiaris Judæorum curator, 230, 2; 238, 1. varia ejus scripta apocrypha, 231, 1. ejus elogium, 231, 2; 234, 2. privilegia ejus varia, 231, 2 et seqq. est a Christo factus petra Ecclesiæ, est caput omnium Apostolorum, 232, 1 fuit hierarcha, *ibid.* ei firmitas in fide promissa est, *ibid.* repræsentat auctoritatem et personam Christi, 232, 2. præest cum suis successoribus Ecclesiæ quasi monarcha, *ibid.* ejus jus sublimius quam quorumvis regum et Imp., 233, 1. ejus nomen cur fideles litteris formatis ascriberent, *ibid.* ejus jus etiam ad superos et inferos pertinet, 2. cœlum claudit et aperit, *ibid.* ejus potestas inconcussa manet, et durabit usque ad finem mundi, *ibid.* per veteres pontifices designatus fuit, quasi illis major, *ib*, et seq. Ecclesias per totum orbem fundavit, 234, 1 an in Angliam profectus sit, *ibid.* ejus effigies, *ibid.* ejus martyrium et causa ejus, 235, 1. ejus sepulcrum, *ibid.* varia ejus nomina, 237, 1. quid sit nomen Petrus et Cephas, *ibid.* est Apostolus per excellentiam, 2. etiam in Ponto prædicavit, 238, 2. gaudet metaphora petræ et lapidis, 280, 2. ejus modestia, 291. 1; est testis passionum Christi, 376, 1, 2. habuit revelationem suæ mortis et temporis, 377, 1; 426, 2. morti proximus in carcere vinctos Christo lucrifecit, 374, 2. pastor fuit pastorum, 377, 2. quomodo S. Clementem suum successorem fecerit, *ibid.* certo fuit Romæ, 400, 2. quos ibi converterit, 402, 1. quando secundam epistolam suam, et ubi scripserit, 404, 2. dictus est a parentibus Simon, 406, 1. ejus fervor, 235, 1. ejus cura circa fideles et totam Ecclesiam, 427, 1. ejus charitas et unio cum S. Paulo, 493, 1. ejus candor et sinceritas, *ibid.*
P. Petrus Canisius in omnibus adversis Deum benedicebat, 49, 1. ejus cœlestis illustratio quoad sui cognitionem, 63, 2.
Φαινόμενα quæ dicantur a Philosophis, 192, 2.
Phantasiæ hominum quæ sint simulacra, 626, 1.
Pharisæi censebant totam legem non esse servandam, sed partem ejus majorem, 111, 2. eorum error duplex circa juramentum. 211, 2.
Philadelphia Christianorum quanta esse debeat, 322, 1.
Philippus Macedo conviciatoribus gratias agebat, 29, 1.
Philosophi nonnulli in tribulatione sunt gavisi, 14, 2.
Phinees Eleazari filius an fuerit inter exploratores ad Rahab missos, 132, 1.
Phœnix symbolum est Christi et Christiani, 616, 1. symbolum est resurrectionis, 399, 2. hinc est insculptus sarcophagis plurimorum Martyrum, *ibid.*; 616, 1.
Φρουρέω est urbem præsidiis et propugnaculis munitam teneo, 654, 1.
Pietas est condimentum patientiæ, 417, 2. debet hæc condi amore fraterno, *ibid.*
Pii semper affliguntur et tribulantur, 364, 1; 449, 1.
Piscis hieroglyphicum est odii, 573, 2.
Pisistrati vis in dicendo quanta fuerit, 143, 1.
Placere Deo in omnibus studeamus, 583, 1.
Planetæ sunt typus hæreticorum, 676, 2 et seqq. hoc nomen planetæ item aliis hominibus adaptatur, 677. planetæ varios et miros habent motus, 483, 2.
Plato quomodo se ad judicium præpararet, 488, 2. ejus paradoxa et antilogiæ, 167, 1.
Plinius omnem divinitatem ponit in beneficentia, 168, 2.
Pœnitentiæ actus, 529, 1. est affinis et pars justitiæ, *ibid*, 1. per eam ad Deum accedimus, 181, 2; 182, 2.
Politicorum principia quæ obsint serio emendationis proposito concipiendo, 117, 1. pejerant sine conscientia, 213, 1. duplex habent cor, et quam sint noxii, 44, 1.
Polium herba sæpe in die colorem mutat, 47, 2.
S. Polycarpus comprehensoribus suis mensam apponi jussit, 373, 2. detestatus est hæreticos, 636, 1.
S. Polychronius quam mente in cœlo versaretur, 490, 1.
Pontifex Judaicus rationali intextum gerebat *urim et tummim*, 610, 2.
Pontifex Rom. imperat et præest regibus et Imper., 286, 2; 274, 2. ejus triplex corona quid significet, 286, 2. ejus in Ecclesiam auctoritas, 232, 2. vocatur Episc. universalis, 376, 2. vocat Episcopos fratres, 1. Pontificum omnium brevis est vita, 427, 1.
Pontus est regio Asiæ Minoris, vicina Ponto Euxino, 238, 2. ejus incolæ mire barbari erant, *ibid.*; 359, 1. apud eos erant antrum Cerberi et alia barbaries, 238, 2. duros progignit homines, 359, 1.
Porcus symbolum est hominum profanorum, 469, 1. item omnium peccantium, *ibid.* 2.
Potestas Principum et Prælatorum a Deo descendit, 64, 1.
Præcepta legis veteris fuere multa et gravia, 307, 1. præceptum dilectionis proximi includit præceptum dilectionis Dei, 583, 2.
Prædestinatus quis vere, et quis non dicendus, 422, 1, prædestinati vere nequeunt in peccato mortali mori, 571, 1. non sunt electi ante prævisa opera, ex mero Dei beneplacito, 420, 2 et seqq.
Prædestinatio ad gratiam pendet a cooperatione liberi arbitrii, etiam si hæc illius non sit causa, 421, 1. prædestinationis dilemma plebeiorum confutatur, *ibid.* tria vera signa prædestinationis, 423, 1. prædestinatio ad gratiam non pendet ab ea quæ est ad gloriam, 552, 1.
Prædicationis et insitionis variæ analogiæ, 81, 1.
Prædicator sit concha, non canalis, 76, 1. sæpe eadem inculcet, 349, 1; 471, 1, 2; 668, 2. ejus sermo sit sedatus non velox, 72, 2. populo nunc minari, nunc blandiri

debet, 157, 1. qualis esse debeat, 361, 2; 378, 1. loquatur vera et sancta, 360, 2. oret ante concionem, *ibid.* sit sincerus, 85, 2. qui pomposus et verbosus, est nubes sine aqua, 674, 2.
Prælati vitæ probitate subditis præeant, 383, 2 et seqq. eorum vita ab omnibus videtur, 384, 1, 2. amore plus apud subditos proficient quam terrore, 159, 2. eorum duo munia, 381, 2. quæ dotes, 382, 2. iis laici subjici debent, 298, 2. quantam ovium sibi creditarum curam habere debeant, 654 2 et seqq.
Prælaturæ ambiendæ non sunt, 134, 2.
Præmia tentationem vincentium, 21, 2.
Præparatio ad adventum Christi quæ facienda, 488, 2.
Præscientia Dei alia conditionata, alia perfecta est, 239, 1; 240, 1. latius patet quam prædestinatio, 239, 1. ea in Deo quoad electionem hominum sex dotes includit, *ibid*
Præsentia Dei ubique habenda, 602, 2.
Primitiæ Deo quomodo fimus, 71, 1.
Primogeniti familiarum olim erant sacerdotes, 286, 2.
Princeps sit modestus et moderatus, 383, 1. ejus vita ab omnibus videtur, 384, 1. principibus civilibus obedire debent Christiani, 297, 1. idque propter Deum, 298, 1. sciant se potestatem a Deo accepisse, 64, 1. eorum vita est quasi picta tabula quam subditi inspiciant, 303, 1.
Principium Verbi Dei quod dicatur, 505, 2 et seqq.
Privilegia duodecim S. Petri Apostoli, 231, 2.
Probatio fidei quomodo operetur et causet patientiam, 23, 1, 2 et seqq.
Procella quæ tenebrarum hæreticos maneat, 677, 1.
Proclivitas ad malum etiam in justis manet, 371, 2.
Profectus discipulorum recreat magistrum, 641, 2. profectus in via spirituali in quo situs, 536, 1. comparatur lucifero crescenti in diem perfectum, 436, 2.
Professio fidei, legis et cultus Dei, vocari potest religio, 90, 1.
Proficere semper in melius Christiani debent, 279, 1 et seqq.; 542, 2.
Promittit Deus vitam æternam in fide constantibus, 558, 1. in veteri lege quæ promiserit Deus Christianis se daturum, 410, 1.
Prophetæ loquuntur de futuris quasi de præteritis, 678, 1. iis quanta sit fides adhibenda, 432, 2. omnes a Deo sua oracula acceperunt, 66, 2. Apostolorum et Christianorum per suam prophetiam fuere ministri, 255, 1.
Prophetare capitur pro *interpretari*, 437, 1.
Prophetia Henoch qualis fuerit, 677, 2. prophetia vera venit a voluntate Dei, 438, 2. subinde datur improbis, firmior in visione, 433, 1. est velut lucerna, 433, 2. prophetia Scripturæ quæ dicatur, 437, 1.
Propositum multi quod serium emendandi vitam non habeant, hinc damnantur, 117, 1, 2 et seqq. propositum firmum omnibus sæculi illecebris resistendi reddit cor hominis mundum a sæculo, 95, 1.
Protocanonici libri sacri qui dicantur, 496, 1.
Providentiæ Dei sua Christiani committunt, 193, 1.
Proximo benefaciendum intuitu Dei, 37, 2. proximus nobis diligendus quis sit, 111, 1, 2. et quantopere, 593, 2.
Prudentiæ definitio, 352, 2. unde vox formetur, *ibid.* ejus partes, *ibid.* ejus actus et officia, *ibid.* ejus elogium, 353, 1 varia ejus præcepta, *ibid.*; 416, 2.
Psalmodiæ quatuor fructus, 213, 2.
Pseudoprophetæ nunquam defuere, 440, 1.
Psychici qui dicantur, 163, 1.
Pudicitia legis Christianæ, 164, 1, 2.
Pudor damnandorum in judicio quantus futurus, 560, 1. et quæ ejus ratio, *ibid.*
Puerorum institutionis magna cura habenda, 542, 2. pueri olim sub specie vini Eucharistiam sumebant, 278, 1.
Punitio improborum salus est proborum, 299, 1.
Pupilli et viduæ Deum tutorem habent, 93, 1.
Pura est et casta lex Christiana, 164, 1, 2.
Purgatorii pœna quam acerba sit, 480, 1. animas inde Christus ad inferos descendens liberavit, 337, 1.
Puritas doctrinæ, castitatis et vitæ, est una e notis veræ fidei et Ecclesiæ, 164, 2. puritas est quædam sanctitas, 566, 1. quanta puritas Dei; hinc pura eum decent, 94, 2.
Pythagoræ apud suos auctoritas, 567. 2.
Pythagoræorum quinquennale silentium, 73, 1.

R.

Radulphus tacens silentio ignem compescuit, 144, 2.
Rahab meretrix an caupona, 130, 2. an salvata, *ibid.* quæ bona fidei opera fecerit, 131, 1. non poterat exploratores prodere, *ibid.* ejus fortitudo, *ibid.* ejus quanta fuerit fides, *ibid.* fuit justificata, et avia Davidis et Christi, 2. quando sit justificata, an ante admissos exploratores, an post, *ibid.*
Rebellio signum est hæresis et infidelitatis, 297, 2. rebellio contra Superiores quantopere Deo displiceat, 673, 1.
Recidui quantum sit malum, 466, 1, 2.
Redemerit nos quam plene Christus Dominus, 265, 1.
Regendæ quomodo sint animæ, 377, 2.
Regeneratio Christianorum duplex est, 242, 1. regenerationis divinæ dignitas, 272, 1.
S. Reginaldus a D. Virgine est in magna ægritudine inunctus, 218, 1.
Regio animo sint Christiani, 110, 5.
Regnum Dei quomodo in nos adveniat, 688, 2. id est ipse Deus cum omni sua felicitate, 106, 1.
Regulæ septem rectæ vitæ, 280, 1.
Relabentes in peccatum similes sunt canibus, 467, 2 et seqq.
Relapsus in peccatum quam grave sit malum, 466, 1, 2.
Religiones bonæ bene servant silentium, 138, 1.
Religioni quod sit etymon, 88, 2; 90, 1, 2. decem ejus species, 93, 2. religio virtus quæ sit, 89, 1, 2. violatur per loquacitatem, 90, 2. ejus effectus, 91, 2. religio capitur item pro pietate, *ibid.* religio vera ab hæreticis blasphematur, 442, 1. religio munda Christianorum est, non hæreticorum, 91, 1, 2.
Religiosa vita donum perfectum est, 64, 2. ipsa continua quædam probatio est, 24, 2. est regale sacerdotium, 283, 2.
Religiosi sunt holocausta, 288, 1. cur a sæculo avellant, 95, 2. sunt beati, quia sunt quod esse volunt, 465, 1. eos cur mundani oderunt, 574, 1 et seqq. quare debeant esse modesti, 323, 2. quantum mundo prosint, 92, 1. eorum quales debent esse sermones, 362, 1. quomodo a Superioribus exerceantur, 24, 2. et iis periculum a lingua, 153, 1.
Religiosa quædam Tabennesiota a reliquis despecta, jussu angeli declarata est omnium sororum sanctissima, 45, 2.
Religiosus quis proprie dicatur, 88, 2; 90, 1.
Reliquiæ peccati quæ dicantur, 218, 2. reliquias Sanctorum odit diabolus, nec fert, 668, 1. earum cultus adstruitur, *ibid.*
Remissio peccati est actus justitiæ, 529, 2 et seqq.
Renovatio elementorum et cœlorum in mundi fine futura est, 485, 2.
Reprobatio non est causa exitus ab Ecclesia, lapsus et damnationis improborum, 552, 1.
Reprobatur nemo post acceptam gratiam prævisus ea male usurus, nisi post et ob prævisa demerita, 421, 2.
Reprobi non sunt ante prævisionem peccatorum positi a Deo ad inobedientiam et rebellionem, 284, 2.
Residentia Episcopis præcipitur, 379, 2.
Resistendum nobis est concupiscentiæ, 58, 1. et tentationibus, 61, 1.
Resolutio constans ad resistendum omnibus sæculi invitamentis, reddit hominem ab eo immaculatum, 95, 1.

Resurgent omnes cum iis quos Domino acquisiverunt, 228, 1. resurrexit Christus virtute animæ suæ, 334, 1.
Resurrectio rerum omnium, uti et hominum, erit in mundi fine, 485, 2 et seqq. resurrectio cur dicatur regeneratio, 242, 2. ejus symbolum est phœnix, 399, 2. resurrectio Christi est velut sigillum omnium ejus operum, 343, 1. hæc et ejus concomitantia denotant eum esse Messiam, 613, 1. illa ipsa nos suscitavit, 244, 1.
Revelationis dies dicitur dies judicii, 252, 1.
Rex est viva Dei in terris imago, 298, 1. est regni sui primarius, 299, 1. sit subditorum velut pastor, 309, 1. regibus debetur honos, 109, 2, pastores æmulentur, 674, 1. præcellant cæteris charitate, 110, 1. eorum felicitas quam sit momentanea, 479, 2. omnes sunt a Deo vel per se, vel per suos instituti, 298, 1. meminerint se ei subditos esse, 2. iis olim præferebatur ignis, 477, 2. reges pii semper Ecclesiam et Pontificem Romanum coluerunt, 298, 2.
Robertus Cardinal. Bellarminus se depingi vivum noluit, 82, 2. ejus patientia, 305, 1.
Roma S. Petro debet fidei sinceritatem, 235, 2. cur ab eo vocetur Babylon, 400, 2 et seqq. utriusque urbis analogiæ, 401, 1. a quo primum vastata, 550, 2.
Romana Ecclesia quam semper fuerit florens, 402, 1, 2. quare facta Patriarchalis, 13, 1. ejus in fide et pietate constantia S. Petro ascribenda est, 428, 1.
Romani aliqui in proposito constantes recensentur, 95, 1.
Ῥοπὴ est lancis in libra momentum, 67, 2.
Rosæ brevis decor, 47, 1.
Rota nativitatis quænam a lingua inflammetur, 146, 1. rota sumitur etiam pro tormento, et quale id sit, 148, 1, 2.
Rudentes inferni sunt ejus vis et jus in peccatores, 444, 1. vel ejus claustra, 687, 2.
Rupertus Tuitiensis Abbas cœlitus est edoctus, 34, 2.
Ῥυπαρία tam ad externa, quam ad animam refertur, 78, 2.

S.

S hebræum sæpe Syri et Chaldæi mutant in T, 649, 1.
Sacerdotes habuit omnis respublica et gens, 283, 2. sacerdotes in Ecclesia Dei sunt velut principes, 72, 1. pauci salvabuntur, 135, 2. eos etiam confiteri oportet, 219, 2. eorum est pro omnibus orare, 221, 2. sunt regales, 285, 2. quam honeste et decenter vivere teneantur, 287, 2. quare debeant esse modesti, 323, 2 et seqq. semper salutaria et sancta loquantur, 361, 1; 362, 1.
Sacramentum quid sit propria significatione, 340, 2. Sacramenta tria perhibent testimonium Christo, 613, 1, 2.
Sacrificii mystici decem species, 93, 2. Sacrificium Missæ pro omnibus hominibus offertur, exceptis excommunicatis, 534, 2.
Sadducæi negabant resurrectionem, 473, 2.
Sæculum unde deducatur, 95, 1.
Sal est symbolum sapientiæ, 444, 2.
Salam significat retribuere, et pacificum esse, 371, 1.
Salvandorum paucitas, 116, 2; 118, 1; 340, 1.
Salvator dicitur tam Jesus, quam Deus pater, 408, 1.
Salvatur homo difficillime, etiam Catholicus, 117, 2 et seqq.
S. Salvius vitæ redditus ut Ecclesiæ prodesset, 604, 2.
Salus in salutatione apprecata, quid significet, 14, 1. *salus* Punica lingua *tria* significat, *ibid.* salus triplex est, 371, 1. salus animæ revelatur statim a morte et in judicio universali, 247, 1, ejus assequendæ quæ sint signa, 423, 1, 2. pro ea quidlibet faciendum, 119, 1.
Salutatio Apostolorum et Sanctorum est efficax et realis, 13, 2. salutatio Hebræorum erat *pax vobis*, 647, 2.
Samosateni quam Eunomium hæresiarcham aversarentur, 636, 2.
Sancta (in)sanctorum quando aliquis extra ordinem ingredi posset, *ibid.* in eis B. Virgo non habitavit, *ibid.*
Sancti diaconi in tormentis constantia, 295, 2.
Sancti non aperiunt os nisi ad laudes Dei, 74, 1. semper se vocarunt peccatores, 137, 1. in vita fuerunt infirmi, cur, 224, 2. in cœlo perpetuo laudant Deum, 154, 2. eorum os est quasi altare thymiamatis, 241, 2. nihil timent, 330, 1. iis prima peccata ad gloriam cedunt, 358, 1. omnium operum initia ad Deum referunt, 362, 2. semper incipiunt, 425, 1. post mortem curant res mortalium, 427, 2. dilexerunt montes, *ibid.*; 432, 1. cruciantur offensis contra Deum et proximos admissis, 449, 1. sunt velut cœli novi et terra nova, 491. 2. sunt lux mundi, 524, 1. sunt nostri advocati post Christum, 533, 2. iis non est scandalum, cur, 541, 1. in judicio non trepidabunt, 559, 2; 560, 2. sunt mundanis exosi, 574, 1 et seqq. eorum vota prævenit Deus, 582, 2. Deo nixi quid non faciant, 590, 1, 2. amarunt hostes suos, 593, 2. quomodo utantur ira sua, 77, 2. peccantes semper ad vulnera Christi confugerunt, 534, 2. habent spem mixtam timore, 603, 2 eorum festa quare celebrentur, 645, 1.
Sancti eminentes dominium in feras accepere, 151, 1. qui sancti in Canone Missæ recolantur, 208, 1. Sancti veteris Testamenti quomodo dicantur fuisse Christiani, 254, 1. quo quisque Sanctorum sive ante, sive post Christum illi fuit vicinior, eo magis ab illo fuit et gratiæ radiis illustratus, *ibid.* Sancti multi mire erga Christum incarnatum affecti fuere, 512, 1. multi vitam pro aliorum animæ salute exposuere, 577, 1. qualem nonnulli certitudinem gratiæ habuerint, 584, 2. tamen horum plerique metuunt, 585, 2.
Sanctificatio est proprium opus Spiritus Sancti, 239, 2.
Sanctitas proprie quid sit, 94, 2. vera in quo consistat, 566, 1 et seqq. scilicet in vitæ puritate, 261, 1. plena et universalis sanctitas quæ sit, 2 et seqq. ea quanti a nobis facienda sit, 240, 1. facit hominem interritum ad omnia, 331, 1. sanctitas propria optimum animarum convertendarum adminiculum, 228, 1. sanctitas Christi est causa sanctitatis nostræ, 407, 2.
Sanctorum sunt et fuere varii spiritus, 41, 2.
Sanctus quis proprie sit, 261, 1. sanctum tria faciunt, 566, 2.
Sanguini effuso ubique aquam Christus miscuit, 609, 2. sanguis et aqua probabant Christum verum esse hominem et Deum, 609, 1, 2. *sanguis* in Script. significat omne peccatum, 356, 2. sanguis Christi reserat cœlum, 240, 2. est balneum animæ ægræ, *ibid.* quomodo eo anima aspergatur, 241. quomodo nos a peccatis emundet, 526, 1, 2. is effusus unitus mansit deitati, 265, 1. ejus vis infinita, 265, 2.
Sapientes soli sunt tolerantes, 33, 1.
Sapientia vox unde dicatur, 30, 2. sapientia sancta et vera quæ sit, *ibid.* et seqq.; 63, 1; 164, 1. cur hæc dicatur cœlestis, 164, 1. ejus et falsæ antitheses novem, *ibid.* ejus effectus, *ibid.* vera pudica est, *ibid.* et 2. ejus comes est castitas, 165, 1. est Dei filia, est cœlestis, 165, 2. requirit cor purum, *ibid.* est pacifica ob varias causas, 166, 1. item modesta, 2. est suadibilis, *ibid.* est bonis consentiens, 168, 1. est plena misericordiæ, 2. ipsa est complementum omnium virtutum, 169, 1. est lumen animæ, 64, 2. hæc præ reliquis donis a Deo postulanda est, 33, 2. et ab eo solo, 34, 1 eam acquirendi praxis, 31, 2. sita est in patientia, *ibid.* sapientiam omnes angeli et homines a Deo participant, 688, 2. sapientia terrena quæ dicatur, 162, 2. quæ animalis, *ibid.* item diabolica, 163, 1.
Sara coluit Abraham maritum: ejus nomina, 317, 1.
Satagere quis dicatur, 420, 1.
Satanas est Calvini Deus, 464, 1.
Saul humilis cum esset, ad regnum evectus est, 45, 2.
Scandalizantes alium dissolvunt Christum, 588, 2.

Scandalum proprie quid sit, 541, 1. Sancti scandalum non habent, *ibid.*
Schisma consistit sine hæresi, 68, 1. quam ipsum sit grave scelus, *ibid.* 2.
Schismatici solvunt Christum, 588, 2.
Scientia quintuplici significatione accipitur, 416, 2. vera scientia quæ sit, *ibid.* ejus soror est abstinentia, 417, 1 — *Vide* Sapientia,
Sclopeta quando inventa, 147, 1.
Scriptores hagiographi a Spiritu Sancto incitati sunt et directi, 438, 1. plerique fuere sancti, *ibid.* cur inter se consentiant, 2, 2.
Scriptura speculum est, 83, 1. est explicanda ex mente Ecclesiæ et Patrum, 438, 2. eam pandit oratio, *ibid.* et vitæ puritas, *ibid.* hinc eam quisque suo sensu exponere et interpretari non potest, 437, 2. non est ad conceptus privatos trahenda, 494, 1. eam hæretici depravant, *ibid.* non est facilis intellectu, 493, 2. est quasi lucerna lucens in tenebris sæculi, 433, 2 et seqq. interdum habet antiptosin, 558, 1. cur dicatur prophetia, 437, 1. ejus intelligentia a Deo petenda, 2. venit a Spiritu Sancto, 603, 1.
Scrupulos tollit charitas, 592, 1.
Scrupulosi quomodo se in timore suo gerere debeant, 59, 1.
P. Sebastiani Barradii ultimum ad suos monitum, 388, 1.
S. Sebastianus quomodo SS. Marcum et Marcellianum in tormentis nutantes confirmarit, 251, 1.
Secta tripliciter capitur, 452, 2.
Sedebant Judæi et Romani in consessibus, 102, 1.
Seges suum habet mane et vesperam, 206, 1.
Semel capitur pro *omnino* et *irrevocabiliter*, 659, 1. quomodo Christus semel pro peccatis nostris dicatur mortem subiisse, 333, 2 et seqq.
Semen parentis non inficit corpus filii, ut excitet concupiscentiam, 55, 1. semen Dei est multiplex, 570, 1.
Senectus venerabilis est, 386, 1.
Senior idem est quod dominus, 631, 1.
Sententiæ eædem subinde reperiuntur scriptoribus hagiographis, et cur, 231, 1.
Sepulcrum Mosis ignoratur, 667, 1. sepulcro fœtido lingua maledica assimilatur, 154, 1, 2.
Sermo concionatorum sit sedatus et solidus, 72, 2. sermo Dei ardenter depromendus, 360, 2.
Serpentes ab hominibus domantur, 152, 1.
Servi Dei nihil ejus servitio subtrahant, sed totos se ei dedicent, 72, 1. servum esse Christi quam honorificum sit, 13, 1. servi olim ob christianismum male ab heris excipiebantur, et patientes erant, 302, 1. servi cur in omni timore dominis subditi esse debeant, 300, 2. servis manumissis dabatur olim vestis alba et calceus, 300, 1.
Servire Deo regnare est, 653, 1. quam Christo servire teneamur, 265, 1.
Servitus quare, et qua occasione inducta, 465, 1.
Si capitur subinde pro *quia*, 593, 2.
Sibyllæ fuere virgines, 165, 2.
Sigismundus Imper. quomodo punierit ducem avarum, 200, 1.
Silentii elogia et laus, 75, 2. id sedat mala linguæ, 144, 1. item ignem, *ibid.* id docet loqui, 138, 1. silentium Christianum commendatur, 89, 2; 90, 1. item Religiosorum, 91, 1.
Silvanus et Silas idem est: fuit bajulus epist. S. Petri in Orientem, 400, 1.
Similes Deo sunt justi tripliciter, 564, 2. modi quibus similes Deo reddamur, 565, 2.
Simeon Stylites identidem ad cœlum suspirabat, 490, 1. quam patienter varias cœli injurias tulerit, 48, 1.
S. Simon unde dictus Zelotes, 648, 2.
Simon Magus docuit opera ad salutem non requiri, item libertatem carnis asseruit, 4, 2; 122, 1; 568, 2. ejus miserabilis interitus, 441, 2. quam fuerit fabulosus, 428, 1. docuit Deum esse auctorem peccati, 51, 1; ejus libido, 656, 2, et seq.
Simoniani negabant Christum esse Deum, 657, 1, 2. quomodo majestatem Dei blasphemarent, 665, 1. 2 et seqq.
Simonis quod sit etymon, 406, 1.
Simplicitas cordis, et cor simplex quod dicatur, 270, 1 et seqq. simplicitas in Script. cum de dando agitur, significat dandi affluentiam, 35, 1.
Sinceritas decet Christianos, 472, 1, 2. ea lacte denotatur, 277, 1.
Sincerum tria diversa denotat, 472, 1.
Sinu (in) Christi cur Joannes recubuerit, 499, 1, 2.
Sinuare et sinus metaphorica significatione quid significent, 387, 1.
Sisinnius Novatianus Episcopus reprehensus fuit a fidelibus quod esset homo mollis, 101, 1.
Sisois Abbatis orantis fiducia de impetratione petitorum, 41, 1.
Sobrietas mater vigiliæ et castitatis, 390. 2. qualis Christianos deceat, 259, 1, 2.
Societas hominis cum Deo unde fiat, 524, 1, 2 societas bonorum inter fideles quæ sit, 526, 1. societas in pœna ad quid prosit, 396, 2.
Societatis Jesu Collegia quantum Belgio profuerint, 297, 2.
Socii affricant sociis bonitatem vel malitiam, 324, 1.
Socratis patientia, 29, 1.
Sodomæ incendium quam horrendum fuerit, 448, 2. ejus incolæ omnes ad inferos damnati, 449 1.
Sodomia quam infame et probrosum scelus, 448, 2.
Sodomitæ quomodo cœlitus puniti, 662, 2. an omnes transmissi ad ignem æternum, *ibid.*, 663, 1.
Sol pater luminis Deum optime repræsentat, 64, 1. dupliciter tenebras et umbram causat, 67, 1. habet quoque suam parallaxin, *ibid.* ejus vicissitudo quintuplex est, 68, 1. typus est Ecclesiæ, 436, 1 et seqq.
Sollicitudo nimia temporalium rerum an malitia quædam est, 78, 2. ea est Christianis prohibita, 388, 2.
Solvere Christum qui dicantur, 588, 1 et seqq.
Solymanni Turcarum Imp. de Luthero testimonium, 589, 1.
Somnia vendunt hæretici, 663, 2.
Somno moderate indulgendum, 664, 1
Sortitio rerum nostrarum in manu est Dei, 194, 2.
Sphadani fontes quam diversorum sint saporum, 157, 1.
Spartanorum consensus et unanimitas, 321, 2.
Species aliena visa magis menti inhæret quam propria visa in speculo, 84, 1.
Speculi descriptio, 83, 1. id an vim habeat inducendi oblivionem sui potius quam alterius objecti in eo visi, 84, 1. id mulierum est, non virorum, 82, 2; 84, 2. in eo videtur ipsa facies, non ejus imago, 83, 2. ejus et verbi Dei analogiæ variæ, 85, 1 et seqq.
Spes per synecdochen omnem Dei cultum complectitur, 316, 2. spes vitæ futuræ excitatur per patientiam, 26, 1. hæc animat ad patientiam, 205, 2; 684, 1. hæc in Christianis quam certa et efficax sit, 242, 2. posset proinde vocari regeneratio, *ibid.* cur dicatur spes viva, et quæ sit hæc, 243, 1 et seqq. est fidei anima, 2. spes nostra est Christus, 244, 1. spes in Deum crescat tribulatione crescente, 449, 2. ea in oratione excitanda, 225, 1. eam in orante quare Deus poscat, 40, 1. ipsa pro objecto habet Deum, item alia ad Deum ducentia, 260, 1. quo ipsa major in affectu, eo majorem gignit credulitatem obtinendi, in intellectu, 40, 2. spes alia quam vana sit, 189, 1. spes et fides quomodo inter se habeant, 40, 1.
Sphinx imago est ignorantiæ, 669, 2.
Σπίλος et maculas et scopulos significat, 673, 2. est proprie macula in veste e vino aut inguine, 266, 2; 458, 1.
Spiritualibus (in) nostri curam gerit Deus, 390, 1.
Spiritus Sanctus quomodo ad invidiam concupiscat, 177,

1. ejus zelus in nos, 2. quanta nobis det, 179, 1. ejus divinitas probatur, 256, 1, 2. ei attribuitur redemptio et sanctificatio humani generis, *ibid.* requiescit in patiente, 366, 1. et is eum adjuvat, *ibid.* substantialiter datur in justificatione homini, 411, 2 et seqq.; 553, 2. item in Confirmatione, 554, 1. assistit scriptoribus sacris, 438, 1. est invocandus in dubiis, 554, 2; 558, 2.
Spiritus quis ad invidiam concupiscat, 177, 1. spiritus internus Enthusiastarum jugulatur, 554, 2. spiritu privato non sunt probandi spiritus et doctrinæ, 586, 2. Spiritus, aqua, et sanguis quid ad litteram anagogice, mystice, allegorice, symbolice et tropologice significent, in eo quod testimonium dent, 612, 2 et seqq. spiritus quis testimonium det de Christo, *ibid.* et seq. spiritus omnes examinandi sunt, 586, 2. spiritus spei præstat spiritui timoris, 42, 1. spiritus vocatur suggestio et inspiratio, 586, 1. sic vocari quoque possunt doctores, *ibid.* quibus spiritibus Christus apud inferos prædicarit, et quid, 335, 2.
Splendor faciei est signum favoris et opis, 65, 1.
Stabilitas mentis quomodo paretur, 69, 1.
Stellæ in fine mundi ardebant et liquabuntur, 483, 2 et seq. sed erunt deinde speciosiores, 486, 2. an alantur vaporibus, 484, 1.
S. Stephanus quando servierit S. Jacobo Minori sacrificanti, 9, 1.
Στέρεος quam varia significet, 396, 1.
Stoici docebant misericordiam non esse virtutem, 579, 2.
Styli varietas in uno eodemque auctore unde proveniat, 404, 1.
Suadere cor, quid sit, 580, 2 et seqq.
Subalternatio et humilitas in Clericis quam sit necessaria, 387, 1.
Substantia nulla mala est, nec producitur a diabolo, 54, 2.
Succingit se homo quare, 257, 2.
Suggestio prima ad peccatum, non est peccatum, 56, 1.
Suistæ hæretici, unde et qui dicantur, 469, 1.
Superbia mera est insania, 180, 1. ea a Deo retunditur, 2. mater bellorum est, 171, 1. Deo exosa est, 387, 2. est fons hæreseon, 453, 1. superbia vitæ est ambitio et fastus; ejus concupiscibile est omnis mundana pompa, 546, 1.
Supercertare quid sit, 675, 1.
Superiorum in Religione est suos mortificare et probare, 24, 2. idque sensim, et per minora ad majora ascendendo, 129, 1. eorum est semper commonere, 425, 1. ab injuriis abstineant, 669, 2 et seqq.
Suis stupor et hebetudo, 470, 1.
Suscipere in Scriptura significat omne obsequium exhibere, 643, 1.
Sycophanta vox unde derivetur, 299, 2.
Sylla reprehensus fuit dissolutioris animi, 259, 2.
Sympathia quid sit, 322, 1.
Synaxis fiebat in Ecclesia et conventu, 99, 2. Ecclesia quem olim ordinem in Synaxibus servaret, 102, 1.
Syriace non exstat epist. secunda S. Petri, 404, 1.

T.

Tabernaculum figura erat sæculi præsentis, 434, 2. tabernaculum est symbolum corporis, 425, 2 et seqq. Tabernaculorum festum quid repræsentaret, 426, 1, 2.
Tacet imprudenter qui loqui aliis debet, 140, 2. tacere et audire docet sapientiam, 73, 1 et seqq.; 74, 1.
Talpæ an oculis suis videant, 41, 1. acute audiunt, *ibid.* eorum sub terra vita, 2.
Tantalus dictus quasi ταλάντατος, 196, 2.
Tarditas loquendi conducit ad sapientiam, 73, 1.
Tartarus vox unde deducatur, 444, 2.
Tegere peccata quomodo dicatur charitas, 357, 2 et seq.
Τέλειος quintuplicem patitur significationem, 29, 1.
Τελείωσις est perfectio et purificatio, 30, 1.
Templum Dei est fidelis, superædificatum sanctæ fidei, 682, 2 et seq. templum spirituale quod dicatur, 282, 2.
Tempus cur vocetur hora, 549, 2. ejus nobis habenda ratio, 634, 2. tempus humanum quam breve sit, 480, 2.
Tenacitatem (ob) exempla castigatorum, 662, 1 et seqq.
Tenebræ sunt symbolum diaboli, ignorantiæ et peccati, 524, 2 et seqq.
Tentant diversimode nos Deus et dæmon, 53, 1. neminem tentat Deus ad male agendum, *ibid.*
Tentatio triplicem patitur significationem, 15, 1. in tentatione quomodo gaudere liceat, 20, 1. in tentationem non induci quomodo rogemus, *ibid.* quomodo illa appetibilis sit, 2, eam vincentes aliis eamdem vincendi dant exempla, 21, 2, ipsa mire mentem illuminat in via virtutis, 22, 1. eam non curant generosi, *ibid.* est per se mala, sed justis per accidens fit bona, 51, 1. in tentatione ad peccatum cogitandum de judicio, 207, 2. ejus sunt tres gradus, 56, 1; 61, 2. per eam anima sensim purgatur, ut perveniat ad perfectionem summam, 22, 2. probat et explorat fidem, 23, 2. eam vincendi praxis, 15, 2. tentatio una cuneus est ad vincendum aliam graviorem, 21, 1.
Tentationes virtutem exacuunt, 20, 2. sunt stimulus spei et orationis, 21, 1, 2. sunt breves et modicæ, 248, 2 et seqq. sunt experimenta virtutis, 250, 1. igni comparantur, *ibid.* earum commoda, 20, 2 et seqq.; 22, 2 et seqq.
S. Teresia pati pro Deo gaudebat, 18, 1.
Terra post diem judicii decoranda, et cur, 491, 1. item ab omni maledictione liberanda, 2. ex aqua et per aquam consistit, quomodo, 475, 2 et seqq. aquæ immixta est, *ibid.* eam Christus sua incarnatione in cœlum commutavit, 335, 1. terra cur dicatur Ceres et Pandora, 227, 1.
Terrena illico pertranseunt, 272, 2. ab iis nostrum cor avellere debemus, 488, 1.
Terrores Scripturæ optime animam docent, 86, 1.
Tertullianus factus Montanista, orthodoxos cur per scomma vocat psychicos, 163, 1.
Tessera hospitalitatis fidelium quæ esset, 641, 2.
Testes Christi tres in cœlo sunt, 611, 1. item tres in terra, *ibid.* 2.
Testimonia de Christo quam varia fuerint et authentica, 614, 2 et seqq.
Textor subinde significat protector, 519, 2.
Thabor quis sit mons, et cur dicatur sanctus, 431, 2 et seq.
Thaddæus, id est mammeus, 649, 1. unde vox formatur, *ibid.* Thaddæi an sint duo, *ibid.*
Talmud quam sit fabulosum, 525, 1.
Θεάσθαι est sagaciter inspicere et perspicere, etc., 508, 1.
Theatro (in) Romæ quisque pro dignitate sua sedebat, 102, 2.
Thebæa legio resistere cum posset, maluit martyrium subire, 205, 1; 297, 2.
S. Thecla in tormentis oravit Deum pro patientia, 19, 2.
Themistocles juvenis dolebat sibi non invideri, 160, 1. gestavit in scuto Cupidinem fulmen tenentem, cur, 60, 1.
Theodora virgo Antiochena a milite periculo violationis erepta, 577, 2.
Theodora Augusta, cur dicta dæmonodora, ejusque mors, 163, 1.
Theodorus Archimandrita qua occasione mundum deseruerit, 176, 2.
S. Theodorus Studita quam esset ad flagella paratus pro Christi nomine, 366, 2.
Therapeutæ erant prisci monachi, 640, 2.
Thesaurus quid proprie sit, et unde vox deducatur, 201, 2.
Thomas Anglicus interpretatus est epistolam S. Jacobi, et quis fuerit, 5, 2.
S. Thomas Apostolus an solus Christum resuscitatum tetigerit, 508, 2.

S. Thomas Aquinas cur dictus bos mutus, 73, 1, intercessione B. Virginis omnia impetrabat, 40, 1. magis oratione profecit quam studio, 34, 2. ejus sapientia et castitas, 165, 1. docendo mortuus est, 375, 1. an sit in epistolas Canonicas commentatus, 5, 2; 49, 2 et seq.
Thomas Morus prætulit æterna transituris, 480, 2.
Tiberius Imper. Constant. in pauperes mire effusus erat, 201, 1.
Tigris raptis catulis in speculo seipsam intuentis fatuitas, 83, 2.
Tilmannus Hessusius seditionum fax erat, 451, 1.
Timiditas intelligitur aliquando per malitiam, 78, 2.
Timor Dei, ejusque vindictæ conservat hominem a sæculo immaculatum, 94, 2. timor diversus a charitate pellitur, 602, 2 et seqq. timor filialis Deo debetur, 300, 2. timor Sanctorum conjunctus est cum spe, 41, 2.
Tineæ unde gignantur in vestibus, 198, 1. eæ quomodo arceantur, *ibid.*
Tolerantia (in) injuriarum consistit vera perfectio, 326, 1.
Torpor excutiendus est per vigiliam, 390, 2.
Tortores multi visa Christianorum sanctitate ad Christum conversi fuere, 296, 1.
Traditio Judæorum quomodo inutilis et mortifera esset, 264, 2.
Tranquillitas animi quibus in rebus sita sit, 110, 2.
Transfigurationis Christi ordo, 431, 1. ejus symbola, 2.
Transituri sint cœli quomodo, 484, 2.
Tres in Trinitate quomodo unum sint, 614, 2.
Θρησκεία quid sit, et unde vox derivetur, 91, 2.
Tribulatio est locus Dei, 21, 2. est tentatio, 15, 2. est Christiano propria, 363, 2 et seqq. est tritura Dei, 17, 1. alia ejus elogia, *ibid.*; 18, 2. quomodo operetur patientiam, 23, 1. quantum boni includat, 14, 1, 2; 16, 1 et seqq. ea crescente crescat spes in Deum, 449, 2. in ea gaudere debent Christiani, 248, 1. quia brevis est, 249, 1 et seqq. tribulationibus peccatorum nævi expurgantur in justis, 370, 1. sunt donum perfectum, 64, 2. iis domatur lingua, 153, 1.
Tribus totæ Judæorum inter Gentes dispersæ non fuere, 13, 2. tribus decem e captivitate non redierunt, 13, 2.
S. Trinitas quomodo describatur, 515, 2. eam non intelligimus, 517, 2. ejus una est deitas, 611, 1, 2. dat testimonium de Christo, *ibid.* 1 aem negant Judaizantes hæretici, 557, 1. ejusci cumincessio *ibid.* ea luci comparatur, 523, 2. eam intelligere et comprehendere non possumus, *ibid.* est pater Christi et Christianorum, 241, 1. quot modis dicatur pater luminum, 65, 2. id probatur a simili, *ibid.* est ens immobile, immensum et constans, 68, 2 et seqq. ipsa ex epistola S. Joannis cernitur, 611, 1.
Tristitia dissolvit vires hominis, 302, 1. est hamus dæmonis, 213, 1. sola propter peccatum utilis est, 207, 2.
S. Trudo cœlitus sacras litteras didicit, 35, 1.
Tubalcain primus militarem artem exercuit, 171, 1.
Turcæ crescunt per dissidia Christianorum, 270, 1. toti a Dei voluntate, quasi a fato pendent, 194, 1.

U.

Udo Archiepiscop. Magdeburg. vivus a Deo punitus est, 347, 2.
Ulciscitur non se vir bonus, 31, 1.
Ululare canum et luporum famelicorum est, 196, 2.
Umbras dupliciter sol causat, 67, 1.
Unanimitas est invicta, 320, 2. gnomæ de ea, *ibid.* et seq.
Unctio docens omnia, quæ sit, 553, 1 et seqq. unctio capitur pro illuminatione, 554, 1; 558, 1. unctio spiritualis triplex, 554, 1.
Ungebantur olim sacerdotes, prophetæ, reges, et cur, 553, 2. unguntur fideles in Baptismo et Confirmatione, 214, 2; 286, 1.
Unicornis est symbolum Christi Domini, 430, 1.
Unio hypostatica deitatis et humanitatis in Christo facta, 588, 1. eam appetivit Lucifer, 443, 2. uniones similes unioni Verbi cum carne, 508, 1.
Unitas in primitiva Ecclesia vigebat, 680, 2.
Universitas iniquitatis quænam intelligatur, 144, 2.
Ὑπομονὴ significat patientiam quæ conjunctam habet perseverantiam cum spe, 48, 2
Uxor par ducenda, 318, 1. in quibus conjugi subesse debeat, 311, 1. uxores nonnullæ cur in primitiva Ecclesia a conjugibus divortium facerent, 310, 1, 2. cur a viris infidelibus divertere ipsæ Christianæ non debeant, 311, 2.

V.

Ve Hebræis plus significat quam *et*, 43, 1.
Vale dicitur in digressu et vespere, 637, 1.
Valentinianus Imperat. a sacrificulo Gentili aqua respersus putavit se pollutum, 687, 1
Valentinus Martyr pene Claudium Imp. II convertit, 416, 2
Valentinus e superbia factus est hæreticus, 453, 1.
Valerii eloquentia in plebe rebelli permovenda, 142, 1
Vanitas omnium temporalium, 95, 1.
Vapor quomodo et quando fiat, 190, 2.
Vau Hebræis pene sola est conjunctio aquivalens omnibus, 559, 2.
Venæ sunt et auri et lapidum, 281, 2.
Venenata habent venenum sub lingua in vesica, 154, 2.
Venialibus peccatis etiam justi obnoxii sunt, 371, 2. iis diu quis carere non potest, 527, 1, 2; 687, 2. venialia deliberata vitari possunt, secus de indeliberatis, 528, 1; 687, 2.
Venire in carnem et *in carne* idem est, 588, 1.
Veneris quod sit etymon, 166, 2.
Verba activa apud Hebræos significant nunc actum inchoatum, nunc consummatum, 334, 2.
Verbum dicitur quasi verum, non a verberando, 515, 1. verborum moderatio decet Christianum, 89, 2.
Verbum dicitur Filius Dei, cur, 513, 1 et seqq.; 514, 1. verbum Dei est duplex, essentiale et notionale, 2. rectius vocatur verbum quam sermo, *ibid.* quibus rebus humanis assimiletur quoad generationem a Patre, 515, 1. Gentiles id cognovere, 2 et seqq. in quo sit simile nostro verbo mentis, 516, 1 et seqq. in quo sit dissimile, 517, 1, 2 quomodo id loquatur cordi nostro, 517, 2. in eo est omnium rerum vita, vigor, duratio, conservatio, 518, 2.
Verbum vitæ quid sit, et quomodo dicatur, 518, 1. ipsum est vita naturalis, *ibid.* in eo est vita nostra vera, tum gratiæ, tum gloriæ, 2 et seqq. quomodo ea vita sit hominibus manifestata, 519, 1, 2. verbum est lux substantialis et increata, eaque triplex, 523, 1.
Verbum Dei audire et legere utile est, 81, 2. quomodo id salvet animam, 2. simile est speculo, 82, 2. ejus prædicatio optime insitioni surculi in arborem assimilatur, 81, 1, id non obiter, sed studiose audiendum est, 84, 2. ejus et speculi analogiæ variæ, 85, 1 et seqq. id hominem inflammat, 2. est incorruptibile, 271, 2. verbo veritatis quomodo geniti dicamur a Deo, 70, 1, 2.
Verecundia est purpura juniorum, 386, 2. est verus ornatus mulieris, 313, 2.
Veritas diversimode potest accipi, 633, 2. veritas est triplex, mentis, oris, operis, 226, 1. veritas prima et summa Deus est, 580, 2. veritatem tueri decus est, 161, 2. ejus potentia, 162, 1 ejus soror est charitas, *ibid.* tres ejus gradus, 162, 1. est cingulum mentis, 258, 2. pro ea ut mendacium evitet moriens, martyr est, 368, 2. veritatem quam in Caio laudet S. Joannes, 641, 1.
Versutia etiam denotatur per malitiam, 274, 2; 78, 2
Verum capitur subinde pro *perfecto*, 540, 2. verus est epithetum Dei, 624, 2.
Vespertilio videtur talpa alatus, 219, 1.

Veste ex splendida nemo æstimandus, 102, 1. ejus vanitas, 101, 1, 2. candida est honoratorum et principum, 100, 2 et seqq. erat ea index lætitiæ, 101, 2. vestes superfluæ in mulieribus sugillantur, 313, 1.
Via in Script. significat vitæ institutum, actus et mores, 670, 1.
Videre in Script. pro quolibet sensu capitur, 327, 2. item pro cognoscere, 210, 2.
Viduæ Deum tutorem habent, 93, 1.
Viduatis et viduarum plurima sunt incommoda, *ibid.*
Vigilandum ad resistendum diabolo, 390, 1 et seqq. vigilandum etiam in oratione, 354, 2.
Vigilantia ad pastores spectat, 379, 2. cohæret sobrietati, 259, 2.
Vigiliæ in Sanctorum pervigiliis unde ortum habuerint, 390, 2 et seqq.
Vigilii Pontificis libertas adversus Justinianum Imperatorem, 287, 1.
S. Vincentii robur in tormentis, 399, 2.
Vinculis quibus æternis ligati sint dæmones, 662, 2.
Vinum adauget luxuriam, 259, 1.
Violans legem unam quomodo fiat omnium reus, 111, 1. et seqq.; 114, 2.
Vir vox derivatur a virtute, 48, 2.
Virginitas dici potest donum perfectum et optimum, 64, 2. est margarita incomparabilis, 314, 2.
Virgines fugiant virorum consortium, 61, 2. quam Deo sint proximæ, 499, 2. multæ initio Ecclesiæ, eo quod connubia respuerent, sunt martyrio affectæ, 311, 1 et seqq.; 633, 1.
Virtutis etymon : debet esse mascula, 416, 1. omnia exsuperat, *ibid.* ejus prosapia, generatio, proles, nepos, pronepos, trinepos, 62, 2. virtutis habituatæ signum est gaudium in ejus exercitio, 23, 2. virtus labore paratur, 371, 2. per tentationes exploratur et roboratur, 20, 2. item per eas acuitur, *ibid.* est sita in medio, 79, 2. et non in verbis, sed in opere, 579, 1. una adhæret alteri, 415, 2. una perfecta adducit cæteras, 113, 2 et seq. etiam hostes in sui admirationem rapit, 296, 1
Virtutes causatur tribulatio, 17, 1. inferuntur per vitiorum contrariorum expulsionem, 608, 2. sunt veræ divitiæ, 101, 1; 105, 2. earum perfectio vocari potest donum perfectum, 64, 2. virtutes novem perfecti Christiani, 320, 2. virtutes Christi quæ dicantur, 289, 2.
Viscera symbolum et sedes sunt misericordiæ, 578, 1.
Visio in speculo superficialis est et levis, 84, 2. visio prophetica quam esset certa, 433, 1, 2. visio Dei beatifica quam reficiat et satiet, 246, 1, 2. ejus duratio explicatur, *ibid.* ea vocatur dies et lucifer, 435, 1. in ea sita est beatitudo, 564, 1; 688, 1. ex ea sequitur amor Dei plenus in Beatis, 565, 1. item dotes animæ et corporis gloriosi, *ibid.*
Visitare pupillos et viduas quomodo ad religionis virtutem referatur, 92, 1.
Visitatio pupillorum multa includit, 92, 1.
Vita hominum brevis et fragilis est, 190, 2 et seqq. 479, 1; 550, 1. est velut comœdia, 192, 2. quot laboribus plena sit, 148, 2. momentum tantum est, 481, 1 et seqq. vapor est, et quare, 190, 2. similis est nundinis, 147, 2. flori brevi emorituro comparatur, 47, 1, militia est, 346, 1, item vigilia, 354, 2. ejus cursus curdicatur rota, 146, 1 et seqq. vita propria corporis exponenda pro salute animæ proximi, 577, 1. quandoque etiam pro vita ejus corporali, *ibid.*
Vita triplex est, divina, angelica, humana, 518, 1. humana partim spiritalis, partim corporea, *ibid.* divina partim causalis, partim formalis; et quomodo singulæ rursus dividantur, et quid sint, *ibid.* vita Christi fidelibus imitanda, 261, 1; 536, 2 et seqq. illa est velut sanctitatis exemplar, 566, 2. vitæ corona cur dicatur gloria cœlestis, 49, 1. cur vita æterna, *ibid.* vitæ omnis auctor est Deus, 66, 1. vita tota Christiani sit beneficentia, 374, 1. vita in cœlo parvi facit annos gaudii sui, 480, 1. ea describitur, 684, 2. vita in inferno potius mors est, 62, 1. vita Sanctorum est quasi lex viva, 208, 1. vitam Sanctorum legere utile est, 83, 2; 669, 2.
Vitium suum quisque norit et persequatur, 59, 1. vitiis indulgere, servile est, 87, 2.
Vivificatus spiritu quomodo Christus dicatur, 384, 2.
Vocati proprium nomen Christianorum, 653, 2 et seqq.
Vocatio duplex est, una ad fidem et gratiam, altera ad gloriam : rursus alia absoluta, alia conditionata, 420, 1.
Volubilitas verborum in concionatore reprehenditur, 72, 2.
Voluntarie geniti a Deo quomodo simus, 69, 2.
Voluntas humana nihil habet proprii in prophetia divina, 437, 2 et seqq. in ea etiam residet concupiscentia, 55, 2. voluntatem timentium se facit Dominus, 382, 1, 2. a voluntate mala ortum habet peccatum, 51, 2. voluntas Dei cernitur in ejus verbo, 85, 1.
Voluptates cito pertranseunt instar somnii, 664, 2. homini mentem eripiunt, 670, 1. iis indulgens non liber, sed servus est, 87, 1.
Volutabrum quid pro suibus, 469, 1.
Vox in monte Thabor audita an fuerit Dei, an angelorum, 429, 1, 2.
Vulnera Christi quinque post resurrectionem aperta manent, neque carne obducta sunt, 508, 2.
Vultus divini terror in die judicii, 328, 1. vultus floris quis dicatur, 47, 2.

W.

S. Wilfridus a siccitate Anglo-Saxones liberavit, 225, 2.
Willigisus ex carpentario factus est Archiepiscopus Moguntinus, 147, 1.

Z.

Zabulon unde dictus, 666, 1.
Zabulon æolice idem est quod diabolus, 666. varia ejus etyma, *ibid.*
Zebedæus an fuerit frater S. Barnabæ, 497, 1.
Zelus Dei erga nos quantus sit, 177, 2 et seqq. eum nos imitari oportet, *ibid.* zelus Deo quantopere placeat, 228. 2. zelus animarum quantus habendus, 685, 1. is debet esse celer et efficax, *ibid.* et junctus cum visceribus misericordiæ, 686, 1. zelus purgat facinus, 358, 2. zelus amarus est invidia, 159, 2.
Zona hebraice *cauponam* et *hospitam* significat, 130, 2.
Zwinglii feralis mors, 441, 2. disputavit cum dæmone, 446, 1. magnus fuit turbarum concitator, 451, 2. ejus ardens libido, 460, 1.

INDEX

MATERIARUM MORALIUM

QUÆ HIS IN EPISTOLAS CANONICAS COMMENTARIIS CONTINENTUR.

VERBIS EVANGELIORUM DOMINICARUM, FESTORUM ET FERIARUM NONNULLARUM PER ANNUM ACCOMMODATARUM, IN USUM ET GRATIAM CONCIONANTIUM.

DOMINICA PRIMA ADVENTUS.

COELUM ET TERRA TRANSIBUNT. Qui cœli transibunt, 483, 2 et seqq. et quomodo id fiet, 484, 1. an liquefient, 485, 1 an tunc aqua etiam et terra evanescent, 487, 1, 2. terra post judicium novum decorem habebit, 491, 1. Crucis lignum ab igne conflagrationis mundi erit intactum, 488, 1. — *Vide plura Dominica ult. post Pentecosten, et in Indice rerum, verbo* Judicium.

DOMINICA II ADVENTUS.

JOANNES IN VINCULIS. Libertas Christiana in quo sita sit, 87, 1.

PAUPERES EVANGELIZANTUR. Pauperes cur sint humiles, 45, 1. Pauperes præ divitibus cur a Christo electi sint, 106, 2. non sunt deterioris conditionis quam divites, 97, 2 et seqq. — *Vide plura notata in festo omnium Sanctorum, et in Indice Rerum v.* Paupertas.

Veræ divitiæ sunt virtutes, 105, 2. Divitibus cur væ intentetur, 196, 1. cur flere debeant, *ibid.*

HOMINEM MOLLIBUS VESTITUM. Vestium mollium et splendidarum quanta sit vanitas, 181, 1 et seqq. Mulieres ne sint in vestibus superfluæ, 312, 2 et seqq.; 313, 2. — *Vide Indicem Rerum v.* Vestes.

FERIA IV QUATUOR TEMPORUM.

Quia hodie incarnationis Dominicæ et annuntiationis angelicæ memoria celebratur. — *Vide notata in festo Annuntiationis B. Mariæ Virginis.*

DOMINICA IV ADVENTUS.

PRÆDICANS. Prædicatores quales esse debeant, 361, 2; 378, 1. eorum quæ sit corona, 385, 2.

IN FESTO NATIVITATIS.

Christus nascens cur sit velut unicornis, 430, 1. ejus æterna generatio, 504, 2 et seq. principium Verbi quod sit, 505, 2. incarnatus et natus Christus terram mutavit in cælum, 335, 1.

NON ERAT EI LOCUS. Christo desunt omnia, quomodo, 578, 2.

DEDIT EOS FILIOS DEI FIERI. Generatio nostra e Deo voluntaria est, 69, 2.

IN FESTO S. STEPHANI.

QUÆ APPELLATUR LIBERTINORUM. Libertinorum modernorum quæ sit secta, 465, 2.

QUOTIES VOLUI TE CONGREGARE? Deus diu peccatores ad pœnitentiam exspectat, 339, 2.

IN FESTO S. JOANNIS.

DISCIPULUM QUEM DILIGEBAT JESUS. S. Joannis dotes et prærogativæ, 496, 2 et seqq. cur in sinu Christi in cœna ultima recubuerit, 499, 1. ? astitit Christo sub cruce, 500, 2. fuit filius B. Virginis, 501, 1. an adhuc vivat, *ibid.* — *Vide Indicem Rerum v.* Joannes.

HIC AUTEM QUID. Curiosa S. Petri petitio occasionem dat agendi de curiositate, ejus damna, 368, 1.

DOMINICA INFRA OCTAVAM EPIPHANIÆ.

SEDENTEM IN MEDIO DOCTORUM. Ordo consessus olim in Ecclesia, 102, 2. Doctoratus quam sit onerosus suo doctori, 135, 1.

AUDIENTES ILLOS. Audire et silere faciunt sapientem, 73, 1; 89, 2.

ET ERAT SUBDITUS ILLIS. Diversimode in obediente manet Deus, 584, 1.

JESUS PROFICIEBAT SAPIENTIA. Sapientia quomodo acquiratur, 31, 2. ea est a Deo petenda, 33, 2 et seqq. sapientia terrena et animalis quæ sit, 162, 2. quæ vera, 163, 2. utriusque antitheses, 164, 1. vera pudica est, *ibid.* pacifica, 166, 1. modesta, 168, 1. et suadibilis, *ibid.* cognitio Dei vera sapientia est, 30, 2; 63, 1.

GRATIA. Christi quanta sit amabilitas, 252, 1.

PROFICIEBAT. Proficere semper in melius debet Christianus, 279, 1, 2; 542, 2. Sancti semper proficiendo incipiunt, 425, 1. Proficientes in virtute diei crescenti assimilantur, 436, 2. Profectus hic in quo situs sit, 536, 2. gratiam acceptam augendi quæ sit praxis, 583, 1.

IN OCTAVA EPIPHANIÆ.

VENI EGO IN AQUA BAPTIZANS. Christus venit per aquam et sanguinem cur, 609, 1, 2.

DOMINICA II POST EPIPHANIAM.

NUPTIÆ FACTÆ SUNT. Occasione nuptiarum agi potest de matrimonio, ejusque debito. Honorem qualem uxoribus viri deferre debeant, 318, 2 et seqq. et qualem hæ illæ, 317, 2. mas in omnibus dignior femina, 311, 1, 2. uxorum prima dos est castitas, 312, 1. sint modestæ in vestibus, 312, 2; 313, 1, 2. sint modestæ in omnibus, *ibid.* modestiæ præstantia, 315, 1; 323, 1. — *Vide feriam IV post Dom. II in Quadrag.*

AQUAM VINUM FACTAM. Aqua unde dicatur: repræsentat Deum Patrem, 612, 1. — *Vide Indicem Rerum v.* Aqua.

DOMINICA III POST EPIPHANIAM.

Centurio hic an fuerit Hispanus, 640, 1.

DICENS, PUER MEUS JACET. Centurio hic orat pro servo: sic pro aliis orare utilius est quam pro se, 221, 2.

DICO HUIC: VADE, ET VADIT. Diversimode manet Deus in obediente, 584, 1. — *Vide Indicem Rerum v.* Obedientia.

SERVO MEO: FAC HOC, ET FACIT. Servi patienter duros dominos patiantur, 301, 2 et seqq

NON INVENI TANTAM FIDEM. Centurionis hujus fides docet, orationem fidentem vim Deo facere, 617, 2. fiducia in oratione necessaria, 39, 2; 40, 2. eam in orante requirit Deus, 40, 2. oratio assidua quæ dicatur, 222, 1. orationis lacrymis mixtæ quanta sit vis, 2. oratio boni viri omnia impetrat, 223, 1. ipsa quomodo fiat efficax, 2. est clavis cœli, 225, 2. — *Plura vide in Indice Rerum v.* Oratio.

IBI ERIT STRIDOR DENTIUM. In inferno erit vere frigus, et vere ignis, 663, 1. eo punientur maxime carnales. *ibid.*

DOMINICA IV POST EPIPHANIAM.

QUID TIMIDI ESTIS MODICÆ FIDEI? Fiduciam habeat is qui Deo aliquid petit, 39, 2; 40, 1, 2. in tribulatione magis in confidere oportet, 449, 2. — *Plura vide in Indice Rerum* Fiducia.

DOMINICA IN SEPTUAGESIMA.

PRIMO MANE. Ergo somnolentiam excussit. — *Vide de vitia notata in communi Virginum.*

CONDUCERE OPERARIOS. Opera præter fidem ad salutem requiruntur, 122, 1; 123, 1; 124, 1; 128, 2. quomodo circa eorum necessitatem et depressionem conciliandi S. Paulus et S. Jacobus, 132, 2. opera requiruntur ad gloriam obtinendam, 423, 2. — *Vide Indicem Rerum v.* Opera.

VOCA OPERARIOS, ET REDDE ILLIS MERCEDEM. Merces operariis non est deneganda, 201, 2.

MURMURABANT ADVERSUS PATREMFAMILIAS. Murmur contra Superiores Deus acerrime vindicat, 673, 1.

AN OCULUS TUUS NEQUAM? Invidiæ hypotyposis, 573, 2. ejus variæ conditiones, 159, 2 et seqq. ejus remedium, 160, 2. ejus damna, 275, 2. ejus epitheta, *ibid.* invidi et pacifici antitheses, *ibid.*

QUIA EGO BONUS SUM. Bonitas Dei triplex est, 52, 1. ipse bonus est per essentiam, imo ipsum bonum, 52, 2. neminem ad damnationem creavit, 482, 1.

PAUCI VERO ELECTI. Christiani-ne plures damnantur an salventur, 116, 1, 2. justus quomodo vix salvetur et cur, 371, 1 et seqq.

Electio ad gratiam quomodo certa fieri possit, 420, 1; 421, 1. Prædestinatio ad gloriam pendet a libero arbitrio, 422, 1. tria signa prædestinationis, 423, 1. præscientia Dei an idem quod prædestinatio, 239, 1. — *Vide Indicem Rerum v.* Prædestinati.

DOMINICA IN SEXAGESIMA.

SEMEN EST VERBUM DEI. Prædicatio verbi Dei insitioni arborum confertur, 81, 1. verbum Dei est speculum, 82, 2 et seqq.; 84, 1. ipsum ardenter est promendum, 360, 2. item opportune et salubriter, 361, 1. — *Plura vide in Indice Rerum voce* Verbum, Prædicator.

DEINDE VENIT DIABOLUS. Propositum serium se emendandi multis deest, et ideo damnantur, 117, 1 et seqq.

TEMPORE TENTATIONIS RECEDUNT. Apostatæ quomodo non essent ex nobis, 551, 2.

ET A DIVITIIS ET VOLUPTATIBUS VITÆ EUNTES SUFFOCANTUR. Concupiscentia quomodo et ad quid nos tentet, 53, 2 et seqq. ipsa quid sit, 55, 2 et seq. non est a Deo, 55, 2. ubi regnet et habitet, *ibid.* ejus conceptio, 56, 2. ipsa non est peccatum, 57, 1. fortiter ei resistendum est, 58, 1. ejus feritas, 59, 2. item conditiones et mores, 60, 1. quantopere sit fugienda, 414, 2. — *Vide Indicem Rerum v.* Concupiscentia. — Carnales sunt velut talpæ, 420, 2 et seqq.

AUDIENTES VERBUM RETINENT, ET FRUCTUM AFFERUNT. Auditor verbi sit factor, 82, 1.

DOMINICA IN QUINQUAGESIMA.

TRADETUR GENTIBUS, CONSPUETUR, etc. Job patiens in quo fuerit typus Christi patientis, 209, 1. Christus tamen eo fuit patientior, 210, 2.

OCCIDENT EUM. Sanguis Christi effusus unitus mansit divinitati, 265, 1. servilem Christus in cruce formam assumpsit, 302, 1, 2. ejus patientia in tormentis, 184, 2. — *Vide notata Domin. de Passione, et Indicem Rerum v.* Passio.

MULTO MAGIS CLAMABAT. Sanctorum os in benedictionibus Dei est ceu altare thymiamatis, 241, 2.

DOMINE, UT VIDEAM. Oculi sunt in amore duces et fenestræ, 459, 2.

MAGNIFICANS DEUM. Lingua data homini ad Deum laudandum, 154, 2.

Quia jam Bacchanalia vicina sunt, et multi ventri et veneri (pro dolor!) indulgent, commodus de iisdem hic erit agendi locus. Ebrietatis damna et fœditas, 259, 1. carni dediti sunt velut talpæ, 419, 1. et vespertiliones, *ibid.* peccator et ebrius est velut sus, 469, 1, 2. sobrietas quantopere nobis necessaria sit, 390, 2.

FERIA QUARTA CINERUM.

CUM JEJUNATIS. Sobrietas quam nobis sit necessaria, 390, 2. abstinentia et scientia sunt duæ sorores, 417, 1.

NOLITE THESAURIZARE VOBIS. Divitibus cur intentetur væ, 196, 1. cur flere debeant, *ibid.* divitum quanta sit avaritia et durities in pauperes, 197, 1, 2. avari defuncti torquentur auro, 200, 1. — *Vide Indicem Rerum v.* Divites.

MEMENTO HOMO QUIA PULVIS ES, etc. Vita humana vapor est variis de causis, 190, 1. ejus brevitas, 191, 1 et seqq. 550, 1. levi causa amittitur, 193, 1. temporis nostri brevitas, 480, 2. vita hominis instar herbæ marcescit, 479. 1. instar rotæ cito pertransit et volvitur, 146, 2. item instar fluvii rapidi, 481, 2. hominis miseria est octuplex, 304, 2.

FERIA V POST CINERES.

Vide notata Domin. III post Epiphan. est enim idem Evang. NON INVENI TANTAM FIDEM. Christus hic Centurionem hunc laudat: ejus porro laus præ aliis ambienda est, 248, 2.

RECUMBENT CUM ABRAHAM IN REGNO CŒLORUM. Hæreditas nostra Deus est et cœlum, estque incorruptibilis, 244, 1. et incontaminata, 245, 1. et immarcescibilis, 245, 1, 2 et seqq. — *Vide notata in festo omnium Sanctorum, et in Indice Rerum v.* Cœlum, Gloria, Sancti.

FERIA VI POST CINERES.

EGO AUTEM DICO VOBIS. Christi dogmata adversantur axiomatis et doctrinæ philosophicæ, 290, 2. Lex Christi nova sancta est, et quomodo, 467, 1.

DILIGITE INIMICOS VESTROS. Est hoc novum charitatis mandatum, et cur dicatur novum, 537, 2 et seqq.

BENEFACITE HIS QUI ODERUNT VOS. Maledici et malefici sunt occasio patientiæ, 205, 2; 328, 2. benefacere oportet inimicis, 373, 2. Sancti moriuntur benefaciendo, 374, 2. inimicorum dilectione perficitur charitas, 595, 2. beneficentia est virtus divina, 645, 2.

PATRIS VESTRI QUI PLUIT SUPER JUSTOS ET INJUSTOS. Misericordia Dei magna est sextupliciter, 242, 2. Deus est charitas formalis in se, causalis in nobis, 597, 1. cur ipse sit charitas, 2. charitatis divinæ vis, *ibid.*

ET INJUSTOS. Deus injuria affectus semper benevolus est in afficientem, 593, 1. — *Vide notata Dom. XII post Pentec.*

ESTOTE PERFECTI SICUT ET PATER VESTER COELESTIS PERFECTUS EST. Virtutis quæ sit prosapia, 62, 2. virtus una perfecta adducit cæteras, 114, 1. primorum Christianorum perfectio et sanctitas, 261, 2; 295, 2. perfecti viri quæ sint virtutes, 320, 2. Christiani Christum moribus suis imitentur, 413, 1. perfectio et sanctitas in quo consistat, 326, 1; 566, 1. plena esse debet Sanctorum sanctitas, 261, 2.

TE AUTEM FACIENTE ELEEMOSYNAM. Eleemosyna est sacrificium, 93, 1. est semen magnæ messis, 2. ipsa ditat, cum avaritia depauperet, 198, 1 et seqq.; 200, 1 et seqq. eleemosynæ dandæ lex obligat in gravi proximi necessitate, 578, 1; 580, 1, 2. ecclesiastici potissimum ad eleemosynam tenentur, 579, 1. affectu pauperibus succurrat,

qui effectu nequit, 580, 1. optimus thesaurus sunt virtutes, 105, 2.

PATER TUUS QUI VIDET IN ABSCONDITO. Præsentia Dei ubique habenda, 328, 1; 492, 1, 2. hæc præsentia Deique intuitus, est regula actionum humanarum, 581, 1. ipse major est judex corde et conscientia, 2.

REDDET TIBI. Opera ita facienda sunt, ut sint digna Deo, 642, 2.

SABBATO POST CINERES.

CIRCA QUARTAM VIGILIAM NOCTIS. Diei per horas divisio, et horæ etymon, 550, 1, 2.

DOMINICA I IN QUADRAGESIMA.

DUCTUS EST JESUS A SPIRITU. Spiritus omnes examinandi sunt, qui hominem rapiunt, 586, 2.

UT TENTARETUR. In tentatione quatenus liceat gaudere, 20, 1 et seqq. tentationum commoda, 2. justi sensim a Deo per varias tentationes exercentur, 129, 1. Dæmon tentavit Dominum hic triplici concupiscentia, 546, 2.—*Vide plura in Indice Rer. v.* Tentatio, Concupiscentia.

CUM JEJUNASSET. Sobrietas quam Christiano sit necessaria, 390, 2.

SED IN OMNI VEBEO. — *Vide notata in Dom. in Sexagesima.*

ASSUMPSIT EUM DIABOLUS. Diaboli artes et calliditas, 181, 1. ejus quanta sit invidia, 392, 1. leoni assimilatur variis de causis, *ibid.* et seqq. cur semper circumeat, 394, 2. Dæmones ubi creati sint, 445, 1 et seqq. ante diem judicii cruciantur igne, 446, 2. eorum pœna crescet in judicio, et cur, 447, 1.

OSTENDIT EI OMNIA REGNA. Opes, regna et gloria omnis, velut flos fœni, cito pertranseunt, 46, 2. Concupiscentia et concupiscibile oculorum quid sit, 545, 2.

MUNDI. Mundi et sæculi descriptio, 544, 2. mundus triplex est, 545, 1 mundus quam cito transeat, 547, 2. — *Vide Indicem Rerum v.* Mundus.

VADE, SATANA. Vitium suum quisque a quo per spiritum nequam impellitur, persequatur et fugare studeat, 59, 1. Diabolus timido est leo, generoso formica, 181, 2 et seq.; 392. 2. ad eum vincendum tria arma expediuntur, 395, 2. —*Vide Indicem Rerum v.* Diabolus, Dæmones.

FERIA II.

HOSPES FUI, ET COLLEGISTIS ME. Stimuli varii ad hospitalitatem, 643, 2. ea est Christiano exercenda, 359, 1. ejusdem merita, 2.

INFIRMUS, ET VISITASTIS ME. Visitatio pauperum et pupillorum est advocata visitantium apud Deum, 92, 1, 2.

VENITE, BENEDICTI. Quomodo in die judicii quis benedici possit, et non erubescere, 558, 1.

IN SUPPLICIUM ÆTERNUM. Quam longa sit Dei æternitas, 480, 2.

FERIA III.

ET FIUNT NOVISSIMA HOMINIS ILLIUS PEJORA PRIORIBUS. Recidiva in peccatum pejor est priore lapsu, 466, 1. relapsi similes sunt canibus ad vomitum redeuntibus, 467, 2 et seqq. peccatum unum via est ad alterum, 113, 1.

QUICUMQUE FECERIT VOLUNTATEM PATRIS MEI. In obediente manet Deus diversimode, 584, 1.

DOMINICA II IN QUADRAGESIMA.

IN MONTEM THABOR. Thabor cur vocetur mons sanctus, 431, 1. Cur Christus sit in monte transfiguratus, 432, 1.

TRANSFIGURATUS EST ANTE EOS. S. Petrus non vidit hic Dei essentiam, 429, 1. tunc splenduit Christi facies sicut sol, *ibid.* Deus Pater tunc honorifice de Christo loquebatur, et vocabat eum dilectum suum, *ibid.* ordo totius transfigurationis, 431, 1. ejus symbola, 2. an viderint Apostoli hic Christi divinitatem, cum Deum nemo viderit unquam, 504, 1.

MOYSES ET ELIAS CUM EO LOQUENTES. Elias an fuerit angelus, 224, 1. an fuerit Phinees, *ibid.* ejus zetus, 2.

IPSUM AUDITE. Hæc verba exponuntur, 431, 1.

IN QUO MIHI BENE COMPLACUI. In Christo Deus mire sibi complacet, 430, 2.

NEMINI DIXERITIS VISIONEM. Silentium docet loqui, 138, 2.

FERIA II.

QUI MISIT ME, VERAX EST. Veritas triplex, oris, mentis, operis, 226, 1. Veritas est mentis cingulum, 258, 2.

FERIA III.

SECUNDUM OPERA EORUM, NOLITE FACERE. — *Vide notata Domin. XII post Pentecost. et feria II Paschatis.*

QUI MAJOR EST VESTRUM, EST MINISTER VESTER. Modestiæ in Rectore præstantia, 315, 1; 323, 1; 382, 2. ejus dotes, 323, 1 et seqq. quatuor ejus species, 2. media ad eam, 324, 1 Superior crebro suos moneat, 425, 1.

FERIA IV.

DIC UT SEDEANT HI DUO. Prælaturæ non sunt ambiendæ, 134, 1.

NESCITIS QUID PETATIS. Male petens cur petita non impetret, 173, 2, caduca et peritura non sunt petenda a Deo, 174, 1.

POTESTIS BIBERE CALICEM. Tribulatio hominem probat, 15, 1.

NON EST MEUM DARE VOBIS. Concupiscens quomodo re concupita non fruatur, 172, 1, 2.

INDIGNATI SUNT DE DUOBUS FRATRIBUS. Bella oriuntur e nimia cupiditate, 171, 1.

PRINCIPES GENTIUM DOMINANTUR EORUM. Principes erga suos sint modesti, 383, 1. Christiani sint animo regio, 110, 2. — *Vide Indicem Rer. v.* Rex, Princeps, Prælatus.

QUICUMQUE VOLUERIT MAJOR ESSE SIT VESTER MINISTER. — *Vide notata feria præcedenti.*

FERIA V.

HOMO QUIDAM ERAT DIVES. *Vide notata* de divitiis, *feria* IV *Cinerum*, et de vestibus *Domin. II Adventus.* Dives apud Deum quis sit, 315, 2.

EPULABATUR QUOTIDIE SPLENDIDE. Sumptuosarum epularum damna, 202, 2 et seqq.

FERIA VI.

ET QUI CECIDERIT SUPER LAPIDEM ISTUM. Petra est Christus varias ob analogias, 281, 1. fidelem inter et lapidem variæ relationes, 282, 2 et seqq.

SABBATO.

Vide notata Domin. III post Pentecosten.

DATE ANNULUM IN MANUM. Annuli quare gestentur, 100, 1. eorum quis sit usus, 2.

DOMINICA III IN QUADRAGESIMA.

UT VIDIT COGITATIONES EORUM. *Vide notata Domin. XXII post Pentecost.*

OMNE REGNUM DIVISUM DESOLABITUR. Animi in duas partes divisio Deo displicet, 43, 2. contentionis mutua damna, 161, 2. schisma quam grave sit scelus, 681, 1.

BEATI QUI AUDIUNT VERBUM DEI ET CUSTODIUNT ILLUD. Auditor verbi sit factor, 82, 1. Verbum Dei et Scriptura est velut speculum, 82, 2 et seqq.; 85, 1.—*Vide notata Dom. in Sexagesima, et feria II post Pascha.*

FERIA III.

CORRIPE EUM INTER TE ET IPSUM SOLUM. Correptio sit mitis, 156, 2. Mansuetudo est flos sapientiæ, 159, 1. dure tamen increpandi duri, 174, 2.

SI DUO EX VOBIS CONSENSERINT. Pacis et concordiæ quinque bona, 169, 2. unanimitatis robur, 320.

FERIA IV.

HONORA PATREM ET MATREM. Senes qui sint a juvenibus honorandi, 386, 1.

QUOD PROCEDIT DE ORE HOC COINQUINAT. Detractionis mala, 147, 2 et seqq.; 187, 1. fit quintupliciter, 186, 2. detractor judicat legem, 187, 1. ipsa detractio fugienda, 188, 1. linguæ bonæ et malæ exempla, 142, 2. cur sit similis igni, 143, 1. ejus mala, 144, 1; 147, 2; 158, 2. cur sit posita in ore hominis, 145, 2. lingua mala inflammatur a gehenna, 149, 1. cur dicatur leo, 150, 2. ejus pruritus ad loquendum, 153, 2. ipsa quasi hydrus est, 154, 2. lingua maledica est velut sepulcrum, 154, 2.

DE CORDE EXEUNT COGITATIONES MALÆ. Cor mundum est hostia Deo, cur, 94, 2. media ad cor mundum habendum, 94, 1.

FALSA TESTIMONIA, BLASPHEMIÆ. Jurare quatenus liceat Christiano, et quæ juramenta vetet Christus, 211, 1, 2. jurans per creaturam jurat per creatorem, 212, 1. juramenti quanta sit religio, 2. blasphemia in Spiritum Sanctum quæ dicatur, 620, 1.

SABBATO.

DEPREHENSAM IN ADULTERIO. Amor mundi velut adulterium est, 175, 1.

QUI SINE PECCATO EST VESTRUM. Peccata omnia sine Dei gratia evitare non possumus, et non vivere sine peccato, 687, 2. — *Vide Indicem Rerum v.* Peccatum, Peccator, *et notata Domin. de Passione.*

DOMINICA IV IN QUADRAGESIMA.

DISTRIBUIT DISCUMBENTIBUS. Liberalitatem Dei imitari quomodo possimus, 37, 1, 2.

FERIA VI.

LAZARUS AMICUS NOSTER. Justus vere est amicus Dei, 521, 2. Amicus Dei quare fuerit Abraham, 129, 2 et seq. Amicitia Dei quæ bona includat, 130, 2. Amicitia mundi quæ dicatur, 175, 2.

Amor est duplex, concupiscentiæ et amicitiæ, et qui ambo, 583, 1.

SABBATO.

EGO SUM LUX MUNDI. Lucis et Dei variæ analogiæ, 523, 1. Deus sol est et lumen, 65, 1. item pater luminum, 2. Scriptura est lucerna, 434, 1. — *Vide plura in Indice Rerum v.* Lux, Sol.

DOMINICA PASSIONIS.

QUIS EX VOBIS ARGUET ME DE PECCATO? Peccati quis sit auctor, 51, 1. ejusdem prosapia, 62, 1. peccatum unum trahit ad plura, 113, 1. justus aliquando non potest non peccare: unde? quia nemo sine peccato est, 136, 1; 527, 2; 531, 1; 687, 2. impeccabilis quomodo quis fieri possit, 571, 2. Justus quo sensu non possit peccare, 570, 2. conscientia bona summum est bonum, 343, 1, 2. — *Vide plura in Indice Rerum v.* Peccator, Peccatum.

EGO DÆMONIUM NON HABEO. Mansuete hic Dominus respondens, ostendit mansuetudinem esse florem sapientiæ, 159, 1.

ABRAHAM EXULTAVIT UT VIDERET DIEM MEUM. Prophetæ omnes ad Christi tempus ardenter anhelarunt, 254, 2.

VIDIT, ET GAVISUS EST. Conscientiæ bonæ gaudium, 522, 1. erit hic commodus agendi locus de Passione Domini. Passio Christi est omnium dolorum remedium, 305, 2. sanctitatis magistra, 307, 1, 2. sanguis Christi est animæ ægræ balneum, 240, 1. is quomodo nobis applicetur, et ubi, 241, 1. Christi patientis exemplum docet fideles pati, 333, 2. quos dolores Christus in spiritu et carne tulerit, 345, 1. peccata nostra luenda in se suscepit, 567, 2; 570, 1. quam multa pro nobis sit passus, 70, 2. — *Vide Indicem Rerum v.* Jesus, Passio.

PATER, IN MANUS TUAS COMMENDO. Morientes animam suam Deo commendent, 373, 1.

FERIA V IN CŒNA DOMINI.

LINTEO QUO ERAT PRÆCINCTUS. Lumbos mentis succingere quid sit, 257, 2. cingulum quarum rerum sit symbolum, 258, 1.

EXEMPLUM ENIM DEDI VOBIS. Exempli quanta sit vis, 645, 1; 207, 2 et seqq.; 295, 1. — *Vide Indicem Rerum v.* Exemplum, Prælatus.

IN FESTO PASCHATIS.

SURREXIT, NON EST HIC. Christus resurgens vivificatus est spiritu, 334, 2 et seqq. ad inferos descendens in quo carcere prædicarit, 336, 1. et quibus, 2 et seqq. fuit triduo in inferno, 338, 2. cur eo descenderit, 238, 1, 2. quomodo patres in limbo dicantur fuisse increduli, *ibid.* quibus mortuis Christus ibi prædicarit, 349, 2. ipse resurgens nos resuscitavit, 244, 1.

Resurrectio est velut regeneratio, 242, 2. — *Vide Indicem Rerum v.* Resurrectio. — Hæretici multi resurrectionem negarunt, 473.

FERIA II PASCHATIS.

NOS SPERABAMUS. Spes præstat timori, 42, 1. spes includit omnem Dei cultum, 316, 2. est septupliciter viva, 243, 1.

TU SOLUS PEREGRINUS ES. Peregrini sumus omnes in hoc mundo, 95, 2. maxime Christiani, 291, 2.

QUI FUIT POTENS IN OPERE ET SERMONE. Concionator plus vita doceat quam verbo, 153, 2. — *Vide Indicem Rerum v.* Prædicator.

IN OMNIBUS QUÆ LOCUTI SUNT PROPHETÆ. Prophetia firmior est visione, 433, 1.

NONNE OPORTUIT CHRISTUM PATI? Christi patientis exemplum docet fideles pati, 333, 2. patiendo inserimur cruci Christi, 364, 1. in patientibus patitur Christus, 2. in patiente requiescit Dei majestas, 365, 2 et seq. — *Vide notata Domin. III post Pascha et infra octavam Ascensionis, et in festo omnium Sanctorum.*

INTERPRETABATUR ILLIS IN OMNIBUS SCRIPTURIS. Scriptura est lucerna, 434, 1. Interpretatio Script. cur vocetur prophetia, 437, 1. ejus intelligentia per orationem impetratur, 438, 2.

FERIA III PASCHATIS.

NOLITE TIMERE. Sancti nihil timent, 330, 1. timere non debent ardua et heroica aggredientes, 398, 2.

DOMINICA IN ALBIS.

INTRAVIT JANUIS CLAUSIS. Dotes animæ et corporis gloriosi, 565, 1.

UBI ERANT DISCIPULI CONGREGATI. Unanimitas invicta est, 320, 2. concordiæ vis unde nascatur, 321. - *Vide Indicem Rerum v.* Concordia, Pax, Unanimitas, Societas.

QUORUM REMISERITIS PECCATA. Remissio peccati est actus justitiæ, 529, 2. — *Vide notata Dom. XIII post Pentecost., et in Indice Rerum v.* Peccator, Sacerdos, Confessio.

DOMINICA II POST PASCHA.

EGO SUM PASTOR BONUS. Pastor pascat tripliciter, 378, 2. pastoris varia officia, 379, 2 et seqq.; 381, 2; 383, 2. sit forma gregis, 383, 2. — *Vide Indicem Rerum v.* Pastor, Prælatus, Rex.

BONUS PASTOR ANIMAM SUAM PONIT PRO OVIBUS. An et quando vita pro proximo exponenda sit, 577, 1, 2.

DOMINICA III POST PASCHA.

PLORABITIS ET FLEBITIS VOS. Lugendi causas varias habet homo, 184, 1. lugentium variorum exempla, *ibid.* cruces fidelium non moriuntur, nisi cum vita, 375, 1. — *Vide*

notata in festo omnium SS. et in Indice Rerum v. Luctus, Crux, Passio.

Mundus autem gaudebit. Mundi amor adulterium est, 175, 1. mundi et sæculi descriptio, 544, 2. est triplex, 545 mundus et omne ejus gaudium quam cito pertranseat, 547, 2.

Sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Quam dulce sit pati pro Deo, 17, 2. in passione cur sit gaudendum, 19, 1 et seqq. pro gloria æterna pati facile est, 48, 2. tribulationes quam sint breves, 249, 1. per eas probatur justus, ut aurum per ignem, 248, 1. major est qui in nobis quam qui in mundo, 589, 1, 2 et seqq.

Et gaudebit cor vestrum. Lætitia spiritualis est quidam prægustus cœli, 253, 1, 2. — *Vide Indicem Rerum v.* Gaudium, Lætitia.

Gaudium vestrum nemo tollet a vobis. Consolationum divinarum dulcedo, 280, 1.

DOMINICA IV POST PASCHA.

Sed ego veritatem dico vobis. Veritas omnia evincit, 161, 2. charitas est clypeus, 162, 1.

Arguet mundum. Mundus enim totus est sub diabolo et in malignitate, 622, 1, 2.

De peccato. Quilibet peccator est nubes sine aqua, 677, 1, 2.

—*Vide notata Dominica de Passione.*

De justitia. Punitio improborum salus est proborum, 299, 1. puniri pro culpa est actus justitiæ, 333, 2.

Docebit vos omnem veritatem. Scientia vera quæ sit, 416, 2. Spiritus Sancti unctio in rebus dubiis invocanda est, 554, 1, 2.

DOMINICA V POST PASCHA.

Petite, et accipietis. Petens et orans habeat fidem, et qualem, 39, 1 et seqq. oratio fidei quæ dicatur, 217, 1. qui sunt beatæ conscientiæ, impetrant a Deo quæcumque petunt, 223, 1; 582, 1.

Ipse enim Pater amat vos. Zelus Dei et Spiritus Sancti in nos, 177, 2 et seqq. item Christi et angelorum, 178, 2. — *Vide Indicem Rerum v.* Amor, Charitas.

IN LITANIIS MAJORIBUS.

Propter improbitatem ejus surget. Oratio assidua quæ dicatur, 222, 1.

Petite, et dabitur vobis. Orare pro aliis utilius est quam pro se, 221, 2. orationis lacrymis mistæ quanta sit vis. 222, 2. oratio boni viri omnia impetrat, 223, 1. ipsa quomodo reddatur efficax, 2. est clavis cœli, 225, 2. — *Vide notata Domin. præcedenti, et Indicem Rerum. v.* Oratio.

Quanto magis Pater vester de coelo dabit, etc. Deus dicitur a dando, 35, 1. propendet infinite ad se communicandum, 2. ejus munificentia, 36, 2 et seqq. — *Vide Indicem Rerum v.* Deus, Beneficentia.

IN VIGILIA ASCENSIONIS.

Ut cognoscant te. Scientia vera quæ sit, 416, 2. cognitio Dei est vera sapientia, 30, 1; 63, 1. et hæc est summum bonum vitæ hujus, 625, 1.

Verba quæ dedisti mihi, dedi eis. Gratiæ cœlitus acceptæ sunt in proximum effundendæ, 360, 1.

Ego pro eis rogo. Christus noster est advocatus, 533, 2.

IN DIE ASCENSIONIS.

Prædicate. Prædicatores Evangelii quales esse debeant, 361, 1. — *Vide notata Domin. in Sexagesima, et Indicem Rerum v.* Prædicator.

Signa autem eos qui crediderint, etc. Fidei sex dotes quæ, 132, 1. credens habet in se Dei testimonium, 615, 1. —*Vide Indicem Rerum v.* Miraculum.

Et sedet a dextris Dei. Ibi sedens Patrem pro nobis interpellat, 533, 2.

Domino cooperante et sermonem confirmante. Quem Christus habuerit curandi omnia virtutem, 290, 1, 2.

DOMINICA INFRA OCTAVAM ASCENS.

Ille testimonium perhibebit de me. Testes tres Christi sunt in cœlo, 611, 1. et tres in terra, *ibid.*

Absque Synagogis facient vos. Tribulatio est summum bonum, 14, 1, 2. Christiani dira patiantur, ut Christum ducem suum sequantur, 303, 2. crux via est in cœlum, 304, 1. mundus cur oderit viros sanctos, 574, 1 et seqq.

Quia non noverunt Patrem, neque me. Cognitio Dei est vera sapientia, 30, 2; 63, 1. — *Vide notata in Vigilia Ascensionis, et Indicem Rerum v.* Cognitio.

IN VIGILIA PENTECOSTES.

Qui habet mandata mea et servat ea. Legem unam violans quomodo fiat omnium reus, 111, 2. Mandata Christi levia sunt, 607, 2.

Non relinquam vos orphanos. Confortat nos Deus diversimode, 399, 1. pios Deus semper eripit e periculis, 449, 2.

Mundus me jam non videt. Deum nemo unquam vidit vivens, 594, 1.

IN DOMINICA PENTECOSTES.

Si quis diligit me, sermonem, etc. Amoris divini vis, 597, 2. amor facit exstasin, 599, 1. transformat hominem in Deum, 2 et seq. ejus effectus, 600. et seqq. pellit timorem, 492, 2; 603, 1, 2. zelus animæ amantis Deum, 178, 1. — *Vide notata Domin. XII post Pentecosten.*

Pater meus diliget eum. Amicitia Dei quæ bona includat, 130, 2; 521, 2.

Mansionem apud eum faciemus. Deo an hac in vita realiter uniri possimus, 410, 2. gratiæ septem sunt effectus, 411, 1. justi substantialiter fiunt divinæ consortes naturæ, 411, 1; 36, 1. quia in justificatione Spiritus Sanctus, totaque deitas substantialiter in hominem venit, 411, 2 et seqq. tuncque is fit quasi Deus, 563, 1. item Dei filius, *ibid.* 2. item Deo similis, 564, 2; 565, 2. hæc filiatio est stimulus ad opera heroica, 564, 1. Certitudinem gratiæ, qualem Sancti nonnulli habuerint, 584, 2.

Non turbetur cor vestrum. Abjiciendus est timor generosa aggredientibus, 398, 2. — *Vide Indicem Rerum v.* Metus, Timor.

Ille vos docebit omnia. Spiritus Sancti unctio invocanda in rebus dubiis, 554, 2. Spiritus Sanctus quomodo ad invidiam concupiscat 177, 1 Spiritus Sancti divinitas astruitur, 256, 1. blasphemia in Spiritum Sanctum quæ sit, 620, 1. — *Vide Indicem Rerum v.* Spiritus Sanctus, SS. Trinitas.

Quia Spiritus Sanctus in linguis igneis venit, agi poterit de linguæ custodia. — *Vide notata fer. IV post III Dom. in Quadrag.*

Confirmatio est signaculum Spiritus Sancti. Cur confirmandi in fronte ungantur, 346, 1, 2. — *Vide notata de Extrema Unctione Dom. II post Pentecost.*

Hodie lex Evangelica confirmata est, hinc de ejus præstantia et sanctimonia agi potest, 467, 1.

FERIA II POST PENTECOSTEN.

Qui credit in ipsum, non pereat. Fideles ex adverso sunt reges, 285, 2. eorum dignitas, 287, 2. sunt peculium Dei, 288, 2. varia eorum epitheta, 289, 1, 2. sunt majores mundo, 590, 1. fidei sex sunt dotes, 132, 1. — *Vide Indicem Rerum v.* Fides.

Quia venit lux in mundum. Cur dicatur fidei lumen admirabile, 290, 1, 2. Christus est lux tam creata, quam increata, 523, 2. —*Vide notata Sabbato post Domin. IV in Quadrag. et Indicem Rerum v.* Lux.

Dilexerunt homines magis tenebras. Peccati et tenebrarum similia, 525, 1, 2.

FERIA III POST PENTECOST.

QUI INTRAT PER OSTIUM PASTOR EST. Ministri Ecclesiæ quomodo suum munus exercere debeant, 362, 1. — *Vide Indicem Rerum v.* Pastor, Episcopus.

PROPRIAS OVES VOCAT NOMINATIM. Ovis et hominis similitudo, 308, 1.

EGO VENI UT VITAM HABEANT. Christus nobis est vita et omnia, 408, 1. in ipso est vita, 518, 1. vita triplex est, divina, angelica et humana, *ibid.*

FERIA V POST PENTECOSTEN.

CURANTES UBIQUE. Beneficentia est virtus divina, 645, 2.

IN FESTO SS. TRINITATIS.

Verbum *Salus* punice est symbolum SS. Trinitatis, 16, 1, 2. SS. Trinitatis mysterium asseritur, 557, 1. — *Vide Indicem Rerum v.* Deus, Trinitas.

Deus ipse est immutabilis, 67, 1, 2. Dei descriptio, 69, 1. Deum esse probatur contra atheos, 474, 1. *Dominator* vox optime SS. Trinitati quadrat, 658, 2.

BAPTIZANTES EOS. Baptizati olim induebant calceos albos, 309, 1. baptizandi oculos et manus cur erigant in cœlum, 342, 1.

Baptismi et diluvii analogiæ, 340, 1. dat bonæ conscientiæ interrogationem activam et passivam, 341, 1. parvuli sine baptismo mortui ubi et qualiter vivant, 490, 2. Baptismus quomodo sit vivificans, 271, 2. in eo fimus filii Dei, 2. et morimur culpæ. 272, 2.

ET FILII. Filius Dei potius Verbum dicitur quam sermo, 514, 2. quæ sint similia huic Verbo, 515, 1, 2. id Verbum omnes Gentiles cognoverunt, 2. Verbum Dei quomodo sit nostro simile, 516, 2. et dissimile, 517, 1, 2. id fuit semper apud Deum, 520, 1. Christus est Dominus et Dominator, 657, 2; 658, 2. — *Vide Indicem Rerum v.* Jesus.

DOMINICA I POST PENTECOSTEN.

ESTOTE MISERICORDES. — *Vide notata Dom. XII post Pentecost et in festo S. Matthæi, et Indicem Rerum v.* Misericordia.

PERFECTUS AUTEM ERIT. Quis vere sanctus et perfectus sit, 261, 1. Christianus sit continens animo et oculis, 294, 1. Perfecti viri virtutes quæ sint, 320, 2. perfectionis Christianæ varii gradus, 535, 2. — *Vide notata feria VI post Cineres.*

IN SOLEMNITATE CORP. CHRISTI.

CARO MEA VERE EST CIBUS. Eucharistia cur vocetur lac rationabile, 278, 1. ipsa est fomes amoris, 597, 1, 2. — *Vide Indicem Rerum v.* Eucharistia.

SANGUIS MEUS VERE EST POTUS. Sanguis Christi est animæ balneum, 240, 2. quomodo is nobis applicetur, et ubi, 241, 1. Sanguis Christi effusus mansit unitus divinitati, 265, 1.

DOMINICA II POST PENTECOST.

JUGA BOUM EMI. Avarus cur vocetur sordidus, 78, 1. non audet uti habitis, 173, 1.

UXOREM DUXI. Ignis est propria pœna libidinosorum, 663, 1. quin et ipsa libido est ignis, 685, 2. — *Vide notata Domin. II post Epiphaniam et Indicem Rerum v.* Libido, Caro, Uxor.

DOMINICA III POST PENTECOST.

ERANT APPROPINQUANTES AD JESUM. Modi Deo appropinquandi, 182, 1 et seqq.; 183, 1.

PUBLICANI ET PECCATORES. Rahab meretrix quæ bona opera fecerit, 131, 1, 2. quando et quomodo sit justificata, *ibid.* — *Vide Indicem Rerum v.* Rahab, Peccator.

INVENI OVEM QUÆ PERIERAT. Ovis et hominis analogiæ, 308, 1.

ERIT GAUDIUM IN COELO SUPER UNO PECCATORE POENITENTIAM AGENTE. Deus diu peccatores ad pœnitentiam exspectat, 339, 2. vult omnes salvos fieri, 481, 2 et seqq. angelo peccanti Deus non pepercit, sed homini, cur, 443, 2. neminem creavit ad damnationem, 482, 1.

DOMINICA IV POST PENTECOST.

IN NAVIM QUÆ ERAT SIMONIS. Hæc est symbolum Ecclesiæ, cujus vera nota est quod sit Catholica, 1, 2; 407, 1. Ecclesiæ et Fidei Catholicæ nota item est quod sit pura, 164, 2. Ecclesia est regale sacerdotium, 285, 2. est item sancta, 288, 1. ejus et arcæ Noe analogiæ, 340, 1. ipsa fulget ut luna et sol, quomodo, 436, 1. — *Vide notata in festo S. Petri, et Indicem Rer. v.* Ecclesia, Petrus, Roma.

Romana Ecclesia, cui Petrus præsedit, quam semper fuerit florens, 402, 1.

EX HOC ERIS HOMINES CAPIENS. Animas lucrandi ratio, 226, 2. eas qui convertunt, sunt earum post Christum salvatores, 227, 1. eas convertens operit peccata, 228, 1, 2.

CONCLUSERUNT PISCIUM MULTITUDINEM COPIOSAM. Fructus spes omnem laborem solatur, 205, 1.

DOMINICA V POST PENTECOST.

AUDISTIS QUIA DICTUM EST ANTIQUIS. Christi dogmata adversantur axiomatis Philosophorum, 290, 2. — *Vide notata in fer. VI post Cineres, et Indicem Rerum v.* Lex.

QUI IRASCITUR FRATRI SUO. Iræ damna, 76, 2. est inimica justitiæ, 77. est insania, 542, 1. iratus est quasi dæmon incarnatus, 540, 2. — *Vide Indicem Rerum v.* Ira, Amor.

DOMINICA VII POST PENTECOST.

ATTENDITE A FALSIS PROPHETIS : INTRINSECUS SUNT LUPI RAPACES. Hæretici sunt hypocritæ et lupi, 440, 2. colorant suas hæreses verbis blandis, 442, 1. principes et magistratus contemnunt, 450, 2. sunt pejores dæmonibus, 455, 1. sunt feræ bestiæ, 456, 2. novitios et nutantes in fide ad se pelliciunt, 464, 2. eorum descriptio, 470, 1. eorum vesana doctrina et insania, 556, 1 et seqq. sunt jure divino et naturæ fugiendi, et cur, 636, 1. item eorum libri, 637 1. sunt nubes sine aqua, 674, 1. sunt arbores autumnales, 2. bis mortuæ, 675, 2. fluctus feri maris, 676. et sidera errantia. 676, 2.

NON POTEST ARBOR MALA BONOS FRUCTUS FACERE. Hæreticorum carnales spurcitiæ, libido et fœda sacra, 91, 1, 2; 164, 2; 457, 1, 2 et seq.; 458, 2; 460, 1. negant Christum varie, 441, 1. sunt similes dæmoni, 446, 1. item gigantibus, 447, 2. Caino, 670, 2. item Balaamo, 671, 2. item Core, 672, 2. eorum blasphemiæ, 451, 2; 454, 1, 2. se invicem blasphemant, 453, 2. eorum bellum pax est fidelium, 462, 2. qua esca suos decipiant, 470, 2. abutuntur christianismo ad luxuriem et vitæ licentiam, 656, 2.

A FRUCTIBUS EORUM COGNOSCETIS EOS. Hæresis cur semper sit inconstans, 163, 2. semper hæreses redolent novitates, 440, 2. quæ damna in orbem invexerint, 441. tendunt omnes ad atheismum, 451, 2. earum defensio et propagatio est peccatum ad mortem, 618, 2 et seqq. — *Plura suggeret Index Rerum v.* Hæresis, Hæreticus. — Hæresiarchæ omnes misere mortui sunt, 441, 2. Calvini Deus est Satanas, 464, 1 et seqq.

DOMINICA VIII POST PENTECOST.

PRUDENTIORES SUNT FILII SÆCULI HUJUS. Prudentia quid sit, et quis vere prudens, 352, 1, 2. prudentiæ laus, 353. ejus præcepta varia, *ibid.* et seqq. — *Vide Indicem Rerum v.* Prudentia.

DE MAMMONA INIQUITATIS. Divitum paralogismi de divitiis, 104, 1. et contra sapientum gnomæ de divitibus, *ibid.*

DOMINICA IX POST PENTECOST.

QUIA SI COGNOVISSES ET TU. — *Vide notata in vigilia Ascensionis, et Dominica infra octavam Ascensionis.*

TEMPUS VISITATIONIS TUÆ. Temporis quanta sit nobis habenda ratio, 634, 2. — *Vide Indicem Rerum v.* Tempus.

DOMINICA X POST PENTECOST.

UT ORARENT.—*Vide notata Dom. III post Epiphan., et in Litaniis Majoribus.* — Oratio in Spiritu Sancto quæ sit, 683, 2 et seqq.

NON SUM SICUT CÆTERI HOMINUM. Superbus est velut insanus, 180, 1. superbia vitæ in qua re sita sit, 546, 1.

OMNIS QUI SE HUMILIAT EXALTABITUR. Humiles a Deo exaltantur, 45, 2; 388, 2; 179, 2. humilitatis elogia, 46, 1. ejus laus, 387, 1, 2. ejus signa, 388, 2. vere humilis sit, 186, 1. — *Vide Indicem Rerum v.* Humilis, Humilitas, Superbia.

DOMINICA XI POST PENTECOST.

ADDUCUNT EI SURDUM ET MUTUM. Tribulationibus domat Deus linguam, 152, 2.

ET LOQUEBATUR RECTE. Silentium docet loqui, 138, 1. et linguæ mala sedat, 144, 1. Garrulitas est puerile vitium, et quantopere fugiendum, 74, 2. loquax est irreligiosus, 90, 2. linguæ offensa facillima est, 137, 2. ipsa proinde refrænanda, 139, 2 et seq. loquacitas stultitiæ signum est, 151, 2. — *Vide notata feria IV post Dom. IV in Quadrag., et Indicem Rer. v.* Lingua, Silentium, Loquacitas.

DOMINICA XII POST PENTECOST.

IN LEGE QUID SCRIPTUM EST? Legem unam violans, quomodo totam violet, 111, 2. Scriptura est lucerna, 434, 1.

EX TOTO CORDE. Amor amantem rei amatæ conformat, 548, 1. — *Vide Indicem Rerum v.* Amor, Charitas.

DILIGES DOMINUM DEUM TUUM. Charitatis elogium, 572, 1. charitatis obedientia quæ dicatur, 268, 1. charitas est castratio omnium carnalium appetituum, 269, 1 charitas quænam operiat peccata, 355, 2. et quæ peccata: propria, non aliena, 356, 1, 2 et seqq. quomodo id faciat, 357, 2. ejus vis, 358, 2; 535, 2. facit similes Deo, 413, 2. quæ sit charitas perfecta, 536, 1. ipsa est ex Deo, cur, 591, 2. cur charitatis mandatum dicatur novum, 537, 2 et seqq.

ET PROXIMUM SICUT TEIPSUM. Amor proximi est lex regalis, 109, 2. perfecta charitas diligit Deum et proximum, 593, 1. charitas proximi sit prudens et circumspecta, 687, 1.

INCIDIT IN LATRONES. Miseria hominis est octuplex, 183, 2.

SEMIVIVO RELICTO. Eodem modo anima per peccatum sauciatur et moritur, 575, 2. Peccatum ad mortem quod dicatur, 617, 2.

ALLIGAVIT EA. Cingulum quarum rerum sit symbolum, 258, 1.

INFUNDENS OLEUM. Extrema Unctio est sacramentum, 214, 1. ejus quis minister, 215, 1. quæ materia, 216, 1. ejus oratio quomodo salvet, 217, 2. ejus fructus, 218, 1. Unctio docens omnia quæ sit, 553, 1. unctio est illuminatio, et oleum doctrina, 554, 1.

QUI FECIT MISERICORDIAM IN ILLUM. Misericordia quomodo superet judicium, 119, 1. ejus vis quæ sit, 120, 2 et seqq. compassio fidelibus exercenda, 322, 1. — *Vide Indicem Rerum v.* Compassio. Misericordia.

TU FAC SIMILITER. Exempli quanta sit vis, 645, 1. virtus non in verbis, sed in opere sita est, 579 1. qui re succurrere nequit, affectu id faciat, 580, 1.

DOMINICA XIII POST PENTECOST.

OSTENDITE VOS SACERDOTIBUS. Sacerdoti confitendum, non laicis, 220, 1, 2. Confessionis vis, 221, 1. ea quam sit utilis, 529, 1. — *Vide Indicem Rerum v.* Confessio, Sacerdos.

Fideles omnes quomodo sint sacerdotes, 283, 1, 2; 286, 2.

DUM IRENT, MUNDATI SUNT. Quomodo nos Christus a peccatis nostris emundet, 526, 1, 2.

MAGNA VOCE MAGNIFICANS DEUM. Psalmodiæ spiritualis fructus qui sint, 213, 2. — *Vide Indicem Rerum v.* Laus.

DOMINICA XIV POST PENTECOST.

NEMO POTEST DUOBUS DOMINIS SERVIRE. Servitus Christi quantæ sit dignitatis, 13, 1.

Quam teneamur servire Christo, 265, 1. peccator est servus concupiscentiæ, 465, 1.

NOLITE SOLLICITI ESSE. Solliciti non debent esse Christiani, 388, 2; 390, 1. sed sua Deo commendent, 193, 1 et seqq.; 389, 1, 2.

NONNE CORPUS EST PLUS QUAM VESTIS. Tabernaculum animæ est corpus, 425, 2.

CONSIDERATE LILIA AGRI. Cura et custodia Dei erga suos, 247, 1.—*Vide Indicem Rerum v.* Providentia, Sollicitudo.

DOMINICA XV POST PENTECOST.

DEFUNCTUS EFFEREBATUR. Morientes animam suam Deo commendent, 373, 1.—*Vide notata feria IV Cinerum, et Indicem Rerum v.* Mors.

DOMINICA XVI POST PENTECOST.

OMNIS QUI SE HUMILIAT EXALTABITUR. —*Vide notata Dom. X post Pentecost.*

DOMINICA XVII POST PENTECOST.

DILIGES DOMINUM DEUM TUUM. —*Vide notata Dom. XII, post Pentecost., et Indicem Rer. v.* Amor, Deus, Charitas.

DOMINICA XVIII POST PENTECOST.

FILIA MEA DEFUNCTA EST.—*Vide notata de vitæ brevitate in fer IV Ciner. et de Extrema Unct. Dom. XII post Pentecosten.*

CONFIDE, FILIA. De fiducia in oratione adhibenda.39-*Vide notata Domin. III post Epiphan.*

DOMINICA XIX POST PENTECOST.

ERAT QUIDAM REGULUS. Christiani sint animo regio, 110, 2.—*Vide Indicem Rerum v.* Princeps, Rex.

DOMINICA XX POST PENTECOST.

PATIENTIAM HABE. Patientia opus perfectum quomodo habeat, 25, 2 et seqq. ejus effectus et elogia, 26, 2 et seq. ejus dictamina, 32, 2. obedientiæ perfectio est, 301, 1. — *Plura dabit Index Rerum v.* Patientia.

SERVE NEQUAM. Servi patienter dyscolos dominos patiantur, 301, 2 et seqq. duri dure sunt increpandi, 174, 2.

DOMINICA XXII POST PENTECOST.

NON EST TIBI CURA DE ALIQUO. Personarum acceptio quale sit vitium, 97, 2; 99, 2.—*Vide Indicem Rerum v.* Acceptio.

VIAM DEI IN VERITATE DOCES. Veritas triplex est, oris, mentis, operis, 226, 1. veritas est mentis cingulum, 258, 2.—*Vide notata Dom. IV post Pascha, et Indicem Rerum v.* Veritas.

UT VIDIT COGITATIONES EORUM. Præscientia Dei an idem quod prædestinatio, 239, 2.

QUID ME TENTATIS, HYPOCRITÆ? Duplicitas animi displicet Deo, 43, 2.

CUJUS EST HÆC IMAGO? Homo magis est Dei imago quam sit angelus, 156, 1.—*Vide Indicem Rerum v.* Homo, Angelus.

DATE CÆSARI QUÆ SUNT CÆSARIS. Principibus cur Christiani obedire debeant, 297, 1. idque propter Deum, 298, 1.—*Vide Indicem Rerum v.* Homo, Rex, Princeps.

DOMINICA XXIII POST PENTECOST.

FILIA MEA MODO DEFUNCTA EST. Vitam sibi longam homo non spondeat, 189, 2.—*Vide notata feria IV Ciner.*

CONFIDE, FILIA. Fiducia in oratione necessaria, 39, 1; 40, 2. eam in orante requirit Deus, 40, 1, 2.—*Vide Indicem Rerum v.* Fides, Oratio.

DOMINICA ULTIM. POST PENTECOST.

Cum videritis abominationem. Ignis conflagrationis mundi præibit extremum judicium, 477, 1. ejus ordo et ignis hujus effecta, 2. novissima hora quæ dicatur, 549, 1.

Judicii extremi memoria quam sit utilis, 115, 2. ejus timor quam sit utilis, 263, 2. judicium verisimiliter fiet mane, 482, 2.

Scitote quia prope est in januis. Christus judex quomodo ante januam assistere dicatur, 207, 1, 2. Veniet ad judicium sicut fur de nocte, 482, 1. quomodo ad ejus adventum nos præparare debeamus, 488. 1, 2. quomodo quis in eo die possit non erubescere, 560, 1.—*Vide Ind. Rerum v.* Judicium.—*Vide notata Dom. I Adventus.*

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ.

Eccr tabernaculum Dei cum hominibus. Fidelis est templum Dei superædificatum sanctæ fidei, 683, 1.—*Vide Indicem Rerum v.* Ecclesia, Tabernaculum, Templum.

IN FESTO CONVERSIONIS S. PAULI.

Elogium S. Pauli Apostoli, 493, 1.

IN FESTO CATHEDRÆ S. PETRI.

Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam. Pontificis Romani corona triplex quid denotet, 286, 2. Pontificum multorum libertas in corripiendis Imperatoribus et regibus, 287, 1. Pontificum omnium brevis est vita, 427, 1.—*Vide notata Domin. IV post Pentecost. et in festo S. Petri.*

Roma cur vocetur Babylon, 400, 2 et seq. Romana Ecclesia quam semper fuerit florens, et fide suscepta constans, 402, 1.

IN FESTO S. MATTHIÆ.

Sors cecidit super Matthiam. Sors nostra pendet a Dei manu, 194, 2.

IN FESTO ANNUNTIATIONIS B. MARIÆ VIRGINIS.

Fiat mihi secundum verbum tuum. Hoc prolato verb , incarnatus est Dei Filius in utero Virginis. Ejus incarnatio insitioni arborum assimilatur, 80, 1, 2. uniones variæ similes unioni Verbi cum carne, 508, 1. in incarnatione Deus incarnatur, 509, 2. et quid assumat, 510, 1. cui et cur, 2. quid in ea præstiterit, 511. et seq. hanc incarnationem prædixerunt Prophetæ, 507, 1. ea in primitiva Ecclesia ante omnia credenda erat, 587, 2. eam multi hæretici impugnarunt, 588, 1.

Christus an incarnandus fuisset, si Adam non peccasset, 267, 1, cur tam sero sit incarnatus, *ibid.* incarnatus cum fuit, mutavit terram in cœlum, 335, 1. est nobis patrimater, 509, 1 et seq. cur vocetur Verbum, 513, 2. cur dicatur λόγος per omnes λόγου significationes, 2 et seq. —*Vide notata feria IV quatuor temporum Adventus.*

IN FESTO S. MARCI.

S. Marcus an fuerit S. Petri socius, 402, 2.

IN FESTO S. PHILIPPI APOSTOLI.

Non turbetur cor vestrum.—*Vide notata fer. III. Pasch.*

Quia Pater in me, et ego in Patre. — *Vide notata Dominica Trinitatis.*

Dabit vobis. —*Vide notata in Litaniis Majoribus.*

IN FESTO S. JACOBI MINORIS.

Ilic Jacobus quis fuerit: ejus elogium, parentes, privilegia, sanctitas, 6, 1 et seq. an ei Sancta sanctorum ingredi licuerit, 7, 2. ejus martyrium et causa. 9

IN FESTO INVENTIONIS S. CRUCIS.

Crucis Christi virtus, 268, 1. crux via est in cœlum, 304, 1. Sanctis est sanctitatis magistra, 307, 1. Christianismus est imago crucis, 346, 1. crucis lignum ab igne conflagrationis mundi erit intactum. 488, 1.

IN FESTO S. PETRI APOSTOLI.

Tu es Petrus. S. Petri privilegia varia, 231, 2 et seq. ejus martyrium, 235, 1. ejus nomen est idem quod Petra Ecclesiæ, 237, 1.

Vide notata Domin. IV post Pentecosten.

IN FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ.

Rahab meretrix in veteri Testamento quæ bona opera fecerit, 131, 1. quando sit justificata, 2.

IN FESTO S. JACOBI MAJORI.

Nescitis quid petatis. Male petens cur non impetret ea quæ petit, 173, 2. Caduca et peritura a Deo petenda non sunt, 174, 1. — *Vide notata in feria IV post Dom. II in Quadrag. et in Litaniis Majoribus.*

IN FESTO ASSUMPTIONIS B. VIRGINIS.

B. Maria Virgo moriens an sit inuncta, 219, 1. ejus elogia.—*Vide Indicem Rerum v.* B. Maria Virgo.

IN FESTO S. MATTHÆI.

Misericordiam volo, et non sacrificium. Quæ sit vis misericordiæ, 120, 2. — *Vide notata Domin. XII post Pentecosten.*

IN FESTO DEDICAT. S. MICHAELIS.

Nisi efficiamini sicut parvuli. Uti parvulis datur lac quod simplicitatis est symbolum, agi poterit de simplicitate. Simplex cor quod sit, 270, 1. lac rationabile quod dicatur, 277, 1. sinceritas et candor puerilis decet Christianos, 472, 1.

Si quis scandalizaverit. Sancti non habent scandalum, 541, 1.

S. Michael quare cum diabolo de Mosis corpore sit altercatus. 666, 2.

Angeli delectantur Christi humanitate, 255, 2. non desiderant unionem hypostaticam Christi, 256, 1. assistunt Missæ, 257, 1. —*Vide Indicem Rerum v.* Angelus Michael.

Luciferi, quem Michael cœlo deturbavit, peccatum in quo situm fuerit, 443, 2. ipse ejusque asseclæ a Michaele sunt in infernum detrusi, 444, 1.

IN FESTO SS. SIMONIS ET JUDÆ.

S. Judæ Apostoli parentes, sanctitas, vita, elogium, 648, 1 et seqq.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

Beati visione Dei quomodo satientur, et non satientur, 246, 1; 253, 1. an videant Dei essentiam, 565, 1. ex hac visione sequitur amor Dei plenus, *ibid.* —*Vide Indicem Rerum v.* Sancti, Cœlum, Gloria.—Eorum corona gloriæ, 385, 2.

Gloria cœlestis, ad quam Sancti evecti sunt, cur dicatur corona vitæ, 49, 1. regni cœlestis descriptio, 50, 1. ejus pretium est amor, 50, 2; 107, 2. quanta ea gloria sit, 251, 2; 365, 1. cur benedictio vocetur, 326, 2 et seqq. mille anni in gloria sunt sicut dies unus, 357, 2; 480, 1.

Hæreditas nostra Deus est et cœlum, estque incorruptibilis, 244, 1. et incontaminata, 245, 1. et immarcessibilis, 246, 1, 2. visio beatificata cur dicatur Lucifer, 435, 1.

Sancti semper ad eam aspirarunt. 490, 1. ipsi pro nobis ad Deum intercedunt ut advocati, 533, 2 et seqq. corporis et animæ gloriosæ dotes, 565, 1, 2.

Beati pauperes spiritu. Humiles cur sint pauperes, 45, 1. pauperes cur Christus elegerit, 106, 2.—*Vide reliqua notata Domin. II Adventus*

BEATI QUI LUGENT. Varias lugendi causas habet homo, 184, 1, 2. lugentium variorum exempla, *ibid.*

BEATI MITES. Qui alium corripit, sit mitis in verbis, 156, 2.

BEATI MISERICORDES. — *Vide notata Domin. XII post Pentecost.* — Vita debemus esse cœlestes, et vitam cœlitum imitari, 494, 2.

BEATI MUNDO CORDE. *Vide notata in Communi Virginum, et Indicem Rerum v.* Virgo, Castitas.

BEATI QUI PERSECUTIONEM PATIUNTUR. Christiani dura patiantur, ut ducem suum Christum imitentur, 303, 2. pro gloria æterna pati facile est, 48, 2. pati pro Christo magna est dignitas, 366, 1. patiendo inserimur cruci Christi, 364, 1. in patientibus patitur Christus, 2. in iis requiescit Dei majestas, 365, 2. pro eo pati quam dulce, 17, 2.

PROPTER JUSTITIAM. Pati propter justitiam beatum est, 329, 1. virtus versatur circa fortia, 416, 1. pro fide et pietate certare et pati nos par est, 655, 2. in persecutione gaudendum, 19, 1.

IN COMMEMOR. FIDELIUM ANIMARUM.

Vide notata Dominica III post Epiphan. et in festo Paschatis de descensu Christi ad limbum.

IN FESTO S. ANDREÆ APOSTOLI.

EX HOC ERIS HOMINES CAPIENS.—*Vide notata Domin. IV post Pentecosten.*

IN FESTO CONCEPTIONIS B. VIRGINIS.

Beata Virgo pura fuit omni peccato, originali et actuali, 527, 1.

IN COMMUNI APOSTOLORUM.

Apostoli fuere præcones castitatis, 311, 1. Apostolici viri quales esse debeant, 378, 1.— *Vide Indicem Rerum v.* Apostoli.

IN COMMUNI EVANGELISTARUM.

Vide notata circa verba Evangelii, in communi Confessorum, et Indicem Rerum v. Paupertas, Apostoli.

IN COMMUNI CONFESSORUM.

Religiosus et religio proprie quid sint, 88, 1; 89, 2. quæ sit virtus religionis, 91, 2; 93, 1. obedientiæ perfectio est patientia, 301, 1. veri Christiani armatura, 396, 1. ejus stadium est patientia, 304, 1.

Fideles omnes quomodo sacerdotes, 283, 1, 2; 286, 1. fidelis major est mundo, 590, 1. Sacerdotes et Ecclesiastici sua pauperibus cur dare teneantur, 579, 1.

Episcopi aspiciant identidem in Christum ducem Pastorum, 309, 1. Doctorum et Episcoporum quæ sit corona, 385, 2.—*Vide Indicem Rerum v.* Pastor, Episcopus, Prælatus.

FACILIUS EST CAMELUM PER FORAMEN. Divitibus cur intentatur væ, 196, 1. — *Vide plura notata in feria V post Domin. II in Quadrag.*

IN COMMUNI MARTYRUM.

Martyres statim a pœnis ad cœlum evolant, 208, 2. eorum spes invicta, 260, 2. patiendo illustre dant virtutis exemplum, 367, 1. eorum robur venit a Deo, 399, 2. eorum fortitudo, 416, 1.

Patientia Martyrum quomodo opus perfectum habeat, 25, 2 et seq. ejus effectus et elogia, 26, 2 et seq. ejusdem dictamina, 32, 2. pro fide et pietate quomodo certari et mori nos oporteat, 655, 2.

Martyrii quanta sit gloria, 367, 1. Stimulus ad ipsum, *ibid.* — *Vide notata feria II post Pascha, et in festo omnium Sanctorum, et Indicem Rerum v.* Martyr, Crux, Tribulatio.

IN COMMUNI ABBATIS.

Prælaturæ non sunt ambiendæ, 134, 1. — *Vide notata feria III post Domin. in Quadrag., et Indicem Rerum v.* Prælatus.

IN COMMUNI VIRGINUM.

VIGILATE ITAQUE QUIA NESCITIS DIEM NEQUE HORAM. Quamdiu vivimus vigilare nos oportet, 354, 2; 390, 2. somno non nimis indulgendum, 664, 1.—*Vide Indicem Rerum v.* Castitas, Virgo, Vigilia.

Incorruptus spiritus est castitas, 314, 1. castitas sapientiæ et comes et socia, 195, 2 et seqq. ejus præcones fuere Apostoli, 311, 1. ipsa est vera castitas, 268, 1. cingulum est castitatis symbolum, 258, 1.

Christianos decet continentia in animo et oculis, 294, 1.

Vitam cœlestium quomodo imitari debeamus, 494, 2. et lumbos mentis succingere. 257, 2.

Les 20 premières pages de ce PDF donnent un aperçu de la qualité, *bonne ou mauvaise,* de l'édition papier. La qualité dépend du livre original dont nous nous sommes servi pour produire le fac-similé (*texte numérisé*).

Il est possible de commander l'édition papier à prix abordable en visitant le site :

canadienfrancais.org

Plusieurs autres livres sont également disponibles sur le même site, toujours à prix abordable.

Ô Marie conçue sans péché,
priez pour nous qui avons recours à vous!

Cet ouvrage est dans le domaine public.

Année 2020
canadienfrancais.org